



VE
RI
TAS

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXII.

JOANNES SCOTUS ERIGENA. ADRIANUS PAPA II.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Edward Kennard Rand
104 Dale View Avenue
Paulding
September 1901

PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXII.

JOANNES SCOTUS ERIGENA. ADRIANUS PAPA II.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

JOANNIS SCOTI
OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AD FIDEM

ITALICORUM, GERMANICORUM, BELGICORUM, FRANCO-GALLICORUM, BRITANNICORUM CODICUM

PARTIM PRIMUS EDIDIT, PARTIM RECOGNOVIT

HENRICUS JOSEPHUS FLOSS

SS. Theol. et Phil. Dr., in Convictorio theologorum catholicorum repetens, SS. Theol. in Universitate Fridericia Guilelmia Rhenana privatim docens.

ACCEDUNT ADRIANI PAPAE II EPISTOLAE.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

INDEX

OPERUM ET AUCTORUM QUI IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JOANNES SCOTUS.

ADRIANUS PAPA II.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

PROOEMIUM.

I.

EDITIONIS CONSILIUM.

§ 1. Quaenam potissimum causa ad Joannis Scoti theologi libros colligendos ac perpoliendos me impulerit, si quaeris, lector benevole, en paucis tibi consilii mei rationem aperiam. Etenim ante hos fere tredecim annos, quum theologicarum ac philosophicarum literarum rudis fere ac imperitus in illius Joannis libros incidissem, hujus scriptoris seculo IX viventis haud parum me movisse speciosam ac paene singularem disputandi subtilitatem confiteor. Nec tamen non me offendit quorumdam ex nostratibus temeritas, extollentium ac praedicantium ejus philosophicas theologicasque theorias, quippe cum ejus primarium opus, quod « de divisione Naturae » inscribitur, ab Honorio P. III. igni adjudicatum, et ante fere ducentos annos quum in Anglia typis esset expressum, in Indicem librorum prohibitorum relatum esse inter omnes constet. Atque jam tum mihi proposueram, et quid Joannes Scotus scriptis suis profecerit, et in quibus locis erraverit, diligentius indagare, et aliquando justa libra utrumque expensum, in honorem ac fructum sanctae Ecclesiae exponere. Non ita multo post in itinere literario, quod per Germaniam, Helvetiam, Italiam, Belgium instituebam, occasio mihi oblata erat, inter cetera, in quae incumbebam, studia critica, et ex Joannis Scoti libris quinam superessent in bibliothecis delitescentes, investigandi, et quidquid reperissem, ad pleniusjudicium de ipso ferendum in lucem protrahendi. In quam rem licet plurimas bibliothecas perlustrassem, tamen librorum ipsius codices mss. haud ita multos reperire mihi contigit. Ex his codicibus quae descripsi fragmenta haud sane spernenda, nunc primum a nobis in lucem emittuntur. Denique majori cum fructu nuper bibliothecam Regiam Parisiensem adii. Ubi quum plures codices librorum Joannis Scoti invenissem, eos quoque in usus meos convertendos esse putavi. Ad eorum igitur fidem et « de Praedestinatione » et « de divisione Naturae » libros diligenter excussi. Codicem quoque Laudunensem mihi liberaliter Parisios transmissum, haud sine fructu examinavi. Quod vero integram Scoti operum, quae supersunt, editionem, non omisso suspectae fidei libro de principiis, quem « de divisione Naturae » inscripsit, huic Patrologiae inseruimus, haud facile quemquam miraturum existimo, qui reputaverit, omnino Joannem Scotum cum acutissimis suis profundissimisque disputationibus, quarum et ipse ex Platone Aristoteleque haud raro argumenta petivit, sensu quodam latiori Scholasticae, quam dicunt, Theologiae praeambulum, tum versione sua operum Pseudo-Dionysii Areopagitae, suisque eorum expositionibus, ceterisque suis crebro allegoricis theoriis, mysticae quam vocant theologiae tanquam praecursorem haud immerito a viris doctis judicari. Imprimis vero Joannis Scoti versione operum, quae sub S. Dionysii Areopagitae nomine feruntur, utebantur medii aevi Theologi. Qui quoniam graecam linguam ipsi non callebant, libros, quorum auctorem S. Dionysium Areopagitam ut Patrem apostolicum colebant ad unum omnes, ab Joanne Scoto latine conversos legebant, eamque versionem commentariis suis

illustrabant. Quare quum omnino Joannes Scotus ejusmodi scriptor sit, cujus opera in « Cursu completo » Scriptorum ecclesiasticorum desiderari vix debeant, integram operum ejus editionem adornari et justum et ab hujus collectionis consilio haud prorsus alienum esse duximus. In his autem Joannis Scoti operibus si quae occurrant, quibus juste offendaris, non omisimus « Monitis ad Lectorem » praemissis, ubi opus erat, principales errores notare, nec non hic illic notis subjectis, quae falso aut minus recte disputantur, corrigere. Praeterea in commentatione « de vita et praeceptis Joannis Scoti » huic operum editioni praemissa, errores ipsius acriter perstringuntur. Si cui nihilominus in notandis Joannis Scoti erroribus aliquid a nobis neglectum esse videatur, excusabunt nos cum rei difficultas, tum temporis, quod nobis in paranda editione concedi poterat, angustiae.

§ 2. Et de fine hujus editionis haec quidem hactenus. Praeterea duo nobis reliqua sunt: primum, ut codices, quos adhibuimus, enumeremus, deinde, ut de Joannis Scoti vita quid compertum habeamus, exponamus. Ubi tamen in usus meos convertere non dubitavi illam *commentationem de vita et praeceptis Joannis Scoti*, abhinc aliquot annis editam auctore anonymo, quam operibus praemittere statuimus. Quae quum in capitibus gravioribus sit bene adornata, solum id supererit, ut nonnulla, in quibus ab ejus scriptore nobis dissentiendum est, dilucidemus.

II.

CODICES.

§ 3. Et primum quidem ad codices quod attinet, in edendis *Expositionibus super Ierarchiam caelestem S. Dionysii*, hucusque ineditis ac paene incognitis, adhibuimus tres. E quibus codex Vaticanus 652, initio seculi XI eleganter scriptus, constat 58 membranis in folio minori. Continet vero solas illas Joannis Scoti expositiones. In prima membrana manus seculi XIV, ut videtur, adscripsit: *Iste libellus ex....; ex* vix legi potest, cetera omnino obliterata sunt. Item manus seculi XIII exeuntis, ut videtur, in inferiori membranae parte scripsit: *sumus* (sic!) *omnium theologorum iste*, quae verba quanquam diluere quidam studuit, tamen bene possunt adhuc distingui. Quater vel quinquies ad marginem deprehenduntur glossae trium vel quattuor verborum, quas quum vix potuerim dignoscere, neglexi. Is, qui librum descripsit, sensum vix unquam attigit; quare interpunctio falsissima est; quin imo duo verba haud raro in unum contrahuntur, alia dismembrantur. Finem versus menda sunt crebriora. Graeca verba, quae occurrunt, male scripta sunt. Ex hoc igitur codice quum *Carolus Greith, ecclesiae S. Galli in Helvetia nunc praepositus ac officialis*, expositiones illas descripsisset, liberaliter mihi copiam sui apographi fecit, quod deinde Romae denuo ad codicis fidem et ipse diligenter contuli.

§ 4. Alter est codex ms. lat. 380 bibliothecae Regiae Monacensis, olim Electoralis bibliothecae serenissimorum utriusque Bavariae ducum, ut ex *insigni* eorum, interiori parte operculi affixo, cognoscitur, membranaceus, seculi XIII, 4°, literis exaratus minusculis satis nitide, et cum abbreviatura vulgari, in principio mutilus; nunc constat foliis 96. Tituli et numeri capitum sunt miniati. Initiales minio cum pigmento caeruleo adhibito sunt eleganter elaboratae, ductuque haud raro usque ad finem membranae pertingente praeditae. A variis manibus passim scriptura radendo vel corrigendo in ipsa textus linea mutata, haud pauca supra vel ad marginem adscripta sunt. Continentur eo haec:

1. fol. 1,1 — 4,2 fragmentum *versionis caelestis Ierarchiae*. Quod incipit: *super-*

pleni luminis praeperfectae perfectionis; etenim nihil perfectum aut non indigens universaliter perfectionis, nisi vere per se perfectum et praeperfectum. Cap. XI. Istis autem determinatis illud dignum attendere, propter quam causam universas simul angelicas substantias caelestes virtutes vocare consuevimus, cet. Finitur verbis: *eandem autem virtutem praedictis habentia praetermisimus et commensurationem* (a. m. corr. *comensurationi*) *sermonis providentes, et super nos occultum silentio venerantes. Explicit liber beati Dionysii episcopi Athenarum ex Areopagitis de caelesti Ierarchia.*

2. fol. 5,1—19,1. *Joannis Saraceni versio ecclesiasticae Ierarchiae.* Orditur a titulo miniato: *De ecclesiastica Ierarchia. Incipit prologus Joannis Saraceni ad magistrum Joannem de Saraberiis de ecclesiastica Ierarchia. Post translationem angelicae Ierarchiae translationem ecclesiasticae distuli,* cet. Prologum excipit versio, quae sic finitur: *Trade igitur, o amice, et ipse mihi perfectiorem illuminationem, et monstra meis oculis, quas videre possis convenientiores pulchritudines et uniformiores; confido enim, quod praedicta ego repositas in te divini ignis accendam scintillas. Explicit liber Dionysii Areopagitae episcopi Athenarum ad Timotheum episcopum Ephesi de ecclesiastica ierarchia.*

3. fol. 19,2—24,1 literis multo minoribus et plurimis abbreviaturis tractatus anonymi, qui incipit a titulo miniato: *Incipit quidam tractatus bonus, qui non est de libris Dionysii, et durat usque ad VII folium ibi memor* esto; cet. (alia manus post vocem *memor* atramento nigro supra adscr. *hospitii*), et orditur a verbis: *Omnis cognitio aut est initialis, aut ex praeexistenti aliqua; omnis autem initialis aut est singularis, aut universalis; si singularis est, erit sensus sive experientia sive memoria, si universalis, erit intellectus* cet. Finitur sic: *Sunt enim angeli, qui hoc habent in munere, ut eorum ministerio fiant miracula, et eis mediantibus fiant virtutes in hominibus. Hi constituunt ordinem, qui dicitur virtutes. Hi adesse traduntur in altari, cum panis mutatur in corpus Christi. De eorum consortio erunt illi, quibus spiritualiter datum quasi spirituali munere, facere miracula. Huic ordini oppositum est illud collegium daemonum, ministerio quorum fiunt praestigia ad homines illudendos. De eorum consortio vel conventu erunt illi, qui praestigiis et divinationibus intendunt; ordinate autem praedictum insinuat primus articulus descriptionis, cum dicitur nec legibus occurrens. Praedicti autem angeli nec legibus occurrunt, quippe propter legem, nec multa miracula faciunt. Sunt et alii angeli, qui hoc acceperunt in munere.* Ad marginem adscriptum legitur: *deficit aliquid.*

Reliqua pars fol. 24, 1 tegitur rebus nullius momenti, a recentiori manu pallido atramento pessime exaratis; fol. 24, 2 *dictis Augustini*, recentiori alia manu atramento satis nigro melius scriptis.

4. fol. 25,1—42,1 Joannis Saraceni liber de divinis nominibus. Incipit a titulo miniato: *Incipit liber primus de divinis nominibus. Cap. I. Prologus Joannis Saraceni ad Odonem, sancti Dionysii reverendum abbatem, in libros beati Dionysii Areopagitae de divinis nominibus*, et orditur: *Memor hospitii et meae sponsionis diu literas vestrae sublimitatis exspectavi, quas quoniam multis de causis non misisse potestis, sponsioni meae satisfeci* cet. Finitur verbis: *et tradidimus et trademus, sicut quidem et nos sumus sufficientes dicere, et quibus dicitur audire et nihil, traditioni iniuriam facientes, nisi forsitan ad intelligentiam aut expositionem ipsorum infirmemur: sed hac quidem, qualiter Deo erit amicum, ita et ha*

beantur et dicantur, et sic quidem iste intelligibilibus Dei nominationibus secundum nos finis. Ad symbolicam autem theologiam duce Deo transibimus. Margini verba miniata adscripta sunt: *Dionysii Areopagitae liber de divinis nominibus explicit.*

5. fol. 42,1—43,2 Ejusdem liber de mystica theologia. Incipit a titulo miniato ad marginem adscripto: *Incipit prologus ejusdem Joannis Saraceni ad eundem Odonem sancti Dionysii abbatem in librum de mystica theologia,* et orditur a verbis: *Ante mysticam theologiam symbolica theologia esset transferenda. Nam* cet. Finitur verbis: *Quoniam et super omnem positionem est perfecta et unita omnium causa, et super omnem ablationem excessus ab omnibus simpliciter absoluti et supra tota. Explicit liber magni Areopagitae Dionysii de mystica theologia.*

6. fol. 43,2—48,2 Versio epistolarum. Incipit a titulo margini adscripto: *Incipiunt epistolae. Epistola prima Gajo monacho,* et orditur a verbis: *Tenebrae occultantur lumine et magis multo lumine; ignorantiam occultant cognitiones et magis multae cognitiones; haec excessive, sed non secundum privationem* cet. Finitur ultima epistola verbis: *Dignus autem credendi sum omnino praecognita tibi, et discens ex Deo, et dicens, quia et a custodia, quae est in Pathmo, dimitteris, et ad terram Asiae reverteris, et facies ibi imitationes, et his qui erunt post te, trades. Explicit.*

7. fol. 49,1—95,2 Joannis Scoti expositiones. Incipiunt a titulo miniato: *Incipiunt expositiones Joannis Scoti super Ierarchias sancti Dionysii,* et ordiuntur a verbis: *Sancti Dionysii Areopagitae primus liber* cet. Finiuntur verbis: *et non nisi in animo.* Hae igitur expositiones sunt nitidius aliquantum, quam ceterae codicis partes, scriptae. Tituli sunt miniati, et versionis verba in primo capite linea miniata, in ceteris capitibus linea atramento nigro ducta insigniti: idem de singulis quoque versionis verbis, si repetuntur, valet. Graeca verba, quae occurrunt, sunt vitiosissime scripta. Ab alia seculi XIV, ut opinor, manu, quam B* insignivi, scriptura saepe radendo vel corrigendo in ipsa textus linea, vel supra adscribendo mutata est, nec pauca ad marginem adscripta sunt. Tertia quaedam manus, primae aetate fere suppar, quam B** insignivimus, nonnunquam verba quaedam ad marginem adscripsit atramento aliquantum pallidiore. Raro etiam recentior manus ad marginem adscripsit, quam insignivimus *rec. m.* Si prima manus ipsa correxisse videbatur, id notavimus *corr. B.* Notandum insuper, foliis 71, 2. 72, 2. 73, 2. 74, 2. 75, 2. 77, 2. 78, 2. 83, 2. 84, 2. 85, 2. 87, 2. 89, 2. 90, 2. 91, 2. 95, 2 in extrema membranae summitate res quasdam nullius momenti esse adscriptas. Praeterea in nonnullis foliis recentior manus seculi XV vel XVI, stilo cerussato multa adscripsit in margine, quae tamen ita sunt obliterata, ut legi amplius nequeant.

Reliqua pars fol. 95, 2 et fol. 96 rebus lectu difficillimis nulliusque momenti tegitur.

Restat, ut moneamus, ad illud versionis fragmentum, quod fol. 1,1—4,2 codicis legitur, aut eadem aut alia suppari manu literis minutissimis *fragmenta Joannis Scoti expositionum in caelestem Ierarchiam* ad marginem adscripta esse. Quae etsi maximam partem in expositionibus, quas edidimus, infra leguntur, tamen capitibus, ad quae pertinent, adnotatis singula ordine, quo in codice extant, hic proferenda esse duximus. Columnarum, quibus infra occurrunt, numerum subjunxi.

CAP. XI. *Scotus.* Quomodo intellectus essentiae, ratio virtuti, sensus interior operationi adunetur, nec non duae trinitates hominis et angeli, sed una sit, in libro peri fision satis aperitur. *Vide infra col.* 230.

CAP. XIII. Apologiam, quod interpretatur defensio vel satisfactio. *Infra col.* 235.

Intellige de nive et glacie, quae prius resolvuntur, quam in eis appareat caliditas, vel tales substantias

quae nullo modo calefieri possunt, scilicet frigidissimas. Ideoque omnia frigida veluti mortua, calida autem viva dicuntur, quoniam per caliditatem omnis materia corporaliter formatur et reformatur. *Infra col.* 237.

Duo operatur ignis, caliditatem et illuminationem, sed quae ad omnia vadit virtus ejus calefacientia, illuminativa vero in densis reprimitur; etenim non ad omnia illuminatio eius extenditur. Primitivam vocat operationem in igne, quae calefacit. *Infra col.* 238.

Hoc datur intelligi, quod ipsi Deo et intellectuali et rationali creaturae id ipsum est esse, lucere, videre. Esse enim ipsorum lux est et visio. *Infra col.* 240.

Propter falsos deos, ut sunt dii gentium, aut sanctos, qui sunt dii per gratiam, non naturam. *Infra col.* 240.

Sensus est huiusmodi : causalis omnium constituit, ut superposita quaecunque essentia subsequenti se essentiae divina lumina per se ipsam transvehat, vel iuvehat, vel supervehat; in omnia haec potest verbum illud transferri ἐποχετεύεσθαι. *Infra col.* 240.

Scotus. Hoc pulchre dicitur, quia omnis caelestis essentia proprietatum suarum fit et dicitur participatio, vel quantum participatione subsistentes fiunt. *Infra col.* 242.

Hoc per cardines templi mystice significatur, vel secreta singularitate immutabile fundamentum. *Infra col.* 244.

Scotus. Facies sedentis super solium, id est, superessentialis Dei altitudo, quae velatur alis, quoniam in eam reverenter et trepide respiciunt angeli. Pedes autem sedentis sunt profundissima ejus in universali creatura vestigia. Quos duabus alis obtegunt caelestes essentiae, timentes scrutari, quomodo Dominus, cum sit super omnia, diffunditur in omnia, et qui est superessentialis, et omnium essentia, et quomodo ubique est, sine quo nihil esse potest. Duabus alis semper volitant, propter aeternum imitatorium divinae operationis. Ecce in senis alis perfectio motuum intelligibilium exponitur. In eo autem, quod binae sunt, aut factoris et factorum dilectio et contemplatio et actio, aut duplex pars divinae scientiae affirmativae et negativae; una enim induit praedicando de eo omnia quae sunt, reliqua exuit removendo, et utraque vera. *Infra col.* 245. 246.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum. In hoc ternario hymno laudatur una essentia in tribus personis vel substantiis. *Infra col.* 246.

Non alia haec claritas intelligitur, quam Verbum aeternum, quod in secretissimis Patris sui sinibus omnes sanctos [perficit] intellectibus in primordialibus suis causis, et priusquam ex inaccessibili lucedivinitatis exiens radius ad proximos venit. *Infra col.* 246.

Tres ordines : unde ducem nominat, quia, quod unus facit, omnes facere intelliguntur. *Infra col.* 248.

Cap. XIV. Ita definiuntur, quemadmodum caelestis Ierarchiae intelligentia et scientia eis insita est; substantia siquidem eorum et numerus intelligentia est et substantia. *Infra col.* 257.

Cap. XV. Ad hoc caput recentior quaedam manus literis lectu difficillimis varias interpretationes adscripsit, inter quas nonnullas Io. Saraceni, hanc vero Scoti :

Io. Scotus. Discretus; nullo quippe alio elemento incrassatur, sed in sua sinceritate discretus permanet. *Infra col.* 256.

Resiliens; ab omni corpore alliso, de nubibus, de petris, de ferro; omnis quippe collisio ignem creat (*a*). *Infra col.* 256.

Q. d. imagines, significant easdem esse dispositiones in primis, mediis et ultimis. *Infra col.* 258.

Acutius videt aquila, quam homo; canis fortius odorat. *Infra col.* 258.

Et secundum rationabilem intelligentiam continuitate. Virtus siquidem rationabilis scientiae continua est; prius enim desinet subsistere, quam et in momento rationabili carere scientia. *Infra col.* 259.

Sicut olfactus contrarias a convenientibus discernit exhalationes. *Infra col.* 259.

Factivum ad manus, operativum ad brachia, activum ad humeros, in quibus veluti quodam cardine actionis motus primo volvitur, deinde per brachia in manus extenditur. In anima rationabili, in animo, est primus eius motus, sicut quibusdam suis humeris; deinde descendens per progressionem numerorum veluti per quaedam brachia in artificis aestimationem, operationis nomen accepit; dum in effectum moti corporis exseritur, factivus non incongrue vocitatur. Ita, ut opinor, in caelestibus animis, dum veluti primo motu primordiales causas in principio omnium, quod Deus est, supra se intuentur, actio eorum est; dum in seipsis, quae supra se vident, conformant, operatio; dum vero quae facienda sunt in natura, juxta analogiam eorum, quae supra se contemplantur, et in se conformant, faciunt atque efficiunt, vel effectivus eorum motus non inconvenienter dicitur. *Infra col.* 261.

Pariter ad versionem *epistolarum Pseudo-Dionysii*, quae fol. 43,2 — 48, 2 exstat, eadem manus iisdem literis minutissimis ad marginem glossas satis multas adscripsit. Quas quum accurate examinassem, e *scholiis S. Maximi* sumptas esse inveni.

§ 5. Tertium in edendis Joannis Scoti *Expositionibus super Ierarchiam caelestem S. Dionysii* adhibui codicem ms. bibliothecae Brugensis n° 1, membranaceum, fol. maj., seculi XV vel XV. Quo continetur Joannis Scoti *versio operum Pseudo-Dionysii*, ita quidem disposita, ut singulis capitibus *expositiones S. Maximi, Hugonis a S. Victore, Joannis Saraceni*, aliorum, in quibus et nostri *Joannis Scoti expositiones in Ierarchiam caelestem*, subjungantur. Neque tamen *Joannis Scoti expositiones* integrae sunt, sed fol. 171, 2 codicis desinunt his verbis : *Verbi gratia prima Ierarchia mediae, media tertiae, tertia quartae, quae est in hominibus, divinas tribuit illuminationes* (vide *infra col.* 239), ita ut finis desideretur. Ejusmodi collectiones expositionum in Pseudo-

(*a*) *Discretus* et quae sequuntur usque ad vocem *creat* recentior manus adjecit.

Dionysii libros, a Joanne Scoto in sermonem latinum conversos, inde a seculo XIV crebro occurrunt. Duo exemplaria persimilia inspexi Romae in codicibus Vaticanis 177, membran., fol., seculi XIV, foliorum 208, et 176, membran., fol., seculi XIV, foliorum 295. In quibus pariter illae Joannis Scoti expositiones a nobis nunc primum editae reperiuntur sparsim per aliorum scriptorum expositiones singulis versionis capitibus subnexae. Quos quidem codices Vaticanos quum ob temporis angustias excutere non potuerim, ad illius codicis Brugensis fidem expositionum locos aut depravatos aut corruptos saepe emendavi. Sed ut rationem istarum collectionum intelligas, collectoris praefationem e codicibus Brugensi et Vaticano erutam, data hac opportunitate, adscribere lubet.

Brevis et valde necessaria declaratio dispositionis totius operis subsequentis, et quae legentibus utilitas.

Compellit me, dilectissime, opportune importune pia et providens tuae dilectionis instantia, novo et insueto operi, vigiliarum et sollicitudinis pleno, qualemcunque potuero diligentiam adhibere, et humeris amici praesertim debilibus onus importabile superponis. Verum quia quaelibet difficilia levia et prope nulla facit amor, Christo duce et praevio, libens aggrediar quod hortaris, licet non ignorem, quod in hoc opere linguas corrodentium non effugiam detractorum. Sed non multum moveor vanissimis invidorum contra veritatem latratibus, verissime sciens, opus istud, si ad calcem donante Domino perducatur, non solum tibi, sed et omnibus diligenter atque fideliter inspecturis non modicum ad plurima profuturum, et maxime ad faciliorem notitiam rerum visibilium et transcurrentium earum, quae falsae et fallaces et nunquam nusquamque stantes (?), felicitatis contemptum, atque certiorem spiritualium intelligentiam, sobriumque eorumdem verae et stabilis et aeternae beatitudinis appetitum. Novit enim discretio tua, quia, sicut nullum malum vitabile, nisi cognitum, ita nullum bonum appetibile, si fuerit ignoratum, dicente Augustino: « Nullo modo diligitur, quod penitus ignoratur ». Eorum autem cognitione habita, auxiliante gratia, de facili impletur, quod in psalmo praecipitur: « Declina a malo et fac bonum ». In quibus duobus duas partes justitiae consistere non ignoras. Primam igitur, id est, angelicam Ierarchiam macarii Areopagitae Dionysii cum suis expositionibus taliter ordinare desidero, quod praescriptis in serie capitulis, quae a commentatoribus ad evidentiam totius operis in suorum principiis tractuum praenotantur, postquam ad explanationem literae perventum fuerit, nihil prorsus de meo adjiciens, nihil de commentariorum expositionibus praetermittens, imprimis capitulum de textu Ierarchiae inseram, cui statim supponam translatam de Graeco in Latinum glossaturam eidem capitulo congruentem. Postea praescripti capituli secundum magnum Hugonem de S. Victore expositio subiungetur, dein Joannis Scoti, ad ultimum Joannis Saraceni eiusdem capituli explanatio subsequetur. Erit igitur dispositionis huius ordo talis, quod praescripto textus capitulo venerabilium doctorum expositiones subscribantur, praetitulatae per singulas suorum nominibus tractatorum, ut tali compendio et legenti pateat facilis, quantum humana sinet infirmitas, caelestium intelligentia secretorum, quae in textu ipsius Ierarchiae continetur, et revolvendi plures libros onerosa necessitas auferatur. Sed notandum, quod glossulae per Anastasium, apostolicae sedis bibliothecarium, de Graeco in Latinum translatae, partim a beato confessore Maximo, partim a sancto Joanne Scythopolitano pontifice sunt editae. Eas tamen omnes in hoc opere nomine Maximi praetitulare disposui, ne forte propter identitatem nominum, Joannis videlicet Scythopolitani, et Joannis Scoti, Joannisque Saraceni intentio legentis in aliquo perturbetur. Nec tamen ideo datur nostra praetitulatio mendositatis argui. Nam quum in omnibus veritatis praeconibus unus et idem loquitur spiritus, dicente Domino: « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis », certum est, quod nobis propter eiusdem communionem Spiritus in regno catholicae veritatis singula sunt omnium et omnia singulorum. Quare non invito propter eumdem in ipsis loquentem Spiritum, quod Maximus dixit, Joannes judicat esse suum, et quod Joannes, Maximus a se non reputat alienum. Nec non et hoc diligenter considerandum est, quod ubicunque literae textus duplex occurrerit, interlinearis litera specialiter ad explanationem Joannis Scoti Joannisque Saraceni pertinet, sicut in serie libri luce clarius apparebit. Et haec tamen pro labore praesentis operis retributionem obtinere desidero, ut precibus et meritis huius summi post beatos apostolos theologi beatorumque, de quibus tanta nosse et scribere promeruerit, in praesenti suffragium, futuro consortium promerear angelorum. Adsit igitur mihi, precor, tuis precibus impetrata tenebrosae menti-, id est meae, illuminatrix gloria, ut ipsa praeveniente, cooperante et subsequente opus tam dulce, tam utile, tam delectabile piorum theosophiae studentium mentibus opportunum initium sortiatur, progressum ordinatum accipiat, atque fine competenti et debito terminetur. Amen.

Et haec quidem de codicibus, ex quibus « Joannis Scoti Expositiones Ierarchiae caelestis » nunc primum edidimus.

§ 6. Joannis Scoti Expositionum in Pseudo-Dionysii libros de Ierarchia ecclesiastica *Prologum* erui e tribus codicibus, Lipsiensi bibl. Universit. 188, membran., fol., seculi XIII, Vaticano 177, membran., fol., seculi XIV, et codice Sorbonn. 1355 bibliothecae Regiae Parisiensis, membran., 4°, seculi XIII. E quibus Lipsiensis, qui Joannis

Scoti versionem operum Pseudo-Dionysii integram continet, *Prologum* illum libro de Ierarchia ecclesiastica praefixum exhibet. In codice Vaticano, qui de Ierarchia caelesti libro expositiones variorum, nec non Joannis Scoti, additas continet, libro de Ierarchia ecclesiastica idem ille *Prologus* initio mutilus praemissus est. Etiam Parisiensis *Prologum* eidem Pseudo-Dionysii libro praefixum habet. Ad horum igitur trium codicum fidem iste *Prologus* nunc primum in lucem prodit. Restat, ut moneam, etiam in codice Darmstadiensi, olim Coloniensi 30, membran., seculi XII, nec non in codice Monacensi Othlonis seculi XI, qui infra § 13 describentur, Prologi verba : *Praecumbentium capitulorum doctrinam* cet. *usque ad iterum mysterii synaxeos exposito, deinde Theoria ejus* (vide infra col. 268. col. 1071) in fronte libri de Ierarchia ecclesiastica exhiberi.

§ 7. Joannis Scoti Expositionum in librum de divinis Nominibus nulla usquam vestigia inveni. Verum ejus *Expositiones seu glossas in mysticam Theologiam Pseudo-Dionysii* deprehendi in codice Vindobonensi ms. hist. eccles. n° CXXXVI, membran., seculi XIV, 4°, foliorum 51, ubi exstant expositiones fol. 33-39 tam male exaratae, ut permultum temporis ac laboris in iis describendis atque adornandis consumere debuerim. Nec tamen operam perdidi, quum textum fere ubique restituere mihi contigerit. Continentur autem codice haecce :

Fol. 1-4 *Indulgentiae et reliquiae ecclesiarum urbis Romae,* fol. 4-19 *tractatus magistri Samuelis Israelitae, per quem dare probatur adventum,* fol. 20-22 *Clementis P. VI literae super anno Jubilaei Romanis missae,* fol. 22-24 *epistola transmissa a Lucifero Papae et Principibus ecclesiasticis,* fol. 24-26 *Precatorium scriptum ad Clementem P. VI ex parte Domini Ludowici Imperatoris a. 1343 sept. 18,* fol. 26-27 *Copia cujusdam literae Regis Angliae transmissae summo Pontifici d. d. sept. anno regni Franciae IV, Regni vero Angliae XVII* (extant apud Raynaldum), fol. 27-29 *Copia citationis Tribuni electi per Romanum populum, qui citavit Dominum Ludowicum, qui sè dicit imperatorem, et Dominum Karulum regem Bohemiae, et omnes principes et archiepiscopos electores regis Romani,* fol. 29-33 *Prologus Sibyllae,* fol. 33-39 *Joannis Scoti expositiones a nobis editae,* fol. 39-51 *Liber in quo continentur multi horribiles eventus in tempore propinquo : Vade mecum in tribulatione contra et adversus Antichristum propinquum* cet. Praeterea fol. 28-29 insertum est *Examen Manichaeorum medii aevi* haud spernendum, quod data hac opportunitate in gratiam lectorum hic a nobis communicatur. Est autem talis :

In examinatione alicujus.

Primum iubeatur iurare, scilicet, quod sine omni fallacia et deceptione et sensus duplicatione, et secundum intellectum et audientiam, ad omnia interrogantia respondeat. Post praestitum sacramentum, si literatus est, interrogetur de symbolo Athanasii [1] « *Quicunque vult* » per singulos versus et articulos. Postea, si sit literatus sive non, de subsequentibus articulis interrogetur ita, cum, ut saepius, de modo et fide iuramenti expressius admoneatur : Credis in Deum, Patrem omnipotentem, et Filium, et Spiritum sanctum, et in hac Trinitate unum Deum, unicum Creatorem esse caeli et terrae, corporum et animarum, visibilium rerum et invisibilium, omnium creaturarum? Credis, quod animae hominum non sunt illi daemones et spiritus maligni, qui de caelo ceciderunt? Credis, quod daemonum nullus unquam salvabitur, neque aliquis illorum hominum, qui in illis peccatis, quae nos catholici dicimus mortalia, decedunt? Credis, quod animae illae, quas Christus redemit, ab inferis secum vexit in caelum, et quod animae Apostolorum et aliorum sanctorum cum Christo regnant in caelo, et quod nobis in terra viventibus patrocinia parare possunt? Credis, quod orationes et eleemosynae, quas [2] facimus pro fidelibus defunctis, prosunt eis? Credis, quod mortui resurgent? Et quod lex Moysi a Deo data est, et non a diabolo? Credis, quod baptizans et vere parvulos facit Christianos, et quod baptismus, qui fit parvulis in aqua, non sit iterandus, in aliquo alio modo quasi meliori immutandus, et quod plene et perfecte potest baptizari parvulus infra annos discretionis, et hoc in fide parentum et ecclesiae? Credis, quod per poenitentiam remittitur peccatum? Credis, quod sine cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione non [3] remittitur peccatum? Credis, quod potest

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *Anastasii.* [2] Cod. *quae.* [3] *non* om. cod., addidi ex conj.

panis converti in verum corpus Christi? Credis, quod soli Deo non sufficit confiteri, nec laico, sed soli sacerdoti? Credis, quod coniuncti simul permanentes sine separatione possunt salvari? Credis, quod confirmatio es† † † magis quam alibi et quod hi, qui abstinentiam non voverunt, sine peccato possunt vesci carnibus? Vis esse obediens Papae et aliis Praelatis nostris tibi denunciatis a nobis? Credis etiam, quod sine fide catholica nullus potest salvari? Credis, quod indulgentiae a praelatis rationabiliter collatae possunt prodesse? Credis, quod mortale peccatum sacerdotis nondum praecisi (?) non potest impedire aliquid sacramentum, quod celebratur ab eo? Credis, quod quaedam mendacia non sunt mortalia, et quod juramentum in tribus casibus non est peccatum? Credis, quod judices seculares non peccant seculares juste damnando ad mortem? Credis, quod omni homini, etiam praedicatori, manibus est laborare? Credis, quod homo per liberum arbitrium potest damnari, et gratia cooperante salvari, ita quod ei non est innata aliqua necessitas salvationis vel damnationis? Credis, quod post diem iudicii nullum erit damnatis solatium? Credis, quod proprietates possidendo potest homo salvari? Credis, secundas vel tertias nuptias non esse damnabiles? Credis, quod Vetus Testamentum impletum est per Novum, et utrumque bonum? Credis, quod spirituale bonum et parvulo est ad aeternam remunerationem, divinis officiis, maxime missarum solemniis, interesse, et oblationes ibi offerre? Credis, quod jejunia et peregrinationes ad limina Sanctorum et nocturnas vigilias ad instantiam orationum multum valet ad remissionem peccatorum et ad retributionem aeternae vitae? Credis poenas esse purgatorias? Credis Dei Filium coaequalem esse Patri, ipsum vere esse incarnatum humanitate in Bethlehem ex Maria virgine perpetua, ipsum Dei Filium, Deum et hominem circumcisum, a Joanne baptizatum, a diabolo tentatum, vere passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum et sepultum, ad inferos descendisse, tertia die a mortuis resurrexisse, discipulis suis apparuisse, et eis videntibus ad caelos ascendisse, ipsisque Spiritum sanctum missum de caelo recessisse, ipsosque apostolos hanc fidem catholicam per universum mundum praedicasse, approbasse rationibus et auctoritatibus, sequentibus signis, et ipsam tandem fidem catholicam, quam ipsi sic praedicaverunt, et beatus Petrus Antiochiae primum, et postea Romae praedicavit et confirmavit, et successores sui apostolatus usque ad praesens nunc tenuerunt, et hodie confitentur : hoc et tu ipse confiteris et firmiter tenes tanquam ab eo recessurus? Post hoc secundum facit iuramentum, quod velit obedire Papae et Praelatis sibi denominatis. Tertium iuramentum, se nunquam habere familiaritatem scienter cum eis, qui contrarium dicunt vel credunt, et quod nunquam omittat eos prodere et accusare, ubicunque fuerint vel invenerint, et nominatim exprimere, et quod nunquam audiat eos praedicare, quod omnes convertantur haeretici hoc anno.

§ 8. Venio ad Joannis Scoti homileticos et exegeticos libros. Ex illis sola ejus superest *homilia in prologum S. Evangelii secundum Joannem*. Quam primus e codice bibliothecae Alenconiensis edidit *M. Felix Ravaisson* in libro qui inscribitur *Rapports sur les bibliothèques des départements de l'ouest. Paris*, 1841, 8°, p. 334 sqq. Denuo edita est in libro, cui titulus : *Scot Erigène et la philosophie scholastique, par M. Saint-René Taillandier. Strasbourg, Paris*, 1843, 8°, p. 299 sqq. Textum primi editoris passim a nobis emendatum reddidimus. Sed codex ille qualis sit, editor non dixit.

§ 9. Ad exegeticos Joannis Scoti de sacra Scriptura libros quod attinet, sola *fragmenta commentarii in S. Evangelium secundum Joannem* supersunt, quae e codice ms. Laudunensi 81 idem *M. Felix Ravaisson* primus edidit in libro qui nuncupatur *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements, publié sous les auspices du ministre de l'instruction publique. Tome premier. Paris, imprimerie Nationale*, 1849, 4°, p. 503 sqq., ubi de illis fragmentis p. 47 haec verba facit : « Les manuscrits de la bibliothèque de Laon offrent un assez grand nombre de monuments inédits, ou du moins que je crois tels. On trouvera réunies dans l'Appendice, à la fin du volume, quelques pièces, qui m'ont semblé mériter, à divers titres, d'être publiées. La première est un fragment considérable d'un commentaire sur l'Evangile de saint Jean, que je crois pouvoir attribuer au célèbre fondateur de la philosophie et de la théologie mystique au moyen âge, Jean Scot Érigène. Ce morceau ne porte pas de titre ni de nom d'auteur dans le manuscrit; mais il me paraît impossible d'y méconnaître l'ouvrage de Jean Scot. D'abord l'écriture du manuscrit est du IX° siècle, du temps où ce personnage a vécu; ensuite l'ouvrage même est tout entier conçu et exécuté dans sa manière, très-facile à reconnaître. La doctrine est bien celle dont le grand dialogue *de Divisione Naturae* présente le développement, et qui est empruntée presque entièrement aux écrits du prétendu saint Denys l'Aréopagite et de son commentateur saint Maxime. Les auteurs qu'on cite de préférence dans notre Commentaire sont saint Denys, saint Maxime et saint Grégoire de Nazianze, c'est-à-dire les auteurs favoris

de Jean Scot, et qu'il fut à peu près le premier à faire connaître en Occident. On y étale cette connaissance de la langue grecque qui était un des principaux titres du savant Irlandais à l'admiration de ses contemporains, et dont il fait parade dans tous ses ouvrages. On affecte, comme lui, d'employer des mots grecs latinisés; enfin, l'élocution a ce tour poétique, tout particulier, qui caractérise les écrits de Scot Érigène; c'est tout à fait le style de son Homélie sur l'Évangile de saint Jean, que j'ai publiée ailleurs, et qui, du reste, est tout à fait distincte du présent commentaire. Malheureusement nous n'avons ici de cet ouvrage qu'un fragment comprenant le commentaire de la plus grande partie des cinq premiers chapitres de saint Jean, et du commencement du sixième. Il est très-regrettable que nous n'ayons pas du moins le commentaire du reste de ce dernier chapitre. On y aurait sans doute trouvé une exposition complète de la doctrine de Scot Érigène sur l'Eucharistie, doctrine dont on n'a guère jugé jusqu'à présent que par celle de Bérenger de Tours, qui faisait profession de la suivre, mais qui s'en écartait, ce semble, assez notablement. Les deux passages suivants du fragment que nous publions fournissent quelques lumières nouvelles sur la théorie propre à notre auteur : « Spiritualiter eum (Salvatorem) immolamus, et intellectualiter mente, non dente, comedimus. Spiritualis homo..... negat Christum carnem esse. quam jam in spiritum versam esse intelligit... Caro ipsius (Christi) exaltata est, et mutata in animam rationabilem. » Du premier de ces deux passages, il paraît résulter que Jean Scot niait la présence réelle du corps de Jésus-Christ, tandis que Bérenger prétendait l'admettre, et ne rejeter que la transsubstantiation. Dans le second on apercoit la raison sur laquelle il fondait son opinion, et qui était que la chair de Jésus-Christ avait été changée en esprit, et que, par conséquent, Jésus-Christ n'avait plus de corps et n'était qu'esprit pur. En effet, dans le *de Divisione Naturae*, si Scot Érigène reconnaît un corps à Jésus-Christ, il soutient que ce corps est tout esprit, exempt de toutes les conditions, soit du temps, soit de l'espace; et il ajoute que tels seront tous les corps dans l'état glorieux de la vie future. Il avait emprunté cette théorie des corps spirituels aux Pères de l'Eglise grecque, tels que saint Grégoire de Nazianze, et à saint Ambroise, qui leur est généralement conforme. »

Quae Joannis Scoti de Ss. Eucharistia doctrina fuerit, infra expendendum erit. Codicem vero *M. Felix Ravaisson*, l. l. p. 85 sic descripsit : Provient de Notre-Dame de Laon. Ce commentaire est incomplet. Le manuscrit commence par « In propria venit » hoc est « in humanam naturam incarnatus est, » et finit, dans le courant de l'explication du miracle de la multiplication des pains, par ces mots : « duobus sensibus conveniens. » Ce n'est point le commentaire de Bède ni celui d'Alcuin; selon toute apparence, c'est celui de Jean Scot Érigène. On y remarque en effet de fréquentes citations de mots grecs et quelquefois des mots grecs latinisés (par exemple, chasmate, de χασματι). Or, on sait que Scot Érigène aimait à faire ainsi étalage de ses connaissances dans la langue grecque. On y trouve également la doctrine bien reconnaissable de l'auteur du « *de divisione Naturae*. »

Haec quidem hactenus. Codicem nuper a Regimine Francorum mihi liberaliter Parisios transmissum diligenter ipse inspexi. Ac primum quidem, quamvis in codice nulla exstet auctoris mentio, quin Joannis Scoti commentarius sit, lectori perito

dubium esse nequit. Codex numeris foliorum caret : constat foliis 48. Initio mutilus est. In foliis sedecim prioribus exstat fragmentum primum, characteribus seculi X vel XI, atramento nigro pulcherrime exaratum : pagina 23 lineas habere solet. Folia viginti sex, quae sequuntur, fragmentum alterum exhibent. E quibus octo priora et prior pagina noni atramento multum pallidiore eadem manu sunt exarata; cetera folia eodem nigro, quo fragmentum primum. In pagina lineae 24 numerantur. Tertium denique fragmentum quinque foliis constat, alia manu aequali arctius ac negligentius scriptum. In pagina lineas 29 numeravi. Scriptor quater integras sententias, quas omiserat, infra aut supra margini adscripsit. In altera quinti folii pagina fragmentum ita desinit, ut ejus 10 tantum lineas tegat.

Haec igitur tria fragmenta à M. F. Ravaisson edita typis repetivimus. Codex vero quum sero in manus meas venisset, varias lectiones sententiasque integras ab illo neglectas aut omissas ad calcem editionis adscribendas curavi. Nec non quartum fragmentum, quod aciem illius omnino effugerat, detexi. Spatio enim trium linearum relicto, eadem manus primi et alterius fragmenti atramento quidem pallidiore, sed pariter nitide hoc fragmentum subjunxit. Quod quin ejusdem commentarii fragmentum sit, vix dubitaris. Quare hanc quoque particulam ad calcem editionis addendam putavi. Ultimam denique codicis paginam tabula paschalis tenet.

Quapropter quum res ita se habeant, equidem suspicor, scriptorem codicis, cum coepisset commentarium diligenter describere, mox suscepti pertaesum alii id munus persequendum tradidisse, sed ad locos de sacra coena (*Joann.* VI, 11) quum is pervenisset, ne ineptias, quas de Ss. Eucharistia Joannes Scotus docuisse fertur, ipse tueri videretur, omnino coepto destitisse, solum autem fragmentum quartum de sacrificio missae in usum suum subjunxisse. Postea membranae nonnullae, quarum argumentum quoad doctrinam pariter offensioni erat, abscissae sunt. Quo facto ne plura perderentur, ligatura recentiore cautum est. Probe enim animadvertas, hoc ipso loco, ubi falsa peccati originalis doctrina coeperit, primum fragmentum, et Evang. Joan. IV, 28 alterum finiri. Restat ut moneam, in fine fragmenti III (infra col. 347), vocem *cerebrum* manu scriptoris in locum vocabuli rasi substitutum distincte legi. Haec quidem de hoc commentario sufficiant.

§ 10. Transeundum est ad systematicos Joannis Scoti libros. Ex quibus ille, qui *de Praedestinatione* inscribitur, prodit ad fidem codicis Parisiensis S. Germani 1314, olim 634, recognitus. Est autem codex membranaceus seculi X, 4°, nitide exaratus, constatque foliis 204. Servatur in bibliotheca Regia Parisiis. Joannis Scoti liber exstat fol. 96,1 — 150,2. Tituli capitum in codice leguntur; solus primi capitis titulus desideratur. Numeros capitum recentior manus atramento pallidiori addidit. Librum e *Codice Corbeiensi bibliothecae S. Germani a Pratis* solus edidit *Mauguin* in sylloge cui titulus : *Veterum Auctorum, qui IX seculo de Praedestinatione et Gratia scripserunt, opera et fragmenta Paris.* 1650, 4°, Tom. I, p. 100 sqq. Nec absimile veri esse videtur, eundem codicem esse, quo utebatur Mauguinus. Qui quum munere negligentissime functus sit, ad codicis fidem textum perperpolivimus ac reparavimus.

§ 11.* In textu *librorum de divisione Naturae* adornando magnum emendationum et variarum lectionum e codice Parisiensi descriptarum apparatum, qui ad calcem editionis Galeanae legitur, multo cum fructu adhibuimus. Atque dici nequit, quanto labore adornatio hujus intricati et spinosi libri nobis constiterit. Interpunctio erat recte constituenda, plurimi loci corrupti emendandi, verborum sententiae enucleandae. In quibus omnibus quum *Thomas Gale*, qui primus eum librum edidit ita inscriptum : *Joannis Scoti Erigenae de Divisione Naturae libri quinque diu desiderati. Accedit appendix ex Ambiguis S. Maximi Graece et Latine, Oxonii* 1681, nihil fere praestiterit, alter, qui nuper eum denuo prelo dedit, *C. B. Schlüter*, hoc titulo : *Joannis Scoti Erigenae de Divisione Naturae libri quinque. Editio recognita et emendata. Monasterii Guestphalorum* 1838, 8°, non solum nihil recognovit, nec emendavit, imo menda typographica auxit, et totum illum apparatum emendationum variarumque lectionum, editioni principi additum, penitus neglexit. Quod cum cuivis alii auctori opprobrio verti debeat, in Schlütero v. cl. excusandum est, qui ipse oculorum lumine privatus non nisi per alios minus peritos editionem parare potuit.

Tali igitur modo quum non mediocrem operam curamque in recensendo textu consumpsissem, Parisiis codices quattuor insignes invenire mihi contigit. Jam novi labores, novus sudor! Premebat tempus, urgebat redemptor libri, instabant operae, impediebant spinosi ac vitiati operis difficultates. Attamen spes me tenet, gravioris momenti nihil diligentiam meam effugisse. Codices autem illos contuli omnes.

Atque primus est codex S. Germani 309, olim 548, fol. maj., membran., seculi XI, atramento nigro pulcherrime exaratus. Constat paginis 447. Quarum ultima 14 tantum lineas habet. Finitur verbis : *Qualis invidia bonorum angelorum de salute humani generis intelligitur, deque ejus reditu ad Patrem suum, cujus substantiam, hoc est imaginis gratiam in villa mortalis hujus vitae serviens diabolo dissipavit.* Vide lib. V, cap. 38, infra col. 1015. In fronte primae paginae ab uno latere manus seculi XVI scripsit *S. Petri Corbeiensis*, ab altero in extremitate membranae manus seculi XIII vel XIV literis minusculis : *Iste liber est conventus Corbejae; sed monachi habent unum memo* [1°] *pro isto libro peri phision, sed non totum quod memori* [1°]*: vel comburatur vel reddatur monachis beati Vincentii in Lauduno; melius enim esset, ut credo, quod combureretur propter haereses damnatas quae sunt in eo.* Manus seculi XVII, ut videtur, ab una parte *Joannes Scotus Erigena*, ab altera *sancti Germani a Pratis* adjecit. Codex orditur a titulo miniato : *Incipit primus περι φυσεων Mag. Saepe mihi cogitanti* cet. In margine hic illic glossae deprehenduntur. Haud raro argumentum literis miniatis margini adscriptum est. Idem codex Parisiensis S. Germani esse videtur, quo utebantur Petrus Alixius, alii, a quibus varias lectiones e codice S. Germani descriptas Thomas Gale obtinuit. Quod si bene conjicio, is, qui codicem contulit, munere satis negligenter functus est. Restat, ut moneam, in folio chartaceo praefixo manum recentiorem, Petri Alixii, ut suspicor, scripsisse : *Hic continentur Joannis Scoti Erigenae περι φυσεων libri omnes exceptis* 22 *paginis, quae alio in libro reperiuntur.* Quem alium librum innuat, nisi codicem ms. S. Germani 830, olim 549, mox describendum, ignoro.

Alter est codex lat. bibl. Reg. Paris. 1764, fol., maj., membran., seculi XII, duabus

columnis exaratus. Numeris foliorum caret. Continet varia S. Ambrosii, Alcuini, Hieronymi, Gregorii opera. Ultimis 45 foliis exstat liber primus et pars libri secundi *de divisione Naturae.* Desinit verbis: *substantiam filiatam genuit et procedentem substantiam.* Vide infra lib. II, cap. 23. Mendis scatet. Suspicor, hunc esse codicem Thuanum valde mutilum, de quo Thomas Gale ad vocem illam: *et procedentem* observat: *Hic deficit codex, qui olim fuit Thuni.* E Colbertina enim in bibliothecam Regiam transiisse videtur. Ad calcem fragmenti *de divisione Naturae* eadem manus carmen subjunxit detritis literis lectu difficillimum hocce:

O sacre . . . o sub unum molimine salvo,
Cui opus rutilat cum gemmis thnreque mixtum,
Nescio quis pugnos quod vidit dicere possit.
Olli Christus amor fit, virtus, gloria, fulgor[1],
Corporis osque manusque, apud simul omnium membra,
Carceris inluviem, rabiesque rabiemque[2] ferarum,
Ac tenues telas discriminans fulmine pulchro.
Aurium florigeris concordant carmine Musis
Tam doctos texendi saphyro fulva
Quisquis[3] contulerit faciem, hac sindone munda
Verbera, vincula, famem, virgas, tormenta, catenas
Non mala, serpentis[4] non sentiunt ipsa venena.

Joannis Scoti carmen esse haud temere conjicio. Sed quid versus corrupti sibi velint, non plane me perspicere fateor.

Tertius est codex S. Germani 280, olim 166, fol. maj., membran., seculi XII. Constat foliis 235. Duo fragmenta librorum *de divisione Naturae* exstant foliis 192-235, quorum unum incipit verbis: *rationale, mortale, visibile, profecto angelus neque animal rationabile est, neque mortale neque visibile* cet., vide infra lib. I, cap. 4; et desinit fol. 222, 2 verbis: *videsne ergo quemadmodum vera ratio categoriam faci*, vide infra lib. I, cap. 74; alterum incipit fol. 223, 1 verbis: *Hactenus de divisionibus deque adunationibus* cet., vide infra lib. II, cap. 13, et desinit fol. 235, 2 verbis: *Non solum concedo, verum etiam intelligo excellentissimum animae motum circa incognitum Deum ultra omnem creaturam verissime vocari et subsistere intellectum. Sed quomodo vel qua ratione intellectus dum intra terminos humanae naturae;* vide infra lib. II, cap. 23. Is igitur codex cum codice primo S. Germani 309 fere ubique concordat.

Quartus denique codex S. Germani 830, olim 549, membran., fol., seculi XI, pulcherrime scriptus, constat foliis 207, quibus continentur *libri IV et V de divisione Naturae.* Folio 207, 1 lineae 5 tantum habentur. Saepissime argumentum ad marginem adscriptum est. In folio chartaceo praefixo haec leguntur: *Liber quartus et quintus περι φυσεων Joannis Scotti Erigenae*, eadem manu scripta, quam Petri Alixii esse supra suspicabar. In fronte primae membranae manus seculi XIV scripsit: *De superessentiali natura.* Recens seculi XVII manus, ut videtur, addidit: *S. Petri Corbeiensis*

Et de codicibus, quos in perpoliendis hisce libris adhibuimus, haec quidem hactenus. Codicem 1976 bibliothecae civitatis Abrincatum examinare non potui. Quem *M. F Ravaisson* in libro *Rapports au ministre* cet. p. 197 sic descripsit: *N° 1976, in folio; XIII siècle. In hoc volumine continetur ultima pars Periphision* [περὶ φύσεων] *Joannis Scoti scilicet libri III et semis. In alio volumine continetur prima pars ejusdem libri, scilicet*

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *fulcor.* [2] Cod. *rabemque.* [3] Cod. *Que quis.* [4] Cod. *Non mulu serpentes.*

liber primus et II semis. Fecit enim idem Joannes V libros de Naturae Divisione, obscurissimos et caute legendos.

§ 12. Duo haec opera systematica cum integra supersint, tertii de *egressu et regressu animae ad Deum* parvum tantum fragmentum exstat. Sed is liber integer olim reperiebatur in bibliotheca Electorali Treverensi, ut testatur G. de Northausen, vir doctus, qui c. a. 1594 codices mss., quibus bibliotheca Vaticana locupletaretur, in Germania colligebat. Is igitur in codice ms. Vallicellensi C. 28, cui titulus: *Index voluminum, qui tempore Caesarei Baronii in variis bibliothecis Romae et alibi asservantur*, p. 192 haec memoriae tradidit: *Codices*, inquit, *mss. membranacei, quos e cumulo librorum ecclesiae Metropolitanae Treverensis me vidisse memini, hi sunt.* Sequitur catalogus, in quo sub n° 15 haec leguntur: *Joannis Scoti Benedictini, qui fuit unus ex quattuor primis fundatoribus academiae Parisiensis, opus « de egressu et regressu animae ad Deum » stylo scriptum Platonico. Quod licet errore aliquo circa Ss. Trinitatem, ut Alexander Halensis et alii post eum doctores Gymnastici notant, inspersum sit, servari tamen potest in usum Theologorum, quando ad pleniorem Scholasticorum intellectum erratum Scoticum in ipsa scaturigine vellent inspicere.* Treveris codicem frustra ipse quaesivi. Mabillonius hujus libri codicem vidit Claromiscensem prope Audamaropolim, quem descripsit Act. Ord. S. Bened. Sec. IV. P. II. p. LXVI. Neque hic codex superesse videtur. Parvum itaque fragmentum libri illius e codice collect. 596, membran., 4°, bibliothecae Christianae erutum quum *Carolus Greith* in *Spicilegio Vaticano Frauenfeld*, 1838, *p.* 80 sqq. ediderit, illud ad ejusdem codicis fidem denuo recognitum jam hic exhibemus. Exstat vero in hujus codicis membrana nona perpulchri candoris, manu seculi X. exaratum.

§ 13. Jam de *versionibus* Joannis Scoti dicendum est. Nam haud pauca in Latinum sermonem convertit scripta veterum Graecorum. Ex quibus maximam facile obtinuit famam versio illa *operum S. Dionysii Areopagitae.* Quorum Graecum exemplar cum Michael Balbus imperator Ludovico Pio a. 827 dono dedisset, Joannes Scotus jubente Carolo Calvo instituit versionem ad verbum factam, sed obscuram et ad intelligendum difficillimam. Melior vero ac planior quum deesset, versio Joannis Scoti per multa secula lecta est, et amplissimorum medii aevi theologorum commentariis illustrata. Unde fit, ut eam in bibliothecis codicum mss. hodieque crebro invenias. Ex codicibus vero, quos evolvi, primum locum obtinet cod. Emmeram. B. XLIV, fol., hodie insignitus cod. Ratisb. S. Emmeram. 137, bibliothecae Regiae Monacensis, membran., fol., seculi X exeuntis, constat foliis 113. Tituli et initiales capitulorum sunt miniati. Initio singulorum librorum initiales aureae perpulchrae nitent. Continetur eo *sola versio operum Pseudo-Dionysii.* Codex nitidissime ipsa manu Othlonis perillustris S. Emmerammi monachi Ratisponensis scriptus est, cujus versus in fine hi leguntur:

En ego tantillus Otloh vulgo vocitatus,
Quamvis omnigenis corruptus sim malefactis
Sat tamen istud opus scribendi tuum tibi promptus,
Sancte Dionysi, martyr celeberrime Christi :
Unde mei quaeso precibus sacris memor esto,
Vos quoque qui legitis veniam mihi posco petatis

Gratia regiminis nostri codicem Bonnam nobis missum diligenter excutere licuit.

Secundum locum obtinet codex 971 bibl. Vindob., olim Salisburgensis 157, seculi XI, 4°, foliorum 152, in cujus interiore operculi parte haec leguntur : *Hic liber est sancti Radberti et canonicorum Salzburgensium, quem quisquis abstulerit, anathema sit.* Continetur hoc codice nihil praeter versionem illam integram. Libri singuli pictis, capita miniatis initialibus incipiunt. Codex nitidissime scriptus est, sed sub finem, id est in mystica theologia et in epistolis S. Dionysii, mendis scatet.

Tertius est cod. Vindobonensis 754, olim cod. theol. CCXVII, membran., fol., seculi XII ineuntis, constat foliis 100. Fuit olim, ut manus seculi XIV fol. 45, 2 testatur, *canonicorum regularium S. Augustini in nova civitate.* Codicem haud spernendae auctoritatis descripsit *Denis Codd. mss. bibl. Palat. Vindob. lat.* Tom. I, p. 677 sqq. Quare plura de eo hic verba facere supersedemus.

Accedunt duo codices, Darmstadiensis et Monacensis. Ex quibus ille ut in fronte primi folii legitur, olim fuit *majoris ecclesiae in Colonia, deinde concessus fratribus minoribus.* Est autem codex membran., fol., seculi XII. Constat foliis 103, quibus integra versio habetur. Codicem *Hartzheim* descripsit in *catalogo historico-critico codicum mss. bibl. ecclesiae metropolitanae Coloniensis Coloniae* 1752, 4°, p. 20 sub n° 30. Margini scholia perpetua S. Maximi, latine reddita, adscripta sunt. Epistolae S. Dionysii finiuntur fol. 101, 1, ubi haec legis : *Expletae sunt decem epistolae Dionysii Areopagitae archiepiscopi facti Athenarum.* Subjunguntur *pars epistolae Polycratis ad Victorem papam* (Euseb. *Hist. eccl.*, V, 24), et *historia de juvene latrone, quem a scelere revocatum Joannes Evangelista ecclesiae restituit* (Clemens Alexandrinus *quis dives salvetur*, c. 42; Euseb. *Hist. eccl.*, III, 23). Reliqua pars membranae rebus nullius momenti occupatur. Alter codex Monacensis lat. Fürstenfeld. 9, fol., seculi XV, partim chartaceus partim membranaceus, ita quidem, ut quattuor folia chartacea duo excipiant folia membranacea, constat foliis 359; versio integra nitidissime scripta fol. 1-109 legitur; reliquam partem codicis *Commentarii domini Alberti episcopi Ratisbonensis* in libros Pseudo-Dionysii occupant.

Superest, ut duos codices commemorem Vaticanos 177 et 176, quos descripsimus supra § 5. Quibus pariter versio integra continetur, ita, ut monuimus disposita, ut singulis capitibus commentarii variorum scriptorum subjungantur.

Ad fidem igitur horum septem codicum Joannis Scoti *Praefationem et versus* versioni praemissos, necnon pessimi argumenti ad calcem versionis obvios recognovimus. Sed in textu ipsius *versionis* recensendo tres tantum codices adhibuimus, Monacensem Othlonis, Darmstadiensem, et Fürstenfeldensem. Neque horum varietatem lectionis totam descripsi, sed solas gravioris momenti varias lectiones addendas putavi.

Praeterea inspeximus istius versionis codicem Lipsiensem 188, membranaceum, fol., seculi XIII, quem supra § 6 laudavimus, codicem Florentinum Plut. LXXXIX, Sup. 15, membran., fol. maj., seculi XI vel XII ineuntis, foliorum 253, ubi versio exstat fol. 1-104, codices Gandavensem, Parisienses, necnon plurimos alios minoris pretii codices, quos quidem hic enumerare et longum et a re alienum esse videtur.

Versioni praemisi *epistolam Anastasii bibliothecarii*, in codicibus Florentino laudato et duobus Vaticanis 176 et 177, nec non in quibusdam aliis, quos inspeximus, item versioni praefixam. Textum vero hujus epistolae ad fidem editionis Usserii in *Epistolarum Hibernicarum sylloge*, editionis Argentinensis operum S. Dionysii a. 1503, et illorum codicum recensuimus. Sed dolemus, quod lapsu memoriae varietatem lectionis, e tribus codicibus desumptam, uni

Florentino tribuimus. Hunc igitur errorem, quem corrigere jam non licet, hic libere fateamur necesse est.

Praeterea monendum est, versionem adjunctis commentariis variorum prodiisse Argentinae 1503 hoc titulo : *Opera Dionysii veteris et novae translationis, etiam novissimae ipsius Marsilii Ficini, cum commentariis Hugonis, Alberti, Thomae, Ambrosii oratoris, Linconiensis et Vercellensis.* Nova editio aucta prodiit Coloniae hoc titulo : *S. Dionysii Areopagitae martyris, episcopi Atheniensis, et Gallorum apostoli opera, quae quidem exstent, omnia, quintuplici translatione versa, et commentariis D. Dionysii a Rikel Carthusiani nunc iterum diligentissime editis elucidata, ab innumeris, quibus antehac scatebant, mendis sedulo vindicata. Coloniae anno Christi nati* 1556 *mense Januarii*, fol. Alteram hanc editionem in edenda versione adhibuimus.

Data hac opportunitate licebit de Othlone monacho, cujus codicem insignem modo laudavimus, ad fidem codicum Monacensium nonnulla subjungere. Is enim coenobii S. Emmerammi Ratisbonensis monachus fuit. Vixit exeunte seculo X et ineunte XI. Cujus opera ex autographis edidit *Pez Novus Thesaurus Anecdotorum*, Tom. III P. II, p. 142 sqq. Autographa hodieque exstant in bibliotheca Regia Monacensi codd. Emmer. E. CXIII, 4°, et b. 10, 8°. In quorum altero hoc, fol. 112, Othlo libros, quos sua manu descripsit, hos enumerat : *Tres quoque libros Evangeliorum, et duos cum epistolis et evangeliis, qui lectionarii vocantur, suosque officiales, nec non volumina duo sancti Augustini, in quorum uno VIII, in alio V libri continentur, collationesque Patrum et Ierarchiam scripsi.* Ex eodem autographo Mabillonius Vett. Analecta ed. Paris. 1723, p. 108 sqq. Othlonis librum edidit falso hoc titulo : *Anonymi monachi Ratisbonensis libellus de ipsius tentationibus, varia fortuna, et scriptis.* Liber in codice inscribitur : *Incipit liber de tentatione cujusdam monachi.* Mabillonii textus mendis refertus et in fine truncatus est, ita, ut nova editio ad autographi fidem recognita peroptata esse videatur. Altero autem autographo cod. CXIII, fol. 1-16, habetur Othlonis *libellus manualis de admonitione clericorum*, qui sine nomine auctoris prodiit in Opp. Bedae Coloniae 1688, Tom. II, p. 200 sqq., ita inscriptus : *de Substantiis libellus.* Monachi Benedictini, qui seculo XI vel XII antiquior non sit, opus esse conjecerant Oudin de Script. eccles. T. I, col. 1687, 1706, et Fabricius bibl. v. *Beda*. Libellum excipit fol. 16-18 carmen Othlonis, ita inscriptum : *Sermo metricus ad clericos specialiter dictus*, a Pezio neglectum. Quod quum instante anno millesimo, quo finem mundi exspectabant, clerum ad poenitentiam revocet, illos versus in gratiam lectorum hoc loco adscribendos curavimus. Sunt autem hice :

Othlonis sermo metricus ad clericos specialiter dictus.

O fratres cari, doctores atque magistri
Ecclesiae sanctae sub cleri conditione,
Deprecor, audite, quae jam volo verba referre.
Cum prope sit tempus, quo mundus erit ruiturus,
Vos, qui diligitis vitae promissa perennis,
Fortes athletae, sursum spem mentis habete.
Ne quid in hoc mundo jam possideatis amando.
Restat enim vobis fructus patriae melioris,
Si modo sinceri studeatis rite mereri.
Ad quam quaerendam praesentem spernite vitam,
Usibus exceptis, per quos illuc properetis,
Et quibus interea foveantur corpora vestra.
Non vos seducat, si census copia abundat;
Si sunt divitiae, per eas nolite perire.
Nam Deus has tribuens, in eis interrogat omnes,
Quis velit in donis potius constare fidelis.
Non alias ulli subiguntur commoda mundi,

Quamvis perplures cupiant nunc esse potentes,
Scilicet intenti magis ad convivia secli,
Quam curis animae commissis suppeditare.
Vos autem, fratres, quae mundi sunt, fugientes,
Quaerite vestrarum constanter opes animarum.
Nam quid honor grandis, si tantum pondus honoris?
Quid prodest tandem, si mundum sumitis omnem,
Post eius casum sine fine pati cruciatum?
Ergo attendendum nobis est atque timendum,
Ne plebs indocta pereat per crimina nostra.
Nos etenim docti per sacrae dogmata legis,
Ut bene vivendi reliquis exempla daremus,
Et si res peteret, occasio quaeque veniret,
Pro fidei sociis etiam mortem pateremur,
Labimur in primis congressibus impietatis,
Tanquam nil nisi contra vires inimici :
Et quod adhuc gravius miserabiliusque videtur,
Non solum fugimus, quo praecipimur fore munus,
Sed quoque commissa lacerantes more luporum,
Quaedam vastamus, quaedam male destituemus.
Nam quibus ut patres deberemus dare victum,
Si vis ulla loci vel casus posceret anni,
His ut raptores crudeliter advenientes,
Illa asportamus, quod erit miserabile dictu,
Quae pietas aliena dedit pro nomine Christi.
Cum peccatores male facta sui metuentes
Ad nos pro veniae causa fugient capiendae,
His aut terribiles, plus quam res poscat et usus,
Seu, plus quam liceat, clementes inveniemur;
Vel dedignantes super his decernere quicquam,
Justa cautela tantum committimus illis,
Quos sceleratorum socios existere scimus.
Nos quia constricti sub sollicitudine mundi,
Officioque Ducis fungentes, aut Vice regis,
Commissae plebis curam pensare nequimus,
Indignumque foret, tam claros tamque potentes
Degeneri turbae nos ipsos suppeditare.
Sunt alii plures quis conveniat labor iste,
Ut vulgus doceant, et ut exemplis bene praesint.
Nos mundi proceres, nos constat ad otia natos,
Utque canum, volucrum sectemur ludicra tantum,
Seu quaecunque placent, his deliciis potiamur.
Nam vitae hujus opes quaerunt illos seniores,
Qui supradictis studeant insistere ludis,
Nec fuerit luxus, quod mundi postulat usus.
Haec si non dictu, tamen affirmantur in actu,
Sicut et ipse probat mos cleri quotidianus.
Est et adhuc vitium reliquis compar referendum :
Ejus enim crimen, qui speratur quid habere,
Causa manet nobis, ejusdem rebus abuti.
Tunc raptis rebus miserum non corrigit ullus,
Ut pro commissis aliquatenus hic reparatus,
Possit perpetuae flammas evadere poenae.
Sed quis tam doctus per singula currere posset,
In quibus auctores scelerum convincimur esse
Nos, qui plus aliis divina negotia scimus?
Dummodo noster honor celebris habeatur in orbe,
Et variis pompis rutilantes efficiamur,
Nil manet illaesum per nos utcunque patratum,
Aut male poscendo, seu, quod pejus, rapiendo.
Qui complere nequit damnum, vel mente parabit:
Sic fuga doctorum necis exstat causa sequentum,
Nec gravior pestis, cum pastor erit gregis hostis.
Nam nimis audacter dum clerus abutitur orbe,
Quid tunc indocti possunt aliter meditari,
Ni pariter cunctis perversa licere reantur?
Jam merito flemus, qui talia corda tenemus,
Imo dies venient, si non purgamur in istis,
Quamvis nunc risus nos occupet immoderatus,
Cum dolor aeternus circumvallat cruciandos.
Quid plus Judaeis agimus bene vel Pharisaeis,
Quos foris albatos legimus, sed pectore foedos,
Dum tantum lingua volumus complere statuta?
Ut mihi fert animus, pejores heu! sumus illis.
Denique si quicquam praeter legalia scirent,
Hi fortasse minus tam grande nefas sequerentur.
At nos in libris non solum crimen eorum,

Sed quoque multorum cernentes gesta aliorum,
Quaedam composita pro vindicta reproborum,
Quaedam pro bravio sperando dicta piorum,
Scire quidem transacta velut praesentia quimus,
Nec tamen a paribus vitiis cessare timemus.
Hos execramur, quod tam perversa studebant,
Non attendentes, quia nos idem tenet error,
Qui praecepta Dei labiis tantum veneramur.
Ipsi namque Deum tanquam nos ore colebant,
Attestante Deo per Isaiae dicta prophetae,
Quae pariter Christus Judaeis postea dixit:
Haec plebs me labiis colit, et corde est procul a me.
Saepe quidem loquimur de sancta religione,
Et cum magnificis perhibemus caelica verbis,
Pondera ponentes gravia in humeros aliorum,
Quae nec cum digito volumus contingere nostro,
Ceu Domino cura non sit pro talibus ulla,
Ac nos peccantes solita non arguat ira.
Eligite ergo locum, quo conveniatis in unum,
Vos, quibus est licitum, nec non concessa potestas,
Sub pastorali cura convertere mundum,
Ut, cum sit tempus veniae, mores renovemus,
Et sicut per nos primum frigescere coepit,
Sic nunc a nobis recalescat amor pietatis.
Nam varios casus, quos profert hic modo mundus,
Arbitror ex nostris prorsus contingere culpis,
Qui pro subjectis curam nullam retinentes,
Illos exemplis jactamus in infima pravis.
Sic igitur totus corrumpitur undique mundus,
Sic quoque contingit, ut pro nihilo reputemur;
Cum cleri officium sectatur opus laicorum,
Et pariter laici statuuntur in ordine cleri.
Sed dispar longe peccatum constat utrumque.
Denique plus peccant, qui plura sciendo probabant,
Cuique datur multum, quaeretur ab hoc quoque multum.

§ 14. Joannis Scoti *versionem Ambiguorum S. Maximi* a Mabillonio v. cl. [cf. Act. SS. Ord. S. Bened. sec. IV P. II p. LXVI] acceptam mutilam edidit *Thomas Gale in Appendice ad libros de divisione Naturae*, p. 1-45. Codices hujus versionis nullos offendi. Suspicor, in codice bibliothecae armamentarii Parisiensis, e quo M. F. Ravaisson tria carmina de S. Maximo, quae illam versionem respiciunt, edidit *Rapports* cet. p. 356 sqq., etiam versionem integram reperiri. Doleo, quod nuper, cum Parisiis essem, ad codices hujus bibliothecae aditus non patebat. Textum igitur pro virili parte, adhibitis etiam Thomae Gale emendationibus ad calcem editionis suae subjunctis, passim castigatum reddidimus.

§ 15. Ut illis temporibus mos fuit virorum doctorum, qui in aula Regia versabantur — solum in mentem revoco Alcuinum — festis diebus aut alia data opportunitate carmina condere, laudesque regis aut reginae, Christi, Sanctorum canere, ita Scotus quoque noster *Versus* fecit, qui in codicibus Vaticanis bibl. Christinae 1587 et 1709 inveniuntur. E quibus quum *Eminentissimus Cardinalis Angelo Mai* illa carmina *Classicorum Auctorum e codicibus Vaticanis editorum Tom. V, p. 426 sqq.* primus ediderit, jam ad eorundem codicum fidem a me recognita atque emendata denuo prodeunt. Codex 1587 membran. seculi X vel XI, 8°, constat foliis 66. Carmina leguntur fol. 57,1—64,2. Altero codice 1709 membran., seculi XI 8°, carmina exstant fol. 16,2—18,1. Ex priore lubet aliud carmen anonymi, quod fol. 4 habetur, proferre. Est vero tale.

Versus collecti ad exemplum communium sil.

Mens tenebrosa tumet, mortis obscura tenebris,
Vir humilis moesto caelum conscendit ab humo.
Regna beata poli sic jamque scandere spes est,
Cujus amor maneat, cujus in corde per eum
Sanctae, o juvenis, tibi sit sapientiae ardor.
Soph a nota tuae et mens nota sophiae.
Hoc est decus, hoc animae virtus, hoc est inclytus ordo.

Condite gaza polo, saccos vacuate gazarum,
Aula tenet Christi Christum in pectore et aula.-

De galla puella.

Das nunquam, semper promittis, Galla, roganti:
Si semper fallis, jam rogo, Galla, nega.

De tinepso.

Turpe pecus, inutile, turpe, sine gramine campus
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Ad ebrium.

Dic mihi, dic, ebrie, vivis an morte gravaris?
Pallidus ecce jaces, ecce sine mente quiescis;
Non bona, non mala, non dura, non mollia sentis.
Hoc tantum distas a fati sorte sepulti,
Quod tenuis miseros subpungit anhelitus artus.

De vino.

Magnus tu, Bacche, magna tua virtus ubique,
Contra te certantes tu semper palmam levasti.

Joannis Scoti *versus de S. Maximo* e codice armamentarii eruit M. F. Ravaisson. Quos in libro, cui titulus: *Rapports* cct. p. 356-358, editos nunc reddidimus. Codex qualis sit, editor non indicavit.

Versus Joannis Scoti exstare *in cod. ms. Benedictino apud Cantabrigienses*, testatur Thomas Gale in *praefatione ad libros de divisione Naturae.* Nec dubium est, quin is intellexerit eosdem versus, quos beatus Dr Oehler ante hos fere decem annos descripsit e cod. Cantabrig. collegii Corp. Christi N° 223 seculi IX. Cujus copiam, etsi fratrem haeredem identidem rogassem, ut mihi in usum hujus editionis concederet, non obtinui, imo responsum nullum accepi. Neque Cantabrigienses votis meis, ut carmen in usum meum describeretur. obsecuti sunt. Quare solum carminis finem, quem Dr Oehler cum amico communicaverat, edere potui. Constat ipso teste carmen argumenti dogmatico-ascetici versibus 101.

Versus de S. Dionysio initio et in fine versionis operum ejus reperiuntur. Pariter *versus quattuor* initio libri de Praedestinatione occurrunt. *Duos versus* e codice bibliothecae Regiae eruit *Cousin, Fragments philosophiques, Tom. III Append.* p. 326. Quos infra addidimus. Alii versus, qui Joanni Scoto tribuenda esse videbantur, supra § 11 adscripsimus.

Accedunt Joannis Scoti *graeci versus* incompti et horridi, qui e codice S. Germani prodierunt literis uncialibus una cum glossis latinis in *Praefatione ad C. Labbei glossaria.* Qui etsi tam corrupti sint, ut ipso Angelo Mai teste l. l. p. 451 sanari vix posse videantur, tamen in iis emendandis ac reparandis non sine fructu nobis laborasse videmur. Quare ii castigati hic denuo eduntur. Codicem S. Germani in bibliotheca Regia Parisiensi frustra quaesivi.

Casu in manus meas venit carmen graecum, literis latinis seculi IX exaratum, adscriptis glossis latinis. Quod quum ante hos quinque annos Dr M. C. B. Bock v. cl. e codice bibliothecae Burgundicae Bruxellensis descriptum Lerschio nostro eheu! praematura morte nobis erepto misisset, ut primum inspexi, Joannis Scoti versus esse cognovi. Codicem, nuper cum Bruxellis versarer, in Franciam missum, inspicere non potui. Est vero cod. 10078-10084, membran., fol., seculi XII. Continentur eo *Virgiliana Fulgentii* et *glossae de obstrusis sermonibus.* In quibus glossis et hosce versus, in honorem S. Dionysii compositos, numerari suspicor.

§ 16. Nuper pollicitus est D. Pitra v. cl., Spicilegii Solesmensis Tom. II se Joannis Scoti *commentarios in Martianum Capellam* evulgaturum. Quos doleo nondum comparuisse. Nuperrime quum Parisiis versabar, in codice ms. S. Germani 1110, olim 589, membran., hos commentarios detexisse mihi videor. Nec tamen otium mihi suppetebat eos describendi Quare D. Pitra literis per manus redemptoris hujus libri traditis quum rogassem, ut mihi co-

piam suam ut comparandam in usum hujus editionis concederet, ne ab hoc quidem responsum accepi. Attamen codicem S. Germani istum breviter describere non omittam, ut ille eum in usum suum convertere possit. Est autem codex membran., fol., duabus columnis manu seculi XIII exaratus, in fine mutilus. Constat foliis 125, quibus varia leguntur. Fol. 31, 1-38,2 exstat liber I de divisione Naturae usque ad cap. 32, in cujus fine fragmentum verbis : *Omnis siquidem natura seu essentiarum seu accidentium immutabilis est* finitur. Quod iam tribus, quos supra § 11 laudavi, codicibus examinatis neglexi. Fol. 47,1-115,2 extant *Annotationes in Martianum*, quas Joannis Scoti esse suspicor. Incipiunt : *Hujus fabulae auctorem Martianum comperimus fuisse Carthaginiensem genere, nec non et Romanum civem, unde et latiari ritu tetronomos, hoc est, quattuor nominibus nominatus est, Martianus quippe, Mineus, Felix et Capella vocatus. Martianus quidem proprio nomine; Mineus vero ex colore, ut aiunt, quia rufus erat; Felix nescimus, feliciterne vixit necne; Capella autem quia sic quaedam satyra, sive nutrix ejus sive admonitrix fuerit, suis scriptis nam aperte patet, eum nominavit* cet. Fol. 67, 2 legitur : *Incipit expositio secundi libri nuptiarum Philologiae et Mercurii*; fol. 89, 2 *Finit de rethorica*; fol. 90, 2 *Incipiunt haec pauca in Martiani geometriam*; fol. 97, 2 *Finit de geometria : incipit de arithmetica*; fol. 107, 2 *In musicam Martiani haec pauca*. Finiuntur commentarii fol. 115, 2 his verbis : *Decertum i. e. decertatum. Urbs Elisae i. e. Carthago. Jugariorum i. e. de Jugaria provincia fuit Martianus. Marcidam i. e. antiquam. Veternum, antiquum. Explicit item Glossa de Musica.* Θεῳ χαρις. Quae usque ad finem codicis sequuntur, alia manu scripta sunt.

III

DE VITA ET SCRIPTIS JOANNIS SCOTI OBSERVATIONES.

§ 17. Et de codicibus, quibus in paranda hac editione usi sumus, hactenus. Restat, ut nonnulla de vita et scriptis Joannis Scoti exponamus, in quibus a scriptore commentationis infra impressae nobis dissentiendum est.

Ac primum quidem in explicando Erigenae nomine, quotquot hucusque de Joanne Scoto scripserunt, haud leviter erraverunt. Neque id mirum, quum *Erigena* vocabulum nihil nisi genuini nominis *Ierugenae* depravatio sit, nata illa, ut opinor, seculo demum XV. Id quod codicum fide facile probatur

Omnibus enim, qui supersunt, Joannis Scoti scriptis in codicibus solum nomen *Joannis Scoti* praefixum est. Sic in Expositionum caelestis Ierarchiae codicibus legitur : *Incipiunt expositiones Joannis Scoti*, in codice Expositionum mysticae theologiae : *Incipit prologus Joannis Scoti* cet. versus codicis Vaticani inscribuntur *Joannis* CΚΟΘΘΙ, versus codicis Cantabrigiensis nomen prae se ferunt *Joannis Scoti*, homilia inscribitur : *homilia Joannis Scoti*. In sola versione operum Pseudo-Dionysii Areopagitae pro *Scoti* aliud exstat cognomen, non quidem *Erigena*, sed *Ierugena*. Haec enim legis in vetustissimis, quos evolvimus, codicibus, Monacensi Othlonis, et duobus Vindobonensibus : *Incipiunt libri sancti Dionysii Areopagitae, quos Joannes Ierugena transtulit de Graeco in Latinum.* Pariter codex Fürstenfeldensis Monachii, nec non ambo Vaticani habent *Ierugena*. Soli codices Florentinus et Darmstadiensis habent *Eriugena*.

Quae quum ita sint, jam quaeritur, quidnam hoc cognomen *Ierugena* significet. Quod haud scio an non sit difficile ad inveniendum. Compositum est enim ex Ἱεροῦ, scilicet νήσου, et *gena*, ita ut sit *oriundus ex insula sanctorum*. Quo nomine appellatum esse anti

quibus Hiberniam sciunt omnes. Ἱεροῦ ducitur ab ἱερός, όν, formaturque nomen *Ierugena* ex genitivo ἱεροῦ more Latinorum eodem modo, quo *Grajugena*, quo nomine ipse Scotus noster S. Maximum honorat in hoc versu:

> Quisquis amat formam pulchrae laudare Sophiae,
> Te legat assidue, Maxime *Grajugena*.

En simplicissimam, eamque haud dubie veram istius nominis explanationem. Quod quum posteri, qui versionem descripserunt, minus intelligerent, in *Eriugena* ideo, ut videtur, mutarunt, ut ad nomen *Erin* alluderet. Postea, quum haud raro *u* litera magis in formam *y* literae exararetur, pro *Ierugena* viri docti legerunt *Erygena*, *Erigena*, in quibus primus fere Trithemius fuisse videtur.

Itaque acutissimae virorum doctorum conjecturae, opinantium, Joannem Scotum e terra *Ergene*, e pago *Eriuven*, vel ex urbe *Aire* oriundum fuisse, et quae copiose infra in commentatione de hoc nomine disputata inveniuntur, ut vana collabuntur. Neque hoc loco praetermittendum esse videtur, a scriptoribus aequalibus Joannem nunquam alio cognomine nisi *Scoti* vel *Scotigenae* nominari, neque in codicibus unquam *Joannem Scotum Ierugenam* una et conjunctim legi, sed, ut monuimus, aut *Joannem Scotum*, aut *Joannem Ierugenam*. In altero tantum carminum codice Vaticano et in titulo versionis Ambiguorum S. Maximi appellatur *Joannes sapientissimus*, vel simpliciter *Joannes*.

Nec obstare videntur, quae nuper scriptor anonymus in Encyclopaedia cui titulus: *Kirchenlexicon oder Encyclopaedie der Catholischen Theologie von H. S. Wetzer und B. Welte* V. *Joannes Scotus Erigena* objecit, illam sententiam meam non minus quam ceterorum dubiam esse, et limites conjecturarum non excedere. Imo vero sententia nostra fide codicum nititur, in quibus *Joannes Ierugena* diserte vocatur. Cognominis vero sensum non conjectura, sed vera verbi originatione assecutus esse mihi videor.

Nunc vero optime quadrant verba Prudentii Scotum increpantis haecce: *Te solum omnium acutissimum Galliae transmisit Hibernia, ut, quae nullus absque te scire poterat, tuis eruditionibus obtineret.* Nec jam offendere potest, quod Guilelmus Malmesburiensis testatur, in codice versionis se legisse, Joannem Scotum *Heruligenam* nominari. *Eruligena* enim nihil aliud est, nisi *Erinigena*, id est, *oriundus ex insula Erin*, quae est fere versio latina vocabuli Ierugena. *Eruligena* autem et *Erinigena* scriptura codicum vix differunt, in quibus *uli* et *ini* satis accurate conveniunt.

§ 18. Alia est quaestio, quae haud minus virorum doctorum ingenia excercuit, de libro Joannis Scoti, quem *de SS. Eucharistia* scripsisse fertur. Ex scriptoribus aequalibus *librum* peculiarem Joannis Scoti de Eucharistia nullus commemorat. Hincmarus enim non nisi *errorem* perstringit: *quod sacramentum altaris non verum corpus et verus sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis et sanguinis ejus*, eumque satis aperte Joanni Scotigenae imputat. Pariter Adrevaldus monachus Floriacensis seculi IX suum quem de corpore et sanguine Domini librum condidit, *contra ineptias Joannis Scoti* inscripsit. Gerbertus seu quisquis fuit anonymus ille Cellotianus, qui seculo X de controversia Paschasiana scripsit, ceteros fere omnes, qui eo tempore libros de corpore et sanguine Domini ediderunt, enumerat, *nostrum Joannem Scotum* praetermittit. Primus demum Berengarius Turonensis Joannis Scoti de Eucharistia *librum*, unde ipse Berengarius pessimum errorem suum hauserat, in hominum notitiam produxit. Postea sub nomine Joannis Scoti in multis synodis damnatus est liber, conscissus, et igni adjudicatus. Quid igitur? Num synodi in Joanne Scoto damnarunt, quod ipsius reapse non erat?

Verum res ita se habere videtur. In Berengarii libro *de sacra coena*, qui prodiit hoc titulo: *Berengarii Turonensis de sacra coena adversus Lanfrancum liber posterior e codice Guelferbytano primum ediderunt A. F. et F. Th. Vischer Berolini* 1834, p. 37 haec leguntur verba: «De Joanne autem cur conscissus fuerit, te ipsum quibusdam narrantem causam conscissionis audivi, quia in quodam scripti sui loco posuisset, ea, quae in altari consecrantur, *esse figuram, signum, pignus corporis et sanguinis Domini.*» Haec omnia quadrant in librum de corpore et sanguine Domini, qui sub nomine Ratramni saepissime editus est. Ibi enim sub finem eadem vocabula identidem occurrunt. Accedit quod Ascelini verba ex illo libro Joannis Scoti petita haec: *specie geruntur ista, non veritate*, in illo Ratramni libro ad verbum leguntur. Sane potuit fieri, ut duo scriptores, inter quos magna intercederet ingeniorum similitudo, illis praesertim temporibus, etiam in eadem vocabula et integrum enuntiatum casu inciderent fortuito; at reapse id factum esse in his, de quibus agimus, verbis tam absimile est veri, ut ampliore demonstratione supersedeamus. Neque profecto ista verba veritati ita congruunt, ut, quod opprobrio verti potuerit scriptori, nihil contineant.

Itaque vix dubium esse videtur, Berengarium usum esse libro Ratramni de corpore et sanguine Domini, eumque Ratramni librum in synodis damnatum, conscissum, concrematum esse. Ratramni autem illum librum esse testantur codices, e quibus evolvi olim Lobbiensem, nunc Domini Vergauwen Gandavensis, seculi X, quem descripsit Mabillon AA. SS. ord. sancti Bened. Tom. VI, praef. Nro 83. 129. 130, Heidelbergensem 8. XX. seculi XI, qui olim pertinuit ad abbatiam *Salem*, a Mabillonio laudatum in itinerario *Analecta Paris.* 1733 fol. p. 14. 17, et duos codices Gottwicenses n° 58 et 312. Qui ad unum omnes Ratramno librum inscribunt, Lobbiensis quidem ille his verbis:

INCIPIT LIBER RATRĀNI DE CORP ET SANḠ DN̄I.

At qui factum est, inquies, ut in illo certamine Berengariano nemo extiterit, qui librum ad verum ipsius auctorem Ratramnum referret? Qui factum est, ut synodi verum auctorem non deprehenderint?

Quibus quaestionibus occurro quaestionibus hisce, quae non minus apte fiunt. Si libro Joannis Scoti utebatur Berengarius, qui factum est, ut vel ipse vel schola ipsius nunquam ad persimilem Ratramni librum, errori suo maximopere faventem, provocaverit? Qui factum est, ut omnino in tota ista controversia libri Ratramniani nulla usquam mentio fieret? Synodi quidem de libro judicarunt, non de auctore. Ratramni autem liber tam intricato ac singulari dicendi genere utitur, ut viri docti eum Joanni Scoto tribui facile paterentur. Neque tamen unquam apud veteres duo libri de SS. Eucharistia, Joannis Scoti et Ratramni, ab uno eodemque scriptore laudantur.

Jam vero si recte dubitatur, Joannem Scotum peculiarem librum de SS. Eucharistia scripsisse; ubinam ipse *errores* suos atque *ineptias* de sanctissimo corporis et sanguinis Domini sacramento sparsit?

Sparsit in commentario in S. Evangelium secundum Joannem, qui capite VI, 11, ubi de SS. Eucharistia loqui coeperat, in codice desinit. Sparsit, opinor, in Expositionibus Ierarchiae ecclesiasticae Pseudo-Dionysii Areopagitae, in quibus ipsi uberius de SS. Eucharistiae sacramento erat disputandum. Expositionum enim Ierarchiae caelestis a nobis editarum capite primo quum in Paschasianos impetum fecisset, vix dubium est, quin postea ad Dionysii de SS. Eucharistia doctrinam accedens, copiosissime suam sententiam aperue-

rit. Quare illas pariter expositiones rescissas deletasque esse, ideoque in codicibus jam desiderari suspicor.

His igitur scriptis uberius prolatos Joannis Scoti de corpore et sanguine Domini *errores* Hincmarus perstringit, his scriptis quae continebantur, *ineptias* Adrevaldus monachus refutavit. Postea autem, quum Berengarius Turonensis in librum Ratramni incidisset, eum Joannis Scoti esse, et sibi et aliis persuasit. Hic autem liber etsi errores Berengarianos non aperte profert, tamen incertae, quae ei insunt, ambiguaeque definitiones ita se habent, ut cum Berengarianae, tum Calvinisticae de corpore et sanguine Domini haereseos quasi matrix recte possit vocari.

Neque vero loci duo commentarii in S. Evangelium sec. Joan., quos M. F. Ravaisson citat (cf. § 9), ejusmodi sunt, qui Joannis Scoti doctrinae de SS. Eucharistia novam lucem affundant. Nam Scoti verba : *et spiritualiter eum* (*Salvatorem* vel *agnum mysticum*) *immolamus, et intellectualiter mente, non dente comedimus*, etsi veritatem totam non exprimere videantur, reapse tamen veritatis limites non migrant. Imo Scotus *immolari* Christum profitetur : quomodo vero immoletur, si realiter praesens non sit? Immolatur autem spiritualiter *et realiter*, comeditur intellectualiter *et realiter*, mente *et ore*, non dente. Is igitur locus persimilis est ejus, qui in Expositionibus in Ierarchiam caelestem infra col. 140 occurrit. Idem fere de altero loco hocce valet : *spiritualis homo... jam non solum negat Christum carnem esse, quam jam in spiritum versam esse intelligit, verum etiam ipsum depellit rationabilem animum esse. Ut enim caro ipsius exaltata est et mutata in animam rationabilem, ita rationabilis ipsius anima in intellectum et subjecta est et versa.* Quomodocunque de his placitis sentis, tamen Christum jam esse corpore destitutum, et humanam naturam *integram* non amplius habere, ex iis non sequitur : sed Joannes Scotus id potissimum agere videtur, ut, quum sit adversarius Paschasii, corpus naturale et corpus glorificatum probe discernat.

Noli autem mirari, quod fragmentum de SS. Eucharistia a *M. F. Ravaisson* e codice Abrincatensi editum *Rapports* cet. p. 372 sqq., et a *Tallandier Scot Erigène* cet. p. 325 denuo typis mandatum, in hac editione omnino negleximus. De quo Ravaisson haec verba facit : *C'est peut-être un fragment de Bérenger de Tours, peut-être de Scot Erigène dont le « de corpore Domini » est perdu.* At virum cl. spes fefellit. Nam est fragmentum libri Ratramniani centies typis repetiti, quo fere medio ad verbum exstat. Id quod editores cl. prorsus fugisse videtur.

§ 19. Jam tertio loco id expendendum restat, quod non minus est difficile expeditu, qualis Joannem Scotum inter et Byzantinos ejus temporis necessitudo exstiterit. Hoc quidem sub nullam dubitationem cadit, Joannem Scotum in libro *de divisione Naturae* de processione S. Spiritus magis fere Graecorum adstipulari doctrinae, quam Latinorum. Neque non ubique Graecorum sapientiam laudibus extollit. Semper suam cum graecis literis familiaritatem in scriptis suis prae se fert, et quasi a Graecis omnis omnino sapientia petenda sit, horum laudem ubique praeconiis amplissimis praedicat.

Quum igitur Joannes Scotus apud Carolum Calvum auctoritate sua plurimum polleret, quid, si Photius, quid si Byzantini, qui eo tempore schisma moliebantur, aulicum Graecorum amantissimum et praepotentem, in suas partes trahere conati sint? Etsi quidem de hac re certi nil constet, hoc tamen satis compertum est, Joannem Scotum, si non reapse, tamen inclinatione mentis a Photii partibus stetisse. Quod versus pessimi argu-

menti, quos versioni operum S. Dionysii subiunxit, apertissime produnt. Sunt enim tales:

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
  Subdita nunc servis heu! male, Roma, ruis.
Deseruere tui tanto te tempore reges,
  Cessit et ad Graecos nomen honosque tuus.
Constantinopolis florens nova Roma vocatur,
  Moribus et muris Roma vetusta cadis.
Transiit imperium, mansitque superbia tecum,
  Cultus avaritiae te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
  Servorum servi, nunc tibi sunt domini.
In te nobilium, rectorum nemo remansit,
  Ingenuique tui rura pelasga colunt.
Truncasti vivos crudeli vulnere sanctos,
  Vendere nunc horum mortua membra soles.
Jam ni te meritum Petri Paulique foveret,
  Tempore jam longo Roma misella fores.

Hos versus, sine scriptoris nomine editos in opp. Bedae ed. Basil. a. 1563 T. , p. 538. ed. Colon. T. I, p. 449, re vera Joannis Scoti esse, auctores sunt codices veteres Monacensis Othlonis, duo Vindobonenses, et Fürstenfeldensis, supra laudati. Quibus quidem omnibus ad calcem versionis illud carmen additum est. Neque id te movere debet, quod legis, *vulgus ab extremis distractum partibus orbis, servorum servos, Romae dominari*. Quibus vix dubium est, quin intelligantur Saraceni, qui eo tempore saepius ferrum flammamque Romae minitabantur. Vide Muratori, Annali d'Italia, T. V.

Si autem Joannes Scotus is fuit, id quod jam vix dubitari posse videtur, qui Graecis sanctae apostolicae sedi reluctantibus in aula Regia Parisiensi faveret, quin mirum, quod Nicolaus P. I regi opprobrio vertit, quod libri S. Dionysii ab Joanne Scoto in latinum sermonem conversi sine approbatione apostolica in vulgus emissi sint, postulatque, ut ille Joannes, *qui non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur*, Romae repraesentetur, aut certe a *Studio Parisiensi, cujus capital olim fuisse perhibeatur*, removeatur, *ne cum tritico sacri eloquii grana zizaniae et lolii miscere dignoscatur, et panem quaerentibus venenum porrigat*. Quid Nicolaus hisce literis suis profecerit, memoriae non proditur.

Neque hoc loco praetermittendum esse videtur, ea, quae de longis itineribus Joannis Scoti per Graeciam et Orientem susceptis fabulati sunt nonnulli, argumentis, quae quidem firma sint, probari nullis. Ac Labbeus quidem in praefatione ad Glossaria recte observat, *Joannem Scotum ac ceteros ejus aevi in graecis literis magistellos hac in lingua non adeo versatos fuisse, ut in Franciam Carolinis temporibus migrasse Athenas existimandum sit*, id, quod cum rudia carmina graeca Joannis Scoti, tum ipsius versiones, quibus se in Graecis merum verborum mancipium prodit, satis comprobant. Ceterum ipse graecarum literarum inter aequales peritissimus habebatur, nec dubitaverim, quin noster intelligendus sit Joannes, de quo in *Psilotro ad noxios quosque humores extrinsecus desiccandos, et pilos qui displicent extirpandos* codicis 2940, 4°, seculi XI, bibliothecae civitatis Abrincatum, haec exstant: «Non solum autem, ut superius dictum est, pilos delet, verum etiam noxium humorum impetum reprimit, quo et frequenter Pardulus utebatur episcopus, et Fregus grammaticus, qui et dicebat: Quicunque hoc tertio usus fuerit in Martio, non opus ei febrium molestiam timere in anno. *Graeci quoque sapientes, ut audivi a Joanne, hoc maxime utuntur medicamine. Nec aliquando fortassis alteram pro desiccandis humoribus curavit accipere potionem*». M. F. Ravaisson *Rapports* cet. p. 132.

§ 20. De parentibus et cognatis Joannis Scoti nihil compertum est, nisi ei fratrem fuisse Aldelmum. Quem indicat codex S. Germani, 1108, olim 442, fol. 42, 1, ubi in fronte membranae, quae tabula dominicali legitur, manus forte seculi IX ad marginem adscripsit

haecce : *Frater Johannis Scotti Aldelmus fecit istam paginam | ... literam tene anno Domini | DCCC°XCVI°; sequenti anno tenebrae | XII literarum ab M. F. Z. | et sic dein | ceps | incipit | salt... | ubi XIII* | linea | accip. | ..ur.* | Codicem laudat *Cousin, Ouvrages inédits d'Abélard, append.*, p. 622.

§ 21. Nuper Dr *J. B. Weiss* in libro : *Geschichte Alfreds des Grossen Schaffhausen* 1852, auctor sententiae fuit, Joannem Scotum ab Alfredo rege vocatum e Gallia in Angliam venisse, et a. 891 Malmesburii mortuum esse. Nititur argumentatio ejus duobus chronicis, Petriburgensi Angliae, Thuano Franciae. Illud edd. *Joseph Sparke, Historiae Anglicanae scriptores varii e codd. mss. nunc primum editi* 1723, et *Giles Londinii* 1845. Ubi ad a. 891 haec exstant : *Normanni Wormaciae episcopum occidunt. Joannes Scotus monachus Malmesburii obiit, confossus, ut dicitur, graphiis puerorum, quorum magister erat.* Chronicon bibliothecae Thuanae (Du Chesne Scriptt., Tom. III, p. 359. Bouquet Scriptt., Tom. VII, p. 253) haec profert : *Rogatu Elfredi Joannes Scotus rediit a Francia, ubi erat cum Carolo Calvo.* Sed horum chronicorum quae sit auctoritas, expendendum erat. Chronicon Thuanum in hoc loco Guilelmo Malmesburiensi inniti, quis non suspicetur! Chronici autem Petriburgensis locum ex eodem fonte fluxisse, jam fabula de graphiis puerorum, verbis *ut dicitur* additis, haud obscure indicatur. Denique quo jure ille contendere possit, locum Assueri de *Joanne Ealdsaxone* supposititium esse, sane non assequor. Nam posito, ut locus Assueri, qui incipit « *a quodam tempore* », genuinus non sit, tamen ejus narrationi de *Joanne Ealdsaxone primo Aethelingiae abbate*, quae paulo ante praecedit, fides non est abroganda. Joannes vero ab Alfredo rege una cum Grimbaldo in Angliam vocatus, quin sit idem hic Ealdsaxo Aethelingiae abbas, vix dubitandum erit. Fortasse scrutationibus accuratis in Anglia continget, ut inveniantur nova momenta, quibus haec quaestio de Joannis Scoti in Angliam reditu ad liquidum perducatur.

§ 22. Joannis Scoti libri, qui supersunt, quo ordine scripti sint et in lucem editi, vix potest definiri. Hoc solum constat, « Expositiones Ierarchiae caelestis » post libros « de divisione Naturae » compositos esse, ad quos respiciunt. Libros « de divisione Naturae » *Wulfado* dedicatos esse, e fine eorum ad fidem codicis S. Germani a nobis recognito colligitur. Wulfadus ecclesiae Remensis oeconomus interfuit concilio Carisiacensi contra Gotescalcum habito a 849. Ab Ebbone ordinatus in concilio Suessionensi a. 853 gradu privatur. Deinde a Carolo Calvo arcessitus, in aula Regia Carolomannum, regis filium, instituit. Ubi amicitiam cum Joanne Scoto iniisse videtur. Nicolaus P. I. a. 865 clericos ab Ebbone ordinatos in pristinos gradus restituit. Paulo post Wulfadus Caroli Calvi favore archiepiscopatum Bituricensem adeptus est. Obiit a. 876. De quo vide Mabillon. Annal. Tom. III et hist. littéraire de la France, Tom. V, p. 477. Tempus, quo Joannis Scoti « liber de Praedestinatione » compositus sit, facile colligitur. Pariter carmen I infra impressum bellum inter Carolum Calvum et Ludovicum Germaniae regem conflatum respicit. Cetera Joannis Scoti scripta quando composita sint, non compertum habetur.

Catalogis veterum de libris Joannis Scoti scriptorum si fides habenda est, plurima ejus scripta desiderantur, aut deperdita, aut in bibliothecis delitescentia. Ex catalogis igitur eos, qui inter testimonia Thomae Gale infra impressa non recensentur, hoc loco adscribere lubet.

Vincentius Bellovacensis (✠ 1264) in *Speculo historiali* lib. XXV cap. 42, hoc titulo : *De imperio Caroli Calvi et scriptis Joannis Scoti*, tradidit haecce : *Hoc tempore claruit Joannes*

Scotus, vir perspicacis ingenii et mellitae facundiae. Qui dudum concrepantibus undique bellorum fragoribus in Franciam ad Carolum Calvum transierat. Cujus rogatu Ierarchiam Dionysii Areopagitae de Graeco in Latinum verbum e verbo translulit. Composuit etiam librum, quod peri fision merismu, id est, de Naturae divisione titulavit, propter quaestiones solvendas bene utilem, si tamen ei in aliquibus ignoscatur, in quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Graecos acriter oculos intendit. Hic succedentibus annis munificentia Alfredi allectus venit in Angliam, et apud monasterium Malmesberiense a pueris, quos docebat, graphiis, ut fertur, perforatus, et martyr aestimatus est. Hujus epitaphium hoc fuit :

Clauditur in tumulo sanctus sophista Joannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit, sancti regnant per secula cuncti.

Scabri sunt hi versus, et moderni temporis lima carentes. Subdit : *Hic Joannes Scotus philosophus, ut dicit Lanfrancus, in fide desipuit. Unde liber ejus de Eucharistia lectus est et damnatus in synodo Vercellensi, celebrata sub Papa Leone IX, eodem anno, quo se Lanfrancus ab errore Berengarii purgavit. Idem etiam Joannes super Ierarchiam Dionysii commentavit.* Helinandi (✠ 1223) chronicon lib. XLVI, quem Vincentius auctorem citat, inspicere non potui. Prodiit Helinandi chronicon cura *Bertrand Tissier Bibliotheca veterum scriptorum Ordinis Cisterciensis.* Antoninus Florentinus (✠ 1459) in chronico suo, Sec. IX, cap. 2, tit. XVI, § 3, Vincentium ad verbum reddidit.

Trithemius (✠ 1516) inter duos Joannes Scotos, e quibus unus Bedae discipulus fuerit diserte distinguit, deceptus, ut opinor, loco Vincentii Bellovacensis, qui l. l. lib. XXIV omnia miscuit scribens : *Fueruntque Parisiis fundatores hujus Studii quattuor monachi, Bedae discipuli, scilicet Rabanus et Alcuinus, Claudius et Joannes Scotus.* Quae verba quomodocunque intelligis, veritati non conveniunt. Trithemius igitur in libro de Scriptt. Eccles. ed. Francofurt. 1601, p. 252, haec refert : *Joannes Scotus monachus ordinis S. Benedicti, Bedae monachi et doctoris clarissimi quondam auditor atque discipulus, collega Albini, veniens cum eo de Britannia in Galliam, apud Carolum Imperatorem Magnum in pretio fuit. Qui cum esset vir in omnibus scripturis doctissimus, edidit claro sermone clarissima opuscula, de quibus ista feruntur : In Evangelium Matthaei lib. III. De officiis humanis lib. I. De divisione Naturae lib. I. Alia quoque multa composuit, quae ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub temporibus Caroli Magni Imperatoris anno Domini* 800. Deinde ibid. p. 254 haec addit : *Joannes, dictus Erigena, monachus, in divinis Scripturis doctus, et in disciplina secularium disciplinarum eruditissimus, graeco et latino ad plenum instructus eloquio, ingenio subtilis, sermone compositus, jubente Carolo, filio Ludowici, fratre Lotharii Imperatoris. transtulit in Latinum : Ierarchiam et libros Dionysii lib. IV. Scripsit super eisdem* lib. IV. *Et quaedam alia. Claruit sub Lothario Imperatore anno Domini* 850. Pariter in libro de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib. II cap. 27 hoc titulo : *De Joanne Scoto* haec tradit : *Joannes Scotus monachus, in Anglia auditor venerabilis Bedae presbyteri, socius et collega domini Alcuini jam dicti, vir in divinis Scripturis doctissimus, et in secularibus literis magnifice instructus, scripsit non contemnendae lectionis opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca pervenerunt : In Evangelium Matth. lib. IV. De officiis humanis lib. I : et multa alia. Claruit anno Domini* 780 *sub Carolo.* Quibus l. l. lib. III, cap. 212 hoc indice : *De*

S. Joanne Scoto martyre haec subjunxit : *Joannes Scotus. monachus Malbesberiensis in Anglia, vir doctus et religiosae conversationis, cujus etiam in secundo volumine fecimus mentionem, apud Carolum Calvum Imperatorem magno in pretio fuit. Qui tandem martyrio coronatus a morte transivit ad vitam. Confossus enim graphiis puerorum, quos docebat, nescio quo instigante, post mortem multis claruit signis. Legi autem in quadam scriptura, quod fuerit episcopus Mykelenburgensis sub Bremensi. Ejus natale colitur 4 Idus Novembris. Claruit anno Domini 880 sub Carolo Calvo, et vixit adhuc multis annis post eum. Alii volunt, quod claruerit sub Henrico quarto anno Domini 1060. Sed prior opinio mihi videtur chronicis consentanea et ideo verior. Nisi forte duo fuissent. uno martyrii genere diversis temporibus interempti.*

Joannes Baleus (✠circa 1560), qui pariter duos Joannes Scotos discernit, in libro, cui titulus : *Illustrium majoris Britanniae scriptorum summarium* 1548, fol. 57 haec tradit : *Joannes Mailrosius, cognomine et natione Scotus, Alcuini collega, et venerabilis Bedae cum eo quondam discipulus, atque dum Cantabrigiae bonas literas profiteretur, frequens auditor extitit. Is cum esset utriusque linguae, latinae et graecae, peritissimus, quod de ipso historici fere omnes unanimi testimonio referunt, adjuncto sibi Claudio Clemente pari doctrina praedito cum mercatoribus Anglis Oceanum mare trajecit, Parisiumque pervenit. Ubi cum inter ceteros in publicum prodiisset forum, nec quicquam patria praeter bonas disciplinas exportasset, se sapientiam profiteri, eamque habere venalem cum socio conclamabat. Quod audiens rex Carolus cognomento Magnus, provisis necessariis, eos illico retinuit, ut confluentes ad ipsos undique nobilium Francorum adolescentes liberaliter erudirent. Frequens inde advenientium illuc conventus effecit, ut Parisii statim perecelebre esset auditorium. Sanxit Carolus provocante Alcuino, ut deinceps illic esset generale bonarum artium studium, et ut Claudius in eo praeposituram gereret, Joannes vero Papiam concederet, ut et illic quoque gymnasio initia poneret. Composuit iste eleganti sermone rogantibus discipulis clarissima opuscula, praecipue haec : In Evangelium Matthaei lib. III. De officiis humanis lib. I. De officiis divinis lib. I. De divisione Naturae lib. I. De germanis juxta Irenicum lib. I. Commentarios Scripturarum lib. I. Homilias eruditas lib. I. Nec dubito, quin his longe plura condiderit. In libro suo de Naturae divisione solvendis quaestionibus est utilis, sed Papistis plurimum Antonino teste displicuit, quod Graecis adversus eorum insyncera dogmata in plerisque consentiat. Divi Augustini monasterio Carolus hunc Ticini seu Papiae praefecit anno nostrae redemptionis 792, in quo et senem obiisse tandem nonnulli credunt, Scotis dominante Solvathio rege. Satis claret ex dictis, Alcuinum et Joannem inter Anglos ita fuisse doctissimos.* Deinde fol. 64 de nostro Joanne Scoto narrat haecce : *Joannes Patricius, alias Erigena, Britannus natione seu Guallus Anglicus, in Menevia Demetarum urbe, sive ad sanctum Davidem, ex patricio genitore natus, a plerisque scriptoribus philosophus, ab aliis vero, sed perperam, Scotus cognominatur. Dum Anglos Daci rapinis et bellis infestarent, ac omnia illic tumultibus essent plena, longam peregrinationem Athenas usque suscipiens, quam plures annos literis graecis, chaldaicis et arabicis insudavit. Omnia enim visitavit philosophorum loca et studia, imo et ipsum oraculum solis, quod Aesculapius sibi construxerat. In quo abstinentissimo cuidam humillimus servivit, ut sub eo omnis philosophiae investigaret secreta. Inveniens tandem, quod tam longissimo labore quaesiverat, in Italiam et Galliam est reversus. Ubi ob incredibilem eruditionem Carolo Calvo, et post eum Ludovico Balbo acceptus, Dionysii Areopagitae libros de caelesti Ierarchia, ex Constantinopoli tunc missos, latinos fecit anno Domini 858.*

Profectus aliquando post in Britanniam Meneviensi in monasterio, quod ad Davidis fanum dicitur, se monachum fecit in ultimis Gualliae finibus. Nec poterat in eo diu latere, sed inde vocatus ab Alfredo Anglorum rege, tam sibi, quam suis liberis adhibitus est praeceptor. Unde et ipso adhortante praeter alia studiorum suorum monumenta e Graeco transtulit in tres linguas chaldaicam, arabicam et latinam Aristotelis moralia de secretis secretorum seu recto regimine principum, opus exquisitissimum. Hoc viro eximio seu geniali quodam sidere adornabat Alfredus academiam suam Oxoniae tunc inchoatam. Erat ille primus, qui illic publice bonas artes profitebatur. Joannes iste, subtilitate ingenii peracutus, quaedam nostrae religionis accuratissime disputata conscripsit, praesertim : De immaculatis mysteriis lib. I. De fide contra barbaros lib. I. De corpore et sanguine Domini lib. I. Pro instituendis nobilium filiis lib. I. *Versiones Dionysii lib. I. Moralia Aristotelis lib. IX [Non reliqui locum nec templum]. In Ierarchiam commentarios lib. IV. In theologiam mysticam lib. I. Paraphrasticos tomos lib. I. Epistolas ad diversos lib. I. Dogmata philosophorum lib. I. Et adhuc alia. In libro de Eucharistia fidem suam ex Scripturis fatebatur, hoc ipsum sentiens et docens, quod ex bibliis et Augustino didicerat, et quod sciverat in Galliis Bertramum presbyterum tradidisse. Qui liber in Vercellensi synodo a Leone IX pontifice Romano postea damnatur, quod eorum adversetur quaestui. In Malmesberiensi coenobio tandem, quo recreationis gratia se contulerat, inter legendum a quibusdam discipulis pugionibus interimebatur anno Christi* 884, *fortassis non sine monachorum impulsu, quamvis eum inter Ecclesiae martyres postea numeraverint. Decipiuntur fere omnes historiarum scriptores, qui istum cum praecedente Joanne illo Scoto Mailrosio unum fuisse fatentur, tam vicinitate temporum, quam nominum ac doctrinarum paritate occaecati. Videbit vigilans Argus, seu oculatus lector, non satis convenire, quod audiverit Bedam, et hucusque aetatem protenderit, nisi annos centum et* LXX *ad minus ei concesserit.*

Post Balaeum apostatam audi Leslaeum episcopum Rossensem (✠ 1593), constantia ac fidei sinceritate illustrem. Qui in libro cui titulus : *De origine, moribus et rebus gestis Scotorum lib. X, Rom.* 1578, p. 188 de Joanne Scoto haec scripsit : *Plurimum ornamenti contulit nationi nostrae Joannes Scotus, vir divinarum rerum scientissimus, qui post multos annos Athenis in graecis literis consumptos a Ludovico Romanorum Imperatore accersitur in Galliam, ac praeter alia studiorum monumenta, jubente ipso Ludovico Augusto, Ierarchiam D. Dionysii fecit latinam. Exstat opus insigne Commentariis Hugonis a S. Victore Theologi illustratum. Brevi post missus a Carolo tertio in Angliam legatus ad Alfredum Anglorum regem, optimo principi gratulaturus, quod post partam adversus Danos victoriam pacem cum Scotis ac Francis inierit, ob eximiam eruditionem ex legato Alfredo factus est hospes, regiisque liberis adhibitus praeceptor. Verum postea in Malmesburiensi coenobio divinas humanasque literas frequenti auditorio profitentem, quidam corruptissimi adolescentes, quorum insolentiam morumque pravitatem acrius arguebat, ipsum pugionibus confossum interemerunt, quem inter Christi martyres summi pontificis autoritate rex numerari, et eidem insigne monumentum in eodem coenobio erigi pie curavit.*

§ 23. Haec igitur testimonia, qualiacunque sunt, adjicienda nobis visa sunt. Errores in Joannis Scoti libris, qui supersunt, sparsi aut scriptis Pseudo-Dionysii nituntur, aut ex similibus Neoplatonicorum libris, quorum aliquam copiam bibliothecae Parisienses ipsi suppeditasse videntur, hausti sunt. Nonnunquam vero Originis quoque falsas opiniones citat. De graecis Patribus SS. Gregorios Nyssenum et Nazianzenum, et S. Basilium, ex

latinis Augustinum et Ambrosium in defensionem placitorum suorum affert. Nec defuerunt theologi aequales, qui sana SS. Patrum doctrina imbuti, philosophicam, quam ille jactitabat, in quaestionibus theologicis solvendis rationem, indoli literarum theologicarum ejus aevi omnino repugnantem, fortiter et magna cum eruditione impugnarent. In quorum numero Prudentium Tricassinum et Florum Lugdunensem fuisse, e controversia de Praedestinatione compertum est. Ceterum Joannes Scotus ipse se prodit virum sublimis ingenii, rari acuminis, multiplicis doctrinae, mirae in dicendo facilitatis. In veteribus laudat Ciceronem, Virgilium, Horatium, Plinium, Boethium, alios. Dolendum est, quod animi dotibus, quibus excelluit, parum in fructum Ecclesiae usus est.

De Joanne Scoto uberius disputant *Oudin* in *commentariis de Scriptoribus ecclesiasticis* V. *Erigena*, et *Histoire littéraire de la France Tom. IV. V.* Libri peculares de Joanne Scoto hi nominandi sunt: *Peder Hjort, Johan Scotus Erigena oder von dem Ursprung einer christlichen Philosophie und ihrem heiligen Beruf Copenhagen* 1823. *Franz Anton Staudenmaier Joannes Scotus Erigena und die Wissenschaft seiner Zeit. Erster Theil Francfurt a. M.* 1834. *M. Saint-René Taillandier Scot Erigène et la philosophie scholastique Strasbourg, Paris.* 1843. *Nic. Möller Joannes Scotus Erigena und seine Irrthümer Mainz* 1844. *De Joanne Scoto Erigena commentatio Bonnae* 1845. Atque novissimam nanc commentationem latine scriptam huic editioni praemittendam curavimus.

§ 24. Superest, ut moneam, codices, quos adhibui, in fronte singulorum librorum indicatos esse. Abbreviaturae, quibus usus sum, vulgares sunt. In iis libris, quos primum edidi, codicum manum religiose secutus, in variis lectionibus etiam puncta supra aut infra adscripsi, quae sunt signa liturae. In hac re enim magis religiosus, quam negligens esse volui. Plagulas sedecim priores Parisiis correxi; ceteras Bonnam transmissas semel tantum perlegere potui. Quod si menda typothetica hic illic occurrant in hoc opere laboris et aerumnae plenissimo, benevole excusare velis

Διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους.

Quod lib. III cap. 42 de divisione Naturae, infra col. 748, festinantius conjeci *fulica*, nunc retracto: retinenda est lectio codicis, una literula mutata, *loligo*. De quo pisce vide Plinium. Denique locus: « Sive quotidianos aestus sive recessus, sive malinas sive ledones peragat » lib. V. cap. 3 de divisione Naturae, infra col. 874, ubi labem suspicabar, sanus est, sive ex fide codicum Parisiensium *ledones*, sive cum editione principe Galeana *lidunas* scribitur. Nam voces *malina* et *ledo*, vel *liduna*, vel *leduna*, significare « lunaria Oceani incrementa et decrementa » auctores sunt Du Cange in Glossario et Scaliger ad *Varronem de lingua latina* lib. IV. ed. Bipont., T. II, p. 52. Cf. Forcellini lexicon v. *liduna*, Fabri thésaurus. Postremum quod epistolae Adriani Papae II, quanquam a nostro consilio alienae, ad calcem adjectae sunt, in hac re redemptori roganti adversari nolui.

Et haec quidem, lector benevole, quae dicerem habui. E quibus si quid tibi probabile videtur,

Dede manus, aut si falsum est, accingere contra.

Bonnae XI. Cal. Octobris MDCCCLII

DE JOANNE SCOTO ERIGENA COMMENTATIO

AUCTORE ANONYMO *

DE VITA ET PRAECEPTIS JOANNIS SCOTI ERIGENAE.

PARS PRIOR.

CAPUT I.

Ubi et quando natus sit Joannes Scotus Erigena.

Quoniam primum de J. Scoti Erigenae patria dicendum esse visum fuit, rerum auctores parum certi de ea afferre solent, quippe qui in diversas partes abeant. Sunt, qui eum in Hibernia natum esse dicant, *sunt* etiam, qui Angliam ejus patriam fuisse affirment, nec desunt, qui adeo de illa terra, quam nunc Scotiam appellamus, cogitare vix dubitent. Quod in tanta opinionum varietate nostra quidem sententia maximam veritatis speciem praebere videatur, ipsos antiquissimos scriptores secuti, atque praeterea Thomae Galei, Oxoniensis, conjectura (*a*) plurimum adjuti, proponere conabimur.

Quod igitur olim more fuit receptum, ut homines cognomen haberent a patria dictum, id ipsum etiam in Nostro usu venit. Nam solitum ejus nomen, Joannes Scotus Erigena (sive Eriugena), procul dubio duo ad patriam ipsius significandam additamenta habet. De priore primum videbimus. Scotum eum dictum esse, quod Scotus, id est, Scotorum gentis fuerit, certum est, cum auctores ejus aequales iidemque gravissimi passim testentur, eum natione Scotum fuisse.

Nicolaus quidem I. Pont. Max. in epistola de Nostro ad Carolum Calvum scribit: « Joannes, genere Scotus (*b*) ». Pardulus, episcopus Laudunensis, qui item Nostri mentionem facit, « Scotum illum », ait, « qui est in palatio regis (Caroli Calvi) Joannem nomine scribere coegimus (*c*) ». Idem plane de eo affirmant, qui « Scotigenam » ipsum appellant. Hi sunt Hincmarus, archiepiscopus Remensis (*d*), et Anastasius bibliothecarius (*e*).

Quum igitur Joannes noster fuerit natione Scotus, A et de ejus patria hac saltem in re omnes consentiant, fuisse eam in illis insulis, quae a nobis Magnae Britanniae nomine appellantur, sine ulla dubitatione hoc concedendum esse putamus, sponte sequi, ut in illarum Magnae Britanniae partium aliqua locum natalem habuerit Joannes, in qua per eam aetatem Scoti homines sedem habuerunt. Quae partes fuere imprimis Hibernia, Scotia, Wallia. De Hibernia atque Scotia res est notior, quam ut ulla explicatione indigeat (*f*): de Wallia paucis dicendum videtur. Hac igitur in terra etsi homines, a Scotorum gente diversi, propriam certamque habitationem obtinuere, tamen una cum hisce etiam Scotos consedisse, atque iis temporibus, quibus Noster in hanc lucem editus est, habitasse, certissimis argumentis ducti, statuendum esse arbitramur. B Primum enim vel per se liquet, hanc occidentalem Angliae oram, cui nomen Walliae, quippe quae Scotis, genti tam inquietae et bellicosae, atque jam ante Christum natum Hiberniam incolenti, proxime adjacuerit, jam per multa ante Joannem nostrum secula sive bello sive profectionibus a Scotis saepenumero accessam esse. Neque frustra hujus rei indicia apud rerum Hibernicarum auctores quaeruntur (*g*). Nonne autem necesse fuit, tali occasione oblata Scotos homines hic illic per Walliam remanere sibique domicilium constituere? Deinde sine ulla dubitatione temporum decursu factum est, ut Pictorum gens e Scotia profecta in Wallorum finibus consederit, eosque ipsos, qui etiam nunc sunt, Wallos progeneraverit (*h*). Quum C vero huic Pictorum genti Scotos fuisse conjunctissimos, fidosque se ipsi addidisse peregrinationum bellorumque socios, ex historicorum libris constet (*i*), certe dubitari non potest, quin una cum Pictis etiam Scoti in Wallia incoluerint, atque

(*a*) *Joannis Scoti Erigenae de divisione Naturae libri quinque diu desiderati. Accedit appendix ex ambiguis S. Maximi Graece et Latine. Oxonii e theatro Scheldoniano* MDCLXXXI. — Testim. veterum de J. Scoto Erigena exstant p. 5 sqq.

(*b*) Cf. Natalis Alexander in Hist. eccles. seculi IX et X, dissert. XIV § 4 in fine. Gale. l. l. testim. p. 6 et 8.

(*c*) Cf. Gale. l. l. testim. p. 5. Hic ipse Parduli locus ex epistola ab eo ad ecclesiam Lugdunensem scripta exstat in libro eccles. Lugd. de tribus epistolis cap. 39. Vid. Maxima Biblioth. vet. Patrum edit. Lugdunensis tom. XV, p. 688 A.

(*d*) Cf. Hincm. de praedest. Dei et de libero arbitrio c. 31.

(*e*) Cf. fragm. epistolae ab Anastasio ad Carolum Calvum scriptae apud Gale. l. l. testim. p. 8.

(*f*) Cf. Thomas Moore, *History of Ireland.* Vol. I, cap. 6 et 7; Isidori Orig. XIV, 123; Bedae Venerab. Hist. eccles. gentis Anglorum I, 1; Mabillon. Annal. Bened. tom. I, p. 206; *Nouvelle Biblioth. des auteurs ecclesiast.* par Mre L. Ellies du Pin. tom. VII, p. 77, nota *a*.

(*g*) Cf. Thom. Moore. l. l.

(*h*) Cf. Thom. Moore. l. l.

(*i*) Cf. Thom. Moore. l. l. (hoc loco cf. Bedae Vener. Hist. eccles. gentis Angl. I, 1), 174 sqq. 180. D 273.

* Prostat Bonnae apud Adolphum Marcum MDCCCXXXV.

praeterea retento proprio suo Scotorum nomine inter Pictos habitaverint. Nec temporum ratio his nostris rationibus aliena est : haec enim facta sunt circiter DC. post Christ. nat. annum (*a*), et Joannes noster, non mutatis, quantum reperimus, per ea tempora Walliae incolis, circiter DCCC post Christ. nat. annum in hanc lucem susceptus est. Restat, ut auctoritatem Thomae Galei afferamus, qui, eandem nobiscum rem probaturus, diserte ait, « Scotos aliquando Wallorum fines occupasse (*b*) », ut sit in libro ecclesiae Landavensis et apud Giraldum Cambrensem.

Quibus ita expositis apparet, posse tam illos, qui Hiberniam, quam qui Scotiam, vel denique ipsam Angliam Nostri patriam fuisse contendunt, etsi natione Scotus fuit, recte judicare. Jam vero de singulis videndum est.

Qui in Hibernia Joannem nostrum natum esse volunt, pluribus utuntur argumentis (*c*), quorum summam ordine proponemus, simulque diligenter examinabimus.

Quod igitur primum Joannes fuerit genere Scotus, Hibernia autem illis temporibus propria Scotorum sedes, hoc argumentum conciderit, dummodo cogitaveris, etiam in Scotia et in Wallia illis temporibus habitavisse Scotos.

Deinde habent S. Prudentium, episcopum Tricassinum (sive Trecensem), qui cum Joanne vixit, et de eo loquens « Te solum », ait, « omnium acutissimum Galliae transmisit Hibernia (*d*) ». Verum ne ex hoc quidem quidquam sequitur, nisi Joannem ex Hibernia in Galliam venisse; nullo modo inde efficitur, ut etiam in Hibernia natus sit. Sed putaveris forsitan, nos S. Prudentii verba nimis ad apicem esse interpretatos : nec plura concedere recusamus. Nam esse potest, ut Joannes in Hibernia fortasse longum per tempus litteris operam dederit, atque ita ab Hibernis eruditus in Galliam se contulerit. Quod revera factum videri, infra (*e*) ostendemus. Haec autem concessio nostra omnino S. Prudentii verbis satisfaciet. Certe Marcus quidam saepenumero dicebatur Hibernus, cum esset educatus in Hibernia, natione Britto, ut de eo scribit Ericus Antissiodorensis in fine lib. I. de Miraculis S. Germani (*f*)

Restat tertium argumentum, cui auctores plurimum tribuere solent. Thomas quidem Mooreus tantum in eo vult inesse, ut nullum prope argumentorum pondus vincere non queat. Et C. B. Schlueterus ait (*g*) : Thomam Mooreum in re sua « confirmanda certissimis » inniti « argumentis ».

Hi igitur ita contendunt : « Hiberniam Joannis nostri patriam esse, propterea quod nulla alia de causa fieri potuerit, ut cognomen gereret Erigenae, quod sit in Erin (sive Hibernia) nati ».

Itaque ad alterum Joannis nostri cognomen, quo, id quod supra jam monuimus, patria ejus significetur, perventum est.

Hoc cognomen Joanni, cum omnes omnino viri docti usque ab antiquis temporibus hac de re consenserint, a patria inditum videri concedimus; ab Erin patria id ductum videri negamus ; imo quum duo priora argumenta non ostenderent, Joannem in Hibernia esse natum, hoc potius ostendi putamus, eum non in Hibernia esse natum *. Nam primum jure mireris, qui factum sit, ut potius vocabulo semibarbaro Erigena appellatus sit, quam mere latino Hibernigena. Deinde, ut jam Petrus de Marca, vir doctissimus, archiepiscopus Parisiensis, animadvertit, ab Erin formari debuit non Erigena, sed *Erinigena*. Sunt quidem, qui dicant, Joannem etiam Eringenam appellatum esse, sed horum decretum omni auctoritate caret, quum ante Trithemium, quod nos quidem invenerimus, nemo de Eringena locutus sit, et ex Thoma Galeo satis constet, Joannem antiquissimis temporibus nisi Erigenam vel etiam Eriugenam appellatum non esse (*h*). Nam Thomas Galeus l. l. haec habet : « Omnes codices mss. uno quasi ore et perpetuo prae se ferunt aut Erigenam aut Eriugenam » ** et, « saepius in antiquis libris Eriugena dicitur, quam Erigena; certe in codice ultimae antiquitatis, qui nunc servatur in biblioth. collegii S. Trinitatis Cantabr., quo usus est Usserius Armachanus et ego quoque, scribitur Eriugena, non Erigena. Ita quoque Suffridus Petri, ita in suis reperit Dionysius Petavius, ita Philippus Labbeus ». Constat denique inter omnes, Nostri temporibus plurimos ex Hibernia in Galliam venisse viros, doctrinae laude admodum florentes, nec tamen ullum reperies, qui appellatus sit Erigena; omnes sive Scoti, sive Hiberni, sive

(*a*) Cf. Thom. Moore. l. l.

(*b*) Cf. Thom. Gale. l. l., p. 10.

(*c*) Cf. *Histoire littéraire de la France, par des Religieux Bénédictins de la Congrégation de Saint-Maur*, tom. V, p. 416; Du Pin, *Nouv. Biblioth.* l. l. (sc. tom. VII) p. 77; Thom. Moore. l. l. Vol. I, cap. 13. Interp. Germ. Vol. I, p. 354. cet. cet.

(*d*) Cf. Thom. Gale. l. l. test. p. 5, qui hunc locum habet ex S. Prud. libro de Praedest. adversus Scotum, cap. 14. Cf. Maxima biblioth. vet. Patrum, edit. Lugdunensis tom. XV p. 534 E. Hoc loco S. Prudentius « Hibernicis Erigenae eruditionibus » opponit « suam ipsius eloquentiam Celticam », qui tamen, ut ipse de se ait, fuit

Hesperia genitus, Celtas deductus et altus.

Cf. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 240 et Mabill. Annal. Bened. tom. III, p. 6.

(*e*) In Cap. II.

(*f*) Cf. Th. Gale. l. l. test. p. 6. Erici liber exstat in P. Labbei Biblioth. Mss. tom. I.

(*g*) Cf. *J. Scoti Erig. de div. Nat. libri V. Editio recognita et emendata. Monast. Guestphalorum* MDCCCXXXVIII, p. 3.

(*h*) Cf. Thom. Gale. l. l. test. p. 9.

* *Erigena* nonnisi depravatum nomen *Jerugena* est, quod est *oriundus ex insula sanctorum*, scilicet *Hibernia*. Quare ea, quae hoc loco de cognomine *Erigena* copiosius disputantur, ut vana prorsus rejicienda esse videntur. Cf. *Prooemium* nostrum. Animadv. Edit.

** Vix crediderim, codicibus antiquis legi *Erigenam*. Quid codices, quos ipsi evolvimus, proferant, legis in *Prooemio* nostro. Animadv. Edit.

Scoto-Hiberni dicebantur. Ericus quidem Antissiodorensis ad Carolum Calvum ita scribit (*a*) : « Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine, pene toto cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem » ! Eadem de re consuli potest Jacobus Usserius, Armachanus archiepiscopus, in praefatione ad epistolarum Hibernicarum syllogen : plures enim hicce vir doctissimus recenset Hibernos, qui per Caroli Magni, Caroli Calvi, Alfredi Magni tempora doctrina praestantes innotuere. Qui vero ob patriam Hiberniam Erigena cognominatus sit, inventus est nemo.

Certissimum igitur esse putamus, Joannem non ideo esse cognominatum Erigenam, ut indicetur « ab Erin genitus » (*b*), sed cognomen Erigenae ipsi aliunde venisse. Id quum intelligerent viri docti, coeptum est quaeri, num vestigia aliqua deprehenderentur, unde Erigenae nomen ductum videri possit.

Jam cuncti statuerunt, id quod nos quoque probamus, non minus Erigenae, quam Scoti nomen ad Nostri originem declarandam pertinere, atque ita porro, quum nomine Scoti natio, et inde terra patria significata sit, nomine Erigenae ipsam regionem, vel ipsum oppidum, in quo hujus coeli lucem primum conspexerit, indicari.

Hanc rationem secutus G. Mackenzius conjectura assequi voluit, Scotiam esse Joannis patriam (*c*). Nam in Scotia situm esse oppidum Aire, quod fortasse progeneraverit Joannem, quum ex hujus oppidi nomine facile ductum esse possit nomen Erigenae.

En quidquid causae viri docti, ut Scotiae patriae Joannem vindicarent, in medium protulerunt. Verum in eo, dum certius vel probabilius aliquid inveniatur, haud facile quemquam acquiescere posse arbitramur. Quod dum neque ex Hibernia, neque ex Scotia allatum videmus, Thomas Galeus attulit ex Wallia. Illius sententia fere haec est : nomen Erigenae non esse compositum, sed simpliciter ductum a nomine loci natalis. De hoc loco natali ita disserit (*d*) : « Est Ergene pars non contemnenda Herefordensis comitatus, Walliae contermina; imo, unum e regnis Walliae fuit hoc tempore, Alfrido tributarium. In hoc tractu reperio locum Eriuven, quae quidem dictio parum discrepat ab Eriugen (*e*) * (et contracte Ergene). Jam tota terra ab ipsis Wallis modernis dicitur Erynug, vel Ereinuc. Qui observaverit, quantae in aliis dictionibus barbaris ad normam latinam detorquendis mutationes plerumque fiant, non aegre has leviusculas altercationes mihi hac in voce concedet. Enimvero liber ecclesiae Landavensis in tom. III Monastici Anglicani, Giraldus quoque Cambrensis in Cambriae descriptione plenius de hac regiuncula docebunt. Quorum hic notat, fuisse partem dioeceseos Menevensis (*f*)... Hujus quoque provinciolae meminit liber Domesday, in quo sic lego : » « Hae consuetudines erant Wallensium T. R. E. in Archenefeldt, id est Ergene ».

Quae cum ita sint, hanc de Scoti patria conjecturam nemini non placituram esse arbitramur. Nobis certe ita arridet, ut, qui praeterea nihil, quod propius ad verisimilitudinem accedat, eruere posse videamur, hoc loco in ea acquiescendum putemus. ** Idque eo libentius facimus, quum etiam virum doctissimum Dr. C. F. Hockium, cujus judicium nobis plurimi esse debet, hac in sententia versari videamus (*g*).

Restat, ut jam de tempore videamus, quo natus sit Joannes. Etsi igitur ne hac quidem de re apud antiquos auctores disertis verbis quidquam perscriptum sit, reperiuntur tamen indicia, ex quibus saltem aliquid colligi queat. Constat enim quodammodo de tempore, per quod doctrinae laude conspicuus fuit.

Nam versus aliquot ab ipso confectos habemus (*h*), qui, cum Joannis VIII, Summi Pontificis, mentionem faciant ***, non ante finem anni DCCCLXXII p. Chr. nat. scripti sunt; nec tamen praeterquam quod jam circiter annum DCCCLXXV, ut cum aliqua certe verisimilitudine ex epistola Anastasii bibliothecarii de Joanne nostro ad Carolum Calvum scripta (*i*) colligitur, diem supremum videtur obiisse, ullis omnino, quae probari possint, argumentis, id quod infra (cap. V) ostendemus, efficitur, ipsum ultra annum circiter DCCCLXXV vitam produxisse.

Deinde satis exploratum habetur, jam circiter annum DCCCL Joannem nostrum ea doctrinae gloria

(*a*) Cf. Thom. Moore. l. l. l. 13.
(*b*) Supra diximus « in Erin natus », accuratior grammaticae ratio postulat « ab Erin genitus ». Cf. *angnigena*, *alienigena*, *Latonigena*...
(*c*) Cf. G. Mackenzie, *Lives and Characters of Scots Writers*. Edinb. 1708, fol. Vol. I, p. 49.
(*d*) Cf. Thom. Gale. l. l. test. p. 10.
(*e*) Monendum est hoc loco, Nostrum, ut supra ostendimus, in antiquissimis libris tam Eriugenam dici, quam Erigenam. Quae res maximi profecto est momenti *.
(*f*) Est igitur fortasse, ut veri aliquid lateat in eo, quod Bulaeus (Hist. Univ. Paris. tom. I, p. 609) et Wood (Hist. et antiq. Oxonii p. 15) auctoribus Baleo et Pitseo illud oppidum, cui nomen S. Menevia sive Fanum Davidis, Joannis locum natalem fuisse putant. Hisce enim auctoribus, de I. Scoto Erigena referentibus parum fidei haberi posse, infra (Cap. V) ostendemus.
(*g*) Cf. ejus de J. Sc. Erig. scriptiunculam, quae reperitur in ephemer. Bonnens. fasciculo XVI, p. 33-57.
(*h*) Cf. Acta Sanctor. Ord. S. Benedicti. Pars II, p. 512.
(*i*) Cf. Nat. Alex. Hist. eccles., tom. VI, dissertat. de J. Scot. Erigena... § 1, VI

* In « antiquissimis » libris Johannem dici Eriginam nec docuit Thomas Galeus, neque omnino verisimile videtur. In *antiquissimis* enim codicibus dicitur *Jerugena*, in aliis sec. XI vel XII *Eriugena*; *Erigena* nomen in codicibus nusquam inveni. Animadv. Edit.
** Respice, quaeso, ea, quae de nomine *Jerugena*, *Erigena* modo monuimus, nec non illa; quae de hoc capite supra in *Prooemio* nostro disputantur. Animadv. Edit.
*** An Johannes papa VIII intelligendus sit, qui in istis versibus laudatur, potest dubitari, nec adsunt rationes, quibus id evincere possis. Animadv. Edit.

per Galliam notum fuisse, ut in summorum virorum de praedestinatione controversia Hincmarus, archiepiscopus Remensis, et Pardulus, episcopus Laudunensis, eum, qui suam quoque hac de re sententiam litteris illustraret, impulerint (a). Scoti liber de praedestinatione prodiit anno DCCCLI (b). Huc accedit, quod Scotus sine ulla dubitatione, ut in capite III ostendemus, jam ante DCCCL Caroli Calvi jussu Pseudo-Dionysii Areopagitae libros ex graeco sermone in latinum transtulit. Verum si quis hanc ipsam rem accurate perpenderit, facile, opinamur, concedet, Joannem jam aliquot fortasse annis ante annum DCCCL in Gallia fuisse. Quae res mirum quantum eo firmatur, quod S. Prudentius, episcopus Tricassinus, ut procul dubio affirmare posse videmur, jam ante annum DCCCXLVII in intimam cum Joanne nostro familiaritatem pervenit; idque in ipsa Caroli Calvi regia versans. Compellat enim S. Prudentius in libro suo, qui inscribitur « De praedestinatione contra J. Scotum » (Erigenam), quique liber eo ipso, cujus mentionem fecimus, Joannis Scoti de praedestinatione libro provocatus erat, eum ut hominem, antiqua jam familiaritate sibi conjunctissimum. In ipso libri exordio (c) : « Blasphemias tuas », ait, « Joannes, percurso perversitatis tuae libro eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar, peculiarius diligebam », et in fine ejusdem libri (d) haec habet : « His in nomine Dei pro captu meae pusillitatis, tuae quoque correctionis, Frater Joannes, gratia exaratis libet succincte singula adnotare ». Atqui S. Prudentius, puerulus ex Hispania patria in Galliam deductus ibique educatus, complures annos ante dioecesin Tricassinam ipsi mandatam mandandamve in Caroli Calvi aula vixit (e), litterarum studiis unice deditus : anno autem DCCCXLVII eum jam suscepisse invenimus dioecesin Tricassinam (f). Quae cum ita sint, nemo non libenter adsentietur Thomae Mooreo, in his rebus Laniganum sequenti, qui putat, circiter annum DCCCXLV Erigenam ad Gallos venisse (g).

Quodsi, quae adhuc de Scoti aetate disputata sunt, id quod facile crediderimus, a vero non abhorrent, Guilelmo Malmesburiense accersito certius quodammodo natalis ejus annus constitui potest. Is igitur antiquissimus, quantum reperimus, auctor, qui data opera de Erigenae historia egit, quemque posteriores chronicorum scriptores hac in re, ut fit, ad verbum fere secuti sunt, duobus locis, quos ex « ineditis » ejus libris Thomas Galeus integros exscripsit (h), satis aperte docet, Erigenam adulta jam aetate, atque omni doctrinae genere instructum, in Galliam perrexisse ad Carolum Calvum, qui ob eam ipsam, quam miram in homine inesse viderit, litterarum scientiam, eum aula sua benignissime exceperit. Neque habemus, cur hac in re, id quod infra in aliis rebus usu veniet, Guilelmo sit diffidendum.

Cum utroque loco iisdem fere verbis usus sit, alterum tantum, eumque maxime perspicuum huc apponemus (i) : « Hic (Erigena) relicta patria (in) Franciam ad Carolum Calvum venit, a quo magna dignatione susceptus, familiarium partium habebatur, transigebatque cum eo tam seria, quam joca,... quia miraculo scientiae ejus rex captus » esset.

Si igitur accuratius tandem eum, quem quaerimus, annum constituere velimus, haec sint observanda : primum, ostendi potius posse, Erigenam, etsi sub finem anni DCCCLXXII adhuc vixit, tamen ante annum DCCCLXXV mortuum esse, quam eum post hunc ipsum annum vixisse; deinde, eum circiter annum DCCCXLV adulta jam fuisse aetate atque ab omni doctrinae genere instructum. Atque hinc, dum illorum temporum, quibus haud facile ante tricesimum vitae annum quisquam talem sibi doctrinae gloriam parare potuit, rationem habueris, facile nobiscum colliges, natum videri Erigenam inter DCCC et DCCCXV fere p. Chr. nat. annos.

Verum utcunque res se habet, hoc certe non veremur, ne quis nobis opponat Staudenmaierum, eumque, qui hunc secutus est, Schlueterum (j), qui Erigenam circiter annum DCCCXXVIII natum esse volunt, his usi rationibus (k) : « Circiter annum DCCCLIII Erigena jam fama satis magna excellebat » (vidimus, hoc ipsi jam pluribus annis ante eum annum contigisse) : « scripta ejus juvenilem spirant animi ardorem (talia argumenta jam per se admodum esse solent infirma; praeterea, si Hockio (l) credimus, omnia alia invenimus) : itaque confidenter, Erigenam illo, de quo diximus, tempore, vicesimum quintum vitae annum egisse, statui potest ».

CAPUT II.

Quae in Joanne Scoto fuerint eruditio atque litterae, et unde eas perceperit.

Recognoscentibus nobis tantummodo ea, quae jam proximo capite de Scoto disputata sunt, promptum propositumque erit, haud vulgari illum hominem, quae ejus aetatis est ratio, doctrina excelluisse, atque adeo inter ipsius aequales, qui hac in re ipsi compararetur, vix inventum esse quemquam. Quae

(a) Cf. sup. col. 1, not. c.
(b) Cf. Nat. Alex. Hist. eccles. saec. IX-X, diss. V § VI. N. VII; *Hist. litt. de la France*, tom. V p. 422 med., p. 248 extr., p. 229 med.
(c) Cf. Maxima biblioth. vet. Patrum, tom. XV, p. 468 D.
(d) Cf. l. l. p. 592 B.
(e) In qua Erigena quoque fuit. Vid. sup. col. 1, not. c.
(f) Cf. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 240 seq., et qui ibi laudantur auctores.
(g) Cf. Historia ejus Hib. Vol. I, cap. 13. Vers. German. Vol. I p. 354.
(h) Cf. Thom. Gale. l. l. testim. p. 5. 7.
(i) Cf. Gale. l. l. p. 7.
(j) Cf. ejus librum, quem sup. col. 4, not. g laudavimus, p. III.
(k) Cf. Staudenmaier Joh. Scot. Erigena und die Wissenschaft seiner Zeit. Erster Theil. Frankfurt a. M. 1834 p. 126 seq., ubi tamen in ima pag. 126, ut ex iis, quae sequuntur, patet, pro 853 mendose scriptum est 858.
(l) Cf. librum col. 6, not. g laud.

Scoti doctrina hic paulo accuratius est persequenda. Semel tamen atque universe ita monitum esse volumus, quidquid hoc loco ipsi laudis tribuatur, id, nisi ejus aetatis habita ratione, ipsi tributum non esse.

Primum igitur satis magnam in eo deprehendimus latinarum litterarum cognitionem. Laudat Boethium, Plinium, Virgilium, Ciceronem, alios; quos magnam partem ipse legit (*a*). Plurima latine scripsit, ejusque oratio tam poetica quam prosa est perspicua, plena, fere elegans. Quo factum est, ut adeo Chrysostomi eum cognomine honestaverint (*b*). Deinde etiam, id quod certe admirandum est, graecae linguae scientiam sibi comparaverat; nec eam mediocrem. Est quidem, ut ex antiquis Graeciae scriptoribus classicis vix ullum legisse videatur: verum inter Patres Ecclesiae, quos vocant, longe melius novit graecos quam latinos. Illos saltem saepissime testes profert, illos plurima laude prosequitur (*c*). Scriptis suis, praecipue quae sunt de genere poetico, multa Græca inseruit; in carminibus ejus integri versus graeci reperiuntur (*d*) *. Nonnullos quoque Pseudo-Dionysii Areopagitae libros et Scholia Maximi cujusdam, quae et ipsa subdititia dicuntur, rege Carolo Calvo postulante (*e*) e graeco sermone in latinum convertit.

Quod vero fuerunt, qui vel hebraice et syriace Erigenam scivisse suspicarentur (*f*), eos certe opinio fefellit: satis enim apertum est, nisi paucissima, nec ea tam hebraica aut syriaca, quam super hebraicis et syriacis, ipsum non tenuisse. Uno tantum loco (*g*) syriaca quaedam affert, sed ita, ut ipse indicet, sese S. Basilio ea debere. Hebraicorum saepius quidem mentionem facit, nec tamen doctius; quippe quae et ipsa suis oculis minime inspexerit. Ablegamur (*h*) ad locum in libro II, cap. 20 de divisione Naturae, ubi legitur: « terra autem erat invisibilis et incomposita »; sic transtulerunt LXX Interpretes; seu secundum hebraicam veritatem, « terra autem erat inanis et vacua ». Eodem jure ad plures etiam A locos ablegari possimus. Hi vero loci, quam parum ponderis soli per se habeant, luce est clarius (*i*). Nec desunt alii loci, ubi Erigena manifestos LXX Interpretum et vulgatae versionis errores amplexus, « de hebraica veritate » nihil cogitat (*j*). Libro V de Div. Nat. cap. 38 ita scribit: « Josaphat compositum est ex ἰαὼ et Cαφάτ. Et ἰαὼ quidem multas interpretationes habet; interpretatur enim visibilis, aut Dominus, aut gloria, aut existens, aut erat, aut est, et futurus est; Cαφὰτ autem vertitur in judicium. » Quod certe scripturus non fuerat, si non ex Graeco aliquo Hebraica sua sustulisset, sed ipse hebraicum sacrorum bibliorum codicem evolvisset (*k*). Huc accedit, quod ipse de divis. Nat. V, 2 med., ubi interpretationem nominis « Cherubim » proponit, ejus B interpretationis auctores laudat Pseudo-Dionysium Areopagitam et Epiphanium, cujus librum « de Hebraicis Nominibus » citat.

Cave tamen credas, nos hac disputatione de Scoti laude quidquam detractum velle. Verum neque in virtutibus eis commemorari voluimus, quae non essent, et brevi patebit, quam haec ipsa disputatio ad aliam de Scoto quaestionem dijudicandam pertineat.

Quidquid Scoti temporibus praeter sacras litteras in scholis docebatur, liberalium artium fere finibus circumscriptum erat. Neque inter ejus aequales inventus est, qui harum artium fere fines ultra ea, quae tum in hominum manibus esse solebant, compendia, ullo modo proferret. Jure igitur jam laudandus est Joannes, qui tantam cum hisce libris contraxisse C videatur familiaritatem, ut omnino in iis habitaverit. Certe enim, etsi illos libros non omnes omnibus locis nominat, res, quas continent, satis sibi cognitas fuisse, ubique scriptis suis declarat. Cujus rei argumento singulos locos allegare longum est, neque necessarium arbitramur (*l*). Nam supra jam Malmesburiensem audivimus, cum ita narraret, Carolum Calvum « miraculo scientiae », qua fuisset Scotus, captum, in omnibus rebus ei plurimum in-

(*a*) Cf. de div. Nat. I, 56; III, 11; IV, 7; III, 34-36; I, 16; I, 33; II, 17; III, 33; I, 43, 45, 8, 10, 7, 59 cet. De praedest. XVIII.

(*b*) Cf. Staudenmaierum p. 206, Gale. testim. p. 13.

(*c*) Platonem saepius citat; nec tamen ejus libros ipse videtur excussisse: cf. de div. III, 36. Si quemquam, Aristotelem suis oculis viderit; cf. Roger. D Baco. apud Wood. Histor. univ. Oxon. I, p. 15. Deinde cf. de div. Nat. II, 29; III, 21, 26, 27, 30, 32, 33, 34; IV, 16; IV, 1; II, 28; IV, 3; V, 23; I, 10, cet. cet.

(*d*) Cf. edit. Schlueteri p. 597, 601, 602, 603, 604, 609. (Angelo Mai. Class. Auct. tom. V, p. 431, 438, 440, 441, 442, 450; infra carmen, II. V. VI. VII. VIII. *Animadv. Edit.*)

(*e*) Cf. infra Cap. III.

(*f*) Cf. Joann. Scotus Erigena, oder von dem Ursprung einer christlichen Philosophie und ihrem heiligen Beruf. Von Dr. Peter Hiort. Koppenhagen 1823 p. 44 seq. Hegel's Vorles. über die Gesch. der Philos. tom. III (opera omnia Vol. XV) p. 160-161. Sunt autem Hegelii de Scoto tot fere errores, quot dicta.

(*g*) Cf. de div. Nat. II, 19-20.

(*h*) Cf. Hiort. l. l.

(*i*) Cf. Staudenmaier p. 206 seqq. not. 5. Atque ea ipsa locutio: « Hebraica veritas » procul dubio ad S. Hieronymi versionem spectat; hujus enim illud nomen fuit.

(*j*) Velut de div. Nat. II, 29, ubi locum illum psalm. CX (Vulg. CIX) v. 3 omnino perperam conversum habet.

(*k*) Saltem enim, opinamur, Hebraicum nomen יְהוֹשָׁפָט (*Jehoschaphat*) non scripsisset *Josaphat*, ut Graecis, quippe quibus littera *h* desit, et inde Vulgatae, quam vocant, mos est; neque solvisset hoc nomen in ἰαὼ (quod Hebraicum non est) et κaφάτ, sed in יְהוָֹה (*Jeho* [*vah*]) et שָׁפַט (*schaphat*).

(*l*) Qui tamen singulos locos inspicere voluerit, adeat de div. Nat. I, 16, 22, 29, 32, 33, 39, 46, 53; III, 38; V, 4; praecipue III, 34-36 et de praedest. cap. XVIII.

* Immo integra carmina Graeca composuit, incompta quidem et horrida, nec in Franciam Caroli Calvi ævo migrasse Athenas testantia, quae infra a nobis edita leguntur. Animadv. Edit.

dulsisse. Unum tamen hoc loco monendum esse putamus, Scotum nostrum de rebus mathematicis disputantem, mirum quantum a mathematica subtilitate abesse deprehendi : quod cum alias ipsi usu venit, tum vero (de div. Nat. III, 34—36), ubi pluribus explicat, quae sibi de mensura terrae, lunae, cet. cet. verisimillima videantur (*a*).

Itaque eo perventum est, ut, quae in Joanne fuerit philosophiae et theologiae scientia, demonstrandum sit.

Certum igitur exploratumque habemus, omnium earum rerum, quae illa aetate a theologis disceban-tur, ipsum satis gnarum fuisse. Quantopere graecis ecclesiæ Patribus sese dederit, jam supra expositum est, nec iterum decantare libet : et latinos, etsi rarius eorum testimonia profert, tamen ideo non neglexit. Augustinum quidem pluris fere aestimare et diligentius legisse videtur, quam ullum de græcis (*b*).

Sacram deinde Scripturam, quo studio pervolutavit? Quam omnium virium intentione accuratissime explicare conatus est? Innumera hujus diligentiae argumenta vel solis de divisione Naturae libris inesse videmus. Nec denique alia de causa fieri potuit, ut bis in doctissimorum hominum de rebus theologicis dissensione, id quod mox peculiari disputatione persequemur (*c*), a gravissimis viris et ipse ad scribendum sit impulsus.

Quod autem in theologiae fines ingenio suo philosopho nimis acre permisisse dicitur imperium, licet verum sit, hanc tamen sententiam nostram irritam non facit.

Jam vero in philosophia, quicunque idonei hujus rei judices sunt, Scoto prae omnibus ejus aequalibus palmam deferre non dubitant. Prodeat vir celeberrimus, J. Bruckerus, qui in critica philosophiae historia (*d*) ita scripsit : « Nemo hoc seculo (IX) philosophiae laude magis eminuit, quam J. Scotus ». Et deinde : « Sapientis nomen ob philosophiae notitiam prorsus singularem accepit.—In pusillo (Scoti) corpore magnum habitavit ingenium — supra modum acutum et excellens, sic, ut nemo illi ista aetate in philosophia praestiterit ». His Bruckeri dictis, quibus plura ejusdem auctoris addere possemus non minus Scoto honorifica, omnino consentiunt alii viri, quorum judicium et ipsum plurimi

A apud nos ponderis esse debet (*e*). Atque de industria eos tantum hoc loco testes adhibuimus, qui ipsam Erigenae philosophiam summo opere detestantur. Qua de re iterum Bruckeri verba transcribere liceat : praesertim quum simul, id quod in extrema hujus capitis parte nobis usui erit, apertissime declarent, qualis haec ipsa philosophia fuerit. Ait igitur Bruckerus (*f*), omnem Scoti philosophiam huc redire : « Omnia, quaecunque sunt, non radicaliter modo et virtualiter, sed et essentialiter in Deo contineri, atque adeo omnia ex Deo ab aeterno progressa esse et fluxisse, inque varias classes inferiorum et superiorum, deteriorum meliorumque entium distincta, tandem in fontem originemque suam (id est in Deum) reditura esse ». Jure de eadem Erigenae

B philosophia hoc quoque legitur apud Bruckerum (*g*) : « Quae quamvis externa dialecticae methodo tractandique ordine Aristotelem referat, quem Scotus, Graecae linguae accurate gnarus, legisse videtur, tota tamen Alexandrinum Platonicorum recentiorum systema exprimit, apertumque facit, totam eum (Scotum) metaphysicam suam ex Pseudo-Dionysio (Aeropagita) hausisse, et juxta horum philosophorum placita philosophari ».

Atque de Scoti doctrina satis dictum est. Venimus nunc ad id, cujus gratia totam illam disputationem hoc loco inseruimus, unde Scotus doctrinam suam perceperit.

Quamquam ea aetate, qua nostro judicio Erigena

C natus est, seculo nono ineunte, per totam Scotiam atque Angliam litterarum studia omnino intermortua jacebant, tamen, sive in Scotia natalem locum habuit, sive, id quod nobis certissimum visum est, in Anglia, utroque certe loco prima eruditionis atque doctrinae suae fundamenta facillime sibi constituere potuit. Asserus quidem, vir ille doctissimus, cujus fidelissima opera in excitandis litterarum studiis Alfredus magnus utebatur, in ea ipsa regione (*h*), qua Erigenam natum videri diximus, non solum educatus, verum etiam eruditus est. Nec multo postea hoc factum esse constat.

Considerantes autem, quantam rerum copiam quam accurate cognitam habuerit Erigena, sine ulla

D dubitatione rejicimur ad Hiberniam, quae illis temporibus et florentissima optimarum artium quasi sedes

(*a*) Quare Schlueterum etiam in eo errasse credimus, quod (p. III) dicit « Carolus Calvus rex Scotum Parisios vocavit et magistrum in mathesi... constituit ». Caeterum id quoque fatendum est, nullum omnino a nobis testem repertum esse, cujus auctoritate confisus Schlueterus hoc dixisse putari queat.

(*b*) Cf. de div. Nat. I, 43; IV, 14 (ubi « scientissimum divinissimumque theologum » « tantum et tam magnum virum » eum appellat, aliisque praeterea laudibus ornat, nec non diligentissimam ejus lectionem ostendit), I, 45; II, 15, 20, 25, 28, 29; III, 8, 16, cet. cet.

(*c*) Cap. IV.

(*d*) Cf. tom. III (edit. Lipsiens. 1741) p. 614 seq.

(*e*) Cf. Dr. Hock. l. l. p. 35 seqq., Tennemann. Hist. Philos. Vol. VIII, pars I, p. 65 seqq., doctissimi Benedictini e congregatione S. Mauri in Hist. Litt. tom. V, p. 417, cet. cet.

(*f*) Cf. l. l. p. 621. Quare hic ad Erigenae philosophiam declarandam Bruckeri potius verbis uti maluerimus, quam nostris, est, opinamur, in promptu. Neque magno opere nos movet, quod unus et item alter, qui syllabarum aucupem velit agere, in his Bruckeri verbis, quae reprehendat, facili opera invenire possit.

(*g*) Cf. l. l. p. 620.

(*h*) In parte, ut traditur (cf. supra Cap. I) dioecesis Menevensis : atque in ipsa Menevia Asserus ad litteras incubuit. Cf. Mabill. annal. Bened. lib. XXXVIII, n. 71.

erat (*a*), et ab innumera propemodum exterorum A hominum, qui ad litterarum studia se applicabant, multitudine petebatur (*b*). Hiberniae igitur etiam Scotus noster, ut conjectura illa quidem, at certissima, assequi possumus, saltem politioris illius, qua valuit, doctrinae summam debebat : hic latinae et graecae (*c*) linguae praeceptores nancisci poterat, hic bonarum artium, hic theologiae et nominatim dialecticae philosophae (*d*).

Haec conjectura omnino vera esse declaratur illo S. Prudentii, episcopi Tricassini, loco, quem supra attulimus, quoque hic doctissimus vir, Scoti et aequalis et ex amico adversarius, ipsi (*e*) : « Te solum omnium », ait, « acutissimum Galliae transmisit Hibernia, ut, quae nullus absque te scire poterat, tuis eruditionibus obtineret; sed absit, ut B Celtica eloquentia tuas nubilationes admittat ». Quid hoc loco apertius? Expressis fere verbis Erigenam in Hibernia eruditum, atque ita in Galliam profectum esse confirmat.

Diximus modo « dialecticam philosopham » a Scoto in Hibernia disci potuisse, ipsam philosophiam non commemorantes, quum tamen, ut in priore hujus capitis parte vidimus, etiam illius satis peritus fuerit. Hoc ideo factum est, quod sola illa dialectica, in qua externa Erigenianae philosophiae forma cernitur, ex Hibernia ipsi profecta esse potest : ipsa ejus philosophia, id quod jam ex Bruckeri verbis, quae supra (*f*) ultimo loco posuimus, planum est, aliunde venit. Hujus rei luculentissimum ipsius Erigenae testimonium proponemus, quod exstat in prooemio C ad « Scholia S. Maximi in Gregorium theologum (*g*) ». Eo igitur loco paucis verbis totius philosophiae suae indolem accurate describit, huic descriptioni ita praefatus : « Fortassis... non tam densas subierim caligines (S. Maximi), nisi viderem praefatum B. Maximum... in processu sui operis obscurissimas S. Dionysii Areopagitae sententias, cujus symbolicos theologicosque sensus nuper vobis (*h*) similiter jubentibus transtuli, introduxisse, mirabilique modo dilucidasse, in tantum, ut nullo modo dubitarer, divinam clementiam, quae illuminat abscondita tenebrarum, sua ineffabili providentia hoc disposuisse, ut ea quidem, quae nobis maxime abstrusa in praedictis B. Dionysii libris aut vix pervia sensusque nostros fugere videbantur, aperiret, sapientissimo D praefato Maximo lucidissime explanante. Exempli causa, ut unum de pluribus dicam, quomodo causa omnium... ».

Hinc jam satis existimari licet, quibus ex fontibus Erigenae philosophia provenerit, eumque in Gallia primum illos Pseudo-Dionysii libros cognovisse.

Atque hoc loco non est praetereundum, quod plurimi auctores de longinquis itineribus, quibus Erigena, antequam in Galliam profectus sit, et Graeciam et Orientem studiorum causa perlustraverit, partim confidentius, partim timidius mentionem facere soleant. Quibus sermonibus nullam prorsus fidem adhibendam esse censemus. Tantum enim abest, ut ulla satis firma auctoritate aut alia ratione nitantur, ut, quibus omnino expugnentur, in medium proferri queant. Baleus igitur et Pitseus, qui « historiam litterariam Britannorum » composuerunt, quantum nos quidem scimus (*i*), primi de illis peregrinationibus scripsere. Verum frustra ipsos iis defendendis atque affirmandis conatos esse, jam ex Bruckero et Thoma Galeo (*j*) intelligimus. Multum deinde tribuunt iis verbis, quae ut « ipsius Erigenae verba Rogerum Baconem memoriae prodidisse legamus apud Ant. Wood (*k*), dummodo Rogerus Baco de eorum auctore non erraverit (*l*) ». Nos autem, si quid videmus, etiam hoc fatendum esse arbitramur, ne Baconi quidem illa verba necessario adscribenda esse. Ita enim illo loco scriptum est : « Rogerus si quidem Baconus... pro fidissimo eum (Scotum)... linguarum interprete... depraedicat (in glossis super librum Aristotelis de secretis secretorum — m. script. p. 4); cui tribuendum porro censet, quod libris quibusdam Aristotelicis veris ac genuinis fruimur. Non reliqui locum, inquit ille Joannes, nec templum, in quibus philosophi consueverunt componere et reponere sua opera secreta, quae non visitavi, nec aliquem peritissimum, quem credidi habere aliquam notitiam de scriptis philosophicis, quem non exquisivi ».

Quae igitur verba, si ne Baconis quidem sint, incertius etiam est, num sint Erigenae. Esto; habeantur et Baconis et Erigenae. Quid inde? Num de ea peregrinatione loquuntur, quam supra diximus? Corruerint, ubi, quod mox facturi sumus, graviora ac certiora ipsis opposuerimus (*m*). Sunt denique, qui putent, vel ea de causa Scoti illud iter in dubitationem vocandum non esse, quod tam multarum rerum scientiam in eo deprehendamus, quas, nisi in Oriente, nusquam discere potuerit. His autem hoc ipso capite jam satisfactum esse putamus. Hebraice aut syriace Scotus nescivit : graecas litteras in Hibernia discere potuit : etiam hoc demonstravimus, quo de fonte ejus philosophia manaverit. Nec illud

(*a*) Cf. Thom. Moore., hist. Hib. Vol. I, cap. 15, Vers. Germ. I, p. 341-354.
(*b*) Cf. Thom. Moore. l. l. p. 351, 331.
(*c*) Cf. Thom. Moore. l. l. p. 350, et, quem ille citat, Usser. in epist. Hib.
(*d*) Cf. Thom. Moore. l. l. p. 352.
(*e*) Cf. S. Prud. de praedest. contra J. Scotum cap. 14. Maxima biblioth. vet. patrum edit. Lugdun. tom. XV, p. 534. E.
(*f*) Cf. Cap. II, col. 12, not. *g*.
(*g*) Cf. Thom. Gale. Append. p. II.
(*h*) Gd est, Carolo Calvo. Cf. infra cap. III.
(*i*) Cf. Brucker. l. l. p. 615; Thom. Gale l. l. testim. p. 9.
(*j*) Cf. loc. laud.
(*k*) Cf. Histor. et antiq. Univ. Oxon. 1674 fol. Lib. I, p. 15.
(*l*) Cf. Hiort. p. 38, 39; Staudenmaier. p. 145-147.
(*m*) Ceterum etiam Dr. Hockium, v. cl., his, quae dicuntur, Erigenae verbis, motum esse apparet; concedens enim (l. l. p. 35) de itineribus ita scribit : « Er kam nach grossen Reisen, die er zur Aufsuchung philosophischer Werke und im Umgange mit den Weisen seiner Zeit verwendet hatte, an den Hof Carls des Kahlen » (hoc est · *Magnis itineribus ad perquirenda opera philosophica et ad sapientissimos*

quidquam valet, quod a viris doctis (*a*) animadversum est, simillimam esse Erigenae philosophiam et Indorum, quae Sankhyica vocatur et Yogica. Neque enim novum aut inauditum foret, si et Scotus et Indicae illius philosophiae auctores suo quisque Marte sibi ova pullosque fecerint : et eos ipsos philosophos, quos Erigena sibi duces elegit ac præceptores, plurimum Indorum philosophorum scrinia compilasse scimus.

Jam vero exposito, quam nulla probabili ratione adhibita rumores illi de Joannis nostri itineribus circumlati fuerint, paucis id, propter quod potissimum ea omnino nulla esse putemus, explicabimus. Primum igitur habemus fragmentum epistolae, quam Anastasius bibliothecarius, Scoti aequalis et summus admirator, de eo ad Carolum Calvum misit, qua is quidem apertissime demonstrat, se nihil unquam de ulla longinqua ejus peregrinatione audivisse. Scribit enim (*b*) : « Mirandum quoque est, quomodo ille vir barbarus, Joannem dico, ille, qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguae dictione longinquus, talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuerit (*c*) ». Deinde S. Prudentius, quem et ipsum Scoti aequalem et ex amico adversarium factum esse audivimus, quo loco de Hibernia ut Erigenae magistra loquitur (*d*), certe etiam Orientis aut Graeciae mentionem injecisset, dum quidquam de his comperisset. Huc accedit, quod nullus omnino ex Erigenae scriptis locus afferri potest, ubi ipse de exteris philosophis, quibuscum coram sibi colloquendi facultas fuerit, sermonem faciat, aut ullius peregrinationis studiorum causa susceptae meminerit; quum semper eos auctores alleget, quorum libros in Hibernia aut in Gallia excutere potuit. Quid denique illa tempestate vel in Graecia doctrinae acquiri potuerit, non hercle intelligimus : ne ibi quidem splendidam tum philosophiae conditionem invenimus : Athenae obmutuerant (*e*).

Atque haec de re tam futili dixisse sufficiat : progrediamur ad reliqua.

CAPUT III.

Quae fuerit Scoti conditio apud Carolum Calvum.

Carolus Calvus, quum multa, quae boni regis sunt, in se desideranda faceret, optimas tamen artes propterea non neglexit. Ericus quidem Altissiodorensis, qui ejus aequalis fuit, summis eum hac de re laudibus ornat : nec est, cur hujus laudibus, etsi in

A epistola, ad ipsum Carolum Calvum scripta continentur, magnopere diffidas, propterea quod, quibus firmari queant, satis multa habemus (*f*). Ille igitur Ericus : « Vel maxime », inquit, « Vobis aeternam parat memoriam, quod famatissimi avi Vestri Caroli studium erga immortales disciplinas non modo ex aequo repraesentatis, verum etiam incomparabili fervore transcenditis; dum, quod ille sopitis eduxit cineribus, Vos fomento multiplici, tum beneficiorum, tum auctoritatis, usque quaque provehitis. ... Id vobis singulare studium effecistis, ut sicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam philosophia pollicetur, hoc ad publicam eruditionem undecunque Vestra celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas provocaret.......

B Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine paene toto cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem? Quorum quisquis peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum..... »

Atque inter hos viros, doctrinae laude conspicuos, quorum partim vocatos, partim ultro ad Carolum venisse ex Erico videmus, fama ad posteros certe prae omnibus ceteris eminuit Joannes Scotus. Quo autem jure recentiorum plurimi (*g*) eum a Carolo Calvo arcessitum dicant, nos quidem profecto non intelligimus. Guilelmus enim Malmesburiensis, quem primum hac de re scripsisse jam ex Thoma Galeo (*h*) colligas, quemque Simeon Dunelmensis, Matthias Westmonasteriensis, alii ad verbum fere descripserunt; sed Guilelmus Malmesburiensis tribus locis (*i*)

C iisdem propemodum verbis : « (Scotus), ait, relicta patria Franciam ad Carolum Calvum transiit, a quo magna dignatione susceptus familiarium partium habebatur... ». Addit praeterea in libris de gestis regum Anglorum, « concrepantibus undique bellorum fragoribus » ipsum in Galliam abiisse.

Quo tempore ad Carolum secessisse videatur, in primo capite exposuimus, circiter annum DCCCXLV.

Hunc, si quisquam, verum sibi Maecenatem devinxit. Eaque Caroli facilitate ita usus fuisse narratur, ut non magnopere ageret Horatium, cui ab Augusto scriptum ferunt, « sumeret sibi aliquid juris apud se, tanquam si convictor sibi fuerit ». Malmesburiensis quidem (*j*) : « (Scotus), inquit, transigebat cum eo (Carolo) tam seria, quam joca, in-

D dividuusque comes et mensae et cubiculi erat, multae facetiae ingenuique leporis, quorum exempla

quosque sui aevi conveniendos susceptis ad aulam Caroli Calvi venit. Animadv. Edit.)

(*a*) Cf. Hock. l. l, p. 33, not. 2; Ritter. Geschichte der Philosophie. Hamburg. Vol. IV, p. 361, not. 4.

(*b*) Cf. Thom. Gale. testim. p. 8.

(*c*) Sermo est de Pseudo-Dionysii libris, quos Erigena e graeca oratione in latinam convertit. Eo minus igitur nobis dubitationis dari potest, in Graecia eum fuisse negantibus.

(*d*) Cf. supra col. 13, not. *e*.

(*e*) Cf. Brucker. l. l, p. 615.

(*f*) Cf. Staudenmaier, l. l, p. 151-159, qui maximam testimoniorum turbam undique congessit. In hoc autem Erici loco describendo saepius a Staudenmaiero recessimus, quum potius Bollandum (Julii mens. tom. VII, p. 221 F — 222 A) sequendum esse duceremus, quam illum.

(*g*) Cf. Hiort. p. 39-40, Staudenmaier. p. 151. Schlueterus saltem hoc habet, Scotum, postquam in Galliam se contulisset, a rege Carolo Parisios vocatum esse.

(*h*) Cf. Thom Gale. l. l. testim. p. 5.

(*i*) In libro V de Pontificibus inedito (Gale. test. p. 5), in epistola ad Petrum quendam (ex codice Thuaneo MS. apud Thomam Gale. l. l. p. 7), in libris de gestis regum Anglor. II, 4.

(*j*) Cf. Gale. l. l. p. 5-6.

hodieque constant (*a*), ut sunt ista : Assederat ad mensam contra regem ad aliam tabulae partem; procedentibus poculis.... Carolus fronte hilariori post quaedam alia, cum vidisset Joannem quiddam fecisse, quod Callicanam comitatem offenderet, urbane increpuit et dixit : Quid distat inter Sottum et Scottum? Retulit ille solenne convitium in auctorem et respondit : Tabula tantum!.... Nec vero rex commotus est, quod miraculo scientiae ipsius captus adversus Magistrum nec dicto insurgere vellet. Sic eum usitate vocabat. Item cum regi convivanti minister patinam obtulisset, quae duos pisces praegrandes adjecto uno minusculo contineret, dedit ille Magistro, ut accumbentibus duobus juxta se clericis departiretur. Erant illi giganteae molis; ipse perexilis corporis. Tum, qui semper aliquid honesti inveniebat, ut laetitiam convivantium excitaret, retentis sibi duobus majoribus, unum minorem duobus distribuit. Arguenti iniquitatem partitionis regi : Imo, inquit, bene feci et aeque, nam hic est unus parvus, de se dicens, et duo grandes, pisces tangens : itemque ad eos conversus, hic sunt duo magni clerici immensi et unus exiguus, piscem nihilominus tangens ».

Itaque Joannes noster, ut videmus, intima Carolo familiaritate conjunctus in ipsa regia atque in summa hominum celebritate versabatur. Quod item Pardulus episcopus Laudunensis testatur, qui circiter annum DCCCLIII ita de eo scripsit : « Scotus ille, qui est in palatio regis (Caroli Calvi), Joannes nomine (*b*) ». Jam ex his conjicias, eum usque ab illo tempore, quo ad Carolum venit, plurimos annos deinceps in ejus regia vixisse. Hoc autem nescimus, an certius etiam colligi queat ex illis Scoti carminibus, quae Schlueterus suae editioni librorum de divisione Naturae adjecit; quæ certe diversis temporibus composita sunt, ac passim manifestissime docent, eum sibi fuisse auctorem, qui a Carolo aleretur (*c*). Quæ res etiam eo summopere videtur confirmari, quod ipse Scotus in prooemio libri sui de Praedestinatione Caroli benevolentia ac liberalitate sibi obtigisse ait, ut, quod tempus alii rebus gerendis insumere debeant, id a se litterarum studiis impendatur. Quoad hic mansisse existimari possit, mox (*d*) videbimus, quum de ultimis ejus fatis disputabitur.

Neque solius Caroli, id quod patet ex Malmesburiense, Magistrum dicunt Joannem : verum etiam celeberrimae illi « scholae Palatinae » multos per annos praefuisse traditur. Plurimos habemus hujus rei auctores; unum, quem reliqui secuti sunt, quemque jure sequi potuerunt, si re vera illius est testimonium (*e*), huc allegabimus. Exstat locus epistolae Nicolai I Pont. Max. ad Carolum Calvum scriptae, quo loco, ut plurimi contendunt, haec sunt legenda : « Hinc est, quod dilectioni vestrae vehementer rogantes mandamus, quatenus Apostolatui nostro praedictum Joannem repraesentari faciatis, aut certe Parisiis in Studio » (id est schola), « cujus capital » (id est caput) « jam olim fuisse perhibetur, morari non sinatis... (*f*) ». De tempore, quo haec epistola scripta sit, legitur apud Bulaeum : « Datum anno Apost. nostri III, » qui est annus DCCCLX : alii dicunt, circiter quinque annis post eam esse datam. Quod si hic illius epistolae locus, nec dubitamus, quin ita sit, re vera est Nicolai, Scotus noster circa eos annos, quos diximus, jam pridem Parisiensibus litterarum studiis non solum interfuit, verum etiam praefuit. Quamdiu autem postea eo honore ac loco manserit, plane ignoramus : nec ullibi quidquam perscriptum invenimus, unde appareat, utrum Nicolai jussu Romam missus sit, nec ne. Staudenmaierus (p. 166-167) eum non esse missum affirmat : nec est quod nimiae ipsum temeritatis arguere velimus. Constat enim, quam carus regi suo fuerit Erigena, et hunc ipsum regem etiam alias summorum pontificum mandata parum curasse.

Reliquum est, ut de gravioribus quibusdam negotiis, quae praeterea Joanni a Carolo mandata esse accepimus, paucis dicendum sit. Quae quidem omnino fuere duo : alterum, ut latine redderet et libros aliquot Pseudo-Dionysii et Scholia Maximi cujusdam in Gregorium theologum (quae item subdititia esse creduntur), alterum, ut, orta per Paschasium Radbertum dissensione de S. Eucharistia, ipse quoque scribendo hanc rem explicaret *. Alterum autem, proximo capite sigillatim de controversiis theologicis quibus Erigena implicatus fuit, acturis, hic tantummodo commemorandum, celeroquin mittendum est : de altero, quae dicere habeamus, haec sunt.

Ludovico Pio complura Pseudo-Dionysii Areopagitae scripta dono miserat Michael Balbus; non, ut quidam opinati fuerunt (*g*), anno DCCCXXIV[to], sed anno DCCCXXVII[mo], nec in latinum sermonem conversa, quod item putarunt viri docti (*h*), sed graeca. Hanc temporis rationem veram esse demonstravit v.

(*a*) Cf. Gale. l. I, appen. p. 88.
(*b*) Cf. Cap. I, col. 9, not. *c*.
(*c*) Cf. Carm. XI, 4; VI, 35-41; II, 69-72; I, 77-81; I, 46-77...
(*d*) Capite V.
(*e*) Cf. Staudenmaier. l. l. p. 159 not. 5 et p. 166 not. 1.
(*f*) Sic Nicolai I. verba se habent apud Bulaeum (hist. Universit. Paris. tom. I, p. 184), qui de antiquo exemplari ea deprompta esse ait, laudans « Gabriel. Naudei Collect. ex biblioth. Oxon. » Sed inventus est, qui Bulæum fraudiculæ insimulare vellet, quod verba de « Schola Parisiensi ejusque præfecto Erigena » ipse inseruisset. Verum enimvero, quod alii, qui tantum quædam ex Nicolai epistola excerpta habebant, in his illa verba non legerent, Bulaei fidem non expugnat; nec id, quod illi quaedam legerent, quae apud hunc non erant. Nam et Bulaeus, ut Staudenmaier. l. l. recte monet, forsitan solum excerpta habuit.
(*g*) Cf. *Hist. litt. de la France*, t. V p. 425, Hiort. l. I. p. 43, et Baron. annal. ad an. DCCCXXIV cet.
(*h*) Cf. Mabill. annal. lib. XXIV, n. 59, *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 425 cet.

* Joanni *a Carolo Calvo mandatum* esse, ut in controversia Paschasiana suum de ss. eucharistia sensum aperiret, omnino non constat. Quid noster in illo certamine egerit, in *Prooemio* exposuimus. ANIMADV. EDIT

cl. Pagius in « Critica in annal. Baronii » (*a*) : de libris graeco sermone scriptis omnem animo nostro scrupulum evellit Hilduinus abbas, qui ipse eos servandos acceperat, atque ita de iis scripsit (*b*) : « Authenticos namque eosdem libros graeca lingua conscriptos . . . . . pro munere magno suscepimus ».

Summum his frivolis tunc cum maxime ho: orem habebant Galli. Putabant enim, ejus Dionysii ipsa esse, qui primus Athenis episcopus fuit, et in Gallia divinam Jesu Christi doctrinam divulgasse credebatur (*c*). Ludovicus igitur, quando per totam Galliam, qui non mediocri, sed aliqua graecae linguae scientia imbutus esset, vix reperiebatur, statim horum librorum quasi versionem quandam instituisse videtur, idque per Hilduinum, in monasterio S. Dionysii abbatem, cum ipsum, cui illos servandos tradiderat (*d*). Hac de versione, utcunque fuit, nusquam fere commemoratum est; quare, si fuit, certe nullo in pretio haberi potuit (*e*). Itaque Carolus Calvus, ut erat litterarum, praecipue sacrarum, studio unice deditus, quum nactus esset Erigenam hominem praeter solitum graecae linguae peritum, committendum non putavit, ut a fortuna datam occasionem, justam tandem illorum librorum interpretationem sibi comparandi, dimitteret. Quamobrem eo jubente Erigena ad libros Pseudo-Dionysii in latinum sermonem convertendos animum adjecit (*f*). Quos autem illius auctoris libros latine reddiderit, ipse Erigena narrat in epistola dedicatoria ad Carolum scripta, quam latino suo Areopagitae praemisit (*g*) : libros de hierarchia coelesti, de hierarchia ecclesiastica, de divinis nominibus, de theologia mystica, praeterea decem epistolas.

Hoc labore absoluto Erigena ejusdem regis jussu suscepit illum alterum, S. Maximi Scholia e graeca lingua in latinam transferendi (*h*). Facta igitur Scoto nostro hac occasione illorum librorum copia, quos et ipse, ut supra (cf. notic.) jam significavimus, Dionysii et Maximi, virorum sanctorum, esse putabat, adeo ipsius ingenium et propter sapientiae, quam continerent, praestantiam et propter illorum, qui eos composuissent, auctoritatem, ab iis illectum est, ut,

A quemadmodum capite proximo a nobis est explicatum, totum se iis daret, totamque ex eorum sacris philosophiam sibi suum repeteret.

De tempore, quo his negotiis occupatus fuit, nihil plane apud auctores habetur. Credimus autem, non multo post ejus in Galliam adventum, etiam ante annum DCCCL hanc rem usu venisse. Certe in libro suo de praedestinatione, quem circiter annum DCCCL conscripsit, jam multo plura longeque alia (*i*) protulit, quam quae a solis Hibernis philosophis aut theologis eum didicisse credas. Huc accedit, quod Carolum, procul dubio Areopagitam legere summe cupientem, quum Erigenam hospitio excepisset, non diu graeci sui codicis oblitum fuisse putamus. Denique nusquam, quantum scimus, nisi in epistola illa B dedicatoria, versioni Areopagitae praemissa, ulla ratione ab Erigena significatum est, aliunde sese in Galliam venisse. Eo autem loco scripsit : « Hanc libam sacro Graecorum nectare fartam, Advena Joannes σπένδω meo Carolo (*j*) ».

Verum quidquid hac de re statuis (*k*) : ante annum DCCCLX vel DCCCLXV Dionysius absolutus fuit. Exstat ea de re apud Bulaeum (cf. col. 25, not. *f*). haec Nicolai I., Pont. Max., epistola : « Nic. S. S. D. Dilecto filio Carolo Glor. Franc. R...... Sed nuper doluimus, ut relatum est Apostolatui nostro, quod opus Dionysii Areopagitae quidam vir Joannes, natione Scotus, nuper transtulit in Latinum, quod juxta morem Ecclesiae nobis mitti et nostro judicio debuit C approbari. Praesertim quum idem Joannes multae scientiae esse praedicetur olim, sed non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur...... Datum anno Apost. nostri III. » Hic est annus DCCCLX; sed alii volunt, hanc epistolam circiter annum DCCCLXV scriptam esse (*l*).

Quod Nicolaus I., Pont. Max., queritur sibi eos libros nondum missos fuisse, incertum est, utrum hoc postea factum sit, nec ne. Nos quidem hac de re nihil cognitum habemus (*m*).

Anastasius bibliothecarius compluribus annis post ita de Erigeniana Areopagitae versione ad Carolum Calvum scripsit (*n*) : « Mirandum quoque est, quo-

(*a*) Cf. Pagi. Critica in annal. Baron. ad an. DCCCXXVII, n. XIV.

(*b*) Cf. Hilduini epist. ad Ludov. Pium, Areopagiticis (edit. Coloniens.) praefixa. Invenitur Hilduini locus apud Staudenmaier. p. 163 et apud Pagium loc. laud.

(*c*) Cf. Scoti carm. X. XI et XII, in edit. Schlueter. p. 607-609.

(*d*) Cf. Staudenmaier. p. 163 seq.

(*e*) Cf. Staudenm. p. 163-164.

(*f*) Cf. Erigenae praef. ad conversa ab eo S. Maximi Scholiae et. cet., quae est apud Thom. Gale. in edit. libr. de div. Nat., Append. p. II et III.

(*g*) Edita est haec epistola et a Jacobo Usserio in epist. Hibernicarum sylloge Paris. 1665 4to p. 40 seq., et in Areopagiticis (i. e. collectio plurimarum antiquarum Areopagitae versionum), quae typis descriptae prodiere Colon. 1530 et 1536. fol.

(*h*) Cf. Erigen. loc. supra col. 13, not. *g*.

(*i*) Nam, ut alia taceamus, sententiam de peccato, de peccati poena, quam Areopagitae debet, jam in libro de praedest. exposuit. Cf. infra Cap. IV, col. 27, not. *c*. Neque tamen id quod jam proximo capite ex D loco quodam (cf. supra col. 13, not. *g*) prooemii Erigeniani ad scholia S. Maximi patere animadvertimus, ullo pacto, est verisimile, eum, priusquam ad Carolum Calvum venerit, Areopagitae libros cognovisse.

(*j*) Cf. Schluet. p. 608.

(*k*) Schlueterus compertum habere videtur, post annum DCCCLV demum Erigenam ad illud negotium impulsum esse. Postquam enim (edit. ejus p. IV) de concilio Valent. quod illo ipso anno (cf. Mab. annal. Bened. libr. 34. n. 95, Nat Alexand. hist. eccles. sec. IX et X, dissert. V, § XI) habitum est, commemoravit, hoc modo pergit : « Post haec Carol. Calv. Erigenam ad (Pseudo-) Dionysium » [sic !!] « vertendum excitavit ». Ne hoc quidem, unde didicerit, ullo modo reperire potuimus.

(*l*) Cf. Staudenmaier. l. l. p. 166 not. 1.

(*m*) Cf. Staudenmaier. p. 166 seq.

(*n*) Usser. ep. hib. syllog. p. 45 seq.

modo ille vir barbarus...... talia intellectu capere, in aliamque linguam transferre valuerit..... — Sed hoc operatus est ille artifex spiritus, qui hunc ardentem pariter et loquentem fecit; nisi enim ex gratia ipsius igne caritatis flagrasset, nequaquam donum linguis loquendi procul dubio suscepisset.... — Cum esset humilis spiritu, non praesumpsit, verbi proprietatem deserere... — Unde factum est, ut tantum virum (Dionysium Areopagitam) intra cujusdam Labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodam modo collocaret, et quem interpretaturum susceperat, adhuc redderet interpretandum ». Eodem plane modo de illa versione Erigenae judicat Guilelmus Malmesburiensis, judicant ii qui hunc sequuntur, Simeon Dunelmensis, et Matthias Westmonasteriensis. Ille: « Verbum », inquit, « e verbo (*a*), transtulit. Quo fit, ut vix intelligatur latina littera, quae volubilitate magis graeca, quam positione construitur nostra » i. e. latina.

Atque propter hanc ipsam interpretationis Erigenianae obscuritatem factum esse putant, ut postea oblivioni traderetur, nec nisi perpauca ejus exemplaria propius ad nostram aetatem accesserint (*b*) *. Typis descripta prodiit Coloniae Agrippinae una cum aliis quibusdam antiquis Pseudo-Dionysii versionibus (*c*).

Alterum, de quo diximus, Erigenae opus, interpretationem Scholiorum in Gregorium theologum, Thomas Galeus, Oxoniensis, una cum libris de divisione Naturae edidit (*d*). Acceperat id, ut ipse ait, opera Joannis Mabillonii (*e*).

CAPUT IV.

Quae gesserit Erigena in illis theologorum controversiis, quarum particeps fuit.

Duae omnino, ut supra jam docuimus, fuerunt theologorum pugnae Scoti temporibus per Galliam commissae, quarum nunc sumus mentionem facturi. Altera de praedestinatione mota est a Gothescalco, Orbacensi monacho, alteram de S. Eucharistia excitavit Paschasius Radbertus, Gallici coenobii Corbeiensis antistes.

Verum ex instituti nostri ratione non integras illas rixas, sed eas tantum partes explicabimus, quae Scoti fuerunt, quaeque his ipsis Scoti partibus necessariam lucem affundere videantur.

Damnavit igitur Gothescalcum (*f*) ut praedestinatianae haeresis convictum Hincmarus, archiepiscopus Remensis, cum synodo I apud Carisiacum a. DCCCXLIX habita (*g*). Damnaverat eundem jam proximo anno concilium Moguntinum II sub Hrabano, qui eo ipso tempore archiepiscopus Moguntinus erat creatus (*h*). Apud illum enim Gothescalcus, qui in itineribus per Italiam Germaniamque factis primum de gemina praedestinatione sermonem fecisset, istius erroris accusatus fuerat: atque haec ipsa synodus damnatum eum miserat Hincmaro, monachorum Orbacensium metropolitae (*i*).

Quae fuerit concilii Moguntini sententia de Gothescalco lata, docet epistola Hrabani, peracto concilio super hac ipsa re ad Hincmarum scripta. In ea igitur epistola (*j*): « Gothescalc », ait, « venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones et noxiam doctrinam de praedestinatione Dei introducens, et populos in errorem mittens, dicens, quod praedestinatio Dei, sicut in bono, sit ita et in malo, et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter praedestinationem Dei, quae eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere, quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, et poenae obnoxios in interitum ire ».

Hoc judicium synodus Carisiacensis, ad quam Hincmarus missum sibi Gothescalcum de integro judicandum adduxerat, omnino ratum habuit, atque praeterea infelicem illum monachum propter pertinaciam, qua usus esset, gravissima poena affecit. Narrat hanc rem Hincmarus in libro de praedestinatione (*k*): « Gothescalcus », inquit, « sic, ut et in

(*a*) Cf. Thom. Gale. l. l. testim. p. 6.
(*b*) Cf. *Histoir. litt. de la Fr.*, tom. V, p. 426.
(*c*) Cf., supra col. 19, not. *g*.
(*d*) Cf. Jo. Sc. Erig. de divis. Nat. libri V. Accedit Appendix ex Ambiguis S. Maximi Græce et Latine. Oxonii e theatro Scheldoniano a. MDCLXXXI.
(*e*) Cf. Thom. Gale. l. l. testim. p. 12.
(*f*) Erat is Orbacensis quidem monachus, nec tamen natione Gallus, sed Saxo. Patre enim usus est comite Berno, nobilissimo inter Saxones genere. Tradunt autem, Gothescalcum puerulum adhuc a parentibus suis in coenobio Fuldensi « Deo esse oblatum ». Hic una cum eo ad litteras incubuit Walafridus Strabo, quem habuit amicissimum. Cf. Walafr. poem. in Max. biblioth. patrum, edit. Lugdun. tom. XV, p. 231 C-G. Quum adolesceret, vitam monachicam pertaesus petiit ab Otgario, archiep. Mogunt., ut, quoniam invitus ad eam adductus esset, ejus voluntate ipsam relinquere sibi permitteretur. Neque Otgarius ei petenti defuit. Jam vero Hrabanus, abbas Fuldensis (a. DCCCXXIX), Ludovicum Imp. per litteras adiit, eique demonstravit, parentum voto pueros in perpetuum constrictos teneri. Quo factum est, ut Gothescalcus remanere cogeretur. Is tamen in coenobio Fuldensi apud Hrabanum diutius manere noluit, secessitque ad Gallos, ubi in Orbacense monasterium sese abdidit. Cf. Mabillon. ann. lib. XXX, n. 30; Centur. Magdeb., cent. IX, cap. 9 et 10, edit. Basil. columm. 404, 543, 546.
(*g*) Cf. Mansi, s. concil. nova et amplissima Collectio tom. XIV, col. 919 C-922 E.
(*h*) Cf. Mansi. l. l. col. 913 D-918 E.
(*i*) Quum Orbacense monasterium proprie esset dioecesis Suessonensis, et cum hac demum dioecesi in metropolitae Remensis jurisdictionem concederet, mittendus fuit non archiepiscopo Remensi, sed episcopo Suessonensi. Verum ipse Hincmarus in epist. ad Nicolaum I. missa, quae est apud Flodoardum (cf. Flodoardi hist. eccles. Remens. lib. III, cap. 12-14), declarat, cur Gothescalcus, episcopo Suessionensi relicto, a se potissimum judicatus sit: « quia Rothadus, de cujus parochia erat, illi nesciebat resistere » Idem. Rothadus etiam episcopatu suo ejectus est (cf. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 500).
(*j*) Cf. Mansi l. l. col. 914 E. seq.
(*k*) Cf. Mansi l. l. col. 919 E, seq., Eccles. Lugd. lib. de tribus epist. cap. 24, (Max. bibl. Pat. edit. Lugd. tom. XV, p. 679 C-D).

* Fallitur; illius enim versionis plurima hodiedum in bibliothecis reperiuntur exemplaria mss., typis vero expressa est, quantum sciam, bis tantum vel ter saec. XVI. cf. *Prooemium*. Animadv. Edit.

Moguntina civitate, inventus (est) haereticus atque incorrigibilis. Honore presbyterali..... abjectus, et pro sua irrevocabili contumacia..... ut improbus virgis caesus.... ne aliis noceret, qui sibi (ipsi) prodesse nolebat, ergastulo est retrusus ».

Quae poena miserandum in modum Gothescalco irrogata, movit, ut fieri solet, hominum tum miserationem tum indignationem. Ac, si cui haec res minus cordi esset, exstiterunt summi theologi, qui vererentur, ne injuste fecisset Hincmarus, quod Gothescalci placita praedestinatiano errore infecta esse judicasset.

Nec hercle, quaecunque alioquin Gothescalci sententia fuit, ex ipsius verbis, quibus eam Moguntinae synodo explicavit, quatenus hodieque exstant, ullo pacto colliges, quae et Hincmarus et Hrabanus illi tribuebant, atque cum synodis suis in illo damnaverunt. Refert haec verba, id quod hoc loco certe summi est momenti, ipse Hincmarus. Is enim in libro suo de praedestinatione (*a*) duas a Gothescalco in synodo Moguntina scriptiones prolatas esse docet, quarum altera fuit « fidei de praedestinatione confessio », altera « libellus ad Hrabanum » (*b*) : illam habet integram, ex hac affert fragmenta. Haec vero Gothescalci verba non continent haeresim praedestinatianam. Neque enim contendunt, praedestinatam esse a Deo usque ab omni aeternitate alteram hominum partem ad bene recteque vivendum, alteram ad male praveque agendum; illam proinde ad sempiternae vitae beatitudinem, hanc ad aeternam futurae vitae calamitatem : qua re fieri, ut nihil prorsus libero hominum arbitrio sit relictum. Demonstrant contra satis aperte, Deum homines impios praedestinasse illos quidem ad « mortem sempiternam », nec voluisse, ut « perpetim salventur », sed « propter ipsorum mala merita », ideo quod eos « pessimos futuros esse praescivisset »! Quare solae illae locutiones, quibus Gothescalcus usus est, offensionem habuisse videantur. At ejusmodi locutiones reperiuntur etiam apud S. Augustinum (*c*), ex cujus libris Gothescalcum sibi sustulisse arbitramur suas. Ait enim ipse in scriptione illa ad Hrabanum (*d*) : « De libero arbitrio, quid tenendum sit,... praecipue contra Pelagianos... a B. Augustino plenius... esse cognoscitur inculcatum. Unde te (Hrabane) potius ejusdem doctoris assertionibus malueram niti, quam erroneis opinionibus Massiliensis Gennadii... »

Atque haec ipsa res summorum theologorum studia excitavit. Hincmarum in Gothescalci praedestinatione damnanda S. Augustinum petiisse arbitrabantur. Itaque acriter impugnant Hincmarum ejusque amicum, qui in Gothescalci causa fidelissimam ei operam praestiterat, Pardulum, episcopum Laudunensem. Inter quos Hincmari Pardulique adversarios Ratramnus, monachus Corbeiensis, S. Prudentius, episcopus Tricassinus, Lupus, abbas Ferrariensis, conspicui fuere (*e*). Hi omnes scriptis suis etiam malorum hominum praedestinationem defendentes, iisdem fere cum Gothescalco, quia et S. Augustini erant, locutionibus utebantur. Neque ullo pacto ea in re culpari possunt, quippe qui non illum in his sensum inesse voluerint, quem Hincmarus cum suis. Hincmarum autem, quae non speraverat, ad incitas fere redegerunt. Satis enim probe intelligebat, cum a celeberrimis theologis tam malorum quam bonorum, sive gemina praedestinatio doceretur, quam ipse in Gothescalco damnasset, de fama atque existimatione ornamentisque omnibus sibi esse decertandum. Quare scriptoribus opponendos esse censebat scriptores. Itaque ab Hincmariana parte cum alii, tum praecipue Scotus noster, qui geminam illam praedestinationem (*f*) libris editis expugnarent, sollicitati sunt (*g*).

Composuit igitur Scotus librum suum de praedestinatione adversus Gothescalcum, eumque edidit anno DCCCLI (*h*). Semel tantum hoc Scoti opus typis descriptum prodiit : est apud Mauguinum in libro, quem infra (not. *e*) laudavimus.

De Praedestinatione liber undeviginti complectitur capita, quae praecedit prooemium, subsequitur epilogus : nec admodum magni est voluminis. Missum est, ut in prooemio legitur, Hincmaro Remensi et Pardulo Laudunensi; quorum causae patronum se exstitisse Scotus scribit.

Itaque hoc solum ipsi agendum fuit, ut geminam

(*a*) Cf. cap. V cap. XXI, cap. XXIV cap. XXVII.

(*b*) Ipsa Gothescalci verba, cum brevitati aliquid dandum esset, describere noluimus. Ceterum etiam apud Natal. Alex. reperiuntur. Cf. Nat. Alex. in hist. eccles. sec. IX et X, diss. V § III.

(*c*) Cf. de civit. Dei XV, 1 : « Est una (hominum societas), quae praedestinata est, in aeternum regnare cum Deo, altera aeternum supplicium subire cum diabolo ». Ibid. XXII, 24 in fine edit. Tauchn. Lips. 1825, vol. II, p. 412 : « Quid igitur dabit (Deus) iis, quos praedestinavit ad vitam, qui haec etiam dedit iis, quos praedestinavit ad mortem »? Et passim in aliis S. Augustini scriptis tales locutiones inveniuntur.

(*d*) Cf. supra (hac col.) not. *a* et *b*. Joannes Scotus de praedest. adv. Gothesc. cap. XI, § 2 : « Gothescalcus », ait, « maxime Augustino nefandi sui dogmatis causas referre solet ».

(*e*) Cf. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 354; Nat. Alex. in hist. eccles. sec. IX et X dissert. V, § VI. Max. biblioth. vet. pat., edit. Lugdun. tom. XV; Gilb. Mauguin. veterum auctorum, qui sec. IX de praedest. et gratia scripserunt, opera et fragmenta plurima. Paris. 1650 II vol. 4to. Hac in bibliotheca patrum et apud Mauguinum singula eorum auctorum, quos laudavimus, scripta, quatenus exstant, facili opera inveniuntur, quare eorum locum accuratius indicare supersedimus.

(*f*) De sola gemina praedest., non de reliquis duabus quaestionibus (I de libero hominum arbitrio. II. utrum Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, an pro iis tantum, qui praedestinati sint ad vitam), quae et ipsae acriter proponerentur, ideo locuti sumus, quod haec ipsa omnium caput et quasi parens fuit, nec Scotus reliquas illas curavit.

(*g*) Cf. Eccles. Lugdun. lib. de tribus epist. cap. 39 : in Maxim. biblioth. vet. patr. edit. Lugdun. tom. XV, p. 687 H. seq.

(*h*) Cf. supra Cap. I, col. 7, not. *b*.

illam praedestinationem, quae ab Hincmari Pardulique adversariis defendebatur, idoneis argumentis expugnaret, sin minus, Gothescalcum re vera praedestinatianae haeresi affinem fuisse ostenderet. His igitur in rebus qua diligentia versatus fuerit, paulo accuratius persequemur. Quae autem praeterea de Scoti libro, qui nunc in nostris est manibus, memoratu digna videantur, ea deinceps explicabimus.

De Gothescalco nihil dubitatur, quin « diabolicum istud dogma » fuerit amplexatus. Legimus enim (*a*) « ex Gothescalci sententia duas esse in Deo prædestinationes, alteram bonorum, malorum alteram : illius coactu fieri, ut una hominum pars recte vivat atque ad aeternam beatitudinem perveniat, hujus necessitate ineluctabili alteram mortalium partem et improbe vivere et in aeternam incurrere calamitatem ». Summa adeo cum indignatione acerbissima in Gothescalcum convicia ingeruntur (*b*). Quamquam autem Scoto id maxime spectandum fuit, ut infelicem illum hominem tanti erroris coargueret potius, quam accusaret, tamen ne levissimum quidem argumentum, quo hac in re patroni partibus satisfaceret, proferre studuit. Teneri Gothescalcum praedestinatianae haeresis culpa nusquam demonstrat, nusquam non crepat.

Nec minus in altero illo, quod Scoto perficiendum fuisse monuimus, suorum exspectatio est decepta. Nam et si fortissime adversus geminarum praedestinationum terricula proeliatus est, tamen illud tantum, quod nec curare debuit, juste impugnavit, illud autem, quod proprie petendum fuit, vix curavit, ac plumbeo solum, ut aiunt, gladio invasit. Juste enim impugnavit illud, quod Hincmarus cum suis in Gothescalco damnaverat; proprie petendum fuit illud, quod Hincmarianae partis adversarii in Gothescalco, ut ita dicamus, defenderant. Atque haec, id quod supra a nobis expositum est, toto coelo inter se differunt. Illud ubique sibi aggrediendum sumpsit (*c*); in hoc impetum aliquem eum fecisse concesserimus, ideo quod inter argumenta, quibus illud evertere studuit, reperiuntur, quae etiam huic opposita dixeris (*d*).

Atque de illo aut victo aut non victo inter eos, adversus quos Scoto res esset gerenda, ne mutivisse quidem invenimus quemquam; ipsi quoque illud summe improbaverant : hoc autem, quam non victum existimaverint, infra docebimus (*e*). Itaque jam hinc satis patere arbitramur, qualem Scotus patronum egerit : nocentior suorum causae fuit, quam utilior.

Maximae autem turbae, maxima hominum tum admiratio tum indignatio mota sunt eo, quod Scoti liber summam ille quidem erga Deum pietatem spirabat, at errorum, ineptiarum, mirabiliumque rerum, quas illa aetate nec fando audivissent, multitudine refertus erat ingenti. Hoc igitur, quatenus in praesentia fieri potest, declaraturi, jam de totius libri summa disputabimus.

Quae summa hac fere in re versatur : non esse duas in Deo praedestinationes (*f*), sed unam tantum, eamque hominum bonorum.

Atque hujus quidem rei argumenta reperiuntur plurima et perquam varia. Horum quae maxime commemoranda esse videantur, ea pro hujus voluminis ratione quam accuratissime explicabimus. Sunt enim ita sane comparata, nihil ut magis ad verum Scoti ingenium declarandum pertineat.

I. « Divina voluntas et divina praedestinatio omni carent necessitate, quae eas vel impelleret, vel impediret : illa, ideo quod est summa omnium rerum causa ; haec, propterea quod, pariter ac voluntas divina, Deus est (*g*) ».

Quid inde ? Nos quidem non videmus, quid haec sibi velint, nisi forte aut divinam voluntatem cum humana eandem putes, aut ea ipsa de causa, quod illa est libera, hanc quoque liberam esse arbitreris. Scotus nos incertos relinquit, praeterquam quod alio quodam loco (*h*) scribit : « debuisse creatricem voluntatem divinam creare voluntatem hominis sui similem, id est liberam ».

II. « Quaecunque de Deo praedicantur (velut essentia, sapientia, virtus) sunt unum » : « atqui nihil de eo verius et honestius dicitur, quam praedestinatio ». « Itaque etiam praedestinatio una est (*i*) ».

III. « Contrarium est essentiae — non esse, vitae — interire, justitiae — peccatum, beatitudini — miseria : quare etiam eorum causae (duae illae praedestinationes) inter se contrariae sint necesse est. Eas igitur natura divina, quae una tantum est ac simplex, in se conjunctas habere nequit (*j*) ».

IV. « Boni probique homines nulla necessitate ad virtutem compelluntur : adjuvantur autem gratia divina, cui cooperantur sua libertate humana (*k*) ».

V. « Mali pravique homines nullius coactu ad peccandum pereundumve adiguntur, quamvis SS. auctores modo quodam abusivae locutionis soleant dicere praedestinatos ad mortem, vel interitum, vel

(*a*) Cf. cap. I, § 4; cap. IV, § 1 seq, et passim.
(*b*) Cf. prooem.; cap. I, § 2. 4; cap. II, § 1; cap. III, § 4, § 5; cap. XI, § 2; epil. § 3.
(*c*) Cf. cap. I, § 2; cap. II, § 1, § 6; cap. XI, § 1; cap. IV, § 3 : praeterea huc sunt afferenda illa fere argumenta, quorum pondere (cap. II — cap. VIII) geminam praedestinationem suam deprimere nititur : quatenus videlicet hoc probatum volunt, non posse Deum aut libero hominum arbitrio officere, aut ad morum praecepta migranda cogere quemquam.
(*d*) Cf. cap. IX — cap. XIX, quorum summam mox proponemus.
(*e*) Sub finem primae hujus capitis particulae.
(*f*) Istas videlicet, quas Scotus Gothescalco tribuit, quaeque aut « vivendi » aut « pereundi » necessitatem hominibus imponant.
(*g*) Cf. II, § 1, § 2, § 6; III, § 1. Deum esse dicit Scotus illa quae Deo sunt « substantialia », non « accidentalia ». Cf. II, § 2.
(*h*) Cf. VIII, § 1 — § 4.
(*i*) Cf. II, 3 - 6; III, 1, 4, 5
(*j*) Cf. III, 2.
(*k*) Cf. IV, 3-8; III, 7.

poenam. Omne peccatum, omnisque peccati poenae propria hominis voluntate, libero arbitrio male utentis, nascuntur (*a*) ».

De libero voluntatis arbitrio Scotus haec docet : « qui tantum recte vivere possit, non prave, eum non penitus esse liberum ; liberum enim arbitrium esse electionem sive boni, sive mali (*b*) ».

Hinc autem (inde a cap. IX) jam « tibi copia manabit ad plenum benigno » errorum ineptiarumque « opulenta cornu ». Id quum in priore parte multo minus usu veniret, quae ibi ex eo genere reperirentur, plerumque consulto praetermisimus.

Atque hac in parte (cap. IX — cap. XIX) disputationem suam Scotus per longa quaedam atque tenebricosa itinera circumducit. Rem totam in unum corpus collectam, ad haec resecari posse existimavimus.

Quidquid esse putatur peccati, quidquid dicitur peccatorum poenae — omnino nihil est. « Nemo (enim) non videt, nisi qui sensu caret, totum, quod dicitur, peccatum ejusque consequentias, mortem atque miseriam, non aliud esse, quam integrae vitae beataeque corruptiones, ita ut singulae singulis opponantur, integritati peccatum, vitae mors, beatitudini miseria : illa sunt, haec penitus non sunt ; illa intra terminos naturalium formarum intelliguntur, haec in earum defectu atque privatione nesciendo sciuntur ; illa materiam, formam, speciem habent, haec materia, forma, specie carent (*c*) ».

Ex his tenendum est, quem sensum habeant illae Scoti locutiones, quales sunt : « peccatum nihil est », « peccati poenae sunt nullae ».

Jam vero et peccatum, et peccatorum poenae accuratius describenda sunt.

Peccatum non est naturae (*d*) (« sequeretur enim, cum Deus naturam fecerit, peccatum esse ex Deo [*e*] »), sed liberae voluntatis : est autem « motus perversus voluntatis liberae, libero suo arbitrio male utentis, cum quis avertitur a divinis vereque manentibus, et ad mutabilia atque incerta convertitur ». « Peccatum videlicet ejusque consequentiae summum

A omnium principium (*f*) deserunt, deorsumque bona, quorum corruptiones sunt, in nihilum redire contendunt; quod contra, quae sunt peccato ejusque consequentiis opposita (integritas, vita, beatitudo) sursum versus tendunt, unumque illud omnium principium appetunt. — Quid enim appetit impiorum omnium et diaboli nequitia, nisi ab eo, qui est summa essentia recedere in tantum, ut eorum natura, si lex divina sineret, in nihilum redeat? Hinc namque nequitia est dicta, quod nequicquam, id est nihilum esse contendit (*g*) ».

Quae cum ita sint, facilem jam habent explicatum peccatorum poenae. Sunt enim nihil, nisi « voluntatis, quae peccat, cruciatus, quibus afficitur, dum ea, quae male aut indigne appetit, habere non sinitur».
B « Dum enim impiorum nequitia nihil aliud appetit, nisi ab eo, qui est summa essentia in tantum recedere, ut eorum natura in nihilum redeat — difficultas ei ex aeternis legibus obsistit, ne in tantum cadat, quantum vellet : ex ea difficultate laborat, laborando torquetur, punitur, cruciatur (*h*) ».

Quibus expositis quodammodo jam patere arbitramur, quem ratio poenarum auctorem haberi jubeat. Huc igitur, quae de eo docentur, afferenda esse putavimus.

Perversa igitur voluntas, quam proprie et peccare et puniri docuimus, non aliunde illos cruciatus suos, quibus ob inexplebilem istam libidinem, nequidquam quasi « objectos vitae quaerentem effringere clathros », afficitur, non aliunde ergo illos cruciatus
C percipit, nisi ex hac ipsa perversitate ac libidine sua. « Non enim alia sunt instrumenta torquendae impietatis praeter ipsam impietatem : unicuique supplicium fiet de suo peccato : diabolo sua superbia sufficit ad torquendum ». « Unde peccatum, inde mors; unde mors, inde miseria, quae est poena vel supplicium (*i*) ».

Atque ex his, quae de peccato ejusque poena sunt dicta, planum esse arbitramur, Scotum, dum constare sibi velit, negaturum esse, Dei nutu ac jussu fieri, ut sit, non dicimus peccatum, id quod jam alias

(*a*) Cf. V, § 1-5; VI, 1-3.
(*b*) Cf. V, 8-9.
(*c*) Cf. X, 4. 5. 3; XV, 1, 3, 5-6; et passim. Ceterum hoc loco, id quod semel atque in universum dictum velimus, illam Scoti sententiam de peccato, de poena, quaeque ejusdem sunt generis, proponimus, quam in libro de praedest. sequitur.
(*d*) Hoc est « rei, quae vere est, » — « quae aliquid substat ». Cf. X, 5.
(*e*) Cf. XV, 4.
(*f*) Hoc est « Deum, unam omnium rerum essentiam atque substantiam. » Cf. X, 5; XVIII, 4. 8. De pantheismo jam hinc patet, quam eum hoc in libro Scotus non effugerit.
(*g*) Cf. VI, XVI, 4-6; X, 1. 4; XVIII, 7, cet. Atque hoc loco praetereunda non videtur Scoti sententia de peccato originali, quae quidem in libro de praedest. legitur his fere verbis : « Omnes homines in primo homine peccaverunt. Quamquam autem generalem generis humani naturam in eo creavit Deus; haec tamen peccare non potuit, quippe quam Deus fecerit. Quare necesse est substitutam esse a Deo in primo homine etiam omnium hominum propriam voluntatem, atque ita in eo peccasse non naturæ omnium generalitatem, sed uniuscujusque individuam voluntatem ». Cf. XVI, § 3.
D (*h*) Cf. XVI, 4: XVIII, 7. Est autem diligenter attendendum, quid proprie afficiatur poena. Quemadmodum igitur (cf. sup. not. *d*, *e*) non natura peccat, sed perversa voluntas : sic non natura punitur, sed eadem voluntas perversa. Atque huc percommode transferri possit locus quidam ex cap. XVI, § 1 : « Quid? Si nulla natura fuerit punita, numquid erit misera? Non video. Qua enim causa aliqua natura erit misera, nisi fuerit punita? Itaque si nulla natura puniri potest, nulla natura misera erit. — Omnis autem natura aut Deus est, aut ab eo facta. Naturam vero creatricem miseriae esse capacem, dementissimum est suspicari : creatrix autem natura, qua justitia punitura sit naturas, quas ipsa creavit, non invenio. Nulla deinc natura punietur; non punita non erit misera ». Cf. XVI, 2. 6.
(*i*) Cf. XVI, 6; XV, 8 et pluribus locis.

expresse negavit, sed peccati poena. Neque fallimur. Continenter enim vetat, ne quis illorum quidquam a Deo effici putet. Nam, quod nihil sit, id non « esse a Deo, a quo illa tantum sint », quae vere esse dicantur : neque id, quod ex perversa hominum voluntate oriatur, ullo pacto ad Deum auctorem referri posse (*a*). Permitti tantum a Deo illa, ut « fiant motu proprio liberoque rationalis creaturae, perverse utentis naturalibus bonis » : « deserti tantum a Deo, qui sint puniendi, ut sua propria perversitate puniantur (*b*) ».

Concesso autem, peccatum ejusque poenam nec esse, nec a Deo trahere originem, facili jam opera demonstratur, ipsa a summo illo numine divino ne praesciri quidem, nedum cuiquam praedestinari. Res definiendo conficitur. « Est (enim) divina praedestinatio omnium, quae Deus facturus erat, ante secula praeparatio atque dispositio (*c*) ». « Tantum (autem) *in* Deo valet praescientia, quantum praedestinatio; plane, quia unum sunt ». Excederet quidem praescientia praedestinationis fines, cum illa etiam ad eas res pertinere putetur, quas Deus non fecit, velut peccata: verum enimvero, quae Deus non fecit, ea non sunt; quare nec ab eo praesciuntur. Atque sunt etiam « et praedestinatio et praescientia unius ejusdemque divinae naturae, in qua aliud alio plus minusve non est : ubi est naturae simplicitas, non est ulla diversitas, quoniam in ea omnia unum sunt (*d*) ».

Est ergo manifestissimum, nec peccata, nec eorum poenas praesciri a Deo aut praedestinari (*e*).

Quod si nihilo secius « dicitur Deus et fecisse ea et praescivisse vel praedestinasse, ad exercitium nostrae intelligentiae Deus procuravit, et in scripturis suis et in tractatoribus ejus, ut audiens tales locutionum modos evigilaret nostra intentio ad intelligendum, quid in eis mysticum lateat, non quid simplex verborum superficies ostendat (*f*) ».

Quem hoc loco dicat mysticum sensum, plurimis explicatum legitur. Scribit igitur, permulta « a contrario » esse accipienda : « in secularibus litteris Parcas dictas esse, quod nulli parcant, lucem, quod non luceat », « in divinis Scripturis inveniri Judam proditorem amicum a Jesu appellatum, cum fuerit inimicus, electum, cum fuerit non electus, et ejus generis plura (*g*) ». « Proinde, » ait, « non video, cur SS. patres dubitarent, pulchro locutionis modo fiducialiter enuntiare praedestinatos ad poenam vel interitum (pro non praedestinatis), « quoties iis in librorum suorum serie

A placuit ponere. — Si Dominus proditorem suum non erubuit apellare electum (pro non electo), cur S. Augustinus erubesceret, eundem proditorem vocare praedestinatum » (pro non praedestinato) (*h*) ?

« Quotiescunque ergo dicuntur praedestinati homines impii, quaeque ad eos pertinent, pulcherrimo et saluberrimo illo contrarietatis modo interpretandum est ».

At in bonis hominibus eorumque virtute ac praemiis res secus sese habet. Haec et vere sunt, et a Deo facta sunt, et ab infinita Dei benevolentia et gratia dantur. Quare horum praedestinatio vere ac proprie dici potest, neque, quum a S. Scriptura et a SS. Patribus docetur, a contrario est accipienda (*i*).

Priusquam tamen ad reliqua pergamus, subjiciendum videtur disputationi nostrae, quod Scotus subjecit suae; sententiam dicimus de igne æterno apud

B inferos. Est autem haec; « Haud facile credi potest, alium eum esse, praeter ipsum, qui est quartum mundi elementum. Nec incongrue credendum, quod corpora sanctorum in aethereain mutabuntur qualitatem, quae ab alia consumi non potest; impiorum vero corpora in aeream qualitatem transitura, ut ab superiore igne patiantur. Hinc est, quod diabolus post lapsum detrusus ab aethereo spatio, adjunctum est ei invito aereum corpus, in quo poenas suae superbiae luat (*j*). Quod si cui incredibile videtur, corpora semper arsura, neque tamen peritura, videat salamandram in igne vivam, videat lapidem asbestum (*k*) ».

C Venimus nunc ad disserendi demonstrandique viam, quam Scotus hoc in libro ingressus est. Haec vero ex iis, quae de totius libri argumento enarravimus, satis fortasse patuerit. Vidimus igitur longe eum alia via incedentem, quam reliquos ejus aetatis theologos, quamque ipsum decuit. Illi enim solis propemodum S. Scripturæ et SS. Patrum testimoniis auctoritatibusque nitebantur, hic « disputatoriae artis, » ut scribit, « regulis » utebatur : illi S. Scripturae et SS. Patrum auctoritatibus pio ac simplici animo se subjiciebant, hic auctoritates illas duro ac superbo ingenii sui imperio subigebat. Meminimus profecto, quam contemptis artificiis, quod contra se facere vidisset, ut a se facere videatur, effecerit. Hac arte, quem ille hostem non profligaret !

D Est quidem, ut ipse quoque S. Scripturae, S. Augustini locos suae sententiae argumenta proferat, verum ita, si, ut his verbis utamur, antea ipsi sententiae suae fuerint probati (*l*). Neque facere non possumus, quin clas-

(*a*) Cf. III, 3; X, 1-5 et saepius alias.
(*b*) Cf. X, 1-5; XVII, 2.
(*c*) Cf. II, 2; XI, 6-7; XII, 1 seq.
(*d*) Cf. XV, 3-4; 5-6; XVIII; praef. in fin.
(*e*) Cf. XV, 1; XVI, 6; XVII, 1, cet. cet.
(*f*) Cf. XVI, 6. Cf. XVII, 2; X, 1 seq.
(*g*) Cf. X, 1 seq. XV, 6-7. 2; XIII, 1 seq.
(*h*) Cf. XIII, 2; IX, 5 (quo tamen loco hanc rem longe aliter exponit; dicit enim idcirco praescientiam praedestinationem non proprie, sed a contrario praedicari de Deo, quod in ipsum non cadat temporis ratio); X, 1 seq. XII, 2; XV, 2 cet.

(*i*) XI-XIV. Est autem certe mirum, qui factum sit, ut Scotus, quum malorum hominum praedestinationem necessariam ubique dixerit prave agendi causam, non tamen de bonorum hominum praedestinatione tanquam necessaria bene vivendi causa cogitaverit.
(*j*) Hic nemo non reminiscetur, opinamur, Origenis.
(*k*) Cf. XIX, 1-4. Supra autem dixit, solam conscientiam punire.
(*l*) Eadem plane commisit Scotus in libris de div. Nat. Cf. Hock. in ephemer. Bonnens. Fasc. XVI,

sicum, ut aiunt, hac de re locum ex Scoti libris de divisione Naturae afferamus. Sermo est de sacrae Scripturae et SS. Patrum auctoritate. Scribit autem (*a*): « Auctoritas ex vera ratione processit, nequaquam ratio ex auctoritate: omnis autem auctoritas, quae vera ratione non approbatur, infirma videtur esse. Vera autem ratio...... nullius auctoritatis astipulatione roborari indiget ».

Neque hercle, quum Scoti incepta graviter reprehenderimus, quibus excusari queant, silentio praetermittamus. Transtulerat (cf. sup. Cap. III) Caroli Calvi jussu libros Pseudo-Dionysii Areopagitae et Maximi, quos re et facto a viris illis, quibus tribui solebant, conscriptos putabat. Itaque magnam profecto partem summa sanctorum virorum illorum auctoritate factum est, ut, quae in illis libris reperisset, adeo adamaret, nihil ut iis arbitraretur verius, nihil divinius, neque ullo pacto dubitandum esse censeret, quae vel in sacra Scriptura vel apud SS. Patres edoctus fuerat, ad illorum virorum philosophiam resecare. Atque Scotus is erat, qui, quodcunque verum esse sibi persuaserat, sanctum duceret suoque loco libere confitendum. Ait enim in primo de Naturis (*b*): « Non ita sum territus auctoritate, aut minus capacium animorum expavesco impetum, ut ea, quae vera ratio clare colligit indubitanterque diffinit, aperta fronte pronuntiare confundar, praesertim cum de talibus non nisi inter sapientes tractandum sit, quibus nil suavius est ad audiendum vera ratione, nil delectabilius ad investigandum, quando quaeritur, nil pulchrius ad contemplandum, quando invenitur! » Huc accedit, quod Scoti pietas erga Deum plane insignis est dicenda, utque Anastasius Bibliothecarius virum eum praedicat « per omnia sanctum ».

Postremo certe operae pretium facturi videmur, si illa, quibus Erigena « dialecticae suae artis » usum probare conatur, in angustum redacta retulerimus. Dicit igitur (*c*): « Cum omnis piae perfectaeque doctrinae modus, quo omnium rerum ratio apertissime invenitur, in philosophia sit constitutus, de ejus divisionibus quaedam sunt disserenda. Sic enim, ut ait S. Augustinus, creditur « « non aliam esse philosophiam et aliam religionem, cum hi, quorum doctrinam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant » ». Quid est aliud de philosophia tractare, nisi verae religionis, qua summa omnium rerum causa, Deus, et humiliter colitur, et rationabiliter investigatur, regulas exponere? Conficitur inde, veram esse philosophiam veram religionem, conversimque, veram religionem esse veram philosophiam. Quae dum multifariam dividatur, bis binas tamen partes principales ad omnem quaestionem solvendam necessarias habere dignoscitur, quas latine possumus dicere divisoriam, diffinitivam, de-

A monstrativam, resolutivam. Earum exempla in processu hujus operis ostendemus. His enim tanquam utili quodam et honesto humanae ratiocinationis quadrivio ad ipsam disputandi disciplinam, quae est veritas, omnis in ea eruditus perveniri non dubitat. Hujus disciplinae regulis necessario uti jubemur, dum adversus Gothescalcum quemdam respondere compellimur ».

Quam iste hoc loco philosophiam cum vera religione eandem contendit? Estne ea, quae illis temporibus communiter hoc nomine appellabatur, quaeque vix aut ne vix quidem dialecticae fines transgrediebatur? Ipsa Scoti verba, nisi forte « a contrario » sunt interpretanda, eam certe philosophiam significant, cujus unum vel primarium munus hac in re
B cernatur, ut instrumenta quasi ac machinamenta, quorum ope philosophi regias moles suas excitant, comparet atque suppeditet. Unde autem tanta omnium rerum perturbatio? Sunt, qui ejus causam ad pantheismum Erigenianum referant (*d*). Quod contra Schlueterus affirmat (*e*), « illam sententiam (veram philosophiam eandem esse cum vera religione) in auctoris nostri ore non magis esse suspectam, quam id, quod prope omnes SS. patres doceant, revelationem scilicet Christi esse summam sapientiam, atque omnem continere philosophiam ». Verum Schlueterus satis aperte declarat, sese illam Erigenae sententiam in ipsius Erigenae libro ne adspexisse quidem! Qui enim fieri potuit, ut a vero ejus sensu tam procul aberraret? Illa Erigenae phi-
C losophia certe dialecticam complectitur, quam tamen « Christi revelatione » contineri non dixerimus, nec SS. Patrum quisquam dixerit!

Nobis autem ad illum Erigenae locum accuratius perspiciendum plurimum conferre videtur, quod in libris de divisione Naturae (*f*) scribit: « ars illa, quae Διαλεκτική dicitur, non ab humanis machinationibus est facta, sed in natura rerum ab auctore omnium artium condita, a sapientibus inventa, et ad utilitatem solertis rerum indaginis usitata ».

Verum neque hoc, opinamur, negligendum est, Scotum fortasse hac sola de causa veram philosophiam cum vera religione eandem fecisse, ut significaret, eas inter se nihil prorsus reluctari aut adversari. Qua re fieri, ut, quum neutra neutri obtrecta-
D ret, sed altera cum altera concordissime queat vivere, etiam altera, simulatque aut necesse aut commodum esse visum sit, in alterius auxilium advocari possit.

Atque super ipso Nostri libro de praedestinatione satis dictum est; progrediamur ad reliqua

Postquam igitur editus est Scoti liber, Wenilo, archiepiscopus Senonensis, quae « ab intellectu suo se quodammodo divertentia essent », in eo deprehendit. Undeviginti haec capitibus (quot etiam libri

p. 50. Cf. etiam *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 420 seq.
(*a*) Cf. de Nat. I, 71.
(*b*) Cap. 69.

(*c*) Cf. de praedest. I, 1 seq.
(*d*) Cf. I, v. *Görres christl. Mystik.* vol. I, p. 243
(*e*) Cf. I. Sc. Erig. p. XVI.
(*f*) Cf. IV, 4.

capita esse diximus) comprehensa misit S. Prudentio, episcopo Tricassino, ut « quaecunque in iis a vero exorbitantia comperisset, unicuique de libris evangelicis et catholicorum doctorum auctoritatibus devianti capitulo, congrua depromeret abunde responsa (*a*) ». Neque Wenilonis voluntatem neglexit Prudentius. Antea tamen ipsum Scoti libri cognoscere voluit. Id cum ipsi usu venisset, peculiari eum scriptione vehementer oppugnavit (*b*).

Qua in re adjutricem nactus est Ecclesiam Lugdunensem (*c*). Nam ad hanc quoque « venerant vaniloqui (illius) et garruli hominis scripta — vanissima, contra fidem ac veritatem Dei, plena mendacii et erroris », quae doctis quidem hominibus risui essent, ab indoctis autem, quique illum hominem « quasi eruditum admirationi haberent », non sine summo, aut ipsorum periculo aut Christianae religionis detrimento legerentur (*d*).

Uterque Scoti adversarius eodem fere modo rem gessit. Arctissime atque per singulas paene sententias ejus vestigia prementes simulac, quae a vero abhorrere videantur, deprehenderunt, ea acerbissime notant. Si qua in re dialecticorum regulis repugnaverit, regulis dialectis, sin sacrorum Bibliorum vel Patrum ecclesiasticorum auctoritati minus consenserit, horum ipsorum testimoniis eum aggrediuntur. Saepius etiam, quae Scotus ratiocinando effecisset, testimoniis auctoritatibusque oppositis redarguere conantur. Nec desunt loci, ubi, ira ob ejus errores abrepti, conviciis eum dilacerare non dubitent. S. quidem Prudentius, quo loco Scotus contendit (*e*), « Deum praescire dici posse pro nescire : ita etiam praedestinare pro non praedestinare », hoc modo in eum invehitur : « O ingenium venenis infectum! o sensum errorum tenebris incomparabiliter obscuratum! nunquam quippe etiam haereticorum quislibet ante te hunc nefarium intellectum admisit. Nullus Catholicorum saltem mente concepit, ut Deum scire pro eo quod est nescire, et praedestinare pro eo quod est non praedestinare, aut intelligerent aut intelligendum suaderent ». Atque innumera ejusmodi dicta in S. Prudentii libro reperiuntur. Ecclesia autem Lugdunensis ne postea quidem cum Scoto non bellavit. S. enim Remigius, archiepiscopus Lugdunensis, quum praeesset concilio Valentino, quod anno DCCCLV a quatuordecim episcopis habitum est, ut Scoti doctrina etiam ab hac synodo damnaretur, effecit. Sunt igitur in hujus synodi canonibus cum alia adversus Scotum dicta, tum vero haec (*f*) : « Ineptas quaestiunculas et aniles paene fabulas Scotorumque pultes, puritati fidei nauseam inferentes — — ne mentes Christianae inde corrumpantur et excidant a simplicitate et castitate fidei, quae est in Christo Jesu, penitus respuimus (*g*) ». Et haec : « Ista (Scoti) capitula XIX syllogismis ineptissime conclusa — — in quibus commentum diaboli potius, quam aliquod argumentum fidei deprehenditur, a pio auditu Fidelium penitus explodimus, et ut talia et similia caveantur, per omnia authoritate Spiritus sancti interdicimus. Novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus (*h*) ». Hoc Valentinae synodi judicium omnino ratum habuit concilium Lingonense (a. DCCCLIX); in quarto enim canone : « Capitula », ait, « XIX syllogismis ineptissime ac mendacissime a quodam Scoto conclusa, ubi non argumentum fidei, sed potius commentum perfidiae patet, nulla omnino philosophiae arte, ut arroganter a quibusdam jactatur, constructum, sed inani fallacia et deceptione imperitissime conclusum, a pio fidelium auditu penitus explodimus (*i*) ». Tradunt etiam Nicolaum I, Pont. Max., horum conciliorum canones apostolicae sedis auctoritate confirmasse (*j*). Scotus autem, quantum scimus, ad haec sese ne commovit quidem; quam rem Staudenmaierus ipsi (cf. Staud. p. 196-197) in laudem vertit.

Venimus nunc ad alteram illam theologorum controversiam, cujus Scotum participem fuisse diximus.

Paschasius igitur Radbertus (*k*) (a. DCCCXLIV.) opus suum « de corpore et sanguine Domini », jam dudum illud quidem ante compositum, sed tunc cum maxime pluribus locis emendatum, Carolo Calvo, quippe qui ipsum petiisset, dono misit (*l*). Quamquam autem totus est in eo, ut catholicorum dogma de transsubstantiatione (etsi hoc nomine uti nondum potuit) argumentis tum ex S. Scriptura tum ex SS.

(*a*) Cf. S. Prud. de Praed. adv. Scot. praef. Max. bibl. Patrum Lugd., tom. XV, p. 467 F.

(*b*) Cf. not. prox. superiorem.

(*c*) Cf. Eccles. Lugd. lib. adv. Scoti erroneas definitiones. Max. bibl. patrum. l. l. p. 611 seqq. Quis hunc librum composuerit, incertum est. Sunt, qui Florum, Lugdunensis Ecclesiae diaconum, ejus auctorem dicant; sunt contra, qui eum S. Remigio, archiep. Lugd., aut Ebboni, episc. Gratianopolitano, adscribant. Cf. Ludov. Cellot. S. I. hist. Gothesc. p. 140 seq.

(*d*) Cf. Eccles. Lugd. lib. praef. l. l. p. 611 H.

(*e*) Cf. S. Prud. l. l. p. 519 H seq.

(*f*) Cf. Conc. Valent. apud Mansi. l. l. tom. XV, col. 1 seq.

(*g*) Cf. l. l. can. VI, col. 6 D seq.

(*h*) Cf. l. l. can. IV, col. 5 D.

(*i*) Cf. Mansi. tom. XV, col. 538 A-B.

(*j*) Mab. in Ann. libro XXXV, n. 58 rem dubiam relinquit; Schlueterus (l. I. p. IV) haec habet : « Nic. I canon. conc. Val. . . confirmavit »; addens : « « Venenum » » dogmatum Erigenae perstringebatur, ipse tamen Erigena haud damnatus est ».

(*k*) Hic in Suessionibus humillimo, ut videtur, loco ortus jam a puero monasteria resque monachicas secutus, tandem in Corbeiense coenobium se contulit, cujus primum monachus deinde antistes evasit. Vixit autem per primam seculi noni partem dimidiam, atque ab eruditione ac doctrina, quae illorum temporum est ratio, admodum instructus fuit. Cf. *Hist. littér. de la France*, tom. V, p. 287 seq., quique eo loco citantur auctores.

(*l*) Cf. Marten. et Durand. vet. script. et monument. amplissima Collect. tom. IX, col. 374 A seq., quo loco ipsum quoque Paschasii opus cum Praefationibus ad Carolum typis descriptum est.

Patrum operibus prolatis defendat atque confirmet: tamen, quum nova quaedam atque ad id tempus inaudita aspersisse videretur nonnullis, quae alicubi offensionem parerent, in hoc ejus libro occurrerunt. Cujus generis exempla (*a*) sunt haec: « (S. Eucharistia) non alia plane (caro) est, quam quae nata est de Maria, et passa in cruce, et resurrexit de sepulcro (*b*) ». — « Vera utique caro Christi, quae crucifixa est et sepulta, verum illius carnis sacramentum quod per sacerdotem super altare in verbo Christi per Spiritum S. divinitus consecratur (*c*) ».

Itaque Carolus Calvus, cui forsitan et ipsi res illae minus probarentur, Ratramnum Corbeiensem (*d*) et Joannem Scotum (*e*), ut, quae vera esset S. Scripturae et SS. Patrum de corpore et sanguine Domini sententia, scriptis persequerentur, voluntate atque auctoritate sua excitavit. Ratramni liber exstat, Scoti invidia temporum est absumptus.

Neque tamen hoc loco non sunt commemorandae, quae super libris eorumque auctoribus inter viros doctos exortae sunt dissensiones. Fuerunt igitur, qui unum modo de S. Eucharistia opus, quod Ratramni esse diximus, Caroli jussu conscriptum esse putarent, neque id Ratramno, sed Scoto adscriberent. His autem jam pridem ita satisfactum est, ut, qui hodieque illum librum non ad Ratramnum, sed ad Scotum auctorem referat, inveniatur nemo (*f*). Quae pugna postquam desiit, in aliam quandam de illo Scoti libro suspicionem ventum est. Hanc vero causam ita optime et facillime dijudicare posse videmur, si antea, quibus potissimum argumentis, Scotum de S. Eucharistia scripsisse, efficiatur, paulo accuratius a nobis fuerit explicatum. Habentur autem ejus rei testes cum ipsius Scoti aequales, tum vero Berengarius Turonensis quique cum hoc vixerunt homines docti. Atque illius generis sunt Adrevaldus, monachus Floriacensis, vir a doctrina A summopere laudatus (*g*), et Hincmarus, archiepiscopus Remensis. Composuit enim Adrevaldus « opusculum de corpore et sanguine Domini contra ineptias Joannis Scoti », cujus libelli insigne fragmentum edidit Luc. Dacherius in « veterum scriptorum Spicilegio (*h*) ». Hoc fragmentum nihil aliud agit, nisi ut S. Hieronymi, S. Augustini, S. Gregorii papae locis quam plurimis veram Jesu Christi in S. Eucharistia praesentiam ostendat atque confirmet. Minus quidem apertum est Hincmari testimonium, nec tamen id, quod prorsus sit negligendum. Acerbe enim in libro suo de Praedestinatione (*i*) notans errores aliquot, in quos incidissent S. Prudentius et Joannes Scotigena: « Sunt et alia », inquit, « quae . . . contra Fidei Catholicae veritatem dicunt: videlicet . . . B quod sacramentum altaris non verum corpus et verus sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis et sanguinis ejus ». Quae res, cum in S. Prudentium nullo pacto cadere queat (*j*), in Joannem Scotum cadat, necesse est. Quod si in Scotum cadit, ex libro aliquo ipsius viris doctis petita videtur, ideo quod reliquos fere errores, qui ab Hincmaro ibidem perstringuntur, in libris ipsius hodieque legimus.

Haec vero, si quid scrupuli in animo nostro relinquant, totum id a Berengario Turonensi et quidquid fere doctorum hominum cum eo vixit, inde eximetur. Nam, ut paucis hanc rem comprehendamus, praeter ipsum Berengarium, qui innumeris fere locis librum Joannis Scoti de S. Eucharistia laudat, qui eum Caroli regis jussu adversus Paschasium C scriptum esse ait, ejusque placita sibi sola probari contendit (*k*), non solum singuli homines docti, qui vel privatim vel publice in theologorum conventibus cum ipso egerunt (*l*), verum etiam omnes propemodum synodi, quibuscum res fuit Berengario, quaeque magnam partem ab insigni episcoporum doctorumque hominum frequentia sunt habitae (*m*), Joan-

(*a*) Cf. Dr. I. I. Ritter, *Handbuch der Kirchengeschichte*, edit. II, vol. II, p. 186-194.

(*b*) Cf. Paschas. cap. I (apud Mart. et Dur. l. l. col. 383 A seqq.).

(*c*) Cf. Paschas. cap. IV (apud Mart. et Dur. l. l. 391 D. seqq.).

(*d*) Cf. Ratramn. de Corp. et Sang. Dom. praef. ad Carol. Calv. Editus est hic liber in Gallicum sermonem conversus a Jacob. Boileau. Parisiis a. MDCCXII 12 mo: latinus prodiit Colon. a. MDXXXII et saepius, nec tamen ut Ratramni liber, sed ut Bertrami. Verum his duobus nominibus unum eundemque hominem significari docet Mabillon. Act. Bened. saec. IV, pars II praef. n. 81.

(*e*) Cf. Bereng. Turonens. epist. ad Richard. abb. apud Mansi in Conc. Collect. tom. XIX, col. 785 B seq.

(*f*) Cf. Mab. act. Bened. sec. IV, pars II praef. n. 81 — 89; Jacob. Boileau. in praef. ad Ratramn. de corp. et sang. Domini; *Hist. littér. de la France*, tom. V, p. 337 seqq. Dr. I. I. Ritter, *Handbuch der Kirchengeschichte*, edit. II, vol. II, p. 192 seqq.; Dr. I. I. I. Döllinger, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, vol. I, p. 409.

(*g*) Cf. *Hist. littér. de la France*, tom. V, p. 515 seq.

(*h*) Cf. Spicileg. edit. I. Paris. a. MDCLV seq. 4to tom. XII, p. 30 seq., et edit. II. Paris. a. MDCCXXIII seqq. fol. tom. I, p. 150 seq. Scribunt praeterea de Adrevaldi libro cum alii, tum *Hist. littér. de la France*, tom. V, p. 519.

(*i*) Cap. 31.

(*j*) Cf. Mab. act. Bened. sec. IV, pars II praef. n. 132.

(*k*) Cf. Bereng. epist. ad Richard. apud Mansi. l. l. tom. XIX, columna 735 A seq. Ejusd. epist. ad Lanfranc. apud Mansi. l. l. columna 768 A-B. D Ejusd. epist. ad Ascelin. apud Mansi. l. l. columna 735 C-776 D. Eadem plane res saepissime etiam in illo Berengarii libro legitur, quem G. E. Lessing. ex biblioth. Guelferb. primus eruit.

(*l*) Cf. Lanfranc. comm. contra Bereng. ap. Mansi. l. l. col. 759 D et sæpius. Durand. abb. Troarnens. ap. Mansi. col. 782 D — E. Ascelin. epist. ad Bereng. ap. Mansi. l. c. 777 A — C. Anonymus (qui conciliis advers. Berengarium habitis se interfuisse scribit) in opusc. de Bereng. damnatione multiplici ap. Mansi. l. l. col. 757 E.

(*m*) De synodo Vercellensi (a. ML) cf. Mansi. l. l. col. 757 E seqq. et col. 773 E et col. 778 E: — de synodo Romana (a. MLIX) ibid. col. 902 A - B. et col. 759 A: — de synodo Parisiensi (a. ML) cf. Durand. Troarn. ap. Mansi. l. l. col. 782 E: de synodo Turonensi (a. MLIV) cf. Guil. Malmesb. ap. Thom. Gale. l. l. testim., p. 8.

nis Scoti librum de S. Eucharistia noverunt, legerunt, damnaverunt. Nec quisquam inter tantam summorum virorum multitudinem, qui tot per annos continenter fere Berengariana causa fuerunt occupati, exstitisse narratur, cui alid de illius libri auctore in mentem venerit. Quare profecto mirum esse non potest, qui factum sit, ut ab illis usque temporibus apud omnes omnino historicos criticosque ita constiterit: composuisse Scotum Caroli regis jussu adversus Paschasium librum de S. Eucharistia, quo libro postea Berengarius usus sit.

Nostra autem aetate fuit, qui diceret, librum illum Berengarianum non fuisse Scoti, sed Ratramni *. Hunc falso adscriptum esse Joanni Scoto. Quare ne hoc quidem certum esset, an Scotus ullum unquam de S. Eucharistia opus excuderit (a).

Verum enimvero quamvis acute atque subtiliter ille in disputando sit versatus, id tamen, si quid videmus, non est assequutus, ut tam antiqua nos possessione exturbaret. Hoc ut planum fiat, paucis rei summam proponemus atque examinabimus (b).

Quod primum, quaecunque Berengarius ejusque aequales de Scoto suo dixissent, etiam de Ratramni libro dici posse affirmavit, ac jam inde, libros illos non duos, sed unum eundemque fuisse, conclusum voluit, est istud quidem aliquid, verum in eo nequaquam sunt omnia. Haberet certe jus suum ita concludendi, si pluribus ille Scoti liber nobis descriptus esset, quae omnino in Ratramni opus quadrarent, nec facile in duobus duorum auctorum libris tam inter se similia possent reperiri. At paucissima tantum de Scoti libro commemorantur, atque ea, ex quibus facilius colligas, diversum illum a Ratramni libro fuisse, quam cum hoc unum eundemque.

Est quidem, ut nonnullae res de Scoto sint scriptae (c), quae eodem fere pacto ad Ratramnum transferri queant; verum his ideo parum moveamur necesse est, quod illis temporibus auctores, super eadem re scribentes, iisdem prope argumentis, iisdem fere locutionibus, non dissimili scribendi genere etiam saepius sunt usi (d). Neque desunt contra, quae ex Scoto nobis innotuerint, nec tamen satis commode ad Ratramnum pertinere videantur (e). Dicuntur haecce paululum revecta ad Ratramnum posse appellere: verum enimvero, si jam alieno sunt loco, etiam hoc quaeritur, num forte paululum revecta ad longe alium auctorem appellere possint.

Plurimum tribui videmus (f) Ascelino, qui in epist. ad Berengarium ita de Scoto scripsit: dixisse eum in exponendo orationem illam Gregorianam (g) « inter caetera fidei nostrae contraria: «« specie geruntur ista, non veritate »». Quibus Ascelini verbis hic Ratramni locus notatus esse creditur: «« Perficiant in nobis, Domine, quaesumus, tua sacramenta, quod continent, ut, quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus »». « Dicit (scilicet oratio illa), quod in specie gerantur ista, non in veritate, id est, per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem. Differunt autem a se species et veritas. Quapropter corpus et sanguis, quod in ecclesia geritur, differt ab illo corpore et sanguine, quod in Christi corpore per resurrectionem jam glorificatum cognoscitur. Et hoc corpus pignus est et species, illud vero ipsa veritas. Hoc enim geritur, donec ad illud perveniatur ». Ubi vero ad illud perventum fuerit, hoc removebitur. Quae sunt in hoc loco fidei nostrae contraria? Ipse Lanfrancus, acerrimus Berengarii adversarius, simili ratione locutus est (h). Ubi hoc loco Ratramnus, suis ipsius verbis usus, « specie », inquit, « geruntur ista, non veritate », Ecclesiae verba secundum Ecclesiae sententiam explicat. Quodsi hanc rem cuiquam auctori vitio dare potuit Ascelinus, tribus Anticyris caput ejus insanabile fuisse oportet. Longe alium Erigeniani illius loci, quem Ascelinus ob oculos habuit, ex ipsius Ascelini verbis contextum, qui

(a) Cf. F. W. Laufs: Ueber die für verloren gehaltene Schrift des Joh. Scotus von der Eucharistie, in libro, qui inscribitur: *Theologische Studien u. Kritiken* von Dr. Ullmann u. Dr. Umbreit. I, 4, p. 755 seq.

(b) Quamquam haec res digna est, quae accuratius exploretur. Multae autem sunt causae, quae nos, quominus jam nunc id praestemus, impediant.

(c) Cf. Laufs. l. l. p. 763, 765. Quae p. 763 leguntur: « Caroli Magni, antecessoris »..., apud Dacherium, ita se habent: « Caroli Magni antecessoris... » Apud Mansi. (conc. Coll. tom. XIX, col. 736 A) scriptum est: « Caroli magni antecessoris ». Quod si in illa Berengarii epist. ad Richard. potest legi: « noverit » (Henricus I, rex Gallorum), « quae scribit Joannes Scotus, monitu eum scripsisse praecarioque Caroli magni antecessoris sui... », quo jure ex hoc loco colligitur, librum illum, quem spectat Berengarius, eodem modo, ac Ratramni opus, scriptum fuisse et missum ad « Carolum magnum imperatorem »? Deinde haec ipsa verba, Ratramni libro praemissa, non ipsius Ratramni esse credimus: nam in antiquissimo codice ms., quem Mabill. (acta Bened. saec. IV. tom. II. praef. n. 83) vidit, ita scriptum fuit: « Incipit liber Ratramni de corpore et sanguine Domini. Jussistis, gloriose Princeps ». Nihil denique est in eo, quod Scotus, eodem pacto, quo Ratramnus, Caroli jussu scripsisse dicitur, quum in Gothescalci causa et Ratramnus et Lupus Ferrariensis jubente, et Scotus « annuente » Carolo libros suos composuerint.

(d) Cf. Mab. acta Bened. sec. IV. p. II. praef. n. 88.

(e) Cf. Laufs. l. l. p. 764, 765, 766 not. h, 768.

(f) Cf. Laufs. p. 757 — 760.

(g) *Perficiant in nobis tua, Domine, sacramenta, quod continent, ut, quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.*

(h) Cf. Mab. acta Bened. sec. IV. p. II. praef. n. 88.

* Id quod et nobis verisimillimum esse videtur, uberiusque a nobis disceptatur in *Prooemio*. Omnino a scriptore commentationis in iis, quae de hoc capite protulit, non possumus quin dissentiamus. Cf. *Prooemium*. ANIMADV. EDIT.

vocatur, statuendum esse, neminem non videre putamus.

Pluribus ita de hoc Ascelini loco egimus, quia plurimum, quod contra nostram sententiam pugnet, continere putatus est, quum tamen multo plus, ut vidimus, quod pro nostra sententia pugnet, contineat.

Quae deinde memoratu digna videantur ex iis, quibus impugnamur, haec sunt. « Anonymus ille Cellotianus (*a*) de controversia Paschasiana scribens, quum aliorum scripta tum Ratramni librum novit, nullum vero Scoti (*b*) ». At ille Anonymus plures libros, qui ad illam rem pertinent, non citavit: velut Heimonis, episc. Halberstadiensis (*c*). Neque hercle plus inde colligi potest, quod « Sigebertus Gemblacensis et alii, qui de scriptoribus ecclesiasticis disseruere, Scoti librum de S. Eucharistia non laudaverunt »: neminem enim illorum auctorum, qui satis accurate Scoti libros recensuerit, invenimus. Sigebertus praeter versionem Areopagitae, cujus (cap. 94.) meminit, nullum prorsus commemorat.

Restat, ut, quae praeterea defendi posse videantur, breviter adstricta proponamus. Primum igitur Ratramni libro non continetur ea, quam Berengarius amplectebatur, de S. Eucharistia opinio. Berengarius enim panis vinique substantiam non remanere negabat (*d*): Ratramnus, etsi obscura interdum atque ambigua utitur oratione, hac tamen in re a catholicae Ecclesiae sensu non recessit (*e*). Deinde illis temporibus, quibus pugna Berengariana flagrabat, atque Joannis Scoti liber identidem legebatur damnabaturque, Ratramnus illius operis, quod ab eo scriptum scimus, auctor et conditor notus fuit. Anonymus quidem ille Cellotianus, sive cum Mabillonio Herigerum, abbatem Laubiensem (*f*), qui a. MVII mortuus est, eum dicimus, sive, ut Pezius ostendere conatur (*g*), Gerbertus, qui postea summi pontificis sedem obtinuit, is est habendus, certe haud ita multo ante Berengarianos motus Ratramnum sui libri conscriptorem fuisse testatus est. Huc accedit, quod Mabillonius duos vidit Ratramni codices manuscriptos, qui Berengarii aetatem facile superarent, Ratramni nomine signatos: quorum alter in indicem librorum, a. MXLIX confectum, ut Ratramni liber relatus fuit (*h*).

Quibus igitur ita expositis Scoto opus suum de S. Eucharistia satis grandi argumentorum pondere vindicasse videmur.

A Atque hoc loco satis mirari non possumus, quid factum sit duumviris Staudenmaiero et Schluetero, qui vix (*i*) ac ne vix quidem (*j*) dubitantes, quin Scotus Berengarii temporibus falso illius libri auctor habitus sit, confidentissime nihilominus affirment, hominem et scripsisse cum Ratramno contra Paschasium, et, id quod Schlueterus, Staudenmaierum interpretatus, ait: « cum Ratramno spirituale potissimum dogmatis momentum illustrasse ». Hujus enim rei, sublatis Berengarianae aetatis testimoniis, nec ulla indicia manent (*k*). Adrevaldum quidem Floriacensem et Hincmarum Rhemensem, quos supra audivimus, si quem Scoti librum perstrinxere, non eum, quo Berengarius usus est, petiisse arbitramur. Quod mox patebit.

B Acerba profecto libri hujus Erigeniani fata fuere. Berengarius enim illum doctrinae suae auctorem laudans, mortifera illi vulnera inflixit. Lectus et damnatus est Parisiis, in concilio (a. ML.) sub rege Henrico habito (*l*); lectus et « sub anathemate » damnatus est in synodis Vercellensi et Romana (a. ML.) sub Leone IX, Summo Pontifice, congregatis (*m*). Postero tempore pejus etiam in eum consultum est. Nicolaus enim II, Pontifex Maximus, cum concilio Romano (a. MLIX.) Berengarium, ut ipse eum, omnibus, qui aderant, inspectantibus, accenso ad id foco injiceret, sua auctoritate coegit (*n*).

Quam denique Scotus sententiam de corpore et sanguine Domini proposuerit, quum ipsius liber jam pridem visus non sit, conjiciendum est ex Beren-
C garii opinionibus, utpote qui continenter ipsum suae doctrinae auctorem jactare sit solitus (*o*). Hanc vero illa potissimum Berengarii adversus Lanfrancum scriptione, quam G. E. Lessingius, eo usque recentioribus incognitam, ex Guelferbytanae bibliothecae latebris protraxit, quantum satis est, in aperta luce collocatam atque in vulgus notam esse constat (*p*); quapropter si eam hoc loco explicare velimus, acta tantum agere videamur.

Hic autem difficultas quaedam nobis occurrit. Ex iis enim, quibus ab Adrevaldo et Hincmaro Scotum notari diximus, apparet, veram ipsum ac realem, quam vocant, Jesu Christi in S. Eucharistia praesentiam omnino negasse. Id vero, quum nec Berengarius ausus sit docere, nec a Berengarii adversariis
D in Scoto culpatum inveniatur, in illo ipsius libro, quem Berengarius habuit, nostra quidem sententia, repertum non est. Non tamen in Scoto hoc mirum

(*a*) Cf. P. L. Cellotii Histor. Gothescalci praedest. Paris. MDCLV. fol. In Append. p. 539-548.
(*b*) Cf. Laufs. l. l. p. 779.
(*c*) Cf. *Hist. littér. de la Fr.* tom. V. p. 124.
(*d*) Cf. Ritter. *Handb. der Kirchengesch.*, edit. II, vol. II, p. 211.
(*e*) Cf. Mab. acta Bened. sec. IV, p. II, praef. n. 91 seq. *Hist. littér. de la France*, tom. V, p. 335 seq. Quare etiam Centuriat. Magdeb. (cent. IX, cap. de doctr. et cap. de ceremoniis) libenter hoc largiuntur, habere Ratramnum transsubstantiationis semina!
(*f*) Cf. Mab. acta Bened. saec. IV, p. II. praef. § III.
(*g*) Thsesaur. anecdot. tom. I, dissert. isagogic. p. LXIX.

(*h*) Cf. Mab. l. l. praef. n. 83. Du Pin. nouv. biblioth. tom. VII, p. 68, 1. *Hist. litt. de la Fr.*, tom. V, p. 339.
(*i*) Cf. Staudenm. I. Scot. Erig. p. 202-203.
(*j*) Cf. Schlueter I. Scot. Erig. de div. Nat. libri V, p. V.
(*k*) Cf. Laufs. l. l. p. 768-779.
(*l*) Cf. Mansi. tom. XIX, col. 782 E.
(*m*) Cf. Mansi. l. l. col. 757 E seq., col. 773 E, col. 778 E, col. 760 D seq.
(*n*) Cf. Mansi. l. l. col. 902 A—B, col. 759 A.
(*o*) Cf. Ritter. l. l. vol. II, p. 189, et supr. col. 36, not. *k*.
(*p*) Cf. Ritter. l. l. vol. II, p. 211 seq.

videtur. Saepius enim frontibus adversis secum pugnantia composuit (*a*).

Neque deest, quare Adrevaldum et Hincmarum non nihil secutus esse dixeris. Est enim inter Scoti carmina, quae Schlueterus ex palimpsestis Angeli Maii a se edita scribit, unum (*b*), quod non obscure istum errorem significat. Descripto paschate Israelitarum, mare rubrum transeuntium, ita pergit :

« Haec quondam fuerunt venturi ἰνδάλματα Christi,
  In quo collucent, quae latuere diu.
Qui solus victor prostrato principe mundi
  Transacto triduo prosilit ex Erebo.
Ac primus calcans mortem transivit in alta,
  Solus nam liber nomine tartareo.
Sanguinis et proprii fundens libamina pura
  Mundo salvato pascha novum dedicat.
Sponte sua Dominus se mactat ipse sacerdos,
  Quae Patri placens hostia sola fuit.
Hostia, quae totum purgavit crimine mundum,
  Mundum, quem potuit perdere primus homo.
Ex uno veniens mors est expulsa per unum ;
  Morte bona vitae mors mala victa perit.
Primitiae Christus reseravit septa sepulcri
  Nostrae Naturae perdita restituens.
Harum nunc rerum celebrantur symbola sacra
  Dum parent oculis, mentibus nota prius,
Dum corpus Christi, dum sacri sanguinis undam
  Et pretium mundi mens pia corde sapit,
Dum memores coenam Domini revocamus in annos,
  Dum plures odas consonat ipse chorus.
Aeternis epulis, quas mystica signa figurant,
  Digneris Carolum pascere, Christe, tuum. »

Huc item pertinet locus ille de sancta Eucharistia, quem Hoeflerus (*c*) ex commentario quodam ad Pseudo-Dionysii Areopagitae hierarchiam coelestem, quem Scotus noster scripsisse traditur (*d*), protulit. Ipse locus hic est : « Sequitur : et in unum principationis (*e*) ipsam divinissimae Eucharistiae assumptionem. Intuere, quam pulchre, quam expresse asserit, visibilem hanc Eucharistiam, quam quotidie sacerdotes Ecclesiae in altari conficiunt, typicam esse similitudinem spiritualis principationis (*f*) Jesu, quam fideliter solo intellectu gustamus, hoc est, intelligimus, inque nostrae naturae interiora viscera sumimus, ad nostram salutem et spirituale incrementum et ineffabilem deificationem. Oportet ergo, inquit, humanum animum ex sensibilibus rebus in coelestium virtutum similitudinem et aequalitatem ascendentem arbitrari, divinissimam Eucharistiam visibilem, in Ecclesia conformatam, maxime typum esse participationis (*g*) ipsius, qua et nunc partici- A pamus Jesum per fidem, et in intero (*h*) participabimus (*i*) per speciem, eique adunabimus (*i*) per caritatem. Quid ergo ad hanc magni theologi Dionysii praeclarissimam tubam respondent, qui visibilem Eucharistiam nil aliud significare praeter se ipsam volunt asserere? Dum clarissima tuba praefata clamat, non illa sacramenta visibilia colenda, neque pro veritate amplexanda, quia significativa veritatis sunt, neque propter se ipsa inventa, quoniam in ipsis finis intelligentiae non est, sed propter incomprehensibilem veritatis virtutem, quae Christus est, in unitate humanae divinaeque suae substantiae ultra omne quod sensu sentitur corporeo, super omne, quod virtute percipitur intelligentiae Deus invisibilis in utraque sua natura » *.

B

CAPUT V.

Cum de aliis quibusdam rebus, quæ præterea ad Scoti vitam illustrandam pertineant, tum præcipue de ultimis ipsius fatis.

Postquam igitur Scotus, ut longe veri simillimum esse probavimus, circiter annum DCCCXLV ad Carolum Calvum venit, is multos annos deinceps non solum convictorem eum atque amicum habuit, verum etiam, quod item pluribus a nobis est relatum, ut res multas easque graves exsequeretur, voluntate sua commovit. Eo autem loco et honore quamdiu Scotus permanserit, incertum est : quamquam hoc satis exploratum habere videmur, illud tempus, quo inde abiit, vix ante annum DCCCLXIII fuisse. Namque, ut alia minus certa mittamus (*j*), exstat poëma quoddam Scoti ad Carolum (*k*), in quo manifestissima C reperiuntur vestigia, illum, quo id tempore scripserit, adhuc in Caroli regia haesisse, quodque, quoniam in victoria, quam Carolus brevi ante de Northmannis pepererit, pro more gloriatur, anno DCCCLXII scriptum esse oportet (*l*).

At si non in regia, certe tamen in regno Caroli usque ad annum DCCCLXXIII vixit. Quod illi versiculi testantur, quorum jam supra (*m*) mentio est injecta. His enim Hincmarus (Remensis), Liuddo quidam, homo Graecus, qui apud Hincmarum fuisse videtur (*n*), atque Joannes VIII, Pont. Max., quem exeunte anno DCCCLXXII. in illo dignitatis gradu collocatum esse constat, admodum honorifice com-

(*a*) Cf. Scoti lib. de div. Nat.
(*b*) Carm. 3 de Paschate (Angelo Mai class. Auct., t. V, p. 432. Schlueter p. 597.)
(*c*) Die deutschen Papste. Abtheil. II, p. 80.
(*d*) Cf. inf. Cap. VI extr. de scriptis Erigenae dubiis. Nro. III.
(*e*) Videtur, legendum esse « participationis ». Cf. inf. not. *g*.
(*f*) Cf. not. *e*.
(*g*) Ex his locis patere videtur, quo jure supra not. *e* legendum esse arbitrati simus Pro « principationis » — « participationis ».
(*h*) « futuro ».
(*i*) adunabimur.
(*j*) Velut illam epistolam, quam Nicolaum I, Pont. Max. de Joanne nostro ad Carolum Calvum scri- D psisse (Cap. III) narravimus. In ea enim, ut habetur apud Bulaeum, Erigena « studii Parisini » (id est scholae palatinae, quam vocabant) jam olim « capital fuisse » dicitur. Ex his colligas, quo tempore Nicol. I. illam epistolam composuit, eo Scotum adhuc in « palatio » regis habitasse. Convenit autem, ut diximus, inter omnes, aut anno DCCCLX aut quinquennio post eam esse scriptam.
(*k*) Carmen 1, Angelo Mai l. l. p. 426 seq. Schlueter, p. 593-595.
(*l*) Cf. Mabill. annal. lib. XXXV, n. 93-94 et 107 extrem.
(*m*) Cf. cap. I, col. 6, not. *h*.
(*n*) Cf. Mabill. annal. lib. XXXV, n. 58; XXXVIII, n. 72.

* Locus depravatus et ex parte mutilus est. Integer et ad trium codicum fidem castigatus extat in J. Scot. expositionibus, a nobis nunc primum editis, infra col. 140. Respice ea, quae ibi in hunc locum animadvertimus. Animadv. Edit.

memorantur *. Atque illos versiculos extremo vitae tempore, ut opinamur, condidit. Neque enim, quod postea scripserit, reperitur quidquam (*a*), et vix triennio interjecto Anastasius, bibliothecarius Romanus, in epistola ad Carolum Calvum missa, ita de eo mentionem fecit, ut eum tunc jam mortuum fuisse credas. Conquestus enim de eo, quod in vertendo Areopagita tam obscurus fuerit, haecce adjicit (*b*) : « Quod eum non egisse ob aliam causam existimo, nisi quod, cum esset humilis spiritu, non praesumpsit verbi proprietatem deserere ». Haec epistola, ut in codice ms. Patrum Soc. Jes. Bituricensium lectum esse ait Natal. Alexander, scripta est « X. Cal. Aprilis, indictione VIII », qui est annus DCCCLXXV.

Certiora hujus rei indicia ad nostram aetatem non pervenerunt. Neque ullo testimonio, cui quidem sine erroris periculo credere possimus, inter rerum auctores vel hoc constare reperitur, quo loco Erigena vitam posuerit, præterquam quod Mabillonius « videtur », ait, « in Francia perseverasse ».

Sunt quidem qui Scotum diutius vixisse, atque adeo circiter annum DCCCLXXX ab Alfredo Magno in Angliam accersitum esse contendant, sed eorum causa sic profecto est comparata, nullam ut iis fidem habere queas. Quod mox videbimus.

Plura omnino Joanni nostro scripta tribuuntur : quorum partim, utpote quibus certus quidam locus videretur convenire, eo jam satis, opinamur, copiose descripsimus, partim infra, cum nihil plane de iis memoriae sit proditum, nisi hoc ipsum, Erigenam esse eorum auctorem, peculiari capite recensere in animum induximus.

Quoniam autem hominibus et ingenio et doctrina praestantibus solenne est, ut, qui eorum disciplinam sequantur, habeant, complures arbitramur praecipuam Erigenae operam dedisse, ejusque sectatores exstitisse, praesertim cum celeberrimae illi « scholae palatinae » praefuisse credatur. Quamquam vix unus eorum nominatim potest proferri. Sola enim historia episcoporum Antissiodorensium quendam Scoti discipulum novit, Humbaldum Cameracensem; quem ab omnis doctrinae elegantia summopere instructum fuisse scribit (*c*). Deinde hoc loco id quoque monitum velimus, quod Scotus ipse in fine librorum de Naturis (*d*) hominem compellat, quo utatur familiarissime, cujusque et exhortationibus et solertia illud opus inchoatum ac perfectum sit. Quem autem

A dicat, ignotum est. Petrus Alixius eum fuisse existimavit Wulfadum, primum Remensem canonicum, postea Bituricensem episcopum (*e*). Hanc Alixii conjecturam Schlueterus (*f*) ut rem confessam recepit.

Quaesitum est etiam, num Erigena clericus fuerit, necne. Negant Hiortius (*g*), Thomas Moore (*h*), Natal. Alexander (*i*), Mabillonius (*j*) : veri simillimum putant Hockius (*k*), Staudenmaierus (*l*) : affirmat « (licet alii dubitent) », Schlueterus (*m*). Sed qui negant, multo magis, quam qui affirmant affirmarintve, rebus certis factisque nituntur. Hi enim, quae sequantur, in eo posita esse dicunt, quod Scotus theologiae ac philosophiae studio unice deditus fuerit, eumque, orta de rebus theologicis rixa, vel episcopi, ut suam de illis sententiam proponeret, rogaB verint; hasce autem res illa aetate, nisi in homine clerico, vix aut ne vix quidem usu fuisse venturas. Quasi vero, qui tunc aliquo casu, forsitan ipsa natura ferente, in scholis ad philosophiae et theologiae studia delatus ea adamasset, ut in iis perstaret, clericus debuisset evadere! Episcopus autem illos tum Erigenam adiisse constat, quum, rebus suis admodum angustis, a quo defenderentur, vix haberent quemquam. Quare nos magis altera illa ratio movet: idque vel hac sola de causa, quod, etsi illis temporibus more fuit receptum, ut, qui aliquem clericatus gradum obtinuisset, continenter fere eo nomine appellaretur, Scotus tamen nec ab aliis scriptoribus, qui cum eo vixerunt, nec a semet ipso appellatus invenitur, nisi « Scotigena », « Scotus ille », « extremus
C sophiae studentium », et quae sunt generis ejusdem.

Haud facile crediderimus, inter homines, qualis Erigena fuit, quemquam exstitisse, de quo majora controversiarum multitudine ab historicis agitatum sit. Itaque, quamvis magnam earum numerum jam attigerimus, una tamen est reliqua. Narrant (enim) permulti auctores, contra quod nobis in Gallia, ut diximus, mortuus esse videtur, eum ab Alfredo Magno (circiter a. DCCCXXXV) in Angliam, ut doctrinae suae Anglis hominibus copiam faceret, accersitum esse; hic ad abbatis dignitatem eum pervenisse et, quum violenta nece occidisset, etiam in « sanctorum martyrum » numero esse habitum. Hanc narrationem his ducentis fere annis, cum eo usque diu inconcussa stetisset, Mabillonio (*n*) duce ac signifero
D diligentissimi quique historici acerrime impugnarunt. Nostra autem aetate exstitit, qui rem desperatam in pristinum restituere conaretur (*o*). Hoc, quam non

(*a*) Cf. Mabill. annal. lib. XXXVIII, n. 72.
(*b*) Cf. Natal. Alex. dissertat. XIV. in hist. eccles. seculi IX. et X. et § 1, n. VI.
(*c*) Cf. Thom. Gale. I. Sc. Erig. testim. p. 5.
(*d*) V, 40.
(*e*) Cf. Thom. Gale. l. l. append. p. 80. De Wulfado cf. *Hist. litt. de la Fr.* tom. V, p. 477.
(*f*) Cf. I. Sc. Erig. p. 592.
(*g*) Cf. I. Sc. Erig. p. 46.
(*h*) Cf. hist. of Irel. vol. I. l. 13.
(*i*) Cf. Dissertat. XIV. in hist. eccles. sec. IX et X. § I. n. II.
(*j*) Cf. Acta Bened. sec. IV. p. II. pag. 510; annal. Bened. lib. XXXVIII. n. 72.
(*k*) Cf. Ephemer. Bonnens. fasc. XVI. p. 56.
(*l*) Cf. I. Scot. Erig. p. 124.
(*m*) Cf. I. Scot. Erig. p. III.
(*n*) Cf. Acta Bened. sec. IV, tom. II, p. 506 seq.
(*o*) Dicimus Staudenmaierum; cf. ejus librum, qui inscribitur : Joannes Scotus Erigena etc. cet. p. 110 seq. Huic adsentitur Schlueterus in sua librorum de div. Nat. editione p. V seq.

* Luiddonem Graecum fuisse, istis versibus reapse non sequitur. Ipsius mentio fit apud Flodoard, Hist. Rhem. III, 12, 13. Animadv. Edit.

consecutus sit, licet plausorem suum invenerit, paucis, opinamur, declarari potest.

Quantamcunque, qui rem defendunt, testimoniorum farraginem congerunt (*a*), antiquissima ab iis scriptoribus repetunt, qui ducentis, et amplius, annis post Scotum vixerunt : Ingulfum dicimus abbatem et Guilelmum Malmesburiensem. Ad horum fidem, qui postea scripsere, sese fere recipiunt. Cum Malmesburiense quidem illi, quos inter reliquam turbam habent velut inter ignes lunam minores, ad verbum fere consentiunt, praeterquam quod, ubi ille cautius dubitat, hi plerumque confidenter affirmant : nec ullo pacto, id quod jam Natalis Alexander vidit, dubitandum est, quin ille ab his ad verbum transcriptus sit (*b*). Quare ad Ingulfum et Malmesburiensem, tanquam ad triarios, res venit. Hi autem, quamvis disertis verbis illam narrationem tradiderint, tamen, cum *neque ii sint* auctores, quos admodum fide dignos habere soleant, et, id quod supra jam monuimus, primi post Scoti aetatem, a qua ducentis et amplius anni absunt, de Scoto in Angliam profecto sermonem faciant, magno opere considerandum est, quanta iis fides hac in re sit habenda, aut potius, num forte propter diversas argumentorum rationes omnis hac in re fides iis sit abroganda. Atque diversa ab eorum testimonio argumenta habemus sane gravia. Primum enim Asserus Menevensis, Bancorensis abbas et Schireburnensis episcopus, quem Alfredus propter eximiam litterarum scientiam ad se vocaverat, cujusque fidelissima opera in optimarum artium studiis bene instituendis utebatur, in Vita Alfredi a se scripta accuratissime doctorum virorum, qui ad Alfredum venerunt, quorumque ipse quasi collega fuit, mentionem facit, neque de Scoto nostro quidquam dicit, pluribus certe de eo, utpote viro summa doctrinae laude conspicuo, commemoraturus, si is unquam ad Alfredum venisset (*c*).

Quae vel una res ad plures Malmesburienses atque Ingulfos refellendos valet. Deinde Malmesburiensis ita scribit, quasi Scotus statim (*d*) post illius epistolae, quam Nicolaus I de eo ad Carolum Calvum misit (*e*), in Galliam adventum, relicta Gallia, ad Alfredum, hujus « munificentia illectus » se contulerit, quum in confesso habeatur, Alfredum ante annum DCCCLXXX, bellorum multitudine distractum, de doctis hominibus illiciendis ne cogitasse quidem, quum denique illa epistola jam anno DCCCLX aut quinque annis post scripta sit (*f*).

Tum Ingulfus Scotum suum Aethelingiensi monasterio abbatem praefecit; quod contra Malmesburiensis suum in Malmesburiense coenobium duxit (*g*). Ceterum Ingulfus satis manifesto ostendit, unde sibi error iste objectus sit. Scribit enim (*h*) : « (Alfredus) de veteri Saxonia Joannem, cognomento Scotum, acerrimi ingenii philosophum, ad se alliciens, Adelingiae monasterii sui constituit praelatum ». Jam vero Asserus in vita Alfredi (*i*) refert, vocasse Alfredum ad se ex Gallia « Joannem quendam, presbyterum ac monachum, Ealdsaxonem (*j*) genere, virum doctissimum, quem postea Aethelingiensi coenobio abbatem praefecerit ». Ingulfus autem, qui haec ipsa sciret, simulque de Joanne Scoto, ingenioso illo philosopho, ea fere aetate, qua Alfredus vixit, apud Gallos notissimo, ut videtur, audivisset, quos duos habere debuit, eos unum eundemque habuit, atque hujus nomen nomini illius tanquam cognomen adjecit.

Quoniam autem Staudenmaierus Malmesburiensem potissimum sequitur, etiam de hoc sigillatim nonnulla dicamus. Is igitur praecipue in hac narratione de Scoto nostro saepius vehementer erravit.

Cujus rei unum exemplum jam protulimus, nec plura desunt : ait enim (*k*), Florum (*l*) scripsisse adversus Scoti librum de divisione Naturae, quum scripserit adversus librum de praedestinatione, et quae sunt ejusdem generis. Deinde ne id quidem negligendum est, quod in libro suo de gestis regum Anglorum (*m*) rem ut dubiam narrat : utitur locutionibus, quales sunt « creditur » — « ut fertur » — « quod sub ambiguo non dixerim ». Quamquam

(*a*) Staudenm. l. l. omnium, quos vidimus, plurima habet : quare ad ejus librum, qui rem cognoscere cupiant, ablegaverimus.

(*b*) Cf. Nat. Alex. dissert. in hist. eccles. sec. IX et X, § III. Albericus, Trium Fontium monachus, in chron. suo ad a. MCCXXV fatetur, novam historiam Anglorum sibi ducem fuisse ; narrat autem de Scoto (ad a. DCCCLXXVIII) iisdem prope cum G. Malmesb. (lib. de rebus gest. regum Angl. II, 4) verbis. Hunc Albericum Staudenmaierus non laudavit. Quos autem laudavit, hi et ipsi satis aperte declarant, eundem G. Malmesb. verba sibi sua praebuisse. Nam quae, G. Malmesb. (cf. Gale. l. l. test. p. 6 et p. 8) narrat, ad verbum fere, ut jam diximus, habent et ipsi. Illum autem horum verborum auctorem esse, inde patere arbitramur, quod, ubi ille scribit : « ut intellexi » — habent isti : « ut intelligitur », quod illo dicente : « scripsit librum bene utilem (sc. Scotus) » — istorum quispiam ita docet : « scripsit librum, quem utilem esse ait ». Illud « scripsit » dicitur de Scoto. « Ait » autem, quum ad Scotum referri nequeat (quia Scotus nusquam talia de libro suo ait), ad eum referendum est, ex quo iste quispiam de illa libri utilitate cognovit : hunc vero nemo non habebit G. Malmesburiensem.

(*c*) Cf. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 419.

(*d*) Cf. Thom. Gale. l. l. testim. p. 6, p. 8.

(*e*) Cf. sup. cap. III, col. 17, not. *e* et *f*.

(*f*) Cf. Staudenm. p. 166.

(*g*) Cf. Staudenm. p. 156. Rerum Angl. script. post Bedam praecipui. Francof. MDCI fol. p. 870. Sup. not. *d*.

(*h*) Cf. sup. not. *a*.

(*i*) Cf. Mabill. Joannis Aetheling. abb. elog. hist. acta Bened. saec. IV, p. II, p. 507 seq.

(*j*) Hoc est, Saxonem ex Germania oriundum, ut multis exemplis probavit Mabill. l. l. p. 508-509. Vir doctissimus existimavit praeterea, vixisse illum Ealdsaxonem apud Gallos in monasterio Corbeiensi, quo tum plures Saxones ex Germania oriundos educabant.

(*k*) Cf. Thom. Gale. l. l. test. p. 6-8.

(*l*) Hoc est, S. Prudentius, episc. Tricassinus, cujus nomen erat « Florus Prudentius Galindo » — vel Florus, diaconus Lugdunensis, cui ab aliquibus liber eccles. Lugd. adversus Scotum tribuitur.

(*m*) Cf. Natal. Alex. l. laud. § III.

aliis locis (*a*) nihil dubitat. Quod autem his ipsis locis adjicit « ut ex scriptis regis (Alfredi) intellexi, (Joannes) sublimis Malmesburiae resedit », haec profecto, rebus alioquin ita, ut explicatum est, se habentibus, parum nos movent. Est enim fortasse, ut ex regis scriptis intellexerit « resedisse Malmesburiae Joannem », de suo autem addiderit, eadem fere cum Ingulfo ratione, « fuisse hunc Joannem Scotum Erigenam ». Ejusmodi errores illis scriptoribus, ex quorum numero est Guilelmus, saepissime offusi sunt. Atque faciliorem etiam haec tota res explicatum habet, si Joannem illum, ut nostrum, Scotorum gentis fuisse fecerimus. Scimus autem, maximam ea aetate doctorum hominum multitudinem, qui Scotorum gentis essent, praecipue ex Hibernia profectos, in Anglia, Gallia vixisse (*b*). Huc accedit, quod majus etiam est, ut annales Hidenses disertis verbis testentur (*c*), fuisse inter eos, qui sub Alfredo rege Oxonii juventutem instituissent in artibus optimis, praeter illum Joannem Ealdsaxonem (*d*), de quo supra fuit mentio, etiam Joannem, ecclesiae Menevensis monachum. Potuitne ergo fieri, ut Alfredus hunc ipsum, aliquamdiu munere illo functum, quemadmodum Joannem Ealdsaxonem Aethelingiensem abbatem constituit, ita in Malmesburiense coenobium mitteret? Potuitne fieri, ut hic ipse, quum dicatur monachus Ecclesiae Menevensis, etiam Scotus vel esset, vel appellaretur? Certe enim meminimus, docere nos supra (Cap. II, col. 12 not. *h* et Cap. I), habitasse procul dubio in illa ipsa regione Menevensi homines Scotos, atque adeo Scotum nostrum ibidem (cf. Cap. II, col. 12 not. *h*) natum videri.

CAPUT VI.

De illis Erigenae scriptis, quae adhuc a nobis recensita non sunt.

Post Pseudo-Dionysii et S. Maximi interpretationes, post libros de praedestinatione et de S. Eucharistia, quorum jam mentio est facta, super illis, quae item vere sunt Erigeniana, aliquot carminibus, tractatu de visione Dei, libris V de divisione Naturae data opera disputare decrevimus (*e*). Nam quae a nonnullis praeterea Scoto adscripta sunt, non reddita tamen ratione probabili, ea, quum librorum ope destitutis nobis ipsorum causam dijudicare non licuerit, deinceps simpliciter tantum enumeranda arbitramur.

Carmina igitur Scoti, quae nobis innotuere, sunt

(*a*) Apud Gale. l. l. p. 6-8.
(*b*) Cf. sup. Cap. I-III.
(*c*) Cf. Gale, l. l. test. p. 5.
(*d*) Joannes Ealdsaxo est is, quem annales Hidenses dicunt « collegam S. Grimbaldi. » Hos enim una ex continenti ab Alfredo accersitos constat.
(*e*) Sunt, qui etiam de epistolis loquantur. Verum praeter illas, quae Areopagitae et Maximi interpretationum prooemia sunt, prorsus nullae exstant, nullae memorantur.
(*f*) Cf. Ejus edit. libr. de div. Nat. p. I. p. 593 seq.
(*g*) Cf. acta Bened. sec. IV. p. II, p. LXVI. Thom. Gale. l. l. test. p. 12. Hiort. l. l. p. 46.

* Schlueterus illa carmina e codicibus bibliothecae Vaticanae non primus protulit, sed ab Angelo. Maio

A numero XIV : in prooemio libri de praedestinat. habetur I; prooemio interpretationis Pseudo-Dionysii adjecta sunt II; Cangius in praefatione ad Labbei glossarium edidit I; Schlueterus ex codicibus Angeli Maii, ut dicit, nova protulit X (*f*) *. Brevissimum IV, longissimum ad LXXX versus habet. Missa fere sunt Carolo Calvo. Omnium ferme argumenta ex philosophorum theologorumque chartis deprompta sunt : canitur « Christus crucifixus », « crux », « pascha » atque similia. Errores continent multos eosdemque propemodum cum libris de divisione Naturae et de praedestinatione. Auctorem sibi fuisse ostendunt multo magis eruditum, quam poetica facultate insignem. Habent omnino permulta sic putida atque arguta, ut diligentem lectorem non offendere non
B queant. Attamen, quae illorum temporum est ratio, summa profecto laude digna sunt. Walafridus quidem Strabo nec facilitatis, nec elegantiae palmam Nostro praeripere potuit. Libellum « de visione Dei » Mabillonius deprehendit in ms. codice Claromariscensi prope Audomaropolim. Post eum, quod quidem sciamus, qui librum viderit, fuit nemo, quamquam plures eum diligentissime quaesiverunt (*g*).

Refert Mabillonius, initium ejus hoc fuisse: « Tractatus Joannis Scoti de visione Dei. Omnes sensus corporei ex conjunctione nascuntur animae et corporis (*h*) ». Argumentum libelli, ni fallatur, in eadem re, ait, versatum esse, qua Lupi, abbatis Ferrariensis, epistola XXX ad Gothescalcum, monachum Orbacensem. Quae Lupi epistola (*i*) locum quendam
C explicat, qui est apud S. Augustinum in libris de civitate Dei XXII, 29 : « de qualitate visionis, qua in futuro saeculo sancti Deum sint visuri ».

Librorum V « de divisione Naturae » sive « περὶ φύσεως μερισμοῦ », qui iidem appellantur « de Naturis » sive « περὶ φύσεως » plures reperti sunt codices mss. (*j*). Duos eorum Mabillonius ipsius Scoti aetate exaratos dicit : nec tamen ullus nomen auctoris habuit. Guilelmus Malmesburiensis et Hugo a S. Victore primi (*k*), quantum pro certo a nobis statui potest, Scoto nostro libros suos attribuerunt. Nihilominus tamen etiam ineunte seculo XIII fuere, qui Amalrici Benensis eos esse opinarentur (*l*) : Trithemius abbas et Baleus adeo ad Joannem Scotum, quem Mailrosium vocant, Bedae Venerabilis aequalem,
D hos libros retulerunt (*m*). Verum enimvero, si quis vel aliud agendo libros de Naturis cum Erigenae

(*h*) Etiam in lib. II. de div. Nat. c. 23. scribit : « Exterior sensus conjunctio quaedam est animae et corporis ».
(*i*) Cf. Max. biblioth. vet. Patrum cet. Lugdunens. tom. XV. p. 15 E seq.
(*j*) Cf. Thom. Gale. testim. p. 12. Mabill. acta Bened. sec. IV. p. II. p. LXVI. *Hist. litt. de la France*, tom. V. p. 423.
(*k*) Cf. Thom. Gale. testim. p. 12, p. 6-7. Alberici, Trium Fontium monachi, Chronicon ad annum MCCXXV. ed. Leibnit. tom. I. p. 514, 515.
(*l*) Cf. Thom. Gale. testim. p. 12.
(*m*) Cf. Thom. Gale. l. l. p. 12.

Classic. Auct. t. V, p. 426 seqq. edita typis repetivit. Cf. *Prooemium*. Animadv. Edit.

libro de praedestinatione contulerit, nihil prorsus dubitationis ei relinquetur. Quo factum est, ut jam pridem inter viros doctos uno quasi ore hac in re sit consensum.

Quod autem Thomas Galeus in praefatione editionis suae (p. 4) scribit, testes fide dignos affirmare, Florum (*a*) hos libros, quo facilius confutaret, depravasse, haec quidem omnino inanis est suspicio. Testes illi sunt, credimus, Matthias Westmonasteriensis (ad annum DCCCLXXXIII), et si qui forte in hujus verba jurarunt. Sed, quicunque sunt, quum Florus ille (quem Westmonasteriensis « ignorari » contendit) non libros de Naturis, sed librum de praedestinatione impugnaverit, vehementissime erraverunt. Huc accedit, quod ipsos libros accurate perlegenti ea apparet partium cohaerentia, is offertur sententiarum nexus, ut hoc solo argumento confisus vir doctissimus, Hockius, illam Thomae Galei suspicionem, ut vanam, jure repudiaverit (*b*).

Bis omnino libri de divisione Naturae typis sunt descripti : primum a. MDCLXXXI prodiere Oxonii per Thomam Galeum, Oxoniensem; deinde a. MDCCCXXXVIII Monasterii Guestphalorum opera C. B. Schlueteri, Monasteriensis. Posterior editio propter multitudinem mendorum, quorum ne index quidem adjectus est, priori longe est postponenda (*c*).

Externa disserendi forma, qua Scotus his in libris utitur, est dialogi : magistrum enim cum discipulo colloquentem finxit; horumque sermonibus alternis totam disputationem rite deducit. Ut magister, ita discipulus nunc interrogat, nunc interrogatur; atque ille, dum altiorem ac speculativam, quam vocitamus, philosophiae theologiaeque cognitionem exceperis, vix una schola dici queat doctior.

De totius operis argumento atque indole, quoniam in altera nostrae scriptionis parte proprie disputandum est, hoc loco satis habendum arbitramur, si illa Bruckeri verba, quae jam supra a nobis allata sunt, iterum nostra fecerimus. Ait igitur Bruckerus (*d*), omnem Scoti philosophiam huc redire : « Omnia, quaecunque sunt, non radicaliter modo et virtualiter, sed et essentialiter in Deo contineri, atque adeo omnia ex Deo ab aeterno progressa esse et fluxisse, inque varias classes inferiorum et superiorum, deteriorum meliorumque entium distincta tan- A dem in fontem originemque suam (id est Deum) reditura esse ».

Quae philosophia, quam accurate lutulentum istud (sit venia verbo) chaos Alexandrinum recentiorumque Platonicorum, quos vocant, referat, nemo non videt, atque in capite II uberius a nobis demonstratum est. Itaque jam per se liquere arbitramur, qui factum sit, ut alii philosophiam istam Erigenianam quam maxime sint abominati, alii contra amplexati fuerint cupidissime. Horum autem, qui laudarent, numerus, quum patrum nostrorum memoria admodum exiguus fuisset, nostra aetate, nec praeter eorum, qui sapiunt, opinionem! immane quantum est auctus. Quorum partem, qui operae pretium duxerit cognovisse, adeat Schlueteri praefationem B p. VII seq. Est tamen, ut in senatu illo — « tanquam altiore spiritu afflato » videamus non neminem (p. XII-XIII), quem supercilium censorium perquam facile istinc moverit. Jam vero illos qui vituperarunt, si enumerare velimus, dies profecto deficiat (*e*). Quare hoc loco ea tantum narrabimus, quae ab his, qui ad S. Ecclesiae nostra gubernacula consedere, adversus libros de Naturis gesta sunt.

Fuit igitur ineunte saeculo XIII, quum Amalricus Benensis, David de Dinando (s. Dinanto) horumque reliqua turba totius Galliae Ecclesiam vehementissime vexabant. Doctrinam suam, quatenus memoriae est proditum, fere Joannis Scoti libro de divisione Naturae debebant. Gersonius quidem, vir doctissimus, univers. Paris. cancell., haec docuisse ait C Amalricum (*f*) : « Omnia sunt Deus : Deus et omnia. Creator et creatura idem sunt. Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reversura sunt in ipsum, ut in eo immutabiliter conquiescant : et unum individuum atque incommutabile permanebunt. Sicut Abraham et Isaac unius ejusdem naturæ sunt, sic omnia esse unum, et omnia esse Deum : Deum enim esse omnium creaturarum essentiam, cet. ». David de Dinando, Amalrici discipulus, easdem res tantum non iisdem verbis docuisse traditur (*g*). Quorum sententia nihil est Erigenianae similius. Quod infra a nobis exponetur. Neque haec res illa aetate latuit. Diserte enim narrant historici, Scoti nostri opus compilatum esse ab Amalrico (*h*). At tradunt etiam, illos, quorum erat, non solum damnasse Scoti librum,

D

(*a*) Cf. sup. Cap. V. col. 46, not. *l*.

(*b*) Cf. Ephemer. Bonnens. fasc. XVI. p. 37.

(*c*) Atque hic satis graviter conqueri non possumus! Est apud Galeum mendorum multitudo ingens : desunt plurimis locis integra verba, integri versus. Horum Schlueterus nisi paucissima non sustulit : nec nova desunt. Collegerat autem Galeus sua menda quam diligentissime; inseruerat eorum indici egregias plane « variantes », quas vocant, ex m. s. codice Parisiensi : hic Galei index per decem paginas formae maximae porrigitur. Hunc vero Galei indicem Schlueterus fere nusquam aut curavit aut curare voluit. Ipsius quidem typotheta affirmavit, Schlueterum ita solitum fuisse dicere : « illud opus non esse ». Quare ejus editionem vix flocci ducas, et potius « depravatam » dicas, quam ut ipse (p. I) « emendatam ».

(*d*) Cf. Crit. philos. histor. tom. III (edit. Lips. 1741), p. 621. Atque de his ipsis Bruckeri locutionibus consulas velimus, quae dicta sunt sup. Cap. II, col. 11 not. *d*.

(*e*) Cf. sup. Cap. II, col. 11 not. *e*, ubi eorum nonnullos attulimus.

(*f*) Cf. Joan. Gersonii opera omnia. Edit. Ellies du Pin; Antwerp. tom. IV, col. 821 seq. Vide etiam Tennem. hist. philos. vol. VIII, pars I, p. 316 s. s.

(*g*) Cf. Thom. Aquin. in IV libros sentent. II dist. XVII. Q. I. Art. I, et Alberti summa theol. p. I. tract. IV. Q. XX. Vide Tennem. l. l.

(*h*) Cf. Gerson. et Tennem. loc. sup. (not. *f*.) laud.

* Cf. ea, quae in Prooemio de hac editione monuimus. Dolendum enim est, quod Schlueterus, ipse oculorum lumine privatus, non nisi per alios rerum minus peritos editionem parare potuit. Animadv. Edit.

verum etiam publice ac solenniter comburi jussisse (a). Albericus, trium fontium monachus, qui admodum fide dignus habetur (b), ad annum MCCXXV haec refert: « Litterae summi pontificis (Honorii III) —. . . hoc anno (de) solenni damnatione cujusdam libelli Joannis Scoti. Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis et episcopis» etc. Inimicus homo zizania bono semini superseminare non cessat, etc. Nuper siquidem, sicut nobis significavit venerab. frater noster Parisiens. episcopis, est quidam liber, qui Perifisis titulatur, inventus, tot scatens vermibus haereticae pravitatis, unde a venerabili fratre nostro archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus, in provinciali concilio congregatis, justo est Dei judicio reprobatus. Quia igitur liber, sicut recepimus, in nonnullis monasteriis et aliis B locis habetur, et claustrales nonnulli et viri scholastici . . . se studiosius occupant lectione dicti libri... nos juxta pastoralis sollicitudinis debitum corruptelae, quam posset ingerere liber hujusmodi, occurrere satagentes, vobis universis et singulis in virtute S. Spiritus districte praecipiendo mandamus, quatenus libellum istum sollicite perquiratis, et ubicunque ipsum vel partem ejus inveniri contigerit, ad nos, si secure fieri possit, sine dilatione mittatis solenniter comburendum, alioquin vos ipsi publice comburatis eundem, subditis vestris expresse injungentes, ut, quicunque ipsorum habent vel habere possunt in toto vel in parte exemplaria dicti libri, ea nobis (ne) differant resignare, in omnes, qui ultra XV dies, postquam hujusmodi mandatum seu denunciatio ad notitiam eorum pervenerit, librum ipsum, totum aut partem, scienter retinere praesumserint, excommunicationis sententiam incurrisse, notamque pravitatis haereticae non evadent. Datum Laterani X Cal. Febr. » cet.

Haec igitur postquam ab Honorio III adversus libros de Naturis supremo supplicio sancita sunt, per proximos CCCCL annos, dum Thomas Galei, Oxoniensis, opera typis describuntur, omnino propemodum oblivioni traditos eos fuisse credas. Neque illi, qui interea sancti concilii Tridentini jussu indicem librorum prohibitorum confecere, Scoti libros de naturis curaverunt. At quum primum renuntiatum A fuit, prodiisse de integro in publicum libros jam pridem damnatos, Romae in indicem librorum prohibitorum relati sunt; quem locum suum ad hodiernum usque diem obtinuerunt (c).

Neque tamen ullo pacto Schlueterus reprehendendus est, propterea quod, etsi catholicum se profiteatur, posthabita summorum pontificum auctoritate, denuo illos libros ediderit. Nam quum hoc ipsum nuper a quodam monitus fuisset, per adolescentem sibi amicissimum certiorem eum fecit, sese nec audivisse unquam, nec credere, ullum Joannis Scoti Erigenae opus in indicem librorum prohibitorum relatum esse; eum fortasse, nominum similitudine deceptum, quae de Joanne Duns Scoto invenisset, ad Joannem Scotum Erigenam traduxisse.

Venimus nunc ad ea simpliciter afferenda, quae unus et item alter sine causa necessaria Erigenae tribuit. Sunt fere haec (d):

I. « Excerpta ex Macrobio de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi ». II. « Homilia de initio Evangelii secundum Joannem ». Quae duo utique Erigeniana esse, verisimile putatur. III. « Commentarium in Dionysium Areopagitam ». Hoc qui viderit, quod quidem illi, quos (sup. not. d) auctores nostros laudavimus, sibi persuaserunt, est fortasse nemo. Jam vero nostra aetate Dr. Greithius, parochus Sangallensis, in bibliotheca Vaticana reperit (e) « expositiones in Joannis Scoti ad Pseudo-Areopagitae hierarchiam coelestem ». Typis nondum est descriptum, præterquam quod locum quemdam C de S. Eucharistia ex eo protulit Hoeflerus, quem locum nos quoque supra (cap. IV extr.) exscriptum habemus*. Cujus loci oratio est satis Erigeniana. IV. Interpretationes Latinae et « Moralium Aristotelis » et « variarum mirabilium historiarum ». Illa Scoti esse facilius negatur, quam conceditur: de hac negare non dubitant. V. « Commentarium in Evangelium secundum Matthaeum », « tractatus de officiis humanis » cet. cet. Qui libri, quando a Joanne vel a Scoto aliquo scripti dicantur, continuo a viris doctis, qui opinando plurimum valere soleant, Joanni nostro adscripti creduntur: constare enim, aliis ipsos fere auctoribus deberi, quibus unum vel Joannis vel Scoti nomen cum Nostro commune fuerit. D

PARS POSTERIOR.

§ 1.

Naturae (s. φύσεως) nomine comprehenditur, quidquid « vel animo percipi potest, vel animi intentionem superat ».

(a) Cf. Gerson. et Tennem. l. l. Thom. Gale. testim. p. 12. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 423.

(b) Quod pluribus probat vir summus G. G. Leibnitius in praef. ad alterum volum. paratae a se hujus Alberici editionis.

(c) Cf. Ind. libror. prohibit. edit. Mechliniens. a. MDCCCXXXVIII, p. 122.

(d) Cf. *Hist. litt. de la France*, tom. V, p. 427 seq. Thom. Gale, test. p. 11 et p. 13. Nos illam potissimum historiam secuti sumus, quae, ut serius, ita accuratius hac de re disputasse videatur, quam Thomas Galeus.

(e) Cf. Hoefler, *die deutschen Päpste*, Abth. II, p. 80 seq.

* Commentariorum fragmenta quae supersunt, e codicibus eruta nunc primum edidimus. ANIMADV. EDIT.

§ 2.

I. « Prima ac summa (naturae) divisio est in ea quae sunt, et in ea quae non sunt ». (I, 1.)

Habentur autem quinque « modi », quibus aliquid dici potest vel « esse, » vel « non esse ».

§ 3.

« Quorum primus videtur, per quem ratio suadet, omnia, quae corporeo sensui vel intelligentiae perceptioni succumbunt, posse rationabiliter dici esse : quae vero per excellentiam suae naturae omnem sensum, intellectum rationemque fugiunt, jure videri non esse ». Hoc igitur modo dicuntur esse quaedam uniuscujusque essentiae accidentia, non esse vero ipsas essentias ; essentiae (enim) agnoscuntur non « quid sint », sed (tantum) « quia sint ». (I, 2-3.)

§ 4.

« Secundus modus in naturarum creatarum ordinibus consideratur. Unusquisque ordo potest dici esse, et non esse. Inferioris enim affirmatio, superioris est negatio ; inferioris negatio, est superioris affirmatio » cet. (I, 4.)

§ 5.

« Tertio modo ea, quae ex causis suis in materia formata, in temporibus et locis generata cognoscuntur, quadam consuetudine dicimus esse ; quae vero adhuc in ipsis naturae sinibus continentur, nec in formata materia . . . apparent, eadem consuetudine dicimus non esse ». (I, 5.)

§ 6.

« Quartus modus secundum philosophos non improbabiliter ea tantum vere esse dicit, quae solo intellectu comprehenduntur ; quae autem locorum spatiis temporumque motibus variantur, colliguntur, solvuntur, vere dicuntur non esse ». (I, 6.)

§ 7.

« Quintus modus in sola natura humana a ratione conspicitur. Haec enim, quoniam divinae imaginis dignitatem, in qua proprie substitit, peccando deseruit, merito esse suum perdidit, et ideo dicitur non esse ; dum vero Dei gratia restaurata ad pristinum substantiae suae statum reducitur, inchoat vivere (a) ». (I, 7.)

§ 8.

« Videmus itaque, cavendum esse, ne illis, quae Scotus Naturae nomine comprehendit, pluribusque modis aut esse aut non esse dici posse declarat, ullo pacto contineri existimemus res, quae vere ac pro-A prie nullae sint dicendae, quae vere ac proprie reperiantur nusquam. Quare longe alia est ratio, cum Scotus peccata peccatorumque poenas esse negat (b) : peccata enim et poenae ei vere nulla sunt, quippe quae nisi in rerum, quae sunt, privationibus non intelligantur (c).

§ 9.

II. Jam vero alia est multoque gravior Naturae divisio.

« Quae divisio videtur quatuor species recipere : quarum prima est, quae creat et non creatur ; secunda, quae creatur et creat ; tertia, quae creatur et non creat ; quarta, quae nec creat nec creatur. Harum quatuor binae inter se opponuntur : nam tertia opponitur primae, quarta secundae. Sed quarta B inter impossibilia ponitur, cujus differentia est, non posse esse. — Multum (discipulus infit) me movet quarta species ; nam de aliis tribus nullo modo haesitare ausim, cum prima in causa omnium, quae sunt, et quae non sunt, intelligatur ; secunda vero in primordialibus causis ; tertia in his, quae in generatione temporibusque ac locis cognoscuntur (d). Atque de singulis disputari subtilius necessarium est ». (I, 1, II, 1.)

§ 10.

A. « Prima igitur Naturae species visa est ea, quae creat et non creatur ».

Haec « de solo Deo recte praedicatur : hic enim solus omnia creans, solus sine principio esse intel-C ligitur, quia principalis causa omnium, quae ex ipso et per ipsum facta sunt, solus est ; ac per hoc et omnium, quae ex ipso sunt, finis est : ipsum enim omnia appetunt. Principium est, quia ex ipso sunt omnia, quae essentiam participant ; finis est, quia ad ipsum moventur omnia, quietem motus sui suaeque perfectionis stabilitatem quaerentia ». (I, 12.)

§ 11.

« Ex essentia eorum, quae sunt, ex mirabili rerum ordine, ex motu omnium stabili theologi recte intellexerunt, Naturam creatricem et esse, et sapere, et vivere. Ac per hoc inquisitores veritatis tradiderunt, per essentiam intelligi Patrem, per sapientiam Filium, per vitam Spiritum Sanctum. Itaque trinitatem docuerunt esse in unitate. — Unam omnium causam D dixerunt unitatem. Hujus autem, mirabili eam multiplicitate contuentes, tres substantias (e) intellexere : ingenitam, genitam, procedentem. Habitum (s. relationem) ingenitae ad genitam nominaverunt Patrem, habitum genitae ad ingenitam dixerunt Filium, ha-

(a) Reducetur videlicet aliquando, quodcunque est hominum (et cum hominibus etiam reliqua « visibilium rerum natura ») substantialiter in substantiam divinam. Quod infra latius exponemus.

(b) Cf. sup. cap. IV. col. 27, not. c seqq.

(c) Cf. de Div. Nat. I, 3.

(d) Quarta illa naturae species ita « inter impossibilia ponitur », ut non sit quoddam per se « subsistens » quartumque a tribus illis diversum. Docebimus autem infra, quartam nostram naturae speciem esse unam eandemque cum specie prima, ipsum Deum. Deus enim, quoniam ex se eduxit, quaecunque rerum creatarum ambitu continentur, dicitur Natura non creata creans, quoniam autem aliquando omnia illa in se reducta comprehendet, nihil amplius ex se educens, Natura appellatur non creata non creans. Cf. II, 2 ; III, 23.

(e) Lib. II, 29 scribit : Una essentia in tribus substantiis, et tres substantiae in una essentia — vel secundum usum Romanae linguae : una substantia in tribus personis, et tres personae in una substantia. Cf. II, 23. 34.

bitum procedentis ad ingenitam genitamque appellaverunt Spiritum Sanctum. Ita Abraham est nomen substantiae (s. personae) et Isaac est nomen substantiae: illius habitus ad hunc dicitur pater, hujus habitus ad illum vocatur filius ». (I, 14.)

§ 12.

De processione Spiritus sancti Scotus multo magis Graecorum sententiae favet, quam Latinorum. Ait igitur, quemadmodum dicatur, una essentia divina in tribus substantiis etc., ita (cum essentia divina sit omnium causa) etiam dici posse, unam causam in tribus causis. Jam vero, cum nullibi in rerum natura ex duabus causis fiat una, se non videre, quo pacto ex Patre et Filio (duabus causis) procedere possit Spiritus sanctus [una causa (*a*)]. Quod si dicas, ideo Spiritum sanctum de Patre Filioque procedere, quod per Filium de Patre procedat, in hoc vix quidquam esse, cum Filius et ipse causam suam habeat Patrem (II, 19; II, 30-35). Neque tamen recusare audet, quominus credat Spiritum de Patre Filioque procedere: nam sanctos patres Latinos « rationabiliter », si quis eos hac de re interrogasset, sibi « responsuros » videri, et sacrae Scripturae forsitan auctoritate posse defendi. (II, 33.)

§ 13.

« Num decem categoriae vere ac proprie de numine divino possint praedicari, difficile est dictu. Est autem in hac quaestione usui theologia ἀποφατικὴ et καταφατικὴ, quarum illa negat, haec affirmat, esse divinam substantiam hoc vel illud eorum, quae sunt, velut essentiam, bonitatem, solem, stellam, aquam, leonem, ursum », cet. Videntur haec esse inter se contraria, sed, cum circa divinam versentur substantiam, omnino consentiunt. Namque καταφατικὴ non ait, divinam substantiam esse illud proprie, sed (per metaphoram) ita posse appellari; ἀποφατικὴ vero contendit substantiam divinam nec vere illud esse, nec proprie ita vocari.

Quas quidem theologias pulcherrime a S. Dionysio Areopagita sibi suppeditatas, Erigena immortaliter gaudet. (I, 14, 16, 78 cet., cet. Praef. ad Maximi ambigua [Gale. app. p. IV].).Longa autem oratione persequitur, nullam esse inter decem illas categorias Aristotelicas, quam vere ac proprie de Deo possis praedicare: simul harum aliquam de ipso affirmaverit καταφατικὴ, continuo eam negari ἀποφατικῇ. (I, 17-80.)

§ 14.

« Deus, quod ipsi oppositum sit, non habet (*b*). Quum vero essentiae opponatur nihil, bonitati autem malitia etc., Deus non est essentia, bonitas, etc. sed plus quam essentia (superessentialis), plus quam

A bonitas (superbonus) etc. Omnia, quae adjectis particulis super, plusquam, de Deo praedicantur, duas illas theologias comprehendunt: in pronunciatione est forma καταφατικῆς, in intellectu autem ἀποφατικῆς virtus. (I, 16.)

§ 15.

Patet igitur ex iis, quae supra proposuimus, Deum humanae mentis acie prorsus fere esse inaccessum. Verum ipse semetipsum cognoscit. Est quidem omnino dicendum: « nescire Deum, se quid esse », « Deum non in aliquo se cognoscere », et quæ sunt generis ejusdem, at haec est vera virtus illius, quae in Deo est, cognoscendi facultatis. Revera enim Deus non est quid, non est in aliquo, hoc est non est certum aliquid, non habetur et circumscribitur in

B aliquo eorum, quae sunt et rerum creatarum numero comprehenduntur. (II, 28-29.)

Sin vero quaesieris, qua ratione Deus, quae cognoscit, cognoscere existimari debeat, respondebitur: « quod nec sensibilia per sensum, nec intelligibilia per intellectum, nec sensibilia per intellectum, nec intelligibilia per sensum, sed omnia in aeternis suis rationibus contemplatur ». (Prooem. ad interpret. Ambb. S. Max. ap. Gale. app. p. IV; de div. Nat. II, 20, 28; V, 17.) « Aeternae illae rationes » sunt « ideae », quas vocant, omnium rerum, quae Deus erat facturus, « exemplaria principalia ». Hae sunt rerum tantum substantialium, et ipsae quoque res substantiales. (Cf. inf. § 23 — § 30.) Hinc Scotus suo jure etiam hoc contendit: « Divina scientia est

C rerum omnium, quae sunt, causa » — « quorum Deus causa non est, ea nescit » — « rerum, quae sunt, cognitio » (videlicet in Deo) « est veraciter res eae, quae sunt ». (II, 20. 28: V, 27; III, 4. Deinde cf. ejusd. de praed. sup. Cap. IV.)

§ 16.

Cum nulla categoria proprie de Deo praedicatur, tum neque nona in eum cadit, πράττειν. Dicitur autem Deus creasse. Sed creare et esse in Deo unum idemque sunt habenda. « Deus non erat, priusquam omnia faceret. Coaeternum est Deo suum facere et coessentiale. Deus et suum facere, hoc est, sua actio sunt unum simplex et individuum; nam Deus, qui

D est innumerabilis, numerum in se non recipit. Cum ergo audimus, Deum omnia facere, nil aliud debemus intelligere, quam Deum in omnibus esse, hoc est, essentiam omnium subsistere. Ipse enim solus per se vere est, et omne, quod vere in his, quae sunt, dicitur esse, ipse solus est. Nihil enim eorum, quae sunt, per se ipsum vere est; quodcunque autem in eo vere intelligitur, participatione ipsius unius, qui solus per se ipsum est, vere esse accipit ». (I, 74.)

(*a*) Quam haec concludendi ratio nulla sit, Scotus ipse animadvertisse videtur: iis autem, qui reprehendant, ita respondet, sola rerum natura duce ad numinis divini sanctaeque trinitatis intelligentiam perveniri! Cf. II, 31 sub fin. Habetur praeterea apud Scotum in doctrina de S. trinitate etiam hoc, ne quis putet, « filium ex essentia patris natum, aut spiritum sanctum ex essentia patris procedere, cum ex persona patris natus sit filius, ex persona patris procedat spiritus sanctus: dici enim, ex patre natum filium, ex patre procedere spiritum, neque tamen substantiam sed solam personam patri esse propriam ». (34.)

(*b*) Cf. inf. § 18-20.

§ 17.

Atque hic ipse Scoti locus percommodum nobis transitum parat ad aliam quandam de creatrice ejus Natura disputationem.

Nil igitur hoc loco videtur apertius! Oculis cerni dixeris horrendum pantheismi monstrum! Expressis verbis scriptum est, creatricem Naturam, quam Deum appellari diximus, ita esse in omnibus rebus, quas fecit, ut ea ipsa sit sola ac vera harum rerum essentia. Atque eadem prorsus ratione Erigenam saepissime locutum invenimus. Velut in libro primo de div. Nat. cap. 73 : « Fieri », inquit, « aestimatur Deus in creaturis suis universaliter, dum in eis non solum intelligitur esse, sine quo esse non possunt, sed et eorum essentia sit ». Et ibidem cap. 3 : « Deus namque omnium essentia est, qui solus vere est ». Neque non animadvertendum est, ultimo hocce loco eam ipsam rem, quam essentiam Scotus vocat, etiam substantiae nomine ab eo appellari, nec non satis accurate ita describi, ut vere ac proprie substantiam agnoscere coacti simus. In libro secundo de div. Nat. cap. 2 : « Quid », ait, « si creaturam creatori adjunxeris, ita ut nihil aliud in ea intelligas praeter ipsum, qui solus vere est ? Nil enim extra ipsum vere essentiale dicitur, quia omnia, quae ab eo sunt, nil aliud sunt, in quantum sunt, nisi participatio ipsius, qui a se ipso solus per se ipsum subsistit. Num negabis, creatorem et creaturam unum esse? Non facile : huic enim resistere ridiculosum videtur ».

§ 18.

Huc item est referendum, quod Noster (sup. § 14) affirmat, Deo nihil prorsus opponi, qua re fiat, ut, cum « essentiae » opponatur « nihilum », Deus non sit essentia, sed plus quam essentia, sive superessentialis. Nam si non est, quod Deo opponatur, hoc certe concedendum arbitramur, nihil esse praeter Deum, hoc est, Deum esse, quidquid est. Hac autem re missa sequamur consectarium illud, quod Scotus ipse proposuit, Deum, quum « essentiae » opponatur « nihilum », non essentiam, sed plus quam essentiam esse, sive superessentialem. Haec igitur superessentialitas propterea de numine divino praedicatur (*a*), quod supra illam « essentiam », cui opponitur « nihilum » (sup. § 8), ita quodammodo sit constitutum, ut ipsum sit quasi tertium quoddam, quo illa, quae inter se sunt opposita, simul comprehendantur, efficiantur « concordique », ut ita dicamus, « pace ligentur ». Sunt enim apud Scotum haec : Fides catholica ac vera ratio fatetur, Deum esse infinitum, A et plus quam infinitum, infinitas enim infinitorum est, et simplicem, et plus quam simplicem, omnium enim simplicium simplicitas est. Et cum ipso nihil esse credit vel intelligit; quoniam ipse est ambitus omnium, quae sunt, et quae non sunt, et quae esse possunt et quae esse non possunt, et quae ei contraria seu opposita videntur esse, ut non dicam similia et dissimilia. Est enim ipse similium similitudo, et dissimilitudo dissimilium oppositorumque oppositio et contrariorum contrarietas. Haec enim omnia pulchra ineffabilique harmonia in una concordia colligit atque componit (*b*). (I, 74.) Deinde ad hanc ipsam illius, quam Erigena statuit, divinae superessentialitatis explicationem id quoque pertinet, quod saepius (I, 3. 73) : « Esse omnium, » ait, « est, superesse divini-
B tatis ».

Atque propter rei magnitudinem hunc quoque locum adjiciamus : « Nemo tamen est pie credentium et veritatem intelligentium, qui non continuo exclamet, causam totius universitatis creatricem supernaturalem esse et superessentialem et supra omnem vitam, et sapientiam, et virtutem, et supra omnia, quae dicuntur et intelliguntur, et omni sensu percipiuntur, dum sit horum omnium principium causale et medium implens essentiale, et finis consummans — et ambitus omnia, quae sunt et quae non sunt, circumscribens ». (III, 1.)

§ 19.

Deus igitur hicce superessentialis ita quasi supra
C omnia, quae sunt, quae cogitantur, quae mentis aciem effugiunt, est constitutus, ut ea cuncta, tanquam universitatis quoddam corpus sua essentia complectatur, sua essentia impleat, sua essentia efficiat. Itaque tantum abest, ut Scotus, quum Aristotelicam essentiae categoriam, utpote cui oppositum sit nihilum, cum Deus, quod ipsi opponatur, non habeat, de numine suo divino proprie praedicari negat (*c*), idcirco rerum universitatis essentiam de ipso tollat, ut eam diserte ipsi relinquat, atque adeo plane ac diserte tribuat.

§ 20.

At occurrent nobis, quicunque attenderunt, eo, quod Erigena Deum s. Naturam non creatam crean-
D tem, quum ab initio quatuor Naturae species constitueret, item Naturae speciem esse dixerit, atque adeo tertiae Naturae speciei, Naturae creatae non creanti, ex diametro, ut aiunt, opposuerit. Satisfaciat iis ipse Erigena. Is igitur de Natura non creata creante, prima illa Naturae specie s. forma : « si rite », ait, « species vel forma dicenda est prima

(*a*) Quamquam aliis locis etiam aliis de causis numen divinum dicitur superessentiale, velut ideo, quod supra omnia illustriorem quasi essentiae locum obtineat, quod « omnium essentiarum fons sit » et quae sunt generis ejusdem. Sed nunc non est his locus. Illas autem explicationes huic nostrae, quam hoc loco proponimus, nihil reluctari infra (§ 22) declarabimus.

(*b*) Optimo igitur jure de Scoto dictum putamus illud Schlueteri (p. XIII) : « Doctus Hegelius dialectico, ut hoc verbo utamur, monismo suo (personam) multifarie Erigenae memoria affert ».

(*c*) Hanc etiam propterea de Deo praedicari negat, quod Deus non « sit » certa quaedam atque definita substantia, quae hic vel illic « in creatarum substantiarum numero reperiatur ». Cf. sup. § 15; II, 28-29.

omnium causa, quae superat omnem formam et speciem, dum sit formarum et specierum omnium informe principium... Informe autem principium propterea Deum dicimus, ne quis eum formarum numero aestimet censeri, dum sit formarum omnium causa. Ipsum etenim omne formatum appetit (*a*), cum sit per se ipsum infinitus, et plus quam infinitus; est enim infinitas omnium infinitatum ». (II, 1.)

§ 21.

Itaque, ut arbitramur, in promptu est, nullam ex Scoti sententia in hac rerum universitate substantiam reperiri, praeter substantiam Naturae creatricis divinae, neque quidquam, ut ipse (II, 2) ait, « extra illam vere essentiale dici »! Quod si quis hac de re etiam nunc dubitet, huic firmissime persuasum iri speramus, quum de reliquis Naturae formis disputabitur.

§ 22.

Nihilominus tamen res nostra postulare videtur, ut jam nunc, quae non nemini (*b*) hac in causa Erigeniana fucum fecisse videmus, quantum in praesentia fieri potest, declarare atque diluere conemur. Sunt omnino complures loci in libris de divisione Naturae, ubi Erigena, communi fortasse hominum sensu inserviens, ita scripsit, quasi Deum habeat ab hoc universo separatum (*c*). Legimus enim cum alia, tum haec : « Ipse Deus in se ipso ultra omnem creaturam — nullo intellectu comprehenditur ». (I, 3. 7, cet.) Legimus adeo (II, 1 etc.) : « Creaturam Dei nomine (per metaphoram) posse appellari, propterea quod a Deo facta sit (*d*) ». Quae quibus facile refelli queant, sigillatim commemorare nolumus : hoc unum dicimus, ex ipsa Erigenae philosophia sponte sequi, potuisse eum tam haec docere, quam quae eum supra (§ 16-21) docentem audivimus. Est autem philosophia ista, id quod infra pluribus demonstrabitur, fere haec : Deus Pater, Natura non creata creans, usque ab aeternitate in Filio suo unigenito creavit, hoc est, ex sua substantia substantialiter emisit—Naturam creatam creantem, omnium rerum, quaecunque universitatis corpore comprehenduntur « causas primordiales », hoc est « ideas », « exempla principalia ». Has deinde causas primordiales idem Deus Pater per Spiritum sanctum in ipsarum effectus, Naturam creatam non creantem, hanc totam rerum universitatem, « divisit atque multiplicavit », ita ut neque propria sua sede, quam usque ab omni aeternitate in ipso Deo obtinuere, dejicerentur, et sola illarum participatione substantiali sit id ipsum, quod in hac rerum universitate vere ac proprie esse dicatur, omnium rerum essentia, substantia. Postremo Natura creata non creans, per creatam creantem ex non creata creante substantialiter evoluta, eandem viam remensa, substantialiter in non creatam creantem revolvetur (*e*).

Habet igitur Scotus neque ullam prorsus in ulla re substantiam, nisi substantiam divinam, et Deum ab iis, quae creavit, quasi separatum atque sejunctum.

Quae cum ita sint, nos quidem profecto non videmus, qua ratione fiat, ut, qui paulo attentius rem tractaverit, simulatque Erigena, communi forsitan loquendi usu serviens, ita fuit locutus, quasi Deum profiteatur a creatis rebus diversum, continuo offendi sibi videatur, Scotumque, ab antiquis temporibus pantheismi accusatum, non modo absolvendum, verum etiam omni honorum genere, « quum amussim veritatis non sit transgressus », censeat mactandum atque augendum. Neque, hercle, Schlueterus, dum hac ratione, ut nunc a nobis est exposita, ipsum Scoti philosophiam perspicere studuisset, tam frustra eo excusando atque defendendo esset conatus. Verum infra pluribus etiam ipsi erit occurrendum. Atque de Natura non creata creante satis est dictum.

§ 23.

B. « Altera Naturae species est ea, quae creatur et creat. »

« Haec non nisi in primordialibus causis rerum, ut aestimatur, intelligenda est. Ipsae primordiales rerum causae a Graecis πρωτότυπα, hoc est primordialia exempla, vel προορίσματα, hoc est praedestinationes, item θεῖα θελήματα, hoc est divinae voluntates, vel etiam ἰδέαι, h. e. species s. formae, in quibus rerum omnium faciendarum, priusquam essent, immutabiles rationes conditae sunt, solent vocari (*f*). — Nec im-

(*a*) Hoc est, ut nobis quidem videtur, « omne formatum (ut ex eo processit, ita et) essentiam ejus participat », substantialiterque cum eo cohaeret. Cf. I, 12-13. 74; III, 1. 3-4.

(*b*) Cf. Schluet., p. XVIII, seqq.

(*c*) Cf. Schluet. l. l.

(*d*) Hos locos respicere debuerat Schluet. (p. XIX): certe enim ea ad Scotum excusandum protulisset, quae longe fuissent dictu speciosiora.

(*e*) « Siquidem, » Scotus (lib. III, cap. 4.) ait, « ex fonte totum flumen principaliter manat, et per ejus alveum aqua, quae primo surgit in fonte, semper ac sine ulla intermissione defunditur : sic divina bonitas et essentia et vita et sapientia et omnia, quae in fonte omnium » (hoc est in Deo [cf. IV, 1]) « sunt, primo in primordiales causas defluunt, et eas esse faciunt; deinde per primordiales causas in earum effectus ineffabili modo per convenientes sibi universitatis ordines decurrunt, per superiora semper ad inferiora defluentia, iterumque per secretissimos naturae poros occultissimo meatu ad fontem suum redeunt ». Quamquam autem hac ratione fit in omnibus omnia Deus, tamen super omnia esse non desinit ». (III, 20.)

(*f*) Quum Erigena Platonicorum doctrinam de ideis in hac sua de causis primordialibus disputatione referat, vel maxime operae pretium fecisse videmur, si hoc, quo nunc sumus, loco, quid proprie fuerit idea Platonica, paucis monuerimus. Utamur Bruckeri verbis. Is igitur in « hist. crit. phil. tom. III. p. 905. haec habet : « Platoni idea non est illa, quae ex contemplatione objectorum singularium exsurgit, notio universitatis, reique alicujus generalis conceptus — — sed ideae sunt illi essentialia rerum omnium singularium exemplaria, αὐτοουσίᾳ gaudentia, ad quorum naturam indolemque res singulares formatae sunt, et quae his rebus veram, certam stabilemque essentiam largiuntur. Hae ideae ex divi-

merito sic appellantur quoniam, Pater h. e. principium omnium in Verbo suo, unigenito videlicet Filio, omnium rerum rationes, quas faciendas esse voluit, priusquam res fierent, praeformavit ». (II, 2. 36.)

§ 24.

« Causae igitur primordiales, quum non quarundam, sed omnium visibilium invisibiliumque rerum causae sint, numero careant necesse est. Quamquam autem neque certum ordinem habent, ita ut quaevis ex ipsarum numero prima esse possit, S. tamen Dionysius jure, ut videtur, has decem primas constituit : Per se ipsam bonitas, per se ipsam essentia, per se ipsam vita, per se ipsam ratio; per se ipsam intelligentia, per se ipsam sapientia, per se ipsam virtus, per se (ipsam) beatitudo, per se ipsam veritas, per se ipsam aeternitas (*a*). Atque ita inter causas primordiales, quas rerum omnium principia divini sapientes appellant ; sunt omnes virtutes ac rationes (*b*), quas semel et simul Pater fecit in Filio, et secundum quas ordo omnium rerum a summo usque deorsum texitur, hoc est, ab intellectuali creatura, quae Deo post Deum est proxima, usque ad extremum rerum omnium ordinem, quo corpora continentur ». (III, 14, 1 ; II, 36.)

§ 25.

« Visibilium rerum causis primordialibus est eximia subtilitas, ineffabilis naturae simplicitas eaque obscuritas, quae nullo coloris lumine, nulla formarum discretione sit declarata : intellectualis vero essentiae causae primordiales habent incomprehensibilem altitudinem, infinitam sui per omnia diffusionem, quae nullo percipitur sensu, nullo comprehenditur intellectu, praeque ineffabilis suae puritatis excellentia tenebrarum nomine meruerunt appellari. Ex effectibus, hoc est ex processionibus in genera formasque sensibiles atque intelligibiles cognoscuntur, quia sunt, non tamen intelliguntur, quid sunt ». (II, 17. 20.)

§ 26.

« Si quis nosse velit, utrum principalia illa exempla se ipsa intelligant, priusquam in res, quarum causae sunt, profluant, necne, huic breviter respondendum, Deum in sapientia sua (*c*) eas fecisse, quo fiat, ut non solum se ipsa cognoscant, sed etiam rerum, quarum principia sunt, notitiam habeant. Non enim credendum est, in divina sapientia aliquid insipiens et se ipsum ignorans conditum fuisse. » (II, 18, 20. V, 24.)

§ 27.

« Fuerunt autem causae illae primordiales usque ab omni aeternitate. Sunt quidem factae, verum ita, ut neque aeternitas earum facturam, neque factura earum aeternitatem praecedat. Nascente enim Filio

A ex Patre (id quod usque ab omni aeternitate factum est) factae sunt praedestinationes substantiales (h. e. causae primordiales) in verbo Dei. Causas siquidem primordiales Patri et Filio coaeternas esse credimus » (III, 16 ; II, 20— 21.)

Sed Scotus, etsi his locis diserte dixit, causas primordiales Patri Filioque esse « coaeternas », tamen aliis locis contendit, ipsas non omnino his esse « coaeternas ». « Ideo (enim) », ait, « causas primordiales Deo dicimus coaeternas, quia semper in Deo sine ullo temporali principio subsistunt, ideo ipsi non coaeternas, quia non a se ipsis, sed a suo creatore incipiunt esse, ipse vero creator nullo modo incipit esse ». Est autem hac illius rei explicatione magis etiam miranda ratio quaedam, quae huic ipsi B explicationi est adjecta : « Si in ipsa causa causarum omnium, in S. Trinitate, quaedam intelligitur processio — Deitas enim gignens et mittens praecedit genitam et procedentem, dum sit una et inseparabilis Deitas — non mirum est, aut incredibile, causarum omnium causam praecedere ea, quorum causa est ». (de div. Nat. II, 21 ; III, 5 seqq.) « Quamquam autem capi nequit, quomodo causae primordiales et factae et aeternae possint esse, res tamen illustratur exemplo numerorum, qui simul aeterni sunt et facti : aeterni in monade, facti in monadis multiplicatione ». (III, 11 seqq.)

§ 28.

Viva igitur illa (sup. § 26) omnium virtutum rationumque, quibus rerum naturae universitas efficitur, C exempla principalia, quas primordiales causas appellavimus (§ 23-24), non solum Deo sunt coaeterna (§ 27), verum etiam usque ab omni aeternitate cum Deo conjuncta atque, adeo in ipso Deo fuere. Namque a Deo Patre, summo omnium rerum principio, in Filio unigenito, creata seu condita seu facta sunt, ut semper « in ipso substiterint ». (§ 23-24 ; § 26-27.) Quomodo autem causae primordiales in Verbo Dei unigenito conditae sint, « omnes superat intellectus, solique Verbo, in quo sunt conditae, cognitum est ». (III, 16-17.) Nihilominus Erigena alio quodam loco scribit : « Siquidem ex fonte flumen principaliter manat, et per ejus alveum aqua, quae surgit in fonte, defunditur, sic divina bonitas, et essentia, et vita, et D sapientia, et omnia, quae in fonte omnium (h. e. in Deo [cf. IV, 1]) sunt, in primordiales causas defluunt, et eas esse faciunt ». (III, 4.)

§ 29.

Atque haec ipsa verba aperte declarant etiam illud, causas primordiales esse rerum exempla substantialia, quae substantialiter ex divina fluxere substantia, ejusdemque cum ipso Deo sunt essentiae. Quod Scotus satis constanter tradit. Legimus cum

mente oriuntur, inque ea radicantur, sua autem propria gaudent substantia ».

(*a*) Haec ideo per se esse dicuntur, quod « unius universorum causae participationes sunt; neque illa creatura inter ipsas et unam omnium causam interposita est ». (II, 36; III, 1.)

(*b*) Quae verba ab Hiortio vertuntur (p. 70.) *alle thätigen, lebendigen Begriffe.*

(*c*) Hoc est, in Filio suo unigenito. Cf. sup. § 12. ; de div. II, 22.

multa alia, tum haec : « Dicit sacra Scriptura : « « In principio fecit Deus coelum et terram] » », h. e. Deus Pater in Deo Filio universitatem totius creaturae visibilis et invisibilis condidit; et quid in principio suo, in verbo suo, in Filio suo unigenito pater conderet, quod ipse Filius (*a*) non esset? Alioquin non in ipso condiderit. Aut quomodo pateretur, fieri in se verbum (*b*), quod sibi consubstantiale non esset? Non enim lux sinit in se tenebras, nec veritas in se recipit figmentum ». (III, 17.) Habetur deinde (III, 1) hoc : « In omnibus causis primordialibus uniformiter haec regula observatur, quod per se ipsas participationes principales sunt unius omnium causae, quae Deus est » (cf. II, 36). Quid autem ista « participatio » proprie sibi velit, pluribus (III, 3) ab Erigena explicatur, quorum summam ita propositam invenimus : « Hinc facillime datur intelligi, nihil aliud esse participationem, nisi ex superiori essentia secundae post eam essentiae derivationem ».

Ita igitur causae primordiales unius omnium causae, quae Deus est, sunt participationes, ut « earum essentia ex hujus essentia sit derivata » hoc est « tanquam aqua ex fonte profluxerit ». (cf. III, 3-5.)

§ 30.

Neque tamen hoc loco praetereunda videtur illa Schlueteri opinio (*c*), plane errasse I. Goerresium (*d*), quum ita scriberet, Naturam creatam creantem, quam Erigena statuat, esse Filium Dei unigenitum. Uterque errore ductus est : Schlueterus majore, quam Goerresius. Nam Scoti sententia haec est. Deus Pater usque ab aeternitate genuit sibi Filium suum unigenitum (cf. sup. § 11). Deinde Pater, item usque ab aeternitate, in hoc Filio suo creavit (h. e. ex substantia sua substantialiter emisit) totius rerum universitatis causas primordiales, exempla principalia, quae ejusdem plane cum Filio substantiae sunt, quorumque complexio Naturam efficit creatam creantem (§ 23-29). Itaque Natura creata creans, universale quasi totius condendae universitatis exemplum principale, non solum in Filio Dei unigenito continetur, verum etiam ejusdem cum ipso est substantiae. Potuit igitur Scotus jure quodammodo, quae Goerresius dicit, pro philosophiae suae decretis revera docere.

Itaque factum est, ut contenderet (III, 9), « et ipsum Verbum (h. e. Filium Dei) et multiplicem totius conditae universitatis rationem principalissimam (h. e. Naturam creatam creantem) id ipsum esse ». Atque est, ubi majore etiam nisu rem gesserit. Affirmat enim (III, 20-21) confidentissime etiam hoc : « Filium Dei » (non genitum, sed) « creatum, in creaturarum numero factum ».

Verum enim vero, cum alias satis constanter doceantur ea, quae supra explicavimus, neque quem- A quam fugere possit, Scotum his locis (III, 9 et praecipue III, 20-21) aliam quandam rem probandi studio fuisse abreptum, nos quidem illa, Filium « Dei cum Natura creata creante unum esse et id ipsum », « Filium Dei esse creatum », non omnino ad vivum existimamus resecanda.

§ 31.

C. Venimus nunc ad « tertiam Naturae speciem, quae creatur, et non creat ».

« Haec species in iis rebus intelligitur, quae in generatione temporibusque ac locis cognoscuntur, hoc est, in primordialium causarum effectibus extremis ». (I, 1; IV, 1.)

§ 32.

B Causae igitur primordiales rerum omnium, quae Natura creata non creante comprehenduntur, exempla principalia, quas Deus usque ab omni aeternitate in Filio suo condiderat, semper in eodem unigenito Dei Filio substiterunt. (§ 23-30; III, 8-9.) « Dum autem in principio omnium, in Verbo Dei unigenito, substitutae intelliguntur, unum sunt et simplices, nulloque cognito ordine definitae aut segregatae. Hoc in effectibus suis patiuntur. Dum enim in effectus suos, in infinitum multiplicatos, procedunt sive profluunt, numerosam ordinatamque sui pluralitatem recipiunt. Res clarius elucescit intuentibus circulum atque lineas ex centro ad eum ductas. Omnes enim lineae in centro unum sunt, nec ullo modo separatae : dum vero ex centro protenduntur, spatia, quibus C segregantur, crescere incipiunt, donec ad extremum circulum perveniant, ubi latissima sua diastemata mensurantur ». (III, 1 seqq.)

§ 33.

« Deinde una omnium causa, Deus, causas primordiales, quemadmodum in Filio suo condidit, ita per Spiritum sanctum in effectus suos dividit atque multiplicat. Ait sacra Scriptura : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas ». Hujus rei facillimus occurrit intellectus, si, ut Syrum quendam transtulisse ferunt, legatur : « Et Spiritus Dei fovebat aquas ». Spiritus enim sanctus causarum primordialium aquas, ut in ea, quorum causa sunt, profluerent, fovebat, id est, divini amoris fotu nutriebat. Ad hoc namque D ova ab alitibus foventur, ut intima invisibilisque vis seminum, quae in iis latet, per numeros locorum temporumque in formas visibiles corporalesque pulchritudines erumpat ». (II, 36, 19-22.)

§ 34.

« Haec autem unius omnium causae, quae Deus est, in omnia, quae sunt, per causas primordiales divisio atque multiplicatio ita fit, ut per generalem omnium essentiam primo, deinceps per genera generalissima, deinde per genera generaliora, inde per

(*a*) Quod non esset « ipsi Filio consubstantiale ». cf. III, 17; II, 20 seqq.; III, 8-9; praecipue V, 24 seqq.

(*b*) Hoc est causarum primordialium complexionem sive Naturam creatam creantem. Cf. § 30.

(*c*) Cf. p. XVIII seq.

(*d*) Cf. *Christl. Mystik*, vol. I, p. 243-244.

species specialiores usque ad species specialissimas per differentias proprietatesque descendat ». (III, 3-4; II, 2; praef. ad Max. ambb. op. Gal. app. p. III.)

§ 35.

« Hinc quaecunque ab uno omnium principio per naturales descensiones usque ad extremitatem totius naturae, qua corpora continentur, sunt constituta, unum illud omnium principium, unum omnium fontem participant. Est enim participatio nihil aliud nisi ex superiori essentia derivatio, et ab ea, quae primum habet esse, secundae, ut sit, distributio » (III, 3). « Causae primordiales, inter quas et rerum omnium causam nulla creatura interposita est, immediate unam illam omnium causam participant; ipsae a reliquis rerum ordinibus, prout harum causae sunt, participantur. Nam quaecunque bona sunt, sunt participationes per se ipsam bonitatis; quaecunque essentiam habent, sunt participationes per se ipsam essentiae; quaecunque vivunt, sunt participationes per se ipsam vitae », atque ita porro de ceteris principiis (cf. § 24) eodem modo intelligere, non alienum est a veritate. (III, 3-4; II, 36; III, 1.)

§ 36.

« Quemadmodum autem causae primordiales sola unius omnium rerum causae, ex qua fluxerunt, participatione sunt atque subsistunt, ita omnes post eas rerum ordines, qui ex illis manaverunt, sola illarum participatione sunt atque subsistunt ». (II, 36; III, 1. 8-9, 3-4. 20.)

Hisce locis expresse dixeris doceri, ipsas omnium rerum, quibus hoc universum efficitur, substantias de primordialium causarum sede, quae est in Filio Dei, in hoc universum, retenta tantummodo simul illa sede, descendisse : quod aliis locis expressius etiam docetur (cf. III, 4. 25; inf. § 38). At libro quinto (cap. 14 seq.) haec legimus : « Ut ipsae causae primordiales non deserunt sapientiam (id est Verbum Dei), sic ipsae substantiae non deserunt causas, sed in eis semper subsistunt : et quemadmodum causae extra substantiam nesciunt esse, sic substantiae extra causas non possunt fluere. — Restat itaque, de qualitatibus substantiarum, qualitates autem dico, sicut solent sapientes omnia, quae substantiis accidunt, appellare, quia mutabiles sunt, et circa substantias suas volvuntur, hunc mundum fabricatum compactumque fuisse. — Nec sic tamen praedictas substantias, substantiarum qualitates suas substantias, circa quas volvuntur, omnino deserere, et in materiem sensibilis mundi convenire arbitramur; sed mirabili et ineffabili modo, soli fabricatori illius cognito, et circa suas substantias, quibus inseparabiliter adhaerent, semper permanent, et hunc mundum modo quodam intelligibili compositionibus suis perficiunt atque componunt ».

Et item libro quinto (cap. 25) : « Omnia, quae locis temporalibusque variantur, corporeisque sensibus succumbunt, non ipsae res substantiales vereque existentes, sed ipsarum rerum vere existentium quaedam transitoriae imagines et resultationes intelligenda sunt. Cujus rationis exemplum est vox, ejusque imago, quae ἠχὼ vocatur, seu corpora ipsorumque umbrae : quae cuncta non res, sed falsae rerum imagines probantur esse ».

Nos vero, quum Erigena paucioribus tantum locis hunc in modum locutus sit, illam potissimum sententiam, quam alias ubique exprimere videtur, nobis sequendam esse putavimus. Satis autem erit, hanc alteram a nobis non esse neglectam. (Cf. inf. § 64.)

§ 37.

Quibus expositis, luce, ut arbitramur, clarius est, quae Scotus noster et de origine et de substantia Naturae creatae non creantis, quo nomine hanc rerum universitatem appellat, in libris de div. Naturae docuerit. Nam, si quis alius, emanativum, quod vocant, systema expressit. Quum vero nostra aetate fuerint, qui, opinantes fortasse, illam non fuisse veram Scoti sententiam, vix aut ne vix quidem dubitarent, quin Scoti ratio omnino sana atque integra esset, neque ullo pacto pantheismi, quem appellant, accusanda (*a*), huic disputationi nostrae unum praeterea et alterum ex libris de div. Naturae locum adjiciemus, unde apertius etiam, si fieri possit, hujus doctrinae Erigenianae indoles pernoscatur. Deinde videbimus, hanc ipsam et veram esse librorum de div. Naturae sententiam.

§ 38.

I. « De his, qui de eo nihilo, quod totius essentiae negationem significat vel habitudinis ejus privationem vel absentiam, mundum factum fuisse arbitrantur, quid dicam, ignoro. Non enim video, quare non considerant », quae vel maxime sunt consideranda. (III, 22.)

Ac nostris ita verbis Scoti verba clausimus, propterea quod, quae ipse illis addidit, exscribere non potuimus. Namque per densissimam nugarum silvam semet ipsum circumvolutando tanquam insanos vexat atque exagitat illos, quibus iis verbis, quae modo integra exscripsimus, bellum indixit. Quam ipse de illo nihilo, quae sit certa quaedam materia, ex qua Deus mundum composuerit, unam ac solam sequatur sententiam, plurimis versibus explicat (III, 19-23), quorum summa haec est : « Eo nomine, quod est nihilum, ineffabilem et incomprehensibilem divinae bonitatis (s. naturae) inaccessibilemque claritatem, omnibus intellectibus sive humanis sive angelicis incognitam (superessentialis est enim et supernaturalis) significamus, quae dum per se ipsam cogitatur, neque est, neque erat, neque erit » (cf. sup. § 1-8) ; « in nullo enim intelligitur existentium, quia superat omnia; cum vero per condescensionem quandam ineffabilem in ea, quae sunt, mentis obtutibus inspicitur, ipsa sola invenitur in omnibus esse, et est, et erat, et erit ». Item (III, 17)

(*a*) Cf. Schlueteri praef. p. VI seqq.

« Ipsa materies », ait, « de qua legitur Deus mundum fecisse, ab ipso et in ipso est, et ipse in ea est, quantum intelligitur ea esse : non enim indiget Deus alterius materiae, quae ipse non sit, in qua se ipsum facit; alioquin impotens videretur et in se ipso imperfectus ».

II. « (Deus est) causa creatrix existentium et non existentium omnium, a nullo creata, unum principium, una origo, unus et universalis universorum fons, a nullo manans, dum ab eo manant omnia ». (IV, 1.)

III. « Ipse Deus omnium est factor et in omnibus factus, et dum super omnia quaeritur, in nulla invenitur essentia; nondum enim est esse : dum vero in omnibus intelligitur, nil in iis, nisi solus ipse subsistit, et neque est hoc, hoc autem non, sed omnia est : proinde ex superessentialitate suae naturae, in qua dicitur non esse, primum descendens in primordialibus (causis) a se ipso creatur, et fit principium omnis essentiae, omnis vitae, omnis intelligentiae, et omnium, quae in primordialibus causis considerat, gnostica theoria : deinde ex primordialibus causis, quae medietatem quandam inter Deum et creaturam obtinent, hoc est, inter illam ineffabilem superessentialitatem super omnem intellectum, et manifestam substantialiter naturam, puris animis conspicuus, descendens in effectibus ipsarum fit, et manifeste in theophaniis suis aperitur : deinde per multiplices effectuum formas usque ad extremum totius Naturae ordinem, quo corpora continentur, procedit, ac sic ordinate in omnia proveniens facit omnia, et fit in omnibus omnia, et, dum in omnibus fit, super omnia esse non desinit, ac de nihilo facit omnia, de sua scilicet superessentialitate producit essentias, de supervitalitate vitas, de superintellectualitate intellectus, de negatione omnium, quae sunt et quae non sunt, affirmationes omnium, quae sunt, et quae non sunt ». (III, 20.) Cf. praeterea III, 4. 17. 23, quibus locis eadem res iisdem fere verbis declarata est.

IV. Scotus, postquam ea, quae modo (§ 38, III, de div. Nat. III, 20) integris ejus verbis explicata sunt, edisseruit, hac ratione pergit : « Haec ardua valde sunt, et a sensibus corporalia et visibilia cogitantium remota; his vero, qui spiritualiter in cognitionem veritatis ascendunt, verissime clarescunt. Quis enim claram sapientiae lucem cernere nolentium talia audiens non continuo erumpat : « Insaniunt, qui haec dicunt? Quomodo enim Deus invisibilis, incorporalis, incorruptibilis potest a se ipso descendere, et se ipsum in omnibus creare, ut sit omnia in omnibus, et usque ad extremas hujus mundi visibilis turpitudines et corruptiones vilissimas, formas et species procedere, ut ipse etiam in iis sit, si omnia in omnibus est »?

« Ignorans (est), qui dicit nullam turpitudinem in universitate totius creaturae posse esse? Quod A enim partim contingit, in toto fieri Deus non sinit, cujus nec universitatis turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat ».

Atque eodem modo etiam alibi (cf. III, 17) et rectae rationis et doctrinae Christianae sententia (hujus rerum universitatis substantiam a substantia divina esse penitus diversam) disertis verbis atque de industria refellitur, nec non ludibrio fere habetur.

V. Hisce unum denique locum adjiciemus, qui etiam hoc doceat, quam acerbe ac petulanter Scotus sacrae Scripturae sensum, ut ad suam eum sententiam detorqueat, vexaverit, depravaverit, corruperit. Verum haec res est profecto ea, quae sanis mentibus summam tum miserationem tum indignationem non movere non queat.

B Multis igitur, quibus nihil fortasse unquam dictum sit delirius, quorumque partem jam supra (§ 29. § 33) retulimus, sed multis de ipso Genesis exordio effutitis, haec docentur : « Fiat lux » ! hoc est « procedant primordiales causae ex incomprehensibilibus naturae suae secretis in formas et species comprehensibiles ». « Et facta est lux », hoc est « Deo volente ac dicente obscuritas primordialium causarum in formas et species processit apertas ». « Et divisit Deus a tenebris », hoc est « segregavit notitiam effectuum ab obscuritate suarum principalium causarum. Divisio quippe lucis a tenebris est discretio rerum, per formas et species apparentium, a principiis suis, in quibus omnem superant intellectum ». Ideoque praedixit : « Et vidit Deus lucem, quia esset bona », hoc est C « placuit Deo, originales causas, ante omnem creaturam, ultra omnem intellectum conditas, intellectibus sive humanis sive angelicis, luce quadam intelligentiae superfusas manifestari ». « Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem », hoc est « contemplantibus animis praestitit, manifestationem visibilium et invisibilium per formas et species diem appellare, eorum autem in principiis suis incomprehensibilem altitudinem vocare noctem ». « Factumque est vespere et mane dies unus », « quamvis enim inter obscuritatem causarum et claritatem effectuum divisio intelligatur et differentia, unus tamen idemque dies est, hoc est, unus eorum intellectus; non enim alia creatura intelligitur in causis facta, alia in effectibus causarum condita, sed una eademque in D rationibus aeternis, veluti in quibusdam tenebris secretissimae sapientiae, omni intellectu remotae, et in processionibus rationis in effectus intellectibus succumbens, veluti in quadam die perfectae notitiae manifestata (a) ». (III, 25.)

§ 39.

Neque alienum videtur, si jam nunc, quo facilius, qui haec lecturi sint, causam cognoscant, de pantheismo Erigeniano cum illis argumentis, quae a Schluetero (b) nobis opposita sunt, rem totam confecerimus.

(a) Nec dissimili ratione atque interdum pejus etiam in toto « opere sex dierum » exponendo (III, 24-40; IV, 3 seqq.) quae sacra Scriptura vel apertissime enarrat, Erigenianae philosophiae decretis illigata distorquentur.

(b) Cf. praef. Schluet. p. XVI-XXII.

§ 40.

Itaque nostro tandem jure hoc nobis sumere videmur, docuisse Erigenam re et facto illa, quibus supra (§ 22) totam ejus philosophiam contineri diximus, substantialiter ex substantia divina fluxisse, manasse causas primordiales omnium rerum, quaecunque hoc universitatis corpore comprehendantur, exempla principalia hasque deinde causas primordiales in earum effectus, hanc ipsam rerum universitatem, profluxisse, promanasse, ita ut neque de propria sua sede, quam usque ab omni aeternitate in ipso Deo ejusque splendore coelesti obtinuerint, sint dejectae, et sola ipsarum participatione substantiali sit id ipsum, quod in hac rerum universitate proprie esse dicatur, omnium rerum substantia.

§ 41.

Potuit igitur, imo vero etiam debuit Scotus, si haec, quam paucis explicavimus, vera ejus fuit sententia, et cum iis, qui pantheismum sequuntur, unam tantum in omnibus rebus substantiam statuere, eamque divinam, et uno eodemque tempore cum communi hominum, qui recte sentiunt, loquendi usu Deum agnoscere, cujus sedes quasi ac domicilium sit supra omnem rerum naturam, qui hanc totam rerum naturam creaverit, suaque essentia, ut ita dicamus, supereromineat. Modo ne hoc expressis verbis contendat, substantiam divinam ab earum rerum, quae a Deo creatae dicantur, substantia penitus esse diversam.

§ 42.

Verum enimvero tantum abest, ut, quod ultimo loco posuimus, ullibi in libris de divisione Naturae contenderit, ut ubique fere per illos libros, vel aliud agendo (*a*), vel data opera ea, quae modo paucis comprehensa proposuimus, docuerit, ac praeterea etiam pluribus locis (sup. § 38, l. IV) contra illos, qui diversa sentiant, acerrime defenderit.

Illa vero, quae item ab Erigena doceri et posse et debere animadvertimus, « esse Dei sedem quasi ac domicilium supra omnem rerum naturam » — « esse Deum totius rerum naturae causam » — « supereminerі hanc rerum universitatem essentiae divinae praestantia » : haec igitur, et his similia in libris de divisione Naturae pluribus locis reperimus. Legitur enim saepius (I, 3. 7 cet.) : « Ipse Deus in se ipso ultra omnem creaturam nullo intellectu comprehenditur » : item (IV, 1) : « Deus est causa creatrix existentium et non existentium omnium » : et hoc (I, 17) : « Categoriarum significationes, quae proprie in rebus conditis dignoscuntur, de causa omnium non absurde possunt proferri ; nec tamen proprie, sed translative : nam si aliqua categoria de Deo proprie praedicaretur, necessario Deum genus esse sequeretur ; Deus autem nec genus nec species nec
A accidens est : » et rursus (II, 1) : « Non est Deus genus creaturae, nec creatura species Dei, sicut creatura non est genus Dei, neque Deus species creaturae est. — Deus non est totum creaturae neque creatura pars Dei ; nec creatura est totum Dei, neque Deus pars creaturae. — Metaphorice Deus dicitur et genus, et totum, et species et pars ; omne enim, quod in ipso et ex ipso est, rationabiliter de eo praedicari potest, sed intelligibili quadam universitatis contemplatione : universitatem dico Deum et Creaturam » : postremo etiam hoc (III, 1) : « Causa totius universitatis conditae creatrix est supernaturalis et superessentialis et supra omnem vitam et sapientiam et virtutem, et supra omnia quae dicuntur et intelliguntur et omni sensu percipiuntur, dum est ho-
B rum omnium principium causae et medium implens essentiale, et finis consummans — et ambitus omnia, quae sunt, et quae non sunt, circumscribens ».

§ 43.

Haec igitur et his similia, ut necesse est, in libris de divisione Naturae leguntur. At sane mirandum est, qui factum sit, ut Scotus, quum haec sola communem hominum loquendi usum referre videantur, haec tamen ipsa longo paucioribus locis, quam crederes, scripsisse deprehendatur.

Quis autem est, quin videat, non esse inter hos locos, quibus pantheismus Erigenianus, quem quidem supra explicavimus, ullo pacto labefactetur, ne dicamus disjiciatur? Sunt contra in eorum numero,
C qui plane ac diserte pantheismum doceant!

Quae quum ita sint, hoc profecto stare arbitramur, *nihil omnino ex libris de divisione Naturae posse anquiri, quod ab illo pantheismo, quem emanativum, quod vocant, systema exprimit, ipsos liberari posse declaret.*

§ 44.

Nihilominus Schlueterus (p. XIV seqq.) invenisse sibi videtur, quae illorum librorum doctrinam pantheismo plane absolvant. Pugnat autem illo loco adversus Goerresium, cui hanc tribuit sententiam : « Scotum Areopagitae ideas ac notiones evolventem necessitate quadam vetus pantheismi periculum incurrisse, qui in scriptis Areopagitae ... latuerit.... Naturam creatam creantem esse λόγον, medium sci-
D licet inter non creatam creantem (Deum) et creatam non creantem (Creaturam) positum. Itaque Deum trinum sese Scoto cum creatura miscuisse.... Creantem autem creari naturam ideo ab Erigena doceri, quia Deus superessentialis et superqualitativus dum ex aonomasia in pantonomasiam per theophanias quasi procedat, per hanc processionem (quatenus per ideas... sese explicet) quodammodo omnia in omnibus fiat (*b*) ».

Adjiciuntur his ipsis nonnulla ex Goerresio de re-

(*a*) Saepissime, ut alia taceamus, legitur « mundus *est ex Deo* » et quae sunt generis ejusdem. Cf. sup. § 10; de div. Nat. II, 19-20 et toto fere libro.

(*b*) Ex Goerresii sententia Schlueterus hoc scribere debuit : « Naturam creatam creantem λόγον esse ideo ab Erigena doceri, quod Erigena docuerit, Deum ex aonomasia in pantonomasiam per theophanias procedere, nec non dici posse, Deum per hanc processionem semetipsum creare ».

ditu omnium rerum in Deum; quae quidem, quum hoc loco nullius sint momenti, praetermittenda esse existimavimus.

Deinde Schlueterus totam hanc Goerresii accusationem his verbis comprehendit (p. XVI): « (Erigena) pantheismum profitetur, quum λόγον, Deum Filium, emanantem a Patre, creaturam Patris esse affirmet ».

§ 45.

Hoc autem pacto depravatus atque mutilatus Goerresius facili jam labore devincitur. Verum si quis scire cupiat, quibus potissimum argumentis petitus sit, fere haec sunt:

I. « Quamquam », ut Schlueterus (p. XVIII) ait, « nonnullis locis Natura creata creans cum Logo confusa, vel non satis ab eo distincta videtur, multis tamen locis determinate a Logo aeterne genito mundus in Logo conditus et per Logon factus ut Natura aeterne creata discernitur, licet cum Logo conjunctus, quando Naturae creatae non creanti opponitur, idem et creata et creans appelletur Natura. Praeterea Scotus in expositionibus, quas de S. Ternario profert, singulas personas secundum dogma distinguit, atque ita Logon dicit aeterne genitum, nec procedentem, nec creatum ».

Loci, quibus illa inter Logon et Naturam creatam creantem et Naturam creatam non creantem distinctio clarissime videatur illucescere (praeter illos, quibus Deus genitus a Deo generante et procedente non minus, quam a creatura distinguatur) ex multis afferuntur hi:

Lib. II, 21: « Omnis creatura incipit esse, quia erat, quum non erat; erat in causis quidem, non erat in effectibus: non omnino igitur vere aeternitati coaeterna est ». — Deinde habentur lib. III, 16. 17. 18. II, 22, quibus locis, ut nos quoque supra (§ 28. § 30) audivimus, « totius creaturae universitas *in Filio* Dei unigenito facta, condita » dicitur.

II. Tum Schlueterus (p. XIX) ita fere pergit: « Si vero Erigena aliis locis (III, 20 seqq.) contendit: » Deum creari in omnibus, « sive: » Deum esse in se, fieri in creaturis, « idem, ut multi alii fecerunt, lectionem tantum illam apud S. Joannem Evangel. I, 3-4: « Quodcunque factum enim est, in ipso vita erat. Et vita erat...... » sequitur. At sane injustum foret, propter haec verba Erigenam pantheismi accusare! Nonne etiam pictor, qui regis imaginem pingit, quaerenti quid faciat, respondet, fit rex »?

Post nonnulla ex S. Augustino et ex A. Guenthero in alienissimum sibi locum compulsa, Schlueterus (p. XX) haec habet: « Age ergo, etiam Erigenae indulgeamus dicenti: « Deus est in se, fit in creaturis », quum propter Paulinum illud: « qui est per omnia et in omnibus », alterum ejusdem Apostoli: « qui est supra omnia, nusquam neglexerit ». Quam rem ut probet, laudat Schlueterus de div. Nat. IV, 5 sub fin., ubi haec leguntur. « Deus et supra omnia et in omnibus est, ipse siquidem essentia omnium est, qui vere solus » (solus vere) est.

III. Monito autem (p. XX), ne quis Erigenianum illum Naturae quaternarium cum S. Ternario dogmatis ullo modo unum esse putet, Scotus (p. XXII) omni culpa absolvitur, propterea quod « si pantheismum fuerit sectatus, docere non potuisset, quae docuerit: a) Deum esse supernaturalem et superessentialem et supra omnia, quae omni sensu percipiantur, dum sit horum omnium principium causale, et medium implens essentiale, et finis consummans — et ambitus circumscribens, — neque » (Aristotelicam) « categoriam essentiae, neque ceteras novem categorias » (quae omnes proprie, ut Scotus [1, 17] ait, in rebus conditis dignoscuntur) « in Deum posse cadere » (*a*). b « Humanam voluntatem esse liberam ad eligendum vel bonum vel malum, et genus humanum in Adamo praevaricatum mortique obnoxium factum, in Christo et per Christum salvatum esse et vitae aeternae redditum ». c) « Superbiam Luciferi, qui sua virtute Deus esse cupiisset, detestabile crimen fuisse ». d) « Deum efficere, ut multa extra communem naturae ordinem eveniant, quo ostendat, se solum esse Dominum ». Hisce quintum additur hoc: « Scotum, si pantheismum fuerit sectatus, notionem classice dogmaticam S. Ternarii non potuisse omnibus locis retinere recteque explicare ».

Habemus igitur cuncta illa argumenta, quorum pondere Schlueterus non solum Goerresium, sed una cum Goerresio (cf. p. XIV) etiam, quicunque unquam Scotum pantheismi accusarunt, satis superque sibi repressisse visus est.

§ 46.

Nos autem haec argumenta tam diligenter descripsimus, non quo multum iis velimus tribuere, id quod profecto, quum tota Erigenae disciplina jam accuratius a nobis explicata fuerit, necesse non est, sed ne quis arrogantiae nos accuset, ea, quibus aliquid tribuatur, vix digna esse contendentes.

I. Quantopere igitur (§ 44) Goerresii accusatio depravata est atque mutilata! Is enim satis aperte, qui sit ille pantheismus, in quem incidisset Erigena, declaraverat, quum ita diceret, « *Areopagitae ideas* evolventem eum in pantheismi periculum incurrisse ». Atque hoc ipsum, licet in hac causa dijudicanda, ut (§ 22. § 40 — § 43) satis copiose demonstravimus, longe maximi sit momenti, Schlueterus neglexit. Neque illam injuriam, sive quo alio nomine rem appelles, impune tulerit, propterea quod hac re, opinamur, factum est, ut doctrinam Erigenianam, pantheismo penitus infectam, pantheismi

(*a*) Hoc loco non ipsa Schlueteri verba allegavimus, sed illa fere scripsimus, quae ipse suis verbis ex Erigenae argumento protulit. Locum illum de div. Nat. II, 1 praetermisimus: eum enim supra § 42 jam posuimus.

culpa putaverit absolvendam. Namque illae ipsae res, quas a pantheismo Erigeniano una cum communi hominum, qui recte judicant, loquendi usu doceri atque sumi non solum posse, verum etiam debere (§ 40 — § 43) ostendimus, quae neminem profecto in Erigenae doctrina offendere debuerant, Schluetero, ut in defensione sua apertissime declaravit, verba dederunt. Quod haud scimus an factum non esset, dum illud Goerresii monitum, ut aequum fuit, diligentius curasset.

II. Quid autem illa (cf. § 44) : « (Erigena) pantheismum profitetur, quum λόγον, Dei Filium, emanantem a Patre, creaturam Patris esse affirmet », — quid igitur illa sibi velint, vix intelligimus. Pantheismum nos docuisse, quum docuerimus, Filium Dei non genitum, sed creatum? At Schluelerus, id quod ex iis, quae (cf. § 45) ad haec respondet, patere arbitramur, ita scribere debuit : « (Erigena) pantheismum profitetur, quum neque Naturam creatam creantem, neque Naturam creatam non creantem ab unigenito Dei Filio, ipsi *Deo Patri consubstantiali*, habeat distinctam (*a*) ».

Schluelerus has res a Scoto non distinctas negat. Sed jampridem a nobis demonstratum est, quod ad substantiam attineat, qua una in re hoc loco cuncta posita esse constat, et Naturam creatam creantem, et Naturam creatam non creantem in libris de divisione Naturae cum unigenito Dei Filio Patri suo consubstantiali esse confusas (§ 29 — § 38). Hoc autem proprie sibi demonstrandum fuisse, substantiarum esse posse diversitatem, Schluelerus, opinamur, non animadvertit.

III. Quod si (cf. § 45, II) apud eum hoc legimus, Erigenae, sicubi dixerit : « Deus est in se, fit in creaturis », sive : « Deus creatur in omnibus », hac in re esse indulgendum, quasi hae solae locutiones sint, propter quas pantheismi accusatio Erigenae possit intendi, nos quidem sane non videmus, quid ipsi, qui tamen Erigenam, quum ederet, perlegere debuit, hac in re acciderit!

IV. Nec ampliore fortuna usus est in iis, quae (cf. § 45, III) quasi ex abundanti, ut aiunt, congessit. His enim de rebus, si una et item altera, quod tamen vix crediderimus, quæ cum pantheismo Erigeniano pugnet, reperiatur, qui tandem factum est, ut Schluelerus ne hoc quidem respexerit, num forte Erigena, quum illam doceret, parum sibi constiterit? Namque est, ubi sibimet ipsi contradicat (*b*) ; neque levissimis tantum in rebus.

Quod autem nonnulla doctrinae Christianae capita libro suo inseruit, tantum abest, ut haec istam libro pravitatem exuerint, ut ipsa quoque totam libri pravitatem cum summa sua pernicie induerint. Atque hoc de multis ipsorum jam vidimus : de pluribus etiam esse videbimus.

Ceterum Schluelerus hac in re ne somnio quidem cogitasse videtur, quam diligenter etiam illi, qui nostra aetate pantheismum docent, et eandem Christianae religionis capitum nomina saltem retineant.

V. Schluelerus (p. VI) : « Erigenam », ait, « multi multis modis perperam intellexere. Haud facile unumquodque ejus dictum, si ex orationis contextu abrumpatur, defendere queas. At affirmare audemus, eum, si totum respicias, amussim veritatis nusquam transgressum esse ».

Haec verba significare videntur, Schluelerum non singula Erigenae dicta, quae hic illic occurrant, quibus Erigena impugnetur, in medium allata, sed ad intimos philosophiae Erigenianae recessus, ut his locis, quid ipsa rerum agat, perspiciatur, penetratum velle. Quae ratio, si verum fateamur, summopere nobis placeret. Hic autem sensus in illis verbis inesse non potest, propterea quod sequeretur, Schluelerum illa ipsa ratione impugnari vetuisse, qua ipse in defendendo est usus.

Hoc enim ex iis, quae adhuc ab ejus libello nobis suppeditata sunt, luce est clarius, ipsum in occultos istius philosophiae sinus non penetrasse, nec, ut videtur, penetrare voluisse. Quapropter, quod de tota ejus defensione diximus, non injuria a nobis dictum arbitramur. Quid enim in Scoto defendendo antiquius habere debuit, quam ut id ipsum diligentissime perageret, quod plane neglexit?

Denique etiam hoc dicendum est, nos profecto ignorare, qualem omnino sibi finxerit pantheismum animoque conceperit. Scribit enim (p. XIV) : «(Nonnulli) inter quos numerandi videntur Thom. Mooreus, Dr. C. F. Hockius, recentiorum systematum, verae libertati Christianae speculationis minus faventium, praejudiciis impliciti, admodum quidem cavent, ne Deus cum creatura more gentilium pantheistice confundatur, nequaquam vero abyssum timent, inter utrumque iterum hiantem, quem teste S. Paulo (*Ephes.* II, 13 seq. et *Coloss.* I, 19) Salvator noster ita clausit, ut « utraque faceret unum ».

§ 47.

Quae postquam de Natura creata non creante, hac tota rerum universitate ad libros περὶ φύσεων explicata sunt, ceteras res, quae super eadem Natura docentur, sol, luna, quem habeant cursum, quae intervalla, qua ratione ex quatuor elementis omnia corpora sint composita, quae sit hominis ejusque sensuum natura, et quae sunt generis ejusdem, maxime propterea quod ad illa, quae nobis tota hac scriptione proprie cordi esse debent, parum attineant, optimo jure praetermittendas esse existimavimus. Sunt vero alia longeque consilio nostro gravissima in his libris, quae, quum propter sententiarum nexum facillime ad ipsam de Natura creata non creante disputationem adjiciantur, huc transferre decrevimus. Dicimus autem praecipue per magnas quasdam Christianae doctrinae partes, quas

(*a*) Hoc autem Goerresius, cui tribuitur, non dixit.

(*b*) Cf. Hock. in ephemm. Bonnenss. XVI, p. 42. 43.

philosophiae Erigenianae sordibus misere deprehendemus inquinatas.

§ 48.

Ipsius igitur Dei opera factum esse (§ 33) diximus, ut causae primordiales in effectus suos profluerent, proindeque omnia, quae hoc universo continentur, de summa dignitate sua in conditionem dejicerentur multo deteriorem (II, 11). Haec autem res divinae bonitati non repugnat, ideo quod, « ut vera ratio docet, mundus iste in varias sensibilesque species — — non fuisse erupturus dici potest, si Deus casum et interitum primi hominis, unitatem suae naturae deserentis, non praevidisset; homo autem post ruinam suam de summis ad ima, de aeternis ad temporalia, de spiritualibus ad corporalia — — suum miserabilem interitum, tali poena admonitus, potuit cognoscere, ut ad suae dignitatis pristinum statum poenitendo divinasque leges, quas transgressus erat, implendo redire postularet ». (II, 12.)

§ 49.

Atque haec ipsa Scoti verba etiam illud ostendunt, quid sit ei primi hominis, ut cum theologis loquamur, praevaricatio. Is enim « primi hominis casus et interitus » dicitur, quod « unitatem divinae naturae » (in qua cum reliquarum rerum causis primordialibus propriam suae dignitatis atque essentiae sedem obtinebat [I, 7; IV, 10; II, 6 seqq.]), « deseruerit, atque ita de summis ad ima, de æternis ad temporalia » — — sit deturbatus!! Hoc autem Scotus, ut philosophiae ipsius satis convenit, ita etiam constanter docet. (Cf. §, 50 seqq.)

§ 50.

« Primus homo praevaricando illam dignitatem, qua in primordialibus causis ornatus erat, deseruit. Hinc ab angelica ad pecorinam non solum essentiae, sed etiam multiplicationis rationem corruit. Hac enim de causa etiam in masculum et feminam divisus est, quum antea, in aeternis suis rationibus, non haberet divisionem sexuum, sed simpliciter homo esset. Iterumque post universalem omnium corporum resurrectionem, quae in fine mundi futura dicitur, haec sexuum divisio non amplius erit. Talis masculi et feminae adunatio in Salvatore nostro quum resurgeret, primum est facta : in eo enim, ut ait Apostolus, non est masculus neque femina ». (II, 6 seqq.; IV. 9. 12. 15.)

§ 51.

« Homo prius in seipso lapsus est, quum a diabolo tentaretur. Si in illo statu, quo Deus ipsum primitus condiderat, mansisset, in diabolum non incurrisset. Prius ergo descendit, perversae voluntatis motu impulsus, et in res temporales se praecipitavit : cadendo autem a diabolo sauciatus et spoliatus est ». (IV, 15; cf. IV, 23.)

§ 52.

« Peccati merito primis hominibus corpora sunt data : ante peccatum homo tantae spiritualitatis fuerat, ut nullis usibus corporalium sensuum indigeret, soloque intelligentiae officio frueretur ». (IV, 16, 19.)

§ 53.

Sed quae tandem sunt ista nugarum monstra! Ideo hanc rerum universitatem a Deo conditam, sive in statum deteriorem detrusam, ut homini, quem Deus sua sponte propediem istuc profecturum praescivisset, et poenitendi et se corrigendi daretur locus! Hanc ipsam esse primi hominis praevaricationem, quam vocant, quod de causarum primordialium sede, hoc est, ex ipso Deo ejusque Filió unigenito in hanc terram, brutis animalibus incolendam, sese demiserit! Non modo post peccatum demum, sed etiam propter solum peccatum ista unius hominis divisione duos homines esse factos! diabolum homines intra teli sui jactum accepisse! corpora, quae gestamus, hominum generi data!

Quae est ista doctrinae Christianae et sacrae Scripturae, ut ita dicamus, irrisio et ludificatio! Quam autem haec ipsa res, id quod nobis profecto gravissimum est, sola fere hujus libri philosophia atque indole et prodiit, et prodire debuit! Namque Scotus ceteroquin nec doctrinam Christianam, nec sacram Scripturam ullo pacto sprevit aut repudiavit; hoc solum fecit, ut suae philosophiae placitis ipsas accommodaret. Quod qua arte effecerit, jam supra (§ 38, I. V) animadvertimus, nec non illico claris aliquot documentis ostendemus.

§ 54.

« Plantationem Dei, paradisum in Eden, non aliud fuisse dicimus, nisi ipsam humanam naturam, quatenus ab initio ad imaginem Dei (hoc est in principali sua dignitate) facta esset : in ea lignum vitae (Verbum videlicet Patris) omnem fructificabat vitam; in ejus medio fons omnium bonorum (eadem videlicet divina sapientia) manabat; quattuor ejus flumina, ex uno fonte manantia, sunt quattuor principales animae virtutes, ex una sapientia profluentes, ex quibus omnis virtus et bona operatio scatet ».

« Unus homo in paradiso (hoc est, in illa felicitatis conditione) dicitur creatus, quo in homine et vir et mulier [secundum Patres (?)] intelligitur. Vir est animus, νοῦς, universae naturae humanae praesidens : mulier est sensus corporeus, αἴσθησις, cui incaute consentiens animus perditur. Qui fuit in illo paradiso Serpens, est illicita delectatio, qua ea, quae carnalem sensum delectant, damnabiliter concupiscuntur. Postquam homo in soporem incidit et obdormivit, Deus ex ipsius costa fecit mulierem, hoc est, quum homo illam animi intentionem, qua semper et inflexibiliter creatorem suum contemplari debuerat, ad delectationes rerum materialium reflexisset et carnalis copulae appetitu dedisset, se ipsum omnino aeternae ac beatae contemplationis vigore segregavit, in delectationem sensibilium, omni virtute evacuatus, cecidit, sensibus spiritualibus penitus recessit. Quando autem homo ita de

naturae suae dignitate lapsus erat, etiam sui divisionem in maritum et feminam, suamque ad similitudinem pecorum propagationem, consecutus est ».

« Licet plures harum rerum a sacra Scriptura, quasi ante hominis casum factae, narrentur, hoc nostrae sententiae non repugnat; neque enim ignoramus, usitatissimum esse divinae Scripturae tropum, qui a Graecis ὕστερον πρότερον sive πρόληψις, a Latinis praeposterum sive anticipatio vocatur ». (IV, 16-23.)

§ 55.

Tali igitur artificio Scotus, quidquid sacrae Scripturae, quidquid doctrinae Christianae in ipsius philosophiam incidit, fere depravatum habet. Hac enim in re admodum sibi consentaneus fuit. Quod luculentius etiam probaturi quam maxime operae pretium fecisse videmur, si illa. quae de hominum, *Adami culpa perditorum*, redemptione, de peccato, de peccati poena docentur, paucis adstricta retulerimus.

§ 56.

« Omnia, quae ex causa omnium » (hoc est vel Deus, vel unigenitus Dei Filius [cf. § 28-30]) « et ex causis primordialibus, in ea constitutis, procedunt, vilescerent, imo etiam penitus perirent, si ad fontem suum redire neque possent, neque redirent ». (V, 36.)

« Deus itaque, Dei Verbum, in quo omnia facta sunt causaliter et subsistunt, secundum suam divinitatem descendit in causarum, quae in ipso subsistunt, effectus, in istum videlicet sensibilem mundum ».

« Quod humanam tantum assumpsit naturam », (id est in humanam tantum naturam descendit), « ideo factum est, quod in homine omnis et visibilis et invisibilis creatura » (homo videlicet ex animo et corpore constat [cf. « de div. Nat. II, 5 seqq.]) continetur ».

« Descendit autem Verbum Dei non aliam ob causam, nisi ut causarum, quas secundum suam divinitatem aeternaliter et incommutabiliter habet, secundum suam humanitatem effectus salvaret, inque suas causas revocaret, ut » (effectus) « in ipsis » (causis) « ineffabili quadam adunatione, sicut et ipsa » (communis omnium) « causa » (ipsum Dei Verbum) « salvarentur ». (Nam) « si Dei sapientia in effectus causarum, quae in ea aeternaliter vivunt, non descenderet, causarum ratio periret; pereuntibus enim causarum effectibus nulla causa remaneret, sicut pereuntibus causis nulli remanerent effectus: haec enim relativorum ratione simul oriuntur et simul occidunt, aut simul et semper permanent ».

« Totus itaque mundus in Verbo Dei... incarnato, inhumanato adhuc specialiter restitutus est » (id est hucusque in solius tantum Verbi divini, ut aiunt, humanitate); « in fine vero mundi generaliter et universaliter in eodem restaurabitur. Quod enim in
A se ipso specialiter perfecit, generaliter in omnibus perficiet. Non dico in omnibus hominibus solummodo, sed in omni sensibili creatura. Ipsum siquidem Dei Verbum, quando accepit humanam naturam, nullam creatam substantiam praetermisit, quam non accepit. Ac per hoc, si humanam naturam, quam accepit, salvavit et restauravit, omnem profecto creaturam, visibilem et invisibilem, restauravit ». (V, 25; cf. V, 27. 36 [p. 289 edit. Oxon]; III, 20; IV, 5 [p. 170 edit. Oxon]; IV, 4; II, 9.)

Atque hoc profecto, si quidquam, artis istius Erigenianae specimen est dicendum. Quam misere hanc doctrinae Christianae partem in uliginosis istis causarum suarum primordialium effectuumque ex iis profluentium paludibus polluit atque turpavit!

B Neque Scotus, dum satis sibi constare velit, Ecclesiae verbis dicere queat: « Qui propter nos homines et proter nostram salutem descendit de coelo »! sed ad suae philosophiae placita hoc potius dicere debeat: « Qui propter semetipsum et propter hanc rerum universitatem, propter suam ipsius et propter hujus rerum universitatis salutem descendit de coelo »!

§ 57.

Quoniam denique operis nostri Erigeniani sententiam de peccato et peccati poena sumus expositeri, qui operis de praedestinatione doctrinam (cf. supra Cap. IV) noverit, etiam hanc fere cognitam habebit.

A. I. Quidquid esse dicitur mali, substantialiter
C in rerum natura non invenitur. Neque enim est propria ac certa substantia, sed nihil nisi motus quidam. Est autem motus ille non naturae (ita enim ad ipsum Deum, qui eam fecit, referretur), sed liberae voluntatis. « Malum autem, per se consideratum, omnino nihil est praeter irrationabilem, perversum liberae voluntatis motum ». — « Voluntas (enim) », ut alio loco scriptum est, « libera ad eligendum bonum, se ipsam servilem fecit ad sequendum malum ». (IV, 16 [ed. Ox. p. 205. p. 206]; V, 26. 36 [ed Ox. p. 282. 285. 288]; IV, 14. 22. 23.)

II. Quum tamen etiam libera voluntas a Deo sit data, jure vel hac sola de causa motum illum perversum non proprie malum, sed « illicitum » tantum-
D modo possumus appellare. (V, 36 [ed. Ox. p. 282. 285. 288].)

III. At quibusdam aliis locis Noster multo acutius veram rei rationem videtur perspexisse. Saltem enim satis confidenter cum alia, tum haec affirmat: « motus ille perversus extra naturam et ex bestiali intemperantia sumptus perspicitur »: — « malum nullam aliam in rerum natura sedem reperit, nisi ubi falsitas possidet, hoc est in sensu corporeo »:— « cum malum ex naturali causa »(hoc est ex natura, a Deo facta) « non nascatur, rectius videtur esse « libidinosum appetitum » ejus causam dicere, quam malam voluntatem; hic enim naturalibus bonis excuditur ». — (IV, 16 [ed. Ox. p. 206. 205]; IV, 22 [ed. Ox. p. 215]; V, 36 [ed. Ox. p. 286. 287.])

IV. Malum autem, quum neque certa quaedam substantia sit, neque « accidens naturale », Scotus etiam hoc contendit : Animus divinus nullum malum, nullam malitiam novit. Divina enim scientia causa est existentium (*a*) : ideoque, quidquid novit, necesse est, in natura rerum fieri; quod autem in natura rerum non invenitur, neque in divina scientia inveniri potest. Deus itaque nescit omnes divinae legis praevaricatores: illorum substantias, omneque, quod in iis fecit, quodque in ipso subsistit, novit; quod autem illorum perversis motibus naturae a se substitutae accidit, omnino ignorat. (V, 27 [l. l. p. 259].) Atque hanc ipsam rem Scotus iisdem propemodum verbis saepius docet (cf. II, 28; ejusd. de praedest. sup. Cap. IV, col. 27 not. *c* seqq.). Quo autem pacto in occultis philosophiae Erigenianae sinibus nata sit, jam supra (§ 15) indicavimus. Quare Scotus noster parum, ut arbitramur, sibi consentaneus fuit in hoc, quod nonnullis locis, quae a Deo in hominibus facta creduntur, secundum Erigenae philosophiam autem propter peccatum primi hominis iis accidisse sunt dicenda, ideo a summo numine divino in ipsis facta esse affirmavit, quod, fore ut primus homo peccaret, praescivisset (IV, 14 [ed. Ox. p. 195], 23 [ibid. p. 216]; cf. II, 12). Neque, hercle, ignoramus, quam Noster manibus pedibusque, ut aiunt, ne ipsius philosophia doctrinae Christianae adversari videatur, obnixe facere consueverit; qua in re, ut alicubi alteram alterius commodo nimis circumcideret, facillime, opinamur, fieri potuit.

Quod si Deus revera omnia peccata putatur ignorare, nonne etiam ipsa ne curare quidem est putandus? Hinc conficitur non solum, ut, qui peccavit, a Deo non puniatur, id quod Scotus ipse et in libro de praedest. (cf. sup. Cap. IV) et in libris de divisione Naturae (cf. inf. § 59, B. IV) expressis verbis docuit, verum etiam alterum istud multo majus, ut, si qua in re morum praecepta aut simus migraturi, aut migraverimus, ne in ullam quidem summi illius, quo nos Deus complectatur, amoris cogitationem deduci, atque hac re, quae profecto ingenuis hominibus acerrimum stimulum addere debet, ab erroribus nostris possimus abduci. Nec male sanum quidem, propterea quod paterna Dei caritate indignum se praestiterit, peccasse poenitere queat. Sed mox, exposito, quae Scotus de peccatorum poenis sentiat, plura hac de re dicemus.

V. Quemadmodum igitur Scotus in libro de praedest. docuit « perversum istum motum, quod peccatum appellet, eo contendere, ut, divinis et vere manentibus relictis, adeo ad ipsum nihilum perveniat », sic etiam in libris de div. Naturae habetur : « Malitia est animae intellectualis naturalium bonorum » (hoc est rerum, quae vere sunt) « oblivio et ad A finem insitarum naturae virtutum operationis defectus, naturaliumque potentiarum per fallentem judicationem in aliud praeter finem irrationabilis motus. Finem vero dico eorum, quae sunt, causam » (hoc est Deus, ut « fons omnis verae essentiae » [IV, 1; III, 4]), « quam naturaliter appetunt omnia » — « quum nulla creatura sit, quae velit vel appetat nihil esse, nec fugiat, ne ei contingat non esse (*b*) ». (V, 26 [ed. Ox. p. 256]; V, 3.)

Sed haec hactenus: nam satis fuse explicatum est, quam Scotus proprie habeat notionem malitiae; itemque, quatenus est malitiae opposita, virtutis. Transeamus ad reliqua.

B. I. « Malitia consummationem accipiet, et in nulla natura remanebit. Ac per hoc natura nostra B non semper malitia detinebitur, sed finito omni malo » (hoc est motu illo perverso, qui ad « non-esse » tendit) « ad bonum reversura est ».

« Sicut enim umbra terrae, coarctantibus eam solaribus radiis, tandem penitus deficit : sic malitia, quae veluti quaedam umbra delictorum nostrorum nostram occupat naturam, abundantia aeternae bonitatis coarctabitur et omnino abolebitur, dum irrationabiles animae humanae motus ad rationabiles veritatis affectus convertentur ».

« Ipso irrationabili motu — — bonitatis amplitudine circumscripto et penitus terminato, rationabiliter secundum insitas ipsi naturales virtutes humana natura movebitur sursum versus erecta, causam C suam semper appetens ». (V, 26 [ed. Ox. p. 259—260]; V, 28 [ibid. p. 264].)

Haec vero Scoti verba, praeterquam quod omnem omnino malitiam aliquando defecturam, hoc est, quaecunque perverse moventur, tandem recte mota ad Deum perventura esse contendunt, eo ipso, quod, quaecunque perverso motu indulgent, solis fortasse « daemonibus », ut alio quodam loco (V, 31) reperitur, exceptis, ad rectum finem reditura affirmant, apertissime et hoc docent, homines etiam invitos, nedum non volentes, de perversitatis tramite abactos ad verum suum finem coactum iri. Hoc autem concesso, quis in virtute, quam vocamus, exercenda locus relinquitur libertati? Nec tamen Erigena, quibus ille his in rebus artificiis excellit, omnino, ut D videtur, ad incitas esset redactus. Quo se fortasse pacto expedierit, licet neque hac re gravissimos errores effugere queat, paucis interjectis videbimus. (Cf. § 57, B. III, b.)

II. Finita autem omni malitia atque impietate, quis remanebit malus aut impius? Sola enim malitia atque impietate sunt et mali et impii. Quod si omnia in Deum, quem peccando deseruere, sunt reditura, nonne consequens erit, nullam impiorum poenam,

(*a*) Cf. supra § 15.

(*b*) Est autem hoc loco attendendum ad ea, quae de causis primordialibus atque ipsarum effectibus sunt dicta : illae veram omnium rerum substantiam continent, hi, si quis eos per se consideraverit, nihil esse dicuntur. Quo fit, ut, quae ex illis quasi longius etiam recedere atque horum viam, ut ita dicamus, acriore etiam animo persequi contendunt, ad « nonesse » festinent; quae contra, relictis causis primordialibus ad ipsas redire maturant, revera ad « esse » properent.

nullam aeternam miseriae mortem remansuram? Illinc vero summae oriuntur difficultates. Ubi enim erit supplicium aeternum, in quod ituri sunt impii? Ubi erit aestus ille flammarum ignis aeterni, in quem severitas justissimi judicis malos est missura dicens: « Ite, maledicti, in ignem aeternum »? (V, 27.)

Scotus hanc rem ita conficit, ut ad duas potissimum quaestiones respondeat: « Quae erunt poenae »? « Qui punientur »?

III. a.) Quae erunt poenae?

« Diversas suppliciorum formas neque in loco neque in tempore ullo esse credimus. Erunt tantum in malarum voluntatum et corruptarum conscientiarum motibus perversis, inque perversae potentiae omnimodo subversione, hoc est, in exstincta omni omnino facultate peccandi, malefaciendi, impie agendi. — Ubi Judas proditor torquetur? — Nusquam, nisi in polluta sua conscientia! — Qualem poenam patitur? *Seram poenitentiam* et inutilem, qua semper uritur. — Unusquisque impie viventium ipsa vitiorum libidine, qua in carne exarsit, velut quadam flamma inexstinguibili torquebitur ». (V, 29.)

Non sunt igitur malefactorum poenae nisi in perversa voluntate atque in ipsorum male factorum conscientia. Quod Scotus, ut in libro de praedestinatione, ita et in libris de div. Naturae diligenter tenuit. Hinc factum est, ut, qui aeterna impiorum hominum supplicia a Scoto nostro penitus explodi affirmarent, exstiterint perplurimi. At Scotus nihil aliud negavit, nisi id quod qui recte sentiunt omnes negant, certum quemdam aut vero igne plenum istorum suppliciorum locum esse. (Cf. V, 37.) *

Jam vero de ipsa poenarum natura ac ratione aliis quibusdam locis multo accuratius scriptum est. Duae autem proponi videntur sententiae: quae tamen perfacile inter se concilientur.

Pluribus locis hujusmodi verba habentur: « Impii inanes rerum sensibilium imagines patientes flebunt ». « Impiis mortalium rerum semper erunt phantasiae ac diversae falsaeque species secundum diversos malarum suarum cogitationum motus ». (V, 31.)

Alibi autem legimus haec: « Hoc est totum, quod dicitur, liberae ac perversae voluntatis supplicium, quod impetus ejus libidinosus retinebitur, ne, quod illicite appetit, apprehendat, hoc est, ab illicitis suis motibus prohibebitur, ne ad finem suae cupiditatis possit pervenire ». (V, 36 [ed. Ox. p. 282].)

Has igitur sententias ita arbitramur inter se conjungendas, ut quam posteriore loco posuimus, proprie retineamus, alteram ad hanc referamus. Haec enim et in libris de divis. Naturae saepius occurrit (cf. V, 29), et in libro de praedest. docetur, nec non Scoti sententiae de peccato longe melius congruit, quam illa. Qui ab iis, quae vere sunt, recedens ad ea tendit, quae non sunt, peccat. Quem igitur huic homini dolorem, qui quidem ipsi utilior sit, inurere queas, quam si a perversissimo isto motu recte eum ac simpliciter prohibeas?

Nec tamen prior illa sententia est negligenda: namque solo illius auxilio Scotus ad posteriorem tuendam valet. Quam rem paucis aperiemus. Impios igitur aeternis poenis affectum iri docui. Hinc posteriore illa sententia constituta, sponte efficitur, fore in aeternum, qui ad res, quae non esse dicuntur, festinent, atque ab hoc perverso motu quasi violenta manu retineantur. Hasce autem res, ut infra videbimus, Erigena perpetuo mansuras esse negat, nam post « hujus seculi », ut ait, « consummationem » non amplius erunt. Quid inde? Simulatque illae res evanuere, nemo certe impius, qui amplius ad eas properet aut ab iis prohiberi possit, reperietur. Poenae igitur cessabunt? Hanc difficultatem prior sententia tollit!

Atque est praeterea, ubi Scotus ita scripserit, quasi sola rerum divinarum ignorantia atque inscitia impios sit cruciatura (V, 31 [ed. Ox. p. 270]). Hoc certe omnibus propemodum locis legitur, quae res et Hegelianae rationi quodammodo convenit (*a*), bonorum hominum praemia in eo esse posita, quod « verae ipsis futurae sint contemplationes », quod « vera Dei contemplatione sint gavisuri, quum impii mortalium rerum phantasiis torqueantur ». (V, 31 [ibid. p. 270]; V, 39.) Libro primo (*cap.* 8) legimus etiam haec: « Felicitatem sanctorum *nihil aliud* esse putamus, praeter ipsius divinae essentiae puram contemplationem atque immediatam ».

Illos autem qui in Hegelii verba jurarunt, longe alia ratione, ac Nostrum, in istas opiniones delapsos constat.

Postquam igitur demonstravimus, quales poenae sint futurae, ad alteram quaestionem progrediendum est.

b.) Qui sint puniendi?

Haec quaestio vana fortasse videatur. Si qui sint puniendi, certe puniendos esse homines impios. At apud Scotum res est admodum magna. Scribit enim: « ipsos homines impios, hoc est, impiorum hominum naturam, substantiam, utpote quae ab ipso Deo profecta

(*a*) Cf. Baltzer, *Beiträge zur Vermittlung eines richtigen Urtheils über Katholicismus und Protestantismus.* Fascic. I, p. 9-11.

* Poenas *aeternas* Scotus aperte profitetur in expositionibus caelestis Ierarchiae, Cap. VIII, § 2, ubi: « Non enim, inquit, divinae bonitatis ineffabilis pietas sinit naturam, quam sui similem fecit, aeternaliter deformitatem pati. Permittit autem ad tempus eam corrigi, ut avidius et ardentius ad suam dignitatem redeat, aerumnis suis justissimis erudita. Ratio siquidem non concedit, imaginem Dei in aeterna turpitudine detineri. Alioquin coaeterna erit miseria beatitudini, malitia bonitati, regnum diaboli regno Dei. *Non autem hoc dicimus, quasi nulla poena sit aeterna, dum unusquisque sua conscientia sive beatificabitur, sive damnabitur in aeternum, sed solummodo agimus, quod nulla natura in ullo punietur* ». Cf. ea, quae in hunc locum ibid. animadvertimus. Animadv. Edit.

sit, nullo pacto posse puniri ». (V, 30-31. 35; de praed. sup. Cap. IV.) « Neque haec poenis est digna, quum ipsa nihil peccet aut peccare queat ». (Cf. § 57, A, I.)

Nihilominus « tormenta illa (quae poenae dicuntur) naturali subjecto, quod torqueant, carere non possunt ». (V, 30 seqq.)

Quae « nodosa perplexio ut juste solvatur, statuendum est, puniri aliquid, quod non sit substantia, sed tantum substantiae inhaerens, ita tamen, ut haec ipsa substantia omni poena maneat libera ». Est autem substantiae humanae inhaerens perversa ista voluntas : et haec ipsa, quemadmodum suo Marte peccat, ita etiam sola per se punitur ; quemadmodum peccatis suis naturale bonum, naturam humanam, cui inhaeret, omnino non contaminat, ita neque tormentis suis, quibus punitur, naturale subjectum, cujus ipsa est accidens, et in quo continetur, ulla ratione torquet. Itaque irrationabiles motus malarum voluntatum puniuntur in his, qui naturam bonam et rationabilem et impassibilem participant ». (V, 30-31 [ed. Ox. p. 267-270].) « Non minus igitur in malis hominibus, quam in bonis — salva, integra, incontaminata, omni passione contraria immunis erit et semper erit natura humana : attamen contrariarum qualitatum, bonarum dico malarumque voluntatum, virtutis ignominiaeque », et hac denique ratione « etiam contrariarum passionum est capax ». (L. l. p. 270-271.)

IV. Haec denique postquam sunt disputata, facile est ad intelligendum, quam Scotus jure suo et haec scripserit : « Deus peccata punit, et, *ut verius dicam, puniri sinit* ». « Mala voluntas praevaricantium totius peccati et *totius poenae peccati* causa efficax est ». (L. l. p. 269—270.) In libro de praedestinatione (cf. sup. Cap. IV), quo ipse sententiarum nexus, ut diligenter de vero poenarum auctore inquireretur, multo acrius postulabat, illud ipsum, nullas *a Deo* poenas constitui, omni virium contentione tueri studuit. Quod autem majus etiam est, ipsa ejus philosophia, ut hoc doceret, eum coegit. Namque ex hujus placitis Deus nihil aliud novit, nisi quae sunt « substantia » aut substantialium accidentia naturalia, proindeque « totum, quod dicitur malum », quum in hisce non reperiatur, « omnino ignorat ». (Cf. § 57. A, IV.) Quo profecto fit, ut, etiamsi Deus ipse hominibus impiis, quibus puniuntur, constituat, hoc tamen imprudens, nedum non volens faciat. Itaque Deus peccata non punit, sed, ad summum, « puniri sinit (a) ».

§ 58.

Totum igitur hoc nostri decretum de peccatis peccatorumque poenis, id quod satis patefecisse arbitramur, maxima sane gravissimorum errorum multitudine est refertum. Quos de integro sigillatim recensere nauseam tantummodo excitaturum arbitramur. Illa autem, quae summa ab istis nugis vitae usui damna queant inferri, magis quasi in aperta luce collocanda esse videantur. Haec igitur imprimis in isto uno posita sunt omnia, quod Deus nec qui peccant, nec quae peccantur, ulla ratione dicitur aut curare aut novisse. Sola malefactorum conscientia eum, qui peccando indulget, poena afficit, sola malefactorum conscientia a peccando potest deterrere. Nonne haec res, quidquid ad scelerum libidines coercendas est constitutum, funditus propemodum evertit, disjicit, ab hominum conspectu removet? Nec punientem Deum quasi exacerbandi timor homines magis ferreos, nec amantem Deum quasi contristandi metus homines magis ingenuos, ne urentem peccandi cupiditatem peccando expleant atque exstinguant, dum Scoti doctrinam sequi voluerint, permovebit. Quotus autem quisque conscientiae suae hoc tribuet, ut eam solam sibi ducem eligat, neque, voluptatum vi allectante, unquam deserat? Quod si ista doctrina ad vitae communis usum referretur, remotis profecto, quaecunque furentibus peccandi libidinibus « moles », ut Virgilii verbis utamur, « et montes alti » sunt imposita, omnia misceret penitusque disturbaret.

§ 59.

Venimus tandem ad quartam illam Naturae speciem, quae nec creatur nec creat. Sed quae huc pertinent, non tam prae ceteris perniciosa sunt, quam ridicula. Quare quum in iis, quae proprie perniciosa essent, longiores fuerimus, in his, quas fortasse aniles tantum fabulas appellaveris, erimus breviores.

§ 60.

D. « Quarta Naturae species, quae nec creatur nec creat, profecto ipse Deus est. Divina (enim) natura creditur non creari, quoniam primitiva omnium causa est, ultra quam nihil est, a quo possit creari. Quum vero post reditum universitatis conditae in suas primordiales causas, quae in ipsa divina natura continentur, nulla ulterius natura ex ea procreabitur seu in species sensibiles intelligibilesve multiplicabitur, non immerito nihil creare et creditur et intelligitur ». (IV, 26-27.)

§ 61.

« Sunt argumenta probatissima ex rebus sensibilibus, quae reditum illum futurum esse demonstrant. — Sphaera caelestis astrigera XXIV horarum spatio ad eumdem locorum situm redit : sol ad idem punctum aequinoctialis diametri peractis IV annis eodem temporis momento pervenit. Quid de aeris, terrae animantibus, surculis, herbis? Nonne similiter sua tempora observant, quibus in foetus, flores, folia, fructus erumpunt? — Et simpliciter dicendum, nulla corporea creatura est vitali motu vegetata,

(a) Schlueterus, licet (p. XIII seqq.) Scoti sententiam de « malo et de peccatorum poenis » defendendam susceperit, ideoque de industria examinet, illorum tamen errorum, qui a nobis sunt notati, ne ullum quidem reperisse videtur!

quae non ad principium motus sui revertatur. Hoc ipsum de toto quoque mundo intelligendum : finis enim ejus est ipsius principium, quod appetit et quo reperto cessabit, non ut substantia ipsius pereat, sed ut in causas suas redeat. — Similiter animae rationabilis conceptiones, quod artium liberalium exemplo probatur, principia sua repetunt, in quibus finem motus sui constituunt : principium quippe et finis in iis omnibus id ipsum est. In omnibus hominibus unus atque idem appetitus est essendi, bene essendi, perpetualiter essendi : et si omnis motus naturalis non desinit, donec ad finem suum perveniat, quid naturam humanam sistere valet, ne ad id, quod petit, perveniat? Quapropter etiam de humana natura patet, ad Deum ipsam esse redituram ».

§ 62.

« Redibunt autem omnia, quae ex Deo processerunt, eadem via, qua processio illa est facta. Quemadmodum igitur processio ea fuit, ut omnia a superioribus ad inferiora defluerent (cf. § 34), sic etiam in reditu inferiora semper in superiora convertentur. — Non enim vera ratio sinit superiora inferioribus vel contineri, vel attrahi, vel absumi. Inferiora vero a superioribus naturaliter attrahuntur et absorbentur, non ut non sint, sed ut in iis plus salventur et subsistant et unum sint ». (V, 8. 20 ; II, 5 seqq.)

§ 63.

« Itaque inferiora a superioribus absorbentur, non ut non sint, sed ut in iis plus salventur et subsistant. Hujus rei argumenta in rerum natura inveniuntur. Nam neque aer suam perdit substantiam, cum totus in lumen solare convertitur, in tantum, ut nihil appareat, nisi lux, cum aliud sit lux, aliud aer. Metallum aliquod, in igne liquefactum, in ignem converti videtur salva metalli substantia. Eadem ratione existimo corporalem substantiam in animam esse transituram, non ut pereat quod sit, sed ut in meliori essentia salva sit ». (V, 8. 20. 39 et passim.)

§ 64.

Hoc autem etiam atque etiam nobis inculcatur, « sic *inferiora* semper a superioribus absorberi, ut salva maneat inferiorum substantia ». (V, 20. 39.) Hinc quoque profecto colligas, rebus, quae absorbeantur, veram ac propriam ex causis primordialibus impertitam fuisse substantiam, quae ipsa substantia, rebus in causas suas revertentibus, salva atque incorrupta manere dicatur. At praecipue in libro quinto, quo de rerum omnium reditu disputatur, altera illa sententia, quam supra jam explicavimus (cf. § 36), uberius est exposita. Itaque haec docentur. Quum non ipsae rerum substantiae ex causis in hunc mundum fingendum profluxerint, sed ex substantiarum, quae in causis remanserunt, « qualitatibus » hic mundus fabricatus atque compactus sit, « ipse reditus non est substantiarum, quae immutabiliter et insolubiliter in se permanent, sed qualitatum et quantitatum aliorumque accidentium, quae

A per se et mutabilia sunt et transitoria, locis temporibusque subjecta, generationibus et corruptionibus obnoxia ». (V, 13-16.)

§ 65.

Quaecunque praeterea super illo rerum omnium reditu, si rem generatim atque universe spectamus, memoratu digna videantur, Scotus ipse in angustius redacta his verbis exponit.

« Visum est nobis, quasdam theorias de reditu effectuum in causas, hoc est in rationes, in quibus subsistunt, subjungere. Cujus iterum reditus triplex occurrebat modus. Quorum primus quidem generaliter in transmutatione totius sensibilis creaturae, quae intra hujus mundi ambitum continetur, hoc est,
B omnium corporum seu sensibus corporeis succumbentium, seu eos prae nimia sui subtilitate fugientium, considerantur, ita ut nullum corpus sit intra textum corporeae naturae, sive vitali motu solummodo, seu occulte seu aperte vegetatum, seu irrationabili anima corporeoque sensu pollens, quod non in suas causas occultas revertatur. Ad nihilum enim redigetur in his, quae substantialiter a causa omnium substituta sunt. Secundus vero modus speculationis suae sedem obtinet in reditu generali totius humanae naturae, in Christo salvatae, in pristinum suae conditionis statum ac veluti quendam paradisum, in divinae imaginis dignitatem, merito unius, cujus sanguis communiter pro salute totius humanitatis fusus est, ita ut nemo hominum naturalibus bo-
C nis, in quibus conditus est, privetur, sive bene, sive male in hac vita vixerit. Ac sic divinae bonitatis et largitatis ineffabilis et incomprehensibilis diffusio in omnem humanam naturam apparebit, dum in nullo punitur, quod a summo bono manat. Tertius de reditu theoriae modus versatur in his, qui non solum in sublimitatem naturae in iis substitutae ascensuri, verum etiam per abundantiam divinae gratiae, quae per Christum et in Christo electis suis tradetur, supra omnes naturae leges ac terminos superessentialiter in ipsum Deum transituri sunt, unumque in ipso et cum ipso futuri. Quorum recursio veluti post quosdam gradus septem discernitur. Ac primus erit mutatio terreni corporis in motum vitalem, secundus vitalis motus in sensum, tertius sensus in rationem,
D dehinc rationis in animum : in quo finis totius rationalis creaturae constituitur. Post hanc veluti quinque partium nostrae naturae adunationem, corporis videlicet, et vitalis motus, sensusque, rationisque, intellectusque, ita ut non quinque, sed unum sint, inferioribus semper a superioribus consummatis, non ut non sint, sed ut unum sint, sequentur alii tres ascensionis gradus, quorum unus est transitus animi in scientiam omnium, quae post Deum sunt, secundus scientiae in sapientiam, hoc est, contemplationem intimam veritatis, quantum creaturae conceditur, tertius, qui et summus, purgatissimorum animorum in ipsum Deum supernaturaliter occasus, ac veluti incomprehensibilis et inaccessibilis lucis tene-

rae, in quibus causae omnium » (hoc est electorum seu « deificatorum ») « absconduntur. Et tunc nox sicut dies illuminabitur, hoc est secretissima mysteria beatis et illuminatis intellectibus ineffabili quodam modo aperientur. Tunc perficietur octonarii numeri veluti supernaturalis cubi perfectissima soliditas, in cujus typo sextus titulatur Psalmus, «« Psalmus David per octava »». Resurrectio quoque Domini non aliam ob causam octava die facta est, nisi ut beata illa vita, quae post septenariam hujus vitae per septem dies revolutionem est futura post mundi consummationem, mystice significaretur, quando humana natura, ut praediximus, in suum principium per octonariam ascensionem reditura sit; quinariam quidem intra naturae terminos, ternariam vero supernaturaliter et superessentialiter intra ipsum Deum, quando quinarius creaturae numerus ternario Creatoris adunabitur, ita ut in nullo appareat, nisi solus Deus, quemadmodum in aere purissimo nil aliud nisi sola lux ». (V, 39. — Cf. V, 8. 16. 20-21. 22. 25 [ed. Ox. p. 254 ; ad quem locum transferendus est locus quidam lib. IV, 14 (l. l. p. 194)], 36 [l. l. p. 289-290], 37 [l. l. p. 293-294], 38 [l. l. p. 301, 308-309].)

Exposito igitur hac ratione, quale sit librorum de divisione Naturae argumentum, super disserendi demonstrandique via, quam Scotus noster in iis persecutus est, quum quidem propositi quaestionis argumenti verbo respexerimus, vix quidquam amplius dicendum videtur. Hanc enim jam in ipso horum librorum argumento explicando, quantum necesse est, a nobis patefactam esse arbitramur. Nec dissimilis est ei, quam in libro de praedestinatione haberi vidimus. Multa, quasi per se vera sint, sumuntur; multa auctoritatibus, praecipue Pseudo-Dionysii et Pseudo-Maximi, firmantur : ex his subinde nova quaedam, nunc satis subtiliter, modo etiam ineptius, ratiocinando efficiuntur. Qua re cum factum sit, ut haec philosophia ac theologia fere sint insula quaedam, perpetuo opinionis errore conficta, illud profecto necesse fuit, etiam ipsi Erigenae aliquando in mentem venire, quam sibi adversarentur non solum, quae communi omnium consensu vera esse crederentur, sed etiam quae doctrina Christiana proponeret. Hoc autem, simulatque animadvertit, nihil antiquius habet, quam ut ad suae disciplinae placita, quaecunque ipsi contradicant, accommodet. Atque hac in re mira profecto arte excellit. Permultos enim sacrae Scripturae locos, permulta doctrinae Christianae capita tam misere vexavit, discruciavit, ea turpitudinis specie polluit, ut, qui eorum adspectum ferre possit, vix esse putemus quemquam. Sed haec hactenus. Quum res ipsas plurimis explicaverimus, de rebus istis paucissima sufficiant.

Quicunque igitur hanc alteram scriptionis nostrae partem satis magna cum diligentia examinaverit, is certe ad propositi quaestionis argumenti verba : « An et quatenus J. Sc. Erigenae liber de divisione Naturae et cum recta ratione et cum doctrina Christiana consentiat », hoc respondendum esse concedet, illum, quem diximus, librum, si totum ipsius argumentum, totam ipsius disciplinam atque indolem respicias, nulla ex parte aut cum recta ratione, aut cum doctrina Christiana consentire, atque optimo jure ab Honorio III, Pontifice Maximo, ut « scatentem vermibus haereticae pravitatis » esse damnatum. Nam præterquam quod et aliud agendo et data opera apertissimum docet pantheismum, illum videlicet, quem emanativum, quod vocant, systema sequitur, etiam hoc commisit, ut plures easdemque gravissimas doctrinae Christianae partes ad pantheismi istius decreta miserrime depravaverit, et eo usque mutilaverit, ut ne vitae quidem usui maxima inde damna, non redundare non possint.

THOMÆ GALEI PRÆFATIO

EDITIONIS, CUI TITULUS :

JOANNIS SCOTI ERIGENAE DE DIVISIONE NATURAE *libri quinque diu desiderati. Accedit Appendix ex* AMBIGUIS *S. Maximi Graece et Latine, Oxonii, e theatro Scheldoniano, anno* MDCLXXXI.

(*Pag.* III.) Ad sopiendas controversias, quae de Joanne Erigena ejusque scriptis exortae sunt seculis praeteritis, consultissimum viris doctis visum est, eos ipsos libros, de quibus contendebatur, in lucem edere : ita demum, quasi tabulis prolatis, liberiorem cuivis et expeditiorem judicandi fore facultatem.

Scripsit Erigena, rogatu Hincmari et Parduli (qui tunc in Galliis multum celebrabantur ob eruditionem et sanctitatem), adversus Goteschalcum *de Praedestinatione* librum. Varia admodum de eo libro proferebant judicia istorum temporum viri ecclesiastici. Qui paulo acutius de hac re judicare sibi videntur, dicunt, Scoti adversarios non eum oppugnasse, sed Hincmarum per ejus latera petivisse. Coepit opus illud apud paucos comparere; imo per novemdecim tantum capitula aliquanto tempore, quae inimici excerpserant, circumferebatur. Fere fit, ut in rebus obscuris plura veris imaginemur. Coeperunt igitur multi suspicari, dolo malo agi cum Erigena; fictis criminibus, et falsa invidia hominem oppressum fuisse querebantur. Nec finem

querelae istae prius habiturae videbantur, quam integrum opus prodiret. Atque illud tandem emiserunt ii, qui libentius tenebris damnassent.

Idem Joannes Erigena composuit opus *de Eucharistia*, jussu Caroli Calvi. Continuo de hoc quoque scripto in partes itum est. Post annos ducentos liber Scoti infelicibus lignis ustulatur. Quaeris quam ob rem? Vincentius Belluacensis in speculo doctrinali respondet, quoniam Berengarius Scotum nimium admiratus esset. Punitis ingeniis gliscit auctoritas: exstincto isto libro, magis magisque de eo dissidia creverunt; per secula fere novem, suspicionibus et obscuris dubiisque conjecturis serra ista trahitur. Exiit tandem liber ille, sub Ratramni nomine, ut aliqui contendunt. Quid tum postea?

> Tum venti posuere, omnisque repente resedit
> Flatus.

Neque enim tam sacer, aut horribilis iste libellus esse deprehenditur, modo absit malignus interpres. Ita non maximas, quae maximae sunt interdum irae, injurias faciunt.

(*Pag.* IV.) Diu multumque litterati viri quaesiverunt, ubi gentium laterent libri *περὶ φύσεων μερισμοῦ*, quos Joannes idem composuisse perhibetur. Certe Historiae Anglicanae scriptores illud opus insigni laude extulerant, et praedicarant *propter perplexitatem quarumdam quaestionum solventiam bene utilem*. Cui haec salivam non moverint? Quis non accenditur desiderio videndi Joannis illius, qui, ut Helias apud Judaeos, vel Agapius apud Graecos, *δυσεπιβόλων ἀποριῶν* nodos tam feliciter solvit? Hinc non nemo, quasi ingemiscens, « si revixeris ille liber Scoti »! Alter autem de libro nunquam viso, « tristia et dura omnia ». Ecce igitur, o boni! adest coram, quem quaeritatis. *Ἥκει νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπών.* Verum, e sepulcro resuscitatus an etiam cicatrices adferat Flori Prudentii Galindonis (uti Hector ille Achillis vulnera),

A nondum satis mihi liquet. Certe affirmant testes fide digni, Florum hos libros *depravasse*, ut facilius posset confutare. Illud unum scio, nihil quicquam a me scienter et prudenter fuisse mutatum, *ineptias, Scoticas pultes, nubilationes, errores*, lapsus omnes omnis generis, quos inveni, reliqui; non ad hominis infamiam, sed ad meam fidem contestandam.

De opere interim isto non interponam auctoritatem meam, quae plane nulla esse debet; liberum et integrum volo esse legentium judicium. Cum haec scriberet Erigena, de Graecis non admodum amicabiliter sentiebant Latini. Photius cathedram Constantinopolitanam tenebat. Nicolaus I. encyclicas ad Gallos scripserat, ad refellendos Graecorum
B errores. Nocuit aliena invidia Joanni nostro, ideoque malas merces obtrudere credebatur, quoniam Graecos suos subinde crepabat. Enimvero si *Patrum sententiis* ita utatur, ac ipsi in suis scriptis posuerunt; si fraus, si stropha, si paralogismus omnis, si crypsis improba huic viro abfuerit: viderint ii, qui in eo damnant id, quod in illis Patribus aut probant aut dissimulant *. Porro patrocinium ei commodare videtur argumentum, quod tractat, lubricum illud quidem et subtile. Graeci *περὶ Ἀρχῶν* dicunt; in quo excolendo quis est sive Graecorum sive Latinorum, qui non aliquid humanitus passus est. Et fac permulta esse, quae delicatus quispiam in hoc scriptore desiderare possit; certe quidem nec humilem mentem erga Patres Ecclesiae, nec piam erga
C Deum desiderabit. Potuit ergo errare, haereticus esse noluit. Sed nec Erigenae vitam nec apologiam scribere decreveram, nullas ego ejus lites meas faciam. Nunquam mihi contendendi fuit animus, nec otium nunc quidem. Qui igitur plura de Joanne Erigena scire cupiat, testimonia de eo legat, quae infra digessi, maxima ex parte hactenus a nemine producta.

TESTIMONIA ALIQUOT VETERUM

DE JOANNE SCOTO ERIGENA.

(*Pag.* v.) ***Prudentius Tricassinus in libro suo adversus Joannem Scotum.***

« Te solum omnium acutissimum Galliae transmisit Hibernia ». Ironice.

Pardulus Laudunensis episcopus de Joanne Scoto.

« Sed quia haec inter se valde dissentiebant, Scotum illum qui est in palatio regis [Caroli Calvi] Joannem nomine scribere coegimus ».

Ex historia Episcoporum Antissiodorensium.

« Humbaldus Cameracensis liberalium artium studiis apprime instructus, Joannis Scoti, qui ea tempestate per Gallias sapientiae fundebat radios, factus pedisequus, cujus disciplinatui longo tempore inhaerens, divina simul et humana... didicit ».

D ***Chronicon anonymum apud Chesnium, tomo III.***

« Rogatu Aelfridi Joannes Scotus rediit a Francia, ubi erat cum Carolo Calvo ».

Rogerus Wendover in Chronico ad annum 883.

« Anno 883 venit in Angliam magister Joannes Scotus, vir perspicacis ingenii ».

Ex Vita Grimbaldi abbatis per Gotcelium, ut videtur, scripta.

« Aelfridus rex consilio Eldredi archiepiscopi Cantuariensis oratores misit ad monasterium S. Bertini, de accersendo Grimbaldo, inter quos presbyter Joannes et Asserius, viri eruditissimi et vivacissimi ingenii, praecellebant ».

* Haud immerito damnari aut improbari Scoti nostri falsas doctrinas, jam ex iis, quae in commentatione supra posita disputantur, satis liquet. Animadv. Edit.

Annales Hidenses.

« Anno Dominicae incarnationis 886, anno secundo adventus S. Grimbaldi in Angliam, incoepta est Universitas Oxoniae. . . in S. Theologia legentibus S. Neoto. . . et Grimbaldo. . . in grammatica vero et rhetorica Asserio monacho. . . in dialectica vero et musica et arithmetica Joanne monacho Menevensis Ecclesiae ; in geometria et astronomia docente Joanne monacho et collega S. Grimbaldi ».

Willielmus Malmesb. in lib. v *de Pontificibus inedito.*

« Hujus Elfredi tempore venit in Angliam Joannes Scotus, vir perspicacis ingenii et multae facundiae, qui dudum, relicta patria, Franciam ad Carolum Calvum transierat, a quo magna dignatione susceptus familiarium partium habebatur, transigebatque cum eo tam seria quam joca, individuusque comes et mensae et cubiculi erat, multae facetiae ingenuique leporis, quorum exempla hodieque constant, ut sunt ista. Assederat ad mensam contra Regem ad aliam tabulæ partem. Procedentibus poculis consumptisque ferculis, Carolus fronte hilariori post quædam alia cum vidisset Joannem quiddam fecisse, quod Gallicanam (*Pag.* vi) comitatem offenderet, urbane increpuit, et dixit : Quid distat inter Sottum et Scottum? Retulit ille solenne convitium in auctorem, et respondit : Tabula tantum : interrogaverat rex de morum differenti studio, responderat Joannes de loci distante spatio ; nec vero rex commotus est, quod miraculo scientiae ipsius captus adversus magistrum nec dicto insurgere vellet ; sic eum usitate vocabat. Item cum regi convivanti minister patinam obtulisset, quae duos pisces praegrandes, adjecto uno minusculo, contineret, dedit ille magistro, ut accumbentibus duobus juxta se clericis departiretur. Erant illi giganteae molis ; ipse perexilis corporis. Tum qui semper aliquid honesti inveniebat, ut laetitiam convivantium excitaret, retentis sibi duobus majoribus, unum minorem duobus distribuit. Argueuti iniquitatem partitionis regi : imo, inquit, bene feci et aeque ; nam hic est unus parvus, de se dicens ; et duos grandes, pisces tangens. Itemque ad eos conversus : Hic sunt duo magni clerici immensi, et unus exiguus, piscem nihilominus tangens. Caroli ergo rogatu Hierarchiam Dionysii Areopagitae in Latinum de Graeco, verbum e verbo, transtulit. Quo fit, ut vix intelligatur latina littera, quae volubilitate magis graeca, quam positione construitur nostra. Composuit etiam librum, quem peri physion Merismu, id est, de Naturae divisione titulant, propter perplexitatem quarundam quaestionum solvendam bene utilem, si tamen ignoscatur ei in quibusdam, quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Graecos acriter oculos intendit. Quare et haereticus putatus est, scripsitque contra eum quidam Florus ; sunt enim revera in libro peri physion perplurima, quae nisi diligenter discutiantur, a fide catholicorum abhorrentia videantur. Hujus opinionis particeps fuisse cognoscitur Nicolaus papa, qui ait in epistola ad Carolum : « Relatum est apostolatui « nostro, quod opus B. Dionysii Areopagitæ, quod de « divinis nominibus vel caelestibus ordinibus graeco « descripsit eloquio, quidam vir Joannes, genere « Scotus, nuper in Latinum transtulerit, quod juxta « morem nobis mitti et nostro judicio debuit approbari, praesertim cum idem Joannes, licet multae « scientiae esse praedicetur, olim non sane sapere in « quibusdam frequenti rumore dicatur ». Propter hanc ergo infamiam, credo, taeduit eum Franciae, venitque ad Regem Aelfredum, cujus munificentia illectus, et magisterio ejus, ut ex scriptis regis intellexi, sublimis, Melduni resedit, ubi post aliquot annos a pueris, quos docebat, graphiis perforatus, animam exuit tormento gravi et acerbo, ut dum iniquitas valida et manus infirma saepe frustraretur et saepe impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit

A aliquandiu in honorabili sepultura in beati Laurentii ecclesia, quae fuerat infandae caedis conscia ; sed ubi divinus favor multis noctibus super eum lucem indulsit igneam, admoniti monachi, eum in majorem ecclesiam transtulerunt, et ad sinistram altaris ponentes, his martyrium ejus versibus praedicaverunt :

Conditur hoc tumulo sanctus sophista Joannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro ;
Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit, regnant cuncti per secula sancti.

(*Pag.* vii.) *Idem Willielmus in eodem libro.*

« Turaldo substitutus est Warinus de Lira monachus. . . Is cum primum ad abbatiam [Malmesb.] venit, antecessorum facta parvi pendens, typho quodam et nausea [erga] sanctorum corpora ferebatur ; ossa denique sanctae memoriae Meildulphi et ceterorum, qui olim abbates ibi, posteaque in pluribus locis antistites ob reverentiam patroni sui Aldelmi B se in loco tumulatum iri jussissent, quos antiquitas veneranda in duabus lapideis crateris ex utraque parte altaris, dispositis inter cujusque ossa ligneis intervallis, reverenter statuerat. Haec, inquam, omnia pariter conglobata velut acervum ruderum, velut reliquias vilium mancipiorum ecclesiae foribus alienavit. Et ne quid impudentiae deesset, etiam S. Joannem Scotum, quem pene pari, qua S. Aldelmum, veneratione monachi colebant, extulit. Hos igitur omnes in extremo angulo basilicae S. Michaelis. . . inconsiderate occuli, lapidibusque praecludi praecepit. O tempora, o mores ! quis digno improperio tantam prosequatur audaciam » ? cet.

Idem ex Codice Thuaneo ms.

« Petro suo, Willelmus suus, divinae philosophiae participium ».

« Fraternae dilectioni morem, frater amantissime, geris, quod me tam ardua consultatione dignaris. Est C enim praesumtio caritatis, quod me tanto muneri non imparem arbitraris. Praecipis enim, ut mittam in litteras, unde Joannes Scotus oriundus, ubi defunctus fuerit, quem auctorem libri, qui περὶ φύσεων vocatur, communis opinio consentit : simulque quia de libro illo sinister rumor aspersit, brevi scripto elucidem, quae potissimum fidei videantur adversari catholicae. Et primum quidem, ut puto, probe faciam, si prompte expediam, quia me talium rerum veritas non lateat : alterum vero, ut hominem orbi latino merito scientiae notissimum, diuque vita, et invidia defunctum, in jus vocem, altius est quam vires meae spirare audeant. Nam et ego sponte refugio summorum virorum laboribus insidiari, quia, ut quidam ait, « « improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est » ». Quapropter pene fuit, ut jussis tam imperiosis essem contrarius, nisi jamdudum constitisset animo, quod vobis in omnibus deferrem, ut parenti gratissimo, in his etiam, quae onerarent frontem, quae essent pudoris mei periculo. Joannes D igitur cognomento Scotus opinantes, quod ejus gentis fuerit indigena, erroris ipse arguit, qui se Heruligenam in titulo Hierarchiae inscribit. Fuit autem gens Herulorum quondam potentissima in Pannonia, quam a Longobardis pene deletam eorundem prodit historia. Hic, relicta patria, Franciam ad Carolum Calvum venit, a quo magna dignatione susceptus, familiarium partium habebatur, transigebatque cum eo (ut alias dixi) tam seria, quam joca, individuusque comes tam mensae, quam cubiculi erat : nec unquam inter eos fuit dissidium, quia miraculo scientiae ejus rex captus, adversus magistrum quamvis ira praeproperum, nec dicto insurgere vellet. Regis ergo rogatu Hierarchiam Dionysii de Graeco in Latinum, de verbo verbum, transtulit, quo fit, ut vix intelligatur Latina, quae volubilitate magis graeca, quam positione construitur nostra. Composuit et librum, quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id

est, de Naturae divisione titulavit, propter quarundam perplexarum quaestionum solutionem bene utilem, si tamen ignoscatur ei in quibusdam, quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Graecos nimium oculos intendit. Fuit multae (*Pag.* VIII) lectionis et curiosae, acris, sed inelegantis, ut dixi, ad interpretandum scientiae; quod eum, ut verbis Anastasii Romanae Ecclesiae bibliothecarii loquar, non egisse aliam ob causam existimo, nisi quia, cum esset humilis spiritu, non praesumsit verbi proprietatem deserere, ne aliquo modo a sensus veritate decideret. Doctus ad invidiam, ut Graecorum pedisequos, qui multa, quae non recipiant aures latinae, libris suis asperserit: quae non ignorans quam invidiosa lectoribus essent, vel sub persona collocutoris sui, vel sub pallio Graecorum occulebat. Quapropter et haereticus putatus est, et scripsit contra eum quidam Florus. Sunt enim in libro περὶ φύσεων perplurima, quae multorum aestimatione a fide catholica exorbitare videantur. Hujus opinionis cognoscitur fuisse Nicolaus papa, qui ait in Epistola ad Carolum: « Relatum est Apostolatui nostro, quod opus beati « Dionysii Areopagitae, quod de divinis nominibus, « vel caelestibus ordinibus, graeco descripsit eloquio, « quidam vester Joannes, genere Scotus, nuper in « Latinum transtulerit, quod juxta morem nobis « mitti, et nostro debuit judicio approbari, praeser« tim cum idem Joannes, licet multae scientiae « esse praedicetur, olim non sane sapere in quibus« dam frequenti rumore diceretur. Itaque quod ha« ctenus omissum est, vestra industria suppleat, et « nobis praefatum opus sine ulla cunctatione mittat ». Propter hanc ergo infamiam, ut credo, taeduit eum Franciae, venitque Angliam ad regem Aelfredum, cujus munificentia illectus, et magisterio ejus, ut ex scriptis ejus intellexi, sublimis Malmesburiae resedit. Ubi post aliquot annos a pueris, quos docebat, graphiis perfossus, animam exuit tormento gravi et acerbo, ut dum iniquitas valida et manus infirma saepe frustraretur et saepe impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquandiu in ecclesia illa, quae fuerat inhonestae caedis conscia; sed ubi divinus favor multis noctibus super eum lucem indulsit igneam, admoniti monachi in majorem eum transtulerunt ecclesiam, et ad sinistram altaris positum, his praedicaverunt versibus martyrem:

Conditus hoc tumulo sanctus Sophista Joannes,
Qui ditatus erat vivens jam dogmate miro;
Martyrio tandem meruit conscendere caelum,
Quo semper cuncti regnant per secula sancti.

« Sed et Anastasius de insigni sanctitate adhuc viventem collaudat his verbis ad Carolum: « Miran« dum quoque est, quomodo ille vir barbarus, Joan« nem dico, ille qui in finibus mundi positus, quanto « ab hominibus conversatione, tanto credi potuit « alterius linguae dictione longinquus, talia intellectu « capere, in aliamque linguam transferre valuerit, « Joannem dico Scotigenam, virum, quantum com« peri, per omnia sanctum. Sed hoc operatus est « ille artifex spiritus, qui hunc ardentem pariter et « loquentem fecit; nisi enim ex gratia ipsius igne « caritatis flagrasset, nequaquam donum linguis « loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc ma« gistra caritas docuit, quod ad multorum instru« ctionem et aedificationem patravit ». Alternant ergo de laudibus ejus, et infamia diversa scripta, quamvis jampridem laudes praeponderaverint. Tantum artifici valuit eloquentia, ut magisterio ejus manus dederit omnis Gallia. Verum si qui majorem audaciam anhelant, ut synodus, quae tempore Nicolai papae secundi Turonis congregata est, non in eum, sed in scripta ejus duriorem sententiam praecipitant. Sunt ergo haec fere quae controversiam pariunt................. »

A (*Pag.* IX.) *Johannes Pyke in libro de Regibus Anglo-Saxonum.*

« S. Grimbaldum aliosque cum illo per legatos [Alfridus] adscivit; plures de Mercia, et ultimis terrae finibus, quos scientia pollere novit, in regnum suum alliciens, honoribus ampliavit ».

Johannes Rossus in libro de Regibus.

« Rex Alvredus S. Grimbaldum Flandrensem monachum de monasterio S. Bertini, cum consociis Joanne et Asserio, et Joannem Wallensem a monasterio S. David sibi univit ».

Johannes de Tritenhem in libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

« Joannes dictus Erigena, monachus in divinis Scripturis doctus, et in disciplina secularium litterarum eruditissimus, Graeco et Latino ad plenum instructus eloquio, ingenio subtilis, sermone compositus », etc.

B *Johannes Lelandus in libro II de Scriptoribus Britannicis.*

« Aelfridus Plegmundum, Werefridum, Asserium, Menevensem, Grimbaldum, Joannem monachum e Saxonia transmarina oriundum, Joannem Scotum, qui Dionysii Hierarchiam interpretatus est, in pretio habuit et familiaritate ».

Atque haec sunt ea testimonia, quae mihi visa sunt certissime hunc Joannem Scotum designare. Quae vero Baleus de hujus *patre Patricio*, de *peregrinatione*, qua *Athenas* petiit, de mira in *linguis Orientalibus peritia* scripsit, nullam apud me fidem impetrant. Quoniam autem cognomen illud Erigena, quod Joanni nostro tribuitur, nondum satis, ut mihi videtur, intelligitur, promam meas de eo conjecturas.

C Quod igitur ait Gulielmus Malmesburiensis in Epistola superius allata, Scotum se appellasse *Heruligenam in titulo Hierarchiae*, non facile pro vero admiserim. Omnes enim Codices Mss. uno quasi ore ei contradicunt, et perpetuo prae se ferunt aut *Erigenam* aut *Eriugenam*. Legerat Gulielmus apud Asserium et Ingulfum fuisse cum Alfredo Joannem quendam Ealdsaxonem; atque adeo, quia Heruli gens erant olim in antiqua Saxonia, hunc Joannem ex Herulis oriundum existimavit.

Si quis tamen credit, ista non temere Malmesburiensi excidisse, faciat sane pro eo, quod Herulos inter Hibernenses olim consedisse veteres Scriptores tradant. Qua de re consuli potest Lazius de *migrationibus gentium*, et Beatus Rhenanus, quem in partes vocat.

D Non magis mihi probatur eorum sententia, qui ex hoc vocabulo *Erigena* Joannem faciunt *Hibernum*. Nam et saepius in antiquis libris *Eriugena* dicitur quam Erigena; certe in codice ultimae antiquitatis (qui nunc servatur in Bibliotheca collegii S. Trinitatis Cantabr.), quo usus est Usserius Armachanus, et ego quoque, scribitur *Eriugena*, non *Erigena*. Ita quoque Suffridus Petri, ita in suis reperit Dionysius Petavius, ita Philip. Labbeus. Et vox *Erin*, Hibernus, producit non *Erigenam*, sed *Erinigenam*, quo quidem pacto recte eam dictionem pinxit P. Marca in Epistola de hoc *Joanne* ad Lucam Dacherium exarata. Nec movere quemquam debeat,

quod hic Joannes Hibernus toties dicatur; id evenit, A quoniam studiorum gratia in ea gente diu versatus erat, quae tunc (*Pag.* x) temporis bonarum litterarum officina fuit. Rossus in libro de Regibus ex quodam antiquo scriptore ista de Hibernia profert : *Anglicanis studiis suspensis* [per Gregorium I ab Augustini tempore] *florebat scientia in Scotia et Hibernia; erat vero Hibernia totius tunc scientiae promtuarium et alumna. Ibi studebat S. Cedda, prius S. Aidani Lindiffer. episcopi discipulus, postea Eborum, et demum Lindeseiae et totius Merciae episcopus; cui conscholaris fuit in Hibernia Egbertus...... et multi praeclari moribus et scientia viri de Anglia.* Dixi eum ideo Hibernum fuisse dictum, quod ibi litteris operam dederit. Idem accidit Marco cuidam, qui *Hibernus* communiter dice- B batur, cum tamen esset natione Britto, educatus vero in Hibernia, ut de eo scribit Ericus Antissiodorensis in fine libri I de miraculis S. Germani. Idem accidit S. Patricio, Pelagio, aliisque multis.

Ut igitur paucis meam conjecturam complectar, opinor Joannem istum Erigenam dictum fuisse a loco, ut videtur, natali. Est autem Ergene pars non contemnenda Herefordensis comitatus, Walliae conterminа. Imo unum e regnis Walliae fuit hoc tempore Alfrido tributarium. In hoc tractu reperio locum *Eriuven*, quæ quidem dictio parum discrepat ab *Eriugen* (et contracte *Ergene*). Jam tota terra ab ipsis Wallis modernis dicitur *Erynug*, vel *Ereinuc*. Qui observaverit, quantae in aliis dictionibus bar- C baris ad normam latinam detorquendis mutationes plerumque fiant, non aegre has leviusculas alterationes mihi hac in voce concedet. Enimvero Liber Ecclesiae *Landavensis*, in Tomo III Monastici Anglicani, Giraldus quoque Cambrensis in *Cambriae descriptione* c. 3 plenius de hac regiuncula docebunt. Quorum hic notat, fuisse *partem dioeceseos Menevensis*; ubi Asser fuit archiepiscopus, qui fuit propinquus Asseri, qui Joannem *Erigenam* audivit docentem. Hujus quoque provinciolae meminit liber *Doomesday*, in quo sic lego : *Hae consuetudines erant Wallensium T. R. E. in Archenefeld*, id est *Ergene*. Notat porro tum Giraldus, tum liber *Landavensis*, Scotos Wallorum fines aliquando occupasse; unde et Joanni nostro Scoti cognomen potuit D accessisse. Sed ut redeam. Haec etiam inde videntur confirmari, quod Joannes Erigena a scriptoribus diserte *Wallus* appelletur. Sic *Hidensium Annalium* compositor, sic Rossus in libro *de regibus*. Imo ipse se *Wallum* non obscure innuit in carmine ad Carolum Calvum...... *Advena Joannes Spendo meo Carolo.* Vox enim *Wallus* et *advena* aequipollent. Qui vitam Grimbaldi scripsit, prodit Joannem cum Assero legatum in Flandriam missum fuisse ad invitandum, Alfredi nomine, Grimbaldum. Non caret probabilitate, magistrum Joannem cum suo discipulo hanc legationem obiisse. Audierat Joannes per Fulconem (nunc, anno 882, archiepiscopum Remensem, nuper abbatem Bertinianum) de fama Grimbaldi Bertiniani; redux ille in Angliam anno 883 Aelfredo eumdem commendaverat. Hinc sequuta est illa legatio anno vel circiter 884; nam appulit huc Grimbaldus anno 885. Ista dicta sunt, ne quis existimet, *Erigenam* hoc in tempore in Galliis haesisse. * Sed hac de re plura mox.

Denique quaeri ab iis potest, qui Joannem hunc Hibernum gente et domo fuisse contendunt, cur hic solus e tot popularibus suis *Erigena* cognominatus fuerit. Testantur certe Annales Saxonici, testatur Ericus Antissiodorensis, aliique apud doctissimum Jac. Usserium Armac. (*Pag.* xi) Arch. in Praefatione ad *Epistolas Hibernicas*, perplures Hibernos (seu Scoto-Hibernos) orbi litterato innotuisse, per Caroli Magni, Caroli Calvi, Aelfredi tempora, et deinceps; quorum tamen nemini nomen hoc, Erigena, pro gentili attributum cognoscitur. Omnes enim vel Hiberni, vel Scoti, et Scoto-Hiberni audiunt.

Venio nunc ad Scoti *Erigenae* scripta recensenda. Pono autem primo loco ea hominis opuscula, de quibus nulla apud veteres reperitur ambiguitas. Edidit igitur Joannes ille :

1. De Eucharistia librum I.
2. Versiones Dionysii Areop. lib. IV.
   Videlicet :
   De Caelesti Hierarchia.
   De Ecclesiastica Hierarchia.
   De Divinis Nominibus.
   De Mystica Theologia.
3. De Praedestinatione *adversus Goteschalcum* lib. I.
4. Versiones *S. Maximi de Ambiguis S. Dionysii et Gregorii Theologi.*
5. De Visione Dei Tractatum.
6. De Divisione Naturae lib. V.
7. Epistolas.
8. Versus.

Tribuuntur eidem et haec, quae subnotantur :

9. In Martianum Capellam *Commentarii.*
10. Excerpta ex Macrobio.
11. De Disciplina Scholarium libor I.
12. Disputatio quaedam cum Theodoro Studita.
13. Versio Moralium Aristotelis.
14. Versio *libri Aristotelis de Regimine Principum.*
15. Commentarii *in Aristotelis Praedicamenta.*
16. Dogmata Philosophorum.
17. Homiliae.
18. De Fide *contra Barbaros.*
19. Paraphrastici Tomi, *sive Commentarii in Dionysium Areopagitam.*

* Quae hucusque de cognomine *Erigena* et de Joannis Scoti *in Angliam reditu* disputantur, aut omnino falsa sunt, aut argumentis, quae quidem firma sint, nullis probari posse videntur. Cf. *Prooemium* nostrum.

Animadv. Edit.

1. Horum opusculorum primum putant aliqui intercidisse; alii adhuc exstare volunt sub nomine Bertrami, vel Ratramni. Praeter alios hac de re consuli possunt Petrus de Marca apud Lucam Dacherium Spicilegii tom. II, et doctissimus vir Joan. Mabillonius in Praefat. ad partem II seculi IV Act. Benedictinorum.

2. Versiones Dionysii exstant in manuscriptis codd., quorum aliquot vidi, ipsius seculi, in quo vixit Joan. Scotus, quantum conjectura assequi liceat. De his vide Anastasium bibliothecarium, et Philippum Labbeum in Anastasio. bibl. Exstant etiam typis cusae. Observant nonnulli ob hanc versionem primo in suspicionem venisse Joannem fidei parum sanae.

3. Tertium scriptum de Praedestinatione typis vulgatum Parisiis anno salutis nostrae M. DC. L. habes apud regium consiliarium Gilbertum Mauguinum inter scriptores seculi IX, cum variis de eo libro antiquorum judiciis et censuris.

4. S. Maximus scripsit expositionem Ambiguorum aliquot locorum, quae in S. Dionysii et Gregorii Nazianzeni libris occurrunt. Haec (*Pag.* XII) Ambigua Joannes Erigena vertit latine. Nescio an totum Maximi opus: quoniam Graeca S. Maximi integra nondum nactus sum. Quae hic in fine legis, accepta mecum refer partim beneficio v. cl. Emerici Bigotii, qui ex Bibliotheca regis Galliarum in meos usus descripta examinavit, partim codici meo, qui complurimas ejusdem Maximi lucubrationes continet. Ceterum, ut redeam ad Scotum, ejus tralationem, quam hic edo, mecum communicavit humanitate et eruditione celebris v. Joannes Mabillon, de quo supra commemoravi. Haec versio, absque iis, quae in libris de divisione Naturae facile observantur, satis ostendit, Erigenam fuisse in Graecis plane alphabetarium.

5. Idem v. cl. J. Mabillonius librum de Visione Dei deprehendit in ms. codice Claromariscensi prope Audomaropolin, cum hoc titulo et initio, TRACTATUS *Joannis Scoti* DE VISIONE DEI. *Omnes sensus corporei ex conjunctione nascuntur animae et corporis.* Dedi ego operam, ut ad me perveniret hic Scoti liber; sed conatui adhuc non respondit successus.

6. Libros V de divisione Naturae primus nunc edo. Hos mihi suppeditavit supellex mea, (curta alias) libraria. Codex noster videtur scriptus fuisse ante annos sexcentos. Quoniam autem non satis tutum existimavi unico fidere exemplari, praesertim in scriptione controversiis obnoxia, primo locos, quos Scotus ex antiquis Patribus adduxit, non indiligenter inspexi; unde nonnullas emendationes codex ille noster lucratus est : deinde, cum rescirem, Parisiis in Monasterio S. Germani, hujus operis servari exemplar aliud (et forte unicum secundum illud meum; nam Codex Thuani valde mutilus erat) amicorum gratia (inter quos primus D. v. Petrus Alixius) obtinui variantes lectiones ex isto ms. Parisiensi : eas, quas seu scribae nostri festinationes, seu codicis ipsius defectus multifariam suppleverunt. Si quis posthac aliquas in hac editione ab exemplari ms. discrepantias observaverit, sciat eas evenisse non consulto, sed casu; non studio, non fraude mala, sed per humanam infirmitatem, quae non videt omnia, irrepsisse. Hos V libros Abbas Trithemius adscribit Joanni Scoto, quem *Mailrosium* vocant. Eum sequitur Baleus, et cum errante errat. Nam, ut de Historicis nihil dicam (qui quidem omnes unanimiter hoc opus Scoto *Erigenae* adscribunt), satis constat ex versione *Ambiguorum*, unum et eundem utriusque operis esse patrem. Diu haud dubie sine auctoris nomine circumlati sunt hi libri; eo caruit noster; eo etiam Parisiensis codex caruit. Imo adeo ignorabatur nomen auctoris, ut opus prius damnatum fuerit Parisiis, quam constiterit, cujus esset foetus. Martinus Polonus sic de eo scribit (quemadmodum in duobus MSS. penes Reverendissimum in Chr. P. Gulielmum Archiepis. Cantuar. legi) : *Hic liber* [περὶ φύσεων] *inter alios libros condemnatos Parisiis ponitur, et dicitur liber Amalrici.* Postrema haec verba non comparent in editis libris Mart. Poloni. Gulielmus Malmesburiensis primus suo auctori vindicavit; Erigena, ut par est existimare, hic apud suos id fassus erat, quod apud exteros celaverat.

7. Epistolas Scoti nullas, quod scio, quisquam vidit, praeter eas, quas libris suis praefixit; nec tamen dubitari potest, quin alias scripserit. Subjeci in calce hujus voluminis ineditam epistolam, quam scripsit Erigena ad Carolum Calvum de S. Maximi versione.

8. Versus omisissem libenter, nisi hos dignos existimasset Baleus, quos [*Pag.* XIII] commemoraret. Exstant quidam in Calce epistolae ad librum de Praedestinatione; alii habentur praemissi ad Areopagitica a Scoto conversa. Sunt quoque nonnulli in Glossario Labbei, quod Cangius in lucem dedit. Reperiuntur denique aliquot Scoti ad Carolum carmina in Codice ms. Benedictino apud Cantabrigienses; quae tamen eadem forte sunt cum iis, quos Reverendissimus Usserius jamdudum publicavit.

Tribuuntur Scoto *Erigenae* etiam haec, quae sequuntur, opuscula; recte an secus, non definio.

9. In Martianum Capellam *Commentarii.* Servantur commentarii quidam in Capellam satis antiquae manus in Bibliotheca ampliss. viri *I. Cotton, Baronetti :* sed anonymi sunt, et ob nonnullas rationes puto Dunchanto Pontifici Hibernensi potius esse adscribendos. Dunchantum servat Bibliotheca regis nostri Caroli.

10. De excerptis ex Macrobio sic clarissimus Armach. Jacobus Usserius : « Joannis quoque nostri putantur esse excerpta illa, quae inter Macrobii scripta feruntur, de differentiis et societatibus graeci latinique verbi, cet. Ita quoque censuit P. Pithoeus v. cl. » Haec ille in Epist. Hibernicis.

11. De Disciplina Scholarium. Putat Joannem hunc scripsisse Buleus in Historia Academiae Pari-

siensis. Equidem aliter censeo. Quanquam enim Scotus noster *barbarus erat et in finibus mundi positus*, ut de eo loquitur Anastasius bibliothecarius, certe non adeo, ac auctor istius libelli, ἐβαρβαρώθη, nec Chrysostomi nomen ei unquam tribuissent sui seculi homines, si istius scripti figulum existimassent.

12. Disputatio cum Theodoro Studita hujus esse non videtur, quoniam Theodorus paulo senior fuit, quam ut ad Scoti nostri tempora pertingere posset : deinde videtur illa disputatio celebrata fuisse de cultu imaginum, quae quidem agitabatur tempore Alcwini et Joannis Scoti *Mailros*. Huic igitur potius quam Erigenae competere videtur ista disputatio : servatur, uti audio, in celeberrima Bibliotheca Regis Galliarum.

13. Moralia Aristotelis an latine verterit nescio. Suspicor alius Scoti esse laborem illum.

14. Versio Aristotelici, ut putatur, *libri de regimine Principum* hujus Scoti non est opus, quicquid confidentissimus scripserit Baleus. Habeo aliquot istius libri exemplaria, vidi alia, in quibus omnibus is, qui vertit, dicitur *Joannes Patricius Hispanensis*. Multi hoc cum superiori opusculo idem esse sciscunt, quibus non accedo.

15. Commentarii in Aristotelis Praedicamenta sunt hujus Joannis πόνημα, si Hugonem et Petrum de S. Victore recte capio. Scio tamen in Catalogo quodam Bibliothecae Oxoniensis eadem alius Scoti nomen praeferre. Nihil de his pronuncio, libris non visis.

16. Dogmata Philosophorum ; 17. Homiliae ; 18. de Fide contra Barbaros mihi plane sunt opera incognita omnia. Si vidisset Baleus, utique et initia horum apposuisset.

19. De Paraphrasticis tomis, sive *commentariis in Dionysium*, praeter tenuem suspicionem nihil habeo; suspicor autem esse *Joannis Scythopolitani παραθέσεις*, quas vertit Anastasius bibliothecarius; vel paraphrasin Abbatis cujusdam Vercellensis.

Porro de scriptis *Joannis Erigenae* quale fuerit antiquorum hominum judicium, qui scire avet, legat scriptores Historiae Goteschalcianae (*Pag.* XIV), Vossium, Usserium, Mauguinum, Cellotium, item Petrum de Marca, Joan. Mabillonium, et P. Alixium. Quo mortis genere periit Joannes, docuit nos Gulielmus Malmesburiensis; quo autem tempore inter vivos esse desiit, non certo designat. Constat ex Rogero Wendovero, Scotum in Angliam rediisse anno salutis 883., vel, ut alii, anno 884. Hoc ipso anno 883. fato functum esse scripsit magnus Baronius. Verum sententiae suae nostrates solos historicos testes laudat, qui id non dicunt; nam de ejus morte loquuntur eo anno per quandam anticipationem. *Post aliquot annos* (ab 883.) *graphiis perfossus animam exuit*, inquit Gulielmus Malmesburiensis. Secundo anno post adventum Grimbaldi (venit ille in Angliam anno 884 vel 885.) legit Oxonii, Scotus, si fides sit Annalibus Hidensibus, qui aut primi aut soli hoc affirmant. De reliquo vitae spatio nihil comperti habeo.

Periit indigna morte : grata posteritas immortalem efficere cupiit, ideoque ejus natale ad 4. Idus Novembris diu celebravit. Arnoldus Wion de eo in Ligno vitae honorifice meminit, notatque, in Martyrologio Romano, quod excudebatur anno 1580, ei locum et decus suum integrum constitisse, a quo tamen sequentes editiones Martyrologii eum penitus detraxerunt. Eo fato mihi natus fuisse Joannes videtur, ut hominum de se judicia semper alternantia subiret. Anastasius bibliothecarius *virum per omnia sanctum* praedicat, alii ut *mendacem*, *ineptum*, *dementem*, *haereticum* differunt. Pueri Malmesburienses eum interficiunt; Monachi sepulcrum condunt. Abbates alii pari eum fere cum suo Aldelmo honore prosequuntur, Warinus pene pro purgamento habet. Hi eum fastis inserunt, alii expungunt. Ita ejus fama et nomen recidiva quasi febri jam diu conflictatur.

De solo sepulturae loco inter omnes convenit. Catalogus SS. in Anglia sepultorum (qui nunc in collegio Benedictino apud Cantabrigienses servatur) de eo sic scribit litteris Saxonicis : S. *Maildunus*, *S. Aldelmus, et Joannes sapiens requiescunt* in *Mailmesburia*. Eadem habet Codex Cottonianus ex Gotcelino Bertiniano, nec abit ab his, uti vidimus, Malmesburiensis Bibliothecarius ; nec vetusta quaedam connotatio, quae olim legebatur in Mertoniana Bibliotheca Oxoniensi : — *S. Aldelmus et Joannes sapiens pausant in loco, qui dicitur in Malmesbiri*. Fuit quoque in honorem hujus Joannis statua posita in templo Abbatiae Malmesburiensis, cum hac inscriptione : *Joannes Scotus, qui transtulit Dionysium e Graeco in Latinum*. Ita Lelandus in Itinerario. Haec habui de Joanne Erigena, quae nunc dicerem.

C. B. SCHLUETERI PRAEFATIO

EDITIONIS CUI TITULUS :

JOANNIS SCOTI ERIGENAE DE DIVISIONE NATURAE *libri quinque. Editio recognita et emendata. Accedunt tredecim auctoris hymni ad Carolum Calvum ex palimpsestis Angeli Maii. Monasterii Guestphalorum, typis et sumptibus librariae Asthendorffianae.* MDCCCXXXVIII.

(*Pag.* III.) Joannes Scotus Erigena (*a*) genere Hibernus (*b*), natus fortasse circa annum 828, in patria litterarum cultu tunc temporis omnium celeberrima, optimarum artium studiis et graecis quoque doctrinis et philosophia admodum eruditus est (*c*). Quibus perfectis fortasse jam tunc consecratione sacerdotali inauguratus (licet nonnulli eum laicum mansisse putent, aliique de longinquis itineribus, quibus Graeciam et ipsum Orientem visitaverit, sermonem faciant), ut illo tempore multi popularium ejus, in Galliam se contulit. Ubi Carolus Calvus rex, in promovendis litteris acer et industrius, eum Parisios vocavit et magistrum in mathesi et dialectica *, praesidemque scholae aulicae tunc perquam clarae constituit. Regi hilaritas ejus et facete ingenioseque dicta magnopere placuerunt; quare Carolo mox amicissimus, imo saepe mensae socius atque contubernalis factus, procul dubio ad incitanda opportune etiam extra urbem Parisios, toto Francorum regno litterarum artiumque liberalium studia multum valebat. Sed paulo post variis et molestis incommodis implicatus est. Monachus enim natione Saxo Godescalcus (*Pag.* IV), quum duplicem esse praedestinationem, alteram beatorum, alteram reproborum, illo tempore proposuisset, hanc ob causam ab Hincmaro, archiepiscopo Remensi, poena acerbissima afflictus erat. Quo commoti insignes aliquot theologi, Prudentius, Florus Diaconus, Lupus, Amolo, sanctus Remigius et alii Godescalco tuendo operam dederunt, tandemque Hincmarum eo adduxerunt, ut et ipse alios quosdam rei dogmaticae peritos ad se defendendum excitaret. Inter hos Erigena causam archiepiscopi recipiens c. a. 852 librum de praedestinatione adhuc exstantem adversus Godescalcum scripsit; quo multos adversarios sibi comparavit. Postremum papa Nicolaus I ea, quae S. Remigius docuerat, approbavit, conciliique Valentiani canones ad hanc controversiam pertinentes confirmavit **. Quibus etiam « venenum » dogmatum Erigenae perstringebatur, ipse tamen Erigena haud damnatus est. Nihilominus complures inferioris aevi scriptores causam Erigenae egerunt, et scripta ejus adulterata esse contenderunt. Post haec Carolus Calvus rex Erigenam excitavit, ut opera (Pseudo-) Dionysii Areopagitae graece conscripta, quae Michael Balbus, orientalis Romanorum regni imperator, a. 827 antecessori illius, Ludovico Pio, donaverat, iterum in latinum verteret sermonem. Erigena regis desiderio satisfecit, a papa autem Nicolao I vituperatus est, quod ipse, qui, « licet scientia magna esset », tamen jam antea, si ad orthodoxiam respicias, penes multos fama haud bona gauderet, librum interpretationi falsae tam obnoxium sine Pontificis Maximi approbatione edidisset. (859.) Jam alii Papam jussisse narrant, Erigenam propter istam rem Parisiis amandari Romamque duci, alii librum illum sibi etiam tum mitti ad approbandum***. Voluntati Papae nescimus cur haud obtemperatum est, neque Papam ipsum postea, ut mandatum suum observaretur, instare videmus. Attamen, quamvis Papa Erigenam vituperasset, aequalis ejus Anastasius, bibliothecarius Romanus, scriptorem nostrum, propter eandem illam versionem, non minus quam propter « sanctam ejus vitam » ita laudavit, ut probatam ab eo ingenii praestantiam et virtutem tantum ex singulari quadam gratiae divinae per Spiritum sanctum infusae efficientia derivari posse confiteretur. Quod quidem

(*a*) Cf. Opus egregium quod Prof. Dr. Staudenmaier scripsit : *Johannes Scotus Erigena und die Wissenschaft seiner Zeit.* I. Vol. Francf. a. M. 1834. Quae vir ille doctissimus ibi p. 102-213 disputavit, ea hic ita, ut in rebus tantum minoris momenti ab illius sententia discrepemus, breviter exposuimus.

(*b*) Certissimis argumentis confirmat hoc Thomas Moore in libro : *History of Ireland.*, tom. I, cap. 13. Staudenmaier Eriuven, Brittaniae locum Erigenae patriam fuisse putat; alii, cognomen Scoti male interpretantes, eum in terra, quae nunc Scotia appellatur, natum esse existimarunt.

(*c*) Imo hebraicas et fortasse syricas etiam litteras didicisse fertur; cf. Johannes Scotus Erigena, *ein Beitrag zur Geschichte der christl. Philosophie mit besonderer Rücksicht auf die Darstellungen von Hiort und Staudenmaier, bearbeitet* von Dr. C. Hock. *Ephem. Bonnens.* 16 Fascic. 1835.

* Joannem Scotum magistrum *matheseos et dialecticae* fuisse, memoriae non proditur. Cf. De Joanne Scoto commentationem supra positam Cap. II col. 11 not. *a*. Animadv. Edit.

** Ne haec quidem fide veterum nituntur. Cf. commentationem laud. Cap. IV. Animadv. Edit.

*** Ipse Nicolaus papa I postulat, ut Carolus Calvus Joannem, *qui non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur, Romae repraesentari faciat, aut certe Parisius in studio morari non sinat, ne cum tritico sacri eloquii grana zizaniae et lolii miscere dignoscatur, et panem quaerentibus venenum porrigat.* Cf. Nicolai papae I litteras, Joannis Scoti versioni Operum Pseudo-Dionysii a nobis praefixas, nec non ea, quae de hac re in commentatione laud. disputantur. Animadv. Edit.

documento est, quid de eo Romae et in ipsa aula pontificia, licet fama ambigua olim aspersus esset, existimatum fuerit. Studium tantum nimium archetypi ad verbum transferendi in ea versione Anastasius reprehendendum esse putavit, quamvis illud studium «humilitati» Erigenae ad (*Pag.* V) scriberet. Postremum circa annum 870 doctrina Paschasii Radberti de Eucharistia, quae praesentiam Christi pene nimis carnalem et adeo caphernaiticam statuit, novam in ecclesia controversiam suscitaverat. Etiam Erigena huic controversiae se immiscuit, et cum Ratramno potissimum spirituale dogmatis momentum illustravit. Quae singillatim de Eucharistia docuerit, nescimus, quum liber, qui a quibusdam Erigenae adscriptus est, fortasse jam ante seculum undecimum interierit *. Dubium enim non est, quin vel idem vel alius liber de Eucharistia, cujus auctoritate Berengarius usus est, et qui in concilio Parisiis Henrico I rege habito damnatus, atque in concilio Vercellensi a. 1050 concrematus est, neque ab Erigena, neque a Bertramo quodam, sed a Ratramno perscriptus sit (*a*). Maximum autem et gravissimum Erigenae opus est de divisione Naturae dialogus, quinque libris constans. Qui quo tempore conscriptus sit, nescimus; auctoritatem vero nactus est multo minorem ea, quam meruit. Non minus enim doctum quam ingeniosum primum est in Occidente opus theologicum, quod, indole omnino philosophica praeditum, sententias eas proponit, quibus et scholasticorum logica et mystica mediae aetatis theologia maximam partem nixa considerari potest. Quum autem seculo XIII Albigenses haeretici aliquot hujus operis locos semper in ore ferrent, et Erigenae auctoritate gloriarentur, Honorius III papa eos libros undique conquiri et concremari jussit. Praeter haec praecipua, quae Erigena scripsit, opera, tredecim tantum hymnos, ab angelo Maio in codice palimpsesto repertos, quos editioni nostrae in fine adjecimus, laudandos esse duximus; cetera, partim temporis invidia deperdita, hoc loco memorare noluimus (*b*). Forsan tam discordiae, quae Erigenam inter et plures in Francia sacrorum antistites paullatim intercesserant, quam vetus illa papae Nicolai I citatio impulerunt Erigenam, ut, id quod nunc prope extra dubium positum est (probabiliter circa annum 883 vel paullo serius), vocatus ab Alfredo Magno in Angliam se conferret. Ibi quidem Oxoniae in litterarum universitate per quoddam temporis spatium mathesin et dialecticam docuit; postremum in coenobio Malmesburiensi abbas factus, sub manibus discipulorum tumultuantium graphiariis (*Pag.* VI) necatus vita decessit (*c*). Fama perhibet, post ejus mortem super sepulcrum ejus lucem miram visam fuisse, eamque tam diu refulsisse, donec ei honestius etiam sepulcrum in majore Malmesburiensium ecclesia prope altare pararetur **. Quam ob causam non minus, quam propter vitae integritatem in Francorum Anglorumque martyrologiis usque ad annum 1583, quo Romanorum libri liturgici inducti sunt, inter sanctos martyres commemoratus est. Sancte vixit, neque unquam ejus vita, sed sola ejus doctrina interdum vituperata est, quamvis incerta et ambigua, ut vidimus, illa sint, quae antiquiore tempore adversus orthodoxiam ejus suscepta esse dicuntur. Statura exiguus fuit; animi vero cultura insignis, ingenio acri et sublimi, scientia tam ampla quam profunda, dialectica Platone et Proclo digna, postremum divino quodam mentis instinctu, quo excelsa quaeque et generosa percipiebat, investigabat et ad extremum usque contemplans perscrutabatur, longe plurimos et doctissimos aequalium superavit.

Erigenam multi multisque modis perperam intellexerunt, id quod fieri pene necesse fuit, quum unamquamque veritatem, quam acutissime potuit, exprimere studeret, et ingenio indulgens opposita ita amplecteretur, ut locis aliis alia et diversa de eadem re disserens in utramque partem modum prope excederet. Quam ob causam haud facile unumquodque ejus dictum, si ex orationis contextu abrumpatur, defendere queas. At affirmare audemus, eum, si totum respicias, amussim veritatis nusquam transgressum esse, quod etiam singulari vitae ejus sanctitati minime conveniret.

Enimvero vulgata illa sententia, quam poeta nostro tempore clarissimus protulit: **Mundi historiam, mundi esse judicium** (*d*), quamvis interdum vera esse reperiatur, saepissime tamen fallit; nec non Erigenae nostro accidit, ut pene omnes, qui eum vituperaverunt vel laudaverunt, profunditati et acumini ejus capiendis minime pares fuerint, atque adeo inique de eo judicaverint, perpaucis tantum altam, qua praeditus fuit, mentem recte intelligentibus. Profecto enim etiam laudem illorum, qui philosophum nostrum tanquam Spinosae antecessorem declarantes «pantheismum ejus et sensum ab Ecclesia catholica (*Pag.* VII) abhorrentem» quam maxime poterant extulerunt (*e*), ipse prorsus et quidem jure suo recusaret.

Age vero, ut aliquatenus videamus, quem locum Erigena in choro doctorum atque eruditorum om-

(*a*) Cf. Döllinger, *Lehrbuch der Kirchengeschichte.* Regensburg und Landshut, 1836. Vol. I, pag. 409.
(*b*) Cf. Hock l. l.
(*c*) Alius est noster Joannes, alius Joannes abbas Athelingensis, qui a sicariis mercede conductis interfectus est.

(*d*) «Die Weltgeschichte ist das Weltgericht». Schiller. Cf. Th. Galei praefat. in libros de div., pag. ultima.
(*e*) Cf. Tennemann, *Geschichte der Phil.*, tom. VIII, sect. I, p. 53 et p. 72.

* Peculiarem Joannis Scoti de Eucharistia *librum* omnino non exstitisse, verisimillimum nobis videtur, ut ostendimus in *Prooemio.* Animadv. Edit.

** Haec quae de reditu Joannis Scoti in Angliam, et de morte ejus narrantur, comperta non esse, in *Prooemio* monuimus. Cf. commentionem laud. Cap. V Animadv. Edit.

nium temporum obtineat, etiam aliquot judicia minus iniqua a recentioribus lata audiamus. Inter quos post notum Thomam Galeum, qui Erigenae acumen admiratus, solus hucusque libros de divisione edidit (*a*), primus Dr. Petrus Hjort nominandus est, Danus, ingenio scientiaque praestantissimus, qui olim Soris, nunc Copenhagiae philosophiam remque litterariam Germanorum docet. Ille enim libello a. 1823 edito (*b*), de Erigena, quod indolem ejus et excellentiam in lucem famamque denuo provexit, optime meritus est. Hjorti quidem opusculum praeter prooemium in tres partes dividitur. In quarum prima scriptor de origine rei litterariae occidentalis et de Theodorici Austrogothi, Caroli Magni, Caroli Calvi, Alfredique Magni temporibus, quatenus ad rem litterariam promovendam pertinebant, doctissime agit et Erigenae narrat vitam. Altera pars tota in exponendo philosophico Erigenae systemate occupata est, idemque, quamvis breviter et summatim, tamen *si totum respicias*, clare recteque adumbratum continet. In tertia parte philosophia christiana qua ratione media aetate per scholasticos doctores et subsequentibus seculis per recentiores philosophos ad nostrum usque aevum exculta sit, explicatur, et sanctum, quod sortita est munus, proponitur. Scriptor, Hamanni Baaderique amicus, in tractanda philosophiae historia ex parte dialecticam Hegelii sequutus est methodum. Quanti vero Erigena philosophans sacrae Scripturae et Patrum auctoritatem fecerit, eidem probe et ex veritate cognitum atque intellectum fuisse, loco, quo de hac re pulcherrime agit, satis apparet. Cf. pag. 47 seq. Quod si Hjortum audis, Erigenae placita nihil nisi philosophicam fidei christianae exhibent explicationem, ratione « recte, pie et catholice philosophantis » repertam.

(*Pag.* VIII.) Verum multo praestantiora consequutus est vir illustris Antonius Staudenmaier, theologiae catholicae nunc in universitate Friburgensi professor. Qui in libro jam supra laudato

A uberrimum historiae Erigenae apparatum colligens, omnium diligentissimus de temporibus, quibus ipse floruit, et de iis, quae proxime antecesserunt, ita scripsit, ut appareret, unde doctrina litterarumque scientia in eo manaverit. Nec minus accurate idem vir eruditus efficientiam exprimit, qua Erigena ad scholasticae mediae aetatis disciplinam et mysticam et logicam valuerit, id maxime agens, ut probam integramque auctoris nostri mentem atque orthodoxiam ostenderet. Quum pro fine hujus praefationis nimis longum foret, si ex praedicto libro, qui systematis Scoti uberius et plenius, quam hucusque tentatum est, repraesentandi, quasi prodromus habendus est, omnes maximi gravissimique momenti locos etiam ex parte tantum hic laudare vellemus,
B universum opus omnibus, qui huic rei diligentius student, legendum apprime commendasse sufficiat.

Eleganter et brevi sermone cuncta complectens etiam Albertus Kreutzhage, in alma universitate Gottingensi judex academicus, scriptor tam ingenio quam pura mentis intentione de philosophia optime meritus, in libro ad marginem laudato (*c*) singulas quasque Philosophi nostri virtutes, tanquam altiore quodam spiritu afflatus, dignis laudibus effert : indolem dicimus Erigenae nativam et inventricem, acumen, profunditatem, philosophiam vere christianam, sermonis pulchritudinem altitudinemque, eruditionem, sensus puritatem et divinitatem Spiritualismo propriam (qua ille quidem celeberrimo omnium poetae, Dante, viro non minore, quam quae illi
C contigit, injuria per longum tempus inique aestimato ac neglecto assimilari potest); postremum systema pantheismum quamvis attingens, tamen creatianismi fines haud transgrediens, neque discrimen, quod inter Creatorem et creaturam interest, ullo modo resolvens. Verum enim vero ipsa ejus verba, quorum elegantiam latine exprimere et omnino reddere vix possis, liceat nobis hoc loco inserere * :

« Heute, mein lieber Freund, habe ich den kleinen

(*a*) *Joannis Scoti Erigenae de divisione naturae libri quinque, diu desiderati*... Oxonii a. 1681. Cf. ibid. p. 8 testimoniorum in Galei praefatione.

(*b*) *Johan Scotus Erigena, oder von dem Ursprung einer christlichen Philosophie und ihrem heiligen Beruf.* Von Dr. Peder Hjort, Prof. der deutschen Literatur in Sorö. Kopenhagen, 1823.

(*c*) *Mittheilungen über den Einfluss der Philosophie auf die Entwickelung des innern Lebens.* Münster, bei Theissing, 1831 pag. 216 seq.

* En istius epistolae versionem latinam, qua sensum auctoris nobis assecuti esse videmur :

« Hodie, amice carissime, Scoti Erigenae *de Divisione naturae* volumen absolvi, atque laudo praedicoque casum, qui mihi praeclarum illud et rarum opus obviam objecit. In perlegenda disputatione, quae est de primordialibus causis, iterum atque iterum agnoscas necesse est, contineri in hoc opere causas primordiales innumerabilium idearum philosophicarum, quae postea singulae integris philosophiae systematis animae ac quasi centra exstitere. Quin, si recentiores quidam philosophi candidi esse vellent, palam profiterentur, opinor, principalem sibi ideam ab Erigena subministratam, atque varias, quas iniere ipsi vias, ope Erigeniani ingenii altissimi et acutissimi sibi patefactas esse.

« Fundamentum disputationum recentiorum de mente sui conscia deque triplici hujus mentis natura, atque altiores cognitiones, quae inde redundarunt

D in Dei naturam intelligendam, et in explicandam sententiam gravissimorum quorumdam Christianae religionis decretorum, denique, ut breviter dicam, inventum recentioris philosophiae facile primarium jam pridem Erigena proposuit verbis his : « Mens etenim et notitiam sui gignit, et a se ipsa amor sui et notitia sui procedit, quo et ipsa et notitia sui conjunguntur ».

« Neque minus admirabile dicendi genus Erigenianum, nusquam non entheum, raram altissimi ingenii cum acutissimo conjunctionem prae se fert. Ut legendo quasi abripi videaris in templum vel sacrum lucum, miris imaginibus refertum, resonantemque divinis vocibus, intima vitae secreta pandentibus. Atque in universum spiritualis philosophiae studium id efficit, ut primum magis magisque debilitetur cum materialis vita, tum principium, quod in ea latet, negandi abstracteque cognoscendi, obscurum illud

Folianten des Scotus Erigena, de divisione Naturae, zu Ende gebracht, und preise den Zufall, der mir dieses herrliche und seltne Werk in die Hände spielte. Bei der (*Pag.* IX) Abhandlung über die primordiales causas im zweiten Buche muss man es wiederholt anerkennen, dass in diesem Werke die primordiales causae unzähliger philosophischer Ideen in Fülle vorhanden sind, welche seitdem vereinzelt ganzen philosophischen Systemen zum Lebensprincipe und Centrum dienen mussten. Ja, es scheint, dass, wenn manche neuere Philosophen offenherzig sein wollten, so würden sie bekennen müssen, dass ihnen Erigena die Hauptgedanken angab; dass sie aus der Fülle seines Scharfsinns und Tiefsinns ihre Systempulse nahmen zu sehr divergirenden Richtungen.....

« Die Basis der neuern Forschungen über das Selbstbewusstsein und seine Trinität, die tiefern Einsichten, welche von da aus in Beziehung auf das Wesen der Gottheit, den Sinn mancher wichtiger Lehren des Christenthums, die Creation, das Erkennen gewonnen sind, kurz eine der wichtigsten Erforschungen der neuern Philosophie wurde schon von Erigena in den Worten ausgesprochen : « mens etenim et notitiam sui gignit, et a se ipsa amor sui et notitia sui procedit, quo et ipsa et notitia sui conjunguntur ».

« Die seltne Verbindung des höchsten Scharfsinns und Tiefsinns bei Erigena spricht sich auch in seiner merkwürdigen, überall Begeistrung athmenden, Schreibart aus, so dass man beim Lesen fortwährend in einer Stimmung erhalten wird, als befände man sich in einem Tempel oder heiligen Hain, voll wunderbarer Bilder und Geisterstimmen, welche von den innersten Lebensgeheimnissen weissagen. Ueberhaupt hat das Studium der spiritualistischen Philosophie die merkwürdige Folge, dass das materielle Leben und das in ihm verborgene finstere und verfinsternde Princip des verneinenden und abstracten Verhaltens immer mehr geschwächt, und das durch jenes Princip angefachte Streben zur Erfüllung des Daseins mit Objecten aus der niedern Region immer mehr überwältigt wird, so dass seine verderblichen und tödtenden Pfeile und die gebrochenen Laute seiner unheilvollen Zerstörungsmacht nicht bis in jene Region zu dringen vermögen, wo im Lichte der göttlichen Wesenheit und Wahrheit alles verklärt wird.

non minus, quam obscurans; deinde magis magisque perdometur cupido per principium illud accensa, quae nos impellit, ut vitam in inferioris regionis rebus teramus. Quo fit, ut harum inferiorum virium letalia tela confusique tumultus amplius penetrare nequeant in altiorem illam regionem, ubi divinae naturae veritatisque lumine perfunduntur omnia.

Fassi di raggio tutta sua parvenza,
Reflesso al sommo del mobile primo
Che prende quindi vivere, e potenza.
E come clivo in acqua di suo imo
Si specchia quasi per vedersi adorno,
Quanto è nel verde, e nei fioretti opimo,
Si soprastando al lume intorno intorno
Vidi specchiarsi in più di mille soglie,
Quanto di noi lassù fatto ha ritorno.
E se l'infimo grado in se raccoglie
Si grande lume : quant' è la larghezza
Di questa rosa nell' estreme foglie?

(Dante, *Paradiso*, canto XXX, vers. 106 seqq.)

« Guentherus secundum morem suum Erigenianum systema nomine pantheismi dependentiae insigniret. Neque potest negari, illud saepe pantheismi quasi latus radere. Atque in universum omnia spiritualia systemata illuc vergunt, imo in pantheismum facile abire possunt, si menti sui consciae primae partes tribuuntur, deinde cogitandi leges pro potentiis mundi creatricibus accipiuntur, harumque porro creandi vis ad solas ipsarum inter se relationes refertur. Unde efficitur, ut spiritus sit omnia in omnibus. Verum Erigena quidem haud migrat eos fines, qui pantheismum a creationis doctrina disjungunt. Nam etiam ubi proxime eos fines attingit, velut in deificatione sanctorum, accurate creaturam a Creatore secundum essentiam discriminat. Quod quidem aperte ostendit exemplum a luce depromptum, quae aera complet, cumque totum in suam naturam mutare videtur, neque tamen tollit discrimen. Sane Erigenae primordiales causae, quarum evolutionibus retroque revolutionibus mundus ita nititur, ut singularia in universalibus permaneant, revocant haec quidem in memoriam Hegelium. Verum Erigena non talem dicit regressum, qui essentiam tollat, neque igitur identitatem, sed creaturae in Creatore immanentiam. Hae causae, primum suam vim exserentes, progignunt categorias Erigenianas, quae, cum Cantianae categoriae, quippe quae subjectivae sint, mundum diruant atque destruant, econtrario praestant mundum atque aedificant, quippe quae objectivae sint et reales. Conditiones enim explicant, quibus intelligibilia, substantiae, fiunt sensibilia; atque cum categoriae simul et substantiae sint et sensibilia, horum amborum quoque inter se identitatem demonstrant ».

« Jam Erigena instructus accurata naturalium studiorum, matheseos, astronomiae, quales et sua aetate nono seculo, et superioribus temporibus fuerunt, cognitione, penitusque imbutus tum Graecorum philosophorum libris, tum scriptis Patrum, id strenue agit, ut solidum quasi nucleum veritatis, quae in Christiana religione est, diligentissime philosophica via cognoscendo enucleet. Ea via ad gravissimas conclusiones pervenit, atque in universum raro quodam exemplo, quod e posterioribus scholasticis philosophis unus, si ingenii acumen spectas, exaequat Thomas Aquinas, aperte demonstrat, veram, quae philosophiam inter et Christianam religionem intercedit, rationem nequaquam esse simultatem inimicam, sed nonnisi conjunctim ambas finem suum assequi, qui quidem finis veritatis cognitione cernitur, nimirum ut veritas per cognitionem penitus in nobis vivescat, nosque in ea simus. Sin vero philosophia et Christiana religio disjunguntur et distrahuntur, tum philosophia non nisi sterilia rupium cacumina ascendit, et quo altius assurgit, eo magis solidam veritatem amittit. Neque quidquam ei relinquitur, nisi ut in inani aere de sua ipsius umbra argutetur. Rursus in Christiana religione dogmata ita rigescunt, ut fere materiales exterioresque figurae videantur, neque amplius in eis interiorem vividamque vitam aspicere valent hebetes timidique oculi eorum, qui pedes quidem in sacro loco calceis nudaverunt, oculos vero texerunt velo. Sic revelatio, quam de gravissimis nostrae naturae quaestionibus dogmata praebent, non amplius intelligitur, neque cognoscitur veritatis, qua abundant, plenitudo. Veritas autem ita demum vivificare ac liberare potest, ut eam et per eam nos ipsos *cognoscamus*, et quid fuerimus, et quid simus, et quid recuperare debeamus, quid sit vitae nostrae propositum, qualisque intercedat necessitudo nos inter et Deum mundumque ». Animadv. Edit.

Ein Strahl erscheint sie ganz, und dieser wallt
Rückstrahlend auf des höchsten Himmels Bogen,
Gibt Leben ihm und schaffende Gewalt.
Und wie zum Bach an seinem Fuss ein Hügel
Sein Bildnifs neigt, als säh' er, hold geschminkt
Mit Grün und Blumenschmelz, sich gern in diesem Spiegel;
(*Pag* X.) So schien sich alles, was von uns nach droben
Zurückgekehrt, zu spiegeln in dem Licht,
Auf tausend Stufen rings herum erhoben.
Und fasst in sich die unterste der Reihn
So vieles Licht, wie weit entfaltet müssen
Die äussern Blätter dieser Rose sein! —

« *Dante* ist doch ein göttlicher Seher und A. W. Schlegel hat sich in diesem Bruchstücke seiner Uebersetzung selbst zu diesem Dichter erhoben....

« Günther würde das System des Erigena als Pantheismus der Dependenz classificiren, und es ist auch wohl nicht zu läugnen, dass es oft nahe am Pantheismus vorüberstreift. Dieser Gränze nähern sich überhaupt alle rein spiritualistischen Systeme, ja sie können in Pantheismus übergehen, wenn der Standpunkt des Selbstbewusstseins für den höchsten erklärt, und dann die Denkgesetze auf die Welt als schaffende Agentien übertragen werden, ihr Schaffen aber nur in ihren Relationen selbst besteht, wodurch der Geist alles in allem wird. Erigena hält indess die Gränzlinie zwischen dem Pantheismus und der Creation fest. Denn selbst da, wo er dieser Gränze am nächsten kommt, z. B. in der deificatio sanctorum, unterscheidet er scharf Creator und Creatur dem Wesen nach, wie es das frappante daselbst gebrauchte Beispiel zeigt von dem Lichte, welches die Luft erfüllt und diese ganz in sich zu verwandeln scheint, aber dennoch den Unterschied bestehen lässt. Erigenas primordiales causae in ihrer die *Welt begründenden* Entfaltung und Rückkehr — mit dem Bestehenbleiben des Besondren im Allgemeinen — erinnern zwar an Hegel, aber es bezeichnet Erigena damit nicht ein aufhebendes Wiedereingehen, mithin nicht eine Identität, sondern die Immanenz der Creatur im Creator. Die nächste Entfaltung derselben, die Kategorien des Erigena, welche in ihrer objectiven Realität die Welt darstellen und construiren — während die Kantischen subjectiven Kategorien sie destruiren — erscheinen als die Bezeichnung der Bedingungen, unter denen sich die Noumena, die Substanzen in Erscheinung übersetzen, und durch die Kategorien als mit Substanz und deren Erscheinung identisch, wird auch die Identität beider unter sich hervorgehoben.

« Mit einer genauen Kenntniss des Standpunkts der physicalischen Wissenschaften, der Mathematik und Astronomie in seinem Zeitalter, dem neunten Jahrhundert, und dessen Vorzeit ausgerüstet, durchaus vertraut mit der alten Literatur der griechischen Philosophie und den (*Pag.* XI) Leistungen der Kirchenväter sucht Erigena den reinen Gehalt der Wahrheit im Christenthume philosopihsch in strenger Wissenschaftlichkeit zu erkennen. Er gewinnt die ausserordentlichsten Resultate und zeigt überhaupt A auf eine vorzügliche und von keinem der spätern scholastischen Philosophen ausser von Thomas von Aquino in Beziehung auf den Scharfsinn, erreichte Weise, wie das wahre Verhältniss der Philosophie zum Christenthume nicht ein feindseliges sei, sondern beide nur in enger Verbindung ihr Ziel erreichen können, die Wahrheit zu erkennen; damit durch die Erkenntniss die Wahrheit in uns durchdringend lebendig werde, und wir in ihr seien. Werden dagegen Philosophie und Christenthum von einander getrennt und entfernt gehalten, so ersteigt die Philosophie nur unfruchtbare Felsenspitzen, wo sie, je höher sie kommt, immer mehr die concrete Wahrheit verliert, und in der ausgeleerten Luft nur noch über ihren eigenen Schatten grübelt. Im Christen- B thume aber erstarrt dann das Dogma, als ob es zur äusserlichen Gestalt materialisirt würde, und die blöden und scheuen Augen der Schauenden, welche an der heiligen Stätte zwar die Schuhe von den Füssen ziehen, aber dafür eine Decke über ihre Augen ziehen, vermögen sein reiches inneres Leben nicht mehr zu erblicken, die Offenbarung, welche es über die höchsten Fragen unsrer Existenz enthält, nicht mehr zu vernehmen, und die Fülle der Wahrheit in ihm nicht mehr zu erkennen. Die Wahrheit kann jedoch nur dadurch uns beleben und befrein, dass wir sie und durch sie uns selbst erkennen, in Dem, was wir waren, was wir sind und was wir wieder erringen sollen, was die Aufgabe unsres Daseins ist, in welchen Relationen wir zur Welt und zu Gott C stehen ».

Pergentibus sententias recentiorum quorundam atque doctorum de Erigena latas proponere, proximus nobis obviam fit Philippus Gerbet, philosophus inter Francogallos hoc tempore pietate et eruditione insignis. Qui licet orthodoxiae Scoti minus faveat, tamen intuitionem ejus cum aurora super philosophiae incunabulis repentino exorta comparans, doctrinam Erigenae, quam ab Areopagita, reliquias systematum orientalium cum Christiano dogmate conjungente, acceperit, et cum propriis commiscuerit notionibus atque ideis, systema appellat, cujus sublimitas et amplitudo gigantea audacissimis Indicae philosophiae conatibus aemuletur (*a*). Postquam (*Pag.* XII) placita Erigenae de natura quadripartita, de D analysi et synthesi primariae unitatis divinae sive de creatione, item de nominibus Dei, qui omni nomine careat, tandem de reditu omnium rerum in Deum gradatim assurgentium et de apocatastasi aeterna recensuit, ac lineamenta systematis, quamvis pantheismum eidem sapere videatur, perspicue et accurate depinxit; postremum notat, non tam per logicam artem, quam per sublimem et ingentem quandam intuitionem Erigenam ad tantam, tamque excelsam mundi perceptionem elatum fuisse; logicam enim ibi metaphysicae subjectam, nec dominam quasi, sed famulam videri. Nihilominus tamen in

(*a*) Cf. *Introduction à la philosophie de l'histoire*, par l'abbé Ph. Gerbet. Paris 1832, 3e conférence, pag. 101 seq.

libris de Divisione vestigia et fragmenta systematis A cujusdam logici sparsa reperit, quod late patens alteri, naturae scilicet systemati, quodammodo respondeat. Dictione prope mechanica utens duas affirmat idearum series, philosophicam dico et theologicam, quasi diffissas alteram juxta alteram per totum opus ita porrigi, ut in philosophica pantheismum auctor haud effugiat, quem tamen in theologica immutans atque inflectens dogmati accommodare studeat. Si res seculi decimi publicae minus turbulentae animisque in altiora studia elevandis minus adversae fuissent, scholam existimat oriri potuisse, quae vitatis Erigenae erroribus ad intuitivam accessisset Orientalium scientiam et rationem.

Cum Gerbeto tres praestantissimorum in Germania philosophorum Fridericum a Schlegel, Franciscum B a Baader, et Antonium Günther conferre aptum erit. Quorum primus non dubitat, quin medii aevi philosophia successum habuisset laetiorem, si praeter S. Bernhardum, Anselmum, aliosque, Erigenam potissimum, quem philosophum Christianum aeque perspicuum et simplicem atque ab omni falso rerum rimandarum studio alienum, et meliore suo ipsius judicio utentem, appellat, sequuta fuisset (*a*). Alter, Fr. a Baader, vir clarissimus, jam anno 1824, et in libro, quem Fermenta cognitionis inscripsit, et aliis locis lectorum suorum animos ad speculativas operum Erigenae sententias advertit. Saepiusque eum, ubi ipse cum illo consentit, citans, haud infitiatur quidem, Erigenam hic illic pantheismum attigisse, solam tamen Mali notionem ab eo propositam vitu- C perat, qua in neologicam abstractionem inciderit et propterea a catholica (*Pag*. XIII) Ecclesia merito improbatus sit (*b*). Dr. A. Günther autem, ubi de effectibus protestantismi sermonem facit (*c*), antiquam Catholicorum in rebus speculativis libertatem laudat, eamque cum hodierna antistitum Ecclesiae timiditate, quae cum protestantismo incessit, comparans, simul cum S. Augustino Erigenae exemplum eo aptius afferre potuit, quo incertiora omnia sunt, quae primis post Erigenam seculis adversus eum ab Ecclesia acta esse dicuntur.

Nec minus doctus historiae philosophiae scriptor Rixner (*d*) Erigenam philosophum magnum, singularem, dialectica ac mystica arte et scientia insignem pro dignitate aestimat, et pleniorem operum de divi- D sione Naturae et de Praedestinatione epitomen in fine tomi secundi historiae philosophiae adjecit.

Verum magnopere admirati sumus, quod doctum Hegelium, qui idem dialectico, ut hoc utamur verbo, monismo suo tam multifarie memoriam Erigenae affert, tantum ex auditu vel abruptis ex partibus Erigenae opera comperta habere videbamus. Alia enim ratione fieri non potuit, ut tam obiter et tam profunda levitate illum tractaverit, qua id factum esse revera reperimus in ejus historia philosophiae (*e*). Attamen cum Erigena veram philosophiam initium cepisse agnoscit; sectatorem Neoplatonicorum et Dionysii Areopagitae ipsum appellat. Philosophiam ejus profundam rectamque esse dicit, sed (quod Hegelium contendisse animo vix concipi potest) exegesi et Patrum auctoritate haud nixam, imo prope syncretismum referentem!

Inter eos vero recentiorum, qui non solum cum Hegelio Erigenam prope ignorarunt, vel cum fastu neglexerunt, sed etiam priorum temporum injustitiam sequuti, pie agere sese existimarunt, dum inveteratum de illo praejudicium * denuo confirmarent acuerentque, nonnullos conspicimus, qui timore partim laudabili ducti, ne Christianum dogma et opinio de scriptore nostro quasi antiquitus tradita laederetur, in dijudicandis Erigenae meritis, fas aequitatemque postposuerunt. His accedunt alii, quorum ingenium, cum rem Christianam ratione mere historica (*Pag*. XIV) tractare gestiant, omnem, quae unquam emersit, speculativam dogmatis indagationem et explicationem profundiorem spernit. Alii denique, recentiorum systematum, verae libertati Christianae speculationis minus faventium, eamque inter fines nimis angustos coarctantium, praejudiciis impliciti admodum quidem cavent, ne Deus cum creatura more gentilium pantheistice confundatur, nequaquam vero abyssum (*f*) timent, inter utrumque iterum hiantem, quem teste S. Paulo (ad Ephesios C. II, v. 13, seq. et ad Coloss. C. I, v. 19) Salvator noster ita clausit, ut « utraque faceret unum ». Inter ejusmodi viros numerandi videntur scriptores historiae Francorum litterariae, Maurini; Thomas Moore et Dr. C. F. Hock, viri cum propter indolem, tum propter ingenii acumen doctrinamque haud parvo aestimandi. Verum cum his non litigabimus, quia res, de qua quaeritur, propter singularem, quam illi sequuntur in rebus scrutandis et dijudicandis methodum, hoc loco vix posset absolvi.

Jam vero cum alio, si non Erigenae, tamen ejus

(*a*) *Philosophie der Geschichte*. Tom. II, p. 159. Cf. *Hugo v. St. Victor*, von Dr. Liebener p. 7. et *Ueber die myst. Theol. des Joh. Charlier von Gerson*, von Dr. Hundshagen; *Illgen'sche Zeitschrift für histor. Theol*. Bd. IV. Heft 1, pag. 82, seq.

(*b*) Ferm. cognit. VI. fascic. pag. XXVI. Cf. etiam ejusdem *Spek. Dogmatik*, Heft IV. Vorl. 9. *Vom Segen und Fluch der Creatur*; et: *Ueber den Begriff des Gut-oder positiv-und des Nichtgut-oder negativ-gewordenen endlichen Geistes*.

(*c*) Cf. *Vorschule zur spekulat. Theologie*, II. Abtheil., *Incarnations-theorie*, Vorwort, pag. XII.

(*d*) *Handbuch der Geschichte der Philosophie*. II. Tom., pag. 10—16. Cf. Appendix, pag. 3—10.

(*e*) *Vorlesungen über Geschichte der Philosophie*. III. Tom., p. 159—161.

(*f*) Cf. Hoffmanns *Vorhalle zur spekulativen Lehre Franz Baader's* pag. 67. *Ueber das Verhältniſs des Theismus zum Christenthum*.

* *Praejudicio* sane ducti non esse videntur veteres, qui J. Scoti falsas opiniones acerrime judicarunt; nam multa ille docuit, quae veritati non congruant. ANIMADV. EDIT.

doctrinae adversario in certamen descendamus, qui tam mythologiam, quam historiam percognitas habens, nec minus Christianae speculationis profunditatem edoctus, eandemque perspiciens et amore amplectens, postremum integre sine studio et ira, atque ex autopsia judicare solitus — nunc tamen, quod mirum, in acie hostili conspicitur. Dicimus J. Görres, professorem Monachii docentem, virum eruditione et mentis acumine insignem, cujus de Erigena sententiam consulto usque ad finem citationum nostrarum distulimus, ut ejus de illius orthodoxia placitis, quippe ad quae etiam ceterorum vituperia paene omnia redeant, aliquot argumenta maxime ex ipso Erigena petita opponeremus, et ea, qua decet, reverentia, et ipsi et omnibus, qui de hac re judicare possunt, scriptorum Erigenae relegendorum ansam praeberemus. Quamvis enim parati simus ad accipiendum responsiones argumentis probatas eorum omnium, qui etiam tum, quum totum Erigenae opus perlegerint, placita ejus absona esse a fide Christiana contendent; bona tamen et certa spe ducimur, fore, ut hac via judicio de Erigena ferendo laetior, quam hucusque factum est, paretur exitus.

J. Görres laudat quidem Erigenam (*a*), qui primus scientifica ratione Genesim exposuerit, et hanc expositionem (*Pag.* XV) cum magno mentis acumine usque ad singula quaeque mirabiliter perduxerit. Nec minus profunditatem ejus et audentiam probat, conantis progredi ultra systematis Areopagitici terminos, dum Platonis dialecticam cum logica Aristotelis conjungat. Evolventem vero Dionysii Areopagitae ideas ac notiones, eum ait iterum necessitate quadam vetus periculum pantheismi incurrere, qui in scriptis Areopagitae, tantum propter expositionem rerum universaliorem et minus expressam, latuerit, et, ut tum temporis vix potuerit evitari, apud nostrum auctorem mentis quadam integritate et innocentia prodierit. Hanc creaturae cum Deo confusionem jam in initio libri de Eucharistia (puta de Praedestinatione) apparere, ubi veram religionem et veram philosophiam unam eandemque rem esse contendat. Affert deinde notam Erigenae quadripartitam naturae divisionem, in qua naturam creatam et creantem J. Görres λόγον esse affirmat, medium scilicet inter naturam non creatam et creantem (Deum) et naturam creatam non creantem (Creaturam) positum. Itaque Deum trinum cum creatura ei se miscuisse, indeque coactum fuisse Erigenam, ut Filium Patris creaturam esse declararet. Propter hunc errorem eundem ultra Areopagitae systema terminumque non longe progredi potuisse. Neque enim eum, id quod Areopagita neglexerit, trinitatem in mysticarum rerum speculationem introduxisse: verum sequentem vestigia Areopagitae et librum ejus de divinis Nominibus, aeque atque illum tantum de unica Dei essentia, eadem fere contemplationis

(*a*) Cf. *Christliche Mystik*, tom. I, pag. 243.

A methodo, licet magis scholastice, tractasse, contentum, dummodo divinam urgeret unitatem. Creantem autem creari naturam eam ob rem ab Erigena doceri, quia Deus superessentialis et superqualitativus, dum ex aonomasia in pantonomasiam per theophanias quasi procedat, per hanc processionem (quatenus per ideas, sive θεῖα θελήματα sive προορίσματα sive πρωτότυπα sese explicet) quodammodo omnia in omnibus fiat. Postremum notat, eundem de septiformi reditu naturae creatae non creantis in Deum, et de transitu inferiorum in superiora, et omnium in Deum, qui tandem solus superstes sit, acute et ingeniose tractare, sed etiam hoc loco pantheismi errorem non effugisse.

Jam si haec de pretio decretis Erigenae, quatenus B dogma spectant atque scientiam, tribuendo modo dicta breviter conspiciamus, cuncta, quae Goerres in illo vituperanda et improbanda censet, ad haec tria redeunt:

1. Erigena humanae rationi nimium dedit, et quae rationis sunt, cum divinis miscens eloquiis, revelationem (*Pag.* XVI) non satis a philosophia distinxit, declarans veram philosophiam veram esse religionem, et veram religionem esse veram philosophiam. Quod etiam Tennemann affirmat, sed Erigenae in laude ponit (*b*).

2. Pantheismum profitetur: a. quum λόγον, Deum filium, emanantem a Patre, creaturam Patris esse affirmet. b. quum omnes creaturas in universali rerum apocatastasi per Deum, unam scilicet substantiam, C doceat absorberi.

3. Ultra systematis Areopagitici fines ejusque superessentialem, omnia superantem divinam unitatem non processit, et dogmaticam S. Trinitatis notionem in Theologiam mysticam et speculativam inducere omisit.

His tribus, quae Goerres in Erigenae reprehensionem notat, accedat quartum, quod multi in eundem animadverterunt:

4. Mali ethici naturam atque gravitatem haud agnovit, immo in universali rerum apocatastasi infernalia supplicia finem assequi docuit.

Ad I. respondemus, propositionem: « Vera philosophia est vera religio, et v. v. vera religio est vera philosophia », duplici et diverso sensu posse intel- D ligi, sed eandem in auctoris nostri ore non magis esse suspectam, quam id, quod prope omnes sancti Patres docent, revelationem scilicet Christi esse summam sapientiam atque omnem continere philosophiam. Ex quo sequitur v. v. etiam, veram philosophiam eandem esse ac veram religionem, nec hanc aliam et ab illa separatam involvere veritatem. Erigenam vero nec sacram Scripturam, neque testimonia Patrum contempsisse, tam multi loci in libris de divisione probant, ut ridiculum foret, hoc locis singillatim laudandis uberius approbare. Duos tantum locos afferamus, quorum alter humilitatem testatur,

(*b*) *Geschichte der Philosophie*, tom. VIII, sect. I, p. 72, cf. p. 53.

quam in perscrutandis rebus divinis auctor noster semper servavit, quantacunque fuit libertas ejus et audacia, quando easdem res per rationem divina gratia illuminatam investigabat; alter vero ostendit eundem, quamvis ratione adjuvante, scripturam intelligere, occultum ejus sensum penetrare, eruere et explicare se posse confideret, tamen existimasse, nunquam ultra sanctarum Scripturarum radium, et absque ope earum altius se elevare et de rebus divinis tractare sibi licere. In secundo libro de div. dicit: « Quid enim prodest illa velocitas, quam pura veritatis contemplatio effugit, aut quid nocet ipsa tarditas, cui desiderata facies occurrit »? et ibidem pag. 130 (II, 23).

(*Pag.* XVII.) Alter locus est lib. I. p. 69 (I, 66). « Si quidem de Deo nihil aliud caste pieque viventibus, studioseque veritatem quaerentibus dicendum vel cogitandum, nisi quae in sancta Scriptura reperiuntur, neque aliis, nisi ipsius significationibus, utendum est his, qui de Deo sive quid credant sive disputent. Quis enim de natura ineffabili quippiam a seipso repertum dicere praesumat, praeter quod illa ipsa de se ipsa in suis sanctis organis, theologicis dico, modulata est ». Cf. etiam lib. II. p. 105 (II, 15), et lib. IV, p. 393, 394 (IV, 17).

Prorsus accuratior Erigenae lectio unumquemque sanae et justae mentis lectorem absque dubio convincet, Erigenam de ratione αὐτονόμῳ et, uti dicamus, solipsistica, quam recentiores statuunt philosophi, ne somno quidem cogitasse. Imo nisi radio veritatis ex verbo divino et testimoniis sanctorum Ecclesiae Patrum, radio simul interni luminis adjuvante, tangeretur (*a*), nullum novit rationis usum, nec ullam gratia destitutam animi intentionem, quae non virtute, opibus, rebus, felicique exitu necessario careret; nusquam ne praetereundo quidem sententiam, quae istum saperet rationalismum, protulit. Illa vero philosophiae definitio Erigenae eam ob causam in suspicionem versa est, quod simul insanum hoc significare posse videbatur, hoc vel illud systema mere philosophicum, arteque humana pro libitu contextum, veram esse et unam religionem, non autem veram religionem, fide acceptam, intellectam et operibus manifestatam, veram esse philosophiam (*b*). Ceterum Erigena nihilominus theologiae fines a philosophiae finibus probe discernit, respiciens tam amborum objecta, quam animi vires et facultates, quibus parantur et concipiuntur. Illi enim sanctae Trinitatis, causarum primordialium rerumque aeternarum speculationem, huic vero rerum factarum et per locos et tempora apparentium perceptionem et investigationem adscribit; illam sapientiam, quae per intellectum, scilicet animum, hanc scientiam, quae per rationem seu animam potissimum administretur; illam theologiam, hanc philosophiam sensu angustiore, seu physicam appellat, quamvis ad felicem successum utrique parandum scripturam et gratiam verbi divini omnino necessariam esse declaret. Cf. lib. III, p. 187 (III, 3).

(*Pag.* XVIII.) Ad II. a. Quanquam in libris de Divisione nonnulli loci reperiuntur, quibus mundus archetypus in Logo Deo aeterne conditus, quam nunc ideam creationis appellare solent, cum secunda S. Trinitatis persona confusus, vel non satis ab eadem distinctus videtur; multi tamen alii loci occurrunt, qui determinate et praecise a Verbo aeterne genito, mundum in eodem Verbo conditum et per idem Verbum, ut ipse dicit, factum, et a Spiritu sancto perfectum, ut naturam aeterne conditam, scilicet creatam, discernunt, licet cum Logo divino conjunctus, quando naturae creatae non creanti, quem mundum realem, scilicet Universum, vocare solemus, opponitur idem et creata et creans appelletur natura. Praeterea Erigena in variis, quas de S. Ternario profert expositionibus, quam strictissime singulas personas sive ὑποστάσεις classice secundum dogma distinguit, et consequenter etiam λόγον dicit aeterne genitum, nec aeterne procedentem, nec aeterne creatum. Locos, quibus illa inter Logon naturamque creatam et creantem distinctio, multo magis etiam inter eundem et naturam creatam non creantem scilicet creaturam proprie dictam, nobis clarissime videtur illucescere (praeter illos, quibus Deus genitus a Deo generante et procedente non minus, quam a creatura distinguitur) (*c*) e multis afferamus hosce:

Lib. III. p. 228. seq. (III, 16). « Credamus itaque et, quantum datur, mentis acie intueamur, omnia visibilia et invisibilia etc., etc., quaecunque universitas totius creaturae continet, in Verbo Dei Unigenito et aeterna simul et facta esse, et neque aeternitatem in eis praecedere facturam, neque facturam praecedere aeternitatem. Siquidem eorum aeternitas facta est, et conditio aeterna in dispensatione verbi ».

Lib. III, p. 232 (III, 17). « Inconcussa itaque auctoritas divinae Scripturae nos compellit credere, totius creaturae Universitatem in Verbo Dei conditam esse, ipsius vero conditionis rationem omnes intellectus superare, solique Verbo, in quo condita sunt, cognitam esse ».

Lib. III, p. 239 (III, 18). « Dicit enim (sacra Scriptura): In principio fecit Deus coelum et terram; hoc est, Deus pater in Deo filio universalitatem totius creaturae visibilis et invisibilis condidit: et quid in principio suo, in Verbo suo, in Filio suo unigenito Pater conderet, (*Pag.* XIX) quod ipse cientes quantum se infert divinorum eloquiorum radius ».

(*a*) Cf. Ackermann: *Christliches im Plato*, pag. 213.

(*b*) Cf. lib. II: « Nulla enim alia fidelium animarum salus est, quam de uno omnium principio, quae vere praedicantur credere, et quae vere creduntur intelligere ». Et lib. I: « In tantum sursum respi-

(*c*) Cf. lib. II. « Omnis autem creatura incipit esse, quia erat, quum non erat; erat in causis quidem, non erat in effectibus: non omnino igitur vere aeternitati coaeterna est ».

Filius non esset; alioquin non in ipso conderet ». (*a*).

Si vero Erigena aliis locis ex cit. lib. III, p. 245 seq. (III, 18) S. Basilii verbis, qui (Homil. 8, in Gen.) dicit: « Divinum verbum natura est eorum, quae facta sunt » : secundum sensum ibi memoratum assentiens contendit : « Deum creari in omnibus », sive « Deum esse in se, fieri in creaturis », idem ut postea J. Taulerus, S. Suso multique alii Patres lectionem tantum sequitur S. Johannis Theologi (Evangelistae) c. 1. v. 3. 4. antiquam et admodum vulgatam : « Quodcunque factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hominum ». Similiter Suso, pag. 164 : « Alle Kreaturen nach ihrer innebleibenden Ausgeflossenheit sind ewiglich in dem Einen, nach Gottlebender, Gottwissender, Gottwesender Istigkeit, wie das Evangelium in principio sagt : das worden ist, das ist in ihm ewiglich gewesen das Leben ». (*b*) * Sane injustum foret, propter haec et ejusmodi verba vel Susonem vel Erigenam pantheismi accusare! Nonne etiam pictor, qui regis imaginem coloribus depingit, quaerenti quid faciat, respondet : Fit rex! Sic etiam S. Augustinus : « Crescat ergo Deus, qui semper perfectus est, crescat in te. Quanto enim magis intelligis Deum, et quanto magis capis, videtur in te crescere Deus. Ipse autem non crescit, sed semper perfectus est. Intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multo amplius : lumen ipsum Dei crescit in te, ita velut Deus crescit, qui semper perfectus manet. Quemadmodum si curentur cujusdam oculi ex pristina caecitate, et inciperet videre paululum lucis, et alia die plus videret et tertia die amplius : videtur illi lux crescere : lux tamen perfecta est, sive ipse videat, sive non videat. Sic est et interior homo : proficit quidem in Deo et Deus in illo videtur crescere; ipse tamen minuitur, ut a gloria sua decidat et in gloriam Dei surgat ». (*c*) Nec minus A. Günther in libro Thomas a Scrupulis p. 223 : « Und was könnte diese Liebe andres sein, als jene, mit der sich Gott auch in der Kreatur liebt, weil er in ihr seinen ewigen Gedanken (*Pag.* XX) wiederfindet, in ihr einem Momente seines eigenen Lebens begegnet »? ** Age ergo, etiam Erigenae indulgeamus, dicenti : « Deus est in se, fit in creaturis », quum propter Paulinum illud : « qui est per omnia et in omnibus », alterum ejusdem Apostoli : « Qui est supra omnia », nusquam neglexerit. (*d*) Postremum vero caveas, ne quaternarium naturae, quae dicitur, apud Erigenam utpote formalem cum sancto Ternario dogmatis, quem expressis verbis docet atque confirmat, ullo modo unum idemque esse existimes. Jam ipsius Erigenae declaratio de quarta et de prima natura, sive de natura non creata neque creante, et de natura non creata et creante, utramque unam eandemque esse naturam, (*e*) secundum diversum respectum processionis et reditus rerum, sic appellatam, satis demonstrat, hanc divisionem ex parte ut subjectivam tantum et formalem accipiendam esse. Quod, quum Erigenae de Trinitate doctrina exposita fuerit, evidentius etiam apparebit.

b. Simili modo aliquot alios operis de divisione locos, ubi de universali rerum instauratione in altero Christi adventu futura et de ultimo judicio agitur, minus attendenti et cogitationum seriem, verborumque vim negligentius perpendenti pantheismum sapere posse non negamus. Verum tamen multo plures loci, qui contrarium affirmant, et quintus ejusdem operis liber paene totus prudentem quemque lectorem omnino convincent, doctrinam de universali rerum omnium per Deum in consummatione seculi absorptione, qua intereat, non vero glorificetur et magis salvetur creatura, a mente Erigenae prorsus alienam fuisse. Expressis enim verbis non solum plures in aeterna beatitudine gradus justorum statuit, (*f*) qui in Jesu pro eorum meritis praevisi et praedestinati, deinceps sine fine Deum videbunt, verum etiam certum numerum singulari gratia in deificationem supra omnem (*Pag.* XXI) naturalem virtutem electorum esse docet atque describit; imo funestum illum errorem, quo creata omnia in Deo pereunt et cum Deo uno superstite confunduntur, ipse nominatim reprobat et aspernatur. Jam

(*a*) Cf. lib. II, p. 122 (II, 22) « Ad quid » cet., et p. 124 (II, 22) « Omnia igitur » cet.

(*b*) *Cf. Heinrich Suso's genannt Amandus Leben und Schriften von Melchior Diepenbrock.* 2 Aufl. Regensburg. 1837.

(*c*) Cf. Gügler, *Heilige Kunst der Hebräer.* Vol. I. p. 36. Item de Div. lib. IV, p. 332 (IV, 7) « Hinc S. Augustinus » cet., ubi S. Augustinus miris verbis omnino idem quod Erigena docet. Item p. 341 (IV, 9) « Quapropter de intellectu » cet. Item lib. V. p. 475 (V, 24) « Quid enim sapientia » cet.

(*d*) Cf. lib. IV, p. 320 (IV, 5) « Miror cur » cet.

(*e*) Cf. lib. III, p. 248 (III, 23) « Sed quod theol. » cet.

(*f*) Cf. lib. I, p. 8 (I, 8). « Nam unusquisque, ut diximus, unigeniti Verbi Dei notitiam in se ipso possidebit, quantum ei gratia donabitur... Quotus enim numerus electorum, tot erit numerus mansionum; quanta fuerit sanctarum animarum multiplicatio, tanta erit divinarum theophaniarum possessio ». Et lib. V, p. 586 (V, 38) : « Quando erit non solum generale sabbatum in omnibus divinis operibus; verum etiam et speciale sabbatum sabbatorum in sanctis angelis sanctisque hominibus; et implebitur domus Dei, in qua unusquisque, ordine sibi congruo, constituetur : alii inferius, alii superius, alii in sublimitate naturae, alii super omnem naturalem virtutem circa ipsum Deum ». Etiam p. 519 (V, 31) et 474 (V, 24) et 550 (V, 36).

* Latine sic reddi posse videntur : « Omnes creaturae, utpote quae effluxere eaedemque immansere, in uno aeternae sunt, viventes in Deo, Deum cognoscentes, quasi deificatae, ut legitur in Evangelio : *Quod factum est, in ipso vita erat* ». ANIMADV. EDIT.

** Latine sic verti posse videntur : « Et hic quidem amor quisnam alius esse potest nisi ille, quo Deus se amat, et in creaturis, in quibus aeternam ideam suam reperit, momentuxn quasi propriae vitae offendit »? ANIMADV. EDIT.

si ad multas pulchrasque respicere velis analogias, quibus Erigena utitur ad hanc futuri seculi θείωσιν quodammodo explicandam atque dilucidandam, de hac re protinus minime dubitabis. Hae analogiae sunt, exempli gratia, de ferro in igne candescente, quod, totum ignis factum, nihilominus non desinit esse ferrum; de aere illuminato, qui totus lux solaris factus, tamen aer manet; de stellis, quae oriente sole evanescunt et tamen non desinunt esse. Quae similitudines apud omnes fere probatos theologos primorum seculorum mediaeque aetatis speculativos possunt reperiri, nec scilicet confusionem Dei cum creatura, immo penetrationem seu inhabitationem et inexistentiam amborum clarissime significant. (*a*) At teste S. Paulo homo, qui Deo adhaeret, unus cum Deo fit spiritus. Nec quisquam veteribus theologis in vituperium vertit, enthusiastice profitentibus, eum in finem Deum factum esse hominem, ut homini potestas redderetur, qua Deus fieret, seu deificaretur : « Τούτου γὰρ γένος ἔσμεν » ; cf. I Cor. VI, 17. Ceterum locos, quibus pantheisticam Dei cum creatura unionem, qua creatura absorbeatur et pereat, auctor noster determinate aspernatur, hos afferre sufficiat :

Lib. III, p. 243 (III, 20). Cf. et lib. V init.

« Mutatio itaque humanae naturae in Deum, non in substantiae interitu aestimanda est, sed in pristinum statum, quem praevaricando perdiderat, mirabilis et ineffabilis reversio ». — Item : « Non enim vera ratio sinit superiora inferioribus vel contineri, vel attrahi, vel consumi. Inferiora vero a superioribus naturaliter attrahuntur et absorbentur, non, ut non sint, sed ut in eis plus salventur et subsistant et unum sint ». Item, ut lib. V etiam monet : « Non autem, ut saepe diximus, essentiarum aut substantiarum confusione aut interitu ». Denique etiam p. 559 (V, 37).

Gregor. Nyssenus ibid. :

« Omnino tempore resurrectionis, secundum bene futuram conversionem in Spiritu sancto, per gratiam incarnati Dei, absorbebitur caro ab anima in spiritu, anima vero in Deo (*b*) ».

(*Pag.* XXII) Denique si Erigena pantheismum sectaretur, docere non posset, quae docet :

1. Deum esse causam omnium super essentialem (*c*), nec categoriam essentiae sive οὐσίας, nec ceteras novem categorias in Deum posse cadere (*d*).

A 2. Humanam voluntatem esse liberam ad eligendum vel bonum vel malum, et genus humanum in Adamo praevaricatum mortique obnoxium factum, in Christo et per Christum salvatum esse et vitae aeternae redditum (*e*).

3. Superbiam Luciferi, qui sua virtute Deus esse cupiebat, detestandum crimen fuisse. Cf. lib. V.

4. Deum efficere, ut multa extra communem naturae ordinem eveniant, quo ostendat, se solum esse Dominum, neque alium quendam — et consequenter, miracula posse fieri. « Nullis », inquit, « conjecturis animi inquirendum, cur — res naturales — ex invisibilibus causis in vi seminum semel constitutis non simul, sed temporis intervallis et locorum, in formas sensibiles debent procedere, quasi non B aliter fieri possent, si divinae voluntati aliter fieri videretur, quae nulla lege constringitur. Nam et saepe contra consuetum naturae cursum multa solent fieri, ut nobis ostendatur, quod divina providentia non uno, sed multiplici modo atque infinito potest omnia administrare ». Cf. lib. III, p. 229 (III, 16).

5. Notionem classice dogmaticam Ternarii sancti non potuisset omnibus locis retinere recteque explicare. Verum ut hanc rem uberius exponamus, simul accingimur ad tertiam, quam supra notavimus, objectionem refutandam.

Ad III. Sane Erigena sanctam Trinitatem in speculativam theologiam introduxit et eandem secundum symbolum Athanasianum, et notionem ab uni-C versa Ecclesia receptam per sextuplicem analogiam explicavit. Quas similitudines plerumque ipsius dogmatis verbis proponit et interpretatur, eadem ratione, qua S. Bonaventura, S. Bernhardus (*Pag.* XXIII), et jam ante eos et Erigenam, S. Augustinus analogiam, sumtam de memoria, intellectu et voluntate animae humanae, quae in se una est atque simplex cet., eundem in finem adhibuerunt. Erigena quidem :

1. Similitudinem affert de communi omnium rerum creatarum natura sumtam, eae sive rationabiles sint, sive irrationabiles. Omnes enim in hoc conveniunt, quod in eis haec unum sunt : Essentia, Virtus et Operatio, (οὐσία, δύναμις, ἐνέργεια), quorum primum absque intercedente tempore secundum tamquam gignit; tertium vero ex primo, mediante D secundo, procedit totumque manifestat (*f*).

2. Altera, quae etiam apud nonnullos patres ante Erigenam reperitur, analogia est : Esse, velle, scire; quae ab Erigena ad priorem reducitur;

(*a*) Cf. lib. III, p. 243 (III, 20). « Deinde per » cet.
(*b*) Cf. not. *f*.
(*c*) Cf. lib. III. « Nemo tamen est pie credentium et veritatem intelligentium, qui non continuo absque ulla cunctatione exclamet, causam totius universitatis creatricem, supernaturalem esse et superessentialem et supra omnem vitam, et sapientiam et virtutem, et supra omnia, quae dicuntur, intelliguntur et omni sensu percipiuntur, dum sit horum omnium principium causale, et medium implens essentiale et finis consummans omnemque motum stabilitans quietumque faciens, et ambitus omnia quae sunt et quae non sunt circumscribens ».

(*d*) Vid. lib. I et lib. II. « Non enim Deus genus est creaturae » cet.

(*e*) Cf. lib. V, p. 521 (v, 34). « Videtur enim » cet., et p. 516 (V, 31). « Quamvis » cet.... « quarta » cet. et lib. IV, p. 370 (IV, 14). « Multa enim praescit, quorum non est causa » cet., et lib. V, p. 535, 540, 542 (V, 36).

(*f*) Cf. lib. I. « Deum ergo » cet., et ibid. « Absque vero essentia », lib. II, p. 126 (II, 23). « Nihi mihi » cet.

ostendit enim, Velle ad Virtutem, Scire autem ad Operationem rationalis creaturae referri (*a*).

3. Tertia a creatura irrationabili, a lumine scilicet solari petita; Sol, solis Radius, et radiorum Splendor ab utroque procedens.

4. Quarta, rationalem tantum creaturam respiciens, in humana anima et ejusdem motibus seu facultatibus manifestatur: Intellectus seu Animus, Ratio, Sensus interior (νοῦς, λόγος, διάνοια) (*b*).

5. Quinta simili modo elucet ex imagine divina animi: Mens, Peritia, Disciplina.

6. Item: Mens, Notitia sui, Amor sui in anima humana, quae si ad lumen omnia illuminans convertitur, perfectissima fit S. Trinitatis imago (*c*).

Ad IV. De theoria mali sane non omnino sufficiente, quam sequitur Erigena, pauca tantum hic animadvertenda sunt. Quum enim auctor noster tam pietate, quam hilaritate insignis, fere non dissimilis Adamo, priusquam praevaricatus esset, quodammodo Deum in omnibus et omnia in Deo videat, et usque cognoscere studeat: sane speculatio ejus praecipue in describendis bonis, datis scilicet et donis divinis, per quae Deus in opere creationis, redemptionis, futuraeque consummationis se ipse glorificat et creaturam beatificat, cum (*Pag.* XXIV) sublimi admirationis amorisque intellectualis gaudio versatur (*d*). Quam ob causam nihil ab eo magis alienum fuit, quam Dualismus iste tristis et rigor Manichaeorum obscurus. Ceterum etiam, quis negabit, in depingenda rerum universitate albedinem et nigredinem absque veritatis diminutione varia atque diversa ratione componi, commisceri, et alterutram praevalere posse, prout in philosopho vel timor atque lex, vel dilectio, quae est legis plenitudo et sapientiae perfectio, locum obtineat potiorem; prout vel dolor peccati et tristitia propter nefas ab homine commissum, vel gaudium redemtionis et beata conscientia praeclari et adorandi, quod Deus homo perpetravit, operis in ejus mente praeponderet? At quaeritur, num Erigena de ortu mali, quem recte neque in Deo neque in ulla principali quadam causa mala ab aeterno existenti, *neque in creatura*, qua opere Dei, nec consequenter in hominis vel angeli voluntate qua divinitus data, A sed in illicito tantum hujus voluntatis motu ejusque abusu, sequens S. Augustinum, ponit (*e*), perperam judicaverit, ideoque mali abominationem et turpitudinem negaverit, atque sancti Dei leges et institutiones adversus idem sancitas et ordinatas neglexerit et contempserit. Verum si eloquia ejus hac de re breviter ac summatim concipias, sententiam reperies cum doctrina Dionysii Areopagitae et S. Augustini paene omnino congruam. Erigena enim in hac regione, in quam homo praevaricando (depulsus, ut Augustinus ait, a bonis non ad mala, verum ad minus bona et e bonis malisque mixta) de sede Paradisi cecidit, ipsa etiam vitia, quae Deo quamvis non volente, tamen permittente, humanam naturam usque deformant, non quidem in hominis, tamen in Creatoris laudem quodammodo vertenda putavit (*f*). B Nullum enim vitium existere autumat, quod non umbra sit alicujus virtutis, «ira correctionis, luxuria quietis», cet., vel ex (*Pag.* XXV) cujus comparatione opposita ei virtus, cujus defectus et privatio est, majorem non acquirat laudem et magis extollatur (*g*). Sic etiam pulchram phantasiam mali, sub specie boni coloratam, a Deo creatam atque ideo bonam esse, haud diffitetur (*h*), non vero mendacium malumque, quod hac sub specie latet et veluti abyssus per eandem operitur. Porro in consummatione seculi, quando cunctae res in Deum redibunt, Deusque omnia in omnibus erit, omnem malitiam perituram esse affirmat (*i*), neque Deo rerum universitatem peccare, id est, universum hunc mundum, sub aeternitatis specie et per C ejus causas consideratum (*j*) coram Deo valde bonum esse (*k*), etiam post praevaricationem hominis per Christi gratiam redempti. Quae omnia, si recte intelligas, sensum continent sanum probumque; quin apud Dionysium Areopagitam et S. Augustinum multos ejusmodi locos reperire queas, qui suspicionem eodem cum jure et justius movere possint. Exempli gratia, quum ille «malum omnino nihil esse» (*l*), ad significandam ejus absolutam impotentiam et vanitatem, contendat; hic daemonem ipsum, qui homicida ab initio mendacium et dixit et fecit, bonum appellet, quatenus sit, sive esse participet; quum porro malum in mundi historia dimicans cum

(*a*) Cf. lib. V, p. 509 (V, 31). «Non aliter» cet., locos ex Augustino et Dionysio citatos.

(*b*) Cf. lib. II, p. 127 (II, 23) et ibid. «... siquidem Patris in animo, Filii in ratione, S. Spiritus in sensu apertissima lucescit similitudo».

(*c*) Cf. lib. II, p. 161 (II, 31), ubi etiam S. Augustinus citatur. Item lib. II, p. 113 (II, 19), et omnino librum secundum.

(*d*) Cf. lib. V, p. 538 (V, 36). «O quantum» cet.

(*e*) Cf. lib. IV, «Et quia omne malum nec in natura rerum substantialiter invenitur, neque ex certa causa et naturali procedit; per se enim consideratum omnino nihil est praeter irrationabilem et perversum imperfectumque rationabilis naturae motum: nullam aliam in universa creatura sedem reperit, nisi ubi falsitas possidet; propria autem falsitatis possessio est sensus corporeus». Et porro ibid. «Cujus mulier sensus, cui incaute animus (ὁ νοῦς, Adam) consentiens perditur» cet. et lib. V, p. 544 D (V, 36). Cf. etiam Ackermann «Christliches im Plato», p. 187.

(*f*) Cf. lib. V, p. 523 (V, 35). «Et hoc est malum», cet. Et ibid., p. 522 (V, 35). «Aliud enim» cet.

(*g*) Cf. lib. V, p. 521 (V, 35). «Videtur enim» cet. et p. 552 (V, 36) et alibi.

(*h*) Cf. lib. V, p. 540 (V, 36). «Nam luculentissime» cet.

(*i*) Cf. lib. V, p. 516 (V, 31). «Aliud est enim» cet.

(*j*) Cf. lib. V, p. 538 (V, 36) et Ackermann p. 320 tamen et ibid. p 231 et 302.

(*k*) Cf. lib. V, p. 521 (V, 35). «Videtur enim» cet. et ibid. p. 522 (V, 35). «Aliud enim» cet.

(*l*) Cf. *Die angebl. Schriften des Areopagiten Dionys*, von Engelhardt vol. I, pag. 97, et: *Christliches in der Plat. Philosophie* von Ackermann pag. 51 et 183 et 187.

bono antithetis rhetorum comparet, quibus sermo acrius excitatur; quum animadvertat, per ipsos malos veritatis et virtutis sectatoribus victoriam parari majorem (*a*); quum denique assentiente Leibnitzio de magna mali, quod vocatur, parte, non aliter tractet, nisi ut de minus bono et perfecto, cui tantum major desit realitas. Vix aliud Erigena, Deum affirmans nullam naturam, vel nil in ulla creatura, quod ipse fecerit, punire, sed istud tantum nihil et incausale, quod non fecerit, quamvis praesciverit; immo hoc, malum scilicet, secundum aeternas creaturae rationali a Deo inditas leges se ipsum potius per irrationalem et innaturalem voluntatis (*Pag.* XXVI) perversae motum punire, quum usque frustretur, et tamen a mala voluntate non cesset (*b*). Ceterum Erigena et de superbia, quam caput omnis malitiae vocat, et praesertim in Lucifero detestatur, et de falso libidinosoque voluntatis motu atque carnalis copulae appetitu, qui in Adamo fuit, et de concupiscentia serpentis instar Evam, id est, sensum (αἴσθησιν), et dein per hanc etiam Adamum, id est, intellectum (νοῦν) alliciente et seducente (*c*), uberrime tractat. Superbiam et libidinem maximam stultitiam vocat, neque verba, quibus primi parentes post transgressionem mandati divini sese coram judice excusare student, ullo modo probat. Ex originali autem peccato non solum profundam derivat rerum divinarum ignorantiam et malam mentis concupiscentiam, mortem, et cetera mala, verum etiam corpus hominis materiale, quod sub tunicis pelliceis, quas Deus primis parentibus fecit, innui putat; immo et sexualem masculi et feminae differentiam et divisionem, simul cum generis humani propagatione, ut nunc est, animali, et homine indigna, quae in futuro seculo cessabit, quando in universali rerum reditu omnis materia veluti foenum in flamma ardebit, totusque hic mundus destruetur. Denique de suppliciis damnatorum, quamvis apud Erigenam passim significationes reperiantur, quales sunt: « aeterna supplicia, aeternae poenae, aeterna damnatio, inexstinguibilis flamma, irrevocabile judicium Dei (*d*) », et quae ejus sunt generis, tamen multis aliis locis sententia contraria, quae scilicet suppliciorum aeternitatem destruit, ab eodem proponi videtur. Dicit enim, neminem a Deo privari naturalibus sive concreatis bonis (*e*), et damnatos tempore resurrectionis et restaurationis universalis, ubi omnis malitia pereat, innovatum mundum nulla prorsus umbra, nec ullo discrepante concentu difformaturos, immo per theophaniam quandam, quamvis a visione beatifica justorum multo diversam, Deum, tunc omnia in omnibus apparentem, visuros esse; gloriam vero et gratiam deificationis electorum justorum, eorumque beatitudinem reprobos in aeternum non participaturos. Quin etiam aliis locis affirmat, eos post mortem vanis rerum, quibus etiam in hac vita inquiete et insatiabiliter inhiantes circumagebantur, (*Pag.* XXVII) phantasiis et appetitu tantalico puniri (*f*). Postremum animadvertas, seculo nono Christianam doctrinam, quae de damnatorum est suppliciis, nondum tam accurato Ecclesiae dogmate definitam et firmatam fuisse, quam deinceps seculo XIII per concilium Lateranense quartum factum est. Quod ex ipsius Erigenae verbis clarissime patet (*g*). Immo praeter Origenem etiam Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Basilius, et ipse Ambrosius et Hieronymus passim universalem rerum apocatastasin docuerunt, simul cum ea finem suppliciorum aeternalium statuentes.

Postquam haec de Erigenae vita, indole et scriptis commemoravimus, simulque testimonia de eo a clarissimis viris praeteriti et magis etiam praesentis temporis lata adduximus, nec minus gravissimas incusationes contra ejus placita factitatas recensuimus, lectori benevolo opus hoc rarissimum, quod pro virili parte a typographicis mendis primi et solius codicis hucusque editi * nobis cura fuit purgare, tradimus, potissimum eum in finem, ut novae et accuratiori inquisitioni de meritis viri praeclari, qui tam diu rumore flagravit sinistro, ansam praebeamus. Conferas ergo, benevole lector, systema de Naturae divisione ab Erigena propositum cum ethica Spinozae aliisque recentiorum systematis pantheisticis, et, uti nos quidem opinamur, animadvertes, specie tantummodo verae et genuinae cujusdam sapientiae divinae tam multa atque praeclara ingenia potuisse seduci; quod sane minime factum fuisset, nisi Erigenae aliorumque systemata multo majore profunditate, copia, et mentis acumine insignia, simulque Christiano dogmati magis congrua, propter temporum invidiam tam multos aequalium latuissent. Alioquin enim certo Erigena ingenii sui splendore istos vicisset et obscurasset. Speramus tamen, fore, ut philosophia nostri aevi, praesertim ea, quae maxime speculativa est, et dialectica virtute pollet, et quae, postquam omnem speciem sensibilem et veram sinceramque imaginationem, naturam, historiam et dogma positivum reliquit, uni scilicet rationis abstractae et αὐτονόμου notioni universali addicta, omnia facere et excogitare, nihil accipere et fide intelligere, omnia tollere, nihil ponere gestit, et jam in eo est, ut in absolutum incidat nihilismum, etiam per Erigenae placita, qui, notioni universali et diale-

(*a*) Cf. lib. V, p. 521 (V, 35). « Videtur enim » cet. cum miris ipsius Augustini verbis ibi allatis et p. 523 (V, 31) « Quid enim » cet.

(*b*) Cf. lib. V, p. 513 (V, 31). « Impiis vero » cet. et p. 531 (V, 31) « Consideravimus enim » cet.

(*c*) Cf. col. 129, not. *e* et alibi.

(*d*) Cf. lib. V, p. 505, ibid p. 510, 552, 553 et 558 (V, 30. 36. 37).

(*e*) Cf. lib. V, p. 510; ibid. p. 533 et 534 (V, 31. 36).

(*f*) Cf. lib. V, p. 503, 512, 513, 516 et 517 (V, 29. 31. 32).

(*g*) (Cf. lib. V, p. 490; ibid. 508 (V, 27. 31).

* Tribus sane codicibus Thomas Gale in adornanda editione prima usus est, mutilo Thuani, suo integro, nec non codice Parisiensi, id quod ipse testatur in *testimoniis*, quae attulit, supra excusis. ANIMADV. EDIT.

cticae arti quamvis faveat, tamen nec historiam, nec fidei dogma, nec speciem visibilem omnino deserit et abnegat vel (*Pag.* XXVIII) contemnit, ad exitum laetiorem perducatur. Haud tamen inficiamur, Hegelii speculationem, praecipue si eam cum philosophia critica et cum subjectivo idealismo compares, de Christiana philosophia et theologia optime esse meritam, atque etiam Erigenae scriptis facilius intelligendis quodammodo certe viam aperuisse. Denique omnes qui auctoris nostri lectioni convenientem operam navabunt, libenter etiam illorum reminiscentur temporum, quibus tam fide credere, quam ratione rerum nexum et causas investigare, et alterum alteri conciliare, hominibus magis in promptu et tanquam naturale fuit; quippe qui, quantacunque fuit illius aevi asperitas et violentia, tamen saepe divinam quandam sublimitatem cum humilitate piissima, mentis paupertatem cum uberrima aeternarum veritatum abundantia, vitam et grandia opera cum cogitatione alta et profunda conjungere sciverint. Eam ob causam illis contigit, ut facilius philosophiae et poeseos cum religione unionem, quam vera et aeterna idea expostulat, quamque nonnulli recentiorum tanquam prophetico quodam somno denuo desiderare coeperunt, tam in vita, quam in scriptis re vera exprimere potuerint. Itaque magni hujus ingenii effigies ponatur juxta imagines Dantii, Bonaventurae, J. Boehmii, paucorumque aliorum, qui injuria temporum paulisper oppressi, et situ obscurati et pene ignoti, nunc tandem ea, qua decet, inter Christianos philosophos et poetas prae ceteris eminentes gaudent gratia et reverentia. Jam quicunque divina et aeterna adhuc suspiratis, eamque sectamini et amatis sapientiam, quae omnes vere sapientes luce sua illuminat, sive parvi sint, sive magni, sit vobis hoc Erigenae monumentum profundae et paciferae delectationi, institutioni, et validae in sancta fide et pietate confirmationi. Venite et gustate quam suavis sit Dominus!

Monasterii Guestphalorum 4 Jan. 1838.

C. B. SCHLUETER,
Privatim docens philosophiae in regia Academia Borussica monasterii Guestphalorum.

JOANNIS SCOTI EXPOSITIONES SUPER IERARCHIAM CAELESTEM S. DIONYSII.

Cod. Vat. 632, sec. xi. . . . . A
Cod. Mon. ms. lat. 380, sec. xii. . . B
Ejusdem codicis altera manus. . . . B*
— — tertia — . . . . B**
Cod. Brugensis n. 1, sec. xiv vel xv C.]

INCIPIUNT EXPOSITIONES JOANNIS SCOTI SUPER Ierarchias sancti Dionysii

CAPITULUM I.

Sancti Dionysii Areopagitae [a] primus liber, qui inscribitur de caelesti ierarchia, xv capitulorum serie contexitur, quorum primi titulus est: *Quoniam*

VARIAE LECTIONES.

[a] A *dyonisii*. sic ubique. B* *dionisii*, sic ubique. [b] A B C *ariopagitae*.

omnis divina illuminatio secundum bonitatem varie in ea, quae praevisa sunt, proveniens, hoc est, quoniam divinae bonitatis omnis illuminatio, quae multipliciter in ea, quae praevisa sunt, facienda procedit, *manet simpla* in seipsa [1], et, dum diffunditur universaliter in ea [2], quae sunt, ut sint, quia nulla alia est rerum omnium sensibilium et intelligibilium subsistentia praeter divinae bonitatis illuminationem et diffusionem, non desinit esse in se ipsa simplex et inexhausta. Est enim fons non deficiens, et in omnia, quae sunt, infinita numerositate profluens. Et non solum in omnia manat et provenit, ut subsistant, verum etiam [3] universa, quae ex ipsa, et in ipsa, et per ipsam subsistunt, in unam ineffabilem harmoniam [4] coaptat, ita ut in universitate multiplex sit [5] per infinitam multiplicationem, et in ipsa omnia unum sint per incomprehensibilem adunationem. Et hoc est quod ait: manet simpla et *non hoc solum, sed unificat illuminata*, hoc est, per suam illuminationem et processionem facta. Totus itaque titulus est primi capituli: *Quoniam omnis divina illuminatio, secundum bonitatem varie in provisa* [6] *proveniens, manet simpla, et non hoc solum, sed unificat illuminata.*

§ 1. Ipsum vero capitulum ex sententia Jacobi apostoli orditur: *Omne datum optimum*, vel ut expressius de verbo in verbum transferatur: omnis datio optima, *et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Quae apostolica sententia divinam dationem ex divina donatione mirabili discernit differentia, optimam quidem dationem universalis creaturae substitutioni distribuens, perfectam vero donationem divinae gratiae largitati; quoniam omne, quod est, duobus modis divinam participat bonitatem, quorum primus in conditione naturae est, alter in distributione gratiae perspicitur. Nihil quippe est in universali creatura, quod his duobus careat. Subsistit enim omne, quod est, ac divinae gratiae juxta convenientem sibi analogiam particeps est. Et notandum, quod non simpliciter est dictum: *Omnis datio optima et omne donum perfectum.* Primordialiter quippe in omnibus, quae sunt, praecedit datum [7] naturale substitutum, cui subsequenter [8] distribuitur perfectae donationis augmentum. Et ut scias dationis et donationis manifestissimam discretionem, intuere, quod ait: *Omnis datio optima*, hoc est, omnis creaturae substitutio valde bona; sicut scriptum est: « Et vidit Deus, et ecce omnia bona valde ». Quoniam vero nullius substitutio perfecta sit, nisi ad Creatorem convertatur, sequitur: *et omne donum perfectum.* Praecedit itaque optima naturae substitutio, cui ad perfectionem additur ad Creatorem conversio. Et

A ne mireris, quod diximus, nullam substitutam creaturam, nisi convertatur ad Creatorem, perfectam fieri posse. Vera siquidem docet ratio, omnia, quae sunt, ad causam suam, ex qua, et per quam, et in qua subsistunt, ut perficiantur, respicere. Intellectualia quidem et rationalia immediate [9] per se, intellectu vero et ratione carentia quadam medietate rationabilium et intelligibilium interposita, ad unum universitatis principium convertuntur. *Omnis itaque datio optima, et omnis donatio perfecta, desursum est*, id est, desursum descendit; a quo, nisi a fonte ineffabili omnium bonorum, a Patre luminum? Quocunque enim seu sensu corporeo [10] internuntiante, seu puro intellectu investigante, in universitate condita ad liquidum percipitur atque cognoscitur in
B substitutionibus naturae et perfectionibus gratiae, non aliunde nisi a Patre luminum procedit. Pater autem luminum est Pater caelestis, lumen primum atque intimum, a quo lumen verum, Verbum suum, per quod facta sunt omnia, et [11] in quo substituta sunt omnia, unigenitus Filius suus nascitur, a quo, Patre dico, coessentiale sibi Verboque suo lumen procedit [12] Spiritus sanctus, spiritus Patris et Filii, in quo et per quem donationes gratiarum distribuuntur in omnia. Et haec est trina lux, et trina bonitas, tres substantiae in una essentia, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus, una bonitas, unum lumen diffusum in omnia, quae sunt, ut essentialiter subsistant, splendens in omnibus, quae sunt, ut in amorem et cogitationem pulchritudinis [13] suae
C convertantur omnia, supereminens omnia, quae sunt, ut perfectionis suae plenitudine fruantur omnia, et in ipso omnia unum sint. A Patre itaque luminum omnia lumina descendunt.

Sed fortasse quis dixerit: Quomodo omnia, quae sunt, lumina sunt? Quamvis enim universitas rerum omnium [14] a Patre per Filium et Spiritum sanctum condita sit, Pater quippe vult, Filius facit, cooperatur Spiritus sanctus, proprie tamen et specialiter de intellectualibus et rationalibus condita lumina a Patre luminum per genitum lumen perque lumen procedens oportet praedicari, cetera vero plus illuminari, quam lumina esse, credenda sunt! Sed huic consulta ratione facile possumus respondere. Et
D primo quidem dicendum: si Pater luminum per se ipsum lux est, neque enim Pater luminum esset, si in se ipso lux non subsisteret, omnia, quae fecit, in sapientia sua fecit, quae et ipsa lux est [15], quoniam coessentialis Patri luminum est: numquid aliter existimandum nisi ut [16] omnia, quae Pater lux in sapientia, coessentiali sibi luce condidit, lumina condita credantur et intelligantur? Pater autem suae sapientiae Pater est. Igitur omnium, quae in sua

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AB. [2] B *in ea universaliter.* [3] B *verumtamen.* C *ut subsisterent. vere. etiam.* [4] AB *armoniam*, sic ubique. [5] B *sit multiplex.* [6] Sic A B. [7] B *donum datum.* [8] B *subsistenter*, B' corr. *substituto.* [9] A B *inmediate*, sic fere ubique *in* ante *m*, *l* non adsimilatur. [10] *corporeo* om. B. [11] *et* om. B. [12] B *procedit lumen.* [13] A B *pulcritudinis*, sic ubique. [14] B *omnium rerum.* [15] *est* om. B. [16] *ut* om. B.

sapientia fecit, ipse Pater esse necesse est, scilicet **A** Patrem. Quod etiam ipse Dominus evidenter astruit dicens : « Confiteor tibi, Domine Pater caeli et terrae ». Est et alia ratio, quae luculenter edocet, omnino creaturam visibilem et invisibilem lumen esse conditum a Patre luminum. Si enim summa bonitas, quae Deus est, omnia, quae voluit, propterea fecit, ut, quoniam per seipsam invisibilis et inaccessibilis lux est, omnem sensum et intellectum superans, per ea, quae ab ipsa [1] facta sunt, veluti per quasdam lucubrationes [2] in notitiam intellectualis et rationalis creaturae possit descendere, quod etiam Apostolus edocet, ait enim : « Invisibilia ejus a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur » : quid mirum, si omne, quod inaccessibilem lucem quodam modo [3], ut accessibilis **B** sit, puris intellectibus introducit, lumen illuminans animos, et in cognitionem Creatoris sui eos revocans, nulla ratione obstante intelligatur? Verbi gratia, ex [4] intimis naturae ordinibus paradigma sumamus. Lapis iste vel hoc lignum mihi [5] lumen est ; et si quaeris, quomodo, ratio me admonet [6], ut tibi respondeam, hunc vel hunc lapidem consideranti [7] multa mihi occurrunt, quae animum meum illuminant. Eum quippe animadverto subsistere bonum et pulchrum, secundum propriam analogiam esse, genere specieque per differentiam a ceteris rerum generibus et speciebus segregari, numero suo, quo unum aliquid fit [8], contineri, ordinem suum non excedere, locum suum juxta sui ponderis qualitatem petere. Haec horumque similia dum in hoc lapide cerno, lumina mihi fiunt, **C** hoc est, me illuminant. Cogitare enim incipio, unde ei talia sunt, et intueor, quod nullius creaturae sive visibilis sive invisibilis participatione naturaliter haec ei insunt, ac mox ratione duce super omnia in causam omnium introducor, ex qua omnibus locus et ordo, numerus et species genusque, bonitas et pulchritudo [9] et essentia, ceteraque data et dona distribuuntur. Similiter de omni creatura, a summo [10] usque ad deorsum, hoc est, ab intellectuali usque ad corpus, ad laudem Creatoris referentibus eam et se ipsos, et Deum suum studiose quaerentibus, et in omnibus, quae sunt, eum invenire ardentibus, et super omnia, quae sunt, eum laudare diligentibus lux introductiva est, suis rationibus consideratis, liquidoque mentis contuitu perspicuis. Hinc est, quod universalis hujus **D** mundi fabrica maximum lumen fit, ex multis partibus veluti ex multis lucernis compactum, ad intelligibilium rerum puras species revelandas et contuendas mentis acie, divina gratia et rationis ope in corde fidelium sapientum cooperantibus.

Pulchre igitur theologus Deum Patrem luminum patrem appellat, quoniam ab ipso sunt omnia, in quibus et per quae omnibus se manifestat, et in luce suae sapientiae luminis conformia unificat et facit. Beatus autem Dionysius Athenarum episcopus de caelesti ierarchia, hoc est, de caelesti episcopatu supermundalium virtutum, in quibus maxime et principaliter post primordiales causas pater luminum data sua optima et dona sua perfecta et multiplicat in infinitum, et in se ipsum revocat in unum, volens scribere praefata theologica, theoriam orsus est, quam subsequenter explanat, dicens : *Sed et omnis Patre moto manifestationis luminum processio, in nos optime ac large proveniens, iterum ut unifica virtus nos replet, et convertit ad congregantis Patris* [11] *unitatem et deificam simplicitatem.* Quoniam beatum Jacobum de processione et multiplicatione divinorum luminum per data naturae et dona gratiae solummodo videbat dixisse, de adunatione vero eorum, inque fontem suum restitutione siluisse, merito hanc sententiam subnectit. Ac si diceret : Non solum data et dona divina, quae post angelicas substantias in humanis mentibus adhuc mortali carne gravatis maxime fiunt, desursum sunt a patre luminum descendentia, verum etiam omnis processio divinae illuminationis, quae ineffabili paterno motu in nos copiosissime et multipliciter provenit, iterum ipsa congruenter, dum sit virtus nos unificans atque restituens, sua gratia implet et convertit ad ipsum Patrem, qui ad se congregat, quae a se procedunt, et in se unificat diversa, et deificat sibi conformia, et simplicat [12] veluti in infinitam numerositatem multiplicata. Qua [13] autem ratione πατροκίνητος, id est, pater motus a Graecis dicatur, non incongrue quaeritur. Quomodo enim immutabilis movetur, vel a quo movetur, vel in quid [14] et ad quid movetur, non infructuose a sapientibus investigatur. Movet igitur seipsum non localiter, non temporaliter, sed [15] superessentialiter super loca et tempora movetur a seipso. Nulla siquidem causa praecedit, quae ipsum moveat, cum sit ipse prima unaque causa omnium motuum. Ipse est motus et status, motus stabilis et status mobilis. Quo argumento, dic quaeso, approbas immobilem Patrem moveri? Ex nomine argumentor. Si quaeris nomen illud, audi. In utraque lingua, graeca videlicet latinaque, Pater vocatur; et graece quidem componitur πατήρ, hoc est, πάντα τηρῶν [16], id est, omnia servans. Non [17] tibi videtur recte moveri, ut custodiat omnia, qui servat et salvat omnia, quae in unigenito suo fecit? Audi etiam illud : Pater et Deus vocatur, hoc est, θεός [18], currens, nomen a verbo θέω [19], quod idem curro,

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ea*. [2] AB *lugubrationes*. [3] A *quodammodo*. [4] B *ut ab ex* (punct. indicat, *ex* delendum esse). [5] *michi*, sic ubique. [6] AB *ammonet*, sic ubique. [7] Corr. B', AB *considerans*. [8] B *sit*. [9] *ex qua omnibus — pulchritudo* om. B. [10] B *assumo*. [11] *Patris* om. AB, marg. adscr. B' [12] AC *simplificat*. [13] B' marg. adscr. *De motu patris*. [14] Sic BC, A *inquit*. [15] B *set*, sic fere ubique. [16] B' marg. adscr. *patir, hoc est pantateron*. [17] AC *Num*. [18] B' marg. adscr. *theos*. [19] Sic CB' (B' *theo* pro θέω); AB *nomen* θέω (B *deo*) *a verbo*.

derivatum [1]. Currit [2] enim per omnia, implens et substantificans omnia. Et quis et qualis [3] est ejus motus? Verbum suum motus suus est, sermo suus motus ejus est, de quo Psalmista ait : « Velociter currit sermo ejus », et ipse sermo de se ipso : « Et sermo, inquit, quem audistis, non est meus, sed mittentis me Patris ». Audi et alium motum Patris, coessentialem sibi et Filio suo, qui motus procedens dicitur Spiritus veritatis, quem mittit Pater in nomine Filii sui. Summa itaque Trinitas trinus immobilis motus est : Pater movetur gignendo Filium suum, in quo et per quem fecit omnia; Filius movetur faciens quae vult Pater; Spiritus movetur cooperans Filio et Patris voluntati.

De motu summae bonitatis ad servanda, facienda, perficienda omnia, ipse Dionysius copiose disserit. Sed notandum, quod in hac periodo [4], sicut et in ceteris ac paene omnibus, simplicia verba pro [5] in Graeco compositis [6] propter faciliorem introitum difficillimorum intellectuum transtulimus, pro φωτοφανίας [7], hoc est, luminum apparitionis, illuminationis solummodo ponentes, et pro ἀγαθοδότως [8], quod est adverbialiter optime [9], dative, affatim, vel bene ac large. Illud etiam, quod diximus *nos replet*, quoniam ex ambiguo Graeco, quod est ἀναπλᾷ [10], translatum est, potest et sic transferri : nos complicat, ut sit sensus : Quemadmodum divinae illuminationis processio copiose nos multiplicat in infinitatem, iterum complicat et unificat et restituit in simplicem congregantis et deificantis nos Patris unitatem. Hoc autem dico, quoniam fere tota beati Dionysii per omnes hos libros intentio est [11] de infinita numerositate multiplicationis subsistentis per se [12] summi boni in omnia, quae per se ipsa nec essent, nec bona subsisterent, nisi participatione ipsius essentiae bonitatisque essent, et bona essent, deque ipsius multiformis numerositatis iterum reductione redituque in ipsum summum bonum, in quo numerositas infinita finem ponit et unum est. Et hoc apostolico perhibet testimonio dicens : *Etenim ex ipso omnia et in ipsum, ut divinum ait verbum*. Ac si diceret : Propterea divina virtus colligit nos et complicat ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem [13], ut sancta apostolica testatur sententia.

§ 2. Sequitur : *Ergo Jesum invocantes paternum lumen, quod est verum de lumine* [14], *quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, per quem ad principale lumen, Patrem, accessum habuimus in sacratissimorum eloquiorum a Patre traditas illuminationes, quantum possibile est, respiciemus*. Jam nunc incipit de caelestibus ierarchiis, hoc est, episcopatibus tractare. Et est ordo verborum : Nonne ergo respiciemus, quantum possibile est, in sacratissimorum eloquiorum a Patre traditas illuminationes, invocantes Jesum? Sensus autem talis est : Quoniam ex ipso Patre omnia veniunt, et in ipsum redeunt, nonne nos, qui invocamus Jesum, qui est [15] paternum lumen, lumen videlicet de lumine, et verum lumen de vero lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum, in ipso et per ipsum restauratum [16]; per quem, Jesum [17] scilicet, ad principale lumen, quod Pater est, accessum habuimus, (inaccessibilis enim erat nobis illa incomprehensibilis lux Patris, priusquam incarnaretur et homo fieret lux ab eo genita, quae est Christus; ipso autem humanato, et in nostra natura facto, accessum habemus ad invisibilem Patrem; nam dum intelligimus Christi humanitatem, profecto cognoscimus, quantum datur nobis cognoscere, ipsius et Patris et Spiritus utriusque abditam [18] divinitatem : hinc est, quod ipse ait : « Philippe, qui me videt, et Patrem meum videt », hoc est : qui me verum Deum et hominem intelligit, ipse Patrem meum in me intelligit, quia ego in Patre et Pater in me et ego et Pater unum sumus) in sanctissimorum eloquiorum a Patre traditas illuminationes, hoc est, in divinas visiones, quas Pater nobis tradidit in sacris [19] Scripturis, quantum possibile est adhuc carne circumscriptis, respiciemus? Aut, ut expressius in Graeco legitur ἀνανεύσωμεν [20], hoc est, nutum interiorum [21] cordis oculorum erigemus [22]?

Hoc autem dicit, quoniam ex visionibus propheticis, quas Graeci θεοφανίας [23] appellant, id est divinas apparitiones, caelestium virtutum ordinationes et dispositiones, quas ierarchias vocat, maxime humanis mentibus in quibusdam ex sensibilibus rebus conformationibus similibus vel dissimilibus introductae sunt. Et hoc est quod subjunxit : *et ab ipsis symbolice* [24] *nobis et anagogice manifestatas caelestium animorum ierarchias, quantum potentes sumus, inspiciemus*, hoc est, per ipsas divinorum eloquiorum illuminationes, in mentibus propheticis a Deo traditas, non per se ipsas, verum per symbola, hoc est, per signa sensibilibus rebus similia, aliquando ei pura, aliquando dissimilia et confusa, et per anagogen, hoc est, per ascensionem mentis in divina mysteria [25] contemplabimur, quantum nobis sinitur, manifestatas caelestium intellectuum dispositiones. Et quoniam principium et fons est totius illuminationis invisibilium substantiarum, sive prius in theo-

VARIAE LECTIONES

[1] B' supra adscr. *est* derivatum; C quod *est* curro *est* derivatum. [2] C *cucurrit*. [3] A *qualiter*. [4] AC *perioda*. [5] *Pro* om. ABC, addidi ex conj. [6] C *oppositis*. [7] ABC φωτοφανιας; B' marg. adscr. *pro photofanias*. [8] B' marg. adscr. *i. e. agadothos*. [9] A *oblime*. [10] Sic AB. [11] Sic C, *est* om. AB, supra adscr. B'. [12] Sic BC, *se* om. A. [13] Sic C, *simplicitatem* om. AB. [14] *De lumine* om. textus graec. et a. Scoti versio. [15] Sic C, pro *qui est* AB *quae*. [16] AC *restauratum est*. [17] *Jesum* om. B. [18] Sic AC, B *additam*. [19] BC *sanctis*. [20] B' marg. adscr. *ananeusomen*. [21] Conj., A *interiorism*, B *interioresin* (puncta B' adiecisse videtur), C hoc est *mirum interiorem*. [22] B *erigemur*, C *exigemus*. [23] B' marg. adscr. *theophanias*. [24] AB *simbolice*, sic B. fere ubique, A interdum. [25] B *misteria*, ubique.

logorum visionibus, sive posterius in spiritualium virorum mentibus, quibus datum est divina nosse arcana [1], pater luminum, a quo omnia proveniunt et in quem omnia recurrunt, propterea subjunxit: *et principalem et superprincipalem divini Patris claritatem, quae angelorum nobis in figuratis symbolis manifestat beatissimas ierarchias, immaterialibus [2] et non trementibus mentis oculis recipientes, iterum ex ipsa in simplum suum [3] restituimur [4] radium.* Intuere, quemadmodum processionem divinae illuminationis a Deo Patre in nos, et iterum ex ipsa processione claritatis et multiplicatione [5] nostram restitutionem in simplum ipsius procedentis lucis radium per singulas edocet periodos [6]. Est autem hujus [7] periodi verborum ordinatio: et restituimur iterum, ex ipsa videlicet multiplici datione, in simplum ipsius radium, dum recipimus [8] immaterialibus et non trementibus mentis oculis, sed spiritualibus et infirmis simul [9] theoriae obtutibus, principalem et superprincipalem, hoc est, plusquam principalem divini Patris claritatem, id est, ex divino Patre datam illuminationem, quae angelorum nobis in figuratis symbolis, hoc est, per formas significativas, beatissimas manifestat ierarchias. Ac si plane diceret: Dum principalem, et plusquam principalem ex divina procedentem claritate [10] intellectuali visu et vacillantis animi contuitu percipimus, per quam nobis beatissimae angelorum ierarchiae per quaedam symbola manifestantur, iterum per ipsam in simplum suum radium restauramur. Et notandum, quod hic quoque, sicut superius, simplicia pro compositis transtulimus verba. Pro eo enim, quod est θεαρχικοῦ πατρός [11], *divini Patris*, et [12] φωτοδοσίαν, *claritatem* posuimus. Nam θεαρχικός [13] ad purum transferri non potest, nisi per periphrasin [14]; dicitur enim θεαρχικός [15] Pater, quia totius Deitatis principium est, Filii per generationem [16], Spiritus sancti per processionem. φωτοδοσία [17] vero est *luminum datio*, quae specialiter ad Patrem refertur, qui omnium luminum dator est. Pro eo itaque, quod potest per ambitum transferri sic: et principalem et plusquam principalem luminum dationem a Patre, qui in Deitate principium est, facilius nobis visum [18], quamvis virtute verborum longius, ponere: et principalem et superprincipalem divini Patris claritatem [19], ea ratione ducti, qua saepe invenimus apud ipsos Graecos pro compositis simplicia. Ipsi quippe pro θεαρχικῷ [20] Patre θεῖον πατέρα [21], id est divinum Patrem, et pro φωτοδοσίᾳ λαμπρίαν [22], id est claritatem, frequentissime ponunt [23]. Quis est autem radius ille simplex paternae claritatis, in cujus conspectu [24] ab ipsa claritate immaterialibus et non titubantibus mentis oculis intellecta reponimus, merito quaeritur. Et mihi quaerenti nihil probabilius occurrit ad credendum et intelligendum, quam Dei Patris Verbum [25], quod instar radii ab inaccessibili et invisibili sole, id est Patre, in universitatem sensibilis et intelligibilis creaturae, et maxime ac principaliter in angelicos et humanos intellectus diffunditur, implens omnia, perficiens imperfecta, penetrans obstrusa, illuminans mysteria, formans visiones in interioribus sensibus theologorum, aperiens intellectus eas visiones quaerere et intelligere volentium, et seipsum secundum analogiam uniuscujusque omnibus in se intuentibus manifestans. Quod ex consequentia praesentis capituli facillime quis potest approbare. Nam sequitur: *Etenim neque ipse usquam unquam a propria singulari sua unitate deseritur*, hoc est, ipsa patris luminum claritas [26] pure a nobis ac firmiter intellecta in simplum suum radium nos restituit, quoniam ipse radius nullo loco, nullo tempore, a propria et singulari sua unitate, id est simplicitate, relinquitur. Quid [27] enim simplicius Verbo Dei, dum per seipsum in Patre suo super omnia cogitatur, quantum se sinit cogitari? Quid eodem multiplicius, dum super omnia, quae in ipso et per ipsum facta sunt, expenditur, intellectibusque sapere valentium numerose distribuitur? Et ne existimes, quod aliud sit claritas Patris, aliud radius Patris. Claritas Patris [28], radius Patris, Filius suus est, qui Patrem clarificavit mundo, qui super omnia uniformis est [29], et forma omnium [30], et in omnibus multiformis est, et multiformitas omnium, et maxime in angelicis et humanis mentibus. Et hoc aperte declarat dicens: *Ad anagogicam vero et unificam eorum, quae provisa sunt* [31], *contemperantiam optime et pulchre multiplicatur et provenit, manetque intra se in incommutabili similitudine uniformiter fixus, et in se, quantum fas est, respicientes proportionaliter in se extendit* [32] *et unificat secundum simplicem sui unitatem*, hoc est: divinus radius, quamvis propriam simplicitatem et singularem unitatem suam non

VARIAE LECTIONES.

[1] AB *arcbana*, sic fere ubique. [2] B *materin*, B' supra adscr. *libus*. [3] *In non trementibus — simplum suum* om. B. [4] A *restituuntur*. [5] AC *multiplicationem*, B *multiplicationem* (punct. B' adjec. videtur). [6] AC *periodas*. [7] *hujus* om. B; C *ejus*. [8] A *recepimus*. [9] A *similiter*. [10] Sic ABC; fortasse legendum: *ex divino Patre procedentem claritatem*. [11] B' marg. adscr. *thearchicoy patris*. [12] B' marg. adscr. *et pro eo quod est photodosian*. [13] B' marg. adscr. *thearchicos*. [14] AB *perifrasin*; sic *f* pro *ph* fere ubique. [15] B' marg. adscr. *thearchicos*. [16] Sic C; AB pro *Filii per generationem* simpliciter proferunt: *deitas*, quod sensu caret. [17] B' marg. adscr. *photodosia*. [18] B' adscr. *est* visum. [19] Sic BC, AB *claritate*. [20] B' marg. adscr. *thearchico*. [21] C' marg. adscr. *id est thionpatera*. [22] Sic AB; B' marg. adscr. *id est photodosia lamptyron*; C profert: et pro *photodosia lamptyron*. [23] Sic BC, AB *ponit*. [24] B *conspectum*. [25] Recens manus in B marg. adscr. *quod Dei Patris Verbum in universitatem cet.* [26] Sic C, A *claritatis*, B *claritatis* (punct. adjec. B'). [27] B' marg. adscr. *De simplicitate et multiplicitate Dei*. [28] In A manus recens vocem supra adscr., quam *radius* aut *Pater* legas. B' adscr. *Pater est*, et marg. adscr. *comparat Patrem ad claritatem, Filium ad radium*. [29] *Qui Patrem clarificavit — uniformis est* om. B. [30] Pro *omnium* C *hominum*. [31] B *quae sunt praevisa*. [32] B *extendit in se*.

deserat, pulchre tamen multiplicatur et procedit A in ea, quae provisa [1] sunt, ad eorum anagogicam et unificam contemperantiam, coadunationem illam videlicet, quae sursum ducit [2] et unificat omnia. Non enim omnia subsisterent, neque, ac veluti quis dixerit: qua ratione et cur simplex multiplicatur? ad principium suum, quod sursum est, Patrem omnium dico, redirent, si non radius ille ineffabilis diffunderetur in omnia, ut subsisterent omnia, et in ipso unum efficerent [3], suoque copularentur initio. Et dum pulchre multiplicatur et in omnia procedit, manet in seipso, movetur incommutabilis, sui simul uniformis fixus, et eos, qui in se, quantum fas est, hoc est, quantum licet eisque conceditur, respiciunt, juxta illorum propriam analogiam in se ipsum extendit, hoc est, ad se ipsum erigit et B unificat eos ad similitudinem suae simplicis unitatis. Sed quia ipse radius, per se ipsum incomprehensibilis, invisibilis, inaccessibilis est omni creaturae, siquidem sensus omnes omnesque superat intellectus, non potuit omnibus, in quibus multiplicatur, apparere, nisi per quaedam velamina nobis connaturalia, quibus sese adhuc in hac carne constitutis quoquomodo manifestare voluit. Sequitur: *Et enim neque possibile est, aliter nobis lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, et his* [4], *quae secundum nos sunt, per providentiam paternam connaturaliter et proprie praeparatum.* Ac si diceret: Paterna providentia, et ineffabile divini amoris erga salutem et reductionem [5] nostram ad ea, quae peccando deseruimus, studium, invisibi- C lem [6] per se ipsum radium variis ac [7] sacris velaminibus juxta rationes anagogae circumvelavit, et ex his, quae connaturalia nobis sunt et propria, et ut comprehensibilis nobis esset, qui aliter comprehendi non potest, modum quendam apparitionis praeparavit. De quibus velaminibus et in hoc libro, qui est de caelesti ierarchia, et in sequenti, qui scribitur de ecclesiastica ierarchia, nec non et in tertio de divinis nominibus affluenter tractatur. Sed si quaeris, pauca de pluribus propter praesentis periodi reserationem praegustabimus. In [8] hoc itaque libro velamina, quibus divinus circumvelatur radius, et per paternam providentiam propter nos praeparatur, propheticae [9] visiones sunt, quae per angelicas virtutes in simili- D tudinem rerum sensibilium, infirmitati nostrae adhuc sensibus corporeis succumbenti [10] naturaliter congruentium, in theologorum memoriâ conformatae sunt, ad eruditionem nostram, et ab infantilitate nostra, qua rebus sensibilibus adhaeremus, reductionem per intelligibiles aetates, quibus per actionem et scientiam rationalis anima crescit, donec occurramus in virum perfectum, hoc est, in plenissimam Christi, qui est finis perfectionis nostrae, contemplationem, et in ipso et cum ipso perfectissimam adunationem. Itaque [11] et ipsa summa ac sancta Trinitas, et [12] specialiter ipse Filius, omnesque caelestes virtutes in quibusdam similitudinibus divinis apparuere prophetis, in humana videlicet effigie, in leonina, vitulina, aquilina, equina [13], diversi coloris, ignea, nebulosa, electrina, fluviali, rotali, celeriter currenti, ceterisque [14] similiter figuratis symbolis formantur. In [15] sequenti autem libro per sacramenta visibilia et corporalia Veteris Novique Testamenti idem Dei radius, Verbum, caelestesque virtutes propter nos conformari docentur. Verbi gratia, in tabernaculo [16] erat arca [17] testamenti in figura Dei Verbi propter nos incarnati; erant duo Cherubim [18] circa arcam hinc inde volitantes [19] in similitudine [20] supercaelestium substantiarum, quae circa Dominum Jesum Christum aeterno et intelligibili volatu circumvolant. Similiter iterum in templo eadem arca Cherubimque erant in eodem typo, ceteraque legalia symbola. In Novo [21] vero [22] sacramenta baptismatis, altaris, calicis, vini, panis, sacerdotum, et mystici chrismatis, ceteraque, quae in figura Christi ponuntur, de quibus tractare nunc et longum est et superfluum, quoniam in secundo copiosissime actitantur. In eo [23] vero, qui est de divinis nominibus, peripetesmata [24] radii sunt principales causae, verbi gratia bonitas, essentia, vita, sapientia, veritas, virtus, et similia. Et ut breviter dicam, omnes species visibilis et invisibilis creaturae, omnesque allegoriae, sive in factis, sive in dictis, per omnem sanctam utriusque Testamenti Scripturam, velamina paterni radii sunt, et ipse radius secundum carnem suam sui met secundum Deitatem maximum velamen est nobisque connaturale.

§ 3. Sequitur: *Propter quod et sanctissimam nostrum ierarchiam* τελετάρχις [25] *sacrorum positio caelestium ierarchiarum supermundana imitatione dignam judicans, et dictas immateriales ierarchias materialibus figuris et formalibus* [26] *compositionibus varificans tradidit.* Ordo verborum [27]: Propter quod tradidit τελετάρχις sacrorum positio, hoc est, teletarchicum [28] sacerdotium, et sanctissimam nostram ierarchiam judicans dignam supermundana imitatione caelestium ierarchiarum, et varificans dictas immateriales ierarchias materialibus figuris et formalibus [29] com-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic ABC. [2] B *sursum est, ducit.* [3] B' corr. *efficerentur.* [4] B *hiis*, sic ubique. [5] Sic AC; B *redemptionem.* [6] Corr., ABC *studio invisibili.* [7] *ac* om. AC. [8] B' marg. adscr. *De quibus agit in hoc libro.* [9] B' marg. adscr. *De prophetica visione et modo revelationis, et quare sic fit revelatio.* [10] A B *subcumbenti*, B' corr. *succumbenti.* [11] Sic ABC, B' corr. *Utique*, et marg. adscr. *De diversis modis apparitionum.* [12] B *ac.* [13] B *equuina.* [14] B'' marg. adscr. *quae.* [15] B marg. adscr. *De quo agitur in libro sequenti qui est de ecclesiastica iherarchia.* [16] Sic AC; B *habitaculo.* [17] AB *archa*, sic ubique. [18] B *Cherubin*, sic ubique. [19] Sic BC; A *volutantes.* [20] Sic AC; B *similitudinem.* [21] B *nono.* [22] Sic ABC, supple *Testamento.* [23] B' marg. adscr. *De quo agitur in libro tertio, qui est de divinis nominibus.* [24] AB *perypetasmata.* B' supra scr. *id est* radii. C *per ypetasmata.* [25] B' marg. adscr. i. e. *theletarchis*, i. e. *perfectissima.* [26] A *formabilibus.* [27] B' supra scr. *est.* [28] Corr. B', ABC *teletarchium.* [29] Sic BC; A *formabilibus.*

positionibus. Et est sensus hujusmodi : Quoniam Paterna providentia simplicem suum radium per connaturalia nobis velamina multiplicat, ut nos merito peccati originalis dispersos in pristinam naturae nostrae simplicitatem, in qua facti sumus ad imaginem [1] divinae unitatis, revocaret, propterea etiam sanctissimam nostram ierarchiam, hoc est, sanctissimum ecclesiasticum episcopatum, ipsa τελετάρχις [2] sacrorum positio, quae graece dicitur τελετάρχις ἱεροθεσία, hoc est τελετάρχη [3] sacerdotium, tradidit et constituit, quoniam iudicavit, eam, nostram dico ierarchiam, dignam esse supermundana similitudine caelestium episcopatuum, ut Ecclesia, quae adhuc in peregrinatione est hujus vitae, sparsim per loca et [4] tempora, variatim [5] per diversa mysteria, multiplex in doctrinis, composita in symbolis caelestium virtutum, in quibus nulla diversitas est, unitatem et aequalitatem possit ascendere, et praedictas ierarchias, id est caelestes essentias, dum [6] sint naturaliter immateriales, super omnia loca et tempora, super omnes materiales figuras et formas et compositiones, per materiales figuras et formas et compositiones ad similitudinem nostrae ierarchiae, quae adhuc in terris est, varificavit, hoc est, in diversis visionibus et symbolis et allegoriis multiplicavit, et nostrae infirmitati conformavit, quoniam earum simplicitas et inintelligibilis unitas per se ipsam lucere nobis impossibile [7] erat [8]. Τελετάρχις autem [9] ἱεροθεσία, hoc est τελετάρχη [10] sacerdotium, est summa sanctaque Trinitas, prima omnium ierarchiarum ierarchia, ex qua omnes ierarchiae in caelo et in terra et factae et ordinatae et traditae sunt. Cur autem summa Trinitas tali nomine, quod est τελετηάρχις [11] (τελετή [12] autem [13] a Graecis dicitur hostia purgativa omnium peccatorum, per quam de homine efficitur Deus), ac per hoc sancta Trinitas dicitur [14] unus Deus? Quoniam causa et principium est totius nostrae purgationis et deificationis, pulchre et rationabiliter τελετάρχις [15] vocatur, hoc est τελετωάρχη [16], principium scilicet purgationum et finis. Siquidem ἀρχή [17] apud Graecos et principium significat et finem. Causa quippe substitutionis nostrae secundum naturam eadem est causa et sanctificationis nostrae et perfectionis secundum gratiam. Simili ratione eadem

A summa Trinitas ἱεροθεσία, quasi ἱερῶν θεσία, hoc est sacrorum positio, convenienter [18] dicitur, quoniam ipsa [19] est omnium sacrorum mysteriorum, quibus [20] nostra rationabilis natura eruditur in doctrina, purgatur in actione, illuminatur scientia, deificationis virtute perficitur, primum et immobile firmamentum. Ac [21] veluti quis interrogarit [22], cur caelestes substantiae, quas nulla sensibilis forma seu figura circumscribit, nulla partium compositio conjungit, per diversas formas figurasque et compositiones, sive intrinsecus visionibus propheticis, sive extrinsecus sensibus corporeis variantur et multiplicantur, subjunxit dicens : *ut proportionabiliter* [23] *nobis ipsis a sacratissimis formationibus in simplas et non figuratas ascendamus altitudines et similitudines*. Hoc est :
B propterea ad similitudinem nostram caelestes ierarchiae in sacratissimis varificantur formationibus, ut per eas sanctissimas imagines valeamus ascendere in simplam omnique imaginatione carentem caelestium virtutum similitudinem, ut [24] per omnia in omnibus aequales eis efficiamur. Et hoc etiam [25] ratio subnexa insinuat. Ait enim : *Quoniam impossibile est nostro animo ad immaterialem ascendere caelestium ierarchiarum et* [26] *imitationem et contemplationem, nisi ea, quae secundum ipsum est, materiali manuductione utatur*. Ac si diceret : Nam non potest noster animus, densissimis diversorum dilectorum [27] errorum, falsarum cogitationum, materialium phantasmatum [28] caliginibus undique septus deceptusque, ad immaterialem civium caelestium imitationem, hoc
C est, similitudinem secundum naturam, et contemplationem summae omnium causae per theologicam gratiam exaltari, nisi prius introductione materialium rerum, ut ad hoc perveniat, utatur. Denique quid sit [29] ipsa materialis manuductio [30], qua humanus animus ad angelicae naturae et gratiae altitudinem ut uniformem aequalitatem [31] sublevetur, consequenter subjungit, dicens : *Visibiles quidem* [32] *formas invisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans*, hoc est, dum arbitratur et incunctanter judicat, visibiles formas, sive quas in natura rerum, sive quas in sanctissimis divinae Scripturae sacramentis contemplatur, nec propter se ipsas factas, nec propter se ipsas appetendas seu [33] nobis promulgatas, sed invi-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ymaginem*, sic A fere ubique, B persaepe. [2] B' marg. adscr. *theletarchis*. [3] Sic AB more latinorum finiunt adjectum in *is*, *e*; apud Graecos tale adjectivum in ις, ι terminatur. B' marg. adscr. *theletarchis ierotesa h. e. theletarce*. [4] B'' infra scr. *per* tempora. [5] In B rad. corr. *variatir*; C *uarialum*. [6] Sic A C; B *cum*. [7] B' corr. *non possibilis*, C *inpossibile* [8] B *erat* (*va* supra scr. B'). [9] Corr., ABC *aut*. [10] Rursus adject. finitur in *e* pro *i*. B' marg. adscr. *theletarchis aut ierotesie h. e. thelетharce*. [11] C quod est *theletarchis*. B' marg. adscr. *theletarcis vocatur pater*. [12] B' marg. adscr. *telete*. [13] Sic AC; B *autem* (*enim* supra scr.) [14] *dicitur* om. B. [15] B' marg. adscr. *teletarcis*. [16] B' marg. adscr. *theletarche*. [17] B' marg. adscr. *arche*. [18] Verba : *trinitas ἱεροθεσία — positio con-* om. B; B' supra voc. *venienter* scr. *con* et marg. adscr. *trinitas ἱεροθεσία, i. e. ieroiesia quasi ἱερῶν θεσία i. e. ierontesia*. [19] Sic CB', AB. *ipse*. [20] B' marg. adscr. : *Not. numerat operationes sibi invicem ordinatas scilicet erudire, purgare, illuminare, perficere; alibi autem tantum tres ponuntur, omisso erudire*. [21] Sic C et rad. corr. B; A *aut*. [22] C *interrogaverit*, B' *interrogaret*. [23] Sic BC; A *proportionabiliter*. [24] Sic C; B' corr. *et ut*; AB *virtutum et similitudinem ut*. [25] B *Et etiam* (puncta B' adj. videtur), C *Et hec etiam*. [26] B *et*. [27] Sic AB'; BC *delictorum* (B' corr. *dilectorum* eandemque hanc correcturam marg. adscr.) [28] B. *fantasmatum*, sic B fere ubique, A saepissime *f* pro *ph*. [29] Sic A, *quid sit* om. B, B'' marg. adsc. *quae sit*, C *quae sit*. [30] A *manus ductio* [31] Conj; A *uniforme inaequalitate*, B *uniforme in aequalitatem*, B' corr. *uniformiter*, C *uniformem aequalitate*. [32] Sic AC, B *siquidem*. [33] Pro *seu* B *se*.

sibilis pulchritudinis imaginationes esse, per quas divina Providentia in ipsam puram et invisibilem pulchritudinem ipsius veritatis, quam amat, et ad quam tendit omne quod amat sive sciens sive nesciens [1], humanos animos revocat. Similiter et de ceteris, quae sequuntur, intelligendum [2]. *Et sensibiles suavitates figuras invisibilis distributionis*, a superioribus subditur : arbitrans. Sensibiles suavitates dicit corporeos odores, quos olfaciendi sensus recipit in figuram invisibilis distributionis, ut, quemadmodum [3] per exteriorem sensum narium suaves seu insuaves discernimus odorum qualitates, ita in interiori sensu intelligibilem virtutum distributionem per singulas species discretionis virtute discernamus, easque diligentissimo rationis contuitu ab oppositis vitiis, aut eas falsa imaginatione imitari [4] conantibus segregemus. Hinc [5] est, quod et sanctissimum chrismatis sacramentum, thuris etiam fumigatio, in typo intimae virtutum suavitatis et virtutum dividicationis [6] a sacerdotibus conficiuntur ecclesiae. *Et immaterialis luculentiae imaginem materialia lumina*, subaudis similiter a superioribus : arbitrans. In hoc loco pro φωτοδοσίας [7], id est luminum dationis [8], luculentiae [9] posuimus. Materialia [10] lumina, sive quae naturaliter [11] in caelestibus spatiis ordinata sunt, sive quae in terris humano artificio efficiuntur, imagines sunt intelligibilium luminum, super omnia ipsius verae lucis, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum, quae semper et inextinguibiliter in angelicis et in [12] humanis intellectibus ardet. Sequitur : *Et secundum intellectum contemplativae plenitudinis pervias sacras disciplinas* ; hic quoque subaudis [13] arbitrans; imagines esse [14] subaudi arbitrans. Septem disciplinas, quas philosophi liberales appellant, intelligibilis contemplativae [15] plenitudinis, qua Deus et creatura purissime cognoscitur, significationes esse astruit. Ipsas autem sacras disciplinas διεξοδικάς [16] nominat, hoc est pervias, quoniam intelligentibus eas perviae sunt et planae, vel quoniam quaedam viae sunt, per quas ingredimur rerum scientiam. Διεξοδικάς [17] item [18] disciplinas notiore [19] interpretatione decursativas possumus accipere. Ut enim multae aquae ex diversis fontibus in unius fluminis alveum confluunt atque decurrunt, ita naturales et liberales disciplinae in una eademque internae contemplationis significatione [20] adunantur quam summus fons totius sapientiae, qui est Christus, undique per diversas theologiae speculationes insinuat. Et fortassis hoc est, quod per Psalmistam de beato viro dicitur : « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum », hoc est, sicut Christus erit, in cujus significationem typicam omnes naturales artes, intra quarum terminos tota divina concluditur Scriptura, concurrunt. Nulla enim sacra Scriptura est, quae regulis liberalium careat diciplinarum. *Et adunati ad divina et ordinati habitus earum, quae hic sunt, dispositionum ordines*. Hoc est : omnes ordines dispositionum, quas vel ex natura vel ex sapientum hominum rationabili inventione [21] et operatione in rebus sensibilibus praesentis hujus vitae humanus animus considerat, imagines esse arbitrandi sunt adunatae et ordinatae habitudinis spiritualis, qua humana anima incommutabiliter divinis adhaeret virtutibus. Sequitur : *Et Jesu* [22] *participationis* [23] *ipsam divinissimae eucharistiae assumptionem*. Intuere [24], quam pulchre, quam expresse asserit, visibilem hanc eucharistiam, quam quotidie [25] sacerdotes Ecclesiae in altari conficiunt ex sensibili materia panis et vini, quamque confectam et sanctificatam corporaliter accipiunt, typicam [26] esse similitudinem spiritualis participationis [27] Jesu, quem [28] fideliter solo intellectu gustamus, hoc est, intelligimus, inque [29] nostrae naturae interiora viscera sumimus, ad nostram salutem, et spirituale incrementum, et ineffabilem deificationem. Oportet ergo, inquit, humanum animum, ex sensibilibus rebus in caelestium virtutum similitudinem et aequalitatem ascendentem arbitrari, divinissimam eucharistiam visibilem, in Ecclesia conformatam [30], maxime typum esse participationis ipsius, qua et nunc participamus Jesum per fidem, et in futuro participabimus per speciem, eique adunabimur per caritatem. Quid ergo ad hanc magni theologi Dionysii praeclarissimam tubam respondent, qui visibilem eucharistiam nil aliud significare praeter se ipsam volunt asserere, dum clarissime praefata tuba [31] clamat, non illa sacramenta visibilia colenda, neque pro veritate amplexanda, quia significativa veritatis sunt, neque propter se ipsa inventa, quoniam in ipsis intelligentiae finis [32] non est, sed propter incomprehensibilem [33] veritatis virtutem, qua [34] Christus est in unitate humanae divinaeque [35] suae substantiae

VARIAE LECTIONES.

[1] A *nesciesciens*. [2] B' adscr. *est*. C *intelligendum est*. [3] Sic AC, *quemadmodum* om. B. [4] Sic AC, B *mutari*. [5] B' marg. adscr. *De sacramento crismatis, et fumigationis thuris*. [6] Sic ABC. [7] B' marg. adscr. *photodasias*. [8] Sic CB', AB *datione*. [9] Sic C, AB *luculenter*. [10] AB *matherialia*, sic A saepe, B raro. [11] B : quae *luculenter naturaliter* (puncta B' adjec. videtur). [12] *In* om. AC. [13] Sic AC; B *subaudis* (punct. B' adjec. videtur.) [14] Sic AC; *imagines esse* om. B. [15] Sic C et litteris miniatis corr. B; AB *contemplationis*. [16] B' marg. adscr. *dyexodicas*. [17] B' marg. adscr. *diexodicas*. [18] Sic C et ad marg. corr. B', AB *inter*. [19] Sic C; B *nocicia* (quae vox ita scripta est, ut ad vocem *notiore* proxime accedat), A *naticione* [20] Sic C; AB *significationem*. [21] Sic AC; B *inventione rationabili*. [22] Sic litteris miniatis corr. B. Pro *Jesu* AB *in unum* (quae voces in cod. scriptura non multum differunt a *ihesu*). [23] Corr. B', AB *principationis*. [24] C *inthure*. [25] AB *cottidie*, sic ubique; C *cothidie*. [26] C *typi quam*. [27] Sic CB', AB *principationis*. [28] *quem* om. C. [29] B' corr. *in quem*. [30] C *conformatum*. [31] C *tuba prefata*. [32] C *finis intelligentiae*. [33] B *incomprehensibilis* (em superscr.), *incomprehensibiliter*. [34] C *quae*. [35] C *divinae humanaeque*.

ultra omne, quod sensu sentitur corporeo, super omne, quod virtute percipitur intelligentiae, Deus invisibilis in utraque sua [1] natura [a]. *Et quaecunque alia caelestibus quidem essentiis supermundane, nobis vero symbolice tradita sunt.* Ac brevi sententia beatus Dionysius docet nos, incunctanter non solum humanos animos adhuc in carne detentos per sensibilia symbola, verum etiam angelicos intellectus omni carnali gravitate absolutos per invisibiles significationes, quas theologia theophanias nominat, ipsam veritatem cognoscere, quoniam per se ipsam nulli creaturae seu rationali seu intelligibili comprehensibilis [2] est, super [3] omnem sensum et intellectum exaltata [4], omni visibili et invisibili creatura remota. Ideo supermundane, inquit, hoc est, super omnes sensibiles hujus mundi species caelestibus essentiis apparere veritatem, nobis vero per sensibilia symbola. Neque enim etiam angeli cognoscunt per [5] se [6], quid Deus, vel quid sit [7] veritas; hoc enim ab omni creatura remotum est; sed solummodo cognoscunt se esse, et veritatem superessentialiter esse, et ab ipsa omnia procedere. *Propter hanc ergo nostram* [8] *conrationabilem* [9] *θέωσιν* [10] *misericors perfectionis principium et caelestes ierarchias nobis manifestans, et conministrum earum perficiens* [11], *ierarchiam nostram* [12] *ad virtutem nostram similitudine deiformis suae sanctificationis sensibilibus* [13] *imaginibus supercaelestes descripsit intellectus in sacroscriptis eloquiorum compositionibus, quatenus* [14] *nos reduceret per* [15] *sensibilia in intellectualia, et ex sacre figuratis symbolis in simplas caelestium ierarchiarum summitates.* Ἀνακεφαλαίωσις [16] est totius capituli, quae levissimam exigit expianationem, quoniam in praedictis est exposita. Breviter ergo possumus intelligere sic: Propter hanc nostrae naturae conrationabilem et coaequalem angelicae naturae θέωσιν [17], hoc est deificationem, misericors et clementissimum perfectionis principium (nam φιλανθρωπίαν [18] quidam vertunt in misericordiam, quidam in humanitatem, hoc est, humanitatis amorem, quidam in clementiam; φιλάνθρωπος [19] autem misericors, vel humanus, vel clemens Deus est, et ipse est τελεταρχία [20], hoc est perfectae purgationis initium) caelestes nobis ierarchias manifestat, et consortem [21] illarum nostram ἱεραρχίαν [22] perficit juxta possibilitatem naturae nostrae virtutis per similitudinem angelicis substantiis deiformis suae [23] sanctificationis, qua nos sanctificat, et per sensibiles formas divinos descripsit intellectus divinorum eloquiorum typicis configurationibus, ut nos reduceret per ea, quae sensibus succumbunt, in ea, quae intellectu solo considerantur [24], et per symbola [25] figurata in simplam caelestium virtutum excelsitudinem subveheret.

Ipsa igitur sancta Trinitas nostra θέωσις est [26], hoc est deificatio; deificat [27] enim nostram naturam, reducendo eam per sensibilia symbola in altitudinem angelicae [28] naturae, et deificans eam in his, qui [29] ultra omnia in ipsum Deum transeunt. Ipsa est nostra τελεταρχία, hoc est, perfectissimae nostrae purgationis et sanctificationis exordium; ipsa est prima et summa ierarchia. Nullus enim in caelo vel in terra, hoc est, in illa publica civitate, quae sub cultu unius veri Dei ex rationabili et intelligibili, hoc est, ex humana et angelica natura constituitur, ordo [30], cujus ratio non praecedat in ipsa, et ab ipsa [31] non procedat a summo usque deorsum, vel in ipsam non revocetur a deorsum usque ad sursum. Ipsa nobis manifestat virtutes in figuris ac formis nostrae infirmitati congruentibus, ut per eas veluti per quosdam gradus, quos in divinis [32] instruxit eloquiis, facta dico patriarcharum [33], evangelicas parabolas, omnesque virtutes, quas Dominus in carne peregit, visibilia sacramenta novae legis, quae ab ipso Domino et inchoata et sanctificata sunt, et sanctis apostolis frequentata, et celebrata, et aucta, conscendamus actionis et scientiae gressibus, divina gratia nos ducente, adjuvante, cooperante, donec perveniamus

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AC; B *sui*. [2] C *incomprehensibilis*. [3] C *et super*. [4] Corr. B'. AB *exaltari*; C *et super omnem sensum exaltari et intellectum*. [5] Sic C, *per* om. AB. [6] Sic AC; B *se* (puncta B' adjec. videtur). [7] Sic AC; *sit* om B. [8] *nostram* om. AB, addidi ad fidem graeci textus et J. Scoti versionis. [9] B' marg. adscr. *nostrae naturae*. [10] B' marg. adscr. *theosim, i. e. deificationem*. [11] B *proficiens*, B' corr. *perficiens*. [12] *ierarchiam nostram* om. AB, addidi ad fidem graeci textus et J. Scoti versionis. [13] Corr. B', AB *sensibus*. [14] AB *quatinus*. [15] A *et per*; B *et per* [16] AB ἀνακεφαλειωσις. B litteris miniatis marg. adscr. *Anacephaleosis i. e. recapitulatio*. C profert. *Anacephaleosis i. e. recapitulatio*. [17] B litteris miniatis marg. adscr. : *theosin*. [18] B litteris miniatis marg. adscr. : *philautropian*. [19] B' marg. adscr. *philautropos*. [20] B' marg. adscr. *teletarchia*. [21] Ex conj., pro *et consortem* A *eam sortem*, B *et... sortem*, B' marg. adscr. *juxta*, ita ut legendum sit *et juxta sortem*. C *juxta sortem*. [22] B'' marg. adscr. *i. e. ierarchiam*. [23] AC *sive*, B *sine*. [24] Sic CB', AB *considerant*. [25] B *simbola singula* (punct. adj. et *simbola* supra scr. B') AC *singula*. [26] B' marg. adscr. *theosis est*. [27] B' marg. adscr. *Qualiter deificamur*. [28] Sic C; A *euuangelice*, B *euangelice* (punct. adjec. B'). [29] Sic AC, B *quae*. [30] B ' supra scr. *est*. [31] Sic BC, A *ipso*. [32] Sic AC, B *iudivinus*, B ' pro - *divinus* marg. adscr. *divinis*. [33] A *patriarcarum*.

NOTAE.

[a] Quae J. Scotus de SS. Eucharistia hic disputat, reapse a veritate Christiana non etiam recedere videntur. Impugnat enim eos, *qui visibilem eucharistiam nil aliud significare praeter se ipsam volunt asserere.* Speciebus quidem in SS. Eucharistia typici aliquid ac figuram contineri, cum Ecclesia theologi docent ad unum omnes. Nec non ipse Scotus plus quam « memoriam », plus quam merum symbolum in SS. Eucharistia se agnoscere aperte prodit, docens eam in *interiora nostrae naturae viscera* sumi ad *nostram..... ineffabilem deificationem*. Quare quum omnino in Paschasianos hoc loco invehatur, ipsius verbis vix aliquid inesse videtur, quod ei opprobrio verti debeat.

aequaliter cum angelis in simplicissimam puramque incommutabilis veritatis speculationem. Sed fortassis prolixius, quam res exigit, primum capitulum exposuimus; quanta tamen in sequentibus aperiat, studiosus lector, ni fallor, inveniet. *Explicit tractatus de primo capitulo* [1]. *Incipit de secundo.*

CAPITULUM II.

Secundi capituli ἐπίγραμμα [2] est : *Quoniam pulchre divina et caelestia etiam per dissimilia symbola manifestantur.* Divina, inquit, et caelestia, hoc est, caelestes virtutes, [quas] [3] theologi in tres dividunt ierarchias, sicut in processu praesentis operis declarabitur, pulchre per symbola, quamvis eis [4] dissimilia sint, manifestantur nobis et significantur. Nulla siquidem sensibilis species est, quae omnino intelligibilium similitudinem assequatur. Longe [5] enim a se discrepant, et penitus dissimilia sunt, quae sensu corporeo extrinsecus, vel quae [6] phantastice interius apparent, ut sunt visiones sive sompniantium, seu mentis excessum, quem Graeci ἔχστασιν [7] vocant, patientium in spiritu, et ea [8] quae puro et intimo mentis contuitu, nulla phantasia seu sensibili specie interposita, per se ipsa intelliguntur. At vero quoniam noster animus, ut superiori capitulo dictum est, ad ipsam intimam [9] intelligibilium rerum speculationem non continuo, nulla mediante intercapedine, potest ascendere, pulchre divina Providentia dissimilia symbola interposuit, similia quidem nobis adhuc corporeis sensibus detentis, dissimilia vero puris intellectibus, ad quorum contemplationem per illa noster ducitur intellectus.

§ 1. *Oportet igitur, ut aestimo, primum exponere, quam quidem esse speculationem omnis ierarchiae aestimamus.* Hoc est : ordo rerum exigit, ut arbitror, priusquam ad expositionem [10] dissimilium symbolorum, per quae ad puram caelestium virtutum visionem animus introducitur, veniamus [11], primum explanare, qualem speculationem, id est, qualem definitionem judicamus esse omnis ierarchiae, id est universalis ierarchiae. Est enim generalis ierarchia, quam [12] generaliter oportet definiri, quoniam subdividitur in multas ierarchias, quae veluti species ipsius sunt, suasque speciales definitiones ab laudatoribus. *Et* [13] *quid unaquaeque*, species generalis ierarchiae, *divinis suis profuit* [14] *laudatoribus* [15], hoc est, qualem et quantam pulchritudinem contulit his, qui per eam et in ea divinas laudes fre-

A quentant [16] actione et scientia. *Deinde caelestes ierarchias laudare secundum ipsarum in eloquiis manifestationem*, subaudis a superioribus : oportet. Ac si diceret : Post generalis ierarchiae, ejusque formarum et specierum, et utilitatis uniuscujusque earum divinis laudatoribus, hoc est his, qui divina canunt interiore et exteriore laude, speculationem consequenter oportet caelestes ierarchias laudare, glorificare videlicet et praedicare, juxta sua in [17] divinis eloquiis symbola, per quae, quamvis dissimilia sint, nobis manifestantur. *Consequenterque* [18] *his dicere, qualibus divinis formationibus caelestes figurant ordines eloquiorum sacrae descriptiones* [19]. Dum haec, inquit, quae praediximus, consequenti naturalique ordine fuerint considerata, oportet dicere,

B quales divinas formationes sanctorum eloquiorum sacrae descriptiones [20], hoc est, sancta formarum assimilatio ad caelestes ordines significandos figurant atque conformant, utrum absolutae sint et a se invicem naturalibus differentiis discretae, ut est hominis effigies, seu leonis, seu aquilae, an diversis naturalium rerum imaginibus una quaedam mixta et composita imaginatio sit [21], ut rota in rota, mixta quoque quatuor animalia, sibi invicem in singulis connexa. Sequitur : *et ad qualem oportet ascendere per formas veritatem* [22], velut [23] expressius transferri potest : per figmenta in non figmentum. Consequens est, inquit, dicere, ad qualem et quam puram et sinceram intelligibilium rerum veritatem omni figmento carentem oportet nos claro mentis

C contuitu ascendere. Et qua ratione debemus tam alte ascendere? Sequitur : *ut non et nos eodem modo velut multis* [24] *immunde existimemus caelestes et deiformes animos multipedes esse quosdam, et multorum vultuum, et ad boum pecudalitatem, aut ad leonum bestialem imaginationem formatos* [25], *et ad aquilarum curvo rostro speciem, aut ad volatilium tripertitam alarum commotionem effiguratos.* Ea ratio est, inquit, quae nos admonet [26], ultra omnes propheticas visiones et formationes mentis contuitu supervolitare, ne et nos eodem modo, sicut et multi carnaliter spiritualia cogitantes, et ultra ea, quae sensu corporeo percipiunt, nihil [27] esse immundis suis cogitationibus [28] putantes, existimemus, similes illis facti, caelestes et deiformes angelicarum virtutum

D animos, quosdam quidem multos pedes naturaliter habere, dum membrorum compage corporalium omnino carent, quosdam vero multas species simul

VARIAE LECTIONES.

[1] *capitulo* om. B; B* marg. adscr. *titulo.* [2] B* marg. adscr. *epygrama est i. e. superscriptio.* [3] *quas* om. ABC, addidi ex coni. [4] B *ea.* [5] B* marg. adscr. *Notat hic distinctionem triplicis visionis.* [6] B* marg. adscr. *nota quod extasin vocat fantasticam visionem.* [7] AB ἔξτασιν, B* marg. adscr. *i. e. extasim*, C *extasym.* [8] B* marg. adscr. *Notat de tertio genere visionis.* [9] Sic C, AB *intimum.* [10] Sic C, AB *expositionum.* [11] Conj., ABC *humanus.* [12] Corr. B**, ABC *que.* [13] Sic text. graec. et versio; AB *idem*, C *i. e.* [14] *profuit* om. AB, ad marg. adscr. B** [15] C *species ipsius jeneralis ierarchie divina profuit laudatoribus.* [16] Sic C, A *frequentantur*, B *frequentantur* (punct. adjec. videtur B*). [17] Sic C, *in* om. AB, supra adscr. B*. [18] B *consequentibus*, rad. corr. *consequenterque*, AC *consequentibusque.* [19] A *dispositiones*, C *descripciones.* [20] B *eloquiorum sanctorum descriptiones sacrae.* Pro *sacrae descriptiones.* AC *sacra descriptio.* [21] A *fit.* [22] Sic CB*, AB *varietatem.* [23] AB *velud*, sic B passim. [24] B rad. corr. *multi.* [25] Corr. B*, AB *formatas.* [26] AB *ammonet*, sic semper. [27] B *nichil*, sic ubique. [28] Sic C, et rad. corr. B*, AB *coqitationes.*

commixtas, cum omni specie visibili, sive discreta, sive confusa absoluti sint, quosdam in effigie boum irrationabilium, quosdam in imagine ferocium leonum, quosdam in specie aquilarum, quarum naturale proprium est rostri curvatura, quosdam sex alas habere volatiles, quarum triformis distributio est, et una quidem in duas vultum animalis velantes [1], altera in duas ejusdem animalis pedes tegentes, tertia in duas sursum semper expansis pennis volitantes. Haec enim sunt *dissimilia* **symbola in propheticis visionibus, in [2] eorum prophetarum spiritu administratione angelica plasmata, ad nostram eruditionem et introductionem ad purissimas caelestium essentiarum in semetipsis, remota omni phantastica [3] plasmatione, cognitiones [4]. Quae [5] prophetica figmenta si quis incaute B cogitaverit, ita ut in eis [6] finem cognitionis suae [7] constituat, et non ultra ea ascendat in contemplationem rerum intelligibilium, quarum illa imagines sunt, non solum ipsius animus non purgatur et exercitatur, verum etiam turpissime polluitur et stultissime opprimitur. In quibus autem prophetarum tales visiones leguntur, superfluum est inserere, quoniam omnibus sacrae [8] Scripturae peritis luce clarius occurrunt. Sequitur :** *Et rotas quasdam [9] igneas super caelum imaginemus, [10] et thronos materiales Divinitati ad recubitum necessarios, et equos quosdam multicolores, et armiferos archistrategos [11], et quaecunque alia ex eloquiis nobis sacre et formabiliter in varietate manifestativorum symbolorum tradita sunt.* **In omnibus hujus [12] periodi colis [13], C dum sit tetracolon, a superioribus aperitur intellectus sic: Et ut non imaginemus [14], rotas igneas super caelum, hoc est, in supercaelestibus essentiis, ubi [15] nullus ignis sensibilis est, et ut non imaginemus [16] ibidem thronos materiales, hoc est, sedes ex corporali materia fabricatas, ad recubitum Divinitati necessarios, velut expressius transfertur opportunos [17] vel coaptatos, et ut non imaginemus [18] in spiritualibus naturis armiferos archistrategos, hoc est, armigeros duces principum exercitus. Ἀρχιστρατηγός [19] enim dicitur quasi ἀρχῶν τοῦ στρατοῦ ἡγεμὼν [20], quod est, principum exercitus dux. Quo nomine significantur caelestis exercitus principum duces. Non igitur solummodo principes caelestis militiae sunt, sed etiam ipsorum principum duces. Ne igitur D talis imaginatio tam inanis et proterva nostris subrepserit intellectibus, super omnia visibilia, veritati rerum intelligibilium dissimilia symbola, ne pro**

A ipsis intellectibus, quorum symbola sunt, quasi ipsa sint, accipiantur, oportet ascendere, fictaque ex veris segregare. Sequitur : *Etenim valde artificialiter [21] theologia factitiis sacris formationibus in non figuratis intellectibus usa est, nostrum, ut dictum est, animum relevans, et ipsi propria et connaturali reductione providens, et ad ipsum reformans anagogicas sacras Scripturas.* Siquidem, inquit, multum artificiose theologia, illa videlicet virtus [22], quae naturaliter humanis inest mentibus ad divinas rationes quaerendas, investigandas, contemplandas, amandas, factitiis, hoc est, fictis sanctis imaginationibus, ad significandos divinos intellectus, qui omni figura et forma scripta et sensibili carent, usa est, tali namque arte [23] fictarum imaginum animum nostrum relevans, velut expressius transferri potest, animo nostro consulens, ipsique animo propria et connaturali reductione, quae videlicet ingeniose in imaginibus rerum sensibilium formatur, quae nobis adhuc in carne constitutis connaturales propter delicta nostra [24] sunt, providens, ad ipsum, hoc est, ad ipsius animi reductionem, sanctas Scripturas anagogicas, sursum scilicet animum ducentes, conformavit. Ac si aperte diceret: Quemadmodum ars poetica per fictas fabulas allegoricasque similitudines moralem doctrinam seu physicam componit [25] ad humanorum animorum exercitationem, hoc enim proprium est heroicorum poetarum, qui virorum fortium facta et mores figurate laudant: ita theologica veluti quaedam poetria sanctam Scripturam fictis imaginationibus ad consultum nostri animi et reductionem corporalibus sensibus exterioribus, veluti ex quadam imperfecta pueritia, in rerum intelligibilium perfectam cognitionem, tanquam in quandam [26] interioris [27] hominis grandaevitatem conformat. Non enim [28] humanus animus propter divinam Scripturam factus est, cujus nullo modo indigeret, si non peccaret; sed propter humanum animum sancta Scriptura in diversis symbolis atque doctrinis contexta [29] scilicet est, ut per ipsius introductionem rationabilis nostra natura, quae prevaricando ex contemplatione veritatis lapsa est, iterum in pristinam purae contemplationis reduceretur altitudinem.

§ 2. Sequitur : *Si cui autem videtur, sacras quidem recipi compositiones tanquam simplicium in seipsis ignotorumque nobis et incontemplabilium subsisten-*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C et corr. B', AB *volantes*. [2] B' marg. adscr. *quod similitudines, quae fiunt in spiritibus prophetarum, fiunt ministerio angelorum.* [3] Sic C et corr. B', A *phantasica*, B *fantasia*. [4] Corr. B', AB *cognitionis*. C *cogitationes*. [5] B' mag. adscr. *visio intellectualis semper est necessaria ad intellectum habendum prophetiae in spiritu factae.* [6] Pro *in eis* B *meus*. [7] B *cogitationis suae finem*. [8] BC *sanctae*. [9] B *quasdas*, C *quidem*. [10] B' corr. *imaginemur*, C *ymaginemur*. [11] Sic C et rad. corr. B', AB *archistragetos*. [12] B' infra adscr. *hujus modi*. [13] Emend., A *periodicoli*, B *periodicol'*, C *peridicolis*. [14] B' rad. corr. *imaginemur*; C *ymaginemur*. [15] A *vero*. [16] B'C ut supra. [17] BC *oportunos*. [18] B'C ut supra. [19] AB C *archistrategos*. [20] B' marg. adscr. *i. e. ab archon et stratoy et egemon.* [21] Sic AB et versio graec. text. ἀτεχνῶς. [22] B marg. adscr. *quid est theologia.* [23] Sic C et rad. corr. B'; AB *ante*. [24] B *nostra delicta* [25] AC *componunt*, B *componunt* (puncta adj. B'). [26] Corr., AB *quendam*. [27] Sic C et rad. corr. B'; AB *interioribus*. [28] B' marg. adscr. *non esset necessaria divina Scriptura homini, si non peccasset.* [29] B *contexa*, B' corr. *contexta*, C *connexa*.

tium, inconvenientes vero aestimat sanctorum intellectuum in eloquiis sacras descriptiones. Postquam reprehendit eos, qui divina symbola divinasque imaginationes, quibus sancta Scriptura propter nos confecta est, carnaliter ac turpiter accipiunt, arbitrantes ipsa symbola ipsasque imaginationes neque [1] imaginationes esse nec symbola, sed ipsas supercaelestes virtutes per seipsas, in suis propriis naturalibusque formis, quae a conditore omnium factae sunt, in spiritibus apparuisse propheticis, ita ut nullum in ipsis apparitionibus mysticum et allegoricum inquiratur, sed veluti nuda quaedam et simplex historia rerum naturaliter factarum, convertit se perspicax magister et agit adversus eos, qui non negant, sed plane arbitrantur, sanctas compositas formationes divinae Scripturae in figura simplicium substantiarum, quae per seipsas [2] incognitae et incontemplabiles nobis sunt, recipiendas et intelligendas esse, inconvenientes autem arbitrantur tales descriptiones sanctorum intellectuum in sanctis eloquiis fieri. Aiunt enim : Non oportebat theologos, hoc est, divinos prophetas tam inhonestas et confusas longissimeque [3] distantes sanctorum [4] intellectuum veritate sacris litteris commendare descriptiones ; proprie siquidem descriptio dicitur formarum imaginatio simillima his, quorum descriptio est ; nec sic in spiritibus eorum apparere debere [5] ; et ad hoc ducuntur, ut per descriptiones divinae Scripturae non sanctos [arbitrentur] [6] intellectus accipiendos, verum etiam quosdam humani animi rationabiles motus, si descriptiones honestae sint, quosdam vero irrationabiles, si turpes atque confusae, de motibus [7] nostris omnia interpretari conantes. Si itaque, inquit, alicui videtur, multos in uno [8] conformans, sacras compositiones non propter se ipsas recipi debere, sed propter quaedam simplicia nobisque incognita et invisibilia, sanctis autem intellectibus omnino non convenire, adhuc dicens : *Et omne, sic dicere, durum hoc angelicorum nominum theatrum.* Hoc est : Et si eidem videtur de sacris compositionibus sic dicendum : omne hoc angelicorum nominum theatrum durum et inconveniens est sanctis intellectibus, et plus theatrica et monstruosa figmenta, quam supercaelestium essentiarum significativa judicanda sunt. Angelicorum autem nominum dicit, hoc est, angelicarum imaginum nominibus praetitulatur. *Et debuisse, ait, theologos ad corpoream facturam [9] universaliter incorporalium venientes, propriis et, quantum possibile [10], cognatis [11] reformare et manifestare figurationibus ex apud nos pretiosissimis et immaterialibus quomodo et supereminentibus essentiis.* Et si ille, inquit, qui sanctae Scripturae imaginationes sanctis intellectibus angelicis inconvenientes esse existimat, theologos, perfectos videlicet, dum ex altitudine divinae contemplationis descendunt ad corpoream facturam, corporibus [12] videlicet similem, universaliter incorporalium, hoc est, omnino incorporalium virtutum, volentes in quibusdam similitudinibus rerum sensibilium, quod sensum superat, significare, debuisse ea, incorporalia scilicet, propriis et, quantum possibile eis theologis esset, cognatis [13], hoc est connaturalibus figurationibus formare [14]. Vacat [15] enim *re* in hoc loco, et pro formare *reformare* posuit. Formare quidem prius, in spiritibus suis, in quibus primordialiter veluti visibiles angelicarum virtutum species administratione [16] divini nutus figurantur ; posterius vero manifestare, divinis videlicet scriptis ad nostrum animum erudiendum mandare. Non ex vilibus materialium rerum formis, verbi gratia, hominis, leonis, ceterorumque speciebus animalium, quae de terrena humilique hac [16*] fragili materia condita sunt, non ex his, inquam, theologi debuissent incorporalium similitudines facere. Ipsis [17] siquidem prophetis deputat visiones, quas angeli in spiritibus eorum describunt, sed ex his, quae nos existimamus pretiosissima ac veluti immaterialia, ex aetherea videlicet igneaque natura, atque caelesti, quae supercaelestibus substantiis proxima atque vicina est in tantum, ut non immerito spiritus vocitetur, quoniam incorporalibus non incongrue spiritibus similis est. Quomodo et supereminentibus [18] essentiis, velut expressius transfertur, quomodo et supereminentium essentiarum, eo scilicet modo, quo supereminentium essentiarum imagines fieri oportet. Propterea sequitur : *Et non caelestibus et deiformibus simplicitatibus terrenas novissimas circumpositas multiformitates.* Ac si diceret, non debere theologos caelestibus terrenas, et deiformibus vilissimas totiusque creaturae [19] extremas, et simplicibus compositas assimilare multiformitates. Debuerant [20] enim caelestes per caelestia, deiformes per summas hujus mundi naturas, simplicitates simplicium per simplicia elementa significare. *Hoc quidem et nostrum sublimius futurum [21] esset.* Veluti diceret : Si hoc theologi fecissent, id est, si ex sublimibus hujus mundi naturis sublimes imaginarent intellectus, futurum esset profecto, nostrum animum sublimius in cognitionem rerum intelligibilium exaltari. *Et supermundanas manifestationes non deduceret in inconvenientes [22] dissimilitudines,* velut expressius potest transferri : in obscuras dissimilitudines. Hoc est : non solum esset futurum,

VARIAE LECTIONES.

[1] AC *nec.* [2] B *Ipsas.* [3] B *longissime,* C *legitimeque.* [4] Sic AB, C *a sanctorum.* [5] Sic ABC, supple *aiunt.* [6] *arbitrentur* om. ABC, addidi ex conj. [7] Corr. B', ABC *moribus.* [8] Sic AB, C *multas in uno confirmans.* [9] B *corpoream figuram facturam.* [10] B supra scr. *est.* [11] Sic C et corr. B', AB *cognitis.* [12] B' *incorporibus.* [13] Sic C et corr. B', AB *cognitis.* [14] B' supra scr. *reformare.* [15] Sic C et corr. B' AB *vocat.* [16] Sic C, A *amministrationem,* B *aministrationem* (punct. B' adj. videtur.) [16*] B rad. corr. *ac.* [17] B' marg. adscr. *De prophetia.* [18] *Et super* B om., B' marg. adscr. [19] B *creaturas* (ae supra scr.). [20] Sic C et corr. B', AB *debuerat.* [21] *futurum* om. B. [22] Sic rad. corr. B', A B deduceret *inconvenientes* ; C *in convenientes.*

sublimius animum nostrum ascendere, insuper etiam supermundanas manifestationes, hoc est, supermundanarum virtutum imaginationes non deduceret in incongruas et tenebrosas dissimilitudines. Sequitur: *Hoc etiam in divinas illegitime non injuriam faceret virtutes.* Hoc ipsum, inquit, quod dixi debere theologos describere, non faceret [1] injuste divinarum virtutum injuriam. Quae enim major injuria est, quam ut quis caelestes terrenis, divinos mortalibus, simplices compositis imaginibus signet [2] intellectus. *Et neque nostrum non seduceret* [3] *animum in* [4] *immundas* [5] *sese inserentem compositiones.* Ac si diceret : et idipsum similiter non deciperet nostrum animum, qui promptus est se ipsum inserere in immundas compositiones. Immundas autem dicit compositiones, aut quia ex animalium terrenorum similitudine fiunt, aut quia mixtim ex diversis formis diversorum animalium componuntur, vel certe quia ex immundis in [6] lege et ad vescendum prohibitis bestiis, ut sunt leones et equi, imaginantur. *Et fortassis etiam existimabuntur supercaelestia leoninis quibusdam et equinis multitudinibus repleri* [7], *et mugitiva laudum oratione, et volatili angelorum principatu, et animalibus aliis, et materiis ignobilioribus, tanquam ad inconsequens et ignobile et passibile reclusa describendo per omnia deformes* [8] *clare manifestativorum eloquiorum similitudines.* Hoc est [9] : fortassis etiam, quod gravius est, ab his, qui terrena solummodo sapiunt, et caelestia penitus ignorant, existimabuntur theologi supercaelestia non imaginibus, sed veris leonibus, veraque equorum multitudine replere, et mugientium boum ὑμνολογίας [10], pro quo transtulimus laudem oratione; est enim hymnologia [11] ὕμνων λογία, hoc est, laudum oratio vel laudatoria oratio, quasi in supercaelestibus sint boves, qui naturali mugitu Deum laudare possint, ac veluti ibi sint principatus angelorum, volatilium naturaliter formis circumscriptorum, animaliaque [12] alia diversigena; ignobiles quoque materiae, quae de terra nascuntur, fortassis existimabuntur habitare supercaelestia, quod valde abominabile [13] est ab homine cogitari; tanquam ad id, quod incongruum est caelestibus habitatoribus, et ad id, quod ignobile [14] et passibile est, vile videlicet et mortale, reclusa, hoc est, patefacta [15] sint [16] supercaelestium virtutum habitacula; describendo, id est, dum theologi describunt, per omnia deformes [17], vel ut expressius transfertur per omnia dissimiles, similitudines in manifestativis [18] clare eloquiis, hoc est, in divinis eloquiis, in quibus clare et aperte non ipsi per se supercaelestes intellectus, sed eorum similitudines manifestantur. Ac per hoc, ne talia carnales animos deciperent, non debuere theologi per tam viles vilium rerum imagines in visionibus suis caelestes virtutes figurare.

Hactenus ex persona reprehendentis theologos in divinis descriptionibus. Nunc autem convincit eum magister dicens : *Sed veritatis, ut existimo, inquisitio ostendit, eloquiorum sacratissimam sapientiam in animorum caelestium formationibus* [19] *utrumque valde providisse, ita ut neque in divinas, sic forsitan diceret quis, injuriam faceret virtutes, neque* [20] *nos in viles passibiliter infigeret imaginum humilitates.* Ac si diceret : Non ita est, ut tu falso, quicunque es, prophetizas [21]. Reprehendis visiones, sed, sicut existimo, et non fallor, veritatis inquisitio et inventio apertissime ostendit, sacratissimam sapientiam [22] divinorum eloquiorum, dum caelestium virtutum formas describit, haec duo bene providisse, ita ut neque [23] in divinas, sic forsitan dixerit quis, sicut ego dico et omnis, quicunque recte intelligit, contumeliam faceret virtutes, neque animum nostrum passibiliter detineret in visibilibus humilibusque divinarum imaginum descriptionibus. Siquidem in quantum viles ex vilibus, humiles ex humilibus terrenisque animalibus imagines divinarum virtutum mystice finguntur, in tantum ipsae virtutes et laudantur et exaltantur. Nulla enim major laus est ea, quae [24] ex contrariorum comparatione assumitur, vel certe divina per angelos administratio in visionibus propheticis non in materiales terrenasque species, sed earum caelestes et spirituales rationes contemplata est [25]. Saepe enim videmus in [26] vilioribus animalium, fructuum, herbarum speciebus, quam in pulchrioribus majorem virtutem sapientes laudare. Quid enim vilius est grano sinapeos, aut quid pretiosius virtute illius, quandoquidem et catholicae fidei nec non et ipsi Christo [27] comparatur, ut evangelica [28] docet parabola! Quibus autem causis informes intellectus et carentes omni figura per formas atque figuras ad nos erudiendos imaginantur, consequenter subjungitur : *Quia* [29] *quidem* [30] *enim,* inquit, *pulchre procuratae sunt informium formae et figurae carentium figuris, non unam causam diceret* [31] *quis esse nostram analogiam, non valentem immediate* [32] *in invisibiles extendi contemplationes, et desiderantem proprias et connaturales reductiones, quae*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C et rad. corr. B', A *facere.* [2] Emend.; ABC *signat.* [3] B *subduceret.* [4] *In* om. A. [5] C *in mundas.* [6] Sic AC, B in/ex [7] B' corr. *replere.* [8] B' corr. *difformes*, C *deiformes.* [9] *est* om. ABC, addidi ex conj. [10] B' marg. adscr. *i. e., ymnologia.* [11] AB *ymnologia.* [12] B *animalia.* [13] AB *abhominabile*, sic ubique. [14] Sic C, A *ignorabile*, B *ignorabile* (punct. B' adj. videtur). [15] Sic C et corr. B', AB *patefactae.* [16] B *sunt.* [17] B' corr. *difformes.* [18] Rad. corr. B', AB *manifestatoris*, C *manifestatoriis.* [19] *In animorum caelestium formationibus* om., supplevi ex vers. [20] B *Nec.* [21] ABC *propheticas.* [22] *sapientiam* om. B, C habet *sapientiam virtutum* divinorum eloquiorum cet. [23] *ita ut neque* om. AB, marg. adscr. B', C *ut neque* (*ita* om.) [24] A *eaque.* [25] B *contemplatio-nest* pro *io* supra adscriptum erat *a*, quo postea eraso B' corr. *contemplatiqua-nest.* [26] *In* om. A. [27] *Christo* om. B. [28] B *evangelista.* [29] B' corr. *Quod.* [30] Emend., A *quidam*, B quidam (punct. B' adj.). [31] B' corr. *dixerit.* [32] A B *in medietate*, B' corr. *immedietate.*

possibiles nobis formationes praetendunt informium supernaturaliumque [1] *speculationum* [2]. Ac si diceret : Nemo recte intelligentium dixerit, unam singularemque procuratarum [3] formarum et figurarum [4] informium intellectuum, carentiumque figuris causam esse, nostram videlicet proportionem adhuc infirmam et mortalem, ac per hoc non valentem absque aliqua medietate interposita ad invisibiles divinorum animorum ascendere contemplationes. Semper desiderat [5] proprias et connaturales sibi sensibilium imaginum manuductiones, quae cum sint possibiles nobis ad cognitionem, praetendunt, hoc est, prius nobis ostendunt formationes, imagines profecto, informium, carentium videlicet forma, supernaturaliumque cogitationibusque [6] gravatarum [7] speculationum [8], divinorum scilicet animorum, quos non immerito speculationes appellat, quia non aliter nisi gnostica [9] summae contemplationis virtute intelligi possunt. Non igitur haec sola causa est propheticarum imaginationum; nam et altera non inferior, fortassis autem et superior causa adducitur, quam subsequenter connectit, dicens : *Sed quia et hoc mysticis eloquiis est decentissimum, per incomprehensibilia divina aenigmata occultare, et* [10] *inviam multis ponere sacram abditamque supermundanorum intellectuum veritatem.* Est, inquit, altera causa sanctarum in Scripturis divinis descriptionum [11] decentissima convenientissimaque [12] divinorum eloquiorum mysteriis. Et ea est, sacram secretamque veritatem supermundanorum spirituum occultare, inviamque multis ponere per incomprehensibilia et divina aenigmata, hoc est, per difficillimas et inaccessibiles divinas obscuritates his, qui indigni sunt pura caelestium virtutum cognitione.

Est igitur honestissima causa obscuritatis incomprehensibilium divinae Scripturae formationum, occultam facere inviamque multis pollutis animis arcanam [13] angelicorum animorum veritatem. Et cur hoc? Audi quod sequitur : *Est enim non omnis sacer, neque omnium, ut eloquia aiunt, scientia.* Veluti aperte diceret : Propterea decebat mystica eloquia veritatem supermundanorum [14] intellectuum per aenigmata occultare, inviamque abditamque ponere, quia non omnis humanus animus [15] purus et sanctificatus est, veritatisque contemplatione A dignus; corrumpitur quippe multis delictis fallacibusque cogitationibus. Neque omnibus, ut divinae perhibent Scripturae [16], conceditur summa scientia. Et non hoc divinae bonitatis imputatur largitati, sed pollutae mentis tarditati ac malevolentiae [17], sicut scriptum [18] est : « in malivolam animam non intrat sapientia ». Solis igitur puris sanctificatisque animis aperta et pervia est divinorum intellectuum veritas, etiam per mysticarum imaginum aenigmaticam descriptionem in visionibus prophetarum. Et fortassis hoc est, quod divinus ait Apostolus, « nunc videmus per speculum et aenigmate [19], tunc autem videbimus facie ad faciem ».

Postquam autem convictos repulsosque habet et [20] eos, qui immunda sua cogitatione decepti B caelestes virtutes sensibilibus terrenorum animalium formis circumscriptas [21] putant, et nil aliud significativum in spiritibus theologorum apparuisse, praeter ipsas per se ipsas, eosque [22], qui significativas [23] imagines rerum invisibilium nobisque incomprehensibilium, in spiritibus prophetarum descriptas [24], non solum non negant, verum etiam incunctanter recipiunt, eas tamen angelicis intellectibus inconvenientes esse approbant : convertit sermonem, et agit iterum contra eum, qui existimat deformes causas [25] divinarum imaginum descriptionis, et ait : *Si autem deformes imaginum descriptionis causas aestimaverit quis, dehonestari dicens referri sit turpes formationes deiformibus et sanctissimis dispositionibus* [26], *sufficit ad eum dicere.* Si quis, inquit [27], C aestimaverit causas deformes, qualescunque sint irrationabiles rationabilis animi motus, descriptionis imaginum in sancta Scriptura [28], et dehonestari dicit deiformes et sanctissimos angelorum ordines, si eis turpes tales formationes mysticarum visionum referantur, sat est adversus perniciosam ipsius opinionem respondere : *quomodo duplex est sanctae manifestationis modus, unus quidem* [29] *quasi* [30] *consequens, propter similes provenientium sacrarum figurarum imagines, alter vero propter dissimiles formarum facturas in omnino inconsequens et indecorum formatus.* Duo, inquit, modi sunt, quibus sanctae manifestationes sanctorum angelorum in divina Scriptura per imagines fiunt, quorum unus est, qui spiritualium substantiarum D intelligibiliumque virtutum, quibus rationalis ani-

VARIAE LECTIONES.

[1] B *supernaturaliterque*, B* corr. *supernaturaliumque.* [2] Emend., ABC *speculationem.* [3] Sic corr. videtur B*, ABC *procuraturam.* [4] *formarum et figurarum* om. B. [5] B* supra adscr. *quae* semper desiderat; C *semper considerantem.* [6] BC *cogitationibus*, B* corr. *cognitionibus.* [7] Conj., ABC *gravatam*, B* litteras *ra* punctis insignivit et supra *ua* posuit signum, quasi legisset *graueratam.* [8] B* corr. *speculationem.* [9] B *gnostica* (punct. B* adj. videtur). [10] B* marg. adscr. *Quare sacra Scriptura figurative et parabolice loquitur, et hoc idem dicit ista glossa J° Scoti et J° Sarraceni.* [11] Sic C, AB *descriptionem.* [12] B *convenientissima,* B* supra adscr. *et* convenientissima. C *et convenientissima.* [13] B *archanam*, sic B semper, A saepe. [14] A *mundanorum.* [15] *Animus* om. AB, habet C et ad marg. adscr. B*. [16] B *scripturae perhibent*, C *ut prohibent diuine scripture.* [17] B *mali volentiae*, C *malivolencie.* [18] B *dictum.* [19] C *in aenigmate*, B* supra adscr. *in* enigmate. [20] *et* om. C; pro *habet et* B* rad. corr. *habet.* [21] Sic C et corr. B*, A *circumscriptis*, B habuisse videtur *circumscripti.* [22] Corr. B*, AB *eumque.* [23] C *eos significativas* (*que qui* om.) [24] Sic C et corr. B*, AB *descriptis.* [25] A *deformes causas deformes*, B *deformes causas deiformes* (punct. et i supra adscript. B* adj. videtur). [26] Rad. corr. B*, AB *depositionibus.* [27] C *Ac si diceret : Si quis.* [28] B *in nostra causa scriptura.* [29] B* supra adscr. *est.* [30] Ex textu versionis; AB *qui sic*, B* supra adscr. *est.*

una decoretur, [1] absolutis quibusdam convenientibusque [2] imaginationibus [3] formatur, ut est in Propheta : « Vidi Dominum sedentem super solium », et in Apocalypsi : « Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus ». Haec quippe humanis rationibus spiritualiumque animae ornamentorum similitudinibus assumpta sunt. Alter vero, qui bestiarum ferocium superbarumque [4], ut leonis et equi, seu turpium, ut ursi et vermis, seu, quod longissime putatur distare, insanientium hominum, ut David in porta Geth, aut temulentorum, ut Noe et Loth, aut furibundorum, ut [5] saepissime legitur : « Iratus est Dominus », et « exarsit furor ejus », ceterorumque horum similium configurationibus fingitur. Huc etiam accedit formarum confusio, dum in una eademque imagine species [6] humana, vitulina, aquilina monstruose miscetur, quod omnino absolutis naturalibusque formis contrarium perspicitur. Et prioris quidem modi paradigmata subjungit dicens :

§ 3. *Itaque colendam superessentialis θεαρχίας [7] beatitudinem manifestativorum eloquiorum mysticae traditiones aliquando quidem ut rationem et intellectum et essentiam laudant, divinam rationalitatem et sapientiam ejus declarantes, et vere existentem subsistentiam, et eorum quae sunt subsistentiae causam veram [8], et quasi lumen eam reformant, et vitam vocant.* Colenda, inquit, et adoranda beatitudo θεαρχίας [9], hoc est, summae Deitatis, quae superat omnes essentias, in traditionibus mysticis divinorum eloquiorum, quae intelligibiles virtutes quibusdam figurationibus manifestant, saepe quidem laudatur in figura rationis [10] et intellectus et essentiae, dum superat omnem rationem et sapientiam, quam in hoc loco intellectum nominat. Omnis quidem intellectus, qui veritatem intelligit, sapientia est. Essentia dicitur, et quasi lumen formatur, subsistens, et plus quam existentia et substantia, quoniam eorum, quae sunt, subsistentiae vera et incommutabilis [11] causa est. Essentia dicitur, et quasi lumen formatur, et veluti vita vocatur, dum sit super omne lumen et super omnem vitam totius luminis et vitae fons inexhaustus. Et hae sunt mirabiles et supermateriales formae ipsius principalis Deitatis, et supercaelestium virtutum quae circa eam sunt. Quod consequenter adjungit dicens : *Tantis mirabilibus reformationibus gloriosioribus quidem existentibus, et materiales formationes excellere quoquo modo probatis, deficientibus et sic thearchica [12] ad veritatem similitudine.* Tales sunt, inquit, tantae, et tam magnae mirabiles formae, quae gloriosiores existunt, omnesque materiales formationes et imaginationes superare et

A excellere qualicunque modo probantur, hoc est, laudantur, deficiunt tamen, etiamsi [13] sic excellentes et supermateriales sint, divina [14] similitudine, hoc est, divinam similitudinem ipsius non attingunt, dum veritas consulitur. Et hoc est quod sequitur : *Est enim super omnem essentiam et vitam, nullo quidem ipsam [15] lumine caracterizante,* hoc est, figurante, seu formante, *omnique ratione et intellectu similitudine ipsius incomparabiliter derelictis ;* id est, dum omnis ratio et intellectus similitudine ipsius alienatur. Nulla siquidem ratio vel intellectus est, qui [16] similitudinem ipsius, quoniam incomparabilis est, possit attingere. Deseritur enim et vilescit omnis creatura visibilis et invisibilis, dum comparatur summae et supernaturali naturae, quae super omnia est.

B Sequitur secundus formationis modus, qui omnino inconsequens et indecorus, hoc est, inconveniens divinis virtutibus et deformis esse videtur. *Aliquando vero dissimilibus manifestationibus ab ipsis eloquiis supermundane laudatur, eam invisibilem, et infinitam, incomprehensibilemque vocantibus, et ea [17], ex quibus, non quid est, sed quid non est, significatur.* Secundus, inquit, modus divinarum manifestationum, quibus in divinis Scripturis superessentialis Divinitas supra omnem mundum [18] laudatur [19], duplex est. Aut enim per dissimiles formas et inconvenientes longissimeque ab ipsa, ut praediximus, distantes imaginatur [20], aut per ea, ex quibus non quid est, sed quid non est, significatur, innuitur, dum invisibilis et infinita et incomprehensibilis vocatur. Siquidem dum sum-

C mam Deitatem et bonitatem invisibilem et infinitam et incomprehensibilem divina vocat Scriptura, non quid ipsa est significat ; non enim invisibilitas et infinitas et incomprehensibilitas essentia ipsius est, sed, quid non est, ostendit. Non est enim visibilis, neque finita, neque comprehensibilis. Et quoniam duplex [21] divinae significationis ratio est : aut enim affirmative significatur [22], verbi gratia, dum de ipsa praedicatur : essentia est, seu bonitas, seu vita, seu sapientia, seu veritas, ceteraque similium virtutum [23] nomina, quae divinae altitudini atque subsistentiae convenientissima esse videntur ; aut negative, ut cum [24] dicitur invisibilis, infinita, incomprehensibilis, invia, et investigabilis, ceteraque, quae de ipsa per negationem pronuntiantur. Propterea subjecit [25] : *Hoc enim, ut*

D *aestimo, potentius est in ipsa.* Aestimo, inquit, hanc rationem, quae est negativa, potentiorem et convenientiorem in ipsa, hoc est, in ipsius summae deitatis significatione, dum a nobis colitur et adoratur. Validius quippe et propinquius veritas ineffabilis et divina existentia negative, quam affirmative insinuatur. Et

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic ABC. [2] B *convenientibus.* [3] B *imaginibus.* [4] Sic C et corr. B *, AB *superborumque.* [5] Sic C; *ut* om. AB, supra adscr. B*. [6] *species* om. B. [7] B θεαρχιae, B * marg. adscr. *i. e. thearchiae.* [8] B. *veram causam.* [9] B θεαρχιae (punct. adj. B * et ad marg. adscr. *i. e. ierarchiae*). [10] Corr. B *, AB *in figurationibus.* [11] Sic AB, C *et incommutabilis.* [12] Corr., AB *thearchia*, C *thearchie.* [13] Emend., A B *et jam si*, C *et.* [14] B * marg. adscr. *thearcica.* [15] Sic C, AB *ipso.* [16] A *quis.* [17] B * supra adscr. *per* ea. [18] *mundum* om. B [19] B * ad marg. adscr. *creaturam.* [20] A *imaginantur*, B, *imaginantur* (punct. adj. B *), C *imaginentur.* [21] A *dupplex.* [22] B *significatur affirmative.* [23] B *virtutum similium.* [24] B *dum.* [25] Sic ABC.

hoc est quod sequitur : *quoniam quidem, ut occulta et sacerdotalis traditio subintroduxit, non esse secundum quid eorum, quae sunt, eam vere dicimus, ignoramus autem superessentialem ipsius et invisibilem et ineffabilem infinalitatem* [1]. Ac si diceret : Propterea negativa ratio in divinis significationibus praeponitur affirmativae, quoniam vere dicimus ipsam Deitatem, quae supereminet omnia, non esse aliquid eorum quae sunt, et ignoramus, quid ipsa sit ipsius superessentialitas et invisibilitas et ineffabilitas et infinalitas ; non autem vere dicimus, dum aliquid eorum, quae sunt, esse [2] eam affirmamus. Nulla siquidem essentia est, nullaque bonitas, quia superessentialis est, et plus quam bonitas, et super omne, quod dicitur et intelligitur, exaltata est. Et propterea subjungit : *Si igitur* B *depulsiones* [3] *in divinis verae, intentiones* [4] *vero incompactae, obscuritati arcanorum* [5] *magis apta est per dissimiles reformationes manifestatio*. Si, inquit, depulsiones, hoc est negationes, quas Graeci ἀποφάσεις [6] vocant, in divinis significationibus verae sunt [7], non autem intentiones, affirmationes videlicet, quas καταφάσεις [8] dicunt, eisdem divinis significationibus compactae et convenientes sunt. Vere enim negatur Deus aliquid eorum, quae sunt, non autem vere aliquid eorum praedicatur esse, quoniam super omnia superessentialiter ab omnibus removetur. Profecto obscuritati arcanorum, hoc est, ineffabilium multo aptior [9] est per dissimiles formationes, quam [10] per similes [11] manifestatio [12]. Ac si diceret : Si vera est negatio in divinis rebus, non C autem vera sed metaphorica affirmatio [13] ; vere enim dicitur Deus invisibilis, non autem visibilis vere ac proprie dicitur, similiter infinitus, incomprehensibilis vere de eo praedicatur, finitus vero et comprehensibilis non proprie, sed modo quodam loquendi : quid mirum, si naturalibus simplicibusque formis longe dissimiles, mixtae, confusae, deformesque plus ad divina et ineffabilia valeant significanda, quam absolutae, et [14] simplices, omnique confusione carentes naturalium formarum imaginationes. Et ut planius dicam, plus intelligo Deum, dum audio de ipso praedicantem : essentia non est, bonitas non est, quoniam superessentialis est, et plus quam bonus, quam dum audio : essentia est, bonitas est. D Hoc enim Deum inter omnia connumerat, illud autem super omnia ipsum exaltat. Eadem ratione dum in sanctis visionibus sanctorum prophetarum lego humanam effigiem pulchram, absolutam, omnimo-

A disque naturalem in significatione ipsius, qui super omnem formam et figuram in seipso absque forma subsistit et figura, plus possum decipi, ut existimem, Deum, ipsum incircumscriptum, humana [15] effigie circumscribi, et invisibilem et ineffabilem [videri], [16] ac de eo aliquid [17] fari. Dum vero in eisdem visionibus pennati hominis ac volitantis imaginem invenio in significatione caelestium virtutum seu ipsius Divinitatis, veluti celeri volatu omnia penetrantis, non facile fallor, quoniam in natura rerum visibilium pennatum hominem et volitantem nec vidi, nec legi, nec audivi. Est enim monstruosum et omnino ab humana natura [18] alienum. Nam et poetica figmenta in falsissima fabula de volatu Daedali non ausa sunt [19] fingere plumas et alas de corpore ipsius B hominis naturaliter crevisse ; incredibile enim esset et deforme. Ac per hoc citius adducor ad negandum, tali imagine omnino divinas virtutes ipsumque Deum circumscribi et deformiter formari ; omne siquidem, quod contra naturam est, turpe atque [20] deforme est ; quam ad consequendum, tales figuras naturaliter in caelestibus esse. Et continuo nulla mora interstante [21] perspicio, illas imaginationes divinae Scripturae significativas esse naturalium rerum, simplicium quidem, omnique forma atque figura sensibili circumscriptaque carentium, non autem ipsas naturas, quae istis significationibus ad purgandas nostras terrenas cogitationes intimantur. Sicut itaque negatio affirmationi praeponitur in significationibus [22], ita inconvenientes atque deformes spe- C cies formosis convenientibusque praeponuntur imaginationibus manifestationibusque divinarum rerum, seu sensus corporeos, ut sunt angelicae virtutes, seu omnem intellectum, ut est ipsa Divinitas, ineffabiliter superantium. Et quod de effigie volatilis [23] hominis diximus, ipsum de leone vituloque pennoso, item de aquila humana vultu configurata, ceterisque confusis figuris, seu in eodem genere superfluis, ut animalia illa senas alas habentia, est intelligendum. Ut enim haec omnia naturales abnegant formas, ita caelestes virtutes his omnibus [24] speciebus carere manifestissime insinuant. Sequitur : *Et nunc itaque non turpes*, velut expresse transfertur postremae [25], *replent caelestes ornatus eloquiorum sacrae descriptiones, dissimilibus eos formarum facturis manifestan-* D *tes, et per has ostendentes materialibus* [26] *simul omnibus supermundalium excedentias*. Breviter concludit, quae hactenus [27] praedixit, convincens eos, qui carnaliter divina cogitant, existimantes

VARIAE LECTIONES.

[1] ABC et ineffabilem *et* infinalitatem. [2] B *aliquid esse eorum quae sunt esse.* [3] B' supra scr. *negationes.* [4] B' supra scr. *affirmationes.* [5] B *archan*orum/itati *obscuritati.* [6] B' marg. adscr. i. e. *apofales.* [7] Sic C et rad. corr. B', AB *vere fiunt.* [8] B' marg. adscr. *cataphases.* [9] Corr. B' ABC *aliter.* [10] B *plusquam.* [11] Sic C, A *dissimiles*, B *dissimiles* (punct. B' adj. videtur). [12] Sic C, A *manifestationes*, B *manifestationes* (punct. B' adj. videtur). [13] Sic C, AB *firmatio*, B' supra adscr. *affirmatio.* [14] B *ac.* [15] B *et* humana (*et* fortasse B' addidit). [16] *Videri* om. ABC, addidi ex conj. [17] Sic C et corr. B', A *inquit*, B *inquid.* [18] *Natura* om. B, B' ad marg. adscr. [19] Sic C, B *ausa sum*, B' corr. *ausus sum.* [20] B *ac.* [21] A *instante*, C *interstante.* [22] *Ad purgandas—significationibus* om. B. [23] B *volatis*, B' corr. *volatilis.* [24] Sic C, A *hominibus*, B *hominibus* (num puncta B' adjecerit, dubium est). [25] B' marg. adscr. *materialibus.* [26] B' supra adscr. *a materialibus.* [27] A *actenus.*

ea sensibilibus formis, sive absolutis, modumque naturae non excedentibus, sive confusis, sive superfluis, ut superius dictum est, circumscribi, similiter et eos, qui imagines quidem significativas esse recipiunt, angelicae tamen et supereminentis naturae dignitate indignas arbitrantur, deridens, nec non et eos, qui spiritualium imaginationum causas turpes et irrationabiles autumant, refutans. Et hoc est quod ait : Et nunc itaque, jam videlicet, considerata veritate divinaque sapientia consulta, non replent, ut insipientes existimant [1], materialibus sacrae descriptiones, sanctae scilicet imaginationes, sanctorum eloquiorum caelestes ornatus, dum eos dissimilibus sibi formis manifestant, et per eas, dissimiles videlicet [2] formas, super omnes simul materiales species supermundalium virtutum altitudines ostendunt. Hac autem controversia finita, ad laudem dissimilium similitudinum convertit sermonem et ait : *Quia vero et nostrum animum reducunt magis dissimiles*, velut significantius transfertur obscurae, *similitudines* [3], *non aestimo quemquam bene sapientum contradicere*. Non arbitror, inquit, ullum eorum [4], qui sapiunt, contradicere [5] mihi dicenti, dissimiles vel obscuras [6] similitudines magis quam similes et apertas animum nostrum reducere in veram caelestium virtutum contemplationem. Quod etiam ratione subnexa suadet dicens : *In quidem enim pretiosioribus sacris formationibus consequens est seduci auriformes quasdam aestimantes* [7] *esse caelestes essentias, et quosdam viros fulgureos, decora indutos vestimenta, candide et ignee innocueque resplendentes, et* [8] *quibuscumque aliis similibus imaginatis formis theologia caelestes figuravit intellectus*. In pretiosis, inquit, hoc est, pulchris naturaeque similibus sanctis imaginationibus facillime possunt seduci, qui existimant, caelestes substantias aureas habere formas, et quosdam viros lucalentos ibi esse, qui pulchra induti sunt vestimenta, quique [9] candido colore et igneo, innocue tamen resplendent [10], aliusque similes imaginatas formas humanorum corporum configurationibus similes habitare caelestia fingunt, spiritualium et invisibilium virtutum intelligibiles naturaliter substitutiones nec recte cogitare, nec pure cognoscere valentes, et, quod est mirabilius [11], vix in humana multitudine paucissimus sapientium numerus invenitur, qui tali errore seduci non possit, falsa pro veris approbare respuens. Sequitur : *Quod quidem ne paterentur, qui nihil visibilibus bonis* [12] *altius intelligunt, sancta theologorum restitutiva* [13] *sapientia, et* [14] *ad indecoras similitudines mirabiliter descendit*. Ne illud, inquit, simplices imprudentesque fidelium animae paterentur, hoc est, incircumscriptos [15] spiritus caelestium virtutum aureis quibusdam formis pulchrisque humani corporis, membrorum, armorum circumscriptos, pretiosissimaque vestimenta indutos, falsis suis phantasiis deceptae, occasiones etiam ex [16] propheticis visionibus accipientes, existimarent, seque ipsas seducerent, abominabiliaque idola, longe divinis intellectibus remota, in suis cogitationibus [17] fingerent, sapientissima theologia, humanae insipientiae consulens, etiam ad deformium formarum dissimiles imaginationes descendit, quas nec natura visibilium rerum [18] recipit, nec invisibilium sublimitas omnino sibi convenire permittit. Ac si aperte ipsa sancta theologia clamaret : quemadmodum tales deformes inhonestaeque imaginationes [19], quas naturalis simplicitas respuit, et pulchritudo deridet caelestium intellectuum [20], ineffabili sinceritate et incomprehensibili uniformitate [21] refelluntur, quamvis in figuris eorum tenebrosissimis apparuerunt : ita, et non aliter, formosissimae imagines illae [22], quae humanae dignitati putantur congruere, ab eorundem intellectuum [23] purissima incircumscriptaque subsistentia universaliter removentur. Has siquidem omnes sacras figurationes divinae Scripturae [24] significativas esse, non autem substantivas [25], verissima veritatis speculatio acclamat. *Non concedens* [26] *materiale nostrum in turpibus imaginibus manens requiescere*. Non concedens, inquit, theologia, materiale nostrum, hoc est, nostrum [27] animum rebus materialibus promptissimum se inserere, in turpibus imaginibus manendo [28] requiescere, inque eis finem cogitationis ponere, ad obscuras indecorasque similitudines pervenit. In Graeco [29] scriptum est : προσύλον ἡμῶν, id est, materiale nostrum, omne videlicet, quod in nostra anima ad similitudinem materialis nostri [30] corporis facillime inclinatur, inque amorem rerum visibilium irrationabiliter flectitur. *Purgans vero sursum versus animam, et suggerens deformitate compositionum, tanquam neque justo neque* [31] *vero probante esse, neque* [32] *valde materialibus, quia sic turpibus similia secundum veritatem sunt supercaelestia et divina spectacula* [33]. Hoc facit, inquit, provida theologia, purgans sursum versus animam, hoc est, superiorem partem animae rationalis, quae pars animus seu intellectus a sapientibus nominatur, ab omni falsorum phantasmatum contagione [34] mundans. Pro eo quod transtulimus « sursum versus animam », in Graeco scribitur « ἀναφερής

VARIAE LECTIONES.

[1] A *existiment*, C *estimant*. [2] B *videlicet dissimiles*. [3] Sic vers. et text. graec., AB *similes*. [4] *ullum eorum* om. B. [5] *contradicere* om. B, ad marg. adscr. B*. [6] A *oscuras*. [7] A *aestimantis*. [8] Sic versio et text. graec.; pro *et* A *e*; *et* om. B. [9] B *quibus*. [10] B *resplent*, B* corr. *resplendent*. [11] Sic C, B *mirabilius*. [12] B *donis*. [13] A *institutiva*. [14] B* supra. adscr. *et iam*. [15] A *circumscriptos*. [16] A *in*. [17] Sic C et corr. B*, AB *cogitationes*. [18] *rerum* om. B. [19] A *cogitationes*. [20] B *virtutum*, corr. forte eadem m. *intellectuum*. [21] Corr. B*, AB *incomprehensibilium formitate*. [22] B *illae imagines*. [23] B *intellectum*. [24] B *sacras scripturae divinae figurationes*. [25] B *substantias*. [26] Sic C, AB *cedens*, B* ad marg. adscr. *con*-cedens. [27] *nostrum* om. B. [28] B *manens*. [29] B in *iericho*, B* pro *iericho* ad marg. adscr. *graeco*. [30] Sic C et rad. corr. B*, AB *nostrae*. [31] B *nec*. [32] B *nec*. [33] Ex vers., ABC *expectacula*. [34] B *cogitatione*.

τῆς ψυχῆς », hoc est: quod sursum fertur in anima. Mens quippe, quae nostrae naturae sublimissima pars est, sursum semper ad spiritualia naturali [1] appetitu fertur. Hinc [2] ait Apostolus: « mente servio legi Dei, carne autem legi peccati »; ideoque ipsa pars nostra [3] divinae theologiae administratione purgatur, ut purgata in caelestium virtutum, ipsiusque causae omnium contemplationem apta fiat atque instructa. Et suggerens, velut proprie transfertur subpungens [4] seu substimulans mentem, ipsa theologia per deformitatem compositionum, hoc est, per deformes imaginationum mixturas. Et hoc suggerit menti, quia, sicut insipientibus [5] videtur, divina [6] spectacula et supercaelestia similia sunt [7] secundum veritatem turpibus imaginationibus. Neque justum neque verum hoc est, neque ulla justitia neque ulla veritas approbat, neque valde res ipsae materiales fiunt incircumscriptibilium [8] spirituum [9], similes [10] sibi esse supercaelestes essentias approbant, magis autem suis speciebus respuunt. Naturaliter quippe materialia omnia in spiritualia transferri appetunt, spiritualia vero ad materialium humilem vilissimamque extremitatem inclinari nolunt, quoniam impossibile est. Possibile est namque inferiora ad superiora ascendere, descendere vero superiora ad inferiora naturali transmutatione, impossibile est. Et si quis dixerit: videtur [11] itaque beatus Dionysius angelicas virtutes omnino carere [12] corporibus praedictis rationibus [dicere] [13]. Cui breviter est [14] respondendum. Terrena materialiaque [15] corpora mortalia, corruptibilia, membrorum [16] compositionibus distincta, sensibilibus [17] formis localibusque spatiis circumscripta, temporibus mutabilia, seu horum omnium imagines, sive [18] interius in phantasiis [19] memoriae, sive exterius in sensuum impressione [20], divinos animos habere penitus denegat. Spiritualia autem corpora simplicia, nullis formarum sensibilium [21] lineamentis [22] coartata [23], ipsis divinis animis simillima et convenientissima possidere eos non solum non denegat, verum etiam affirmat. In quibus, caelestibus videlicet subtilissimisque suis corporibus, humanis obtutibus saepe visibiliter apparuere, ut Abraham et Tobiae, transmutantes invisibiles et incircumscriptas suorum spiritualium corporum qualitates in quascunque formas visibiles, in quibus hominibus se manifestare velint.

Hactenus de provida erga purgationem nostri animi

A theologia per descensionem ad humillimas et confusas inhonestasque materialium rerum conformationes [24], quibus divini animi significantur. Nunc vero tractare incipit, quod non sine ratione divina theologia similitudines rerum invisibilium ex omni visibili creatura sumpserit. Propterea sequitur: *Sed itaque et hoc intelligere oportet, nihil eorum, quae sunt, esse universaliter boni participatione privatum, siquidem, ut eloquiorum veritas* [25] *ait, omnia bona valde.* Oportet nos, inquit, [26] intelligere, quod nulla creatura est, quae omnino juxta suam analogiam participatione summi boni privetur. Ait enim Scriptura: « et vidit Deus, et ecce omnia bona valde ». Et [27] si ita est, quid mirum, si in rebus materialibus speculationis intelligibilium occasio sumatur, ut, quo-
B niam omnia summum bonum participant, ex similitudine inferiorum bonorum ad cognitionem sublimium humanus animus possit ascendere? Et hoc est quod sequitur:

§ 4. *Est ergo ex omnibus intelligere bonas speculationes, et invisibilibus et intellectualibus ex materiis* [28] *reformare dictas dissimiles* [29] *similitudines, altero modo intellectualibus habentibus, quae sensibilibus aliter distributa sunt.* Si, inquit, omnia summi boni participantia sunt, oportet profecto ex omnibus intelligere, hoc est, in omnibus materialibus conspicari bonas immaterialium [30] contemplationes, et ex materiis sensibilibus formare praedictas dissimiles similitudines, ut per eas invisibiles et intellectuales intelligantur virtutes, dum non eodem, sed altero
C modo intelligibilium virtus et sensibilium natura perspicitur. Quod consequenter subnectit dicens: *Et enim furor irrationabilibus quidem ex passibili motu inest, et omni irrationabilitate est repletus furibundus eorum motus; sed in intellectualibus altero modo oportet irascibile intelligere.* Furor, inquit, et ira bestiis ratione carentibus ex passibili, naturali tamen motu, vel, sicut in Graeco scribitur, ἐξ ἐμπαθοῦς ὁρμῆς, ex passibili impetu vel cupiditate, insita sunt, irrationabilisque eorum motus plenus est irae atque furoris, ut in leonibus ceterisque feris ferocibus, quarum furibunda rabies vix domari potest. Non tamen in eis tales motus reprehenduntur, quoniam naturales sunt, et sine quibus naturae pro-
D prietas ipsarum bestiarum perfecta esse non potest; mitis enim leo leo non est; sed dum talis impetus furoris et irae sive de Deo, sive de intellectuali, sive rationali [31] sapientia, tamen creatura, praedi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C, A *naturalia*, B *naturalia* (punct. adj. B*). [2] B *Nunc*. [3] B *nostra est*. [4] Corr. B* (B scripsisse videtur *subpongens*), A *subjungens*, C *subpongens*. [5] Sic C, B *inspicientibus*; B* ad marg. corr. *insipientibus*. [6] B* supra adscr. *quod* divina. [7] B rad. corr. *sint*. [8] A *incircumscriptum*, B videtur habuisse *incircumscriptuum*, sed. rad. corr. *incircumscriptum*, B* supra adscr. corr. *incircumscriptibilium*, C *incircumscriptorum*. [9] *spirituum* om. B. [10] Coni., ABC *similia*. [11] B* marg. adscr. *utrum angeli habeant corpora*. [12] Sic ABC. [13] *dicere* om., addidi ex conj. [14] *Est* om. A. [15] B *materialia*. [16] B *membrorumque*. [17] B *sensibibus*, B* supra adscr.-li-. [18] B *seu*. [19] B *exterius phantasias*. [20] B *in sensuum impressionem*. [21] B *sensilium*, B* corr. *sensibilium*. [22] ABC *liniamentis*. [23] ABC *coartata*. [24] B *reformationes*. [25] Sic ad marg. corr. B*; A *veteris*, B *veteris* (punct. subj. B*). [26] B *inquit nos*. [27] B *sed*. [28] Sic AB. [29] B *similes*, B* supra adscr. *dis*-. [30] Sic C, AB *bona si in materialibus*, B* corr. *bonas si in materialium*. [31] A *rationalis*.

catur, altera ratione, quam in bestiis perspicitur, oportet intelligi. Propterea sequitur : *Declarans, ut aestimo, eorum virilem rationabilitatem* [1] *et immitem quietem in divinis et immutabilibus fundamentis.* Furor itaque et ira, dum de intellectualibus leguntur naturis, non ferocem impetum, sed quadam similitudine virilem fortemque rationabilitatem, et immitem [2], hoc est irreprehensibilem [3], quietem [4] in divinis ac semper manentibus essentiis, declarat [5], ut [6] quadam pulcherrima metaphora furor in bestia, irrationabilis videlicet motus, rationabilis vigor et [7] fortitudo in natura intelligibili accipitur, et bestialis [8] ira irreprehensibilem [9] quietem divini animi in divinis collocationibus, quae semper et incommutabiliter manent. Est igitur furor irrationabilis rationabilis fortitudinis imago [10]; est ira [11] feralisque impetus [12] intelligibilium animorum in divina [13] severitate inque immutabili amore justitiae immitis irreprehensibilisque [14] absque ulla adulatione perpetuae quietudinis symbolum. Videsne quomodo inferiora bona, quae ex participatione summi boni [15] proveniunt, primaque [16] bona, summoque bono proxima imaginantur [17]? Et ne mireris [18], quod beatus magister ἀμείλικτον ἕξιν, hoc est, immitem quietem in divinis et immutabilibus fundamentis dixerit. Immitis [19] enim quies est severa et inflexibilis in amore caelestium virtutum incommutabilisque possessio. Nec resistit, quod ait Dominus : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram ». Necesse est enim, eos, qui mites sunt in malo, hoc est, totius malitiae expertes, immites fieri in bono, in bonarum videlicet virtutum [20] severa diligentique custodia, earumque zelo laudabili ira commotos, adversus [21] omnia vitia [22] pugnare non desinentes, [23] vigilique semper animo, ne aliquo praevaleant, in pace virtutum, quas custodiunt, quiescentes. Hinc apostolus dicit [24] : « Irascimini et nolite peccare ». Et alibi de furore spirituali atque superbia [25] laudabili praecipit : « Quae sursum sunt sapite, non quae super terram ». Sequitur : *Eodem modo concupiscentiam quidem esse dicimus in irrationabilibus inconsultam quandam et materialem ex naturali motu aut consuetudine in mutabilibus* [26] *incontinenter ingenitam* [27] *passibilitatem, et irrationabilem corporalis voluptatis* [28] *continuitatem, simul omne animal compellentis in secundum sensum concupiscibile.* Brevem quaerit

A explanationem. Ait enim : Simili modo, hoc est, quemadmodum de furore, ista, quae [29] diximus, de concupiscentia quoque irrationabilium animalium dicere debemus. Nihil aliud quippe est concupiscentia irrationabilium, nisi inconsulta, absque rationabili videlicet consilio, et materialis ingenita passibilitas, quae ex naturali motu seu frequenti [30] consuetudine, sine ulla continentia, in rerum mutabilium impatienti amore [31] nascitur, et irrationabilis corporeae libidinis assiduitas, quae omne animal cogit in illud concupiscibile, quod est secundum sensum, prono impetu ruere. *Cum vero dissimiles similitudines intellectualibus circumponentes, concupiscentiam eis conformemus* [32], *amorem divinum ipsam intelligere oportet super rationem et intellectum immaterialitatis,*
B *et inflexibile, et non indigens desiderium superessentialiter castae et impassibilis contemplationis, et ad illam puram et sublimissimam claritatem, et invisibilem et formicam pulchritudinem aeternae vere et invisibilis societatis. Et potentiam excipit quidem* [33] *in sufficienti* [34], *et inconversibili, et a nullo affligi valente per inconfusam et immutabilem divinae pulchritudinis amorem et universalem revocationem in id, quod vere est appetendum.* Dum vero, inquit, [35] dissimiles similitudines ex materialium rerum rationeque carentium [36] naturalibus [37] circa intellectuales, veluti quaedam vestimenta, ponimus virtutes, et concupiscentiam eis circumformamus, non irrationabilem motum, sed amorem divinum per ipsam concupiscentiam intelligere debemus. Quid divinus amor?
C Est laudabilis concupiscentia ipsius immaterialitatis, quae superat omnem rationem et intellectum. Eandem quoque concupiscentiam in figura inflexibilis et non indigentis, hoc est, non ex inopia rerum temporalium nascentis desiderii superessentialis et castae et impassibilis contemplationis, et aeternae veraciter et invisibilis adunationis ad illam puram et excelsissimam luculentiam et invisibilem pulchritudinem, ex qua omnis forma et pulchritudo [38] facta est, accipere nos oportet. Et ipsa spiritualis concupiscentia potentiam, vel ut [39] significantius ex ambiguo Graeco, quod est τὸ ἀκρατές [40], potest transferri, puritatem suscipit in sufficienti, hoc est forti, strenuo, robusto, et inconversibili [41], in eo videlicet, quod sufficiens est strenuumque atque robu-
D stum, inconversibili [42] quoque, et in eo, quod a

VARIAE LECTIONES.

[1] B* marg. adscr. *Not. quod in angelis rationabilitas dic.* [2] B mitem; B* supra adscr. *inmitem.* [3] B *irreprehensibilem.* [4] Corr. B*, ABC *rem.* [5] *declarat* om., ad marg. adscr. B*. [6] B *aut.* [7] *et* om. B. [8] B* marg. adscr. *i. e. quid dicatur ira in bestiis, ostendit.* [9] B *irreprehensibilem.* [10] B* supra adscr. *i. e. ad.* [11] B* marg. adscr. *quid est ira in feris? Est* cet. [12] B* supra adscr. *in bestiis.* [13] *in divina* om. B. [14] B *irreprehensibilisque.* [15] *boni* om. B. [16] A *prima.* [17] B* supra adscr. i. e. *imitantur.* [18] B *memineris*, B* punct. subi., et ad marg. adscr. *mireris.* [19] B* marg. adscr. *quid est quies immitis.* [20] B *virtutum videlicet.* [21] B* infra adscr. *vitia.* [22] *vitia* om. B. [23] B *desinente.* [24] A *docet.* [25] B* marg. adscr. *De superbia laudabili.* [26] Corr. B*, AB *inmutabilibus.* [27] *ingenitam* om. AB, ad marg. adscr. B*. [28] *voluptatis* om. B, ad marg. adscr. B*. [29] Sic C et rad. corr. B*, AB *istaque.* [30] B *frequenter.* [31] B *in patientia more.* [32] B* corr. *circumformamus.* [33] J. Scotus igitur pro ἐκλάβοιμεν, quod est apud Corderium, legit ἐκλάβοι μέν. [34] Sic rad. corr. B*, A *insufficientre.* [35] *inquit* om. B. [36] B *ratione carentiumque.* [37] B* ad marg. adscr. *sensibus* naturalibus. [38] Sic C, et corr. B*, AB *pulchritudine.* [39] Sic C, AB *velut.* [40] B* marg. adscr. *i e. toachrates.* [41] Sic C et rad. corr. B*, AB *inconversabili.* [42] *in eo videlicet — inconversibili* om. B.

nullo [1] affligi potest. [2] His enim omnibus nominibus divinam virtutem significat, ut arbitror, quae sufficientem [3], strenuam, robustamque et inconversibilem potentiam desiderantibus se largitur, quae videlicet potentia vel puritas a nulla alia virtute sibi opposita vel affligi vel vinci valet. Et hoc totum datur propter inconfusum et liquidum et immutabilem divinae pulchritudinis amorem, et propter catholicam reductionem in id, quod vere est appetendum, summum videlicet bonum, quod appetit omne quod amare potest.

Postquam vero de similitudinibus [4] longe dissimillimis, quae ex naturalibus motibus irrationabilium bestiarum ad rationabiles [5] intelligibilium animorum virtutes significandas sancta introducit theologia, tractatum est, quid ipsa irrationabilitas rationabilium et insensualitas sensu carentium in ipsis rebus, quibus naturaliter insunt, potest definiri, quid in divinis conformat intellectibus, aptissime subjungit et ait : *Sed et ipsam irrationabilitatem et insensualitatem in quidem irrationabilibus animalibus, aut inanimatis* [6] *materiis, defectum rationis et sensus proprie vocamus ; in animatis* [7] *autem immaterialibus et intellectualibus essentiis, sancte et decenter supereminens earum, ut supermundalium, confitemur* [8] *nostra transitoria et corporali ratione, et materiali alienato incorporalibus* [9] *animis sensu.* Ipsa, inquit, irrationabilitas irrationabilium animalium defectus rationis est ; insensualitas vero carentium anima sensuali [10] materiarum, defectus sensus est [11] et proprie dicitur. Dum [12] autem irrationabilitas et insensualitas de immaterialibus [13] et intellectualibus praedicatur essentiis, insensualitas quidem de immaterialibus, de intellectualibus vero [14] irrationabilitas [15], pulchre et religiose confitemur significari, quod in ipsis supermundalibus supereminet, hoc est, contemplationis earum virtus, quae omnem sensum nostrum nostramque rationem supergreditur, dum nostra transitoria et corporalis ratio, hoc est, adhuc mortali corpore gravata, et materialis sensus longissime ab incorporalibus [16] animis alienantur. Hac [17] forma locutionis Apostolus [18] utitur, dicens : « Stultum Dei sapientius est hominibus », supereminentiam divinae sapientiae in figura stultitiae laudans. Dum ergo lego vel [19] audio, intellectuales essentias in formis irrationabilium animalium, vel in similitudine rerum materialium, anima et sensu carentium, apparuisse vel significatas fuisse, non de- A fectum rationis et sensus, sed supereminentiam earum, qua nostram rationem nostrumque sensum exsuperant, oportet me accipere. Non enim adhuc ratione et sensu comprehendimus altitudinem naturae supercaelestium, donec perveniamus in eorum aequalitatem. *Est itaque non dissonas reformare caelestibus formas* [20], *et ex vilibus materiae partibus, quoniam et ipsa ex vere bono subsistentiam possidens, per omnem sui materialem dispositionem resonantias quasdam intellectualis pulchritudinis habet. Et possibile est per* [21] *eas reduci ad* [22] *immateriales primas formas, dissimiliter, ut dictum est, similitudinibus acceptis, et eisdem non similiter, compacte autem et* [23] *pulchre intellectualibusque* [24] *et sensibilibus proprietatibus definitis.* Notandum, quod ex [25] abun- B dantia graecae locutionis saepe praepositiones ponuntur, et nullum augent intellectum. Et maxime hae tres : *re, et, ad ;* ἀνά, καί, πρός ; κατά similiter, quae in diversas vertitur translationes. Quas praepositiones videlicet propter diligentiam interpretationis noluimus [26] praeterire, praesertim cum curiosus lector perspiciet, ubi necessariae sunt, et ubi superabundant [27]. Est itaque, inquit, hoc est oportet, formare formas non dissonas, sed convenientes caelestibus significandis essentiis, etiam [28] ex vilibus partibus terrenae mortalisque materiae; nec sine ratione, quoniam et ipsa materia ex summo bono, quod solum vere est, substantiam possidet in omnibus suis materialibus ordinibus, et habet resonantias quasdam, hoc est, resultationes intellectualis pul- C chritudinis. Resonantias autem dico vel resultationes, quas graece [29] ἀπηχήματα [30] vocant, rerum intelligibilium imaginationes. Sicut enim imago vocis in rupe quadam seu aliqua concavitate, vel sicut imago corporis ex speculo [31] resultat, ita intellectualis pulchritudinis caelestium virtutum imaginationes ex omni terrena vilissimaque materia respondent. Ideoque possibile est, nostrum animum reduci per resonantias ad immateriales primas formas, quas Graeci ἀρχετυπίας [32] appellant, quarum resultantes imagines sunt, ita tamen, ut dissimiliter ipsae similitudines accipiantur in materialibus, unde resultant, et in immaterialibus, [33] quibus resultant. Aliter enim furor in leone diffinitur, aliter in angelo. Et eisdem similitudinibus non eodem modo D consideratis [34], sed juxta differentias materialium rerum et altitudines immaterialium. Compacte autem et pulchre proprietas definitur [35] uniuscujusque in

VARIAE LECTIONES.

[1] Pro *quoque et in eo quod a nullo* B *in eo quoque quod.* [2] B' supra adscr. *non potest.* [3] B *sufficienter.* [4] Sic rad. corr. B ; AC *dissimilitudinibus.* [5] B *irrationabiles.* [6] Corr. B", AB *in amatis.* [7] Corr. B", AB *in amatis* (*animatis* om. textus graecus et versio). [8] B *earum ut super confitemur*, B' corr. *earum confitemur ut super.* [9] AB *in corporalibus*, B' corr. *ab incorporalibus.* [10] Sic C, A *a sensuali*, B *asensuali* (punct. adj. B'). [11] *est* supra adscr. B', om. ABC. [12] B' corr. *Dicitur.* [13] B *materialibus*, B' corr. *inmaterialibus.* [14] *praedicatur — vero* om. B. [15] B *immortalitas* (*tem* supra scr. B'). [16] B *a corporalibus*, B' supra adscr. corr. *ab incorporalibus.* [17] Sic C, A *Haec*, B *Haec est.* [18] B' ad marg. adscr. *qua* apostolus. [19] *vel* om. B. [20] Corr. B', AB *formis.* [21] *per* om. B. [22] *ad* om. B, ad marg. adscr. B'. [23] Rad. corr. B', AB *ut.* [24] B *intellectualibus.* [25] *ex* om. B, ad marg. adscr. B'. [26] A *volumus.* [27] B *superhabundant*, sic ubique. [28] Sic C, AB *et jam.* [29] Sic A, B *gr.* [30] B' marg. adscr. *i. e. apechemata.* [31] Conj., A *specilla*, B *specillo*, C *specula.* [32] ABC ἀρχιτυπίας, B' supra adscr. *i. e. architipias.* [33] Sic C et rad. corr. B', AB et *in materialibus.* [34] Sic C et corr. B', AB *consideratas.* [35] AC *diffinitur.*

intellectualibus virtutibus et sensibilibus materiis. Verbi gratia, irrationabilitas defectus rationis est in animalibus ratione carentibus, in caelestibus vero essentiis supereminentia rationis et superrationabilitas, qua superant omnem rationem nostram et sensum. Sequitur :

§ 5. *Haec mysticos theologos inveniemus*[1] *non solum caelestium dispositionum*[2] *declarationibus mirabiliter circumformantes, sed et ipsis aliquando thearchicis manifestationibus.* Haec, inquit, quae diximus de caelestium formationibus ex materiae partibus assumptis, non solum invenimus divinos theologos caelestibus declarandis mirabili modo circumformare, verum etiam aliquando in ipsis divinis, id est, in ipsius summae ac sanctae deitatis manifestationibus accipere, ut eisdem dissimilibus, hoc est, longe distantibus similitudinibus et ipsae caelestes essentiae, et ipsarum summa et universalis omnium, quae sunt, causa significetur. Propterea triplicem modum divinae imaginationis subjungit dicens : *et aliquando quidem ipsam*, videlicet Deitatem, *ex luminibus pretiosis laudant, ut*[3] *solem justitiae, ut*[4] *stellam matutinam in animum sancte orientem, et ut*[5] *lumen incircumvelate et intellectualiter resplendens.* Haec[6] sunt pretiosissimae et sublimissimae hujus mundi partes. *Aliquando vero ex mediis*, hoc est mundi partibus, *ut ignem innocue splendentem, ut aquam vitalis plenitudinis datricem, et, symbolice dicendum,*[7] *in ventrem*[8] *subeuntem fluminaque redundantem inmensurabiliter refluentia.* Animadverte, quam pulchre et breviter singula exponit. Siquidem[9] sol iste visibilis, ipsius solis invisibilis justitiae imago est, et stella matutina[10] mox in animo fidelium orientis sanctae illuminationis per fidem. Prima siquidem rationabilis animae ad creatorem redeuntis illuminatio est donum fidei, quod per sacramenta baptismatis et datur et significatur. Ideoque non incongrue fides summae et coessentialis Trinitatis, quae primitus in anima fidelium surgit et apparet, sub symbolo luciferae stellae a sanctis theologis innuitur, quam stellam mysticam clara sequitur aurora, splendor videlicet actionis et scientiae in spe robustissima futurae beatitudinis, deinde sol, clarissima profecto species summae ac sanctae Theophaniae relucet, et ferventissima virtus divinae caritatis in his, qui ipsam veritatem et contemplantur et diligunt, ineffabilis gratiae ardore incensi, pulchritudine allecti. Et hoc est quod ait : ut lumen incircumvelate et intellectualiter resplendens. Dum enim clarissima fidei stella in matutinis, hoc est[11], in primordiis conversionis humanae animae[12] ad Deum suum incipit oriri, subindeque pulcherrimus splendor practicae, id est, actionis virtutum, aureusque rubet fulgor physicae, naturalis scilicet scientiae omnium rerum, quae post Deum sunt, et hoc tantum in spe futurae gloriae peragitur, et super haec omnia post maximum interioris hominis luminare, hoc est, post eximiam divinae Theologiae luculentiam, quae sola divina, omnem intellectum superantia[13], gnostica virtute flagrantissimae caritatis considerat : quid sequitur, nisi ipsius veritatis incircumvelatum lumen, hoc est, omni velamine sensibilium figurarum carens, et per se[14] ipsum in divinis mentibus altitudine[15] intellectualis contemplationis refulgens[16]? Et intuere has tres imaginationes divinae sapientiae ex sublimissimis materialis hujus mundi partibus introductas, solem videlicet, et luciferum, aethereumque lumen, quod ubique[17] semper splendet, nullaque[18] tenebrarum caligine obumbratur, nullo[19] terrenorum corporum seu aliqua mole circumscriptorum obstaculo impeditur, sed liberum ubique purissimumque diffunditur. Ex mediis autem mundi partibus, hoc est, ex aere humidoque elemento duas similitudines Theologus suscepit[20], ignem plane et aquam. In superioribus namque aeris partibus, qui[21] aethereis spatiis adjungitur, flammas innocuas esse physici affirmant. Innocuae[22] vero propterea sunt, quia nullam corpulentiam, in qua ardeant, inibi reperiunt[23], quoniam tenuissimus spiritus in sublimitate aeris hujus circumlabitur. Qui ignis, ut arbitror, ipsum imaginat, qui de seipso ait : « Ego sum ignis consumens ». Summa siquidem ac sancta Trinitas Deus unus humanos animos, in quibus habitat, in se ipsum convertit atque consumit, non ut eis noceat, sed ut in eis solus appareat, non ut consumat eorum substantiam, sed ut perficiat eorum beatitudinem. Aqua etiam vitalis est plenitudo internae sapientiae, quae, dum primo occulte et invisibiliter in abdita rationalis animae, velut in quendam ventrem subit, ineffabili meatu veluti[24] in aperta flumina virtutum et inmensurabilia divinorum dogmatum fluenta redundat. Hinc est quod Dominus ait : « qui credit in me », sicut dicit Scriptura, « flumina de ventre ejus fluent aquae vivae »: Sequitur : *aliquando autem ex novissimis, ut unguentum suave, ut lapidem angularem. Sed et bestialem ipsi formam circumponunt, et leonis ei et pantheris*[25] *speciem*[26] *coaptant, et pardalin eam*[27] *vestiunt et ursam saevientem.* Post mediarum mundi partium imaginationes consequenter novissi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic text. graec. et versio; AB *invenimus.* [2] A *dispositionem.* [3] Sic C, AB *et.* [4] B *et.* [5] *ut* om. B. [6] Sit ABC. [7] B* corr. videtur *dicendo.* [8] Sic C et corr. B*, AB *invenire.* [9] ABC *Si quidem.* [10] Sic C, A *stellam matutinam*, B *stellam matutinam* (punct. B* adj. videtur). [11] *est* om. AB. [12] *in matutinis - animae* om. B. [13] Conj., A *superant a gnostica*, B *superant agnostica*, C *superat* gnostica virtute flagrantissime, cet. [14] *se* om. B. [15] B* corr. *altitudo.* [16] *refulgens* om. B. [17] B *ubi*, B* supra adscr. ubi*que.* [18] AB *nulloque* t. calig. [19] B *nulloque.* [20] B *accepit.* [21] A *qua.* [22] B* marg. adscr. *Argumentum hic quod ignis in parte superiori non comburit nec ardet, sed solum splendet, quia non invenit ibi materiam corpulentam, in quam agat comburendo.* [23] B *repperiunt.* [24] A *velut.* [25] B* marg. adscr. *vel pantherae.* [26] Rad. corr. B*; A *specimen.* [27] AB. *pardalineam*

marum paradigmata subduntur. Novissimae autem mundi partes sunt, quae terrenae molis constituuntur [1] constitutione [2]. Quae, quamvis in natura visibilium novissimum atque veluti vilissimum obtinent [3] locum, virtute tamen divinarum rerum significationis non sunt novissima, sed excelsa et incomprehensibilia, et maxime utriusque [4] naturae unigeniti filii Dei domini et salvatoris nostri Jesu Christi significativa. Unguentum [5] itaque suave Christus est, in cujus imagine sub figura Ecclesiae ait theologia: « dum esset rex in accubitu suo, nardus in ea dedit odorem suum ». Lege mysticam feminam, quae paulo ante passionem fudit alabastrum [6] in capite Domini, et impleta est domus odore, hoc est, totus mundus suavissima doctrina passionis Domini et resurrectionis ceterarumque virtutum, quae propter nos peregit, repletus est. Hoc mysticum unguentum in consecratione crismatis catholica componit Ecclesia. Lapis [7] angularis Christus est, quem Judaei perfidi respuunt, sed angularis nobis factus est. In ipso enim conjungitur Ecclesia ex Judaea et gentibus collecta. In ipso rationalis et intellectualis, angelica videlicet et humana natura unum facta est. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. In ipso divinitas et humanitas, verbum et caro, una substantia in duabus [8] naturis effecta [9]. Et quis idoneus est, angulositatem [10] Christi digne explanare? dum praeter [11] quod diximus de adunatione circumcisionis et praeputii caelestium item terrestriumque, hoc est, intellectualis et rationalis creaturae in unam divinam ac summam civitatem, nec non deitatis et humanitatis in ipso, quintuplex ipsius angularitatis a sanctis Patribus traditur modus. Ipse siquidem in seipso utrumque sexum, masculinum videlicet et femininum, in simplicitatem divinae imaginis, secundum quam factus est homo, coadunavit. « In Christo enim », ait [12] Apostolus, « non est masculus neque [13] femina ». In ipso orbis terrarum et paradisus per resurrectionis suae gratiam unus efficitur paradisus. In ipso generaliter terra et caelum per similitudinem humanae et angelicae vitae unum efficitur caelum. In ipso corporalis et spiritualis creatura per adunationem substantiae una fit spiritualis creatura, dum inferiora ubique transeunt in superiora. In ipso omnis creatura Creatori copulatur in re [14] ipsa per speciem. Videsne quinquepartitum angularem [15] Christi modum, de quibus singulis in libris περὶ φύσεων [16] latius tractavimus. Ipse est leo de tribu Juda, qui vincit mundum ipsiusque principem. In forma quippe leonis fortitudo Christi exprimitur, et furor irrationabilis, quo adversantes nobis iniquas potestates, omniaque virtutibus opposita contemnit [17] penitusque interimit. Mysticus quoque pantheri [18] est. Pantheri quippe dicitur quasi panther, hoc est bestialissimus; ferocissima enim omnium bestiarum est. Quae figura dupliciter in Christo intelligitur: aut enim e contrario accipitur, ut per nimiam ipsius bestiae ferocitatem ineffabilis divinae pietatis clementia et mansuetudo, qua vult [19] omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, significetur, aut [20] per metaphoram saevissimae bestiae zelus divinae bonitatis, quo [21] devorat [22] et consumit omnes ferales et irrationabiles nostrae naturae motus, imaginatur [23]. In eadem figura et pardalis ursaque saeviens introducitur. Rationabilis quippe et plus quam rationabilis divinae bonitatis amor irrationabiles et plus quam irrationabiles nostrae naturae motus semper appetit delere, ipsamque naturam liberam, omnique ferali suo impetu ereptam in seipsam ineffabilibus divinorum alimentorum morsibus consumere. Sequitur: *Addam vero et quod omnium* [24] *vilius esse et magis significare visum est, quia et vermis specie ipsam seipsam circumformantem divini sapientes tradiderunt*. Addam, inquit, praedictis imaginationibus illud symbolum, quod omnium [25] vilius [26] esse visum est, et magis significare, vel ut [27] expressius transfertur, magis obscurum vel [28] dissimile. Divini siquidem sapientes, id est theologi, tradiderunt, ipsam sapientiam in specie vermis seipsam formasse, eo loco fortassis, ubi per prophetam [29] loquitur: « Ego sum vermis et non homo ». Hoc enim intelligitur de Christo, qui de virili semine non est natus, sed sicut vermis de simplici natura terrae, ita ipse ex visceribus perpetuae virginis et incontaminatae carnem assumpsit. Nihil [30] itaque in natura rerum materialium vilius verme, qui de simplici limo [31] concipitur, et tamen per ipsum incarnatio Dei Verbi, quae superat omnem sensum et intellectum, imaginatur. « Generationem ejus quis enarrabit »? Potest et sic intelligi: Ego sum vermis et non homo, hoc est, ego [32] sum vermis, et non homo vermis [33]. Ac si diceret: Ego, qui plus quam homo sum, secreta penetro [34] totius naturae, sicut vermis viscera terrae, quod nullus alius humanae naturae parti-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *con*, sed rec. m. in cod. A ad marg. adscr. *constituuntur*. [2] Sic C, A *constitutionem*, B *constitutionem*. [3] B *optinent*, sic saepe. [4] B *utrius*, B* supra adscr. -*que*. [5] Sic C et corr. B*, A *ungentum*, B *ingentum*. [6] B *alabaustrum*. [7] B* marg. adscr. *quare Christus dicitur lapis angularis*. [8] Corr. B*, AB *duobus*. [9] B* supra adscr. *est*. [10] Sic AB, C *anguloritatem*. [11] A *propter*. [12] *ait* om. B. [13] B *nec*. [14] B *inre*. [15] Conj., A *angulorem*, BC *angulorum*. [16] B* marg. adscr. *de naturis scilicet*. [17] B *contempnit*, sic ubique. [18] Sic ABC. [19] *vult* om. ABC, ad marg. adscr. B*. [20] Sic C, A *ac*, B om., B* ad marg. adscr. *aut*. [21] Sic C et rad. corr. B*, AB *quod*. [22] A *devoverat*. [23] B *imaginatus est*. [24] *omnium* om., addidi ex vers. et text. graec. [25] B* corr. *omnibus*. [26] *vilius* om. AB, sed habet C et ad marg. adscr. B*. [27] Sic C, A B *velud*. [28] B *quam*. [29] Sic C, *per* om. AB; B* primum rad. corr. *propheta*, deinde restituit *prophetam*, voce *per* ad marg. adscripta. [30] B* marg. adscr. *Not. morum (?) ad humilitatem*. [31] A *umo*. [32] B* marg. adscr. *Ego sum vermis et non homo*. [33] B *vermis* (punct. adj. B*.) [34] Sic C et corr. B*, AB *penitro*.

ceps potest agere. Cui sensui arridet, quod in alio psalmo scriptum est: « et substantia mea in inferioribus terrae », hoc est, et substantia mea [1], quae per seipsam sapientia [2] est, in inferioribus terrae, hoc est, in intimis naturae conditae sinibus [3] subsistit. Esse enim omnium est, superesse Divinitatis. Vermis itaque, qui abdita totius creaturae penetrat, sapientia patris est, quae dum est [4] homo, omnem superat humanitatem. Audi Apostolum de se ipso loquentem: « Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum patrem, qui suscitavit eum a mortuis ». Nonne ipse est mysticus ille vermis, in cujus imagine quingentesimo [5] semper anno transacto de cinere arabicae avis, phoenicis [6] dico, proprii sui pectoris flamma consumptae, vermis nascitur, et ad pristinam viriditatem revocatur? Christus siquidem ardore passionis, quam sponte sua susceperat, consumptus est, et descendit ad inferos mirabilis vermis. Sed mox post triduum reversus est, suique apostoli, qui eum in cruce ardentem viderant, in spirituali corpore resurgentem conspexere, virtutumque pennis volantem, ad Patremque suum ascendentem mirati sunt.

Sequitur: *Sic omnes theosophi et occulta* [7] *inspiratione prophetae sanctis incontaminatis distinguunt sancta sanctorum, et dissimilem sanctam figurationem honorant, ut* [8] *neque divina immundis tractabilia sint, neque mirabilium agalmatum studiosi contemplatores tanquam veris remaneant figuris. Et divina honorificant veris negationibus, et ad novissima compactarum resonantiarum diversis similitudinibus.* Tali modo, inquit [9], figurarum omnes theologi, quos nunc theosophos, hoc est, divina sapientes appellat, et omnes prophetae occulta [10] sancti Spiritus inspiratione formati distinguunt sancta sanctorum a sanctis incontaminatis [11]. Ac si aperte diceret: A sanctis et incontaminatis dissimilium imaginationum symbolis, quae non immerito incontaminata dicuntur, quoniam divino spiritu in mentibus theologorum et prophetarum descripta sunt, sancta sanctorum, id est, intellectuales essentiae ipsaque Divinitas discernuntur per theologos ineffabili summae sapientiae administratione, ita ut et illa symbola sancta et immaculata ab his, qui intelligunt, quae per ea significantur, honorabiliter venerentur, et sancta sanctorum, quorum imagines sunt [12], ab eis longe segregentur intellectuali discretione. Divina itaque symbola sancta sunt [13], res vero, quarum symbola sunt, sancta [14] sanctorum, hoc est,

A sancti intellectus sanctorum. Et dissimilem sanctam figuram honorant, hoc est, sancta illa divinarum rerum figuratio, quamvis longe dissimilis sit ipsis intellectibus per eam significatis, honoratur a sanctis theosophis atque [15] prophetis. Dum enim eas res, quae significantur, pure intelligunt, ipsas prius honorant, quoniam divinae et supermundanae sunt. Consequenter etiam earum figurationes [16], sive ex superioribus materialis creaturae partibus, sive mediis, sive novissimis translatas, non immerito venerantur, intellectualique distinctione et discretione res ipsas suis figurationibus segregant, nec figuras pro veris intellectibus, nec veros intellectus pro figuris approbant, sed omnibus remota omni confusione suas definitiones et cognitiones distribuunt.

B Ac [17], veluti quis interrogaret, cur sancta dissimilia symbola [18] sanctorum intellectuum a theologis et figurantur et honorificantur? — rationalius [19] quippe videretur, similia symbola sanctis intellectibus configurari, quam dissimilia — redditur causa dissimilium significationum. Et [20] hoc, inquit, quod quaeris, repertum est, ut neque divina tractabilia sint, hoc est, ut neque divini intellectus pervii et patefacti fierent immundis, pollutis videlicet hominibus, delictorum impietatisque vel certe superbiae sordibus contaminatis, quibus nec sensibilia divinarum rerum licet videre sacramenta, quanto magis tractare; quoniam, dum divina sacramenta [21] conspiciunt, veluti puerilia et ludibria et nullius spiritualis [22] intellectus significativa contemnunt. Et notan-

C dum, quod in eo loco, quo transtulimus tractabilia, in Graeco scriptum est εὐχείρωτα, quod nos possumus dicere facilia, ut talis sensus sit: Propterea divini sapientes sacramenta divinarum rerum dissimilia ipsis rebus, obscura, mixta [23], ex materialibus assumpta conformant, ne divina mysteria facilia fierent ad intelligendum immundis animis indignisque cognitione veritatis. Et haec una [24] causa dissimilitudinis sanctarum imaginum. Altera vero est, quam subsequenter [25] adjungit dicens: Neque mirabilium agalmatum studiosi contemplatores tanquam veris remaneant figuris [26]. Ad hoc etiam obscurae et dissimiles imaginationes factae sunt; hoc est, neque [27] finem suae speculationis ponant, qui studiose mirabilia agalmata, divinas scilicet imagi-

D nationes contemplantur, in ipsis figuris, putantes eas veras esse et non figurativas, neque ultra eas virtutem intimae contemplationis erigere volentes. Talis siquidem error multos [28] ac paene omnes invasit et adhuc invadit, existimantes, sensibilia sa-

VARIAE LECTIONES.

[1] *mea* om. B. [2] B. corr. *sapientiam*. [3] Sic C, AB *finibus*. [4] *est* om. B, supra adscr. B*. [5] B *quingentissimo*. [6] ABC *fenicis*. [7] B *obscura*. [8] A *et*. [9] *inquit* om. B, ad marg. adscr. B*. [10] *occulta* om. B. [11] Sic C, B *sanctis contaminatis*, B* supra adscr. corr. *sanctis et incontaminatis*. [12] *sunt* om. B, ad marg. adscr. B*. [13] B *sunt sancta*. [14] B *sunt* sancta. [15] B *et*. [16] Pro *earum figurationes* B *significationes*. [17] B *at*. [18] B *symbola dissimilia*. [19] B* supra scr. *interpositio*. [20] Supra scr. B*, ABC *Ad*. [21] B *dum divi sacramenta* (punct. adjec. videtur B*), C *sacramenta divina*. [22] B *intellectualis*. [23] *quod nos possumus dicere — mixta* om. B., ad marg. adscr. B*. [24] B* supra adscr. *est* una. [25] B *consequenter*. [26] B* marg. adscr. *quid sit agalma*. [27] B *nec* vel *ne*, B* corr. *ne*. [28] B *omnes*.

cramenta nil altius significare praeter seipsa; ac per hoc approbantes falsa pro veris et seipsos fallunt et simpliciores decipiunt, remanentes in figuris, in earum vero mysticum intellectum mentis aciem infigere negligentes. De talibus ait apostolus : « Littera occidit, spiritus autem vivificat ». Omnem quippe, qui nihil ultra quod sentit, existimat esse, littera occidit, quoniam spiritum, id est ipsius litterae intellectum, neque valet neque vult attingere. Ubi notandum, quod beatus apostolus non illam solummodo litteram [dicit][1], quae [2] imago vocis est, sed generaliter omnes mysticas figuras, sive in dictis, sive in factis, sive in rerum sensibilium imaginationibus descriptas in totius divinae Scripturae serie, per quas veritas rerum spiritualium et supermundalium arcana ad exercitationem humani animi, et a terrenis ad caelestia subvectionem significantur [3]. Agalma autem, ex quo singulari nominativo pluraliter agalmata flectitur, multipliciter etiam ab ipsis Graecis intelligitur. Agalma [4] enim dicunt omnem expressam [5] imaginem, quae intuentibus laetitiam efficit. Agalma quoque dicunt idolum [6] vel simulacrum [7], ipsi, cujus imago [8], similitudo est [9], simillimum. Agalma quippe dicitur quasi ἄγαν ἄλμα [10], hoc est, valde excelsum. Et divina itaque [11] honorificant mysteria sancti theologi veris negationibus, hoc est, per negationes, quae vere de divinis praedicantur. Ut enim praedictum est, in divinis significationibus verae [12] sunt negationes [13], affirmationes vero metaphoricae, ac veluti exstrinsecus acquisitae, aut omnino incompactae, hoc est, non propriae. Et non solum per negationes veras divina honorificant, verum etiam per diversas similitudines, vel ut [14] expressius transfertur, per alienas similitudines [15] compactarum resonantiarum, hoc est, consonantium imaginationum ad novissima, ad materialium videlicet et corporalium rerum formas et species. Ut enim superius confectum est [16], sicut plus divina honorificari, hoc est, expressius significari per veras negationes, quam per translatas affirmationes possunt : ita plus et significantius eadem divina per alienas similitudines novissimarumque materialium rerum imaginationes, quam per pulchras caelestium rationabiliumque rerum formas mentibus humanis insinuantur. Quemadmodum namque de Deo praedicat [17], qui dicit, invisibilis est, incomprehensibilis est [18], non est substantia, non est essentia, nihil est eorum, quae sunt; superat enim omne, quod dicitur et intelligitur; ita non proprie, sed translative de eo [19] quis dicit, essentia est, substantia est, bonitas est, veritas est, ceteraque horum similia. Ac per hoc sicut ipsum magis honorat, qui negat eum [20] esse quid, quam qui eum affirmat quid esse, ita plus eum significat [21] atque honorat, qui figuram bestialem ipsi circumdat, quam qui [22] in humana effigie auro gemmisque decora, preciosaque induta vestimenta, caelestibusve splendidissimis corporibus circumscripta, ipsum imaginat. Putat enim eum sic subsistere; non autem decipitur, dum de ipso bestiales turpesve confusasve formas tradat [23]; naturali enim ingenio veraque ratione ductus omnino eum sic esse fiducialiter [24] negat.

Sequitur : *Nihil ergo* [25] *inconsequens, si et caelestes essentias ex inconvenientibus dissimilibus similitudinibus reformant secundum dictas causas.* Non irrationabiliter, inquit, secundum praedictas causas, neque inconsequenter [26] sancti theologi caelestes essentias per inconvenientes, ut [27] significantius transfertur, per obscuras dissimilesque conformant similitudines. Hactenus de expositione sanctarum imaginationum supermundanorum intellectuum. Deinceps apologia est, cur in hanc inquisitionem venerit [28]. Sic igitur defensionem suam aggreditur. *Non enim fortassis aeque non* [29] *nos in quaestionem quidem ex indigentia, in anagogen quoque per diligentem divinorum scrutationem veniremus.* Non fortassis, inquit; nam causalis conjunctio, quae est *enim*, vacat [30]; veniremus [31], et aeque [32] non veniremus nos in hanc quaestionem de mysticis sanctae Scripturae imaginationibus ex indigentia, hoc est, ex inopia intelligentiae; non enim nos latebat mysticus sanctarum figurationum intellectus; neque in anagogen, hoc est, in sensum ad superiora ducentem per diligentem divinorum symbolorum scrutationem veniremus, *nisi deformitas nos* [33] *extorqueret manifestatoriae angelorum reformationis, non sinens nostrum animum remanere in dissimilibus formarum facturis, sed luctantem negare materiales passibilitates, et assuescentem pure extendi per visibilia in supermundanas altitudines.* Ac si diceret : In hujus quaestionis, quae de divinis symbolis est, diligentem investigationem [34] non descenderemus, si non deformitas ac veluti turpitudo formationum, quae angelicas virtutes in divinis Scripturis manifestant, nos [35] veluti invitos cogeret [36] et extorqueret. Quae deformitas non sinit nostrum animum rema-

VARIAE LECTIONES.

[1] *dicit* om. ABC, add. ex conj. [2] sic C, A *neque*, B *nec*, B* rad. corr. *nisi*. [3] B* marg. adscr. *Significavit.* [4] B* marg. adscr. *quod agalma multipliciter dicitur.* [5] B *impressam.* [6] AB *ydolum.* [7] A *symulachrum.* [8] B* ad marg. adscr. *est vel.* [9] *est* om. B. [10] B* marg. adscr. i. *e. aganamia.* [11] B *ita.* [12] B *et verae.* [13] A *hae* negationes. [14] Sic C, AB *velud.* [15] *vel ut — similitudines* om. A. [16] *est* om. B, supra adscr. B*. [17] B* supra adscr. *proprie praedicat.* [18] *incomprehensibilis est* om. B. [19] *de eo* om. B. [20] *eum* om. ABC, ad marg. adscr. B*. [21] Pro *eum significat* B *consignificat.* [22] *qui* om. B. [23] Conj., ABC *tractat.* [24] Pro *sic esse fiducialiter* B *sic fiducialiter se*, B* supra adscr. corr. *sic fiducialiter esse.* [25] B *hoc.* [26] B *consequenter*, B* supra adscr. *inconsequenter.* [27] Corr., ABC *aut.* [28] *venerit* om. AB, ad marg. adscr. B*, C *cur in hanc venerit in acquisitionem.* [29] Pro *aeque non* B* marg. adscr. *neque.* [30] A *vaccat.* [31] *Non fortassis — veniremus* om. B. [32] Conj., A *utaque*, B *utique*, C *uterque* (f. utique). [33] Sic C et supra adscr. corr. B*, AB *non.* [34] Corr. B*, ABC *diligenti investigatione.* [35] *nos* om. AB, supra adscr. B*. [36] Corr. B*, ABC *cogiret.*

nere in dissimilibus divinorum intellectuum formationibus; hoc autem dicit condescens his, qui carnaliter divina accipiunt symbola; sed sinit nostrum animum luctari adversus falsas phantasias vana cogitantium [1], et negare materiales passibilitates [2] spiritualibus carnaliter inesse substantiis, et assuescentem, hoc est, discentem nostrum animum sinit pure extendi, in incontaminata videlicet subvehi, per visibilia sacramenta in supermundanas divinorum intellectuum excelsitudines. Et hoc breviter concludit dicens : *Tanta quidem a nobis dicta sunt propter materiales et inconvenientes divinorum eloquiorum angelicarum imaginum descriptiones.* Post vero apologiam sequentis operis brevis sequitur divisio. Ait enim : *Deinde autem segregari oportet, quid [3] ipsam quidem esse [4] ierarchiam aestimamus, quidve ipsa ierarchia [5] prosit ierarchiam sortientibus.* Hoc est: oportet nos de cetero segregare [6], certis scilicet terminis definire, quid ipsam generalem ierarchiam, id est, pontificatum arbitramur [7] esse, quidve ipsam, generalem videlicet [8] ierarchiam, sortientibus prodest unaquaeque specialis ierarchia. Tota siquidem hujus operis intentio est de generali pontificatu deque ejus formis tractare. Sequitur oratio : *Dux vero sit sermonis [9] Christus, siquidem mihi fas [10] dicere, meus, totius ierarchiae [11] manifestationis inspiratio.* Dux, inquit, sermonis mei, si licet mihi dicere, Christus meus, a quo incipit et inspiratur tota pontificalis configuratio. In fine vero totius capituli Timotheum [12], episcopum Ephesi, vel certe omnes, qui hunc sermonem lecturi forent, alloquitur inquiens : *Tu vero, o puer, secundum sanctam nostrae sacerdotalis traditionis legislationem ipse sancte et decenter ausculta mirabiliter dictorum divinus in Deo et in doctrina factus, et secreto animi, quae sancta sunt, circumlegens, ex immunda multitudine tanquam uniformia custodi; non enim fas [13], ut eloquia aiunt, in porcos projicere invisibilium margaritarum inconfusum et luciformem beneficumque [14] ornatum.* His verbis hortatur [15] omnes ministros divinorum sacramentorum, sicut sacerdotalis promulgatio tradit, ut ipsi sancte et honeste divinis auscultent dictis [16], divini in Deo et in divina doctrina perfecti, et ut [17] in secretis animi sancta mysteria circumlegant, et ex immunda carnaliter cogitantium spiritualiaque [18] penitus ignorantium multitudine, quae indigna est

A [19] non solum visibilium sacramentorum, verum etiam [20] eorum intelligentia, custodiant mysteria. Quae uniformia sunt; unum enim significant, in quo [21] omnia unum sunt. Prohibet enim divina Scriptura invisibiles margaritas divinorum intellectuum in porcos, hoc est, in superbos immundosque homines projicere, earumque, margaritarum dico, distinctum, luculentum [22] beneficumque, hoc est, amantes et intelligentes se benefacientem et deificantem ornatum.

CAPITULUM III.

Cujus praefatio est :

Quid sit ierarchia et quae per ierarchiam utilitas [a].

§ 1. *Est quidem ierarchia secundum me ordo divinus* B *et scientia [23] et actio deiformi, quantum possibile, simulata, juxta inditas et divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens.* A definitione ierarchiae capitulum inchoat. Est, inquit, ierarchia secundum me, hoc est : quantum mihi videtur, ierarchia est ordo divinus et scientia et actio. Tribus itaque partibus definitionem ierarchiae concludit. In omni siquidem divino pontificatu haec tria considerari necesse est : quo ordine, qua dignitate quis constituitur et perficit et perficitur, quantum in notitia, hoc est, in scientia et disciplina divinarum rerum et illuminatur et illuminat, et quatenus in actione mandatorum proficit et purgatur et purgat. Ac per hoc perfectus animi habitus in ordine, cognitio vero rerum spiritualium in scientia, divinorum C vero mandatorum custodia in actione perficitur. In hoc enim trigono universalis Ecclesiae sive in caelo sive in terra plenitudo formatur. Hinc est, quod summi boni, a quo haec tria procedunt, confessio trina est. Hinc etiam [24], quod [25] rationabilis creaturae ad Deum suum conversio triformis est; fide siquidem et spe et caritate reformatur, inque naturalem sui dignitatem et gratiam revertitur. Et notandum [26], quod theologus mutatione definitionis ierarchiae usus est. Ipsa [27] siquidem definitio directim [28] currere [29] videtur sic : Ierarchia est [30] actio et scientia et divinus ordo. Praecedit enim in ascensionibus virtutum actio divinorum mandatorum, per quam purgatur interior animi oculus sive rationalis [31] sive intellectualis [32] creaturae, ut intimos summi boni ra- D dios in omnia diffusos valeat sustinere, omni vana

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C, A *vana cogitati....*, corr. rec. m. *vanas cogitantium*; B *vanas cogitantium*. [2] Sic C et corr. B*, AB *passibilesque*. [3] A *quod*. [4] B *esse quidem*. [5] Conj., AB *ipsam ierarchiam*. [6] B *segregare de celero*. [7] A *arbitramus*. [8] *videlicet* om. B. [9] B *sermonis sit*. [10] B* supra adscr. *est*. [11] Corr. B*, AB *ierarchiae*. [12] AB *Thimotheum*. [13] B* supra adscr. *est*. [14] Corr. B, A *beneficumque*, B *beneficiumque*. [15] Corr. B*, AB *ortatur*. [16] B* corr. *divina auscultent dicta*. [17] *ut* om. B. [18] Sic C et corr. B*, AB *spiritualique*. [19] B *quae immunda est indigna*. [20] *etiam* om. B, adscr. B*. [21] Pro *in quo* B *in*, sed rad. corr. *et*. [22] B* adscr. *et* luculentum. [23] Corr. B*, AB *scientiae*. [24] B* supra adscr. *est*. [25] *quod* om. A. [26] B* supra adscr. *est*. [27] B* marg. adscr. *Ostendit quo ordine deberent poni illa tria in diffinitione ierarchiae.* [28] Corr., ABC *directum*. [29] B *curere*. [30] Sic C, *est* om. AB, supra adscr. B*. [31] *sive rationalis* om. B, ad marg. adscr. B*, supra vocem *rationalis* scr. *hominis*. [32] B* supra scr. *angeli*.

NOTAE.

[a] *Cuius praefatio — utilitas* ex conj. et ad fidem J. Scoti versionis ego addidi. Nam finito Capitulo A, fere sex linearum spatio relicto, ipsis verbis Capituli sequentis pergit. B vero litteris miniatis tituli loco haec falsa profert : *Capitulum octavum* (B* marg. adscr. *Capitulum III*), *cujus praefatio est de dominationibus et virtutibus et potestatibus et de media earum ierarchia*; atque item pergit verbis Capituli sequentis.

phantasia omnique vitiorum caligine liber et absolutus. Deinde scientiae aspectus sequitur, qui omnia, quae post Deum sunt, naturali motu appetit intueri, omneque, quod viribus intelligentiae potest inspicere, ad laudem Creatoris referre. Hinc in ordinem suum, perfectissimum dico divinae contemplationis habitum, subjectus juxta donatam sibi gratiam unusquisque ascendit, hoc est, in ipsum Deum, cui similis erit, et in quo incommutabiliter stabit. Et hoc est, quod sequitur : deiformi quantum possibile simulata, id est, similis et [1] ipsa ierarchia omnesque participes ejus deiformi, formae omnium scilicet, quae Deus est, quantum possibile creaturae Creatoris similitudinem participare; inque ipsam ascendens [2] proportionaliter [3] et congruenter juxta inditas ei divinitus illuminationes, sive per naturam rationis et intellectus dignitatem [4], sive per gratiam, quae participantes se supra naturales illuminationes in ipsum Deum sublevat. Post definitionem vero ierarchiae laus summae bonitatis sequitur, cujus similitudinem omnis appetit ierarchia : *Divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut τελεταρχικά* [5] *pura quidem est universaliter omni* [6] *dissimilitudine, distributiva vero secundum dignitatem uniuscujuscunque proprii luminis* [7], *et perfectiva in sacrificio divinissimo secundum ad seipsam perfectorum compacte immutabilem formationem.* Pura, inquit, est et omnino omni [8] dissimilitudine munda et absoluta divina pulchritudo, nec immerito, quia simpla est, quia optima, quia perfectionum et illuminationum principalis. Nam et ipsa simplex et optima divina pulchritudo [9], cui adhaerere [10] similisque ei fieri omnis [11] vita purgata naturali appetit desiderio, non aliam ob causam τελεταρχική [12] a sanctis theologis meruit vocari, quam [13] quod τελετὴ ἀρχῆς [14] sit, hoc est, hostia principalis et purgativa rationalis et intellectualis creaturae. Purgat [15] enim caelestes animos ab ignorantia summi boni ipsoque superbo et irrationabili motu, quo apostatae spiritus in aeternum praecipitati [16] sunt tormentum. Purgat humanos animos ab omni nebulosa caligine, qua impeditur oculus mentis, quem philosophi rationem dicunt, ne veritatem possit conspicari, ejusque pulchritudine delectari. Purgat ab omni reatu mortis, postremo ab ipsa morte purgat aeterna. Non enim purgationis initium est Domini nostri Jesu Christi humanitas, quamvis ipsa pro purgatione totius mundi sancta et unica hostia immolata sit, sicut scriptum est : « Sanguis Christi filii ejus, Patris videlicet, mundat nos ab omni delicto », sed ipsius divinitas, nec non et Patris et Spiritus sancti, unius Dei, totius purgationis et illuminationis et perfectionis est principium ; non quod illa hostia, id est divinitas ulli [17] superiori se immolaretur, quia supra se nihil est, sed quod eo modo loquendi, quo causa per factum [18] significatur, hostia dicitur, ac per hoc, quoniam ipsa causa et principium purgationis est [19], non incongrue purgatio dicitur et hostia, cum plus quam hostia sit. Hinc ipse Dionysius in negationibus mysticae theologiae ait : « Neque hostia est », volens de ea praedicare [20], plus quam hostiam esse, et hostiarum principium. Quare subjunxit : distributiva vero [21], ipsa videlicet divina . . . .

. . . .

[*Periodo media praecisa est expositio, neque ipse textus codicum vel spatium vel signum omnino prodit, quibus indicetur, deesse hoc loco quidquam. Etenim in codicibus post* ipsa videlicet divina *eadem linea legis continuo :* luminum dationis acceptivum *cet., tanquam haec essent ejusdem periodi verba, quum reapse jam ad septimum Capitulum pertineant, ita ut expositionum haud exigua pars, abhinc scilicet usque ad Capitulum VII fere medium desideretur.*]

CAPITULUM VII.

. . . .

luminum dationis acceptivum, vel sicut planius transfertur, superexcelsissimae illuminationis acceptivum, hoc est, capax. Habent siquidem gnosticam virtutem, id est, scientiae habitum; habent deividam [22], Deum videlicet considerantem speculationem, et superexcelsissimae illuminationis capacitatem; habent tereticam, hoc est, contemplativam scientiam praeoperatricis virtutis divinae decorositatis ; habent plenitudinem sapientificae traditionis, doctrinae scilicet, quae capaces sui animos sapientes efficit [23]; habent communicationem abundanter [24] ad secunda, hoc est, ad assequentes [25] ordines, fusioni datae sapientiae, vel planius transfertur, fusione donatae sapientiae, ut sit sensus : Sequentibus se ordinibus communicant fusioni, hoc est, ad fusionem vel in fusione donatae eis primo sapientiae, et per eos sequentibus se diffusae [26]. Prius siquidem ipsa summa sapientia, quae Deus est, in eos diffunditur [27] immediate; deinde per eos in inferiores fusio illa defluit instar fluminis deorsum salientis. Post explanationem nominationum Seraphim et Che-

VARIAE LECTIONES.

[1] B* rad corr. *est.* [2] Corr. B*, ABC *ascendere.* [3] A *proportialiter.* [4] A *dignitate.* [5] B* marg. adscr. *id est theletarcica i. e. consummativa.* [6] B* marg. adscr. *ab* omni. [7] *distributiva — luminis* om. AB, ad marg. adscr. B*. [8] B* marg. adscr. *ab* omni. [9] B* supra adscr. *est.* [10] B *adhaeret.* [11] Sic C, AB *omnisque.* [12] B* marg. adscr. *theletarcica.* [13] Conj., pro *quam* ABC *propter.* [14] ABC τελετὴ ἀρχίς, B* marg. adsc. *theletarchis.* [15] B* marg. adscr. *quare divina pulchritudo dicitur purgativa.* [16] Sic C, AB *principati*, B* corr. *projecti.* [17] Sic C, AB *illi.* [18] Sic C et rad. corr. B*, AB *perfectum.* [19] B *est purgationis.* [20] B *praedicare volens de ea.* [21] B* marg. adscr.: *Ab hoc loco deficit expositio usque fere ad primam tertiam partem septimi capituli.* Recens manus sec. XV, ut videtur, addidit : *Ab hoc loco, ubi post principium tertii capituli dicitur : distributiva est proprii luminis secundum dignitatem cet., deficit expositio usque ad septimum passum septimi capituli, ubi dicitur post principium : Ipsa Cherubim vero cognitum ipsorum et Dei inspectum cet.* [22] B* corr. *et nudam.* [23] A *effecit.* [24] B *habundanter.* [25] B* corr. *adsequentes.* [26] Corr. B* AB *defusae.* [27] A *defunditur.*

rubim [1] significationem [2] Thronorum vocabuli exponendam consequenter ingreditur. *Ipsa autem altissimarum et compactarum sedium omni [3] diligenter exaltari ignominia subjectionis, et ad summum supermundane sursum ferens, et ex omni extremitate ineffabiliter in sublimissimum, et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum, et divini superadventus in omni impassibilitate et immaterialitate acceptivum et deiferum et famulariter in divinas susceptiones apertum.* In hac sententia patet [4], quaedam excelsissimarum et sublevatarum sedium omni diligenter extolli circumcalcationis vel deambulationis minoratione, et sursum supermundane ferens, et omni ab [5] extremitate inflexibiliter sursum positum, et circa vere excelsissimum universalibus virtutibus immobiliter et ponderose fundatum, et divini superadventus in impassibilitate omni et immaterialitate acceptivum et deiferum et famulariter in divinas susceptiones suggestum. Ipsa, inquit [6] — superioribus similiter subauditur : nominatio altissimarum et compactarum vel sublevatarum sedium; ex ambiguo enim graeco transfertur : ἐπαρμένων, quod, utrum a verbo ἐπάρω [7], id est compango vel aduno, an a verbo ἐπαίρω [8], id est sustollo [9] derivatur [10], dubium est — docet hoc diligenter. *Quid docet?* Exaltari plane eas sedes, vel extolli ab omni ignominia, vilitate scilicet subjectionis, vel expressius translatum, ab omni circumcalcationis seu deambulationis minoratione. Et est sensus : Thronorum nominatio docet, excelsissimas divinas sedes diligenter exaltari ab omni ignominia subditae multorum pedibus infimitatis [11], et ab omni loco humili, qui circumcalcantium et deambulantium plantis teritur et minoratur, hoc est, humiliatur et supponitur. Ut ergo altissime a communi omnibus planitie, quae veluti ignominiose undique calcatur et deambulatur, inedita atque sublimia exaltantur, ita Thronorum similiumque sui ordo, in quibus sedet regnans et judicans omnia Divinitas, superexaltatus est et a communi omnibus humilitate remotus, id est, omni materiali creatura humilique. Et hoc apertissime Thronorum nominatio docet. Docet etiam eorum virtutem, quae eos supra mundum in summum bonum subvehit, et ab omni extremitate corporalis creaturae, quae veluti in comparatione intelligibilium rerum vilis humilisque videtur, in sublimissimum ineffabiliter sublevat, Deum videlicet, qui sublimissimus est, et cujus participatione ipsi Throni sublimes sunt. Docet illud collocatum, vel fundatum, hoc est collocationem et fundamentum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter ac ponderose circa vere excelsum, summum videlicet bonum, quod sicut vere bonum, ita etiam vere excelsum est. Nec non acceptivum docet, hoc est, acceptionem divini desuper adventus absque passibilitate et materialitate, sed in omni impassibili immaterialitate. Superant namque omnem passibilem materiem. Deiferum quoque docet, hoc est, deigeram eorum virtutem. Deum namque sufferunt et subvehunt famulariter, hoc est, obedienter laudant ipsum sufferre et subvehere omnia. Non enim suffertur, sed suffert; nec subvehitur, sed subvehit; neque sedet in aliquo, qui [12] in se sedere, hoc est, quiescere facit omnia. Docet apertum, vel sicut planius transfertur, suggestum, hoc est, sedile in divinas susceptiones. Sunt enim sublimissimi suggesti [13], alta videlicet sedilia, in divinas susceptiones, in divinorum plane intellectuum receptiones parati atque aperti, repandique et [14] ad divinam sessionem habiles.

§ 2. *Haec quidem nominum ipsorum, quantum ad nos, declaratio.* Haec est, inquit, quantum nobis videtur, et a nobis intelligitur, expositio nominum trium ipsorum primae ierarchiae ordinum. *Dicendum vero, quam ierarchiam eorum aestimamus.* Sed dicere, ait, oportet nos, quam ierarchiam, hoc est, qualem ierarchiam eorum arbitramur [15] esse. *Omnis quidem eorum ierarchiae speculationem Deum imitanti [16] deiformitate dependentem inflexibiliter esse, et dividi omnem ierarchicam actionem in participationem sacram et traditionem purgationis purae et divini luminis et perfectivae scientiae, sufficienter jam a nobis dictum esse arbitror.* Omnis, inquit, hoc est, universalis ierarchiae speculationem, definitionem plane, Deum imitanti [17] deiformitate dependentem, id est, quae desuper [18] pendet, originemque ducit ex similitudine [19] divinae formositatis (superius, siquidem in tertio Capitulo, universalem ierarchiam definivit dicens : Ierarchia est ad Deum, quantum possibile, similitudo et unitas) inflexibiliter esse, id est incommutabiliter, sufficienter jam a nobis dictum arbitror. Arbitror etiam [20] sufficienter dictum, dividi omnem ierarchicam actionem, vel sicut planius transfertur negotiationem, in participationem sacram ipsius principalis omnium ierarchiae, quae est Divinitas, et traditionem, per superiora inferioribus, purgationis purae, nulla dissimilitudine intermixta, et in divini luminis, [21] similiter participationem et traditionem, et in perfectivae scientiae, eodem modo participationem et tra-

VARIAE LECTIONES.

[1] B *seraphin et cherubin*, sic saepissime. [2] Corr. B *, AB *significationum*. [3] B * supra adscr. *ab* omni. [4] Sic C; AB qm̄, quod est *quoniam*. [5] Ex conj., pro *omni ab* AB *omnia*; *ab* om. C. [6] B *inquid*, B * corr. *inquit*. [7] AB habere videntur ἐπάρμω. [8] AB ἐπάρω. [9] Sic ABC. Fortasse legend. est *sublevo*, quae vox a voce *sustollo* scriptura vix differt. Vocem *sublevo* expectes, quia supra in codd. bis habebatur *sublevatarum*, non sublatarum. [10] B * corr. *derivetur*. [11] C et corr. B * *infirmitatis*. [12] Sic C et rad. corr. B *, AB *quae*. [13] A *subgesti*. [14] *et* om. B (rad. delevisse videtur B *). [15] Sic C et corr. B *, AB *arbitramus*. [16] Ex vers. Scoti et text. graec.; AB *imitati*, B * corr. *imitate*. [17] Sic C, AB *imitati*, B* *imitate*. [18] Corr. B *, B *pendit*; C *quae suppendit*. [19] A *similitudinem*. [20] B *enim*, B* punct. subj. et marg. adscr. *etiam*. [21] B* marg. adscr. *et perfectivae scientiae*.

ditionem [1]; quoniam in praefato tertio Capitulo [2] A hunc triplicem totius ierarchiae praedixit modum, purgationem videlicet, et illuminationem, et perfectionem. Primo enim purgat participantes se, deinde illuminat divinorum intellectuum scientia, postremo perficit in ipsius scientiae incommutabili habitu. *Nunc autem dicere digne prosequamur* [3] *excelsissimos intellectus, quomodo jam secundum eos ierarchia ab eloquiis manifestatur.* Ac si diceret : quoniam superius totius ierarchiae et definitio et divisio sufficienter a nobis dicta est, nunc prosequamur [4] digne dicere excelsissimos divinos intellectus, principales scilicet primae ierarchiae ordines; hoc est, quaeramus, quomodo ierarchia, quae secundum eos est, quae scilicet in eos constituitur, in sanctis manifestatur eloquiis. B *Primis essentiis, quae post substantificam earum thearchiam collocatae* [5] [sunt] [6] *et veluti in vestibulis ipsius ordinatae, omnem invisibilem et visibilem superexcellentes factam virtutem, propriam aestimandum est esse et omnino aequiformem ierarchiam.* Ordo verborum : Aestimandum est, [7] judicandum plane, propriam et omnino aequiformem, aequalem scilicet in ordinibus suis, ierarchiam esse [8] substitutam in primis caelestibus essentiis, quae post substantificam earum thearchiam, divinitatem profecto, collocatae sunt, ac veluti in vestibulis ipsius, proximis videlicet ipsi ordinibus, ordinatae, superexcellentes omnem invisibilem et visibilem factam virtutem. Primae siquidem caelestes essentiae in prima ierarchia [9] collocatae et ordinatae omnes factas supereminent virtutes. C *Puras igitur eas aestimandum, non ut immundis maculis et inquinationibus liberatas, neque ut* [10] *materialibus receptas phantasiis, sed ut omni subjectione mundas, et altiores, et omni superfirmato templo secundum excellentissimam castitatem, omnibus deiformibus virtutibus supercollocatas.* Jam de laude qualitatum [11] primae ierarchiae copiosius incipit tractare. Puras igitur, inquit, hoc est, omni dissimilitudine mundas, eas, primas videlicet essentias caelestium ierarchiarum, existimandum, vel sicut planius transfertur, dicendum, non [12] ut immundis maculis et inquinationibus liberatas. Ac si aperte diceret : Non sicut nos homines mortales ab immundis maculis delictorum et inquinationibus totius nostrae immunditiae D divina gratia nostram purgationem operante et cooperante liberamur, ipsae liberantur. Neque sicut nos, materialibus [13] phantasiis, hoc est, falsis materialium rerum vanisque imaginationibus, quibus maxime carnalis anima, carnaliter plane vivens, in rerum temporalium cupidine [14] opprimitur, diversorumque errorum anfractibus seducitur, et quod omnium perniciosissimum est, ab amore et cognitione veritatis elongatur, divina gratia nos revocante recipimur, ipsae recipiuntur [15]. Nunquam enim delictorum sordibus contaminatae, nunquam materialibus phantasiis vel oppressae vel depravatae, vel a contemplatione summi boni repulsae sunt [16]. Sed ut omni subjectione, vel sicut expressius transferri potest, minoratione, hoc est ab omni materialium, mortalium, localium, temporaliumve rerum contemptibili in comparatione [17] caelestium essentiarum immaterialium, immortalium, omni locali et temporali motu carentium vilitate et extremitate, mundas et altiores, ceteris videlicet caelestibus essentiis. Et hoc est quod sequitur : Omni superfirmato templo, vel ut [18] simpliciter transfertur, omni superfirmato sacro [19] : nam ἱερὸς omne sacrum Graeci vocant, et maxime templum, supercollocatas omnibus deiformosissimis virtutibus. Omni superfirmato templo, omni [20] perfecto [21], mundo [22] et incontaminato spiritui, in quo Deus et habitat et colitur, supercollocantur. Sequitur : *Et proprio per se motu et eodem motu secundum diligentis Deum inconversibile ordinis inflexibiliter* [23] *receptas.* A superioribus subauditur : est [24] aestimandum vel dicendum [25], receptas esse, primas videlicet essentias, inflexibiliter [26], flecti [27] enim non potest, veluti circulari motu seu sphaerico [28] revolutae, proprio per se motu, qui ex semetipsis est, quoniam per se moventur, et eodem motu; est enim uniformis motus eorum, quoniam verissime de eo praedicatur motus stabilis et status mobilis. Et hoc est quod sequitur : Secundum inconversibile [29] diligentis Deum ordinis. Omnis siquidem ordo Deum diligens inconversibili [30], hoc est, nullo modo variabili motu, sed semper uniformi circa Deum volvitur. Quod autem ait : proprio per se motu, diligenti indiget inquisitione. Si enim a Deo omnia moventur, ut [31] vera docet ratio, quomodo caelestes essentiae, et maxime primordiales, circa Deum proprio per se motu moveri dicuntur? Nam si quis dixerit : omnis creatura a summo usque deorsum suum proprium possidet motum, naturalem videlicet, quaeretur ab eo, quid igitur magni est, si in laude caelestis et excellentissimi ponatur Throni, quod non minus pertinet ad laudem vermiculi, si unaquaeque creatura suum habet naturaliter motum? Sed fortassis in hac quaestione non irrationabiliter est dicendum : omne quod a superiori se creatura non movetur, sed ab ipsa sola causa om-

VARIAE LECTIONES.

[1] *et in perfectivae — traditionem* om. B. [2] B *capitulo tertio.* [3] A *persequamur.* [4] A *persequamur.* [5] B' supra adscr. *sunt.* [6] *sunt* om. AB, extat in versione. [7] B' supra adscr., *i. e.* jud. [8] B *esse ierarchiam.* [9] *ierarchia* om. B, ad marg. adscr. B'. [10] B' supra scr. ut *nos.* [11] Rad. corr. B', ABC *qualitatem.* [12] B' marg. adscr. *mundas* non ut, cet. [13] B' marg. adscr. *receptas.* [14] A *cupidinem*, B *tupidinem* (punct. adj. B'). [15] B *recipiuntur* (punct. adj. B'). [16] B *sunt repulsae.* [17] Sic C; AB *incomparatione.* [18] Sic C; A *velut*, B *velud.* [19] Conj., pro *sacro* ABC *templo.* [20] B' supra adscr., *i. e. omni.* [21] A *profecto.* [22] Conc., ABC *modo.* [23] B' rad. corr. *ineffabiliter.* [24] *est* supr. adsc. B', AB *et.* [25] B' rad. corr. *dicendum.* [26] B' rad. corr. *ineffabiliter.* [27] Conj., ABC *fari.* [28] AB *sperico*, C *sperito.* [29] Sic C, et rad. corr. B', A *inconversibili*, B *inconversabili.* [30] Sic C, et rad. corr. B', AB *inconversabili.* [31] A *ut*

nium immediate principium sui motus accipit, a nullo moveri non immerito dicitur, quoniam causa motus sui superessentialis est, et superat omne, quod est, et [1] quod non est. Ceteri vero universitatis conditae ordines, quamvis in una causa omnium motus sui principium constituant, non tamen immediate ab ipso, sed gradatim per superiores semper inferiores et moventur et administrantur. Pulchre igitur excellentissimi caelestium essentiarum ordines αὐτοκίνητοί, hoc est, per se moti et sunt et nominantur, quoniam per seipsos seipsos movent, et a seipsis moventur. A nullo enim superiori se moventur, nisi ab ipso Deo, qui nullius proprie principium motus est, quoniam omnium generale est; quod autem omnium generale est, nullius proprium est. Hac ratione non solum primordiales omnium rerum causae αὐτοκίνητοί, verum etiam excellentissimi [2] caelestes ordines nuncupantur. Humana quoque anima a philosophis αὐτοκίνητός, hoc est, per seipsam mota [3] non irrationabiliter nominatur, quia nulla creatura propinquior est Deo, et, si non peccaret, per nullum superiorem se ordinem administraretur, quoniam nullus superior illa fieret ordo, quemadmodum non erit, quando [4] in pristinam naturae suae revocabitur dignitatem. *Et in subjecta contumeliam omnino nescientes.* Hoc est, quamvis in sublimitate universalis creaturae post Deum constitutae sint, omnino tamen in ea, quae sibi subjecta sunt, contumeliam, vel sicut planius transfertur, contemptum facere nesciunt. Et non hoc solum, verum etiam in amorem et cognitionem communis Creatoris subditos sibi ordines admonent [5] et revocant. Quod consequenter subjungit : *Sed incasualem ut et intransmutabilem habentes propriae deiformis specialitatis purissimam collocationem.* Hoc est, non solum contemptum in subjecta sibi nesciunt, verum etiam habent incasualem, ut et intransmutabilem, purissimam collocationem propriae deiformis specialitatis. Purissimam quippe collocationem, fundamentum [6] plane habent incasualem, quod nunquam ruit, et merito, quia intransmutabilis est; nescit enim moveri, Et [7] quae est [8] illa collocatio? quod fundamentum? Propria plane deiformis specialitas, quam omnis appetit creatura, sive sciens quid appetat, sive nesciens, omnino casu et transmutabilitate caret, nulli creaturae a se conditae incuriam seu contemptum infert. Ita excellentes essentiae, ipsi formae simillimae atque proximae, omnino illam sequentes et imitantes, in incommutabili naturae suae statu et pulchritudine divini principalis [9] exempli [10], quam absque ulla dissimilitudine sequuntur, ineffabili erga sibi subjectos [11] pietate et caritate moventur, nullum eorum perire aut in aliquo contempni sinentes. *Contemplativasque iterum sensibilium symbolorum, aut intellectualium speculationis.* A superioribus subauditur : aestimandum quoque, eas contemplativas esse sensibilium symbolorum aut intellectualium, ut subaudiatur similiter symbolorum, speculationis. Quae sententia dupliciter [12] potest intelligi, ut sensus sit [13] : sensibilium symbolorum aut intelligibilium contemplativae sunt speculationis, hoc est occultae intelligentiae. Ut enim intellectualium, ita etiam sensibilium symbolorum contemplantur intellectum. Sensibilia autem symbola sunt, quorum intellectum caelestes virtutes contemplantur, veteris legis sacramenta, verbi gratia tabernaculum, et omnia, quae in eo fieri Dominus praecepit, deinde visiones prophetarum in variis formulis atque figuris, postremo ecclesiastica Novi Testamenti mysteria, quorum omnium intimum lumen sancti angeli clare [14] perspiciunt. Quae sint vero intelligibilia symbola, non facile nobis occurrit, nisi forte dicamus, ipsas theophanias, in quibus est [15] species veritatis per se omni intellectui invisibilis [16], modo quodam nobis adhuc incognito intellectualia [17] symbola, hoc est, materialium rerum similitudine carentia ipsis esse, ita ut in ipsis theophaniis, hoc est, divinis apparitionibus, quas intellectuali oculo contemplantur, intimos divinos intellectus perspiciant, quemadmodum nos per sensibilia symbola, quantum datur nobis intelligere, quaedam divina occulta mysteria [18] cognoscere jubemur. Potest et sic intelligi : Contemplativas sensibilium symbolorum esse excellentes essentiae existimandae sunt, aut contemplativas speculationis, hoc est, cognitionis intellectualium qualiumcunque rerum. Non enim cogimur subaudire in utroque : symbolorum, sed absolute solummodo : contemplativas intellectualium, ut, quodcunque cuilibet probabilius videatur, subaudiat, sive rerum, sive arcanorum, sive virtutum, sive hujusmodi similia. Sed quemadmodum caelestes essentiae, cum [19] sint omnino incorporales, sensibilia contemplantur symbola, non parva indiget indagine, nisi forte dicamus, eas spiritualium corporum habitudinem indui, ut sensibilia per sensus cognoscant : vel certe credendum est, eas non solum intellectualia, verum etiam sensibilia absque ullo corporalium sensuum adminiculo cernere posse, sicut Elisaeus [20] Naaman Syrum se in Jordane lavantem spirituali oculo vidit. *Neque* [21] *ut varietate sacrae Scripturae theoriae in divinum reductas, sed ut omnis immaterialis scien-*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *eo.* [2] B *excelsissimi.* [3] Sic et rad. corr. B', AB *motam.* [4] B fort. *quum.* [5] B *admouent.* [6] B ad *lus* marg. adscr. *sive* fundamentum. [7] B' marg. adscr. *ostendit.* [8] B *sit.* [9] B *principalis* (punct. adj. et *lus* supra scr. B'. [10] Sic C; AB *exempla*, B' corr. *exemplo.* [11] Sic. CA *erga subjectos sibi subjectos.* B : *erga subjectos sibi subjectos* (punct. B' subj. videtur). [12] A *duppliciter*, B *dupp'iciter* (punct. adj. B'). [13] B *sit sensus.* [14] B *dare*, B' corr. *clare.* [15] Conj., ABC *eis.* [16] Sic C, A *intellectuum visibilis*, B *intellectuim visibilis* (punct. adj. B'). [17] B'' supra adscr. *per* intellectualia. [18] B *mysteria occulta.* [19] Rad. corr. B', ABC *dum.* [20] AB *helisaeus.* [21] B *nec.*

tiae [1] *altioris luminis repletas, et formificae et principalis pulchritudinis et* [2] *superessentialis et ter lucentis contemplationis, quantum fas, refertas* [3]. Neque, inquit, aestimandum [4] contemplativas esse eas sensibilium symbolorum et intellectualium rerum speculationis, altae plane intelligentiae, ut [5] reductas, hoc est, quasi reductas in Deum ex varietate theoriae sacrae Scripturae. Non enim, sicut nostra mens, quae praevaricando divinos deseruit intellectus, ad eosdem iterum per varietatem et multiformitatem sacrae Scripturae contemplationis reducitur, ita principales essentiae primae ierarchiae in Deum reducuntur; sed sicut satiatas omni immateriali scientia altioris, divinioris videlicet, luminis et refertas, quantum fas est, hoc est, quantum licet creaturae, formificae et principalis pulchritudinis et [6] superessentialis et ter lucentis [7] contemplatione. Plenae siquidem sunt supermundana scientia luminis, quod superat omne [8] lumen, et causalis pulchritudinis, quae formificat omnia, ut [9] superessentialis contemplatione. Ideo autem dicitur caelestium essentiarum ceteras supereminentium ierarchia plena contemplatione, superessentialis [10], et ter lucens, vel ter apparens, vel ut simpliciter transfertur, *triluce*, quoniam ante alias inferiores essentias superessentialitatem totius universitatis causam immediate conspicatur. Quae etiam triluca non immerito dicitur, quoniam ter lucet; siquidem in tribus substantiis unius ejusdemque essentiae clarissime rutilat se quaerentibus pie et intelligentibus vere; lucet enim in Patre, a quo omnia; lucet in Verbo, per quod omnia; lucet in dono [11], quo beata sunt omnia. Et notandum quod, ubi transtulimus pulchritudinis, ibi in Graeco κάλλους [12], quod potest transferri et *formae* et *pulchritudinis*. Nec distat sensus. Nam divina bonitas, sicut formifica [13], ita et pulchrifica est omnium. *Communicatione autem Jesu similiter digne factas*, vel ut [14] simpliciter transfertur: Jesu autem communione similiter dignas; a superioribus suppletur: aestimandum dignas [15] esse communione, participatione scilicet Jesu. *Similiter* autem dixit, ut intelligamus, aut sicut praefatis virtutibus, ita et Jesu communione dignas, aut quia tres ordines primae ierarchiae similiter, hoc est, aequaliter communicatione Jesu digni facti sunt. *Non in imaginibus sacre factis formative figurant deificam similitudinem, sed ut vere ipsi approximantes in prima participatione scientiae* [16] *deificorum* [17] *ejus luminum.* Non in imaginibus, inquit, sacre factis, hoc est, non in symbolis sicut nos divinitus [18] plasmatis, forma-

A tive, in aliqua plane forma, figurant, vel ut expressius transfertur, reformant deificam in seipsis similitudinem. Non siquidem adhuc veluti parvuli in symbolis sanctisque figmentis divinam similitudinem, qua nunc in fide deificamur [19], et in specie deificabimur, in [20] nobis formamur [21], sed ut vere, hoc est, absque ullo figmento ipsi, videlicet Jesu, approximantes in prima participatione sunt scientiae deificorum [22] ejus luminum, hoc est, deificantium se ejus, Jesu plane, illuminationum. Nulla quippe imaginatio, nullum sacramentum vel figmentum formatum inter eas est medium et ipsum Jesum Christum, cui proximae sunt. *Et quia Deo simile ipsis subjectissime donatum est;* semper superius verbum repetitur: est aestimandum [23], quia Deo

B simile ipsis donatum est, hoc est, Dei similitudo donata est subjectissime, proxima [24] videlicet subjectione, siquidem, dum omnia Deo subjecta sunt, subjectissimum, hoc est, proximum subjectum sibi est trinus primae ierarchiae ordo. *Et communicant hujusmodi, ut possibile, in praeoperatrice virtute deificis ipsius et humanis virtutibus.* Quoniam, inquit, divina similitudo ipsis donata est, veluti proximo subjecto, propterea etiam communicant hujusmodi ordines [25], quantum eis datur, in praeoperatrice, quae in eis praeoperatur, virtute deificis et humanis, id est, clementibus seu humanitatem diligentibus ejus virtutibus, cum [26] cooperatrices sint et administratrices nostrae salutis et deificationis. *Perfectas autem similiter, non ut sacra varietate analyticam* [27]

C *scientiam illuminatas, sed ut primae et supereminentis deificationis* [28] *repletas, secundum excelsissimam, quantum in angelis, divinorum operum scientiam.* Aestimandum similiter; hoc est, prioribus beneficiis aequaliter perfectas esse, non quasi illuminatas, sicut nos, sancta symbolorum varietate in analytica scientia vel disciplina [29]. Utrumque enim significat ἐπιστήμην; nam et in scientiam et in disciplinam vertitur. Noster quippe animus ipsa disciplina, quae a Græcis dicitur ἀναλυτική, per sacram symbolorum varietatem illuminatus, in altitudinem supernae deificationis reducitur. Duae quippe partes sunt dialecticae disciplinae, quarum una διαιρετική, altera ἀναλυτική nuncupatur. Et διαιρετική quidem divisionis vim possidet; dividit namque maximorum

D generum unitatem a summo usque deorsum, donec ad individuas species perveniat, inque iis divisionis terminum ponat; ἀναλυτική vero ex adverso sibi positae partis divisiones ab individuis sursum versus incipiens, perque eosdem gradus, quibus illa descen-

VARIAE LECTIONES.

[1] B* rad. corr. *immateriali scientia.* [2] sic AB. [3] B* corr. *est* refertas. [4] B* supra adscr. *est.* [5] B* marg. adscr. *neque* ut. [6] *et* om. A., rad. corr. B*, B habuisse videtur *ut.* [7] Verba *et ter lucentis* B ad marg. adscr. [8] A *omnem.* [9] B* rad. corr. *et.* [10] B* marg. adscr. *luminis.* [11] Rad. corr. B, AB *domo.* [12] Emend., AB καλλου, C καλλοι. [13] A *et* formica. [14] AB *velut* (B *velud*), C. *vel ut.* [15] Sic C et corr. B*, AB *digna.* [16] B *scientiae* (punct. adj. videtur B*). [17] Corr. B*, ABC *deificum.* [18] B *diviniter.* [19] A *deificamus.* [20] B* supra adscr. *et* in. [21] B* corr. *formabimur.* [22] Corr. B*, ABC *deificum.* [23] Sic supra adscr. B*, AB *et.* [24] Sic C et corr. B*, AB *proximo.* [25] A *ordinis.* [26] *cum* om. AB, marg. adscr. B*, C *ut.* [27] B* adscr. et punct. adj. corr. *in analytica scientia.* [28] B rad. corr. *prima et supereminenti deificatione.* [29] A *in analyticam scientiam vel disciplinam*, B. *in analyticam scientiam vel disciplinam* (punct. adj. B*)

dit, ascendens, cumvolvit et colligit, easdemque in unitatem maximorum generum reducit; ideoque reductiva dicitur seu reditiva [1]. Ac per hoc rationalis anima, poenam praevaricationis suae luens, in multiplices multiformesque temporalium rerum appetitus veluti quadam diaeretica vi [2] partita [3] est et scissa, donec partitionis suae in amore rerum corporalium terminum posuerit [4], infra quem prodire non potuit. Sed iterum Creatoris sui gratia praeventa, salvata, adjuta, revocata, quibusdam gradibus analyticis in seipsam recolligitur, ac deinde [5] in unitatem Creatoris sui, quam peccando sciderat, in deificationis virtute restauratur. Non ita est in caelestibus essentiis, praesertimque eminentibus, quae nunquam Creatoris sui unitatem disruperant [6]. Non enim eas ἀναλυτικῇ [7], id est, reductiva sive reditiva [8] scientia reduci aestimandum, sed veluti prima et superexcellenti deificatione repletas juxta eminentissimam divinorum operum scientiam, quantum angelis datur, eas debemus honorificare, quoniam immediate ab ipsa divina virtute et illuminantur et perficiuntur. Et hoc est quod sequitur: *Non enim per alias sanctas essentias, sed ab ipsa thearchia* [9] *sanctificatae, in ipsam immediate extenduntur, omni supereminenti virtute et ordine, et ad castissimam omnino fortitudinem collocantur, et ad immaterialitatem et invisibilem pulchritudinem, quantum fas, in contemplationem adducuntur, et divinorum operum scibiles rationes, ut primae et circa Deum essentiae, flectuntur, et ab ipso perfectionis principe excelsissime sanctificatae sunt.* Nullius expositionis indiget haec sententia; in quibusdam tamen anceps haec [10] interpretatio est. Quippe, ubi transtulimus: ad castissimam omnino fortitudinem, ibi potest etiam transferri: ad castissimam inflexibilitatem; ἀῤῥεπές [11] enim in Graeco est [12] scriptum, quod [13] et fortitudinem et inflexibilitatem significat. Nec tamen differt sensus, quoniam vera fortitudo a nullo flecti potest. Similiter ubi invisibilem pulchritudinem, ibi intelligibilem decorem potest quis ponere [14], in eodemque [15] tamen intellectu. Nam invisibilis pulchritudo nil aliud est, quam intelligibilis decor; siquidem εὐπρέπεια [16] et in pulchritudinem vertitur et decorem. Ubi quantum fas, ibi potest dici quantum licet, vel quantum lex, vel quantum justum. Ex uno enim Graeco vertuntur θεμιτόν in uno intellectu; omne quippe fas et licet, et lex est, et justum est. Item ubi: et circa Deum essentiae flectuntur, pro flectuntur potest transferri [17] perficiuntur, vel docentur, vel initiantur, vel imbuuntur. Haec quippe omnia ab uno graeco verbo veniunt, quod est μυοῦμαι [18], cujus tertia persona pluralis est μυοῦνται [19], et in tot praefatas interpretationes verti [20] potest, quae nunc loco conveniunt; nam μυοῦνται [21], dum vertitur in oculos cohibent, huic sententiae convenire non video. Ubi posuimus: sanctificatae sunt, ibi et sacrificatae et immolatae in eodem tamen sensu possumus [22] ponere. Perfectionis autem princeps est, quae graece τελεταρχία vocatur, ipsa Divinitas, quae sibimet excelsissime, hoc est, in summitate universitatis ordines primae ierarchiae sanctificat, sacrificat, immolat.

§ 3. *Hoc ergo theologi aperte declarant, suppositas quidem caelestium essentiarum dispositiones a* [23] *superfirmatis ordinate erudiri deificas scientias; omnium vero altiores ab ipsa thearchia, quantum fas, doctrinas illuminari.* Declarant, inquit, apertissime theologi, prophetae videlicet in visionibus suis hoc, quod in caelestium essentiarum dispositionibus, ordinationibus plane, suppositi [24] ordines a superfirmatis, hoc est, excelsioribus ordinata lege eruduntur in deificis scientiis, in divinorum scilicet intellectuum multiplicibus disciplinis, quae eos deificant: altiores vero omnium, tres scilicet primae ierarchiae ordines, qui ceteras caelestes essentias dignitate praecellunt, ab ipsa Divinitate, quantum divina sinit lex, in doctrinis ineffabilibus illuminantur. Ipsa siquidem Divinitas proximos sibi ordines docet, ipsi autem inferiores erudiunt, ac sic [25] gradatim usque ad novissimum ornatum per superiores in inferiores divina descendit doctrina. *Quasdam enim earum introducunt a prioribus sacre eruditas, Dominum esse caelestium virtutum, et regem gloriae in caelos humanitus receptum.* Exemplo approbat quod dixit. Introducunt enim, inquit, ipsi theologi in visionibus suis quasdam eruditas essentias a prioribus. Et in quo eruditae sunt? In eo plane, quod Dominus caelestium virtutum, et rex gloriae in ipsa humanitate, quam ex nobis propter nos acceperat, in caelos assumptus est, hoc est, quod humanitas Domini nostri Jesu Christi, qui est Dominus virtutum et rex gloriae, in suam divinitatem, quam caelos appellant, post resurrectionem exaltata sit, et quod utriusque naturae, divinae videlicet atque humanae, proprietatibus incommutabiliter ex unitate substantiae permanentibus, quemadmodum Verbum caro factum est, ita caro Verbum facta totus Deus in totis suis naturis. Et ne mireris, divinitatem Christi pluraliter caelos vocari. Si enim ipse multiplex et infinita sapientia Patris est, dum sit una et individua, et si

VARIAE LECTIONES.

[1] B *recitiva*, corr. B* *reditiva*. [2] Conj., AB *quedam diaretica vi*, B* pro *diaretica* corr. *dialetica*. [3] C *quadam dioretica impertita*. [4] B* corr. *posuit*. [5] B *demum*. [6] B *diruperant*, B* corr. *diruperunt*. [7] ABC ἀναλυτικα. [8] Sic C, AB *recidiva*. [9] Ex text. gr. et vers., AB *ierarchia*. [10] *haec* om. B. [11] AB ἀῤρεπης, C *panarepes*. in textu graeco legis πανᾀῤῥεπές. [12] *est* om. B. [13] B *quod* (punct. adj. B*). [14] Pro *quis ponere* B* rad. corr. *exponi*. [15] B* rad. corr. *eodem*. [16] AB εὐπρεπια C *euprepia*. [17] ABC *fieri*, B* supra adscr. *trans-*, et rad. corr. *feri* (forte leg. *dici*). [18] AB μυομαι, C *myan*. [19] AB μυονται, C *myonte*. [20] B *transferi*. [21] AB μύονταν, C *myonte*. [22] Sic C et corr. B*, AB *posuimus*. [23] *a* om. AB, ad marg. adscr. B*. [24] A *supposi*. [25] Corr. B*, ABC *si*.

ipsa, Christi videlicet divinitas, una et singularis domus est Patris, et tamen in ipsa multae mansiones sunt, quid expedit, si eadem credatur et intelligatur caelum et caeli? Caelum quidem propter supersubstantialitatis suae excellentiam; caeli vero propter sapientiae suae multiplicem infinitatem, quoniam sapientiae ejus non est numerus. Quaedam vero caelestes virtutes a superioribus semper discunt, quomodo Jesus Dominus est [1] caelestium virtutum et rex gloriae, et quomodo humanitas ipsius in divinitatem assumpta est, non ut assumptionis ipsius [2] modum intelligant; superat quippe omnem intellectum; sed ut ipsam assumptionem supernaturaliter et ineffabiliter esse factam cognoscant. *Quasdam vero apud ipsum Jesum Christum* [3] *quaerentes, et pro nobis suae divinae actionis scientiam discentes, et eas Jesum* [4] *in medietate* [5] *docentem et praelargiens eis manifestantem suam humanam benignitatem.* Introducunt quoque, inquit, theologi quasdam, hoc est, excellentissimas caelestes essentias, apud ipsum Jesum immediate semper esse, quaerentes et discentes ab ipso suae pro nobis divinae actionis, hoc est, incarnationis, et passionis, et resurrectionis, et assumptionis in caelum scientiam. Et introducunt ipsum Jesum docentem eas immediate et manifestantem iis [6], praelargiens, hoc est, prius quam ceteris largiens, vel sicut etiam potest interpretari, praelargientem [7] suam humanam, hoc est clementem erga salutem humani generis benignitatem. *Ego enim*, inquit, *disputo justitiam et judicium Salutaris.* Sententia sanctae Scripturae approbat, quod Dominus Jesus proximas sibi caelestes essentias semper doceat. Ego, inquit, Jesus videlicet, disputo justitiam et judicium Salutaris, mei profecto, qui [8] caelestium et terrestrium salus sum, et pax, et redemptio. Quae enim major justitia est, quam ut [9] Creator creaturam, quam ad imaginem suam fecerat, ab erroribus suis revocet similemque sui restituat; quid majus judicium, quam ut puniat in creatura, quod non fecit, liberet, quod fecit. Hinc Psalmista ait: « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine » : misericordiam videlicet liberando naturam, judicium vero puniendo delictum. *Miror autem, quia et caelestium essentiarum primae, et tantum simul omnes supereminent thearchicis illuminationibus ut mediate quaestiones reverenter* [10] *appetunt.* Ordo verborum : Miror, quia appetunt ut mediate quaestiones reverenter primae caelestium essentiarum, et supereminent tantum simul omnes thearchicis illuminationibus. Et est sensus : Miror,

A inquit, cum [11] sancti theologi primas caelestes essentias ab ipso immediate doceri introducunt, quia ipse, dum in tantum, quantum praediximus, ceteras omnes simul in divinis illuminationibus supereminent ut mediate, hoc est, veluti superiore natura interposita, quaestiones reverenter appetunt, id est timide, quod graece dicitur εὐλαβῶς, desiderant. Εὐλαβεία enim est cum amore timiditas vel verecundia. *Et enim non inde interrogant*, hoc est, et enim non ipsum Jesum immediate interrogant, *quare tui* [12] *rubra vestimenta?* vel sicut in melioribus exemplaribus invenitur, *quare tui* [13] *coccinea vestimenta? Apud seipsas* [14] *vero deliberant ante interrogare*, vel simpliciter transfertur, apud se ipsas cunctantur [15] vel haesitant [16] ante dicere. Potest et sic intelligi :
B et enim non inde interrogant, et enim ne inde, ab ipso videlicet Jesu, interrogant. Siquidem praedixit, ut mediate, id est quasi mediate, non autem omnino mediate; nulla quippe creatura inter ipsas et Jesum altior est, ut praefatis rationibus inconcusse definitum [17]. Cur autem quasi mediate, non autem penitus immediate, vel penitus mediate interrogant? Rationem reddit : apud se ipsas vero deliberant interrogare, velut planius transfertur, dicere; deliberant quippe altitudine mysteriorum expavefacti, utrum interrogarent [18] necne. Et ipsa [19] deliberatio veluti [20] quaedam medietas a theologis vocatur. Ideoque neque medietas est, neque [21] immedietas. Mihi autem videtur non aliunde hanc deliberationem excellentium essentiarum theologos
C intellexisse, nisi ex ipsa visione, quae describit, duo Cherubim [22] se invicem intueri et quasi consiliari, quod etiam iste magister in sequentibus voluisse videtur. *Ostendentes quidem, quia discunt, et deificae scientiae* [23] *appetunt*, hoc est, per hanc deliberationem ostendunt, quia discunt, et deificam scientiam, quae se [24] deificat, ab [25] Jesu petunt. *Non autem praesilientes per* [26] *divinam processionem inditam illuminationem* ; hoc est, non ita petunt divinam scientiam, ut praeoccupent inditam sibi illuminationem per divinam processionem [27]. Nihil enim petunt, nisi prius processione divini luminis cognoscant, utrum petant, et quid, et quomodo petere eos oportet. Et hoc est quod dicit [28] : non praesilientes inditam illuminationem divinae processionis. *Non* [29] *ergo prima caele-*
D *stium intellectuum ierarchia* [30], *ab ipsa τελεταρχίᾳ sanctificata, quae in eam immediate extenditur* [31], *sanctissima purgatione multo lumine anteperfectae consummationis, proportionaliter eam implens, purgatur, et illuminatur, et perficitur.* Ordo verborum : Nonne

VARIAE LECTIONES.

[1] B *est dominus.* [2] B *illius.* [3] *Christum* om. C, vers. et text. gr. [4] Sic AB; vers. et text. gr. *ipsum Jesum.* [5] Corr. B', A *in medietatem*, B *immedietatem.* [6] B *eis.* [7] B *praelargienter.* [8] A *quidem.* [9] A *et.* [10] AB *ut* reverenter. [11] B *com.* [12] B' corr. *tua.* [13] B' corr. *tua.* [14] Corr., AB *seipsos.* [15] Sic C et rad. corr. B'; AB *cunctanter.* [16] AB *esitant*, B' supra adscr. *hesitant.* [17] B' supra adscr. *est.* [18] Conj., AB *deliberabant.* [19] Sic C et corr. B'; AB *ipse.* [20] A *velut.* [21] B *nec.* [22] B *cherubin*, sic ubique. [23] B' rad. corr. *deificam scientiam;* C *ostendens* quidem q. d. et *deificam scientiam.* [24] *se* om. B. [25] In B rad corr. *a.* [26] B *per.* [27] *inditam illuminationem, hoc est non ita petunt — processionem* om. B. [28] B *dicitur.* [29] B' corr. *Nonne.* [30] A *ierarchi.* [31] *extenditur* om. AB, addidi ex vers. et text. graec.

ergo purgatur, et illuminatur, et perficitur prima caelestium intellectuum ierarchia, ab ipsa τελεταρχία, hoc est, ab ipsa Divinitate, quae hostiarum princeps est principium [1], sanctificata seu, ut commodius transfertur, quamvis inusitatius, pontificata; et [2] subauditur : Eo modo, quo in eam [3] immediate extenditur sanctissima purgatione; multo lumine, in multo lumine, vel infinito lumine, vel magno valde lumine, vel purissimo lumine, haec enim omnia ab uno graeco vertuntur ἀπλέτου; ante perfectae consummationis, quod etiam potest interpretari, anteperfectae consummativae vel perfectivae theletarchiae; plane proportionaliter eam, ierarchiam scilicet, implens; suo siquidem infinito lumine theletarchia primam implet ierarchiam. *Omni quidem* [4] *minoratione pura, primi vero luminis* [5] *plena, et primo datam* B *cognitionem et scientiam participans perfecta.* Pura, inquit, omni minoratione, hoc est, omni subjectione absoluta [6]; nulli enim creaturae ordine et dignitate subjicitur; plena autem primi luminis, divini videlicet, et perfecta; primo datam cognitionem et scientiam participans, hoc est, dum participat ex primo data cognitione et scientia, sive, ut commodius transferendum, primo datae cognitionis et scientiae participans. *Comprehendens autem et* [7] *hoc dixerim fortassis non immerito, quia et purgatio est, et illuminatio, et perfectio divinae scientiae assumptio.* Tanquam si quis interrogarit, quae sit ipsa purgatio, et illuminatio, et perfectio, respondet dicens; comprehendens, hoc est, breviter colligens : Et non immerito dixerim, quia assumptis divinae scientiae [8] purgatio C est, et illuminatio, et perfectio. Una enim eademque divina scientia assumpta sumptores suos et purgat, et illuminat, et perficit. Ubi autem posuimus : Non immerito, ibi in Graeco οὐκ ἀπεικότως, quod commode ac proprie transfertur « non indecore », seu « non indecenter ». Et iterum veluti interrogaretur, quid divinae scientiae assumptio purgat? quid illuminat? quid perficit? et in quo? et quomodo? confestim explanat : *Ignorantia* [9] *quidem utpote purgans, secundum ordinem indita scientia perfectiorum doctrinarum, illuminans autem ipsa divina cognitione, per quam et purgat non prius contemplantem, quam manifestat per altiorem illuminationem, et perficiens iterum ipso lumine, secundum habitum scientia lucidissimum doctrinarum.* Purgat, inquit, utpote, hoc D est, verbi gratia ab ignorantia per inditam ordinate scientiam perfectiorum doctrinarum, hoc est, per insitam in primo ordine caelestium essentiarum, de quo sermo est, perfectiorum doctrinarum scientiam. Perfectiores [10] enim primae ierarchiae, quam cete-

A ris, divinorum intellectuum doctrinae inditae sunt, perfectiorque earum scientia [11]. Discis quippe semper ab ipsa Deitate divina mysteria, quae eam latent. Illuminat autem ipsa divina cognitione, hoc est, eadem divina scientia, per quam et purgat non prius contemplantem, primam videlicet ierarchiam, quae non contemplatur, nisi prius purgatur; quam manifestat, hoc est, quam ierarchiam declarat ipsa scilicet divina cognitio, per altiorem quam ceteris datur illuminationem, et perficiens iterum, quasi tertio gradu, eodem lumine scientia, hoc est, in scientia lucidissimarum doctrinarum, quae est secundum habitum. Purgat itaque primitus divinae scientiae assumptio primam ierarchiam per inditam scientiam perfectioris doctrinae. Deinde illuminat eam, quae, B prius [12], quam purgetur, non contemplatur, per declarationem altioris illuminationis divinorum arcanorum. Tertio eam [13] eadem illuminatione in habitu incommutabili apertissimarum perficit doctrinarum. Aliud enim [14] purgare ab ignorantia, aliud illuminare per disciplinam, aliud perficere animum in habitu inconcusso scientiae intellectarum purgatissime rerum divinarum.

§ 4. *Ipsa ergo est, quantum ad nostram scientiam, prima caelestium essentiarum dispositio, in circuitu Dei et circa Deum immediate stans, et simpliciter et incessanter circumiens aeternam ejus scientiam, secundum excellentissimam, quantum in angelis, semper mobilem collocationem.* Ipsa est [15], inquit, quantum nostrae scientiae, humanae videlicet [16], datur cognoscere, prima caelestium essentiarum C dispositio [17], id est, primus ornatus in circuitu [18] Dei et circa Deum, generaliter plane [19], sicut et ceterae essentiae, in circuitu Dei, specialiter vero circa Deum; immediate quidem, nulla creatura interposita; nam et duodecim tribus Israel in circuitu tabernaculi testimonii undique castra metabantur, longius tamen, circa vero tabernaculum immediate et proxime summi sacerdotes et levitae; stans, stat quippe ipsa; et simpliciter, hoc est universaliter, et incessanter circumiens [20], sive, si volueris transferre, incomprehensibiliter ambiens aeternam ejus scientiam. Stat ergo et, dum stat, universaliter et incessanter vel incomprehensibiliter circumit [21] vel ambit aeternam Dei scientiam. Stat quidem, quia uniformiter in eodem permanet, ambit vero et circumit [22] D universaliter, quia [23] nihil est in divinis abditis, quod non inquirat : spiritus enim scrutatur etiam profunda Dei; et incessanter, quia semper movetur; incomprehensibiliter vero, quoniam nec a se [24] ipsa [25], nec ab inferioribus comprehenditur, quomodo vel qualiter aeternam Dei scientiam ambit vel circumit.

VARIAE LECTIONES.

[1] B* supra adscr. *et* principium. [2] ABC *quod*, B* *quod* punct. insignivit et ad marg. adscr. *et*. [3] A *ea*. [4] B *siquidem*. [5] Corr. B*; pro *vero luminis*, AB *voluminis*; *vero* om. C. [6] Sic C; A *absolutam*, B *absolutam* (punct. adj. B*). [7] *et* om. AB, add. ex vers. et text. graec. [8] B *sapientiae*. [9] B* ad marg. adscr. *Ab* ignorantia. [10] A *Perfectionis*. [11] B* supra adscr. *est* scientia. [12] Sic C et corr. B*, AB *proprius*. [13] Pro *eam* B *vero*. [14] B* supra adscr. *est*. [15] A est *et*, inquit; *et* rad. del. B. [16] B *scilicet*. [17] B *essentiarium cognicio dispositio* (punct. B* adj. videtur). [18] AB *circumitu*, sic ubique; sed B semper, uno hoc loco excepto, rad. corr. *circuitu*. [19] *plane* om. B. [20] B *circumiens*, sed rad. corr. *circuiens*. [21] B *circumit* (punct. adj. B*). [22] B rad. corr. *circuit*. [23] B *quoniam*. [24] Sic C; pro *nec a se* A *necesse*, B *ncce*. [25] B *illa*.

Ambit autem aeternam scientiam, non ut exterius eam [1] circumscribat, sed ut interius eam lustret. Quaenam creatura sit, quae aeternam sui Creatoris scientiam ambire possit, quae omnia intra se [2] continet atque coartat? Secundum excellentissimam, quantum angelis conceditur, semper mobilem collocationem; semper quippe collocatio ejus, hoc est, status mobilis est, et motus collocabilis uniformiter, videlicet stabilis. Quid mirum, dum et hujus sensibilis sphaerae [3] stabilis motus sit, quoniam uniformiter movetur, et status mobilis, quoniam semper movetur [4]! *Multas quidem et beatas videns pure contemplationes, simplos* [5] *vero et immediate fulgores illuminata, et divino alimento repleta.* Multas, inquit, et beatas theorias prima ierarchia pure videt. Ipsa quidem divina sapientia, quam clare conspicatur, multiplex est et beata. Quoniam vero ipsa multiplex sapientia simpla est et individua, propterea simplices suos fulgores in primam primitus diffundit ierarchiam, quibus illa illuminatur, ac veluti divino alimento, sive, ut planius transfertur, divina laetitia satiata repletur. *Multa quidem primo data fusione, sola vero domestica et unifica divinae refectionis unitate; multaque communione Dei et cooperatione digna effecta ad eam, ut possibile, similitudine bonarum habitudinum et actionum.* Verborum constructio talis est : Digna effecta est multa primo ante alias ierarchias fusione sapientiae, sola vero, hoc est singulari, domestica, proxima plane, et unifica divinae refectionis unitate; non enim omnis unitas unifica est, sed sola divina; multaque communione Dei et cooperatione digna facta. Eum quippe primo omnium communicat, hoc est participat, eique [6] cooperatur in administratione universitatis infra se conditae. Quomodo communicat et cooperatur? In similitudine, videlicet ad eam, communionem plane, et cooperatione bonarum habitudinum et actionum, quantum potest fieri. In similitudine itaque bonarum habitudinum, hoc est virtutum, virtus enim est habitus rationalis aut intellectualis animi, et in similitudine bonarum actionum communicat Deo, eique cooperatur. *Multaque divinorum superposite cognoscens, et divinae scientiae et cognitionis in participatione, secundum quod fas est, facta.* Factaque est secundum quod fas, hoc est [7], licet, est [8] justum [9], in participatione divinae scientiae et cognitionis, cognoscens, dum cognoscit, supereminenter multa [10] divinorum, subauditur intellectuum. Sequitur : *Propterea et laudes ipsius theologia his, qui in terra* [11] *sunt, tradidit, in quibus mirabiliter manifestatur*

A *excelsissimae ipsius illuminationis eminentia.* Laudes ipsius dicit, quibus Deum glorificat theologia, hominibus tradidit [12]. *Alii quidem enim ejus, sensibiliter dicere* [13], hoc est, alii quidem participes ejus, primae videlicet ierarchiae, sensibiliter dicere [14] a [15] theologis traduntur, *tanquam vox aquarum reboant : Benedicta gloria Domini ex loco suo* [16]. *Alii vero illam valde laudabilem et piissimam reclamant theologiam : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus* [17] *Sabaoth, plena est omnis terra gloriae ejus.* Ubi posuimus piissimam, ibi etiam honorabilissimam, vel valde adorandam [18] potest interpretari. Quod autem dicit, sensibiliter eos dicere [19], non facile patet, utrum veluti per quaedam spiritualia corpora [20] sibi connaturaliter adjuncta, in quibus etiam humanis visibus

B apparuisse divina tradit historia, praefatas laudes corporeis sensibus sensibili voce coaptatas hymnizant [21], an quia propheticis visionibus ita apparuere veluti sensibiles, in similitudine videlicet sensibilium vocum prolatae. Verumtamen quoquomodo sint, ab excelsissimis primae ierarchiae essentiis eas fieri theologus iste testatur. Ait enim : *Has autem excelsissimas caelestium animorum hymnologias jam quidem in his quae sunt de divinis laudibus, quantum possibile, aperuimus, et dictum est de his in illis, quantum ad nos, sufficienter; ex quibus in admonitionem sufficit dicere tantum secundum praesens tempus.* Ex hac sententia possumus cognoscere, de divinis laudibus ipsum scripsisse, quoniam in libro de divinis nominibus ex amatoriis hymnis sancti Jerothei quae-

C dam introduxit, in quibus de praedictis laudibus nihil tractatur. Ubi posuimus admonitionem [22], ibi ὑπόμνησιν in Graeco, hoc est, admonitionem vel recordationem. Sufficit, inquit, haec pauca ex divinis laudibus ad praesens tempus in admonitionem vel recordationem dicere. *Quia theologicam* [23] *scientiam ipsa prima dispositio* [24], *quantum fas, illuminata est a thearchica bonitate*, hoc est, quia prima ierarchia illuminata est in theologicam scientiam ab ipsa divina bonitate. Et ne mireris constructionem : illuminata theologicam scientiam; est enim rata, dicimus quippe illuminor [25] a te artem, doceo te disciplinam. *Qua tanquam deiformis ierarchia et aliis quidem eandem deinde tradidit*; hoc est : ex qua divina bonitate, vel ut planius transfertur, ex eadem divina bonitate;

D tanquam deiformis; quemadmodum quippe divina bonitas conformat omnia, ita et ipsa prima ierarchia ceterarum sequentium se deiformis est, hoc est, eas sicut Deus format; et aliis quidem eandem deinde tradidit, id est, eandem divinam bonitatem, qua

VARIAE LECTIONES.

[1] A *eum*. [2] *se* om. B. [3] AB *spere*. [4] *et status mobilis quoniam semper movetur* om. B. [5] Sic AB. [6] B* corr. *atque*. [7] B *quod hoc fas est*, B* adscr. corr. *quod fas est fas est*. [8] Conj., AB *et*. [9] B* adscr. *est*. C *in participatione secundum quod fas est, hoc est licet et injustum* in participatione cet. [10] Sic C, AB *supereminentem multam*. [11] A *intra*. [12] *in quibus mirabiliter — tradidit* om. B. [13] *dicere* om. B. [14] B* corr. *dicendo*. [15] B *hoc est a*. [16] Verba supra omissa : *in quibus mirabiliter — eminentia* B ad marg. adscr., sed falso huc inserenda esse indicavit. [17] Sic AB, in Graeco Θεός deest. [18] Sic C, et corr. B*, AB *adorantem*. [19] B *dicere eos*. [20] B *corpora spiritualia*. [21] AB *ymnizant*, sic ubique. [22] B* corr. *ammonitionem*. [23] B *quia ipsam theologicam* (puncta B* adj. videtur). [24] Sic C et corr. B*, AB *depositio*. [25] Corr. B*, AB *illumino*, B* marg. adscr. *vel erudior*. C *illumino te artem*.

primo illuminatur, aliis deinde, sequentibus videlicet se, distribuit. *Illud per brevitatem dicere subintroducens*, hoc est, illud breviter dicere subintroducit ipsa ierarchia, *ipsam* [1] *piissimam et plus quam laudabilem et laudabilissimam thearchiam fas est benedictam* [2] *esse a theodochis* [3], *quantum possibile* [4], *cognosci et laudari*, *intellectibus; ipsi enim sunt tanquam deiformes divini loci thearchicae*, *ut eloquia aiunt*, *quietis*. Hoc est, inquit, quod breviter subintroducit prima ierarchia, quod fas est et lex et justum. Ipsam piissimam, vel honorabilissimam, vel valde adorandam, et superlaudabilem et laudabilissimam Divinitatem fas est benedictam [5] esse a theodochis intellectibus, ex recipientibus videlicet Deum intellectibus. Ipsi enim intellectus, qui Deum recipiunt, tanquam deiformes divini loci sunt divinae quietis, ut sancta testantur eloquia. In ipsis siquidem Deus quiescit. Theodochos autem dicitur quasi θεοῦ δοχός, hoc est, Dei receptor. Quo nomine omnis purus animus sive humanus sive angelicus potest vocari. In ipsis enim duobus Deus quiescit. Et *quia monas est et* [6] *unitas*, *tres substantialiter*. Hoc quoque subintroducit [7] sequentibus se ierarchiis prima ierarchia caelestis, quod thearchia, id est Divinitas, monas [8], hoc est unitas; tres substantialiter, Divinitas quippe unitas est in essentia, trinitas in substantiis. Inter monada autem et enada, quamvis apud nos unam habeant interpretationem, monas enim dicitur unitas, similiter enas unitas, talis differentia videtur interesse, quod monas sit proprie ipsa unitas, ex qua omnes numeri procedunt, principium quippe et causa est totius numerositatis, enas [9] vero est ipsa unitas substantiarum sive in superessentiali [10] essentia, quae Deus est, sive in generibus, sive in formis, et simpliciter in omnibus, quae unam eandemque participant essentiam. Divina itaque bonitas monas est, quoniam principium et causa est omnium quae sunt, enas [11] autem, quoniam unitas est [12] in tribus substantiis, et tres substantiae in unitate essentiae. *A supercaelestibus essentiis usque ad novissima* [13] *terrae extendens bonitatem suam in omnia quae sunt providentiam*. Hoc item prima ierarchia in laudem Divinitatis subintroducit, quod a sublimissimis caelestibus essentiis usque ad novissima terrae intendit bonitatem suam, videlicet in omnia, quae sunt, providentiam. Et nemo arbitretur, me per ignorantiam transtulisse: extendens, pro graeco participio feminino διεῖσα, quod nascitur a verbo διίημι, hoc est pervenio [14] vel penetro; hoc enim propter facilitatem intelligentiae feci [15]. Sed si quis proprietatem interpretationis sequi voluerit, pro extendens potest dicere pervenire [16] vel penetrare faciens, ut talis sit sensus: A supercaelestibus essentiis usque ad novissima terrae bonitatem suam, hoc est providentiam, omnia, quae sunt, penetrare facit. *Tanquam omnis essentiae superprincipale principium et causa*, *omnia superessentialiter immensurabili continentia circumligans*. Non inmerito, inquit, providentia ejus extenditur in omnia, vel penetrat omnia. Est enim omnis essentiae superessentiale principium, et omnia superessentialiter immensurabili continentia circumligat. Ubi similiter, ut facilius intelligeretur, circumligans transtuli pro graeco participio περιδεδραγμένη, quod proprie interpretatur palmo vel pugno comprehendens. *Finit capitulum septimum. Incipit octavum.*

CAPITULUM VIII.

Cujus praefatio est:

De Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus et de media earum ierarchia [a].

§ 1. *Transeundum nunc nobis in* [17] *mediam caelestium intellectuum expositionem*, *Dominationes illas supermundanis oculis*, *quantum possibile est*, *explorantibus*, *et vere potentia speculamina divinarum Potestatum et Virtutum*. Post explanationem, inquit, primae et sublissimae ierarchiae transeundum nunc in mediam ierarchiam, quae etiam secunda est, nobis explorantibus, vel sicut proprie transfertur, nobis intuentibus Dominationes [18] illas intellectualibus oculis secundum nostram possibilitatem, et in vere potentia [19] speculamina divinarum Potestatum et Virtutum, similiter subaudis transeundum. *Etenim unaquaeque super nos essentiarum cognominatio propria earum significat virtutes* [20]. *Igitur sanctarum Dominationum manifestativam nominationem aestimo declarare absolutam quandam et omni ignominia minorationis liberam anagogen.* Quod etiam sic possumus interpretari, non servilem quandam et omni subpedestri minoratione liberam anagogen. Hoc quoque in laudibus Thronorum posuit. Ignominiosum quippe est et minorationis et subjectionis, id est, servitutis indicium, pede ingredi, ex qua libera et absoluta est caelestium Dominationum anagoge,

VARIAE LECTIONES.

[1] *ipsam* om. AB, add. ex vers. et text. graec. [2] Sic C, AB *benedicta*. [3] B' corr. *theotochis*. [4] B' adscr. *est*. [5] Sic C et corr. B', AB *benedicta*. [6] *et* om. AB, add. ex vers. et text. graec. [7] B *introducit*. [8] B' supra adscr. *est*. [9] A *enahs*. B *enahs*. [10] A B *sive in superessentiali*, C *sū superessentiali*. [11] A *enahs* B *enahs*. [12] *est* om. B. [13] Rad. corr. B; A *novissimum*, B *novissimam*. [14] Emend., ABC *praevenio*. [15] B *facilitatem feci intelligentiae*. [16] Sic ABC. [17] B' supr. adscr. *est in*. [18] A *donationes*. [19] Sic C et corr. B', AB *vere poten ie*. [20] Sic AB, versio habet: cognominatio *Dei imitatorias* earum *significat deiformes proprietates*, quae cum textu graeco ad verbum conveniunt.

NOTAE

[a] A litteris miniatis: *Finit capitulum septimum. Incipit octavum, cujus praefatio est de Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus et de media earum ierarchia.* B litteris miniatis: *Capitulum nonum de Principibus et Archangelis et Angelis et de ultima eorum ierarchia*; B' in infima parte membranae adscr. *Capitulum VIII de Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus et de media eorum ierarchia.*

hoc est, sursum versus altitudo; nil enim terrenum, nil vile, nil servile ipsarum altitudinem deprimit. *Non assimilat tyrannicarum dissimilitudinum*[1] *ullo modo*, hoc est, se tingit[2] vel colorat illarum altitudo, unam esse tyrannicarum dissimilitudinum. Tyrannica quippe dominatio verae Dominationi dissimilis[3] est. Caelestes autem Dominationes non tyrannice, non superbe, sed modeste et humiliter in amore Dei et subditorum sibi dominantur. *Universaliter eam inclinatam liberaliter*[4] *severam dominationem, omni minutivae*[5] *servituti superpositam*, a superioribus subauditur, *aestimo declarare*, universaliter inclinatam modeste et humiliter et liberaliter severam, sive ut potest transferri, irreprehensibilem[6] dominationem superpositam omni minorativae servituti. *Non indigentem subjectionis omnis et remotam ab universa dissimilitudine et kyriarchiae*[7] *incessanter appetentem*. Aestimo declarare[8] nullius subjectionis[9] indigentem, nisi soli[10] Deo et[11] praecedenti[12] se ierarchiae; et remotam ab omni dissimilitudine, quae eam deformem dissimilemque Creatori[13] suo efficiat[14], et kyriarchiam[15], hoc est, ipsam Divinitatem, quae kyriarchia[16] dicitur, quoniam princeps est et principium totius dominationis, indesinenter desiderat. *Et ad ipsam illius ipsius naturaliter subsistentis virtutis similitudinem, quantum possibile, et seipsam, et quae post eam sunt, deiformiter conformantem.* Hanc sententiam propterea sic interpretati sumus per ambitum, quoniam κυρία[17] in Graeco est positum, cujus interpretatio propria uno non exprimitur verbo, sed sic: naturaliter subsistens virtus, ut sit sensus: Indesinenter appetit similitudinem ad ipsam kyrian[18], hoc est virtutem, quae naturaliter per se subsistit, et quae nihil aliud est, nisi ipsa per seipsam subsistens Divinitas, quae, quantum possibile est, et ipsam, dominationem videlicet, et quae post eam sunt, in inferioribus ordinibus conformat. Videtur enim posse sic breviter[19] transferri: Et ad ipsam ejusdem propriam[20] similitudinem, quantum possibile[21], et se ipsam, et quae post eam sunt, conformantem, ut sensus sit: Et aestimo declarare appetentem ad ipsam propriam similitudinem ejusdem, kyriarchiae plane, quantum possibile, et seipsam, dominationem scilicet, et quae post eam sunt, deiformiter conformantem et effingentem. *Et ad nullum vana videntium, sed ad proprie* 'ON *universale conversam*; in omnibus hujus sententiae colis[22], hoc est membris, subauditur a superioribus: aestimo declarare. Proprie ὂν universale, ipsum summum bonum dicit, quod proprie est, et universale bonum est. Omnia siquidem bona non per se bona, sed participatione universalis boni, quod vere[23] bonum est, bona sunt. Ideoque dixit: ad nullum vana videntium, hoc est, ad nullum eorum[24], quae per se considerata vana videntur. Videntium enim dicit pro visorum, hoc est, quae videntur, usitatissimo[25] Graecorum more, et quia a verbo δόκομαι[26], hoc est video et[27] videor, derivatur, quoniam commune est; ut sit sensus: sed[28] aestimo declarare conversam non ad aliquid eorum, quae vana videntur, quia per se non subsistunt, sed ad id, quod proprie est et universale. Animadvertendum, quod Graeci Deum vocant aliquando neutraliter ὂν, quod est, aliquando masculine ὤν, qui est. *Et kyriarchicae*[29] *semper deiformitatis in participatione secundum quod possibile ipsi factam.* Hoc ultimum omnino patet. Quod enim dicit in participatione kyriarchiae[30] deiformitatis factam[31], commune est omnium caelestium essentiarum. Omnis quippe virtus earum in participatione Deitatis est[32], quae[33] est Dominationum princeps. *Ipsam*[34] *vero sanctarum Virtutum*, subauditur aestimo declarare nominationem, *fortem quandam et incommutabilem virilitatem in omnes secundum earum deiformitatem operationes, ad nullam susceptionem inditarum ei divinarum illuminationum imbecilliter infirmatam, potenter in imitationem*[35] *Dei reductam, non relinquentem suimet imbecillitate deiformem motum, sed firmiter ferentem in superessentialem et potentificam*[36] *virtutem, et ipsius imaginem virtuti similem juxta quod licet factam*[37], *et ad ipsam quidem ut principalem virtutem potenter conversam, ad secunda vero virtutis datricem et deiformiter provenientem.* Nominatio, inquit, Virtutum fortem et incommutabilem earum virilitatem vel vigorem vel strenuitatem in omnes deiformes operationes declarat, quae virilitas nulla imbecillitate infirmatur in susceptione insitarum sibi divinarum illuminationum, quae potenter in imitationem Dei reducitur, hoc est sursum ducitur, quae non relinquit[38] sua debilitate, quia nunquam debilitatur, deiformem motum, sed firmiter se ipsam fert, hoc est, firmiter tendit in superessentialem, divinam plane virtutem, quae[39] se potentem facit[40], et quae[41] facta est imago ipsius superessentialis virtutis, dum sit virtuti similis, et quae convertitur po-

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., AB *dissimilitudinem*. [2] Sic C, A *set ingit*, B *fringit*, rad. corr. *fingit*. [3] A *similis*. [4] B *liberatiliter* (punct. B' adj. videtur); B' supra adscr. *et* liberaliter. [5] B *minuti*. B' supra adscr.-*re*. [6] B *irreprehensibilem* (punct. adj. et *s* supra adscr. B', ut legas *irrepressibilem*). [7] Corr. B', A *kyiarchiae*, B *kyrarchiae*. [8] Sic BC, B' corr. *declinare*, A *declinare*. [9] A *subvectionis*. [10] B *solo* (*i* supr. scr. B'). [11] A *ex*. [12] Sic C et corr. B', AB *praecidenti*. [13] *oriatori* (punct. adj. et *cre* supra scr. videtur B'). [14] Corr. B', ABC *inficiat*. [15] Sic AC; B *kyriarchium*. [16] Sic C et corr. B', AB *kyrarchia*. [17] AB χυῤῥια. [18] B *kyriam*. [19] B *sic breviter posse*. [20] B *propriam ejusdem*. [21] B' supra adscr. *est*. [22] Sic C, A *colus*, B *coliis*. [23] Sic C et corr. B', AB *quid vero*. [24] *eorum* om. A, ad marg. adscr. B. [25] Corr. B', ABC *usitatissimo*. [26] B' marg. adscr. *dochomaym*. [27] B' corr. *vel*. [28] B' corr. *et*. [29] Ex vers. et text. graec., A *chiriarchie*, B *kiriarchie*, C *kyriarchie*. [30] AB *kyriarchie*. [31] Sic C et corr. B', AB *formam*. [32] Sic C, AB *sunt*. [33] Sic C et corr. B', AB *qui*. [34] B' marg. adscr. *De virtutibus*. [35] A *imitatione*. [36] Corr. B', AB *pontificam*. [37] Ex vers. et text. graec., AB *facta*. [38] Sic C et corr. B', AB *reliquit*. [39] B' voci *quae* puncta subj., et supra scr. *ver*. [40] *facit*. om. B. [41] B *quae se*.

tenter ad ipsam virtutem merito principalem, quoniam omnium virtutum et princeps et principium est, quae etiam ad secunda virtutem dat et deiformiter provenit, hoc est, instar divinae processionis. Et notandum quod, ubi posuimus [1] virtuti similem et virtutis datricem, ibi in Graeco composita sunt verba, quae compositive non possumus transferre, nisi forte, quamvis inusitate, dicamus δυναμοειδῆ [2] virtutiformem; δυναμοδότως [3] vero, dum adverbium videtur, non nisi nominibus potest transferri, ne nimium inusitate vertatur. Propterea diximus : virtuti similem et virtutis datricem. *Ipsam* [4] *autem sanctarum Potestatum*, hoc est, ipsam nominationem sanctarum Potestatum aestimo [5] declarare *aequipotentem* [6] *divinarum Dominationum et Virtutum bene ornatam et inconfusam circa divinas susceptiones ordinationem, et ordinatum* [7] *supermundanae et intellectualis potestatis, non tyrannice in ea, quae inferiora sunt* [8], *potestativis virtutibus praecipitatae, sed potenter in divina post bene ordinatas reductae, et post se deiformiter reducentis, et potentificam* [9] *exusiarchiam* [10], *quantum fas est, assimilatae, et eam, ut possibile, angelis revelantis in bene ornatis per ipsam ordinibus potestativa virtute.* Ipsa [11], inquit, nominatio sanctarum Potestatum declarat aequepotentem [12] vel aequeordinatam [13] ordinationem divinis Dominationibus et Virtutibus, et bene ornatam, et inconfusam, quae non tyrannice, hoc est, non abusiva potestate in ea, quae sibi subdita sunt, in ficta [14] similitudine potestativarum virtutum praecipitatur, sed potenter, sive ut proprie transfertur, potentissime in divina reducitur post bene ordinatas, hoc est, post primae ierarchiae pulchre ordinatas virtutes, quae eam praecedunt, et post se, id est [15], infra se ordinatas virtutes deiformiter reducit [16], sursum plane ducit, et potentificae exusiarchiae, hoc est Divinitatis, quae ἐξουσιοποιός [17], quia potestates facit, ἐξουσιαρχία [18] vero, quia potestatum princeps est et principium, nominatur, quantum licet, similis facta est, et eam ἐξουσιαρχίαν [19], quantum possibile, angelis revelat potestativa virtute in bene ornatis ordinibus per ipsam, suam videlicet ordinationem, per quam inferiores ordines ornantur. *Has habens deiformes proprietates media caelestium animorum dispositio purgatur quidem et illuminatur et perficitur, quemadmodum dictum est, a divinis illuminationibus, inditis sibi secundo per primam ierarchicam* [20] *dispositionem, et per mediam illam* [21] *secunda manifestatione delatis.* Has, inquit, proprias virtutes ac deiformes medius caelestium animorum ornatus habet, ideoque purgatur et illuminatur et perficitur, quemadmodum dictum est in superiori Capitulo de prima ierarchia. Nec aliunde purgatur et illuminatur et perficitur, nisi a divinis illuminationibus, inditis sibi secundo, adverbium [22] est secundo, per primam ierarchicam [23] dispositionem, quoniam illa primo, ista vero secundo per illam divinas participat illuminationes, et per mediam illam iterum secunda manifestatione in tertiam ierarchiam veluti per secundam [24] manifestationem ipsis divinis illuminationibus delatis, sive ut proprie transfertur, distributis.

§ 2. *Itaque per aliam dictionem venire in alium angelum auditum, symbolum* [25] *faciemus a longe superperfectae et per processionem occultae in sequentiam* [26] *perfectionis.* Haec, inquit, supernorum civium colloquia, quibus videmus per alium angelum dictionem venire in alium angelum, in quo est auditus, signum faciemus a longe superperfectae, hoc est, plus quam perfectae perfectionis, et per processionem occultae in sequentiam [27]. Ac si aperte diceret : Nos homines, qui non experimento, sed argumento divinos exploramus sensus, faciemus [28] argumentum et apertissimum signum, quid de longe, hoc est, ab ipsa celsitudine divinae sublimitatis, quae longissime ab omnibus, quae sunt, removetur, plus quam perfecta et per arcanam processionem occulta perfectione [29] gradatim et ordinate in sequentiam [30], in caelestium virtutum videlicet consequentem ordinationem descendit. Et hoc est illud argumentum et signum, per alium angelum profecto [31] venire dictionem a summa Divinitate in alium angelum, in quo illud vertitur [32] dictum in auditum; non quod in eis corporei sensus sint, sed quod sic visio prophetica formata sit. Si ergo, quod summa bonitas praecipit, prima [33] ierarchia in aliam atque aliam ierarchiam, veluti in alium atque alium angelum, in quibus illa dictio auditur, descendit, signum est [34] incunctanter divinae processionis per ordinatos gradus a summo usque deorsum, hoc est, ab excellentissimis caelestibus essentiis usque ad homines, qui etiam angeli dicuntur, quando divinum consilium, quod per superiores angelos accipiunt, inferioribus se annuntiant. Hoc autem dicit, ut intelligamus mirabilem rerum dispositionem, per quam divina Providentia univer-

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*, pro *quod ubi posuimus* A B *ubi posuimus quod*, C, *quod non posuimus.* [2] δυναμοειδῆ in codd. ita scriptum est, ut facillime legas falso δυναμοσίαν, quare B* marg. adscr. *i. e. dynamosian.* [3] B* marg. adscr. *i. e. dinamodotos.* [4] B* marg. adscr. *De potestatibus.* [5] A *ips. nom. sanct. potest. nominationem aestimo*, B *ips. n. s. p. nominationem aestimo.* [6] Sic ABC. [7] B* adscr. *i.e. ordinationem.* [8] B *sunt inferiora.* [9] Corr. B*, AB *pontificam.* [10] B* supra scr. *aliter causalem potentiam.* [11] A *ipsam.* [12] Sic AB, C *aequipotentem.* [13] Sic ABC. [14] Sic C, AB *inficta.* [15] Sic C et rad. corr. B*, AB *idem.* [16] B *reductae*, B* corr. *reducens.* [17] A *ego* ουσιοποιε, B *ego* ουσιοποιος. [18] A B *ego* ουσιαρχια, B* corr. ἐχουσ- [19] AB *ego* ουσιαρχιαν, B* corr. εχουσ. [20] Corr. B*, AB *ierarchiam.* [21] B* marg. adscr. *illam i. e. primam ierarchiam.* [22] A *Ad verbum* [23] Corr. B*, ABC *ierarchiam.* [24] B *sanctam*, B* supra scr. *secundam.* [25] B* marg. adscr. *simbolum i. e. exemplum sive demonstrationem.* [26] B *sequentia.* [27] B* corr. *sequentia.* [28] B *facie*, B* adscr. *-mus.* [29] Rad. corr. B, AB *perfectionem.* [30] B *sequentiam* (punct. adj B*). [31] Corr. B*, AB *perfecto.* [32] B *vertitur illud.* [33] A *per primu.* B *per prima.* (punct. adj. B*.) [34] Corr. B*, AB *ejus*

sitatis conditae plenitudinem ineffabili processione disponit. *Enim sapientes circa sacras nostras* [1] *immolationes* [2] *aiunt, per seipsas lucentes divinorum plenitudines, per alteras contemplativarum* [3] *participationum, esse perfectiores.* Quod praedixit, per summorum sacerdotum approbat testimonium. Sapientes enim, inquit, qui sacras nostras hostias et immolationes [4] mysticas perfecte intelligunt, dicunt, per se ipsas immediate lucentes plenitudines divinorum intellectuum, hoc est, divinos intellectus, qui per se ipsos immediate plenissime lucent, perfectiores esse, quam contemplativae participationes, [5] contemplativi [6] scilicet intellectus, qui divinam contemplationem per alteras virtutes participant. Quod breviter colligere possumus. Perfectiores sunt divini intellectus, qui per se ipsos immediate divinam participant contemplationem, quam ceteri, qui [7] per medietatem altiorum se eandem contemplationem [8] suscipiunt [9]. Intuere, ubi posuimus sapientes, ibi in Graeco δεινοί, pro quo potest [10] quis dicere : reverendi vel periti vel sapientes. *Sic aestimo, et angelicorum ordinum immediatam participationem primo in Deum extentorum perfectiorem esse per medietatem perfectorum.* Quemadmodum, inquit, per se lucentes perfectiores sunt his, qui per alios lucem accipiunt, ita arbitror angelicos ordines, qui immediate primitus in participationem Dei extenduntur, perfectiores esse perfectorum [11], eorum videlicet, qui aliqua medietate interposita perfecti sunt. Ubi posui : perfectiorem, ibi in Graeco ἐναργεστέραν [12], quod possumus dicere : perfectiorem, vel potentiorem, vel certe efficaciorem. *Propter quod et a nostra sacerdotali traditione perfectivae et* [13] *lucificae et purgativae virtutes primi* [14] *intellectus nominantur inferiorum, tanquam per se* [15] *in omnium superessentiale principium reductorum, et theletarchicarum purgationum et illuminationum et perfectionum in participatione, secundum eis fas, factorum. Hoc enim est omnino divina taxiarchia* [16] *divinitus promulgatum* [17], *per prima secunda divinis participare illuminationibus.* Hac una perplana [18] lucidissimaque sententia ordinem caelestium essentiarum dignitatemque breviter aperit atque concludit. Propterea, inquit, nostra humana sacerdotalis doctrina tres primos ordines primae caelestis ierarchiae perfectivas et lucificas et purgativas nominat virtutes, quoniam inferiores ordines per eos ad prin-

A cipium omnium, quod superessentiale est, Deum videlicet, reducuntur, et a [19] participatione teletarchicarum, divinarum videlicet, purgationum et illuminationum et perfectionum, quantum licet, efficiuntur. Divinitas [20] autem, ut saepe jam dictum [21], teletarchis dicitur sive teletarchia, quoniam hostiarum principium est et princeps. Et haec [22] lex ex divina taxiarchia, hoc est [23], ex [24] ipsa deitate, quae propterea taxiarchia dicitur, quia totius ordinationis principium est et princeps, quasi τάξεων ἀρχή [25], quod est ordinum principium, tradita est, secunda scilicet speculamina per prima divinas participare illuminationes. *Invenies autem hoc et multotiens* [26] *theologis* [27] *expressum.* Ac si diceret : non solum a sacerdotali traditione, verum etiam ab ipsis prophe-
B tis saepissime praefatam legem invenies inculcatam. *Quando enim divina et paterna humanitas* [28] *Israel conversibiliter* [29] *pro sacra ejus salute erudiens, et ulciscentibus et immitibus nationibus in correctionem tradens, omnigena provisorum in melius traductione, et captivitatem dimisit, et ad priorem clementer reduxit constantiam, videt theologorum unus Zacharias unum primorum, ut aestimo, et circa Deum angelorum; commune* [30] *enim est* [31] *omnibus hoc angelica cognominatione* [32], *ab ipso* [33] *Deo discentem de* [34] *hoc consolatoria, ut dictum est, verba.* Ordo verborum [35]: Videt enim [36] theologorum, prophetarum plane, unus nomine Zacharias unum primorum angelorum, principalium videlicet Virtutum, quae circa Deum sunt, ut aestimo; hoc enim nomen, quod est ange-
C lus, ut praedixi, commune est omnibus caelestibus virtutibus propter angelicam, hoc est, annuntiativam cognominationem; ab ipso Deo discentem, didicit enim ipse unus primorum angelorum ab ipso Deo immediate de hoc, de reditu plane Israel, consolatoria verba, sicut dictum est, in prophetica scilicet visione, quando divina et paterna humanitas, hoc est clementia, dimisit captivitatem, et ad priorem reduxit indulgenter constantiam, erudiens Israel conversibiliter, hoc est, ut converteretur, pro sacra ejus salute; noluit enim eum hostibus suis tradere asperitate vindictae, sed voluit corrigere et salvare mansuetudine clementiae; et ulciscentibus, sive ut congruentius huic loco transfertur, coercentibus, et immitibus, vel asperis in correctionem [37] tradens, ad
D corrigendum, omnigena [38] provisorum traductione,

VARIAE LECTIONES.

[1] B *nostras sacras.* [2] B' marg. adscr. *i. e. sacrificia sive sacramenta.* [3] B' marg. adscr. *i. e. contemplativis.* B *immolationes et hostias.* [5] B *perfectiones participationes.* [6] Rad. corr. B', AB *contemplativis.* [7] *qui* om. B, ad marg. adscr. B'. [8] *contemplationem* om. B [9] B *concipiunt* (sus supra scr.). [10] *potest* om. B, ad marg. adscr. B'. [11] B' marg. adscr. *i. e. perfectis.* [12] AB ἐνεγγεστερον. [13] *et* om. AB, add. ex conj. et ex text. graec. [14] B' marg. adscr. *primi i. e. supremi.* [15] B' marg. adscr. *per se i. e. per eos.* [16] A *taxiarchica*, B *taxiarchiça.* [17] B *permulgatum*, corr. *promulgatum* [18] ABC *per plana.* [19] B' rad. corr. *in.* [20] Sic C; AB *divinitus.* [21] B' supra adscr. *est.* [22] B' voci *haec* punct. subj., et ad marg. adscr. *haec inquit est.* [23] *est* om. AB, habet C et supra adscr. B'. [24] Sic C., AB *ad.* [25] B' marg. adscr. *taxeonarchi.* [26] Sic AB. [27] B' supra adscr. *a theologis.* [28] B' supra scr. *i. e. pietas.* [29] Rad. corr. B', AB *conversabiliter.* [30] B' corr. *communis.* [31] B' marg. adscr. *s. negotio captivitatis et reductionis Israel ut dictum est in prophetia.* [32] B. *τognominatione* (punct. adj. B'). [33] AB *hoc ab ipso.* [34] B *et de.* [35] B' adscr. *est.* [36] B *enim* (punct. adj. B'). [37] B *coreptionem.* [38] B' marg. adscr. *vel omnigena i. e. videlicet generali omnium.*

hoc est, omnimoda eorum, qui divina providentia reguntur et corriguntur [1], manuductione in melius. Ubi diximus constantiam, ibi in Graeco εὐπάθειαν [2], quod Cicero voluit transferre constantiam; ipsi autem Graeci εὐπάθειαν [3] dicunt εὐεργεσίαν [4], id est, benefacientiam. Εὐπάθειαι [5] autem tres sunt secundum Stoicos, voluntas, gaudium, cautio, et nonnisi in animo sapientis constituuntur; voluntatem dico amorem boni, gaudium vero de veritatis inventione, cautio diligens rerum consideratio [6]. Nos autem dicimus εὐπαθείας [7] gaudium [8], amorem, odium, tristitiam, quando in animo sapientis [9] virtutes sunt, ut: « Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis »; item: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo »; et alibi: « Tu scis, Domine, quia amo te »; « Iniquos odio habui [10] »; « Tristis est anima mea usque ad mortem ». In animo vero insipientis dum considerantur, κακοπάθειαι [11], hoc est, malae passiones recte dicuntur [12], si tamen gaudium in anima insipienti potest intelligi: est enim gaudium, laetitia, quam nunquam sequitur tristitia, quod insipientibus evenire non potest. *Alterum vero subjectorum angelorum, in occursum primi provenientem, tanquam ad illuminationis susceptionem et metalepsin* [13]. Vidit vero ipse Zacharias alium angelum de minoribus obviam primi [14] provenire ad susceptionem illuminationis, revelationis videlicet divinae, quae prius summo angelo ab ipso Deo dicta est. Et metalepsin [15], id est perceptionem, participationem scilicet; metalepsis [16] enim [17] dicitur proprie participatio. *Deinde ab ipso divinum consilium tanquam a summo sacerdote eruditum, et hoc docere theologum conversum.* Deinde, inquit, videt occurrentem angelum, eruditum in divino consilio ab ipso primo angelo, tanquam a summo sacerdote, et videt theologum seipsum plane conversum hoc docere [18] Israel, quod a primo angelo per secundum didicit. Potest et sic transferri: et hoc docere [19] theologum [20] convertentem, ut sit sensus: et videt convertentem angelum ipsum prophetam, ut hoc disceret. *Quoniam fructuose* [21] *habitabitur Jerusalem a multitudine hominum.* Hanc interpretationem a Septuaginta accepit; Hieronymus [22] quippe transtulit: Quoniam [23] sine muro habitabitur Jerusalem a multitudine hominum. Unus tamen sensus in utrisque est. Qui enim dixit: fru-

A ctuose, intellexit multiplicem redeuntis de captivitate populi propagationem [24]; qui vero transtulit: sine muro, eundem sensum significare voluit, ac si diceret: tanta multitudo populi erit, ut muro ambiri non possit. *Alter autem theologorum Ezechiel* [25] *et ab ipsa*, inquit, *hoc sacratissime promulgatum esse Cherubim superfirmata gloriosissima Divinitate.* Alterius [26] theologi quod praedixit approbat testimonio, hoc est, quod divina consilia in primis angelis immediate suscepta per inferiores angelos in theologorum spiritibus formantur [27], dicens: Alter autem theologorum Ezechiel dicit, ab ipsa superfirmata, superessentiali videlicet, gloriosissima Divinitate hoc [28], quod sequitur, sacratissime [29], divinitus plane, promulgatum esse, hoc est, traditum fuisse

B ipsis [30] Cherubim immediate [31]. *Enim Israel, ut dictum est, exercitativa humanitas per disciplinas in melius traducens justitia divina obnoxios condemnat* [32], *innoxios justificavit.* Traducens Israel, hoc est, dum traducebat Israel, ut dictum est in divina Scriptura, exercitativa humanitas, id est, divina elementia, quae traducendo exercet per disciplinas in melius, quos liberare vult. *Hoc docetur primus post Cherubim, lumbos sapphiro praecinctus, qui poderam juxta symbolum ierarchicum induebatur. Reliquos autem angelos, qui secures habebant, divina taxiarchia imperat a priori* [33] *doceri de hoc divinum judicium.* Hoc docetur, inquit, id est, de hoc judicio, obnoxios damnandi, innoxios vero justificandi, docetur primus angelus, id est unus ex caelesti ordine, qui sequitur Cheru-

C bim, verbi gratia unus Dominationum seu Virtutum seu Potestatum, quoniam primo Cherubim [34] ab ipsa Divinitate immediate de eodem judicio edocti, ipsi vero Cherubim primum post se docent [35], qui [36] praecinctus erat lumbos sapphiro, qui etiam poderam [37] induebatur secundum symbolum [38], secundum habitum summi sacerdotis in Israel. Summi siquidem sacerdotes perizomata, id est femoralia seu succinctoria sapphiro ceterisque pretiosis lapidibus ornata praecingebantur. Podera quoque tunica, videlicet talari, induebantur. Podera autem dicitur, quia usque ad πόδας [39], id est, usque [40] ad pedes pendebat. In tali habitu itaque [41] summi sacerdotis primus angelus post Cherubim visus erat prophetae. Divina autem

D taxiarchia, id est summa bonitas, quae ordinat

VARIAE LECTIONES.

[1] *et corriguntur* om. A. [2] B' marg. adscr. *i. e. eupathiam.* [3] B' marg. adscr. *i. e. eupathiam.* [4] Conj., A B ἐνεργειαν. B' marg. adscr. *i. e. euergesiam*, C *eitergesiam.* [5] B' marg. adscr. *eupathie.* Item B' marg. adscr. *tres sunt eupathiae i. e. bonae passiones secundum Stoicos.* [6] A recens man. sec. XV in superiore parte membranae scr. *Amor est vis unitiva transformans amantem in amatum.* [7] B' marg. adscr. *eupathias.* [8] B' marg. adscr. *gaudium, amor, odium, tristitia, quando in animo sapientis sunt, virtutes sunt.* [9] B' corr. *sapientis sunt.* [10] B *hodio.* [11] A B χακοπαθιαι, C *kacopathie.* [12] Sic C et corr. B', AB *ducunt.* [13] Emend., AB *metalempsin;* B' corr. *metalempsim.* [14] Sic AB, C *primo.* [15] Emend., A *metalempsin*, B *metalempsim*, C *metallempsim.* [16] A *metalempsis*, B *metalenpsis*, C *metallempsis.* [17] B *vero.* [18] Sic C et corr. B', AB *dicere.* [19] Conj., AB *dicere.* [20] *docere theologum* om. C. [21] B' marg. adscr. *i. e. copiose.* [22] A *ieronymus*, B *ieronimus.* [23] B *quod.* [24] B *purgationem* [25] AB *iezechiel*, sic ubique. [26] B' marg. adscr. *Item de visione prophetica.* [27] B *formanter*, B' corr' *formantur.* [28] B *hoc est* (punct. adj. B') [29] B' marg. adscr. *cherubim.* [30] Corr. B', AB *ipsius.* [31] B' marg. adscr. *transducens Ipsum.* [32] B *condempnat*, sic ubique. [33] B' corr. *priore.* [34] B *cherubin primo.* [35] Sic C, AB *docere.* [36] Sic C et corr. B', AB *quam.* [37] B *podera.* [38] B' marg. adscr. *ierarchicum scilicet, i. e., figuram ierarchicam, quia ierarchia visibilibus figuris utitur ad invisibilium denominationem.* [39] AB. *podas.* [40] *usque* om. A. [41] C *in tali quoque habitu.*

omnia, imperat per Cherubim reliquos angelos, qui secures habebant, doceri a priori [1] angelo divinum judicium de hoc, ut discerent scilicet divinam justitiam de hoc discrimine obnoxiorum et innoxiorum. *Ei quidem enim dixit mediam transire Jerusalem, et dare regnum in frontes innoxiorum virorum; aliis: Exite in civitatem post eum, et percutite, et nolite parcere oculis vestris, ad omnes autem, super quos est signum, ne appropinquetis.* Ei quidem [2], inquit, ordini [3] Cherubim, vel absolute, ei Cherubim, quoniam Cherubim et Seraphim hebraice [4] utriusque numeri [5] communia nomina sunt. Nam et Cherub et Cherubim singulariter proferuntur per σύνταξιν, hoc est per constructionem numerorum; similiter de Serub [6] et Seraphim, et pluralis numeri et masculina nomina sunt. Ipsi itaque Cherubim divina taxiarchia dixit, primum post se [7] mediam pertransire civitatem. Velut simpliciter potest intelligi, ei primo post Cherubim, sed per se ipsum Cherubim dixit mediam [8] pertransire Jerusalem; mediam [9] vero dicit, hoc est, in obnoxios innoxiosque divisam; et dare signum, crucis Christi videlicet, in frontes innoxiorum. Datum [10] est enim signum [11] T [12] in frontibus eorum. Tau autem similitudinem crucis gestare quis fidelium ignorat? Illi soli igitur [13] liberantur, qui crucem Domini fideliter credunt. « Arbitramur enim », ait Paulus, « justificari hominem per fidem ». Alii autem secures habebant, quibus imperatum est nulli parcere. Pulchre autem [14] unus innoxiorum [15] signat, et non alio signo nisi crucis. Unus est enim Christus, qui suae passionis virtute credentes in se liberat. Alii autem secures, hoc est, dolatilia gestabant arma, quae plus aedificationem significant quam ruinam, divinae justitiae severitatem figurantia, quae per angelos, praedicatores plane Ecclesiae, virtutes a vitiis, naturam a culpa segregant, superflua incidunt [16], naturalia conformant, ex quibus domum divinae possessioni aptam construunt. Ad eos autem, qui sola fide divinae passionis, dum primitus sacramentum baptismatis subeunt, liberi sunt [17], accedere [18] prohibentur. Dolati enim prius [19]; omnis quippe superfluitas eorum dono fidei [20] amputata [21]. Nam [22] quisquis post gratiam baptismatis adeptam non peccaverit, correctione [23] delictorum non indigebit. Purgatur quippe semel et simul ab omni originali proprioque peccato. Indiget autem purgari ab igno-

A rantia divinorum sacramentorum. Non enim imperitus divinorum intellectuum viam veritatis potest ingredi, nec lucem ipsius conspicari, sine qua nemo deificabitur. Siquidem [24] non sufficit, ut quis sagittam de vulnere retrahat, nisi adsit [25], qui sanando vulneri medicinam adhibeat. Gratia [26] namque baptismi hoc solum praestat, praeterita non [27] nocere delicta, et in divinam filietatem nasci: non autem largitur futura commissa non impedire; hoc [28] quippe divinae gratiae per poenitentiam libero arbitrio committitur, divinae quidem gratiae per poenitentiam, libero arbitrio per providentiam. Potest [29] namque quis, ne incaute peccet, providere, sed non sine gratia. Potest gratia peccata indulgere, neque hoc absque bona hominis voluntate. Neque enim

B invitos vult Deus attrahere, sed volentes, ne donum liberi arbitrii in servitutem redigere videatur [30]. Primus ergo post Cherubim signat frontes innoxiorum. Obnoxii erant, sed signorum noxii sunt facti. Quare Christus crucifixus primus dicitur post Cherubim. Audi Psalmistam: « Minorasti eum paulo minus ab angelis ». Vis nosse, quomodo minoratus est? Audi Paulum: « Semetipsum », inquit, « exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem [31] hominum factus, obediens Patri usque ad mortem »; audi signum in frontibus signatum: « mortem autem crucis ». Solus signat, solus quippe liberat; angeli [32] ejus securibus percutiunt, per ministros suos aedificat sibi domum ex humana natura dolata, ex informitate sua in formam ipsius, ad cujus imaginem facta est, reducta.

C Quod vero securi [33] ferire [34] jubentur, nemini suis oculis parcere, significat severitatem divinae Scripturae [35] in discretionibus et correctionibus [36] delictorum, quorum judex est. Bonorum siquidem magistrorum juste [37] discernere, non autem blandiri. Non itaque [38] Deus naturam, quam fecit, interimit, sed ab ea, quod eam inficit, segregat. Non enim divinae bonitatis ineffabilis pietas sinit naturam, quam sui similem fecit, aeternaliter deformitatem pati. Permittit autem ad tempus eam corrigi, ut avidius et ardentius ad suam dignitatem redeat, aerumnis [39] suis justissimis erudita. Ratio siquidem non concedit, imaginem Dei in aeterna turpitudine detineri. Alioquin coaeterna erit miseria beatitudini, malitia bonitati, regnum diaboli regno Dei. Non autem hoc

D dicimus, quasi nulla poena [40] sit aeterna, dum unus-

VARIAE LECTIONES.

[1] B' corr. *priore.* [2] Corr. B', ABC *quid est.* [3] B' adscr. *i. e. ordini.* [4] AB *ebraice.* [5] Sic C et corr. B', AB *nuri.* [6] B *serup*, B' corr. *serap*, C *cherub.* [7] B *pose*, B' corr. *per se.* [8] A *medium.* [9] A *media.* [10] Conj., ABC *Dictum.* [11] BC *signa.* [12] T om. C. [13] Conj., AB *Illi si igitur*, B' corr. *Illi igitur*, et ad marg. adscr. *soli*, C *illi ergo soli.* [14] Pro *autem* A *ait.* [15] B' marg. adscr. *frontes* innoxiorum. [16] B' corr. *abscidunt.* [17] Corr. B'; pro *liberi sunt* AB *liberis*, C *liberos.* [18] B *accidere.* [19] B' corr. *sunt* prius. [20] Sic C et corr. B', A *fidi*, B *fide.* [21] B' supra adscr. *est* amputata. [22] B' marg. adscr. *quae purgatio et quorum datur in baptismo, et quae restat post baptismum.* [23] B. *correptione.* [24] B marg. adscr. *non sufficit telum abstrahere, si vult vulnus sanare.* [25] A BC *assit.* [26] B' marg. adscr. *Quid praestat gratia baptismi.* [27] Sic C, *non* om. AB, adscr. B'. [28] B' marg. adscr. *Quid exigitur ad vitandum peccatum post baptismum seu poenitentia per gratiam, providentia per liberum arbitrium.* [29] B' marg. adscr. *peccatum potest quis vitare, sed non sine gratia.* [30] B' marg. adscr. *De justificatione impii, quod exigitur gratia et usus liberi arbitrii, seu bona voluntas.* [31] B *similitudine.* [32] B' marg. adscr. *Quod boni angeli sunt executores poenarum infligendarum.* [33] B' corr. *securibus.* [34] Emend., AB *feriri* [35] B *doctrinae.* [36] B *correptionibus.* [37] B' supra adscr. *est* juste [38] A *ita.* [39] B *erumpnis.* [40] AB *pena*, sic semper.

quisque sua conscientia sive beatificabitur, sive damnabitur in aeternum, sed solummodo agimus, quod nulla natura in ullo punietur [a]. Redeamus ad propositum. Pulchre itaque duorum prophetarum, Zachariæ dico et Ezechiel, visiones consonae approbant, Deum immediate excelsissimas essentias, quae circa eum sunt, docere, deinde ordinatim per primos secundi, per secundos tertii, per tertios quarti, hoc est [1] theologi, docentur ordines. Zacharias enim ait, se vidisse unum primorum ab ipso Deo discentem [2]. Cui alter occurrit inferiorum angelorum, qui veluti secundo gradu per primum divina didicit consilia; qui iterum secundus angelus veluti summus sacerdos theologum, Zachariam dico, erudivit, si quis sic velit intelligere, quod magister ait: deinde ab ipso occurrente angelo tanquam a summo sacerdote eruditum B videt conversum theologum; et hoc docere videt, quoniam fructuose habitabitur Jerusalem. Si vero quis intelligere vult: deinde videt eruditum occurrentem angelum ab ipso primo, qui ex Deo didicit, tanquam a summo sacerdote, consequens erit, ut non ipse occurrens, sed primus a Deo discens summus sacerdos intelligatur; ut subinferatur: et vidit conversum theologum hoc dicere, id est, vidit secundum [3] angelum a primo eruditum docere theologum conversum in hoc [4], quoniam fructuose habitabitur Jerusalem. Ezechiel vero ait primo [5] ab ipsa gloriosissima Divinitate Cherubim doceri, deinde per ipsos primus post docetur, qui in sacerdotali habitu visus est; per quem iterum veluti tertio gradu docentur angeli; ut ordo sit: ab ipso Deo Cherubim instruuntur, ab ipsis Cherubim primus, quicunque sit, ex ordinibus secundae ierarchiae docetur, qui iterum reliquos angelos tertiae ierarchiae docet, per quos postremo theologorum animus illuminatur. In visione tamen Zachariae dubium videtur esse, utrum de secundae an de tertiae ierarchiae ordinibus erat ille alter angelus, qui uni primorum occurrit, per quem theologus eruditus est. Nam quod summus sacerdos appellatur, nulli mirum debet videri, quoniam omnes animi trium caelestium ierar- A chiarum summi sacerdotes possunt appellari; sunt enim pontifices, quamvis eorum pontificatus aequalis non sit; alii quippe alios praecedunt. Nisi forte quis dixerit, unum fuisse ex ordinibus secundae ierarchiae, per quam veluti medietatem quandam tertia [6] docetur. Et si ita est, cogemur [7] subintelligere, aut alium angelum inferiorem illo mediatorem fuisse inter ipsum et theologum, si per tertiam ierarchiam docentur homines; vel certe non solum sanctos theologos [8] per angelos tertiae ierarchiae, verum etiam per angelos mediae, nec non et primae, ab ipsa etiam Deitate [9] posse doceri, non est negandum. Quod idem Dionysius in libro: Ecclesiastica ierarchia videtur asserere, ubi ait, humanos animos secundum propriam uniuscujusque analogiam tribus caelestibus ierarchiis insitos esse. Quis enim abnuerit [10], raptum Apostolum in tertium caelum, in tertiam plane ierarchiam fuisse, ubi in medietate ab ipso Deo ineffabilia audivit verba? *Quid fortassis quis dixerit de dicente angelo ad Daniel: Exivit sermo? aut de ipso primo ignem ex medio Cherubim recipiente? aut illud ejusdem abundantius* [11] *in ordinis angelici ostensionem, quoniam et Cherubim immittit ignem in manus sanctam stolam induti? aut de vocante divinissimum* [12] *Gabriel, et dicente ei: Fac illum intelligere visionem? aut quaecunque* [13] *alia a sacris theologis dicta sunt de caelestium ierarchiarum* [14] *deiformi ornatu, ad quem nostrae ierarchiae ordinatio, secundum quod possibile est, assimilata, angelicam pulchritudinem* [15], *quantum in imaginibus* [16] *habebit,* C *formatam per eum, et reductam ad superessentialem simul omnis ierarchiae.* Quis est angelus, qui locutus est ad Daniel, sancta declarat historia [17]. « Adhuc », inquit ipse Daniel, « me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel! nunc ego [18] egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu autem animadverte sermonem, et in-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AC, *est* om. B. [2] Corr. B', AB *descendentem*, C *ab eo ipso descendentem*. [3] B *sanctum*. [4] B' supra adscr. *scilicet*. [5] B *primo ait*. [6] Sic C; AB *tertiae*. [7] A *cogemus*. [8] Conj., ABC *sancti theologi*. [9] B' marg. adscr. *Quod revelatio prophetica quandoque fit per angelos tertiae, quandoque per angelos mediae, quandoque per angelos primae ierarchiae, quandoque et ab ipso Deo immediate revelationem accipiunt*. [10] A *abnuere*. [11] B *habundantius*, sic ubique. [12] Ex vers. et text. graec. A B *dignissimum*. [13] A *quencunque*, B *quemcunque* (punct. adj. B'). [14] Conj. A *therarchiarum*, B *thearchiarum*, B' corr. *therarchiarum* (fortasse ' legebatur *cherarchiarum* pro *ierarchiarum*, unde error irrepere potuit). [15] A *similitudinem*. [16] B' supra adscr. *est*. [17] AB *istoria*, sic ubique; C *hystoria*. [18] Sic C et corr. B', AB *ergo*.

NOTAE

[a] Eadem fere de *natura* non punienda, deque aeterna poena, quae nihil nisi conscientia sit peccatorum aeterna, J. Scotus saepius, nec non in libro de praedest. cap. XVI docuit. Ad quae recte Prudentius: « Quod Deus, inquit, puniat peccatores, omnes divinorum eloquiorum paginae testantur. . . . Audis Deum punientem, hominemque punitum, et non solum hominem, verum etiam terram in poenam illius punitam, et negas natura puniri naturam?. . . . Aut ipse Creator naturarum rebelles sibi atque inobedien- D tes naturas rationales nutu omnipotentissimo punit, aut aliquando manifesto, aliquando occulto, nunquam tamen injusto judicio naturas creatas a naturis creatis puniri jubet vel sinit ». Et de poenis aeternis idem haec ait: « Poenas nihil aliud quam conscientiam peccatorum juxta Origenem, vel secundum te, solum absentiam beatitudinis vis intelligi. . . . Ast orthodoxi translatores non solum aliam poenam, verum etiam duplicem esse poenam gehennae sentiunt auctoritate sanctae Scripturae » cet.

tellige visionem : Septuaginta hebdomades » et totus sermo, qui sequitur de reditu populi ex captivitate et de adventu Christi. Et hoc est, quod breviter beatus Dionysius introducit dicens : Quid fortasse quis dixerit de dicente angelo ad Daniel : Exivit sermo. Quod graece dicitur : ἐξῆλθεν ὁ λόγος, [1] pro quo Hieronymus posuit : egressus est sermo, aut ex ore Darii regis, ut iterum aedificaretur [2] Jerusalem, vel certe ab ipso Deo per angelum in animum prophetae [3]. Quod autem sequitur : aut de ipso primo ignem ex medio Cherubim recipiente, ex Ezechiel assumptum est, qui ait : « Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis, soli apparuit super ea. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait : Ingredere in medio rotarum, quae sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem ». Et hoc est quod sequitur : aut illud ejusdem abundantius, hoc est, illud symbolum ejusdem, Ezechiel, quod est manifestius ad ostensionem ordinis angelici, quoniam et Cherubim immittit ignem in manus sanctam stolam induti. Quod, quamvis ita in praefata visione scriptum esse non videatur; ibi enim solummodo scriptum est : « Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait : Ingredere in medio rotarum, quae sunt [4] subtus Cherubim, et imple manum tuam prunis », potest tamen intelligi aut in septuaginta Interpretum editione, ex qua beatus Dionysius ista omnia introduxit, sic scriptum, aut ipsum sic intellixisse : « Imple manum tuam prunis », ut subaudiatur, quas ipsa [5] Cherubim tibi traditura sunt. Et iterum quod sequitur : C aut de vocante divinissimum Gabriel et dicente ei : Fac illum intelligere visionem, ex libro Daniel susceptum [6], ubi dicitur : « Et [7] factum est autem, inquit, cum viderem ego Daniel visionem, et quaererem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri, et audivi vocem viri, et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istam visionem ». Haec [8] autem omnia propterea et in prophetis et scripta et visa sunt, et a beato isto magistro introducta, ut intelligamus caelestium animorum dispositas ordinationes, et quosdam quidem ab ipso Deo immediate doceri et illuminari, eosque iterum gradatim se inferiores docere et illuminare, qui a superioribns docentur et illuminantur. Et hoc est, quod ait : et quaecunque [9] alia a sacris theologis D

A dicta sunt de caelestium ierarchiarum [10] deiformi ornatu, ad quem ornatum nostra ierarchia, quantum hominibus possibile [11], similis facta est in suis ordinibus. Angelicam siquidem pulchritudinem imitatur, quantum potest, in figuris et symbolis sensibilibus. Ipsos namque Dominus Jesus Christus docet suae contemplationis praesentia, nos adhuc erudit per symbola, donec veniamus in unum. Et hoc est quod ait : angelicam [12] pulchritudinem, quantum in imaginibus habebit. Habet enim nunc caelestium similitudinem in divinis symbolis, habebit tunc eorum pulchritudinem in principalibus exemplis, quantum possibile est fieri, in imaginibus. Imagines vocat, ut arbitror, theophanias, in quibus et ipsi angeli, et homines in aequalem eis beatitudi- B nem glorificati, ipsum Deum videbunt, quoniam [13] per se ipsum invisibilis et est et erit omni intellectui. Superessentialitas quippe illius omnem superat intellectum. Nostra itaque ierarchia angelicam pulchritudinem habebit, quantum in theophanicis imaginibus seu similitudinibus haberi poterit, formata per eum, ornatum videlicet caelestium virtutum. Nam ecclesiastica ierarchia per caelestes virtutes et ordinatur et formatur et reducitur ad superessentialem omnis ierarchiae, ad ipsam scilicet omnium causam.

CAPITULUM IX.

Cujus titulus est :

De Principibus et Archangelis et Angelis et de ultima eorum ierarchia [a].

§ 1. *Reliquus nobis in contemplationem* [14] *ornatus, angelicas concludens ierarchias, a deiformibus Principibus, Archangelisque et Angelis dispositus* [15]. Restat, inquit, nobis speculatio ipsius ornatus, qui [16] omnes [17] angelicas concludit ac terminat ierarchias, quique ex Principatibus et Archangelis et Angelis construitur. *Et primas quidem dicere necessarium aestimo, secundum quod mihi possibile, sanctarum cognominationum manifestationes.* Quemadmodum in expositionibus primae et mediae ierarchiae [18] interpretationes [19] nominum prius explanavit, deinde singulorum ordinum proprias et communes virtutes et administrationes ; ita et nunc in expositione tertiae ierarchiae interpretationes, quas vocat manifestationes cognominationum, primo ingreditur exponere.

VARIAE LECTIONES.

[1] AB ξυλθενογοσι (*sic* !), C *quod graece datur per* quo ieronimus (ἐξῆλθεν ὁ λόγος, *pro* om. C). [2] Sic C, A B *aedificatur*, B' corr. *aedificetur*. [3] B' marg. adscr. *supple hic et in sequentibus interrogationibus : nisi quis sit inferior a superiore eruditus et accipit doctrinam.* [4] Sic AC, *sunt* om. B, marg. adscr. B'. [5] Corr. B', AB *ipsae*, C *ipsas*. [6] B' supra adscr. *est* ; *est* om. C. [7] B *et*. [8] Sic C et corr. B'. AB *Hanc*. [9] A *quencunque*. [10] Sic C, A *archearchiarum*, B *archearchicarum*. [11] B' adscr. *est*. [12] B. marg. adscr. *De visione in patria.* [13] B' marg. adscr. *cave cum dicatur in Jo.* III. *videbimus eum sicut est, sed potest dici quoad capacitatem totius.* [14] A *contemplatione*. [15] B' rad. corr. *dispositis*. [16] Sic C et corr. B', AB *quia*. [17] *omnes* om. C. [18] *Quemadmodum — ierarchiae* om. B. [19] *interpretationes* om. B, ad marg. adscr. B'.

NOTAE

[a] *Capitulum nonum de principibus et archangelis et angelis, et de ultima eorum ierarchia* ; B litteris miniatis : *Capitulum decimum, cujus titulus est · repetitio synage angelicae* ; sed in infima membranae parte B' scripsit : *C.* IX *de principibus et principatibus et archangelis et angelis et de ultima earum ierarchia.*

Quod consequenter adjungit: *Manifestat enim ipsa quidem caelestium Principum illud deiformiter principale eductivum cum ordine sacro et principativis decentissimis virtutibus, et ad principale principium eos universaliter converti* [1], *et alias ierarchice duci, et ad illud ipsum, quantum possibile,* [2] *reformari principificum principium, manifestareque superessentialem ejus taxiarchiam, ornatum principalium virtutum.* Declarat, inquit, ipsa cognominatio caelestium Principum illud principale eductivum, hoc est, quod principes et duces sint [3] omnium nationum, per totum orbem hominibus habitabilem. Et hoc deiformiter, ad similitudinem videlicet unius veri Dei, qui unus et summus omnium princeps est et dux. Cum ordine sacro et principativis decentissimis virtutibus, hoc est, cum sancta divinaque ordinatione, cumque virtutibus convenientissimis ornatui principativo. Et non solum principantur gentium, ducesque earum suat suis virtutibus, verum etiam ipsas, suas [4] scilicet virtutes, ad superprincipale principium, Deum plane, qui est principium omnium principiorum, et principale principium [5], et plus quam principale principium, universaliter convertunt. Hoc enim commune est [6] omnium caelestium animorum, primum quidem ad causam suam converti, ut ab ea formentur, deinceps ad inferiora se, ut in eis, quod ab una [7] omnium causa percipiunt faciendum, perficiant. Et hoc est, quod ait: et ad superprincipale principium eas universaliter converti; ut subaudias: et cognominatio caelestium Principum declarat, eorum virtutes omnino ad Deum, qui est superprincipale principium, converti. Et alias ierarchice duci, et ad illud ipsum, quantum possibile, reformari principificum principium. Hoc est: non solum ipsa cognominatio proprias [8] Principum virtutes ad omnium principium converti, verum etiam inferiores eis virtutes, sive humanas, sive angelicas, quibus principantur [9] et praesunt, per eos pontificali ordine duci declarat. Et ad illud ipsum secundum possibilitatem principificum principium, summum bonum plane, quod omnem principatum sua perficit virtute, reformari. Ac si diceret: non solum caelestes Principes suas proprias virtutes ad ipsum principium, quod efficit omne principium, sed et alias, quibus principantur, ducunt atque reformant. Manifestareque [10] superessentialem ejus taxiarchiam, ornatum principalium virtutum; hoc est: Principatuum nominatio manifestat ornatum principalium virtutum manifestare superessentialem taxiarchiam ejus, superprincipalis videlicet [11] principii. Ornatus siquidem caelestium principum nobis

A manifestatissime declarat superessentialem summi boni, quod Deus est, taxiarchiam. Est enim totius caelestis militiae princeps et principium Deus. Et notandum, quod proprie ordo militum taxis graece nominatur. Ideoque Deus ipse taxiarches et taxiarchia dicitur, quia ἀρχός et ἀρχή, hoc est princeps et principium universaliter caelestis militiae subsistit.

§ 2. *Ipsa* [12] *autem sanctorum Archangelorum* [13] *aequipotens quidem est caelestibus Principatibus. Est enim* [14] *et eorum et Angelorum* [15], *ut dixi, ierarchia una et dispositio.* Ipsa, inquit, sanctorum Archangelorum cognominatio ejusdem potentiae est caelestibus principatibus. Aequalis siquidem significationis sunt et Principum et Archangelorum nominationes. Est enim eorum, Archangelorum videlicet, et Princi-
B pum, et Angelorum, ut praedictum [16], una ierarchia unaque dispositio. Ubi posuimus aequipotens, ibi ὁμοταγής [17] in Graeco, pro quo possumus dicere et aequipotens, et collega [18], seu similiter honorabilis. *Verumtamen quoniam quidem non est ierarchia non* [19] *et primas et medias et ultimas virtutes habens, Archangelorum sanctus ordo* [20] *communicative ierarchicae* [21] *medietati extremorum recipitur.* Hoc est, quod ait: Quanquam [22] Principatuum et Archangelorum et Angelorum una ierarchia sit et dispositio, veruntamen non parva discernuntur differentia. Archangelorum siquidem ordo medietatis proportionem inter duos extremos, hoc est, inter ordinem Principatuum et ordinem Angelicum obtinet [23], quoniam nulla ierarchia est, sive humana sive angelica, quae non
C habeat et primas et medias et ultimas virtutes. Ordo itaque Archangelorum medius est inter [24] Principatuum quasi superiorem, et Angelorum veluti inferiorem. Et nihil aliud est ipsa medietatis proportio, nisi ierarchia, id est, pontificalis communicatio. Unum enim discreti ordines communicant, summum quippe bonum simul omnes appetunt, simul, quamvis non aequaliter, participant. Et hoc est, quod sequitur: *Etenim sacratissimis Principatibus communicat* [25] *et sanctis Angelis.* Qualis autem sit ipsa communicativa medietas, subsequenter adjungit dicens: *Ipsis quidem, quia ad superessentiale principium principaliter convertitur, et ad ipsum, ut possibile* [26], *reformatur, et Angelos unificat secundum bene ornatos ejus et ordinatos* [27] *et invisibiles ducatus* [28]. Ipsis, inquit,
D Principatibus communicat Archangelorum ordo, quia ad superessentiale principium, Deum profecto, Principaliter, hoc est, sicut ipsi principatus, convertitur, et ad ipsum, ut possibile, reformatur, et quia Angelos unificat secundum bene ornatos et ordinatos et invisibiles praesulatus. Hoc enim et ipsi Princi-

VARIAE LECTIONES.

[1] *converti* om. AB., marg. adscr. B'. [2] B supra adscr. *est*. [3] B *sunt*. [4] Pro *ipsas suas* B *suas ipsas*. [5] *Deum — principium* om. B. [6] Sic AC; *est* om. B, adscr. B'. [7] Coni. ABC *uno*. [8] B *per* proprias [9] A *principanter*. [10] Sic AC, B *manifestare*, B' supra adscr. manifest. *et*. [11] *videlicet*. om. B. [12] B' marg. adscr. *De archangelis*. [13] B' marg. adscr. *cognominatio*. [14] Corr. B'; pro *Est enim*. A B *Etenim*. [15] B *archangelorum*, [16] B' adscr. *est*. [17] B rec. m. marg. adscr. *omotages*. [18] sic C et corr. B', AB *colliga*. [19] B' rad. corr. *nisi*. [20] *ordo* om. B, ad marg. adscr. B'. [21] B *ierarchiae*, [22] B *et* quanquam. [23] B *optinet*, sic plerumque. [24] B' ad marg. adscr. *ordinem*. [25] B *communicat archangelorum ordo* et, cet. [26] B' supra adscr. *est*. [27] *ejus et ordinatos* om. B. [28] Corr. B'. AB *dicatus*.

patus faciunt. Nam Angelos unificant ad communicationem superessentialis principii, et [1] quemadmodum ornatus eorum et ordinatio et intelligibilis principatus Deum communicat, ita et angelos sibi unificant [2], et per medietatem archangelorum Deum communicare faciunt, inque suam societatem eos subvehere contendunt. *Istis vero, quia et eis hypophetico* [3] *est ordine, divinas illuminationes ierarchice per primas virtutes suscipiens, et Angelis eas deiformiter annuncians, et per Angelos nobis manifestans, secundum sacram uniuscujusque divinitus illuminatorum analogiam.* Istis vero, hoc est Angelis, archangelicus ordo communicat, quia eis est hypopheticus, id est, propheticus ordo; Archangeli siquidem angelorum prophetae sunt; dum divinas illuminationes ierarchice, id est pontificali ordine, per primas virtutes, Principatus videlicet, qui se praecedunt, suscipit, et eas illuminationes nobis per Angelos manifestat secundum sanctam analogiam uniuscujusque ex Deo illuminatorum hominum. Duobus itaque modis Archangeli angeli communicativam possident societatem. Primo quidem, quia divinae sapientiae illuminationes, quas per priores se virtutes suscipiunt, Angelis annuntiant. Secundo, quia per Angelos traditas sibi illuminationes nobis manifestant. Ubi datur intelligi, quod, quemadmodum [4] Archangeli mediatores Principatuum et Angelorum, ita Angeli mediatores Archangelorum et hominum. Quo in loco non spernenda oritur quaestio : [5] Si hi tres ordines tertiae ierarchiae, Principatus dico, Archangelos et Angelos, omotages, id est, aequipotentes [6] seu collegae [7] seu similiter [8] honorabiles sunt, qua ratione Archangeli mediatores sunt Principatuum superiorum se, et Angelorum, quos extremos omnium caelestium virtutum theologica tradidit doctrina? Nec hoc in tertia solum, sed etiam in secunda, quae est et media, et in prima quaeritur ierarchia. Quomodo enim Seraphim et Cherubim et Throni collegae et aequipotentes [9] sunt, si Cherubim medietatis locum inter primas Seraphim et ultimas Thronorum virtutes tenent? Similiter de Virtutibus, Potestatibus, Dominationibus considerandum. In qua quaestione nil mihi commodius occurrit dicendum, quam omnes aeque potentes [10] esse in appetitu societatis superessentialis omnium causae, in ejus vero participatione multiplices ascensionis et descensionis gradus possidere. Unusquisque enim caelestium animorum ordo juxta suam analogiam divinarum illuminationum capax est. Nullus autem eis privatur, quoniam in omnes communiter diffunditur. Nam et aer et aqua terrenaque corpora non aequaliter solarium radiorum capacia sunt, omnibus tamen aequaliter superfunduntur, deque omnibus resiliendo relucent. Sic sunt omnes intellectuales atque rationales animi. Nullus quippe illorum est, sive purus sit, sive contaminatus, qui expers sit [11] divini radii. Non tamen aequaliter ejus capaces fiunt, neque hoc agit radii infirmitas, sed animarum capacitas. Cur autem non aequaliter omnes et angelici et humani animi capaces sunt divini radii, ipse beatus Dionysius alibi exposuit. Si enim Deus aequaliter, absque ulla ordinum diversorum [12] differentia et proprietate et ascensione et descensione variorum graduum universitatem conditam faceret, et nullus fortassis ordo in republica naturarum fieret. Si nullus ordo fieret, nulla harmonia. At si nulla harmonia, nulla sequeretur pulchritudo [13]. In omnino enim similibus sicut nulla harmonia est, ita nulla pulchritudo. Est enim [14] harmonia [15] dissimilium inaequaliumque rerum adunatio. Universitatem autem naturae conditae pulchritudine carere, Creatori omnium judicaretur inconvenientissimum. Porro si nemo recte philosophantium universalem creaturam in pulcherrima harmonia esse constitutam dubitat, sequitur, etiam de ordine ipsius nulli sapientum haesitare licere. Non enim nunc de apostatis angelis et contaminatis hominibus, qui merito malitiae suae divinae illuminationis radium a se [16] repellunt, sermo est, sed de naturali ordine universalis naturae. [17] Sequitur [18] : *Ipsi enim Angeli, sicut praediximus, complective consummant omnes caelestium animorum dispositiones, secundum quod consummandum est, ut in caelestibus essentiis habentes angelicam* [19] *proprietatem.* Propterea, inquit, Archangeli per Angelos supernas illuminationes nobis annuntiant, quoniam Angeli, sicut praedictum est, complent et consummant omnes dispositiones, ornatus videlicet, caelestium animorum. Secundum quod consummandum est; ea scilicet ratione, qua dispositio animorum caelestium [20] consummanda et determinanda est [21]. Quam rationem subjungit: ut in caelestibus essentiis habentes angelicam proprietatem. Ac si diceret : utpote dum habent inter caelestes essentias quandam proprietatem, qua specialiter Angeli nominantur, quae soli gnosticae virtuti [22] cognita est, per quam singulis caelestium animorum ordinibus proprietates discernuntur [23], distribuuntur. Sequitur : [24] *Et magis apud nos Angeli quam priores aptius nominati, quantum et circa significantius ipsis est ierarchia, et magis circumornatus.* Nunc rationem [25] reddit, cur [26] omnes caelestes essentiae a theologis angeli generaliter appellentur [27],

VARIAE LECTIONES.

[1] Emend., pro *et* ABC *ut*. [2] Sic C, AB *uiuificant*. [3] AB *ypofetico*, sic ubique ; B* marg. adscr. *i. e. prophetico*, C *prophetico*. [4] B. rad. corr. *quemadmodum fuit*. C *quem ad modum*. [5] B marg. adscr. *Quaestio*. [6] B *aequepotentes*. [7] Sic C, AB *colligae*. [8] Sic C et corr. B*, pro *seu similiter* AB *se humiliter*. [9] B *aequepotentes*. [10] Corr. C, AB *aeque potestates*. C, *equepotentes*. [11] Sic C et rad. corr. B; A *expressit*. [12] B *diversorum ordinum* [13] *pulchritudo* om. B, marg. adscr. B*. [14] Sic AC, pro *est enim* B *etenim*. [15] B adscr. *est*. [16] B *a se radium*. [17] C *creature*. [18] B* marg. adscr. *De angelis* [19] *angelicam* om. AB, marg. adscr. B*. [20] B *caelestium animorum*. [21] *est* om. ABC, supra adscr. B*. [22] Sic C et corr. B*, AB *virtute*. [23] Sic AC. B *discernuntur* (punct. adi. B*). [24] B *Et sunt*. [25] B *rationes*. [26] Corr. B*, AB *circum*, C *cur cum*. [27] C *appellantur*.

extremus ordo hominibusque proximus specialiter angelicus nominatur [1]. Magis, inquit, apud nos homines, quam apud caelestes virtutes aptius nominati sunt angeli, quam priores, hoc est, quam praecedentes eos virtutes, quoniam plus quam superiores ordines nobis appropinquant, magisque nobis divina annuntiant et aperiunt mysteria. Quantum et circa significantius ipsis est ierarchia et magis circumornatus, hoc est, in tantum apud nos aptius nominati sunt angeli, quam priores, in quantum est ipsis ierarchia [2] circa illud, quod significantius, hoc est, manifestius et expressius nobis per eos annuntiatur. Intuere, quod significantius seu, ut expresse transfertur, manifestius non sunt comparativa adverbia, sed neutralium nominum comparativa. Et magis circumornatus, id est, magis nobis eorum [3] ornatus circumscriptus est, ad intelligendum videlicet. Omne enim, quod facile intelligitur, quodammodo circumscriptum intellectu [4] videtur; altiores siquidem virtutes longe a nobis remotae sunt, qui adhuc terrenae habitationis septis circumcludimur [5], ne libero mentis volatu ad caelestia intelligenda puro contuitu valeamus ascendere. Sequitur : *Excellentissimam quidem enim, ut dictum est, dispositionem, tanquam ipsi occulto primitus ordinate proximantem, clam formans aestimandum sanctificare secundum.* Ordo verborum : Aestimandum quidem enim, excellentissimam dispositionem, tanquam proximantem ipsi occulto primitus ordinate, clam formans sanctificare secundam [6]. Est autem sensus : Propterea ultimus ordo nobisque proximus aptius a nobis angelicus nominatur, quoniam excellentissima caelestium essentiarum dispositio, prima videlicet ierarchia, veluti proxima ipsi occulto, Deo plane, qui propterea occultus dicitur, quoniam superat omnem intellectum, ac primitus ante alias ierarchias ordinat, aestimanda est et incunctanter intelligenda, sanctificare, id est ordinare, vel ut proprie transfertur, sacrificare secundam, mediam scilicet ierarchiam, formans eam clam, occulte scilicet et invisibiliter, et non solum ab humanis intellectibus, verum etiam et angelis remotissime. Ut enim ineffabile et incomprehensibile est, et occultum omnibus ierarchiis, quomodo prima ierarchia ab ipso Deo et ordinatur et sanctificatur vel sacrificatur, ita remotum est et incognitum, quomodo secunda per primam, et tertia per mediam ordinatur et sanctificatur ab ipsa [7] omnium causa. Ac per hoc, si haec caelestibus essentiis incognita et incomprehensibilia sunt, quid mirum, si a nobis comprehendi non possunt? *Secunda vero, quae completur a sanctis Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus, ejus* [8], *quae est Principibus* [9] *et Archangelis et Angelis, ierarchiae principari.* Patet quod ait : Aestimandum vero, inquit, secundam ierarchiam tertiae ierarchiae principari. Ut enim prima secundam [10], ita secunda tertiam sanctificat et ducit [11]. Dux videlicet ipsius est ejus principatus. *Prima quidem ierarchia* aestimanda est principari [12] tertiae *manifestius* quidem, quam prima ierarchia principatur mediae, *occultius vero*, id est, altius et secretius, *quam ea*, tertia [13] videlicet, *quae post eam*, mediam plane, constituta est. Quod potest sic dici : media ierarchia manifestior est quam prima, occultior vero quam tertia, ea profecto ratione, qua occultiora et incomprehensibiliora sunt, quae causae omnium appropinquant, his, quae longius ab ea ordinata sunt. Prima itaque ierarchia immediate post Deum occultissima est, quoniam omnino incognitae causae proximam possidet regionem. Tertia vero, quae caelestium essentiarum extremitatem tenet, manifestissima est, quantum caelestes virtutes manifestari possunt. Media vero, quia neque proximum neque [14] extremum [15] obtinet locum, in comparatione interioris manifesta est; in comparatione vero exterioris occulta probatur a theologis esse. *Principatuum autem et Archangelorum et Angelorum manifestativam dispositionem humanis ierarchiis per consequentia praecipere.* A superioribus subauditur : aestimandum est autem, manifestativam dispositionem, id est, ornatum Principatuum et Archangelorum et Angelorum, tertiam videlicet [16] ierarchiam, humanis ierarchiis per consequentia [17] divinae ordinationis praecipere. Manifestativa autem dispositio tertia vocatur ierarchia, quoniam divina humanis ierarchiis manifestat consilia. Ut enim prima mediae, et media tertiae, ita tertia [18] humanis praeest ierarchiis. Si autem quaeris, cur plures humanas appellat ierarchias, invenies in libro de ecclesiastica ierarchia ad similitudinem trium caelestium ierarchiarum tres humanas ierarchias; de quibus hoc loco disserere morosum est. Ubi posuimus : per consequentia, ibi in Graeco δι' ἀλλήλων, quod potest transferri vicissim, vel inter se invicem; ut sensus sit : Principatus per Archangelos [19], Archangeli per Angelos humanis ordinibus praesunt atque praecipiunt. Potest etiam quis dicere non incongrue, ut opinor, tertiam caelestium ierarchiam hominibus imperare vicissim, quoniam et angelos sanctis hominibus obtemperare divina tradit historia, et in gestis eorum legitur. Scriptum est enim in Apocalypsi, quod angelus Joanni volenti se adorare dixerit : «Conservus tuus sum». *Ut sit* [20] *per ordinem ad Deum re-*

VARIAE LECTIONES.

[1] B *nominatur angelicus.* [2] B' marg. adscr. *et praecepta vel officium.* [3] B *eorum noois.* [4] *intellectu* om. B. [5] Sic C et corr. B', AB *circumcluduntur.* [6] A *secundum.* [7] Sic C, AB *ipso.* [8] B' rad. corr. *ei.* [9] B' supra adscr. *ex* principibus. [10] Sic C et corr. B', AB *secunda.* [11] Sic C et corr. B', AB *dicit.* [12] B' marg. adscr. *vel percipere divinas illuminationes.* [13] Conj., ABC *tertiae.* [14] B *nec.* [15] B *medium.* [16] Corr. B', pro *videlicet* AB *vero*, C *i. e.* [17] B' marg. adscr. *i. e. consequenter postquam ei a superioribus praeceptum.* [18] Sic C et corr. B', AB *tertiae.* [19] Sic C et ad marg. adscr. corr. B', AB *angelos.* [20] *sit.* om. B, supr adscr. B'.

ductio et conversio et communicatio et unitas, attamen et a Deo omnibus ierarchiis[1] *optime indita, et communicative superveniens, et cum ornatu sacratissimo processio.* Propterea, inquit, ierarchiarum ordo a superioribus gradatim sic[2] descendit a superioribus[3] ad inferiores, ut iterum per eundem ordinem inferiores per superiores ad Deum reducantur et convertantur ad unum omnium principium, communicentque simul, et[4] in ipso[5] omnes unum sint. Attamen non aliunde[6] horum omnium processio est[7], nisi a Deo, a quo omnibus ierarchicis ordinibus optime et communiter, non tamen sine differentia, indita est, et cum ornatu sanctissimo ipsa supervenit processio. Ut enim in eum omnia convertuntur per reditum, ita ab eo omnia procreantur per processionem. *Inde theologia nostram ierarchiam Angelis distribuit, principem Judaeorum populi Michael nominans, et alios gentium amicos. Statuit enim excelsus terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei.* Quoniam, inquit, ab una[8] omnium causa et angelicarum et humanarum ierarchiarum descendit processio, et ad ipsam iterum ascendit reversio ; propterea theologia nostram ierarchiam angelis distribuit, hoc est, angelis distributam tradit. Principem namque Judaici populi Michael nominat, quo uno argumento[9] docemur, ceteras totius mundi nationes suos principes angelicos habere, quos vocat gentium amicos. Docent namque generationes, quibus praesunt, ad unius veri Dei cultum converti[10]. Michael autem interpretatur : Quis sicut Deus ? vel pax fortis, id est, pax Dei, vel vir virtutis. Quod autem introduxit : statuit excelsus terminos gentium secundum numerum angelorum Dei, non ita intelligendum, ut opinor, quasi tot gentes sint et linguae, quot angeli Dei ; sed tot sunt termini gentium, quot[11] numerus est angelorum, qui specialiter principes[12] earum constituti[13] sunt.

§ 3. *Si autem quis dixerit, et quomodo Hebraeorum populus reductus est solus in divinas illuminationes,* ceteris nationibus in tenebris ignorantiae atque perfidiae detentis ante incarnationem Dei Verbi, dum omnes similiter ductores angelos, sicut Hebraei, haberent, *respondendum, quia non Angelorum rectas scientias accusari oportet aliarum*[14] *gentium in non existentes deos*[15] *errore.* Respondendum, inquit, quia neminem oportet accusare rectas scientias, hoc est, recta judicia sanctorum angelorum, propter errorem[16] aliarum gentium in non existentes, in falsos videlicet deos, qui non sunt, quoniam daemones eorumque ludibria, miserrimarumque rationabilium[17] animarum irrationabilia machinamenta probantur esse. Pulchre autem angelorum imperia et principatus rectas appellat scientias. Non enim alio modo regunt gentes, quibus donantur, nisi scientia et sapientia. Intellectuales quippe creaturae sunt scientiae sapientiaeque capaces, sicut scriptum est : « qui fecisti[18] caelos in intellectu ». *Sed illos ipsos propriis inflexionibus ex ea quae est in divinum recta reductione recidentes, amore proprio et superbia et ipsis opinionum divinitus corrationabiliter cultu*[19]. Ordo verborum : sed oportet accusare illos[20] ipsos, gentium videlicet populos, recidentes, retro cadentes, propriis inflexionibus, hoc est, propriae voluntatis irrationabilibus motibus, ex ea recta reductione, id est, ab ipsa recta verae[21] religionis via, quae est in divinum, quae videlicet ducit in divinum veri Dei cultum[22], et hoc eis evenit amore proprio. Se namque ipsos, non Deum suum amabant, inflati superbia, plus creaturae servientes, quam Creatori, et cultu opinionum suarum seducti sunt. Corrationabiliter ipsis divinitus, hoc est, convenienter eis divino consilio hoc fieri concessum[23]. Tradidit enim eos Deus in reprobum sensum, ut faciant, quae non conveniunt. *Hoc perhibetur et ipse Hebraeorum populus perpessus esse.* Hoc, id est, ex recta via, qua unus Deus colitur, sicut et ceterae nationes, recessisse idolaque coluisse perhibetur Hebraicus populus, ideoque ultionem divinam perpessus est. *Cognitionem enim Dei, ait,*[24] *repulisti, et post cor tuum existi. Neque enim coactam habemus vitam, neque per provisorum propriam potestatem divina lumina providae illuminationis obcaecantur, sed intellectualium visionum dissimilitudo super plena paterna bonitate*[25] *lucis donationem, aut omnino non participatam facit, et ad earum reformationem non distributam, aut participationes facit differentes, parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius et simplicis et semper*[26] *eodem modo habentis et superexpansi fontalis radii.* In hac autem sententia liberrimum rationalis creaturae commendat arbitrium, et superplenam paternae bonitatis, infinitamque illuminationum communiter humanis animis effusionem. Ait enim : neque[27] coactam, sed liberam nos homines habemus vitam. Ac si diceret : Non ideo conditor et ordinator omnium nationum principes angelos eis praeposuit, ut eas invitas, absque liberi arbitrii appetitu, ad cultum suum converterent ; si enim hoc fieret, divinae profecto imaginis gloria in servitutem redacta vilesceret ; sed propterea angelos suos nescientibus se generationibus praeordinavit, ut occulta et intelligibili admonitione intellectualis rationalem, ad cognitionem Crea-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ierarchicis.* [2] *sic* om. B. [3] Sic AC, B *a superioribus descendit* (punct. adj. B',) [4] B *ut.* [5] comm. *similiter* et in *uno* omnes cet. [6] B super adscr. *fit.* [7] *est.* om B. [8] Emend., ABC *uno.* [9] Sic C et corr. B', AB *augmento.* [10] *Docent — converti* om. A. [11] B' corr. *quotus*, C *quotus.* [12] B *principes specialiter*, C *princeps.* [13] *Solus in divinas illuminationes* om. AB, ad marg. adscr. B'. [14] B' corr. *de aliarum.* [15] *Deos* om. A, ad marg. adscr. B. [16] Sic. C, AB *errorum.* [17] B. *rationabiliumque.* [18] B. rad. corr. *fecit.* [19] B *opinionum cultu divinitus corrationabiliter.* [20] Sic C, A. *ad illos*, B *ad illos* (punct. adi. B'.) [21] Sic C et corr. B' : AB *vivere.* [22] A *cultu.* [23] B' infra adscr. *est* concessum. [24] Pro *enim Dei ait* B *ait Dei.* [25] *bonitate paterna.* [26] Corr. B', AB *se per.* [27] B *nec.*

toris sui spontaneo motu reduceret; neque enim coactam habemus vitam. Quoniam vero tam infinita et tam communia sunt divina lumina providae illuminationis, hoc est, divinae providentiae, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita ut nulla propria potestate liberi arbitrii eorum, quae provisa sunt facienda, obcaecari, hoc est, obscurari et alienari, a communi omnium et [1] intelligibilium et rationabilium cognitione valeant prohiberi [2]; nam omnibus capacibus suis [3] universaliter distribuuntur, nullaque creatura illorum praesentia privatur, inestque omnibus cognitionis eorum naturalis possibilitas: propterea dicit: neque per provisorum propriam potestatem divina lumina providae illuminationis obcaecantur. Sive enim intellectuales sive rationales creaturae intra [4] naturales suos [5] motus permaneant, eosque non rumpant, sive per contrarios motus naturae terminos velint transgredi; sicut divinas leges excedere, ita divinis illuminationibus communiter et generaliter carere non possunt. Sed facit dissimilitudo intellectualium visionum, seu vultuum, ὄψις [6] namque et visio et vultus interpretari potest, lucis donationem ex superplena, hoc est, plus quam plena paterna bonitate [7], aut omnino non participatam et non distributam ad earum, visionum videlicet, reformationem. Sunt enim, qui divinae illuminationis radium sibi praesentem nolunt participare, seu sibi distributum fieri, intellectuales suos oculos [8] sponte sua, ne divinum lumen recipiant, claudendo, dono liberi arbitrii abutentes, et, quod ad reformationem suam sibi distribuitur, respuentes; obcaecatum enim est [9] insipiens cor eorum. Aut eadem dissimilitudo intellectualium vultuum participationes facit differentes, parvas aut magnas, obscuras, claras [10]; quidam namque divinum participant lumen minus, quidam plus, quidam obscurius, quidam clarius. Unius et simplicis et semper eodem modo incommutabiliter habentis, et super expansi [11]; sive, ut potest transferri, superextenti fontalis radii, Dei Verbi plane, ex paternae bonitatis fonte nascentis, et omnibus intellectualibus oculis communiter superfusi, sive quis eum receperit, sive non. Etenim et sol iste visibilis aequaliter omnibus sui luminis radium diffundit [12], non tamen ab omnibus, quibus diffunditur [13] aequaliter participatur: vitrum penetrat, silice repercutitur [14], purum aera pervolat, aquosa nube resultat.

§ 3. *Deinde quia et aliis gentibus, ex quibus et nos respeximus in illud omnibus paratum in traditionem* [15] *et apertum divini luminis et magnum et copiosum* A *pelagus, non alienigenae quidam imperabant dii.* Quoniam statuit excelsus terminos gentium secundum numerum angelorum Dei, et quoniam Michael principem Hebraeorum [16] esse Scriptura testatur, deinde, hoc est, hac [17] de causa datur intelligi, quia non alienigenae quidam imperabant dii et aliis gentibus, ex quibus et nos respeximus, hoc est, credidimus in illud apertum et magnum et copiosum pelagus paratum omnibus in traditionem [18]. Promptum namque est infinitae bonitatis pelagus, tradere se omnibus valentibus participare illud; nulli enim denegatur, quia nulli invidet, non est enim acceptio personarum apud Deum; communicari ab omnibus volens. Alienigenas autem deos appellat daemones, quos alienigenae nationes praeter Hebraeos colebant, ignorantes B filios Dei sibi imperasse. *Unum autem omnium principium, et ad ipsum reduxerunt sequentes, secundum unamquamque gentem* [19] *principantes* [20] *Angeli* [21]. Unum est enim omnium principium, ad quod principantes angeli per singulas gentes reduxerunt, sequentes, obedientes videlicet sibi. Sequitur laus Melchisedech regis et sacerdotis Hebraeorum. *Melchisedech intelligendum summum sacerdotem, existentem Dei amicissimum existentibus* [22], *non existentium, sed vere existentis excelsi Dei.* Quae laus apertioribus verbis potest depromi, ut sit sensus: Melchisedech intelligendus [23] est summus sacerdos existere non eorum [24], quae sunt [25], sed vere existentis excelsi Dei, amicissimus Dei ex his, quae sunt. Potest etiam sic interpretari: Melchisedech in- C telligendum summum sacerdotem, existentem Dei amicissimum existentium, non existentium, sed ipsius vere existentis excelsissimi Dei. Fere tamen unus sensus; ac si diceret: Intelligendus [26] est Melchisedech quasi [27] summus sacerdos et amicissimus existentium Deo; non existentium tamen, sed ipsius vere existentis excelsissimi Dei [28] sacerdos est. *Etenim sic simpliciter Melchisedech ipsi theosophi non amicum Dei tantum, sed et sacerdotem vocaverunt. An ut sapientes aperte significarent, quia non solum eis in ipsum, qui vere est, Deum convertit, adhuc autem et aliis ut summus sacerdos eduxit ea quae est* [29] *ad veram et solam divinitatem reductione* [30]. An forte, inquit, divini sapientes non amicum Dei D tantum, verum et sacerdotem Dei vocaverunt Melchisedech, ut sapientibus aperte evidenterque [31] significarent, quia non solum ab eis, Hebraeis plane, in Deum convertit, adhuc autem et ab aliis nationibus eduxit summus sacerdos ea reductione, quae est ad veram et solam Divinitatem, fide videlicet et actu

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. B. [2] B *perhiberi.* [3] Sic AB. [4] Corr. B*. AB *inter.* [5] B *suos naturales.* [6] B *oys.* [7] B *bonitate paterna.* [8] B *oculos suos.* [9] B *est enim.* [10] B* supra adscr. *aut* claras. [11] Rad. corr. B*, AB *expansis.* [12] A *defundit.* [13] *diffunditur* om., addidi ex conj. [14] Emend., AB *si licere percutitur.* [15] Pro in traditionem A. *intradictionem.* [16] B *graecorum*, C *ebreorum.* [17] Sic C et marg. adscr. B*, *hoc* om. AB. [18] A *intradictionem.* [19] Rad. corr. B*, AB *gentes.* [20] B *principante*, B* corr. *principantes.* [21] Corr. ex vers. et text. graec.; pro *angeli* AB *populi.* [22] B* corr. *existentium.* [23] Sic corr. B*, ABC *intelligendum.* [24] Sic AC, B *non eorum existere.* [25] *quae sunt* om. B. [26] Sic BC, A *intelligendum.* [27] Conj., A *quem*, C *qui est.* [28] *Fere tamen unus — Dei* om. B. [29] Rad. corr. B*, AB *esse.* [30] Rad. corr. B*, AB *reductionem.* [31] Corr. B*, AB *videnterque*, C *evidenter quia.*

et [1] contemplation. Pulchre autem post [2] angelos, qui singulis nationibus imperant, introducitur Melchisedech, rex videlicet et summi Dei sacerdos, qui non solum ex Hebraeorum populo, verum etiam ex aliis generationibus multos in cultum veri Dei convertit. Quod quamvis in sancta historia scriptum non sit, nullo modo debemus dubitare rerum factarum veritatem [3] fuisse, duobus maximis argumentis ad fidem causae dubiae ducti. Primum quidem beatus [4] Dionysius talia incunctanter non dixerit, si apostolica auctoritate, quos viderat et audierat, tradita non didicerit; secundo [5] vetus [6] testamentum nullum patriarcharum tradit, qui tantum gesserit figuram Christi, quantum ipse Melchisedech. Christus autem [7] cum carnis origine Hebraeus sit, non tamen ab [8] Hebraeis solummodo, verum etiam ab omnibus gentibus electos adduxit, quibus suam Ecclesiam unicam sibi domum et construxit et spirituali conjugio [9] dilectam sibi sponsam copulavit. Quod mysterium sub symbolo Melchisedech est praenotatum. Pulchre, ut dixi, post [10] angelos gentium principes [11] introducitur, ut per hoc intelligamus, non solum angelos, verum et sanctos homines cultu divinae dispensationis atque prudentiae legibus, singulis linguis et nationibus imperare. Post [12] vero mysticam Melchisedech secundum haec [13] commemorationem ad exempla, quibus angeli imperare nationibus probantur [14], convertit intuitum dicens :

§ 4. *Et hoc tuam* [15] *summe sacerdotalem intelligentiam admonebimus, quia et Pharaoni apud ipsos Aegyptios imperante angelo, et Babyloniorum* [16] *principi praeside proprio omnium providentiae et dominationis* [17] *providum et potestativum secundum visiones* [18] *distributum est, et gentibus illis veri* [19] *Dei ministri duces statuti sunt.* Et admonebimus, inquit, o Timothee [20], tuam summam sacerdotalem intelligentiam, ut incunctanter cognoscas hoc, quia distributum est providum et potestativum, id est provisio et potestas, omnium providentiae et dominationis, Dei Verbi videlicet, qui [21] providentia et dominatio est omnium, distributa [22] secundum visiones, hoc est, juxta [23] quod in visionibus propheticis est revelatum [24], et quia gentibus illis viri Dei ministri duces statuti sunt. Quod probatur angelo imperante Pharaoni, dum imperat angelus Pharaoni apud Aegy-

A ptios, ut vidit Joseph, et praeside proprio, dum proprius [25] angelus praesit [26] Babyloniorum principi, ut vidit Daniel. His apertissimis exemplis indubitanter datur intelligi, omnibus gentibus angelos Dei praeesse, eosque prophetis visiones revelasse. Ordo autem et qualitas propheticae visionis subnectitur : *Formationum ab angelis visionis manifestatione angelorum, continuo sacris viris, Daniel et Joseph, ex Deo per angelos revelata.* Hyperbaton est [27], cujus ordo est : manifestatione revelata visionis formationum [28] ab angelis angelorum [29] continuo ex Deo per angelos sacris viris Daniel et Joseph. Et est sensus [30] : Haec omnia per propheticas visiones in notitiam hominum traducta sunt, dum revelata est manifestatio, hoc est, expositio visionis formationum, imagi-
B nationum videlicet et figurationum, quibus prophetici spiritus formati sunt, ab angelis angelorum, id est, a superioribus angelis inferioribus revelata est manifestatio [31], et continuo ipsa revelata manifestatio per angelos ex Deo sanctis prophetis tradita est. Prius ergo angeli, verbi gratia, principantur [32] archangelis, et consequenter archangeli per angelos sanctis hominibus propheticae formationis revelatae sunt, et hoc totum ex Deo. Quod consequenter subnectit dicens : *Unum est omnium principium et providentia.* Ac si diceret : A nullo reguntur omnes generationes, sive quae jam credidere, sive quae adhuc tenebris ignorantiae detinentur, nisi ab ipsa una providentia unius [33] omnium principii. Aequaliter enim et communiter divina [34] bonitas omnibus
C providet nationibus. Quod connexim [35] edocet : *Et nullo* [36] *modo aestimandum* [37], *Judaeos quidem pleniter duxisse divinitatem, angelos autem specialiter, aut aeque honorabiliter, aut oppositis, aut deos quosdam alteros imperare aliis gentibus.* Ac si aperte diceret : nullo modo intelligenda est divinitas Judaeis pleniter, vel sicut expressius transfertur, consummative, hoc est, ultra ceteras nationes imperasse per se [38] ipsam, nulla angelica potestate interposita, angelos autem specialiter, id est, viritim [39], vel aeque [40] honorabiliter aliis gentibus, hoc est gentibus [41], quae aequaliter honorabiles sunt, verbi gratia Romanis, Graecis, ceterisque similibus et aeque potentibus, aut oppositis, id est, contrariis aliis gentibus vel
D sibimet vel Judaeis, aut deos quosdam alteros,

VARIAE LECTIONES.

[1] Pro *actu et* A *actue*, C *et actione et.* [2] Sic C; AB *plus*, B* corr. *prius.* [3] Corr. B*, ABC *veritate.* [4] B* supra adscr. *quod* beatus. C *Prius primus quidem quod* beatus. [5] B *secundum*, C *secundum quod.* [6] Sit C. Pro *vetus* A *et eius*, B *ut eius.* Voci *ut* B* punct. subi., et ad marg. adscr. *quod.* [7] *autem* om. B. [8] Sic C, *ab* om, AB, supra adscr. B* [9] Sic C et corr. B*, AB *spiritualiter iugo.* [10] Sic C; AB *plus*, B* corr. *prius.* [11] Sic ABC, B* corr. *princeps.* [12] Conj., pro *Post* AB Plus, B* corr. *prius.* [13] Conj., pro *secundum haec*, A *sed haec*, B *sed haec* (punct. adi. B*). [14] B *probabantur.* [15] A *totum tuam.* [16] Corr. B*, AB *Babyloni eorum.* [17] B *donationes*, B* corr. *dominationes.* [18] Corr. B*, AB *divisiones.* [19] Corr. B*, AB *viri.* [20] Emend., AB *Thimothe*, C *Otymothee.* [21] B* corr. *quae.* [22] B *et donatio* (B* corr. *dominatio*) *est* (punct. adi. B*) *omnium distributiva* est. [23] Sic C et ad marg. corr. B*, AB *iusta.* [24] B *relativum*, B* corr. *revelatum.* [25] Corr. B*, AB *propriis.* C *et proprio preside dum* angelus cet. [26] B* corr. *praefuit.* [27] Corr. B*; pro *Hyperbaton est* AB *Yperbatonem*, corr. B* *Yperbaton est.* C *Yprobaton.* [28]. Sic C et corr. B*, AB *formationem.* [29] B *angelicorum.* [30] B *sensus est.* [31] B *manifestatio est.* [32] Sic C, AB *principatur.* [33] A *unus.* [34] *divina* om. A. [35] Sic C, pro *connexim* AB *quonexim*, B* corr. *quo connexim.* [36] A *a nullo*, B *a nullo* (punct. adi B*). [37] B* supra adscr. *est.* [38] *se* om. B, supra adscr. B*. [39] B* marg. adscr. *i. e. singillatim.* [40] Sic C, pro *vel aeque* AB *neque.* B* voci *neque* punct. adi. et marg. adscr. *vel aeque.* [41] *gentibus* om. AB *aliis gentibus* (punct. adi B*) *hoc est gentibus.* C *i. e. gentibus.*

daemones plane, imperare. Adversus superbiam Judaeorum hoc dictum arbitror, qui ipsum Deum per se ipsum, non per aliquem angelorum sui [1] imperare sibi autumant, ideoque se [2] honorabiliores ceteris gentibus gloriantur, quasi speciale imperium unius Dei electus populus Israel. Sequitur : ***Sed et eloquium illud secundum ipsam sacram intelligentiam accipiendum*** [3]. Non secundum, inquit, falsam superbamque [4] Judaicam opinionem, qua se veluti propriam Dei haereditatem jactitant[5], divina providentia accipienda est, sed eloquium illud accipiendum, hoc est, divina Scriptura scrutanda secundum ipsam sanctam intelligentiam, quae docet, rempublicam universalis creaturae communi providentia et salute [6] gubernari. Propterea subditur : ***Non ut partiente Deo cum aliis diis aut angelis nostrum ducatum, et Israel in gentis principatum et gentis ducatum contento*** [7], ***sed ut ipsa quidem una simul omnium excelsa providentia omnes homines salutariter propriorum angelorum restitutoriis manuductionibus distribuente, solo fere*** [8] ***ultra omnes Israel in veri Domini illuminationem et cognitionem converso.*** Non quasi, inquit, partiretur Deus cum alteris diis aut angelis, hoc est, divideret [9] inter alteros deos aut angelos nostrum ducatum, ceterarum videlicet gentium, ex quibus ad cultum unius veri Dei vocamur, imperium [10], quasi contentus [11] sit solo Israel in gentis principatum gentisque ducatum, ut esset princeps gentis et dux gentis, non alicujus, nisi solius Judaicae, sed quasi una providentia simul omnium excelsa omnes homines salutariter, causa videlicet omnium salutis, distribueret restitutoriis in cultum Dei manuductionibus, auxiliis plane, propriorum angelorum, dum solus fere extra omnes nationes in veri Domini lucem et cognitionem Israel conversus sit. ***Unde theologia quidem se*** [12] ***ipsum possedisse Israel in vere Dei famulatum significans, facta est portio Domini, ait.*** Unde [13], quamobrem, qua de causa, quoniam solus fere Israel in cognitionem conversus est, theologia se ipsum, Dominum profecto, possedisse Israel in famulatum suum significans, facta est portio Domini, ait. Potest etiam interpretari : Factus est, ut subaudiatur Israel, portio Domini. ***Ostendens autem et eum viritim ceteris gentibus distribuisse cuidam sanctorum angelorum in cognoscendum per eum unum omnium principium, Michael dixit Judaicum duxisse populum.*** Ut [14] ostenderet, inquit [15], ipsum Dominum distribuisse cuidam sanctorum angelorum viritim [16] in ceteris gentibus imperium, ut per eum, angelum videlicet, gentem, cui praeest, in cognitionem unius omnium principii, quod ipse Dominus est, reduceret : propterea dixit Michael Judaicum duxisse populum, ut per unum ducem unius [17] gentis expresse nominatum [18] ceteros ceterarum gentium duces nobis insinuaret [19], et ut falsam opinionem Judaeorum destrueret, qui opinantur, nullum principem nisi ipsum Deum immediate sibi imperare. Sequitur : ***Aperte nos edocens*** [20], ***unam*** [21] ***esse omnium providentiam*** [22] ***simul omnibus invisibilibus et visibilibus virtutibus superessentialiter supercollocatam*** [23]. Tanquam si diceret : Propterea theologia [24] singulos singularum generationum angelos tradit, unam uni distribuens, ut aperte nos edoceat, unam [25] esse omnium providentiam, quae simul omnibus invisibilibus et visibilibus virtutibus super omnem essentiam supercollocatur. ***Omnes autem per singulas gentes imperantes angelos, in ipsum ut proprium principium sequentes, voluntate essentiali quasque virtutes extendere.*** A superioribus subauditur : ut doceret nos eadem theologia, quod omnes imperantes angeli per singulas gentes extendunt, hoc est, subvehunt sequentes, obedientes scilicet sibi voluntate essentiali [26], libero plenae [27] voluntatis arbitrio, quod essentialiter humanis mentibus inest, quasque virtutes, id est, quascunque [28] virtutes animorum libito se sequentium, in ipsum Deum ut proprium principium; merito, quia Dominus proprium et solum rationalis creaturae principium est. Ordo itaque dictionum est : omnes per singulas gentes imperantes angelos sequentes quascunque virtutes voluntate essentiali in ipsum et proprium principium extendere docet theologia. In hac una sententia sanissima et altissima traditur nobis doctrina. Primum quidem, quia sancti angeli nostri praesules sunt, et non aliam ob causam imperant nobis, nisi ut nos revocent nostris [29] erroribus et ignorantiis in unius omnium principii et causae cognitionem, quae sola nostra salus est et [30] purgatio et illuminatio et perfectio et summa beatitudo et deificatio. Et quod nemo nostrum invitus reducitur, ne naturalis gloria divinae imaginis, quae maxime in libertate arbitrii nobis data est, decoloretur [31], sed uniuscujusque nostrum interiori virtuti electio datur et libertas et possibilitas redeundi in eum, ad cujus imaginem facti sumus, et in ipso deificandi [32] et beatificandi, ipso per

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic pro *suorum*. [2] *se* om. B. [3] B' adscr. *est*. [4] Sic C, AB *superbiamque*. [5] AC *iactant*. [6] Sic C et corr. B', AB *saluti*. [7] B *contempto*, B' corr. *contento*. [8] A *vere*. [9] Sic C et corr. B', AB *dividere*. [10] B' adscr. *et* imperium. [11] Corr. B'; pro *quasi contentus* A *quae contemptus*, B *quas contentus*. C *quasi contemptus*. [12] *quidem* om. C, *se* om. AB. [13] Pro *unde* A *vide*. [14] C *et* [15] Pro *inquit* B *in*. [16] B' marg, adscr. : *i. e. singillatim vel ut expressius dicatur unam uni vel unam quamque unicuique vel singula singulis*. [17] B' supra adscr. *et* unius. [18] Sic C, AB *minatum*. [19] Sic C et rad. corr. B', AB *insinueret*. [20] Sic C et rad. corr. B', AB *sedocens*. [21] A *unum*. [22] AB *un. esse omnium esse providentiam*. [23] Corr. B', AB *supercollocatum*. [24] Sic C, A *ad theologiam* B *ad theologiam* (punct. adi. B'). [25] A *una*. [26] B *superessentiali*. [27] C, et corr. B' *plane*. [28] B' marg. adscr. *vel singulas*. [29] B' super adscr. *a* nostris. [30] Corr. B', AB *ut*; *et* om. C [31] Sic AC, B *decoleretur*. [32] Sic C et corr. B', AB *deificiendi*.

angelos suos nos revocante [1], adjuvante, qui communiter totum diligit genus humanum.

CAPITULUM X.

Cujus titulus :

Repetitio et anagoge angelicae ordinationis [a].

In hoc capitulo trium caelestium ierarchiarum expositio repetitur breviter earumque ordinationis congregatio et differentia [2].

§ 1. *Connexa est itaque sic ipsa quidem honorabilissima circa Deum animorum dispositio ex telethar-chica* [3] *illuminatione* [4] *sanctificata* [5], *in eam immediate* [6] *ascendendo, occultior et manifestior Divinitatis illuminatione purgatur et illuminatur et perficitur.* Connexa est, conjuncta videlicet sibi invicem et inseparabiliter copulata, ipsa honorabilissima dispositio, ipse plane sublimis ornatus, animorum, qui [7], immediate [8] circa Deum sunt, tres scilicet ordines primae ierarchiae; et est ipsa dispositio ex teletarchica illuminatione, id est ipsa Divinitate, quae teletarchis dicitur; perfectionum [9] quippe et sanctificationum princeps est; sanctificata, vel sicut expressius transfertur [10], quamvis inusitatius, pontificata, in pontificalem videlicet ordinem subvecta et sublimata; ipsa namque est primum sacerdotium [11] caelestium essentiarum, ab ipso Deo constituta; in eam, teletarchicam plane illuminationem immediate ascendendo ceteris sequentibus se ierarchiis occultior et manifestior per illuminationem Divinitatis purgatur et illuminatur et perficitur. Purgatur quidem omni [12] ignorantia, illuminatur omni sapientia, perficitur omni deificatione [13]. Quali autem ratione occultior sit et manifestior una eademque prima ierarchia, subjungitur : *Occultior quidem* [14], *tanquam invisibilior et magis simplicata* [15] *et unificata, manifestior vero, ut ante data et primo lucet et universalior, et magis in eam, ut oportet, forma effusa.* Occultior est ceteris, quia plus invisibilis; vel sicut expressius interpretari potest, intellectualior, quia [16] plus ceteris intellectualis est, propter propinquitatem immediatam illius, qui superat omnem intellectum, et magis simpla facta est et unificata. Tribus itaque modis occultior est ceteris, quia plus invisibilis et intellectualis, et quia magis simpla, et quia magis unita constituta est. Omnis quippe creatura, in quantum intellectualis et simpla et unita est, in tantum ceteris creaturis obscurior et ad cognoscen-

A dum difficilior, quoniam causae omnium omnino invisibili et incomprehensibili propinquior. Manifestior vero ut ante data, hoc est : propterea manifestior [17], quia ante omnia data et constituta, non tempore, verum dignitate et sublimitate naturae, et quia primo, ante omnia, lucet post inacessibilem lucem, quae eam condidit, et quia universalior ceteris, id est, omni varietate et dissimilitudine absolutior, et quia magis in eam, quantum oportet comprehendi, forma omnium effusa est, unigenitum videlicet Dei Verbum, ad [18] quod et per quod formantur omnia. Quatuor modis manifestior est aliis omnibus ierarchiis. Primum quidem, quia ante omnes condita in excelsitudine naturae; secundo, quia primordialiter post Deum lucet et se sequentibus et [19] sibimet;

B tertio, quia ordines ipsius universaliores, hoc est, inter se invicem similiores sunt; quarto, quia in [20] eam plus quam in aliis omnium forma diffunditur [21] expressiusque in ea manifestatur. Obscurior igitur ceteris prima caelestis ierarchia, quia manifestior, id est lucidior, et lucidior, quia obscurior. Nam claritas ipsius ceterorum caelestium animorum superat fulgorem, eisque infert caliginem, sicut sol intuentibus eum vertitur in tenebras. Sapientior enim omnibus est et incomprehensibilior. *Ab ipsa autem iterum* [22] *proportionaliter secunda* [23], *et a secunda tertia, et ex tertia secundum nos ierarchia, secundum ipsam bene ornantis* [24] *taxiarchiae legem, in harmonia divina et analogia, ad simul omnis boni ornatus superprincipale principium et consummationem ier-*

C *archice* [25] *reducitur* [26]. Patet quod ait. Ab ipso Deo proxima sibi ierarchia in se ipsum reducitur, hoc est, sursum dicitur. Ab ipsa autem prima corrationabiliter reducitur secunda; a secunda reducitur tertia; ex tertia nostra, id est humana reducitur ierarchia juxta leges bene ornantis taxiarchiae, Deitatis videlicet, in adunatione divina et proportione. Et quorsum omnes reducuntur ? Sursum profecto ad superprincipale principium et superconsummativam consummationem omnis boni ornatus, ad ipsum plane Deum, qui est omnium principiorum principium et plusquam principium, et omnium consummationum consummatio, id est, finis et plus quam finis; ierarchice [27] autem reducitur, hoc est, unaquaeque ierarchia secundum suas leges in divi-

D nam subvehitur harmoniam et analogiam.

VARIAE LECTIONES

B' supra adscr. *et* adjuvante, C nos *vocante et* adjuvante. [2] *In hoc capitulo — differentia* om. B. [3] Corr. B', AB *teletarchia.* [4] Corr. B', AB *illuminatio.* [5] Corr. B', AB *sanctificari.* [6] Pro *immediate* A *in medietate.* [7] Sic ABC, B' corr. *quoniam.* [8] A *in medietate.* [9] Sic BC, A *profectionum.* [10] *transfertur* om. ABC, marg. adscr. B' [11] A *sacerdotum.* [12] Sic ABC, B' supra adscr. *ab* omni. [13] Sic AC, B *aedificatione.* [14] B *tamen.* [15] B' corr. *simplificata.* [16] Rad. corr. B', AB *quam*, C *quoniam.* [17] Sic ABC, B' supra adscr. *est.* [18] Sic C et corr. B', AB *at.* [19] Sic AC, *et* om. B. [20] A *quia magis in*, B *quia magis in* (punct. adi. B'). [21] B *diffunditur omnium forma.* [22] A *iterum autem.* [23] *secunda* om. B [24] Rad. corr. B', AB *ornantibus.* [25] Corr. B', AB *ierarchiae.* [26] A *ducitur.* [27] A *ierarchiae.*

NOTAE.

[a] A, litteris miniatis *decimum capitulum, cujus titulus Repetitio et anagoge* (supple *ordinationis*). In hoc capitulo trium caelestium cet. B litteris miniatis : *Capitulum undecimum, cui titulus est : Quare omnes caelestes essentiae communiter virtutes vocantur*, B' atramento pro *undecimum* corr. *decimum*, vocibus *quare — vocantur* punct. adj., marginique adscr. *Repetitio synagoge angelicae bonae ordinationis.*

§ 2. ***Manifestatores autem omnes, et angeli eorum, qui ante ipsos, sunt; ipsi quidem honorabilissimi Dei moventis, proportionaliter autem ceteri ex Deo motorum.*** Omnes virtutes caelestes manifestatores sunt et angeli eorum, qui se praecedunt, ita ut ordines primae ierarchiae, qui sunt ceterorum excellentissimi, manifestatores et angeli [1] sint [2] Dei, qui omnes movet, ceteri vero proportionaliter angeli sint [3] eorum, qui ex Deo moventur. Ut enim prima ierarchia ipsum Deum annuntiat, ita media annuntiat [4] primam [5] tertiae, et tertia annuntiat mediam quartae, quae est nostra. Et ut breviter dicam: inferiores ordines gradatim ascendentes superiorum se angeli sunt, et omnes communiter Dei. ***Tantum enim omnium superessentialis harmonia unicuique rationalium et intellectualium sacro ornatu et ordinata ductione praevidit, quantum ipse ierarchiarum unusquisque ordo [6] sacre et decenter positus [7] est.*** Tantum, inquit, superessentialis harmonia, summa videlicet omnium causa, praevidit unicuique rationali et intellectuali creaturae ornatu sacro et ordinata reductione [8] distribuere, quantum ipse unusquisque [9] videlicet ordo ierarchiarum [10] sancte et pulchre, hoc est, in quantum ordo ierarchiarum [11] exigit, in tantum ei distribuitur ex superessentiali omnium adunatione. ***Et omnem ierarchiam videmus in primas et medias et ultimas virtutes divisam.*** Hoc etiam in superioribus capitibus est praedictum, quod omnis ierarchia tribus ordinibus substituta sit, quorum duo extremitatum, tertius medietatis obtinet locum, ut est archangelorum ordo inter principatus et angelos. ***Sed et ipsam, per singulas dicendum, dispositionem ipsis divinis harmoniis discrevit.*** Ac si diceret: non solum singulas [12] ierarchias videmus [13] in primas et medias et ultimas virtutes divisas, sed etiam dicendum, quod superessentialis harmonia ipsam generalem dispositionem omnium caelestium ierarchiarum [14] in ipsis divinis harmoniis, adunationibus videlicet, per singulas ierarchias specialiter discrevit [15] in primas et medias et ultimas virtutes. Ierarchia siquidem virtutum, potestatum, et dominationum proportionalis medietatis inter tres [16] ordines primae et tres tertiae ierarchiae harmoniam possidet. Ut enim a prima praeceditur media, ita media praecedit tertiam; et conversim, quemadmodum praeceditur tertia a media, ita media praeceditur a prima. Et haec praecessio et successio in divinarum illuminationum participationis differentiis intelligitur. Alii quidem alte, alii altius, altissime [17] alii; vel [18] certe non solum singulae ierarchiae, et ipsa generalis in primas et medias et ultimas dividuntur virtutes. Sed non temere dicendum, ipsam dispositionem per singulas specialiter, id est singulos ordines singularum ierarchiarum [19], in ipsis [20] divinis harmoniis a supersubstantiali harmonia discretos esse in primas, medias [21], ultimas [22] virtutes. Et ut apertius dicam: non solum singulae ierarchiae in tres ordines discernuntur, verum etiam et unusquisque ordo in primas, et medias, et ultimas virtutes discernitur. Verbi gratia, prima ierarchia in Seraphim veluti primas, et Cherubim veluti medias, et Thronos veluti ultimas discernitur virtutes. Et iterum Seraphim ordo suas primas et medias et ultimas possidet differentias. Similiter de ceteris ordinibus singularum ierarchiarum intelligendum. Quod aperte subsequentibus verbis datur intelligi. ***Propter quod et ipsos divinissimos Seraphim ipsi [23] theologi aiunt [24] alterum ad alterum clamare, in hoc, ut aestimo [25], declarantes, quoniam theologicas scientias ipsi primi secundis tradunt.*** Propterea, inquit, theologi dicunt, alterum ad alterum [26] Seraphim clamare, ut per hoc declararent, quod ipsi Seraphim, qui primas virtutes habent, secundis Seraphim, qui secundas, theologicam tradunt scientiam, id est divinarum rationum speculationem [27]. Eadem ratio in Cherubim et Thronis reliquarumque ierarchiarum ordinibus observanda. Praecedit itaque Seraphim alium Seraphim, et Cherubim alium Cherubim, et thronus alium thronum, virtus virtutem, potestas potestatem, dominatio dominationem, principatus principatum, archangelus archangelum, angelus angelum; in ordinibus [28] episcopus [29] episcopum, sacerdos sacerdotem [30], diaconus diaconum ceteraque hujusmodi, ita ut sub eisdem significationibus nominum primae et mediae et ultimae intelligantur [31] virtutes.

§ 3. ***Addiderim autem fortassis et hoc non incongrue, quia et secundum se ipsum unusquisque et caelestis ut humanus animus speciales habet et primas et medias et ultimas ordinationes et virtutes, ad dictas per unumquodque ierarchicarum illuminationum proprias anagogas proportionaliter manifestas, per quas unumquodque in participatione fit [32], sicut idipsum et fas est et possibile, superincognitissimae purgationis plenissimi luminis anteperfectae perfectionis.***

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*; pro *et angeli*, ABC *angelis*. [2] Emend., ABC *sunt*. [3] Emend., ABC *sunt*. [4] *ita media annuntiat* om. AB, marg. adscr. B*, C ipsum Deum *annuntiant secunde, ita secunda annuntiat primam medie et tertia mediam quarte, q. e. n.* [5] Corr. B*, AB *prima in*. [6] ierarchiarum *videlicet quisquis ordo unusquisque* (punct. B* adj. videtur). [7] Corr. B*, AB *positos*. [8] B *distributione*. [9] Sic C, A *ipse qui unusquisque*, B *ipse qui unusquisque* (punct. adj. videtur B*). [10] A *ierarchicarum*. [11] Sic C, AB *ierarchicarum*. [12] A *singulares*. [13] A *videntur*. [14] Sic C, AB *ierarchicarum*. [15] A *decrevit*. [16] *tres* om. B. [17] B* marg. adscr. *alii* altissime. [18] Pro *vel* B *non*. [19] Sic C, A *ierarchicarum*, B *ierarchicarum* (punct. adj. B*). [20] C in *primis*. [21] C et supra adscr. B* *et* medias. [22] *ultimas* om. B, C *et ultimas*. [23] B *et ipsi*. [24] Rad. corr. B*, AB *theologia juncti*. [25] Corr. B*, AB *ut testimonio*. [26] *ad alterum* om. B, ad marg. adscr. B*. C *alterum Seraphim ad alterum clamare*. [27] Sic C et corr. B*, AB *speculationum*. [28] Corr. B*, AB *omnibus*, C *in hominibus*. [29] Sic C et corr. B*, AB *episcopis*. [30] Sic C, AB *sacerdotum*. [31] Sic C et corr. B*, AB *intelligatur*. [32] Conj., AB *sit*.

Possem, inquit, addere praedictis et hoc, quod [1] non videtur incongruum, quamvis videatur esse obscurum. Et quid est illud? Quia non solum generalis omnium ierarchia, et specialium ierarchiarum ordines, ipsique singuli ordines, verum etiam unusquisque caelestis et humanus animus in se ipso [2] speciales habet primas et medias et ultimas virtutes, secundum dictas per unumquodque, hoc est, per unumquemque ordinem proprias anagogas, reductiones plane, ierarchicarum illuminationum proportionaliter manifestas, id est illuminatas, per quas proprias anagogas unumquodque eorum, quae praedicta sunt, in participatione fit superincognitissimae purgationis plenissimi luminis anteperfectae, id est plusquam perfectae perfectionis, Divinitatis plane, sicut ipsum, hoc est, sicut participatione Dei fas est esse [3] et possibile, qui est superincognitissima purgatio plenissimumque lumen, et anteperfecta, id est, plusquam perfecta perfectio. *Est enim nihil per se perfectum, indigens universalis perfectionis, nisi vere perfectissimum et anteperfectum.* Propterea, inquit, omnis humanus et caelestis animus [4] in participatione fit divinae purgationis et illuminationis et perfectionis, quoniam per se ipsum nec perfici nec illuminari nec purgari potest. Nihil enim est eorum, quae sunt, per se perfectum, dum indiget universalis [5] omnium perfectionis, quae est unius omnium causae participatio, nisi vere perfectissimum et anteperfectum, hoc est, nisi vere summum bonum, quod per se [6] ipsum et perfectissimum est [7], et plusquam perfectum, omniumque perfectionum finis atque [8] principium. Si autem quaeritur, quae sint primae et mediae et ultimae virtutes uniuscujusque caelestis et humani animi, respondendum: Humano animo has tres virtutes inesse contemplamur. Cujus primae virtutes sunt intellectuales, quae supernaturaliter solummodo circa omnium causam, quae Deus est, versantur; mediae vero rationales, quae circa rerum omnium conditarum naturae cognitionem vim suam exercent; ultimae, quae circa naturales animi motus operationes suas impendunt. Has quoque virtutes caelestibus animis inesse, non facile crediderim ullum recte philosophantium dubitare [9], dum caelestes animi et circa Deum intelligibiliter et circa rerum naturas rationabiliter, et circa naturales suos motus interiori sensu praediti [10] volvantur. Et primae quidem virtutes, sive in caelesti sive in humano animo, theologicae, mediae physicae, ultimae morales a theosophis appellantur. Et primae quidem propterea pri-

A mae, quia circa Deum, mediae vero, quia circa naturam conditam, ultimae, quia circa mores, qui naturam sequuntur, virium suarum peragunt officia, non incongrue vocatae sunt. Nam inter Deum et mores medietas quaedam naturae data est. Ut enim Deus, qui supernaturalis est, praecedit naturam, ita natura praecedit mores. Et quemadmodum virtutes morum sequuntur naturales virtutes, ita naturales sequuntur divinas.

CAPITULUM XI.

Cujus titulus est :

Quare omnes caelestes essentiae communiter virtutes caelestes vocantur, hoc est, quare omnes caelestes animi uno vocabulo virtutum, quemadmodum communi vocabulo angelorum appellantur [a].

B § 1. *His autem definitis illud dignum intelligere, ob quam causam omnes similiter angelicas essentias virtutes caelestes vocare consuevimus. Non enim est dicendum, ut in angelis, quoniam omnium novissima est dispositio.* Non eadem, inquit, reddenda est ratio [11] de communi vocabulo virtutum, quae de angelorum, dum quaeritur, cur omnes essentiae angeli vocantur. Non enim possumus dicere: propterea communiter caelestes animi virtutes nominantur, quia [12] ipsa dispositio sanctarum virtutum in divinis ordinibus est [13] novissima. Ea siquidem ratio de angelica cognominatione reddita est, quando quaerebatur, cur omnes caelestes essentiae angeli generaliter appellarentur, quoniam angelicus ordo inter omnes caelestes extremum possidet locum. *Et quidem novissimarum*

C *sancta et decora illuminatione* [14] *superpositarum essentiarum dispositiones participant, ultimae* [15] *vero primarum nullo modo.* Propositam orditur [16] cumulare quaestionem sic: Et quidem novissimarum essentiarum participant sancta et decora [17], vel uti [18] expressius transfertur, sanctos decente illuminatione [19] superpositarum essentiarum ordines participant. Quod apertius potest dici; superpositae dispositiones, ordinationes videlicet, caelestium essentiarum sanctam et decoram illuminationem, vel sanctos decentem illuminationem novissimarum virtutum participant, ultimae vero essentiae sanctos decentem illuminationem primarum illuminationum non participant. Nulla siquidem virtus est in novissimis, quae non subsistat in primis. In primis

D autem sunt, quae in novissimis non subsistunt. Deinde proponit: *et cujus gratia caelestes quidem virtutes omnes divini intellectus nominantur; Seraphim autem et Throni et Dominationes nullo modo,* omnes divini intellectus vocantur; *participatae enim*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic ABC, B* corr. *quid.* [2] Sic C et corr. B*. AB *ipsos.* [3] *esse* om. B. [4] B *humanus animus et caelestis.* [5] *universalis* om. B. [6] Sic C, *se* om. AB, marg. adscr. B*. [7] B. *est et perfectissimum.* [8] B *et.* [9] B *participare.* [10] Conj. A *sensus praedicti*, B *sensu*, C *sensu praedicti.* [11] B *ratio reddenda est.* [12] AC *quoniam.* [13] *est* om. AB, supra adscr. B*, C *sit.* [14] B *sanctam et decoram illuminationem.* [15] Corr. B*, AB *ultima.* [16] Sic C et rad. corr. B*, AB *proposita morditur.* [17] B *sanctam et decoram.* [18] AB *veluti*, C *vel ut.* [19] B *decentem illuminationem.*

NOTAE.

[a] Sic A; B litteris miniatis: *Capitulum duodecimum cujus titulus est: Quare secundum homines ierarchiae angeli vocantur.* B* vocibus: *secundum vocantur* punct. subi., substituit haec: *Omnes caelestes essentiae communiter vocantur caelestes virtutes.*

extremae excelsissimis [1] *sunt universalibus proprietatibus.* Propterea, inquit, hunc quaestionem propono, cur divini intellectus omnes virtutes nominantur, non autem Seraphim vel Throni vel Dominationes; participatae enim sunt extremae essentiae ab excelsissimis essentiis in universalibus proprietatibus. Ideoque non mirum, si nominibus extremarum excelsissimae denominarentur [2], quia nulla proprietas est in extremis, quam non participent primae. Mirum autem, cur nomine virtutum omnes divini intellectus vocitantur, cum virtutes inter excelsas substantias computatae sint [3]. Est enim mediae ierarchiae primus ordo. Ideo subjungit : *Ipsi namque Angeli, et ante Angelos Archangeli, et Principatus, et Potestates, post Virtutes ab ipsa theologia ordinati, communiter saepe a nobis similiter aliis sanctis essentiis caelestes virtutes vocantur.* Ac per hoc non immerito quaeritur, cur inferiores et novissimi ordines longe praecedentium se virtutum [4] appellatione significantur.

§ 2. *Dicimus autem, quia communiter in omnibus utentes caelestium nomine virtutum* [5] *non confusionem quandam uniuscujusque dispositionis proprietatum introducimus.* Quaestionem solvit, quam proposuit. Dicimus, inquit, hoc est, respondemus, quia non introducimus confusionem aliquam proprietatum uniuscujusque ordinis, dum in omnibus divinis animis communiter utimur caelestium nominatione virtutum. Ac si diceret : Dum nomine virtutum omnes divinos animos appellamus, non auferimus proprietatem suam ab ipso ordine virtutum, neque eam, proprietatem dico, aliis essentiis superioribus inferioribusve communiter attribuere judicandi sumus, quoniam non ipsius [6] ordinis virtutum proprietatem [7] significamus, sed aliam virtutem, quae generaliter omnibus divinis inest animis, significamus. Et hoc est quod sequitur : *Sed quoniam in tria dividuntur secundum se supermundana ratione omnes divini intellectus, in essentiam, et virtutem, et operationem, cum simul omnes, aut eorum quosdam inobservate caelestes essentias, aut caelestes vocamus virtutes, eos περιφραστικῶς* [8], *de quibus sermo est, significare nos aestimandum* [9] *ex ea, quae per singulos eorum est, essentia vel virtute.* Ordo dictionum [10] : Sed aestimandum est, nos significare eos περιφραστικῶς, de quibus sermo est, cum vocamus simul omnes aut eorum quosdam inobservate caelestes essentias aut caelestes virtutes ex ea essentia vel virtute, quae est per singulos eorum, quoniam in tria dividuntur secundum [11] se supermundana ratione omnes divini intellectus, in essentiam, et virtutem, et operationem. Non introducimus, inquit, confusionem proprietatum divinorum intellectuum, appellantes eos nomine virtutum, sed existimandi sumus περιφραστικῶς [12], hoc est, per circumlocutionem significare eos, divinos videlicet animos, de quibus nobis sermo est, ex ea generali essentia et generali virtute, subauditur etiam generali operatione, quae singulis eorum inest, quando vocamus simul omnes divinos animos, aut quosdam eorum specialiter inobservate, hoc est, communi et indiscreta significatione caelestes essentias aut caelestes virtutes aut caelestes operationes. Nec sine ratione hoc agimus. Tripartita enim illorum est partitio, in essentiam videlicet, et virtutem, et operationem. Et fortassis haec tria sunt, de quibus in superiori [13] Capitulo, dum de primis, mediis, et ultimis virtutibus uniuscujusque caelestis et humani animi ageretur [14], tractatum est, ut primas in essentia, medias in virtute, ultimas in operatione intelligamus. Quomodo autem intellectus essentiae, et ratio virtuti, et sensus interior operationi adunatur [15], ut non duae trinitates, hominis et angeli, sed una sit, satis, arbitror [16], in libris περὶ φύσεων discussimus. *Neque enim superpositam proprietatem jam bene a nobis discretarum sanctarum virtutum, et* [17] *minoribus omnino annectere essentiis, in conversione inconfusae angelicorum ornatuum taxiarchiae.* A superioribus subauditur : Neque, inquit, aestimandum est, nos superpositam proprietatem sanctarum virtutum, quas a ceteris divinis intellectibus bene discrevimus, etiam [18] minoribus annectere essentiis, veluti in conversione et perturbatione inconfusae [19] taxiarchiae, hoc est, inconfusi divini ordinis. Ac si diceret : Nemo nos existimet proprietatem sanctarum virtutum minoribus essentiis adjungere, seu inconversibilem et inconfusam taxiarchiam perturbare, sed generalem [20] virtutem, quae et [21] omnibus et singulis communis est, omnibus et singulis virtutis nomen impertiri [22] docere. *Juxta enim saepe a nobis recte redditam rationem ipsae quidem superfirmatae* [23] *dispositiones abundanter habent et minorum sacras proprietates; ultimae vero majorum superpositas universitates non habent, particulariter in* [24] *eas primo apparentibus illuminationibus per primas proportionaliter eis distributis.* Repetitio est superius expositae differentiae primarum et ultimarum caelestium essentiarum. Saepe, inquit, rationem reddidimus de eo, quod superordinati divini animi abundanter sanctas proprietates non habent, dum apparentes illuminationes primis primo universaliter in eos, ultimos [25] videlicet,

VARIAE LECTIONES.

[1] B* ad marg. adscr. *ab* excels. [2] B *denominarentur* (punct. adj. B*). [3] A *sunt.* [4] Sic C et rad. corr. B*, pro *se virtutum* AB *servitutum.* [5] *appellatione significantur—virtutum* om. B; B* ad marg. adscr. *Dicimus autem quia communiter utentes caelestium nominatione virtutum.* [6] B* corr. *ipsis.* [7] B *proprietatem virtutum.* [8] B rec. man. marg. adscr. *perysfrasticos.* [9] B* adscr. *est.* [10] B* adscr. *est.* [11] Sic C; *secundum* om. AB, marg. adscr. B*. [12] B* marg. adscr. *perysfrasticos.* [13] B *priori.* [14] *ageretur* om. B. [15] Sic ABC, B* corr. *adunetur.* [16] B* supra adscr. *ut arbitror*; C *ut arbitror* [17] B* corr. *etiam.* [18] AB *et jam.* [19] A *in confusione*, B *inconfusione.* [20] A *degeneralem*, B *degeneralem* (punct. B* adj. videtur), C sed *de generali virtute, quae* [21] *et* om. C; pro *et* A *in.* [22] B* et rec. m. in C. corr. *impartiri.* [23] A *superfirmitate*, B *superfirmitate* (punct. adj. B*). [24] *particulariter autem* in. [25] B *ultimo.*

particulariter per primos et proportionaliter eis, ultimis, distribuuntur. Quod breviter colligendum. Copiose habent primo ordines et suas et minorum, sed divinas primo in se apparentes illuminationes, non autem copiose, id est universaliter, sicut ipsis primis, sed particulariter per primos ultimis, prout analogia eorum exigit, eaedem [1] illuminationes distribuuntur.

CAPITULUM XII.

Cujus est titulus [2]:

Quare secundum homines ierarchiae angeli vocantur, id est, quare summi sacerdotes Ecclesiae terrenae adhuc angeli vocantur [a].

§ 1. *Quaeritur autem et hoc intelligibilium eloquiorum studiose intuentibus. Si enim participantia excelsiorum universitatum non sunt ultima, ob quam causam secundum nos* [3] *summus sacerdos angelus Domini omnipotentis ab eloquiis nominatur* [4]? Quaeritur, inquit, et hoc ab his, qui intelligibilia studiose intuentur eloquia. Si enim, prout posuit [5], ultimi ordines excelsiorum universitates non participant, quare summus sacerdos angelus Domini omnipotentis a sacra Scriptura nominatur, dum angelici ordines universitatem non participant?

§ 2. *Est autem non contraria ratio, ut aestimo, ante definitis.* Ordo : Est autem ratio non contraria, ut aestimo, ante definitis, rationibus scilicet. *Dicimus enim, quia universali* [6] *et superposita majorum* [7] *ornatuum virtute relinquuntur* [8] *ultimi.* Dicimus, inquit, quia relinquuntur, id est [9] superantur, ultimi ornatus ab universali et superposita virtute majorum, vel sicut proprie transfertur, honorabiliorum ornatuum. *Media enim et proportionabili participant virtute* [10] ultimi ornatus; mediam dixit pro particulari; *juxta unam et conjunctivam societatem*, una siquidem omnibus est societas, in qua tamen [11] universales [12] et particulares [13] sunt. *Quale est, sanctorum Cherubim ordo participat sapientia et scientia altiore, sub ipsos autem essentiarum dispositiones participant quidem et ipsae sapientia et scientia, particulari tamen ad illos et subjecta.* Non te moveat constructio graeca, in qua verbum μετέχω, quod est participo [14], et genitivum trahit et ablativum; μετέχω σου, participo tui et te [15]. Quale est : hujusmodi est [16], inquit ; dico, ordo sanctorum Cherubim participat sapientiam et scientiam altiorem. Altiorem posuit pro altius. Sub ipsos autem, id est sub ipsis, vel se extendentes sub ipsos Cherubim,

A dispositiones inferiorum essentiarum, et ipsae quidem participant eandem sapientiam et scientiam, particulari tamen et subjecta participatione [17] ad illos, in comparatione videlicet illorum Cherubim. Quod autem medium ordinem primae ierarchiae pro exemplo posuit, aut brevitatis occasione aut medietatis, cum qua semper extrema subintelliguntur, est actum, ut opinor. *Et quidem omnino in participatione sapientiae esse et scientiae, commune est omnibus deiformibus intellectualibus* [18], *attente autem et primo, aut secundo, aut infra, nequaquam commune, sed sicut unicuique ante propria definitur analogia.* Patet quod ait. Commune est omnium divinorum intellectuum sapientiam et scientiam participare. Attentius autem, hoc est perspicacius et potius,

B et primordialius, aut secundo, aut inferius non est omnium commune. Prima siquidem ierarchia primo participat, secunda secundo, hoc est paulo inferius, tertia infra, quarta, humana videlicet, iterum infra tertiam, secundum [19] quod praedefinitum [20] est prius [21] unicuique ierarchiae per propriam analogiam. *Hoc autem et de omnibus divinis mentibus non fortassis quis errans definiet.* Ac si diceret : Hoc, quod de ordinibus dictum est, alios videlicet primo, alios secundo, alios infra in participatione scientiae et sapientiae esse, non definiet quis errans idipsum de omnibus divinis mentibus. Singulae quaeque [22] quippe divinae mentes [23] non aequaliter participant, primis [24] siquidem suis [25] virtutibus [26] primo, mediis [27] secundo, ultimis [28] infra in participatione scientiae

C et sapientiae sunt. *Etenim sicut primi abundanter habent minorum sanctas pulchrasque proprietates, sic habent ultimi eas primorum, non tamen similiter, sed infra.* Hoc de communi participatione dictum est : Sicut enim primi ordines [29] proprietates minorum se, ita ultimi eas proprietates priorum [30] se habent ; non tamen similiter, sed infra. Siquidem universaliter primi proprietates ultimorum, particulariter autem ultimi proprietates priorum possident. Nulla enim virtus est in ultimo angelo, quae non sit in excelsissimo; multae autem virtutes sunt in excelsissimo, quae non sunt in ultimo. *Nihil ergo, ut aestimo, inordinatum, si et secundum nos summum sacerdotem angelum theologia vocat, juxta virtutem propriam participantem angelorum*

D *prophetica* [31] *proprietate, et ad manifestativam eorum*

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*, AB *eadem*, C *eodem*. [2] *titulus* om. A, add. ex conj. [3] *nos* om. B, marg. adscr. B*. [4] Emend., AB *nominantur*. [5] B *possunt*, B* corr. *posuit.*, C *possit*. [6] B *in universali*. [7] B *malorum*. [8] Emend., AB *relinquitur*. [9] pro *id est* B *id*. [10] Sic ABC, B* corr. *mediam—proportionabilem—virtutem*. [11] B *in quantum*. [12] A *universalitates*, B *universalitates* (punct adj B*). [13] C *universitates* et *particularitates*. [14] Sic C; A *participio*, B *participio* (punct adj. B*). [15] Sic C, A *participio potui et ate*, B *participio potui et ate* (punct adj. B*). [16] *B* est (punct adj. B*). [17] *participatione* om. B. [18] B corr. *intellectibus*. [19] Sic C, et corr. B*, AB *sicut*. [20] B *diffinitum*. [21] *prius* om. A. [22] *quaeque* om. B. [23] A *divini mentis*, C *mentis divinae*. [24] Sic C, B rad. corr. *primae*. [25] *suis* om. B. [26] B rad. corr. *virtutes*. [27] B rad. corr. *mediae*. [28] B rad. corr. *ultimae*. [29] B ad. marg. adscr. *habent*. [30] Sic AC, B *propriorum* (punct B* adj. videtur). [31] Conj., AB *in profetica*

NOTAE.

[a] Sic A; B litteris miniatis : *Capitulum tertiodecimum* (B* atramento corr. *duodecim*) *cujus titulus : Quare a Seraphim dicitur purgatus fuisse propheta Ysaias.* B* verba *a Seraphim—Ysaias* obliteravit, marginique adscr. haec : *hominum ierarche vocantur angeli.*

similitudinem, quantum possibile hominibus, extentum. Si, inquit, omnes divini animi sive caelestes sive humani communiter, quamvis non aequaliter, in participatione sapientiae et scientiae substituti sunt, non est inordinatum, si summus sacerdos apud nos angelus dicatur juxta suam virtutem, qua participat propheticam angelorum proprietatem, et qua[1] extenditur ad manifestivam similitudinem eorum, quantum possibile est homini. Ut enim homini[2] prophetae sunt summorum angeli[3] sacerdotum, ita summi sacerdotes homines inferiorum se prophetae sunt[4] ecclesiasticorum ordinum. Et quemadmodum angeli divina mysteria summis sacerdotibus manifestant, id est annuntiant, eadem similitudine summi[5] sacerdotes eadem mysteria inferioribus se annuntiare non cessant.

§ 3. *Invenies autem, quia et deos theologia vocat et caelestes et supernas[6] essentias et apud nos amicissimos Dei et mirabiles viros.* Non mirum, inquit, si summum sacerdotem theologia angelum Dei vocaverit, quia invenies eandem theologiam deos vocare caelestes essentias et homines, quia amici Dei sunt. Si ergo homines dii vocantur, quid mirum, si dicantur summi sacerdotes angeli? *Et quidem[7] divina obscuritate[8] superessentialiter simul omnibus et remota et supercollocata eorum[9], quae sunt, nullum simile valet proprie et omnino[10] ab ea[11] nominari.* In tantum enim divina bonitas occulta est et invisibilis et superessentialis et ab omnibus remota, ut nullum sibi simile sit, quod ab ea proprie valeat denominari, ut Deus proprie aut bonitas aut veritas dicatur. *Verumtamen quaecunque[12] et intellectualium et rationalium ad unitatem[13] ejus qualiscunque[14] virtus universaliter convertitur, et ad divinas illuminationes, quantum possibile[15], incessabiliter extenditur, secundum virtutem, si justum est[16] dicere, divina imitatione et divina univocatione[17] digna facta est.* Quamvis, inquit, divina invisibilitas superexaltet omnia, ut[18] nulla creatura ab ea proprie valeat denominari, verumtamen quaecunque et qualiscunque virtus intellectualis et rationalis ad unitatem ejus universaliter convertitur, et ad illuminationes ejus, quantum creaturae possibile[19] est, indesinenter extenditur, secundum suam virtutem, si fas est dicere, digna facta est divina imitatione et divina univocatione, hoc est, divina similitudine et divino nomine. Ineffabilis siquidem divinae bonitatis largitas omnibus in- A tellectualibus et rationalibus animis in se universaliter conversis et absque intermissione extentis[20] et similitudinem suam impertitur et vocabulum.

CAPITULUM XIII.

Cujus titulus est:

Quare a Seraphim dicitur purgatus fuisse propheta Isaias[a] [21].

§ . *Age, et hoc secundum virtutem inspiciamus, utquid a theologis Seraphim missus fuisse dicatur.* Age, inquit, quod[22] nostrae disputationi objici potest, si humana ierarchia per novissimum ordinem caelestium virtutum, qui proprie angelicus vocatur, disponitur, ut praefati sumus, quare Seraphim, unus videlicet ex numero primae ierarchiae, purgat prophe- B tam? Illud enim ad angelos pertinet. Qua ratione hoc a theologis dictum sit, juxta virtutem nostrae intelligentiae quaeramus. Siquidem non esset quaestio, si non definiremus, neque Seraphim inferiores virtutes posse[23] nominari, neque[24] nisi[25] per extremos angelos nostram ierarchiam administrari. Quod consequenter subjungitur: *Etenim exponeret quisquam, quia non suppositorum quis angelorum, sed unus quidam maximis[26] essentiis in numeris purgat sacerdotem.* Potest et sic interpretari: Etenim responderet unusquisque, quia non subjectorum quis angelorum, sed ipse Seraphim, videlicet qui[27] est in honorabilissimis essentialibus numeris, purgat prophetam. Unus tamen intellectus est utriusque interpretationis; nam ἀπορήσειε[28] potest interpretari et exponeret et C responderet[29], προφήτης[30] similiter et sacerdos et propheta.

§ 2. *Quidam ergo aiunt, quia juxta jam ante redditam cunctorum intellectuum societatis definitionem, non unam circa Deum primarum mentium nominat eloquium in theologi purgationem venisse, quendam vero praestantium nobis angelorum, sacrificantem prophetae purgationem, Seraphim aequivocatione vocatum fuisse, propter igneam et caelestem dictorum oblationem peccatorum et purgati in divinam obedientiam resuscitationem.* Hanc, dicit, quaestionem quidam volunt explanare dicentes, quia juxta ante redditam ab eis, non a nobis, omnium caelestium intellectuum definitionem societatis — dicunt enim, quod cuncti caelestes D intellectus tantae societatis sunt, ut et omnes et singuli omnium et singulorum nominationibus et communiter appellentur — non unum ex ipsis Sera-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AC, B* pro *qua* ad marg. corr. *juxta quam.* [2] B* pro *homini* ad marg. adscr. *angeli.* [3] Corr. A *angelorum*, B *angelorum* (punct. adj. B*), C *summi angeli*, ita s. s. [4] Sic C et corr. B*, AB *prophetes.* [5] A *id est summi.* [6] A *supernos.* [7] Corr. B*, AB *quid.* [8] Pro *divina obscuritate* B* corr. *divinae obscuritati quae.* [9] Conj., pro *eorum* AB *est.* [10] *omnino* om. B. [11] B *eo.* [12] Cor. B*, AB *quaeque.* [13] B* corr. *unitationem.* [14] B* supra adscr. *et* qualiscunque. [15] B* adscr. *est.* [16] Rad. corr. B*, pro *justum est* AB *juxta.* [17] B *invocatione.* [18] Sic C et rad. corr. B, AB *aut.* [19] B *possibile creaturae.* [20] Sic C et corr. B, pro *extentis* AB *extenti sunt.* [21] A *Esaias*, sic ubique, B *Isaias*, sic fere ubique. [22] A *quoniam.* [23] Rad. corr. B, AB *possel*, C *ipse.* [24] B *nec.* [25] *nisi* om. B, ad marg. adscr. B*. [26] B* corr. *de maximis.* [27] A *quae.* [28] AB ἀπορρησσι, C *apophysi.* [29] Sic C et corr. B AB *responderit.* [30] AB ὑποφητης, C *prophytis.*

NOTAE.

[a] Sic A, B om. titulum, B* atramento adscr. C. XIII, *cujus titulus est quare a Seraphim dicitur purgatus fuisse propheta Ysaias*

phim, sed unum ex angelis, qui nobis praesunt, sacrificare, id est, purgare prophetam theologi dicunt, eumque, angelum dico, divinum eloquium nomine [1] vocare Seraphim [2] propter fervidam et igneam et caelestem ablationem peccatorum, hoc est, purgationem prophetae, qui dixit, se peccasse in verbis suis, et in medio peccantis populi habitasse, et ideo purgatur, ut resuscitetur [3] in divinam obedientiam, ad praedicationem [4] videlicet peccatorum populo [5]. Ea [6] itaque, inquiunt, ratione angelus aequivocus Seraphim factus est, ut per hoc significaretur, quod omnes caelestes virtutes spiritualis ignis vim obtineant. Seraphim quippe aut «incendens», aut «calefaciens» interpretatur; calefacit [7] autem hominem et incendit qualiscunque virtus, per quam Deus purgat nos a delictis nostris, et illuminat mentem nostram sapientiae suae supervenientibus [8] radiis. *Et eloquium unum ex Seraphim simpliciter* [9] *dixisse aiunt* [10], *non circa Deum collocatarum* [11], *sed nobis praestantium purgativarum virtutum.* Ea [12] ratione suum sensum affirmant, quod non dixit Scriptura, unam circa Deum virtutum purgasse prophetam, sed simpliciter igneam quandam praestantium nobis Seraphim vocavit, quae mittitur mundare labia prophetae.

§ 3. *Alter autem non nimis inconsequenter* [13] *quandam* [14] *praestitit mihi apologiam*, id est defensionem, *super praesenti instantia*, hoc est, super praesenti quaestione. Sed illud alium seu alterum [15] qui sit, sub silentio reliquit. Apologia autem et defensio et satisfactio interpretari potest. *Ait enim, quia proprium purgativam sacrificationem magnus ille, qui tunc erat, visionem formans angelus, in docendum divina theologum, in Deum et post Deum in praeoperatricem ierarchiam reposuit.* Dicit, inquit, quia magnus ille angelus, qui formavit visionem in prophetico spiritu, et purgationem labiorum ejus sacrificavit, eum docuit [16] divina praecepta; ad hoc enim theologus, ipse videlicet Isaias, propriam [17] actionem purgationis non sibi ipsi [18] reposuit, id est, deputavit [19], sed Deo, qui omnium purgationum initium est; et in ipsa prima ierarchia, per quam Deus praeoperaretur, et in ceteris sequentibus caelestibus ierarchiis et humanis purgatoriam perficit virtutem. Quod ergo Deus per Seraphim angelum [20] fieri jussit, id est purgare prophetam, non ipsi angelo, qui fecit, sed Deo attribuit [21] et ipsum [22] Seraphim purgasse dicit prophetam. Quem sensum beatus Dionysius veluti suum sequitur et approbat. Subnectit quippe: *Et numquid* [23] *igitur haec ratio verax est? Ait enim qui* [24] *hoc dixit*, id est, qui hunc sensum protulit: *Quomodo* [25] *divina virtus in omnia veniens implet*, subaudis omnia, *et per* [26] *omnia immensurabiliter pervenit* [27], *et omnibus iterum est invisibilis, non solum quasi* [28] *ab omnibus superessentialiter remota, sed et quasi occulte in omnia permittens providas suas operationes, sed tamen et omnibus* [29] *intellectualibus proportionaliter* [30] *superlucet, et propriam illuminationem ingerens pretiosissimis essentiis, per eas quasi primas in submanitas se* [31] *bene ornate distribuit, secundum uniuscujusque dispositionis contemplativam mensurationem.* Laudat quippe et docet divinam virtutem in omnia venientem, et implentem [32] omnia, et omnia infinita sui diffusione [33] penetrantem, dum sit omnibus invisibilis, quoniam superessentialis est et ab omnibus remota, occulte in omnia providas suas actiones permittens, vel, ut [34] proprie transfertur, pervenire faciens, et dum sit ab omnibus remota, ineffabili quodam modo [35] omnibus intellectualibus creaturis secundum uniuscujusque proportionem, hoc est, capacitatem superlucet, propriamque [36] suam [37] illuminationem pretiosissimis, hoc est, infra se constitutis [38] se ipsam bene et ornate distribuit, juxta mensuratam uniuscujusque ordinis contemplationem. Ubi posuimus superlucet, ibi in Graeco ὑπερφαίνεται, quod potest tranferri superlucet, vel superapparet, vel illucet. Similiter ubi posuimus ingerens, ibi in Graeco ἐγχειρίζουσα [39], pro quo possumus dicere ingerens, vel porrigens, vel commendans. *Quam* [40], *ut apertius dicam, et per* [41] *propria* [42] *exempla, etsi* [43] *deficientia Deo* [44] *omnibus remoto, verumtamen nobis manifestiora.* Ordo simul et sensus [45]: Ut apertius dicam, quam, hoc est, divinae virtutis in omnia distributionem, et per propria exempla, etsi deficientia, id est, non omnino [46] Deo similia, qui omnibus exemplis remotus est, nobis tamen ceteris exemplis manifestiora suadeam, talia proferam paradigmata. *Solaris radii distributiones in primam materiam bene*

VARIAE LECTIONES

[1] Cor. B*, AB *nomina vocari.* [2] C eloquium *nomine re* Seraphim. [3] Sic C et corr. B*, AB *resuscitatur.* [4] Corr. B*, ABC *praedicandum.* [5] Sic C, AB *populum*, B* corr. *populis.* [6] Sic C et corr. B*, pro *ea* AB *et.* [7] Sic C, AB *calefacta.* [8] B *superuenientibus.* [9] *simpliciter* om., add. ex vers. et text. graec. [10] A *aiunt dixisse.* [11] Corr. B*, AB *collocaturum.* [12] B *et.* [13] Pro *inconsequenter* A *in consequentem.* [14] Corr. B*, AB *quendam.* [15] Sic AC, B *alium.* Exspectes: *Sed ille alius seu alter.* [16] Corr. B* pro *eum docuit* AB *et docere*, C *et docuit.* [17] A *purgat propriam*, B *purgat propriam.* [18] Sic C, AB *ipse.* [19] Corr. B*, AB *deputatione*, C *Isaias purgatur propriam.* [20] Corr. B*, ABC *angelo.* [21] *attribuit* om. AB, ad marg. adscr. B*, C *attribuitur.* [22] Corr. B*, ABC *ipsi.* [23] Corr. B*, ABC *non quid.* [24] Rad. corr. B, AB *quid.* [25] B* corr. *quoniam.* [26] A *in.* [27] B *provenit*, B* corr. *pervenit.* [28] Corr. B*, AB *quas.* [29] Corr. B*, pro *omnibus* AB *communibus.* [30] *proportionaliter* om. AB, add. ex vers. et text. graec. [31] Rad. corr. B*, AB *sed.* [32] A *implente.* [33] Corr. B*, AB *diffusio*, C *diffusionem.* [34] *ut* om. C. [35] Sic C et corr. B*, A *ineffabiliter quomodo*, B *ineffabili quomodo.* [36] Conj., A *proprietatem*, B *proprietatem* (punct. adj. B), C *propriam.* [37] B *suam* (punct. adj. B*). [38] Sic C; AB *constitutas.* [39] AB εγχερυζουσα, C *egchirisusa.* [40] B* marg. adscr. *quam scilicet distributionem.* [41] *per* om. A, B *pro*, B* corr. *per.* [42] Corr. B*, AB *proprie.* [43] AB *et si.* [44] AB *deficienti a Deo*, B* corr. *deficientia a Deo.* [45] Sic A, B *Ordo sensus simul*, B* corr. *Ordo et sensus simul*, C *Ordo verborum similis et sensus.* [46] Sic C et corr. B*, A *omni non*, B *omnimos.*

distributae, implent omnium lucidiorem, et per eam[1] *manifestius proprios declarat splendores*. Solaris, inquit, radius, qui per spatia mundi hujus visibilis extenditur, in primam materiam, id est, in aethera et superiorem proximum sibi aera bene distributus[2] eique diffusus implet lucidiorem ceteris mundi partibus materiam, et aera videlicet, ut praediximus, et aethera, quas duas mundi partes prae nimia sui subtilitate, nulla corpulentia obsistente, ineffabili celeritate et claritate solaris penetrat[3] radius et implet, et per eam, lucidiorem materiam, et in ea[4] manifestius ceteris proprios splendores declarat. *Accedens vero crassioribus materiis, obscuriorem habet distributivam*[5] *superapparitionem, ex illuminandarum materiarum ad illuminationis distributivum habitum importunitate*. Dum idem radius crassioribus materiis, inferiori plane hujus aeris parti, quae exhalationibus[6] aquaticis atque terrenis crassior spissiorque, quam superiores mundi[7] partes efficitur, nec non et aquarum[8] naturae accedit, obscurius superapparitionem sui distribuit, neque hoc ex tarditate materiarum, quae illuminandae sunt, ad distributivum habitum illuminationis. Non enim capaces sunt supernae lucis in tantum et[9] perfectum habitum illuminationis. Sequitur: *et paulo post ex*[10] *hoc ad perfecte fere indistributum coartatur*[11]. Ac si diceret: Non longe[12] postmodum infra crassiores materias, id est, crassissima terrenaque corpora solida lucique aditum non praestantia, ut fere nihil sui luminis distribuat, ipse radius coartatur[13], hoc est prohibetur. *Iterum ignis caliditas magis se ipsam distribuit in capaciora, et ad similitudinem bene convenientia et bene ducta; ad*[14] *vero reformationibus contrarias*[15] *essentias*[16] *ipsa nullum absconso*[17] *primitivae operationis vestigium manifestat*. Primum paradigma ex solari radio, secundum qualitatem et capacitatem materiarum visibilem mundum[18] implente et illuminante, assumitur. Secundum vero ex qualitate ignis, caliditate videlicet, quae plus primitusque[19] capacia sui et similia sibi calefficat, contrarias vero reformationibus, id est, frigidissimas essentias nullo modo reformat. Ideoque omnia frigida veluti mortua atque deformia, calida vero viva formosaque nominari dicuntur[20], quoniam

A per caliditatem omnis materia corporalis formatur et reformatur a generali vita, quae omnia corpora administrat. Propterea dixit: ad essentias vero contrarias reformationibus suis, hoc est, nimia sui frigiditate ad formationem suam incommodas ipsa, caliditas, nullum vestigium ex occultato[21] primitivae suae operationis manifestat. Pulchre autem ait: absconso[22] primitivae operationis. Prima siquidem operatio ignis est calefacere, quae[23] occulte in omnibus corporibus agere perhibetur. Invisibilis enim est caliditas. Qua autem ratione praeponitur[24] actio calefaciendi actioni illuminandi, cum utraeque ignis sint, facile[25] occurrit, dum peraperte videamus, calorem plus penetrare corpora, quam lucem. Densa quippe lucem excludunt, calorem excludere nequeunt. B Et si quis dixerit, lux penetrat glaciem, non autem calor, videat glaciem non vi luminis, sed caloris solvi, quam si non intraret, neque quidem solveret. Potest etiam sic transferri: Ad vero contrarie[26] formatas contrarias essentias nullum absconditum[27] aliquod ex prima operatione vestigium apparet. Ut sit sensus: In contrariis essentiis, quae contra naturam caloris[28] formantur, nullum vel[29] saltem[30] obscurum vestigium primitivae operationis, id est, calefcationis imprimit. Nix siquidem et glacies prius desinent esse[31], quam aliquod vestigium accipere[32] caloris. Quid de salamandra dormienti in igne, saepe etiam frigiditate corporis extinguente, dicendum? *Et hoc amplius*, id est, et hoc amplius argumentum est, praefato videlicet argumento amplius C et apertius, *quia his, quae non sunt cognata*[33], *per opportuna sibi habentia admittitur primum*, hoc est, quia caliditas primum permittitur[34] his corporibus, quae non sunt cognata[35], id est, connaturalia caliditati, per opportuna corpora habentia connaturalitatem sibi, hoc est, ipsi[36] caliditati. Potest etiam in eodem sensu ita interpretari: Quia non connaturalibus per familiaria ad eam, caliditatem, pertinentia adducitur primum. Quod aperte subsequentibus docet exemplis: *Utpote ignita faciens ab igneis facile mobilia*, hoc est, calida faciens, quae facile ab igneis qualitatibus moventur in calorem, *et per haec aut aquam*[37] *aut alterum quid non*[38] *facile ignescentium*[39] *proportionaliter calefcans*. D Verbi gratia, solaris calor primo aerem sibi[40] cogna-

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*, AB *ea*. [2] Corr. B*, AB *distributor*, C *distribuimus*. [3] C et corr. B*, AB *penitrat*. [4] Corr. B*, ABC *eam*. [5] Ex vers. et text. graec. AB *distributionem*. [6] A *exallationibus*, B *exallationibus* (punct. adsc. B*), C *exalationibus*. [7] *mundi* om. B. [8] Conj., pro *et aquarum*, AB *ea quarum*, B* cor. *eis quarum*, C *eas quarum*. [9] AC *ut*, B *ut* (punct. adj. B*). [10] B *et*. [11] A *coortatur*, B *coarctatur* (punct. adj. B*). [12] *non* om. C, AB *non longo*. [13] A *coartatur*, B *coarctatur* (punct. adj. B*). [14] Corr. B*, AB *at*. [15] B* ad marg. adscr. *suis contrarias*. [16] B *absentias* (punct. adj B*; *es* supra adscr.). [17] Pro *absconso* B* ad marg. adscr. corr. *vel absconsum*. [18] B *mondum*, sic saepe B* corr. *mundum*, sic saepe, C *mundam illuminante, implente assumitur*. [19] Sic C, A *porimitusque*, B *porimitusque* (punct. adj. B*). [20] B *dicitur*, B* corr. *dicuntur*. [21] B *exocculitato* (punct. adj. et *vel absconsum* supra adscr. B*; C *ex occulto*. [22] B* corr. *absconsum*. [23] B* corr. *quam*. [24] A *proponitur*. [25] Sic C et corr. B*, AB *facili*. [26] Corr. B*, AB *contraria*, C *contrarias*. [27] B* supra adscr. *vel saltem absconditum*. [28] Sic C et corr. B*, AB *coloris*. [29] *vel* om. ABC, supra adscr. B*. [30] A *saltem*. [31] AB *desinente est*, B* corr. *desinenter est*, C *desinunt esse*. [32] B* supra adscr. *sit accipere*. [33] Corr. B*, AB *cognita*. [34] B corr. *admittitur*. [35] Sic C et corr. B*, AB *cognitu*. [36] Sic C et rad. corr. B*, AB *ipsa*. [37] Sic C et corr. B*, pro *aut quam* AB *autem qua*. [38] *non* om. ABC, supra adscr. B*. [39] Sic C et corr. B*, AB *ignisc entium*. [40] AB *sibi aerem*.

tum penetrat atque calefacit facili operatione, deinde A per calefactum aera aquam frigidam, aut alterum quippiam, quod non facile potest calefieri, naturali convenientia calefacit. Plana sunt, quae sequuntur : *Juxta hanc igitur ordinationis rationem* [1], id est, juxta similitudinem lucis et caloris, *supernaturalis ipsa omnis boni* [2] *ornatus visibilis et invisibilis taxiarchia*, divina scilicet virtus, quae totius ordinis principium est et princeps, *congruae delucidationis*, id est proportionalis illuminationis, *claritatem primo apparentem*, ab occultis videlicet suis, in quibus per se ipsam inaccessibilis est, erumpentem in rerum naturam, *copiosissimis*, hoc est, quantum in copiosissimis *effusionibus*, *excelsissimis*, proximis plane, *manifestat essentiis*, *et per eas, quae post sunt* [3] *essentiae, divinum* [4] *participant radium. Eae* [5] *enim* B *primae cognoscentes Deum, et divinam supereminenter* [6] *desiderantes virtutem, et praeoperatrices* [7] *fieri, quantum possibile* [8], *Deo* [9] *simili virtute* [10] *et actione* [11] *dignae effectae sunt* [12], *et post se* [13] *essentias ipsae ad similem virtutem, ut virtus*, hoc est, quantum virtus uniuscujusque essentiae divini radii capax est, *deiformiter extendunt*, *copiose ipsis tradentes ex superveniente in eas claritate*, *et illae iterum*, id est, quae post [14] excelsissimas essentias constitutae sunt, *subjectis sibi*, supervenientem tradunt claritatem, *et per singulas prima ei, quae est post eam, tradit*. Verbi gratia prima ierarchia mediae, media tertiae, tertia quartae, quae est in hominibus, divinas tribuit illuminationes. Tertium sequitur paradigma : *Ipsa aqua nonne et in omnes proportio-* C *naliter pervenit?* Ac si diceret : Nonne ipsa aqua, quemadmodum et solaris radius, et caliditas ignis, proportionaliter in omnes pervenit materias? Hunc locum propter intelligentiae facilitatem ita transtulimus. Potest tamen plus expresse [15], quamvis [16] obstrusius, interpretari, in eodem profecto sensu : aqua non quidem ergo et in [17] omnes [18] proportionaliter perveniens [19]? Tanquam diceret : Nonne quidem ergo aqua et in omnes materias distribuitur proportionaliter perveniens [20], hoc est, corrationabiliter et similiter perveniens [21] solari radio et caliditati? Humi siquidem radicitus occulte arboribus herbisque illabitur, deinceps gradatim in stipites et thyrsos [22], ramos, folia, flores, fructus. *Est ergo simul cunctis illuminatis* [23] *principium illuminandi*. Post D paradigma ad propositum revertimur [24], hoc est, ad explanationem divinae virtutis et illuminationis. *Est*, inquit, commune et universale cunctis illuminatis vel illuminandis — utrumque enim potest transferri ab eo, quod est φωτοζομένοις — principium illuminandi. Et quod est illud principium? *Deus quidem natura, et vere, et proprie, ut* [25] *luminis essentia*, *et ipsius esse et videre causales* [26]. Deus enim solus natura Deus est, et solus vere et proprie Deus est. Ceteri enim, qui dicuntur dii, aut falsi sunt, ut dii gentium, daemones, aut si veri sunt, non per naturam, sed per gratiam dii sunt [27], quibus per prophetam dicitur : « Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes ». Ut luminis essentia, et ipsius esse causalis; « ut » [28] in hoc loco apponitur pro [29] causali conjunctione; ac si diceret : Deus, qui solus natura Deus est, ex hoc cognoscitur illuminatis principium illuminandi esse, quia luminis essentia est. In ipso enim et omne lumen omneque [30] illuminatum subsistit, quoniam et ipsius essentia lux est, et ipsius esse causa. Omne [31] siquidem, quod est, non aliunde ei esse est, nisi ab eo, qui superessentialis est [32], et causalis ipsius videre. Infinitiva [33] loco nominum posuit. Ubi pulchre datur intelligi, quod non aliud est et ipsi Deo et omni rationali et intellectuali creaturae esse, et aliud lux esse, et aliud videre, hoc est, intelligere gnostica virtute. Id ipsum itaque ipsis est esse et lucere et videre. Esse enim ipsorum lux est et visio. *Hoc deiforme et Deo simile permanet*, quod proprie transfertur : hoc deiformiter et Deo similiter constituens; ipse videlicet qui causalis [34] omnium est. Et quid est illud? *Superposita ei post se unaquaeque divina lumina per se* [35] *in illam transvehere*. Hoc est, causalis omnium constituit, ut superposita quaecunque essentia subsequenti se essentiae divina lumina per se in [36] illam transvehat vel supervehat. Ἐποχετεύεσθαι [37] enim et transvehere eos, supervehere, et invehere potest interpretari. *Ergo excellentissimam caelestium animorum dispositionem simul omnium reliquarum* [38] *essentiae, secundum quod consequens est post Deum principium mirantur, omnis sacrae et divinae scientiae et divinae imitationis, tamquam per illas in omnes et nos divina illuminatione distributa* [39]. Ordo et sensus : Ergo mirantur, vel arbitrantur; ἡγοῦνται enim et mirantur et [40] arbitrantur potest interpretari; plus tamen convenit sensui in hoc loco mirantur, quia ad laudem pertinet. Ergo mirantur simul essentiae om-

VARIAE LECTIONES.

[1] B *rationem ordinationis*. [2] Sic C et rad. corr. B', AB *bonis*. [3] Sic C et rad. corr. B'; pro *post sunt* AB *possunt*. [4] Corr. B', AB *divino*. [5] Pro *Eae* B' marg. adscr. *Hae*. [6] Corr. A *supereminentes*, B' rad. corr. *supereminentem*. [7] B *operatrices*. [8] B' supra adscr. *est*. [9] Corr., AB *Deum*. [10] A *virtutem*, B *virtutem* (punct. adj. B'). [11] A *actionem*, B *actionem* (punct. adj. B'). [12] Corr. B', A *effecta es*. [13] Cor. B', AB *te*. [14] *post* om. B, ad marg. adscr. B'. [15] Conj., AB *expressius*. B' corr. *expressiusque*. [16] Conj., AB *quam vos*. [17] *in* om. AB, supra adscr. B'. [18] B' ad marg. adscr. *distribuitur*. [19] Conj., AB *pervenientes*. [20] Conj., A *provenientes*, B *pervenientes*. [21] Conj., AB *pervenienti*, B' corr. *pervenientes*. [22] AB *tirsos*. [23] Corr. B', AB *illuminantis*. [24] B' rad. corr. *revertitur*. [25] Ex vers. et text. gr., AB *et*. [26] B *casualis*, B' corr. *causalis*. [27] B *sunt dii*. [28] B' corr. *et*. [29] Corr. B', AB *pro qui apponitur*. [30] A *omnemque*, B *omnemque* (punct. adj. B'). [31] B *omnem* (punct. adj. B'). [32] *est* om. B, supra adscr. B'. [33] Emend., AB *infinita*. [34] B *casualis*. [35] *se* om. B, ad marg. adscr. B'. [36] *in* om. AB, supra adscr. B'. [37] AB ἐποχετευσθαι. [38] B' ad marg. adscr. *dispositionum*. [39] Corr. B', AB *distributi*. [40] *et* om. B.

sium reliquarum caelestium essentiarum dispositiones[1]. Quid mirantur? Excellentissimam caelestium animorum dispositionem, secundum quod consequens[2] est, post Deum. Et quid de ea mirantur[3], hoc est laudant? Quod sit principium post Deum omnis sacrae et divinae scientiae et divinae imitationis, tanquam per illas, excellentissimae videlicet dispositionis essentias, in omnes ceteras caelestes, et in nos homines, qui humanam participamus essentiam, divina[4] illuminatione distributa, quoniam per illas divina illuminatio distribuitur, ac veluti post unum et primum omnium principium, Deum dico, et proximum substitutae sint[5]. *Propter quod et omnem sacram et Deo similem operationem in Deum quidem quasi causalem referunt.* Subauditur, angeli: deinde primos[6], hoc est, in primos *deiformes intellectus tanquam primos operatores divinorum*, luminum videlicet, *et magistros.* Ac si diceret: Quoniam excellentissima caelestis dispositio immediate post Deum est, propterea inferiores virtutes omnem suam sacram Deoque similem operationem in se ipsas referunt. Sed primo in Deum, et consequenter in primos intellectus, qui primi operatores sunt et magistri divinorum, seu luminum vis subaudire, seu mysteriorum, seu arcanorum ceterarumque similium. Sequitur recapitulatio interpretationis nominum primae ierarchiae. *Non[7] ergo prima sanctorum angelorum dispositio magis simul omnibus habet igneam[8] proprietatem?* Ac si diceret: Nonne, quamvis omnes caelestes virtutes[9] habeant igneam[10] proprietatem, hoc est, purgativam operationem, magis tamen ceteris prima ierarchia, cujus primus ordo Seraphim nominatur, id est, incendentes vel calefacientes? *Et effusam divinae sapientiae traditionem, et mysticum excelsissimae divinarum illuminationum scientiae*; subauditur, magis omnibus habet prima dispositio, cujus ordo secundus Cherubim dicitur, id est, multitudo scientiae, sive effusio sapientiae. *Et sessivam proprietatem gestantem divinam susceptionem significantem*; similiter subauditur, magis omnibus habet divinae sedis proprietatem, quae Deum gestat, divinamque receptionem significat, prima ierarchia, cujus tertius ordo nominatur Throni, id est, sedes. Omnes igitur caelestes virtutes habent[11] igneam vim et effusionem sapientiae et mysterium scientiae et divinae sessionis receptionem, magis tamen ceteris omnibus prima ierarchia. *Ipsae vero suppositarum dispositiones essentiarum ignea sapienti et scienti[12] Dei susceptoria virtute[13] participant quidem infra.* Ipsae, inquit, dispositae essentiae mediae ierarchiae, quae suppositae sunt primae, participant quidem inferius igneam virtutem Seraphim, sapientem scientemque Cherubim virtutem, Dei susceptoriam virtutem Thronorum. *Et ad primas aspicientes[14], et per eas, primas, ut[15] imitatione divina[16] praeoperative digne factas in deiformitatis possibile reductae*: hoc est, ad primas essentias mediae convertuntur, et per eas, primas, merito digne factas in similitudine divina praeoperatrices in deiformitatem possibilem reducuntur, id est, sursum ducuntur[17] secundae. Re enim saepissime pro rursum ponitur. De ultima autem caelestium ierarchia, deque humana subintelligendum reliquit. Ut enim secunda participat virtutes primae, ita tertia virtutes secundae, et quarta tertiae, ac si ignea et sapiens et sciens Deique susceptoria[18] virtus primum a Deo in primam, secundo per primam in secundam, tertio per secundam in tertiam, quarto per tertiam in quartam descendit ierarchiam; gradatim siquidem[19], non tamen aequaliter. Et iterum quarta[20] per tertiam, tertia per secundam, secunda[21] per primam, prima per ipsum Deum in praefatas reducitur virtutes. *Dictas ergo sanctas proprietates, quarum participatio per primas post eas subsistentes fiunt, ipsis illis[22] post Deum tanquam ierarchiis reponunt.* Praedictas ergo, inquit, sanctas proprietates; proprium enim angelici ordinis, qui ultimus est, purgationes[23] prophetarum ceteraeque operationes, quae divina bonitate largiente in humana peraguntur natura[24]. Quarum proprietatum per primas essentias subsistentes[25] post eas fiunt participatio. Reponunt, id est, referunt[26] ipsis illis ierarchiis, tanquam post Deum, hoc est, quoniam post Deum sunt. Quod breviter possumus colligere: angelicus ordo sanctas proprias operationes non in seipsum, sed in ipsas ierarchias, quae post Deum sunt, quoniam ab ipsis accepit, refert. Pulchre autem dicit: quarum participatio subsistentes fiunt, quoniam omnis caelestis essentia proprietatum suarum et fit et dicitur participatio. Potest tamen facilius interpretari: dictas ergo sanctas proprietates, in quarum participatione per primas post eas[27] subsistentes fiunt. Quoniam enim in Graeco est ὧν μετουσία, quarum participatio, et in quarum participatione potest intelligi; μετουσία quippe et nominativus casus accipitur, et dativus pro ablativo ponitur[28].

§ 4. *Ait ergo haec dicens*, vel sicut proprie interpretatur: dixit ergo qui haec ait, hoc est, qui hunc sensum protulit de purgatione prophetae a Seraphim, *visionem ab illa*, divina scilicet virtute, *susceptam fuisse theologo per unum operantium nobis sanctorum*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AB. [2] B a. m. superscr. *consequens.* [3] B corr. a. m. AB *miratur.* [4] A *divinam.* [5] Corr. B', AB *sunt.* [6] B' supra adscr. *in primos.* [7] B corr. *Nonne.* [8] B *igneam habet proprietatem.* [9] B *caelestes virtutes omnes.* [10] *igneam* om., addidi ex conj. [11] *habent* om. AB, ad marg. adscr. B'. [12] Emend. pro *sapienti et scienti et* AB *sapiencie sciencie* B' corr. *et sapientem scientemque.* [13] B' corr. *susceptoriam virtutem.* [14] Ex vers. et text. graec., AB *sapientes.* [15] B' corr. *in.* [16] Rad. corr. B, AB *divinam.* [17] Conj., AB *dicuntur.* [18] Conj., AB *subsistentoria.* [19] A *quidem.* [20] Corr. B', pro *quarta* AB *tertiae.* [21] Rad. corr. B', AB *secundam.* [22] Rad. corr. B', AB *illius.* [23] B' supra adscr. *est* purgationes. [24] Corr. B', AB *naturae.* [25] Corr. B', AB *subsistentis.* [26] A *refertur.* [27] Emend., A *eum*, B *ea.* [28] Corr. B', A B *positus.*

et beatorum angelorum, et ante illuminativam ipsius, angeli, *manuductionem,* qua dixit [1] theologum, *in illam sanctam,* visionis plane, *contemplationem reposuisse,* hoc est retulisse, in ipsum videlicet Seraphim, a quo et per quem [2] visus est purgare prophetam. *Et sedere videt excelsissimas essentias,* id est, superexcelsissimas essentias, *quantum in symbolis dicendum,* hoc est, quantum per symbola dici potest, quod ineffabile est, *post Deum et circa Deum collocatas, superprincipalem summitatem,* superessentialem videlicet bonitatem, *in medio superfirmitatarum* [3] *virtutum supercollocatam.* Breviter commemorat visionem prophetae, quae sic in hebraica veritate scripta est; Septuaginta enim prae manibus non habemus, quos [4] sequitur Dionysius: « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quae sub ipso erant, implebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alae uni [5], sex alae alteri. Duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus [6] exercituum; plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus impleta est fumo thymiamatis [7]. Et dixit: Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia [8] habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum et dixit: Ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua ». *Didicit igitur* [9] *visionibus ipse theologus, quia juxta omnem superessentialem supereminentiam incomparabiliter supercollocatum est divinum simul omni visibili invisibilique* [10] *virtute.* Didicit, inquit, Isaias [11] visionibus suis, quia solus Deus superessentialis est et supereminens et incomparabiliter supercollocatus omni visibili invisibilique [12] virtute. Potest etiam interpretari: incomparabiliter supercollocatum est divinum omni visibili invisibilique virtute. Divinum autem dixit ipsum Deum, usitatissimo Graecorum more. Ipsi enim dicunt θεός et θεῖον, hoc est, Deus et divinum. *Atqui* [13], vel et quidem, a superioribus subauditur: didicit [14], *quia omnium est remotissimorum,* vel [15] excelsissimorum, supereminens subaudi, *ut universale,* subaudis divinum, *neque primis eorum, quae sunt, essentiis simile.* Quae enim essentia superessentiali similis esse potest? *Adhuc et omnium ipsum,* divinum videlicet, *principium et causam substantificam esse* didicit, *et eorum, quae sunt, secreta singularitate immutabile fundamentum; ex quo,* divino plane, *et esse et bene esse, etiam ipsis summe munitis* [16] *est virtutibus.* Quod ergo propheta videt Dominum sedere super excelsissimas essentias, remotam ab omnibus ipsius [17] superessentialitatem, et quod universaliter omnium excelsissimorum et ab omni intellectu remotissimorum remotissimus sit, et quod neque primae essentiae similes ei sint, omni siquidem similitudine relinquitur, quamvis, ut de eo dicatur aliquid, ex creatura similitudines ei adhibeantur, significat; quod autem principium sit omnium et causa substantifica secretumque et immutabile et singulare fundamentum, per [18] cardines templi, circa quos omnia, quae moventur, volvuntur, dum in seipsis immutabiles permaneant, mystice figuratur. *Deinde easdem sanctissimorum Seraphim edoctus est deiformes virtutes; sacra quidem ipsorum cognominatione, quod est ignitum, de quo paulo post dicemus, quantum possibile subintroducere in deiforme ignitae virtutis anagogas.* Ipsorum, inquit [19], cognominatione — utrique enim Seraphim nominantur — quae est ignitum, de quo ignito paululum posterius, quantum nobis possibile est subintroducere, nos dicemus. Edoctus est propheta anagogas, hoc est, ascensiones eorum Seraphim in deiforme ignitae virtutis. Intellectu quippe nominationis eruditus est in ascensionibus eorum in deiformem ignitam virtutem. Ignea siquidem virtus Deo similis est, quantum sensibilibus creaturis similitudo ejus imprimitur. Hinc et ipse ait: « Ego sum ignis consumens ». *Alarum vero expansa sacra formatione in divinum in primis, in* [20] *mediis, in* [21] *ultimis intellectibus absolutam et altissimam extensionem,* hoc est, per expansam sacram formationem [22] alarum; expansas quippe Seraphim alas propheta vidit edoctus absolutam, id est, citivolam et altissimam extensionem, contemplatione videlicet in Deum, in primis, in mediis, in ultimis intellectibus; unaquaeque enim caelestis essentia, ut in superioribus tractatum est, primas [23] et medias et ultimas virtutes habet. Alae itaque expansae altitudinem intelligentiae symbolizant. *Sed et eorum multificum et multiforme videns intellectualis theologus, et alis distingui, eam subtus pedes et eam subtus facies visionem, et eum in mediis alis semper motum.* Hac triformi alarum distinctione ab ipsa plane visione *reductus est* propheta, id est, sursum ductus *in eorum, quae visa sunt, cognitionem, manifestata ei altissimorum intellectuum multivia et multivida virtute;* hoc est, dum manifestata est ei, prophetae, altissimorum intellectuum multiplex in viis suis, et in visionibus suis multiplex virtus. Quid autem tripartita alarum distinctio subsinuat [24], consequenter adjungit dicens: *Et* [25] *eorum*

VARIAE LECTIONES

[1] B* rad. corr. *dixit.* [2] Corr. B*, AB *quod.* [3] Corr. B*, AB *superfirmatum.* [4] Corr. B*, AB *qui.* [5] B *sex alieni,* B* corr. *sex alae uni.* [6] *Deus* om. A. [7] AB *timiamatis.* [8] Corr. B*, AB *labiis.* [9] B *ergo.* [10] B *invisibili visibilique.* [11] A *esaias,* B* corr. *ysaias.* [12] Emend., *pro visibili invisibilique* A *invisibili invisibilique,* B *invisibili visibilique.* [13] B* supra adscr. corr. *At quia.* [14] Emend. AB *dicit.* [15] B *et.* [16] B* rad. corr. *innis.* [17] *ipsius* om. B. [18] B* marg. adscr. *de cardinibus templi.* [19] *inquit* om. B. [20] *in* om., addidi ex conj. [21] B* supra adscr. *et mediis et in.* [22] Emend., AB *formationum.* [23] Emend. B*, AB *prima.* [24] B* corr. *insinuat.* [25] Rad. corr. B*, AB *ut.*

sacra formidine, quam [1] *habent supermundane in altiorum et graviorum superbam et audacem et impossibilem scrutationem*; a superioribus subauditur: et edoctus est idem [2] propheta eorum, Seraphim, sacra formidine, hoc est, pio castoque timore, quam formidinem [3] habeat supra hunc sensibilem mundum in superba et audaci et impossibili scrutatione altiorum, seu divinorum archanorum, quod [4] per duas alas facies velantes innuitur, et superba et audaci et impossibili scrutatione graviorum, seu profundiorum, seu videlicet divinorum mysteriorum, quod per duas alas pedes tegentes [5] significatur. Ubi autem posuimus superbam [6], ibi in Graeco est αὐθάδη, pro quo possumus dicere superbam, vel promptam, vel voluntariam, vel libitam, vel se ipsam promittentem. *Et in commensuratione Deum imitantium actionum incessabile et altivolum semper motionis.* Hic iterum [7] subauditur, edoctus est; et est sensus: per duas alas, quibus semper volabant [8], intellexit propheta incessabilem et altivolum semper motum in mensura actionum, quae [9] Deum semper imitantur. Facies itaque Domini est sedentis super solium, hoc est, super excelsissimas caelestes essentias superessentialis ipsius altitudo, qua super omnia et ab omnibus remotus cognoscitur, quam Seraphim ceteraeque caelestes virtutes [10] aspicere trepidant [11], ne forte veluti superbo et audaci et impossibili contuitu incaute de ea aliquid [12] scrutentur; « inscrutabilia enim sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus in omni tempore ». Qui videlicet divinae altitudinis faciem territi Seraphim duabus suis alis obtegunt, timentes eam intueri. Pedes autem sedentis super thronum sunt profundissima ipsius in [13] universali creatura, quam condidit, vestigia. Quos duabus alis contegunt caelestes virtutes, timentes scrutari, quomodo Dominus, quum sit super omnia, diffunditur in omnia, et ubique est, sine quo nihil esse potest, quoniam eorum, quae sunt, essentia et substantia ipse est, cum sit superessentialis et supersubstantialis. Duabus tamen alis semper volitant [14] aeternae suae actionis commensurabili motu, quoniam in eum semper inspicere concupiscunt, et reverenter [15] eum quaerunt, ne in ejus contemplatione ullos incurrant errores, quibus ab ineffabilis et incomprehensibilis claritatis ejus contuitu digni videantur excludi. Senarum autem alarum eorum distinctionis [16] in has binas tres [17] divisiones multiplex interpretatio est. Nam quod senae sint [18], et naturae angelicae intelligibiliumque ipsius motuum perfectionem incunctanter significat. Binae [19] vero

A alae aut caritatis biformem rationem, qua Deum suum, et omnia quae facta sunt, quoniam ab eo facta sunt, diligunt, insinuat, aut actionem et [20] contemplationem suam, aut geminam theologiae partem, quarum una est affirmativa, altera negativa, una Deum induit, praedicando de eo omnia quae sunt, altera exuit, negando eum esse quid eorum, quae sunt et quae dici possunt. Ambae tamen verae sunt, idque ipsum conficiunt, quamvis videantur contradictoriae. *Sed et illam divinam et multum pretiosam ὑμνῳδίαν* [21] *eruditus est, formante visionem angelo secundum* [22] *virtutem* [23] *ipsi theologo, et tradente propriam sacram scientiam.* Ὑμνῳδίαν dicit « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum ». In quo hymno summa bonitas in tribus B substantiis laudatur. Est enim una essentia in tribus substantiis. Ὑμνῳδία autem [24] compositum nomen est ab ὑμνῶ et ᾠδή, hoc est, a laude et cantu [25]. Ὑμνῳδία enim est laus cum cantu. De qua laude eruditus est theologus, dum format angelus visionem, et secundum virtutem ipsius theologi laudis mysterium tradit. *Docuit ergo eum et hoc,* id est [26], de eo quod sequitur, *quia purgatio est quantumcumque purgatis, ipsa divinae claritatis incognitae, quantum possibile, participatio.* Est igitur purgatio omnium, qui spiritualiter purgantur, quoquomodo purgantur, participatio divinae claritatis incognitae, hoc est, divinae intelligentiae, quae superat omnem intellectum, quantum possibile est rationabili et intellectuali creaturae eam participare. *Haec autem ex* C *ipsius Divinitatis remotis causis, in qua omnes sacros* [27] *intellectus superessentialiter occultatione perficiens, altissimis circa se virtutibus manifestior* [28] *quomodo est, et magis semetipsam manifestat et distribuit.* Sed unde se manifestat et manifestiorem se facit [29]? Dum ipsa ab occultis suis erumpit [30], ex ipsius plane Divinitatis remotis causis omnibus incognitis. In qua occultatione Divinitatis omnes sanctos intellectus invisibiliter ipsa claritas perficit. In hac sententia pulchre datur intelligi, non aliam claritatem dixisse, nisi Verbum Deum, videlicet filium, qui in secretissimis sui Patris sinibus omnes sanctos perficit intellectus [31] in primordialibus suis causis, ac veluti ex luce Divinitatis inaccessibili instar clarissimi radii procedit, priusquam seipsum proximis sibi virtuti- D bus manifestiorem [se] [32] facit [33], et quomodo est, id est, quomodo manifestatio ipsius potest fieri, et [34] magis se ipsum ceteris [35] manifestat et distribuit. Et haec est ipsa purgatio et illuminatio et perfectio, ipsius videlicet participatio. Potest et sic interpretari: Haec

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*, AB *qui*. [2] Corr. B*, AB *id est*. [3] Corr. B*, A B *formidet*. [4] Corr. B*, AB *quam*. [5] B *velantes*. [6] A *superba*. [7] Conj., AB *itaque*. [8] A *supervolabant*. [9] Conj., AB *qui*. [10] *caelestes* om. B. [11] A *trapidant*. [12] B. *aliquid de ea*. [13] *in* om. AB, supra adscr. B*. [14] B *supervolitant*, B* corr. *semper volitant*. [15] Conj., AB *reverentur*. [16] Corr. AB *distinctio*. [17] A *ter*. [18] B* corr. *sunt*. [19] A *bene*. [20] A *aut*. [21] B* marg. adscr. *ymnodiam i. e. laus divina*. [22] Corr. B*, AB *secundam*. [23] Ad marg. corr. B*, AB *visionem*. [24] Corr. AB *aut*. [25] Ὑμνῳδία — *cantu* om. B. [26] Emend., AB *idem*. [27] Emend., AB *sacras*. [28] B* ad marg. adscr. *fit* [29] Corr. B*, AB *ecit*. [30] A *irrumpit*. [31] Rad. corr., B*, A *intellectibus*. [32] *se* supervacaneum esse videtur. [33] Corr. B*, AB *fecit*. [34] *et* om. AB, infra adscr. B*. [35] Pro *ceteris* A *qui ceteris* Corr. B *qui ceteris* (punct. adj. B*).

autem ex ipsius Divinitatis remotis causis [1], cujus [2] omnes sacros intellectus superessentialiter perficit. In nullo [3] tamen distat sensus. *Deinde ex secundis aut novissimis aut nostris intellectualibus virtutibus, quantum ab ipsa unaquaeque secundum deiforme extitit, sic manifestam suam illuminationem conducit ad propriae occultationis* [4] *laudandum ignotum.* Postquam, inquit, divina claritas ex secretis suis erumpit [5], ac primo omnium excelsissimis sibique proximis primae ierarchiae ordinibus manifestiorem se aperit, consequenter sic manifestam suam illuminationem, hoc est [6], in manifestam suam illuminationem conducit, vel, ut apertius transfertur, congregat. Unde congregat? Ex secundis aut novissimis, hoc est, ex secundae aut tertiae caelestis ierarchiae [7] ordinibus, aut ex nostris intellectualibus virtutibus, ex humana videlicet ierarchia, quantum extitit, hoc est, quantum substituta est ab ipsa divina claritate unaquaeque virtus vel ierarchia, secundum deiforme [8], id est, juxta divinam similitudinem. Ad quid congregat? Ad propriae plane occultationis laudandum ignotum, hoc est, ut secretissima omnibusque ignota ipsius laudent mysteria. *Lucet autem*, ipsa divina claritas, *per singula* generaliter, sed quo modo, quo ordine? *secundis*, inquit, *per prima, et si oportet breviter dicere, primo* [9] *ex occulto*, secreto videlicet suo, *ad manifestum ducitur per primas* [10] *virtutes*, subaudiendum reliquit: secundis, per secundas [11] vero tertiis, per tertias quartis in [12] manifestum ducitur. *Hoc ergo theologus didicit ex luceducente* [13] *eum angelo.* Ac si diceret: ex angelo, qui eum in lucem intelligentiae, visionis introduxit. Hoc est: *purgationem et omnes divinas operationes, per primas essentias relucentes, in omnes reliquias distribui secundum uniuscujusque ad deificas participationes* [14] *analogiam.* Explanationis non indiget. *Propter quod et ignite purgativam proprietatem ipsis Seraphim consequenter post Deum* [15] *reposuit.* Quoniam, inquit, per primas virtutes omnis divina operatio reliquis distribuitur, propterea ipse angelus purgationem prophetae, quam instar ignis ipse proprie peregit, ipsis [16] Seraphim post Deum retulit, quoniam a Deo per Seraphim visus est angelus purgare prophetam. *Nihil ergo inordinatum, si* [17] *purgare theologum dicitur Seraphim. Sic enim Deus* [18] *purgat omnes, quoniam* [19] *totius purgationis est causa.* Deinde exemplum introducit: *magis autem*, subauditur dicendum; *proxime enim utemur exemplo*, hoc est, proximo causae, de qua agitur, utemur exemplo. *Sicut secundum nos* [20] *summus sacerdos per suos ministros*

A *aut sacerdotes purgans aut illuminans, ipse dicitur purgare et illuminare, per ipsum purgatis ordinibus, per se in seipsum reponentibus proprias sacras operationes;* hoc est, dum purgati ordines per ipsum summum sacerdotem per se in ipsum proprias sacras operationes referunt, quasi ipse fecerit [21] quod ipsi faciunt: *sic et propriam purgativam scientiam et virtutem, ipse purgationem theologi perficiens angelus, in Deum quidem veluti causalem, deinde in ipsum Seraphim, tanquam primo agentem summum sacerdotem reponit.* Similitudo sequitur: *veluti fortassis quis dixerit, cum angelica reverentia purgatum edocens;* hoc est, ita loquitur angelus ad prophetam, tanquam si quis angelica reverentia dignus purgatum aliquem doceret, quomodo, quo ordine purgatus sit. *Quia in*
B *te, o purgate a me*, qui te purgavi, *perficiendae purgationis principium quidem est excelsum*, vel sicut proprie transfertur remotissimum, *et essentia* [22] *et creator, et causalis, primasque essentias ad esse adducens, et circa se* [23] *collocatione* [24] *continens et observans inconversabiles et casu carentes, et seipsum moveus in primas* [25] *propriarum providarum operationum participationes. Hoc enim haec me docens ait ipsius Seraphim manifestare missionem.* Hoc, inquit exemplum veluti loquentis [26] ad purgatum prophetam de causa et ordine purgationis suae, qui me docuit haec de purgatione prophetae, missionem ipsius Seraphim manifestare ait. Ac si diceret: Non ego Dionysius hanc similitudinem introduxi, sed ille, qui me docuit, quid missio Seraphim [27] significaret [28]. Et mox [29] quasi
C ad verba [30] loquentis angeli [31] ad prophetam revertitur. *Summus autem sacerdos et post Deum dux ipse praestantium essentiarum ornatus, a quo ego purgare deiformiter eruditus sum.* Ordinem Seraphim atque ornatum veluti unum summum sacerdotem et post [32] Deum ducem nominat; non aliam ob causam, ut opinor, nisi quia tanta unitas est [33] caelestium animorum [34], ut, quod unus agit, omnes unanimiter agere intelligantur [35]. *Ipse igitur est*, summus sacerdos videlicet Seraphim ornatus, *per me*, o Isaia [36], *te purgans, per quem proprias providas* [37] *actiones ex occulto et jam in nos*, qui angeli sumus, *produxit ipsa totius causa et opifex purgationis*, id est, omnium intelligibilium et rationabilium virtutum. Finis solutae quaestionis: *Haec ille quidem* [38] *docuit me*, id est,
D quod [39] de hac quaestione dixi, ille quidem docuit me. Quis autem ille, ignoramus; argumentamur [40] tamen aut [41] ipsum Paulum apostolum, cujus erat discipulus, aut Jerotheum, quem in libro de di-

VARIAE LECTIONES.

[1] B *causis remotis.* [2] Pro *cujus* B* corr. *est quae.* [3] Corr. B*, AB *nulla.* [4] B *occultionis*, B* corr. *occultationis.* [5] Sic AB. [6] *est* om. AB, supra adscr. B*. [7] *ierarchiae caelestis.* [8] Corr. B*, A *sedi forme.* [9] B* corr. *primum.* [10] B *primas per.* [11] Corr. B*, AB. *secundis.* [12] *in* om. B. [13] Conj. AB *luce dicente.* [14] A *participationis.* [15] AB *eum*, B corr. *deum.* [16] Corr. B*, AB *ipse.* [17] *si* om. AB, adscr. B*. [18] B* supra adscr. *et* Deus. [19] Corr. B*, AB *quorum.* [20] Corr. B*, AB *non.* [21] B *dixerit*, B* supra adscr. corr. *fecerit.* [22] A *et essentia* om. A. [23] *se* om. B, supra adscr. B*. [24] Rad. corr. B, AB *collocationem.* [25] Corr. B*, A *prima*, B *prim.* [26] B *loquentis veluti.* [27] B* ad marg. adscr. *ipsius* Seraphim. [28] A *significarit.* [29] Pro *mox* A *non.* [30] Rad. corr. B*, pro *ad verba*, AB *adverbia.* [31] *angeli* om. A [32] *post* om. AB, ad marg. adscr. B*. [33] *est* om. B. [34] B* adscr. *est.* [35] B *intelliguntur.* [36] Pro *me, o Ysaia*, A *meo esaias*, B *me oysaias*, B corr. *me oysaia.* [37] B *providas proprias.* [38] Corr. B*, pro *quidem* AB *quid est.* [39] Corr. B*, A *qui*, B *quid.* [40] B* corr. *argumentamus.* [41] A *autem.*

vinis nominibus magnis laudibus exaltat. Quisquis autem fuerit, qui tantum virum edocuit, sapientem fuisse non dubitabimus [1]. Sequitur: *Tibi autem, o Timothee, ego trado*, quae ab illo didici. *Tua* [2] *autem concesserim intellectuali et discretiva scientia, aut alteram partem dictarum causarum absolvi dubitatione, et eandem honorare ante alteram, tanquam consequens et rationabile et aeque verum habentem*. Quoniam, inquit, praesentem quaestionem duobus modis reserari posse diximus. Aut enim purgans prophetam angelus Seraphim nomine propterea vocatus est, quoniam illud nomen omnibus caelestibus virtutibus commune [3]; inest enim omnibus communiter, quamvis [4] non aequaliter, ignea purgativa vis, quae [5] Seraphim significare ipsa nominis interpretatio manifestat. Ita quippe quidam praesentem quaestionem solvere conantur. Ac [6] quid mihi probabilius videtur, qui excelsissimorum intellectuum propriam appellationem propriasque virtutes ultimis angelis nobisque praesidentibus [7] nullo modo convenire disserui. Propterea angelus, qui purgavit prophetam, Seraphim vocabulo nominatus est a theologia, quoniam ipse suam propriam operationem, qua purgavit prophetam [8], cujus labia mystico tetigit calculo, non in seipsum retulit, sed in ipsum Deum, qui totius purgationis causa est et principium, et ipsum [9] quasi summum sacerdotem Seraphim, per quem visus est prophetica labia mundare. Concesserim ego, tua intellectuali et discretiva scientia aut alteram partem dictarum causarum [10], id est, alteram duarum praedictarum solutionum ab omni dubitatione absolvi, tamque incunctanter roborari, et eandem, absolutionem videlicet, quae tua intellectualis scientia et absolverit et roboraverit, honorare ante alteram, et [11] unam aut penitus respuas aut in comparatione alterius parvipendas, tanquam quod consequens [12] et rationabile et aeque, hoc est, [13] recte verum habuerit. *Aut*, si neutra [14] illarum tibi sufficit [15], *a te ipso quid vere vero* [16] *vicinius* [17] *invenire* concesserim, *aut ab altero*, cujus intelligentia et meam et tuam superat intentionem, *dicere, Deo videlicet dante*, sive tibi sive alteri, a quo discere volueris, *et prius recipientibus angelis*, ab ipso videlicet Deo, qui omnium contemplationum lux est et causa et effectus, *et angelorum amicis*, summis videlicet hominibus, per quos mysteria, quae a Deo recipiunt, angeli inferioribus se aperiuntur, *nobis revelare* subauditur concesserim, *per ejus*, Dei videlicet, *magis amabilem contemplationem* [18], hoc est, per contemplationem praesentis quaestionis, quae eis magis ceteris amabilis est.

CAPITULUM XIV.

Cujus titulus est:

Quid significat angelicus numerus [a].

§ *Et hoc autem dignum, ut aestimo, intellectuali cognitione, quia* [19] *eloquiorum de angelis traditio millies* [20] *millia esse ait, et decem millia decies millies, secundum nos sublimissimos numerorum in se ipsam revolvens et multiplicans*. Dignum est, inquit, intellectuali cognitione, id est intellectualium rerum scientia [21], quid de angelicis numeris divina tradit Scriptura. Ipsa siquidem traditio maximos numerorum terminos secundum nos in seipsam revolvit, et in seipsam multiplicat. Non enim ipsa traditio infinitae numerositatis angelorum terminos in his numeris comprehendit, neque definit; perspiciens vero nostrae rationis adhuc mortali habitaculo coartatae infirmitatem, ita ut ultra denarii numeri cubos [22], eosque per seipsos multiplicatos, hoc est, millies millia, ejusdemque iterum denarii in millibus decem, quia ab eo nascuntur [23], per seipsum multiplicati quantitatem, hoc est decem millia decies millies non possit ascendere, quoniam infinitatem altiorum numerorum neque valet perspicere, nec nominare. Tanta enim vis numerorum est, ut ductus infinitus existimetur. Per hos enim [24] humanae ratiocinationi comprehensibiles et nominabiles numeros infinitam caelestium multitudinem voluit significare. Usus siquidem frequentissimus divini eloquii est, per finita infinita innuere. Hoc autem scriptum est in Daniele propheta, ubi ait: « Aspiciebam, donec throni positi sunt ». Et: « Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli capitis ejus quasi lana munda, thronus [25] ejus flammae ignis, rotae [26] ejus ignis accensus; fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus, millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei ». Ita beatus Hieronymus transtulit. Sanctus autem Dionysius antiquam secutus est interpretationem. *Et per hos*, numeros, *aperte significans*, ipsa traditio, *innumerabiles caelestium essentiarum ordinationes. Multa enim sunt beatae militiae supermundalium intellectuum, infirmam et coartatam superantes materialium secundum nos numerorum commensuritionem*. Hoc autem dicit non quod ipsi

VARIAE LECTIONES.

[1] Conj. A *dubitarimus* B *dubitarimus*. (punct. adj. B*). [2] Corr. B*, AB *tu*. [3] B* adscr. *est*. [4] Corr. B*, AB *quis*. [5] Emend., AB *uisque*. [6] B *At*. [7] B *praesentibus*, B* corr. *praesidentibus*. [8] Verba *seraphim—prophetam* om. B. [9] Forte leg. *in ipsum*. [10] B *causarum dictarum partem*. [11] Sic AB, forte *ut*. [12] Corr. B*, AB *sequens*. [13] *est* om. AB, ad marg. adsc. B*. [14] Corr. B*, AB *sine utra*. [15] Pro *sufficit*, A *non sufficit*, B *non sufficit* (punct. adj. B*). [16] Corr. B*, pro *quid vere vero* AB *quaerere vere*. [17] B* ad marg. adscr. *sit*. [18] Conj., AB *in contemplationem*. [19] B corr. *quare*. [20] AB *milies*, sic ubique. [21] A *scientiam*, B *scientiam*. (punct. adj. B*). [22] Corr. B*, AB *cibos*. [23] Emend. AB *noscuntur*. [24] *enim* om. A. [25] AB *tronus*. [26] Corr. AB. *recte*.

NOTAE.

[a] A litteris miniatis *Capitulum quartum decimum, cujus titulus est cet.*, B titulum om. B* litteris majusculis atramento adscr. *Titulus XIV capituli: Quid significat angelicus numerus traditus*, litterisque miniatis addidit: i. e. *datus vel diffinitus a Scripturis*.

numeri, dum sint cubici [1], et in sola ratione substituti, materiales fuerint [2], sed quod nos [3], qui adhuc materiales et mortales sumus, eos intra nosmetipsos et cogitamus et nominamus [4]. Propterea materiales dicuntur, vel certe ideo materiales numeri dicuntur, quia aut vix aut nunquam sine materialium rerum imaginationibus in animo tractantur. *Et a sola gnostica* [5] *definitae*, hoc est, definitae sunt beatae militiae caelestium intellectuum a sola gnostica, ipsa videlicet sapientia, quae eas et fecit et ordinavit [6]. Divina autem sapientia ideo dicitur gnostica, id est, cognitiva, quia omnia, quae per ipsam aut in ipsa facta sunt, sola intelligit et circumscribit. *Secundum ipsam supermundanae et caelestis intelligentiae et scientiae, quae copiosissime eis donata est.* Ita enim definiuntur, quemadmodum caelestis intelligentia et scientia eis insita est. Substantia siquidem eorum et numerus intelligentia est et scientia. Hinc per Psalmistam dicitur: « Qui fecisti [7] caelos in intellectu », hoc est, fecisti [8] eos intellectus. *Sanitate divina*, id est, ab integritate divina, *multae scientiae sapientificae*, quae eas sapientes [9] facit. Et cujus est illa multa scientia sapientifica? Nullius, nisi *existentis principii et causae substantificae et continentis virtutis consummationis*, ex qua caelestis intelligentia et scientia copiosissime supermundalibus intellectibus donata est.

CAPITULUM XV.

Cujus titulus est:

Quae sint formativae angelicarum virtutum imagines, et quae deinde, hoc est et reliqua [a].

§ 1. *Fer* [10] *quod restat; remittentes nostrum, si videtur, intellectualem oculum circa sublimes contemplationes angelico* [11] *vigore ad dividuam et multipartitam* [12] *latitudinem multiformis angelicarum specificationum varietatis, descendentes iterum in ipsis tanquam in consequentibus in simplicitatem caelestium animorum analytice* [13] *reflexis*. Sibi ipsi imperat vel Timotheo, cui haec inscripsit: Fer quod restat, hoc est, fare quod praesentis operis est residuum. Remittentes [14], vel, ut proprie transfertur, requiescere facientes nostrum, si tibi videtur, o [15] Timothee, intellectualem oculum ab angelico vigore [16], ab angelica plane theoria, quae hactenus circa sublimes caelestium essentiarum contemplationes aciem suam exercuit; nunc

A autem vel [17] requiescere volentes ad dividuam et multipartitam [18] latitudinem, hoc est, multiplicem rerum visibilium superficiem [19] multiformis [20] varietatis angelicarum formationum. Ea siquidem, de quibus jam tractavimus, solo mentis oculo super omne [21], quod [22] dividi et multiplicari potest, super [23] omnem rerum visibilium similitudinem et imaginationem contemplari sapientes possunt. Ea vero, ad quae [24] intellectualem oculum reflectere volumus, latitudinem, id est, superficiem et apparitionem angelicarum formarum ostendunt, quae superficies dividua est et multipliciter partita, in quibus tamen acies mentis veluti sibi cognitis et familiaribus requiescere videtur, ac veluti remissius, quam [25] in caelestibus essentiis, in cor-

B poralibus laborat. Hoc autem facimus, descendentes iterum, hoc est, dum post sublimium rerum contemplationem iterum descendimus in ipsis, angelicis videlicet mysticis formationibus, tanquam in consequentibus, hoc est, non convenientibus longeque dissimilibus divinorum intellectuum altitudini et uniformitati, reflexis [26] tamen theoretica virtute analytice, hoc est, per analyticam in simplicitatem caelestium animorum. Ἀναλυτικὴ enim est disciplina, quae visibilium imaginum interpretationem [27] in invisibilium intellectuum uniformitatem resolvit, omni forma carentium. Ut enim symbolice visibilium rerum imaginibus sive discretis et convenientibus, sive confusis et inconvenientibus divinos induit intellectus, ita eosdem analytice omni

C corporea similitudine conformationeque exuit. *Unum autem sit tibi praecognitum, quomodo sacrae formatarum imaginum resolutiones easdem aliquando caelestium essentiarum dispositiones sanctificantes significant, et iterum sanctificatas, et novissimas sanctificantes, sanctificatasque primas, et easdem, ut dictum est, primas et medias et ultimas* [28] *habentes virtutes, nulla inordinata ratione introducta, secundum hujusmodi reserationum* [29] *modum*. Prae ceteris, inquit, sit tibi hoc unum antecognitum, ut intelligas, quomodo sanctarum imaginum, quibus caelestes intellectus figurantur, resolutiones, hoc est, interpretationes, vel, sicut proprie de Graeco transfertur, repurgationes vel discretiones seu iudicationes significant [30] eosdem ordines, quos vocat dispo-

D sitiones caelestium essentiarum sanctificantes, hoc est [31], se inferiores ordinantes, et iterum [32] sanctifi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*, AB *cibici*. [2] A *fuerunt*. [3] Conj., pro *nos* AB *a nobis*. [4] B *et nominamus*, A *cogitamus*. [5] B* marg. adscr. *sapientia*. [6] B *ornavit*. [7] B* corr. *fecit*. [8] B* corr. *fecit*. [9] B *sapienter*. [10] B* supra adscr. Fer *age*. [11] B* supra adscr. *ab* angelico. [12] B* *multipertitum*. [13] AB *analitice*, sic ubique. [14] Corr. B*, AB *remittes*. [15] *O* om. A. [16] *vigore* om. B, ad marg. adscr. B* [17] B* corr. *veluti*. [18] B *multipertitam*. [19] Corr. B*, AB *superfaciem*. [20] Corr. B*, AB *multiformi*. [21] A *omnem*. [22] Conj., AB *quam*. [23] B *super* (punct. adi. B*). [24] Corr. B*; pro *ad quae* AB *atque*. [25] A *qui*. [26] Corr. B*, AB *reflexit*. [27] Corr. B*, AB *interpretationum*. [28] B *ultimas et medias*. [29] Ad marg. corr. B*, AB *rationum*. [30] B* ad marg. adscr. *aliquando*. [31] *est* om. B, supra adscr. B*. [32] *iterum* om. B.

NOTAE.

[a] Sic A litteris miniatis. B titulum omittit, B* marg. adscr. *C. XV Incipit tractatus de titulo XV qui est: quae sint formativae angelicarum virtutum imagines, quid sit igneum cet.*

catos [1], a superioribus videlicet ordinatos, ut et unus idemque ordo sanctificans sit se inferiores [2], et a superiori se sanctificatus; et quomodo significant [3] easdem resolutiones [4] novissimos ordines caelestium essentiarum sanctificantes, primos vero, qui sunt in prima ierarchia, sanctificatos. Verbi gratia unus ex novissimo ordine sanctificavit Isaiam prophetam, Seraphim vero, cui purgatio prophetae deputatur, ab ipso sanctificationum omnium principio et causa, Deo scilicet, sanctificari dubium non est. Medios [5] autem ordines et a praecedentibus sanctificari, et sequentes sanctificare, theologica declarat ratio. Et easdem, ut dictum est, dispositiones significant habentes, hoc est, habere primas et ultimas et medias virtutes. Quod dupliciter intelligi potest; aut enim, ut [6] universaliter de tribus caelestibus ierarchiis dictum sit, ut prima primas, media medias, ultima ultimas possideant [7] virtutes, aut certe de singulis singularum ierarchiarum ordinibus, deque ipsorum ordinum singulis intellectibus, in quibus tripartita [8] virtus intelligitur, quae iterum trifariam discernitur. Siquidem unusquisque divinus ordo et animus habet essentiam, et virtutem, et operationem. Habet etiam virtutem sanctificari [9], sed a superioribus veluti primam, habet virtutem sanctificationis suae, qua sanctus [10] est, veluti [11] secundam, habet virtutem sanctificare sequentes se, veluti tertiam. Aliud quippe est sanctificari, aliud sanctificationem habere, aliud sanctificare. Nulla inordinata ratione introducta, id est, nulla ratio confusionis aut ambiguitatis introducitur secundum modum bujusmodi reserationum, solutionum plane et interpretationum divinarum imaginum. *Siquidem enim sanctificari quasdam a prioribus diceremus, deinde earundem sanctificantes priores, iterum* [12] *sanctificantes ultimarum sanctificari ab ipsis illis sanctificatis, vere* [13] *inordinatione res et confusione multa interposita;* subaudi fieret. Ac si diceret: Si talibus verbis uteremur in explanationibus [14] sanctarum figurarum, prae nimia eorum confusione et inordinata constructione res, de qua agitur, inordinate et confuse explicaretur, vel potius perturbaretur. Quid enim prodest, si quis dixerit, sanctificari quasdam a prioribus et, quae sunt illae [15] priores, nequaquam discernit? Et si dixerit earundem sanctificantes priores, et de quibus hoc dicat, omnino silet? Et iterum si dixerit, sanctificantes ultimarum sanctificari, non demonstrans, quae dispositiones ultimas sanctificant, et a quibus sanctificatis ipsae ultimae sanctificantur? *Si vero easdem et sanctificare*

A *et sanctificari dicimus* [16], *nunquam* [17] *autem earundem* [18], *aut ab eisdem, sed eas singulas sanctificari quidem a prioribus, sanctificare autem novissimas, non inconsequenter fortassis quis dixerit, in eloquiis sacre factas formas eas* [19] *aliquando posse et primis et ultimis et mediis virtutibus pulchre et vere circumdare.* Si, inquit, diximus, easdem caelestes dispositiones et sanctificare et sanctificari, nunquam [20] autem, vel, sicut proprie transfertur, nondum autem earundem sanctificatrices dicimus, aut ab eisdem sanctificatas, quoniam gignit amphiboliam [21], sed eas singulas dicimus sanctificari quidem a prioribus; nemo enim nisi a praecedenti se sanctificari potest; sanctificare autem novissimas; unamquamque [22] quippe sanctificatarum a prioribus sanctificare no-
B vissimas ordo rerum exigit: si ergo sic dicimus, non incongrue fortassis quicunque dixerit, sacrefactas formas in Scripturis se posse pulchre et vere circumdare eas et primis et ultimis et mediis virtutibus, hoc est, easdem formas aliquando primis, aliquando ultimis, aliquando mediis [23] virtutibus convenire, potest astruere. Saepe enim una eademque forma juxta convenientem Scripturae locum primam et ultimam et mediam uniuscujusque divini animi [24] potest figurare virtutem. Illarum autem trium virtutum multiplex interpretatio est, quarum una et probatissima sequitur: *Et sursum* [25] *igitur conversibiliter* [26] *extendi, et erga semetipsas firmiter convolvi, propriarum existentes custoditivas virtutum, et erga venientia sociabili processione, providas eas in parti-*
C *cipatione virtutis esse, omnibus non falso coadunabit caelestibus essentiis, etsi aliis quidem superpositi et universaliter, ut saepe dictum est, aliis vero particulariter et subjecte.* Ordo et intellectus verborum [27]: Et coadunabit [28], qui se dicit posse circumdare easdem formas et primis et ultimis et mediis [29] virtutibus, et non falso coadunabit omnibus caelestibus essentiis. Quid eis coadunabit? Sursum plane extendi conversibiliter [30]. Ad Deum quippe communiter omnes caelestes essentiae et convertuntur et [31] extenduntur. Siquidem a Deo conversio illarum est pulchra et vera formatio. Et haec est earum prima virtus. Et coadunabit omnibus caelestibus essentiis erga semetipsas firmiter convolvi existentes custoditivas propriarum virtutum; hoc est, dum existunt
D suarum virtutum custoditivae. Omnes siquidem suas virtutes custodiunt, ne aut penitus pereant, aut ullo modo minuantur, seu flectantur; et circa eas convolvuntur, ne locum flectendi inferius inveniant, et ut semper in eodem incommutabili suo statu per-

VARIAE LECTIONES.

[1] Coni. AB *sanctificantes;* B* corr. *sanctificatas.* [2] Corr. B*, AB *inferioris.* [3] B *sanctificant,* B* infra adscr. *significant.* [4] Conj., AB *solutiones.* [5] Emend., AB *medii.* [6] *ut* om. AB, ad marg. adscr. B. [7] Corr. B, AB *possideantur.* [8] B *tripertita.* [9] Corr. AB *sanctificandi.* [10] A *sanctis.* [11] *veluti* om. B. [12] B* supra adscr. *et iterum.* [13] *vere* om. B, ad marg. adscr. B*. [14] Conj., AB *exemplationibus,* B* corr. *exemplanationibus.* [15] Corr. B*, AB *illa.* [16] B corr. *diximus.* [17] B corr. *non.* [18] Corr. B*, AB *eorundem.* [19] B *eas formas.* [20] B* corr. *non.* [21] Conj., pro *gignit amphiboliam,* A *gignitam fiboliam,* B *fiboliam gignitam,* B* corr. *amfibolia gignitur.* [22] Corr. B*, AB *unaquaeque.* [23] B *aliquando mediis, aliquando ultimis.* [24] B *animi divini.* [25] Corr. B*, AB *rursum.* [26] Corr. B*, AB *conversabiliter.* [27] B* adscr. *est.* [28] A *adunabit.* [29] B *et mediis et ultimis.* [30] Corr. B*, AB *conversabiliter.* [31] Rad. corr. B*, AB *ac*

sistant. Et haec est media earum virtus. Et coadunabit omnibus caelestibus essentiis providas esse erga venientia, vel secunda. Utrumque enim a [1] Graeco, quod [2] est δεύτερα [3], potest transferri. Sociabili processione, per sociabilem processionem, qua sequentes se [4], hoc est, inferiores se, et post se exeuntes essentias communi dilectione intuendae veritatis sibi consociant. Et haec fortassis est ultima illarum virtus. Eas esse in participatione divinae [5] virtutis coadunabit omnibus caelestibus; generale enim sibi est in participatione divinae virtutis esse, etsi aliis supereminenter et universaliter, aliis particulariter et subdite. Hac itaque communione omnium [6] caelestium essentiarum in participatione divinae virtutis, quam omnes quamvis non aequaliter appetunt, efficitur, ut omnes formae vel imagines, vel figurae, vel quocunque alio nomine vocari possunt, omnibus significandis communes sint. Significant enim illarum triformem virtutem, conversionem quidem ad Deum, et propriarum virtutum custodiam, et erga subsequentes se sociabilem providentiam.

§ 2. *Inchoandum autem ratione, et quaerendum in prima formarum resolutione*, hoc est reseratione [7] propheticarum figurationum, *ob quam causam theologia fere ultra omnes invenitur, honorans ignitam sacram descriptionem*, hoc est, qua de causa theologia prae ceteris imaginationibus igneam sanctam conformationem honorat. *Invenies ergo, eam* [8] *non solum rotas igneas conformantem*, hoc est, invenies ergo conformantem [9] theologiam non solum eas rotas igneas [10], *sed et animalia ignita, et viros quasi ignis* [11] *fulgurantes, et circa eas* [12] *caelestes essentias* [13] *cumulos* [14] *carbonum ignis circumponentem*, subaudi: invenies theologiam, *et flumina immensurabili sonitu*, vel, sicut proprie transfertur, fluxu *igne flagrantia*, *sed et Thronos ait* theologia *igneos esse, et ipsos excelsissimos Seraphim caelitus ardentes, ex cognominatione significare* [15]. Hoc est: et ait theologia ipsos excellentissimos Seraphim seipsos significare ardentes esse cognomine suo. Seraphim quippe incendentes vel ardentes sunt. Potest et sic intelligi: et significare, hoc est, et significabat; infinitivum pro praeterito imperfecto posuit, quod et Graecis et Latinis agere usitatum est. Et significabat itaque theologia ex cognominatione Seraphim ardentes esse. *Et ignis proprietatem et operationem ipsis*, Seraphim plane, *distribuit*, *et omnino sursum deorsumque*, hoc est in superioribus

A et inferioribus caelestibus essentiis, *ignitam honorat selectim* [16] *formarum facturam* [17].

Ergo igneum significare censeo caelestium animorum deiformissimum [18]. Existimo, inquit, quod caelestium essentiarum ignea conformatio nil aliud significat [19] praeter divinam, quae eis inest, formam, quae maxime in Scripturis sacris per ignem significari solet. Quod subsequenter adjungit: *Ipsi enim sancti theologi superessentialem et informem* [20] *essentiam in igne saepe describunt, tanquam habente* [21] *multas divinae, si fas* [22] *dicere, proprietatis, quantum* [23] *invisibilibus, imagines*. Nulla quippe visibilis est creatura, in qua tantum divinae imagines exprimantur [24], quantum in igne.

Laus virtutum sensibilis ignis sequitur: *Ignis* B *enim sensibilis est quidem, sic dicendum*. Ordo verborum [25]: Dicendum quidem sic: Est ignis sensibilis *in omnibus, et per omnia clare venit, et removetur omnibus* [26], *et lucidus est simul et quasi occultus, incognitus* [27] *ipse per seipsum, non accumbente materia*, hoc est, dum non habet materiem [28], *in quam propriam manifestat* [29] *actionem*. Incognitus [30]; propria quippe ignis actio est et ardere et lucere in aliqua materia; siquidem sine aliqua materia est [31]. *Immensurabilis*, incomprehensibilis, *et invisibilis per se ipsum, potens simul omnium*, hoc est potens simul in omnibus, *et quaecunque in iis* [32] *sunt*, fiunt, *ad actionem propriam*, hoc est, ad propriam actionem illius peragendam, ut calefiicentur videlicet et illuminentur. Ut enim omnia omnino calore carentia [33] velut mortua C sunt, ita absente luce deformia. *Mobilis*; nil enim igne mobilius, cum per eum omnia moventur [34] corpora, et sine quo nullum movetur. *Tradens seipsum omnibus quoquomodo approximantibus*, hoc est, infundit se ipsum omnibus sibi connaturalibus. *Renovativus naturae custodia*; per ipsum siquidem renovantur omnia sensibilia, et totius naturae sensibilis custodia est, moritur enim absente eo. *Illuminativus circumvelatis splendoribus*, hoc est, illuminat circumvelata [35] suis splendoribus. *Incomprehensibilis clarus*, hoc est dum claret, non comprehenditur. *Discretus*; nullo quippe [36] alio elemento incrassatur, sed in sua sinceritate discretus permanet. *Resiliens*; resilit enim ab omni corpore alliso, resilit de nubibus [37], de petris, de ferro, ceterisque corporibus; omnis quippe collisio D ignem creat. *Sursum ferens*; ignis siquidem accensus flammam sursum erigit, spatia terris remota petens. *Acute means*; penetrat enim omnia acute [38], ineffabili celeritate. *Excelsus*; aiunt philosophi empyrium cae-

VARIAE LECTIONES.

[1] B* corr., *in*. [2] Corr., AB *quae*, B* corr. *quale*. [3] AB δευρα. [4] *se* om. B. [5] *divinae* om. A. [6] *omnium* om. B. [7] *hoc est reseratione* om. B. [8] Rad. corr. B*, AB *eas*. [9] B *hoc est invenies ergo conformantem* (punct. adj. B*). [10] *theologiam — igneas* om. B. [11] B* rad. corr. *ignem*. [12] Pro *eas* B* ad marg. corr. *ipsas substantias*. [13] *essentias* om., addidi ex vers. et text. gr. [14] Corr. B*, pro *cumulos*, AB *cum multos*. [15] *significare* om., addidi ex vers. et text. graec. [16] B *selectum*. [17] B* ad marg. adscr. *caelestium*, quae vox forte *formarum* respicit. [18] Corr. B*, AB *deiformosissimum*. [19] Corr. B*, AB *significare*. [20] Corr. B*, AB *informam*. [21] A *habenti*. [22] B *fas est*. [23] B* pro *quantum* ad marg. corr. *quemadmodum*. [24] B *imprimantur*. [25] B* adscr. *est*. [26] B* supra adsc. *ab* omnibus. [27] B* supra adscr. *et* incognitus. [28] B* corr. *materiam*. [29] B* corr. *manifestet*. [30] B* supra adscr. *est*. [31] *est* om. AB, supra adscr. B*. [32] B* corr. *eo*. [33] Corr. B*, AB *carenti*. [34] B* corr. *moveantur*. [35] Corr. B*, A *circumvelatas*, B *circumvelatis*. [36] B *quippe nullo*. [37] Corr. B*, AB *nubili*. [38] Conj. B *occulte*.

-lum, hoc est igneum, hunc [1] mundum sensibilem ambire. *Non receptus contumelia minorationis;* in nullo enim minuitur, quoniam ubique totus est in creaturis visibilibus, quamvis non ubique et aequaliter [2] appareat. Potest et sic non incongrue [3] interpretari : non recipiens subingressionis subjectionem. Nulli enim corporeae creaturae subjicitur, quia supereminens [4] in omnibus est. *Semper motus;* non enim stat, sed incessabiliter movetur per omnia, movens omnia. *Per seipsum motus;* a nullo quippe corporeo elemento motum patitur. *Movens alterum,* subaudis elementum; movet enim per [5] seipsum primo aera, per aera aquam, per aquam terram terrenaque omnia corpora. *Comprehendens incomprehensus;* devorat quippe, et in se consumit omnia corpora solubilia, a nullo autem consumitur; non enim ipsum [6], operationem ejus, aqua extinguit. *Non indigens alterius;* nullius elementi indigens, dum omnia nutrit et fovet. *Latens vere;* ignea [7] siquidem natura [8] invisibilis est [9], in suis autem operationibus se manifestat. Calore sentitur, luce videtur. *Crescens a seipso;* omnibus quippe corporibus incrementum dat, nulliusque alterius elemento crescit, sed per seipsum crescit, quamvis dicatur aquarum exhalationibus nutriri, non ut crescat ab eis, sed ut eas in seipsum consumat. *Et ad susceptas materias manifestans sui [10] magnitudinem;* in materiis plane ardentibus magnitudinem ardoris sui declarat. *Activus potens;* potenter siquidem agit in inferioribus se creaturis, ex quarum nulla patitur. *Simul omnibus praesens invisibiliter;* praesens quippe omnibus est, quibus etiam absens putatur esse; in glacie et nive non putatur esse; non tamen, si eis non inesset, eo solverentur, aut [11] sui caloris [12] participes essent. *Neglectus non esse putatur,* hoc est, dum arsibili aliqua materia nutriri negligitur, non esse putatur, ac veluti mortuus esse. *Attritu autem subito relucens, sicuti quadam vindicta connaturaliter et proprie,* hoc est, dum [13] attritus, secretaque sua quiete excitatus, quasi invitus subito relucet, ac veluti quadam [14] vindicta materiem, quam arripit, invadit connaturaliter et proprie; naturale quippe ipsius est et proprium, absque ulla mora attritus lucere. *Et iterum incomprehensibiliter impalpabilis;* neque enim comprehendi se sinit, neque [15] palpari. *Non minutus in omnibus ditissimis suimet traditionibus;* omnibus siquidem ditissime seipsum tradit aequaliter et in nullo minutus, quamvis non in omnibus aequaliter operationes suas exerceat. Nempe alia plus, alia minus vel illuminat vel caleficat [16]. *Et multas [17] fortassis [18] quis inveniet ignis proprietates pulchras, ut in sensibilibus,* id est, quantum in sensibilibus, *imaginibus divinae operationis.* Fortassis, inquit, quisquis studiose igneas virtutes investigaverit, inveniet multas proprietates ignis, in quibus imagines divinae operationis, quantum in sensibilibus imaginari potest, manifeste reperiat. Deus siquidem in omnibus est, quoniam ipse essentia omnium est, et per omnia venit, quia omnia disponit, et removetur ab omnibus, quia superessentialis est super omnia, et lucet in creatura, quam fecit, quia occultus et incognitus per seipsum esset, si non [19] universalem creaturam veluti quandam materiam [20], in qua appareret [21], conderet, et in qua actiones suas manifestaret. Et hoc quis ignorat, nisi aut nimium stultus, aut nimium perfidus, Deum immensurabilem esse et invisibilem per seipsum? Et ut breviter colligam omnia, quae [22] de laude ignis praedicantur, pulchre per metaphoram de Deo praedicari [23] possunt. *Hoc ergo scientes Theosophi, caelestes essentias ex igne conformant, significantes earum deiforme, et quantum possibile [24] Dei imitabile.* Nam si in creatura corporea, igne dico, divinae operationis et deiformitatis et divinae imitationis multa et pulchra indicia sunt [25]; quid de spiritualibus divinisque animis sentiendum? Non dubitandum est, plus et incomparabiliter imagines divinarum operationum eis inesse.

§ 3. Post ignem de humana tractat effigie. *Sed et humaniformes ipsas describunt,* hoc est, non solum Theosophi ipsas caelestes essentias igniformes, verum etiam et humaniformes describunt; *propter intellectuale et sursum habendo intuitivas virtutes,* eo quod intellectualis creatura est homo, ad imaginem Dei factus, et eo quod contemplativas virtutes sursum, quando se et naturaliter et rationabiliter [26] movet, ad Deum suum conversus; *et figurae rectum et luculentum,* hoc est, propter figuram corporis sui rectam et claram; *et secundum naturam principale et regale,* quia natura humana ad principatum et regimen totius sensibilis mundi creata est [27]; *et quod secundum sensum minimum quidem, quantum ad reliquas irrationabilium animalium [28] virtutes, omnium vero potentissimum secundum intellectus magnitudinem virtute,* hoc est, propter minimum [29] corporalis sensus virtutis in comparatione reliquorum animalium. Acutius [30] enim videt aquila homine; fortius

VARIAE LECTIONES.

[1] B *hunc igneum.* [2] Pro *et aequaliter* A *et aequalitater*, B *aequalitatem* (punct. B' adj. videtur). [3] B *incongruenter.* [4] Corr. B', pro *supereminens* AB *subeminens.* [5] *per* om. A. [6] Sic AB. [7] B *igne.* [8] *natura* om. B. [9] B *est natura.* [10] A *sui et*, B *sui et* (punct. adj. B'). [11] B' ad marg. adscr. *si non.* [12] Emend., AB *coloris.* [13] B' supra adscr. *est.* [14] Corr. B', AB *quandam.* [15] B *nec.* [16] AB *calificat.* [17] Corr. B', AB *multis.* [18] A *fortasse.* [19] *non* om. AB, adscr. B'. [20] B *materiem*, B' corr. *materiam.* [21] B *apparet.* [22] A *qui.* [23] Corr. B', AB *praedicare.* [24] B' supra adscr. *est.* [25] Corr. B' pro *indicia sunt* AB *indicias.* [26] Pro *naturaliter et rationabiliter* B *rationabiliter et naturabiliter.* [27] Corr. B', AB *creatorem.* [28] *animalium* om., addidi e vers. et text. graec. [29] Corr. B', AB *nimium.* [30] Corr. B', AB *aculus.*

canis odores discernit. Et sequitur : *omnium vero potentissimum virtute magnitudinis intellectus*. Ut enim solus minus multis animalibus acumen habet sentiendi, ita solus cunctis [1] animantibus virtutem possidet intelligendi. *Et secundum rationabilem intelligentiam continuitate;* virtus siquidem rationabilis scientiae continua est; prius enim desinet subsistere, quam saltem [2] vel minimo [3] momento rationabili [4] scientia carere. *Et secundum natura* [5] *animae liberum et potentissimum;* nulli quippe animalium praeter hominem liberum arbitrium et potentia electionis datum est naturaliter. Ubi datur intelligi, liberum voluntatis arbitrium inter data naturae, non inter dona [6] gratiae computandum.

Est autem et [7] *per singula, ut aestimo, corporalis nostrae multiplicis partitionis invenire caelestes virtutes.* Est, inquit, Theosophorum, caelestes virtutes, hoc est caelestium virtutum imagines invenire per singula, membra, ut judico, quibus multiplex partibilis nostri corporis harmonia constituta est. *Dicentes, conspectivas quidem significare virtutes ipsum ad divina luminaria clarissimum respectum*, hoc est, dum dicunt Theosophi, clarissimum oculorum nostrorum contuitum in divina luminaria, a Deo videlicet in caelo condita, significare contemplativas caelestium [8] essentiarum virtutes. *Et iterum teneram et liquidam et non repercussam, sed acute mobilem et puram et planam impassibiliter*, subaudis, oculorum nostrorum intentionem significare, *divinarum susceptionem illuminationum*, qua caelestes virtutes divinas suscipiunt illuminationes [9]. Pupilla siquidem oculorum tenera, liquida [10], et, dum sit sana, caligine non repercutitur [11].

Post oculos ponit olfactum. *Olfactuum* [12] *vero discretivas virtutes*, subaudi : dicentes significare illud, *super intellectum suaveolentis distributionis, quantum possibile* [13], *receptivum, et non hujusmodi scientia discretivum, et omnino refugitivum.* Dicunt, inquit, Theosophi, olfactus, quibus discernimus exhalationes [14], significare in caelestibus essentiis illud, quod recipit super suum intellectum suaveolentem distributionem, divinarum videlicet gratiarum donationes, et quod discernit per scientiam non [15] hujusmodi, id est, quae tales non sunt; et [16] omnino refugit; discernit quippe divina virtus superessentiales a contrariis earum, sicut olfaciendi sensus suaveolentes a non suaveolentibus distinguit exhalationes.

Aurium vero virtutes dicunt significare illud *particeps et gnosticum divinae inspirationis susceptivum;* plane, quicquid sit illud, quod [17] particeps est in caelestibus essentiis, et gnosticum, id est cognitivum, divinae inspirationis susceptivum. Inspirationem posuit pro vociferatione, eo modo, quo causa pro effectu ponitur. Causa autem vocis est spiritus aethereus.

Gustativas autem invisibilium escarum plenitudinem et divinarum et alentium promotuum susceptivum, hoc est, gustativas virtutes dicunt significare plenitudinem [18] invisibilium et divinarum escarum, quibus caelestes essentiae reficiuntur; significare etiam illud, quod in eis suscipit. Alentes promotus, hoc est, nutrientia incrementa.

Factivas vero convenientis aut nocentis in scientia diagnosticum. Virtutes, inquit, quae in sensu tangendi sunt, dicunt significare diagnosticum [19], hoc est discretivum in scientia, quo caelestes essentiae, quod sibi convenit, ab eo, quod sibi nocet, distinguunt [20]. Quo sensu intelligibili frui noluerat primus homo, qui noluit convenientem sibi obedientiam sequi, et nocentem sibi superbiam fugere, sicut noluit aeternae beatitudinis escam gustare, cujus plenitudinem si susciperet, aeternis incrementis divinae concupiscentiae et aleretur et proveheretur. Noluit similiter intellectuali aure suscipere vocem praecipientis sibi obedire mandatis, noluit intelligibili olfactu suaveolentes aeternae vitae exhalationes ab aeternae mortis foetidis [21] exhalationibus discernere, noluit pulcherrimae veritatis speciem contemplari, noluit sursum se erigere in eum, qui se diligentes sibique adhaerentes deificat, sed pronus in rerum carnalium delectationem et concupiscentiam corruit, omni spirituali sensu privatus.

Palpebras deinde et supercilia divinarum visionum intelligentiae custoditivum, subaudis : significare dicunt.

Juvenilem vero et adultam aetatem illud innovantis semper vitalis virtutis, hoc est, illud, quod renovat semper vitalem virtutem, imaginare dicunt. Sed si quaeris, quid est illud et illud, et quotiescunque [22] in hac disputatione dicitur illud, uno modo possum respondere : illud est ineffabile et multiplex divinae distributionis munus in omnes divinas essentias.

Dentes autem divisivum inditae nutrientis [23] *perfectionis.* Dentes humanos, inquit [24], dicunt imaginare divisivum, hoc est discretivum, quod inditam caelestibus essentiis nutritivam pascit perfectionem. *Unaquaeque enim essentia* [25] *intellectualis donatam sibi a diviniore uniformem intelligentiam provida virtute dividit et multiplicat ad inferioris ductricem analogiam.* Propterea dicunt per dentes figurari discretionem [26], quae intellectualem perfectionem inditam caelestibus essentiis nutrit, quoniam unaquaeque essentia intellectualis donatam sibi a diviniore, id

VARIAE LECTIONES.

[1] B* supra adscr. *prae* cunctis. [2] A *salutem*, B *salutem* (punct. adj. B*). [3] B* corr. *in uno*. [4] Emend., AB *rationabilis*. [5] Emend., AB *naturam*. [6] pro dona A *data*. [7] Corr. B, AB *hec*. [8] *caelestium* om. B. [9] Ad marg. corr. B*, AB *virtutes*. [10] B* adscr. corr. *et* liquida *est*. [11] Corr. B*, AB *repercutit*. [12] Corr., AB *olfactum*. [13] B* supra adscr. *est*. [14] AB *exalationes*. [15] Corr. B*, pro *non* AB *quae*. [16] B *et*. [17] Corr. B*, AB *quae*. [18] A *pleni udinum*. [19] *Virtutes—diagnosticum* om. B. [20] B *distinguit*. [21] AB *fetidis*. [22] AB *quocienscunque*. [23] Corr., A *nutritus*, B* rad. corr. *nutricem*. [24] B. *dentes, inquit, humanos*. [25] B *Unaquaeque essentia enim*. [26] Corr. B*, AB *discretione*.

est superiore, essentia uniformem intelligentiam veluti dentibus discretionis comminuit et multiplicat per providam virtutem juxta ductricem analogiam inferioris essentiae. Ductricem pro educatricem dixit. Divina siquidem mysteria, nisi intellectualibus dentibus prius communicantur a magistris, non possunt prodesse discipulis [1], nec vitale incrementum praestare. Granum namque sinapis, nisi contusum fuerit, vim suam exercere nescit.

Humeros autem et brachia, et iterum manus, factivum, [2] *et operativum, et activum*, significare dicunt. In his enim tribus membris humani corporis fortitudo consistit. Factivum ad manus refertur; ipsae enim faciunt; operativum ad brachia, in quibus tota vis operationis existit; activum ad humeros, in quibus veluti quodam cardine actionis motus primo volvitur, deinde per brachia in manus extenditur. Ut autem in anima rationabili primus motus ejus in animo est, veluti quibusdam suis humeris, qui motus actio dicitur, deinde descendens per progressiores numeros [3] veluti per quaedam brachia in artificis aestimationem, operationis nomen accipit, dum in effectum moti corporis exseritur [4], factivus vel effectivus non incongrue vocitatur [5]: ita, ut opinor, in caelestibus animis, dum veluti primo motu primordiales causas in principio omnium, quod Deus est, supra se intuentur, actio eorum [6], dum in seipsis, quod supra se vident, conformant, operatio, dum vero, quae facienda sunt in natura rerum juxta analogiam eorum, quae supra se contemplantur et in se conformant, faciunt atque efficiunt, factivus vel effectivus eorum motus non inconvenienter dicitur.

Cor vero symbolum esse deiformis vitae propriam vitalem virtutem deiformiter in ea, quae praeintellecta sunt, seminantis. Dicunt esse cor symbolum, signum plane, deiformis vitae, quae est in [7] intellectualibus et rationabilibus creaturis, quae propriam vitalem virtutem deiformiter seminat in ea, quae, divina providentia, priusquam fierent, praeintellexit. Quo in loco notandum, quod omnes virtutes, quae per singula membra humani corporis imaginantur, non solum ad caelestes essentias, verum etiam ad causam omnium, ex qua omnes procedunt virtutes, possunt referri. Ex qua etiam veluti intimo corde vitalis motus in universitatem visibilis et invisibilis creaturae tanquam in unum quoddam corpus distribuitur atque seminatur. Intuere etiam quod ait: Cor esse symbolum deiformis vitae vitalem virtutem seminantis, et intellige, hunc praeclarum magistrum sedem vitalis motus totius nostri corporis non in cerebro, sed in corde constitutam docere.

Pectora iterum significare durum et custoditivum, ut a supposito corde vivificae distributionis [8]. Dicunt,

A pectora innuere indomitam custodiam vivificae distributionis, quae a supposito corde originem ducit. Cor siquidem corporali situ sub pectore, sic [9] veluti sub munimine tuto firmaque custodia vitalis [10] sui motus, quo totum motu corpus vivificat, naturaliter constitutum est. Ubi durum posuimus, ibi in Graeco ἀδάμαστον [11], quod et durum significat et indomitum.

Dorsa vero continuum simul cunctorum [12] *fertilium virtutum.* Dorsa hominis significant continuationem fertilium virtutum. Ut enim ossa spinae sibi invicem coadnaerent, et per illorum medullas vitalis motus in totum corpus diffunditur, et maxime qui est in tactum: ita spirituales virtutes sibi invicem adunantur inseparabiliter, ut, ubi [13] una, ibi omnes. B Ab una quippe, caritate videlicet, omnes procedunt, et concatenatim singulae singulis dependent [14], et fertilitatem angelicis et humanis inferunt. Ubi posuimus fertilium, ibi in Graeco ζωογόνων, quod proprie fertilitatem significat.

Pedes autem, subaudi significant, *mobile et velox et cursile in* [15] *divina semper euntis motionis*, hoc est, mobilem velocemque et currentem motum caelestium essentiarum in divina mysteria. *Propter quod et pennatos theologia sanctorum intellectuum figuravit pedes. Pennatus namque significat anagogicam*, hoc est, sursum ducentem [16] *velocitatem, et caelestes sursum versus* [17] *itineris activum*, id est, caelestem actionem itineris virtutum, quod sursum ducit in veritatis contemplationem, *et ab omni humili per* C *sursum ferens remotum*, hoc est, pennati pedes sanctorum intellectuum significant, quod ipsi ab omni humilitate corporalis creaturae remoti sunt, per sursum ferens, id est, per intellectualem theoriam, qua sursum feruntur in causam rerum volitantes. *Ipsa vero pennarum levitas nichil terrenum, sed totum munde et sine gravitate in excelsum ascendens.* Superius expositum est [18], quod levitas pennarum significat, nihil in caelestibus essentiis terrenum esse, sed totas eas mundas omnique gravitate absolutas in excelsum, Deum plane, ascendere. Notandum quod beatus iste magister, sicuti ceteri ejusdem linguae doctores, omnia genera, omnes numeros omnium verborum ceterarumque partium significativarum intellectus per singularia neutralia nomina, saepe D etiam per verborum infinita usitatissime insinuant. *Nudum quoque et discalciatum, dimissum, et absolutum, et immensurabile, et purum eorum* [19], *quae extra sunt, appositione, et ad simplicitatem divinam, quantum possibile, adsimulativum.* Ac si diceret: Quod caelestium essentiarum mysticae imagines in similitudine nudi hominis et absque calceamentis stantis seu ingredientis visae sunt, quid aliud signi-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *disciplinis*. [2] Corr. B*, AB *factivam*. [3] B* corr. *progressiones numerorum*. [4] AB *exeritur*. [5] A *vocatur*. [6] B* adscr. *est*. [7] *in* om. AB, supra adscr. B*. [8] B *distributionis vivificae*. [9] Conj., pro *sic* AB *sit*, B* supra adscr. *cum sit*. [10] Corr. B*, AB *vitali*. [11] AB *αδιμαστον* vel *αμμαστον*. [12] Corr. B*, AB *cunctorum*. [13] Corr. B*, AB *ibi*. [14] Corr. B*, AB *dependunt*. [15] *in* om. AB, supra adscr. B*. [16] A *sursumducente*. [17] B *versus sursum*. [18] *est* om. AB, adscr. B*. [19] B* infra adscr. *ab* eorum.

ficat, nisi quod divini animi dimissi, id est, liberi et absoluti sint [1], sua propria voluntate rationabiliter fruentes Deo? et quod immensurabiles sint? Infinita est enim illorum natura et incircumscripta, nisi solo conditore [2] suo, qui omnia definit et circumscribit; et quod puri sint? incontaminati [3] videlicet adjectione eorum, quae extra sunt, sensibilium videlicet et corporalium rerum, et quibus caelestes virtutes omnino remotae; et quod similes sint simplicitati [4] divinae, quantum imitari eam creaturae possibile [5]?

Sed quoniam iterum simpla et multum varia sophia et nudos vestit, et vasa quaedam dat ipsis circumferre, φέρε [6] *et animorum caelestium sacros amictus et organa, secundum quod nobis possibile* [7], *aperiamus.* Sed φέρε [8], inquit, id est [9] age [10], quoniam apud Graecos hortativa adverbia sunt φέρε, ἄγε [11], aperiamus, hoc est exponamus, quantum nobis possibile est, quid sancti amictus sanctaque organa animorum caelestium symbolizant; quoniam non solum sophia, id est sapientia, quae simpla et multum varia est, animos caelestes veluti nudos homines mystice conformat, verum etiam eos, quos nudos describit, iterum vestit, et dat ipsis gestare quaedam vasa operationibus suis congrua, quae organa vocantur. Organum est enim generaliter omne instrumentum non solum musicis, sed et [12] ceteris operationibus aptum.

Claram quidem enim vestem [13] *igneamque significare aestimo deiforme juxta ignis imaginem et luculentum propter in caelo quietes* [14]. Arbitror, inquit, claram igneamque sanctarum imaginum vestem significare divinorum animorum deiformitatem, quae in imagine ignis solet apparere, eorumque luculentiam, quae instar aetheris splendidissimi nulloque spiritu perturbati quietam vitam in caelo ducit. *Ubi lumen et omnino invisibile dicendum aut intellectualiter illuminans, aut intellectualiter illuminatum.* In caelo quippe lux invisibilis et inaccessibilis est, et omnino dicendum, aut intellectualiter illuminans lumen in caelo est, ut Deus, aut intellectualiter illuminatum, ut divini intellectus a Deo illuminati, qui solus illuminans lux est, et a nullo illuminatur. *Sacerdotalem vero,* subaudi vestem significare aestimo [15], ad *divina et mystica speculamina ductivum, et totius vitae votum.* Est enim sacerdotum, eos, quibus praesunt [16], in divinas et mysticas speculationes ducere actionis exemplo doctrinaeque studio, totamque vitam suam sequentiumque se Deo vovere.

Zonas quoque, significare aestimo, *fecundarum* [17] *ipsarum custoditivum* [18] *virtutum,* quae animam actu,

A scientia fecundant; quam custodiam maxime temperantiae et constantiae ethnici attribuunt. Est enim constantia virtutum custos ac veluti zona, habitum illarum praecingens, quod consequenter adjungit: *et congregantem eas habitum in seipsum unite converti et circulariter, cum facilitate casu carente naturae similitudine circa seipsum circumferri.* Hoc est: Zona significat habitum, qui eas congregat virtutes in unum, et ipsum habitum in se ipsum per adunationem virtutum in simul converti, quemadmodum zona in seipsam revolvitur [19], et circulariter circa se ipsum circumferri cum facili et sine casu naturali similitudine. Talis siquidem differentia est inter virtutes et vitia, quod vitia dissimilia sibi sunt et a re ipsis discrepantia, virtutes vero sibimet simillimae

B ac veluti teres rota in seipsam revoluta, ita ut fere omnes una videantur [20] et una omnes, insitis tamen naturalibus differentiis illarum harmoniae.

Virgas etiam, subaudi significare aestimo, *regale et ducale rectaque omnia definiens.* Quoniam virga regum aut ducum signum est, omnia quoque, quae recte definiuntur et mensurantur, modum quendam virgae imitari dubium non est. Propterea in Graeco [21] scriptum est non ῥάβδους simpliciter, sed εὐράβδους [22]; hoc est, non virgas, sed rectas virgas; non enim omnis virga recta est.

Tela vero et secures dissimilitudinum separativum et discernentium virtutum acumen et efficax et actuosum. Tela et secures, quae prius organa caelestium animorum vocavit, significare aestimo dividicativam

C eorum virtutem, qua veluti quadam secari dissimilia a similibus separant, rationabiles motus ab irrationabilibus, humiles a superbis, volentes [23] a non volentibus se emendare, signatos T [24] a non signatis fideles plane ab infidelibus, credentes in crucem Christi a non credentibus; et discernentium virtutum acumen significare, ut securis acuta, et efficax, ut telum velox, et actuosum, actionis plenum. Divina siquidem virtus, discernens omnia, penetrat quae discernit, ac sine mora temporis agit. Velle quippe ejus actio ejus est, sive per seipsam sive per angelos suos.

Geometrica et tectonica, hoc est fabricativa, *vasa* significare aestimo *fundativum et aedificativum et*

D *perfectivum,* hoc est: quo mensurati et fundati et collocati sunt divini animi incommutabiliter absque ulla ruina apostasiae. Et quomodo aedificati sunt [25]? Super illud fundamentum, Deum videlicet Verbum, Dominum nostrum Jesum Christum, super quem veluti inconcussam petram universalis Ecclesia rationabilium et intelligibilium fabricatur. Et quomodo

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B', AB *absolutis.* [2] B' corr. *soli conditori.* [3] supra adscr. corr. B', AB *contaminati.* [4] Corr. B', AB *simplicitate.* [5] B adscr. *est*, [6] AB *fere.* B' marg. adscr. *et age enim.* [7] B' supra adscr. *est.* [8] AB *fere.* [9] Pro *id est* B *et.* [10] *age* om. B, ad marg. adscr. B'. [11] AB *fere et age.* [12] Conj., pro *et* A *de*, B *de* (punct. adj. B'). [13] *vestem* om. B, marg. adscr. B'. [14] B *quietes in caelo.* [15] B *aestimo.* [16] B *possunt.* [17] Corr. B', AB *fecundare.* [18] *ipsarum custoditivum* om., addidi ex vers. et text. gr. [19] A *resolvit.* [20] A *videatur.* [21] A *graecos.* [22] Pro *sed εὐράβδους* B *sede υραβδυς.* [23] Corr. B', A *poenitentes*, B *potentes.* [24] Corr., AB Τεῦ. [25] Corr. B', AB *aedificatis.*

perfecti sunt? In amore et contemplativae veritatis. Quomodo etiam inferiores essentias ad id [1] ipsum fundamentum in eandem [2] aedificationem et perfectionem reducunt? Quod subsequenter adjungit: *et quaecunque alia reducentis et convertentis sunt secundorum providentiae*, hoc est, et quaecunque alia symbola ex humanorum corporum harmonia introducuntur ad significandam divinam providentiam, quae reducit et convertit secundos [3] animos intellectuales et rationales per primos in unius omnium causae participationem [4].

Est autem quando et in nos divinorum judiciorum sunt symbola illa quae acta sunt, hoc est gesta sunt [5], *a sanctis angelis organa, aliis quidem declarantibus corrigentem disciplinam aut punientem justitiam, aliis vero angustia* [6] *libertatem aut disciplinae finem aut prioris constantiae resumptionem aut appositionem aliorum donorum parvorum aut magnorum, sensibilium aut invisibilium, et omnino forsan non dubitarit perspicax animus pulchre invisibilibus adunare visibilia.* Vasa, inquit, quae gestare angelos divina tradit Scriptura, symbola sunt aliquando divinorum judiciorum, quibus nos judicamur, dum alia quidem corrigentem disciplinam aut punientem justitiam

A declarant, quae duo divino conveniunt judicio, quod aut in disciplinam corrigendi per misericordiam, aut in severitatem [7] puniendi per justitiam dividitur; et unum quidem per virgam, sicut ait Psalmista: « virga correctionis virga regni tui », alterum per securim [8], « jam », inquit praecursor, [9] « securis ad radicem arboris [10] posita est; omnis arbor, quae [11] non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur ». Alia vero angustia [12] libertatem, vel ex insidiis libertatem; in Graeco quippe est περιστάσεων [13] ἐλευθερίαν, pro quo possumus dicere angustia, vel insidiis libertatem, quod etiam per virgam formatur. Ad hoc enim corripimur, disciplinisque misericordiae excitamur, ut ab angustiis delictorum nostrorum et a diabolicis insidiis liberemur; aut disciplinae finem; totius divinae disciplinae finis est habitus B virtutis et aedificium, quae tectonicis organis pulchre significantur; aut prioris constantiae resumptionem [14]. In Graeco est εὐπαθείας. Εὐπαθείαν Cicero interpretatur constantiam, ut jam diximus, sequentes sanctum Augustinum: εὐπάθειαι sunt, id est, constantiae tres secundum Stoicos, voluntas, gaudium, cautio, et non nisi in animo. *Explicit* [15].

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. B*, AB *addit*. [2] Corr. B*, AB *edem*. [3] Conj., AB *secundo*. [4] A *participatione*. [5] B *sunt gesta*. [6] Sic AB, B* ad marg. adscr. *ab angustia*. [7] Conj., AB *se veritatem*. [8] Rad. corr. B, AB *securum*. [9] B *praecussor*. [10] *arboris* om. A. [11] C *qui*. [12] B* infra adscr. *ab angustia*. [13] AB *περιστασεως*. [14] Corr., A *resumptione*. [15] *Explicit* om. A.

JOANNIS SCOTI

EXPOSITIONES

SUPER IERARCHIAM ECCLESIASTICAM S. DIONYSII.

Cod. ms. bibl. Univers. Lipsien. 188, membran., sec. XIII. . . . . . A.
Cod. ms. Vat. 177, membran., sec. XIV. . . . . B.
Cod. ms. Sorbonn. 1353 bibl. Reg. Parisiensis, membran., sec. XIII. . C.

INCIPIT

PROLOGUS SECUNDI LIBRI.

Secundus vero liber, cui est inscriptio de ecclesiastica Ierarchia [1], humanae naturae, Salvatoris nostri sanguine redemptae, unitatem denuntiat, ad similitudinem videlicet caelestis sacerdotii, quantum possibile est, mortalibus adhuc ordinatam. Cujus summus pontifex est ipse, qui eam sibi per gratiam suam [2] coadaptavit, qui etiam totius ierarchiae, caelestium quidem et terrestrium, principium est et medium et finis, ad quem omnia referuntur. Haec itaque nostra ierarchia instar caelestis tripartita est, scilicet in tres ierarchias. Quarum prima temporali

D quidem ordine, ultima vero dignitate legale fit [3] sacerdotium. Quod in variis [4] valde et [5] obscuris symbolis per legislatorem Moysen plane carnali adhuc populo litteraeque, non spiritui servienti distributum est. Cujus maximus character erat tabernaculum illud in Arabico monte figurate monstratum. Secunda vero, quae et media, sacerdotium, quod nunc est, Ecclesiam dico Novi Testamenti, sub gratia quidem constitutam, partim symbolis visibilium sacramentorum dispositam, partim vero veritatis contemplatione perfectam. Et est finis praeteritae primae, initium vero futurae ierarchiae, quae est tertia, nunc ex parte inchoata in primitiis contemplationis, perficienda vero post gloriam futurae resurrectio-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ierarchya*. [2] Sic C, *suam* in cod. A m. glossatoris supra adscr. [3] C, *sit*. [4] Sic C, A *vanis*. [5] *et* om. C.

nis, quando visibilium sacramentorum velaminibus sublatis ipsam veritatem perspicua claritate [1] contemplabimur. Ideoque praesens, ut diximus, ecclesiastica [2] ierarchia media est inter legalem praeteritam et caelestem futuram, quoniam non solum aeternarum rerum symbola peragit et visibiliter considerat, ut legalis praeterita, sed et spiritualem eorum intelligentiam investigare invenireque non cessat, ut caelestis futura:

Epygramma [3] *in beatum Dionysium in hoc de ecclesiastica ierarchia.*

Symbola divinorum mirabilium sacrorum uniformi ratione.

In singularitatem resolvisti unius luminis unam claritatem.

Dionysii [4] *Areopagitae episcopi Athenarum ad Tymotheum episcopum de ecclesiastica* [5] *ierarchia secundus liber sic incipit* [6].

Ad beatum Tymotheum secundum scripsit librum magnus Areopagita Dionysius de ecclesiastica ierarchia, id est, de ecclesiastico sacro principatu, distincte per capitula, quae infra sequuntur, elegantissime mysticum sacramentum prius [7] ponens, et sic singulas singulis capitulis mysticorum sacramentorum theorias subjungens. In quibus ostendit, cuncta, quae in ecclesiasticis sacramentis et sacratissimis mysteriorum consecrationibus fiunt [8], angelico ministerio secundum convenientiam uniuscujusque ordinis una cum ministris altaris, et praecipue ierarcha [9], id est sacerdote, qui unus de angelis [10] secundum fas efficitur, caelitus operari; maxime in [11] ministerio sancti sacrificii Dominicae passionis sanctissimi principatus militiae caelestis cum consortibus suis in proprio ordine et laudis officio semper assistunt, et in consecratione sacratissimi chrismatis, quae uniformis et uniordo [12] symbolis est sanctissimae eucharistiae. In qua videlicet chrismatis initiatione [13] ordinem Seraphim benignum Jesum, qui in omnibus sanctissimus [14] sanctificat seipsum pro nobis, et omni sanctificatione nos [15] replet in ipso perfectos, atque ex [16] Deo natos, circumstare [17], et multilauda illa ymnologia, quam propheta Seraphim se audisse clamare describit, eundem Dominum nostrum Jesum Christum intelligibiliter laudare, obsequentibus etiam ceteris angelorum choris, et sensualiter Alleluia concinentibus, liquido manifestat.

Haec insunt in hoc de ecclesiastica ierarchia totum capitula VII.

I. *Quae sit ecclesiasticae ierarchiae traditio, et quae ejusdem speculatio.*

II. *De perficiendis in baptismate.*

III. *De perficiendis in synaxi.*

IV. *De perficiendis in miro et in ipso offerendis.*

V. *De sacerdotalibus confirmationibus.*

VI. *De perficiendorum ordinibus.*

VII. *De perficiendis in dormientibus* [18].

Praecumbentium capitulorum doctrinam secundum duplicem perficit modum. Primum enim exponit hoc: quomodo perficitur mysterium [19] capituli; ac deinde theoria quadam traditionem: utputa mysterii illuminationis expositio primum, deinde secunda theoria ejus, iterum [20] mysterii synaxeos expositio, deinde theoria ejus, et eodem modo de ceteris.

Cetera desiderantur.

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C, A *veritate.* [2] Sic C, A *praesens ut diximus ecclesiastica.* [3] Sic C, A *epigrammata.* [4] Hic incipit cod. Vat. [5] *ecclesiastica* om. A. [6] *secundus liber sic incipit* om. C. [7] A sacramentum *prius prius* ponens. [8] B sacramentis *consecrationibus misteriorum fuerit.* [9] B *ierarchia.* [10] Sic C, B *qui unius de angelis,* A qui unus *angelis.* [11] *in* om. B. [12] *uni ordo.* [13] B *unitiacione.* [14] A *scnctissimis.* [15] C *omni nos sanctificatione.* [16] Sic C., *ex* om. AB. [17] B *circumstante.* [18] Quae sub numeris I-VII hic habentur, in A supra post *epigrammata* extant. [19] A *ministerium.* [20] A *item.*

JOANNIS SCOTI

EXPOSITIONES SEU GLOSSAE

IN MYSTICAM THEOLOGIAM SANCTI DIONYSII.

Ex cod. ms. hist. eccl. bibl. Caesar. Vindob. 136, membran., sec. XIV, pessime exarato.

INCIPIT PROLOGUS JOANNIS [1] SCOTI IN MYSTICAM THEOLOGIAM BEATI DIONYSII EPISCOPI.

PROLOGUS.

In prologo super librum de divinis nominibus dicitur, arbitror, librum de simbolica theologia et alios S. Dionysii libros duabus ex causis rarius [2] inveniri. Una est, quod haeretici libros ipsos, sicut contra se manifeste agentes, pro viribus consumpserunt; alia, quod catholici obtestatione dicti Dionysii

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *Johannis.* [2] Corr., cod. *radiis.*

erant[1] stricti, ne imperitae multitudini, sed solis doctis et dignis sua scripta, quasi multorum capacitatem excellentia, revelarent; doctis deficientibus eorum culpa maxime, ut reor, qui praelationes ecclesiarum qualibuscunque conferunt, et literatorum respectum[2], quibus committerent, non habuerunt. Forsitan Hieronymus[3] excellentissimus Areopagitam[4] inter ecclesiasticos scriptores non numeravit, quia libros ejus, sicut eminentes, ad communem notitiam reponendos non putavit. Nullam enim mentionem hujus doctoris et suorum librorum facit in libro de viris illustribus, cum aliorum ibidem a temporibus apostolorum usque ad sua, ubi etiam, quos libros scripserint, cum laude celebrat[5], memoratur.

INCIPIT LIBER S[UPER][6] MYSTICA THEOLOGIA[7]. TEXTUS CUM GLOSSIS.

Trinitas supersubstantialis etc. Titulus hujus libri est de mystica theologia, id est, clausa vel occulta; quia, quidquid ibi dicitur, quasi inexplicabile totum clausum et occultum relinquitur. Est autem materia[8] hujus libri ipse Deus, in se simpliciter considerata causa naturae[9], habito[10] respectu ad creaturas. Intentio ejus est, commendare veram sapientiam Christianorum, et sapientiam philosophorum reprobare. Utilitas ejus est, inducere apicem personis in viam[11], id est uniri Deo per superintellectualem cognitionem et affectionem sui, ut uno vocabulo dicam[12], utrumque per deificationem. Forma sive modus tractandi talis est. Primo Deum invocat, ut per ipsum ad ipsum dirigatur. Secundo instruit Timotheum, quomodo vera sapientia inquiratur: ibi: *Tu autem, o amice Timothee.* Tertio prohibet, ne thesaurus ipsius sapientiae indignis ostendatur, innuens errorem, quo impediuntur, ne vera ab eis sapientia inveniatur; ibi: *Vide autem ne quis.* Quarto ostendit secundum diversas rationes et vias, quod omnis creatura sine aliqua contrarietate affirmatur et negatur; ibi: *Oportet in ipsa.* Quinto demiratur, quod sunt, quibus gratia perveniendi ad Deum per superintellectualem cognitionem datur; ibi: *Et non simpliciter.* Et haec omnia facit in primo capitulo.

CAPITULUM I.

§ 1. Quod divina lux per divinam noctem aspicitur, et ipsa nox per occasum luminum[13] invenitur. Ibique quod est clarum obscuratur, quod est magnum coartatur, quod est humanum deificatur, quod est ignotum, magis ignoratur. Divina lux est divinae cognitionis caritas; divina nox est ipsius cognitionis incomprehensibilitas; quae cum aspicitur, Deus cognoscitur. Invenitur autem ipsa incomprehensibilitas per occasum luminum, et per excessum omnium

A sensuum et virium mentalium[14], quo obtento ipsa cognitio obscuratur, quia in excessum majoris cognitionis augmentatur, et latitudo verbi vocalis vel mentalis restringatur[14*] in simplicitatem verbi aeternalis. Ibi fit etiam deificatio, id est de humanis in divina transmutatio, et illud, quod est ignotum per investigationem rationis et intellectualis operationis, fit ignotius per excessum unitionis, ita tamen, quod talis ignorantia summa est apud majorem scientiam.

TEXTUS.

Trinitas supersubstantialis, et superdea[15], et superbona, inspectrix divinae sapientiae Christianorum, dirige nos ad mysticorum eloquiorum superignotum et supersplendentem[16] summum verticem, ubi simpli- B *cia et absoluta et inconvertibilia theologiae mysteria cooperta sunt secundum supersplendentem occulte dicti[17] silentii caliginem, in obscurissimo superclarissimum supersplendere[18] facientem, et in omnino impalpabili et invisibili superpulchris claritatibus superimplentem non habentes oculos mentes. Igitur quidem mihi ista sunt[19] oratione postulata.*

GLOSSA.

O trina unitas, et una trinitas, divinarum videlicet personarum, superexcedens omne ens quoad personam Patris, et superexcedens omnem sapientiam et scientiam quoad personam Filii, et superexcedens omnem existentem bonitatem quoad personam Spiritus sancti: quae inspiciendo approbas et approbando inspicis sapientiam fidelium, qua Deus cognoscitur, C qui s[cilicet][20] est optima positio Mariae. Directo radio a te ad nos, nos ad te elevando rege, ut perveniamus ad te per contemplationem, qui est summus vertex sanctarum Scripturarum, nos quidem superignotus, in te autem supersplendens, in quo, scilicet summo altissimo vertice, sententiae sacrae Scripturae profundissime sunt clausae et absconditae, et sicut in arce simplicissima coartatae, et a verborum velaminibus absolutae. Unde quomodo sunt simplices, sunt et inconvertibiles, et tantum uno modo intelligibiles. Sunt autem et in isto vertice coopertae istae sententiae secundum lucem, quae habet excessum luminis, et ideo sortitur nomen caliginis, cujus splendor occultus est verbum aeternum, quod D Pater ab aeterno inaudibiliter loquitur. Quod quidem in illa summa invisibilitate Deum, qui est superclarissimus, facit desuper radiantem, et in isto statu verbi nec ratio investigando palpat, nec intelligentia[21] contemplando considerat, radiis aeternaliter simplicibus et effectualiter multiplicibus superfundit caelestes mentes, quae[22] sibi totae sunt oculus, vel quae non utuntur materialibus sensibus; et ista

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., cod. *errant.* [2] Conj., cod. *et literatos respiciunt.* [3] Cod. *Jeronimus.* [4] Cod. *ariophagitam.* [5] Conj., cod. *celeb'.* [6] Cod. *s.* [7] Cod. *catalogia.* [8] Conj., cod. *m̄.* [9] Conj., cod. *consid'. atica. nūtʳ.* [10] Cod. *habitu.* [11] Corr., cod. *in ria.* [12] Conj., cor. *dicant.* [13] Conj., cod. *luminare.* [14] Cod. *m̄talium.* [14*] Sic cod. [15] Cod. *super dea.* [16] Cod. *super iqnotum et super splendentem.* [17] Corr. cod. *doca.* [18] Cod. *super clarissimum super splendere.* [19] Cor., cod. *fuit.* [20] Cod. *s.* [21] Conj., cod. *intellign̄.* [22] Corr., cod. *qui.*

s[cilicet] [1] per modum creationis a Deo postulo, quoniam non aliter intelliguntur, nisi per creationem a Deo impetretur. Et nunc quare vertex divinorum secretorum dicitur superignotus, supersplendens, et summus?

Superignotus dicitur, quia ad ipsum ratio deficit per investigationem; supersplendens dicitur, quia ad ipsum intellectus deficit per supereffluentem [2] luminis effusionem; summus dicitur, quia ad ipsum intelligentia [3] deficit per excedentem affectionis unitionem. Ibi sententiae sacrae Scripturae sunt simplices, quia, sicut videntur, intelliguntur; sunt absolutae, quia nullis eloquiorum velaminibus detinentur; et inconvertibiles, quia ad hunc vel illum intellectum non reducuntur; sunt coopertae, quia superlucenti lumine obteguntur. Quod lumen dicitur a beato Dionysio [4] supersplendens occulte dicti silentii caligo. Haec est incomprehensibilitas, quae dicitur caligo propter luminis excessionem; dicti et dicitur propter verbum aeternum, quod Pater ab aeterno loquitur; dicitur etiam occulte supersplendens, propter intimam, vel in intimo statum [5], luminis supereffusionem; dicitur silentii, propterea [5*] quod generatio talis verbi ab intellectuali auditu non percipitur; unde quia auditui intellectuali [6] non est perceptibilis, ideo a verbo oris non est enarrabilis. Unde videlicet: « generationem ejus quis enarrabit »? Quasi diceret: Nullus. Et in illo statu obscurissimo per excessum luminis Deus, qui est clarissimus per naturam, fit menti supersplendens per radiorum abundantiam. Ibi ratio nihil palpat, quia nihil est ibi investigabile; ibi intellectus nihil videt, quia nihil est ibi contemplabile, et tamen pulchris [7] lucibus divinae refulgentiae superimplentur, per se ipsas et alia a se ipsis videntes humanae et angelicae deificatae intelligentiae.

TEXTUS.

Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti contentione et sensus derelinque, et intellectuales operationes [8], *et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia existentia* [9]; *et sicut est possibile, ignote consurge* [10] *ad ejus unitionem* [11], *qui est super omnem substantiam et cognitionem. Etenim excessu tui* [12] *ipsius et omnium irretentibili et absoluto, munde ad supersubstantialem radium, cuncta auferens, et a cunctis absolutus, sursum ageris* [13].

GLOSSA.

Talis est sensus. Tu, Timothee, qui per verum amorem alter ego mihi factus es, ut possis intelligere

A secretas contemplationes, de quibus te cupio me instruere, sic cooperante divino radio, et [14] forti mentis conanime derelinquas usus sensuum corporalium, cum sensibilibus exercitiis, et intellectuales operationes, et animas et angelicas substantias, et omnia, quae de verbo aeterno inesse prodiderint, et omnia, quae, s[cilicet] [15] in ipso verbo, sunt contemplabilia; et sunt omnia transeunda; et, sicut tua requirit possibilitas, scienterve scitur [16], quo non videt [17] oculus, consurge [18] per principalem affectionem ad Dei unitionem, qui est super omnem substantiam ineffabiliter collocatus, et super omnem cognitionem tam humanam, quam angelicam incomprehensibiliter collocatus. Etenim cum te ipsum et omnia alia mundus excesseris [19], ita quod illorum
B amore non valeas retineri, vel alias impediri, purgatus ab ultimis animae phantasiis [20] tam spirituales quam divinas operationes postponendo elevaberis ad superclarissimum lumen occultissimae Deitatis, quae videlicet dicitur tenebrae, quia supervidetur, quod non videtur, vel quod superintelligitur, quod a nobis non comprehenditur.

TEXTUS.

§ 2. *Vide autem, ut nullus indoctorum ista audiat; istos* [21] *autem dico, qui in existentibus sunt formati, nihil super existentia supersubstantialiter esse opinantes, sed putantes scire* [22], *quae secundum ipsos est cognitione eum, qui ponit tenebras ad latibulum suum. Si autem super istos sunt divinae doctrinae mysterio-*
C *rum, quid dicat quidem aliquis de magis indoctis, quicunque omnibus superpositam causam et ex postremis in existentibus figurant, et nihil ipsam habere dicunt super compositas ab ipsis impias et multiformes formationes.*

GLOSSA.

Talis sensus est. Cave, ne aliquis incredulorum vel inexpertorum ista secreta audiat; istos autem dico, qui naturalibus rationibus amore existentium innituntur [22*], firmiter existimantes, quod nihil sit super ens, quod dicitur substantivum metaphorice [23], tam creata, quam increata continens, juxta suam opinionem. Et hoc habes ex illo verbo, quod dicitur in Exodo: « Ego sum qui sum ». Sed hoc dictum est, ut in primo intellectu se offert nobis,
D quasi quoddam [24] memoriale, ut se computaret nobiscum habere, qui erat totaliter sum, esse. Et qui tales putant per investigationem creaturarum, quae in eis generalis [25] est, pervenire ad ejus cognitionem vel divinam comprehensionem, quae super supplicationem suam omni cognitioni occultarum scien-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *s.* [2] Conj., cod. *deficicit et super effluentem.* [3] Conj., cod. *intelligii.* [4] Cod. *dyosiisio.* [5] Sic cod. [5*] Conj., cod *propter.* [6] Conj., cod. *int'ta.* [7] Cod. *pulchribus.* [8] Corr., cod. *oppositiones* (graece ἐνεργείας). [9] Sic cod., in textu graeco καὶ πάντα οὐκ ὄντα καὶ ὄντα, in versione *et omne non ens et ens.* [10] Cod. *consurg'e.* [11] Corr., cod. *unitacionem.* [12] Corr., cod. *cur.* [13] Corr., cod. *absolutis sursum agens.* [14] Cod. *ut.* [15] Cod. *s.* [16] Conj., cod. *scienter uestir.* [17] Conj., cor. *uidut.* [18] Cod. *consurg'e.* [19] Corr., cod. *mentis excessus.* [20] Cod. *fantasiis.* [21] Cod. *istis.* [22] Cod. *scare.* [22*] Cod. *amori existentium et nituntur.* [23] Cod. *metaforice.* [24] Conj., cod. *q. quodam.* [25] Cod. *generalis* vel *connaturalis.*

tiarum tantorum philosophorum [1] excedunt, quantum magis excedit imperitiam eorum, qui Deum, qui est superposita omnium causa, in [2] extremis materiis existentium [3] figurant, quae inferiora sunt animatis, nec insuper putant, quod Deus in se aliquid habeat sublimius, quam figurae et formae multiplices, quae ab ipsis impie componuntur.

TEXTUS.

Oportet autem enim in ipsa et omnes existentium ponere et affirmare positiones, sicut omnium causa, et omnes magis ipsas proprie negare, sicut super omnia superexistente, et non negationes oppositas opinari esse affirmationibus, sed multo prius ipsam super privationes et quae est super omnem ablationem et positionem.

§ 3. *Ita igitur divinus Bartholomaeus dicit, et multam theologiam* [esse] [4] *et minimam, et Evangelium latum, et magnum, et rursus concisum: ut mihi videtur, illud supernaturaliter intelligens* [5], *quia et multorum sermonum est bona omnium causa, et brevium dictionum similiter, et rationabilis, sicut neque rationem habens, neque intellectum, propter quod ipsa omnibus supersubstantialiter est superposita, et solum non velate* [6] *et vere apparet his, qui immunda et munda* [7] *transeunt, et omnem omnium sanctorum extremitatum ascensum superveniunt, et omnia* [8] *divina lumina et sonos et sermones caelestes derelinquunt, et ad caliginem introeunt, ubi vere est, sicut eloquia dicunt, qui est super omnia.*

GLOSSA [9].

Sensus est: Quamvis illi ista senserunt, tamen necesse est secundum rectam intelligentiam, omnem formam vel figuram vel substantiam, et omnem omnino creaturam non tanquam subjecto, sed sicut omnium causae, ipsi attribuere, et magis proprie et veraciter ab ea removere, sicut rei, cui nihil existentium inhaerere potest, secundum quod Deus. Et quamvis existentia Deo attribuantur, vel ab eo removeantur, non tamen credendum est, quod inter talem affirmationem vel negationem cadat aliqua [10] contrarietas: imo oportet sentire, ipsam causam omnium superiorem esse omni negatione [11] et affirmatione [12]. Unde de ea non potest esse aliqua positio, vel ablatio, sive affirmatio vel negatio. Et juxta hanc considerationem Bartholomaeus Deo conformis scribit, theologiam [13] prolixam esse in verbis, et coartatam in sensibus, et Evangelium latum in parabolis, et magnum in historiis, et rursum artum et parvum in mysteriis. Per hoc autem dico, beatum Bartholomaeum divina sapientia plenum, supermundanum intellectum habuisse, videlicet quod ipse Deus, qui est bonorum omnium causa, multis sermonibus designatur, et item paucissimis, ideo [14] quia nec ratione capitur, nec intellectu comprehenditur, et ideo verbo [15] non exprimitur, quia omnibus supersubstantialiter superponitur. Illis autem solis sine velamine apertus, scilicet per infusam dulcedinem et suavitatem inpermixtam [16], qui omnia sensibilia et intelligibilia objectorum sive spectaculorum, in quibus scilicet intellectualis contemplationis exercitium consumatur [17], et omnino irradiationes ad intellectum pertinentes, et inspirationes ambiguas, et revelationes aeternas derelinquunt, et introeunt per unitionem ad superintellectualem Dei incomprehensibilitatem, ubi in propria forma secundum Scripturae testimonium est Deus super unum et unitatem, et super ens et entitatem; dicitur enim in Exodo, quod Moyses ascendit in caliginem, in quo erat Deus.

TEXTUS.

Etenim non simpliciter divinus Moyses mundari et ipse primus praecipitur, et rursus a [18] *non talibus segregari, et post omnem mundationem audit multarum vocum buccinas, et videt lumina multa cum fulgure emittentia* [19] *mundos et multum effulsos radios. Postea a multis segregatur et cum electis sacerdotibus summitatem divinarum ascensionum pertingit; quamvis per hoc quidem non sit cum Deo, sed contemplatur non ipsum, invisibilis est enim, sed locum ubi est.*

GLOSSA.

Sensus talis est. Ita, quae supra diximus de transcensu divinorum luminum et sonorum et sermonum, et intuitu in caliginem, in ipso Moyse typice sunt ostensa, quod non solum in se ipso mundari jubetur, ut Deum prae ceteris altius contempletur, sed et ab immundis vel dissimilibus separari. Et post omnem purgationem sensuum a sensibilibus, et intellectus a phantasmatibus, audit sive mente percipit multarum intelligentiarum inspirationes, et contemplatur multa spectacula luculentissima, desuper abundanti plenitudine emanantia cum candore radios, in substantia simplices, et intelligentia multiplices. Tandem segregatus a multitudine populari, id est, multifaria opinione materiali [20] cum principalibus affectionibus, ascendit ad Deum videndum. Ejus tamen substantiam non videt, cum sit invisibilis, sed locum, ubi Deus est, sive ipse locus sit caelum serenum, sive apex lapidis sapphiri, sive ignis ardens, sive cacumina [21] montis.

TEXTUS.

Hoc autem puto significare divinissima visorum et intellectorum, esse subjectas quasdam rationes subjectorum omnia excedenti, per quae praesentia ejus, quae est super omnem cogitationem, manifestatur

VARIAE LECTIONES.

[1] Conj., cod. *ph'iorum.* [2] Conj., pro *causa in* cod. *tam.* [3] Conj., cod. *t iīcium.* [4] *esse* om. cod., add. ex vers. et text. gr. [5] Corr., cod. *intendens.* [6] Corr., cod. *non solum non velate.* [7] Corr., cod. qui *in menda et menda.* [8] Cor. *ad* omnia. [9] *Glossa* om., add. ex conj. [10] Cod. *aliq.* [11] Corr., pro *omni negationi* cod. *cum negociacioni.* [12] Cod. *affirmacioni.* [13] Cod. *catologiam.* [14] Pro *ideo* cod. *in eo.* [15] Cod. *et id verbum.* [16] Cod. *in per mixtam.* [17] Corr., cod. *intellectuales contemplationes exercitium consumatur.* [18] Corr., cod. *et.* [19] Corr., cod. *emittentis.* [20] Corr., cod. *mtali.* [21] Corr., cod. *cacuminis.*

intelligibilibus summitatibus sanctissimorum locorum ejus superveniens; tunc et ab ipsis solvitur visis et videntibus, et ad caliginem ignorantiae intrat, quae caligo vere est mystica, in qua claudit omnes cognitiones [1], *et in impalpabili omnino et invisibili fit, omnis existens ejus, qui est super omnia, et nullius, neque sui ipsius, neque alterius, omnino autem ignoto vacatione omnis cognitionis secundum* [2] *melius unitus, et eo, quod nihil cognoscit, super mentem cognoscens.*

GLOSSA.

Talis est sensus. Dictum est, Deum non videri, sed locum, ubi est, id est in creaturis quibusdam, quae dicuntur et divinissima subjecta visorum et intellectorum, vel divinissima loca, quia nihil divinius mente intuemur. Quibus arbitror designari summas et aeternas architipias sive rationes, sive exemplaria omnium creaturarum Deo subjectarum, per quas Deus fit praesens, et cognitive nobis manifestat se ipsum, nobis de spiritu infundens et manifestans principaliores et superiores intelligentias eorundem rationum, quae utcunque [3] nobis sunt intelligibiles per speculum [4]. Postea Moyses separatur ab his, qui secum locum Dei viderant, id est, ab omnibus intellectibilibus opinionibus, et subtrahitur ab omni intelligentia et visu mentali, et intrat ad caliginem ignorantiae, quia unitur incomprehensibilitati divinae, qui apex intelligentiae non penetratur, quae caligo vere est mystica, id est, clausa, quia vere est omnis cognitionis clausura, et in se claudit secretissima, celat omnes comprehensivas cognitiones, sicut in prima omnium causa, et per hanc caliginem omnis animus unitur Deo, id est, super omnia fit in statu excellentissimo, quem nec ratio palpat per investigationem, nec intellectus contemplatur per visionem, per quem et statum ab omnibus aliis, et a se ipso separatur, quantum ad intellectualem propriae cognitionis praesentiam, et per unionem dilectionis, quae est effectiva conversae cognitionis, unitur Deo intellectualiter, Deo ignoto [5], cognitione, quae multo melior est, quam sit cognitio intellectualis, et in eo, quod intellectualem cognitionem derelinquit, sive intellectum, et mentem Domini cognoscit, id est, per sapientiam intellectualem, quae super donum intellectus. Illa enim Deum agnoscit propter unitionem, haec vero per rationes Verbi. *Explicit primum Capitulum.*

CAPITULUM II.

Quomodo oportet uniri et hymnos referre omnium causae et super omnia.

TEXTUS.

§ 1. *In hac superlucenti caligine nos fieri precamur, et per non videre et ignorare videre et cognoscere eum, qui est super omnem visionem et cognitionem; in ipso non videre et non cognoscere est* [6] *supersubstantialem supersubstantialiter laudare per omnium existentium ablationem, sicut ipsius naturae insigne facientes, auferentes prohibitiones officientes* [7] *mundae occulti* [8] *visioni, et ipsam in se ipsa ablatione sola occultam manifestantes pulchritudinem.*

EXPOSITIO TITULI.

Quomodo oportet uniri. Status unitionis non potest aliter obtineri, nisi per ferventissimum desiderium mentalis orationis, et per virtutem supermentalis affectionis, ad quam non attingit oculus intellectualis cognitionis; unde talis cognitio dicitur fieri per ignorantiam. Proprius autem hymnus sive modus Deum laudandi est per negationem, sive per remotionem, sicut est videre in figura linea, a qua tanto magis videtur pulchritudo figurae.

Modus [9] vero hujus laudis et in opere [10] ab inferioribus ad superiora ascendendo.

TEXTUS.

In hac superlucenti etc.

GLOSSA.

Sensus talis est. Toto mentis affectu optamus nos fieri in caligine superlucenti, id est, in statu [super] intellectuali [11], quia lucidior est [12], quam intellectualis, ut per mentis excessum, [quod] [13] intellectus non videt, nec aliquo modo cognoscit, possimus [14] Deum cognoscere et videre superintellectualiter, per remotionem videlicet intellectualis cognitionis, cum ipse Deus visu intellectuali nullatenus attingatur. Etiam precamur [15], nos laudare posse supersubstantialem supersubstantialiter, id est, Deum, qui excedit omnem substantiam et omne ens, per ablationem omnium existentium, sicut est videre in artificibus, qui aliquam fabricant similitudinem de aliqua inanimata materia, qui sculpendo et incidendo removent exteriores partes materiae grossiores, qui occultant et cooperiunt, ne videri possit illa pura imago, quae naturaliter et potentialiter [16] est interius, et per solam talium offendiculorum remotionem sine alio additamento manifestatur in propria specie ipsius imaginis pulchritudo, quae prius latebat in occulto.

TEXTUS.

Oportet autem, sicut arbitror, ablationes laudari contrario, quam positiones. Etenim illas a primis incipientes, per media ad ultima [descendentes, hic autem ab ultimis] [17] *ad principaliora ascensum facientes per media rursus ad extrema omnia auferimus, ut revelate cognoscamus illam ignorantiam ab omnibus noscibilibus in omnibus existentium circumvelatam, et supersubstantialem illam videamus caliginem ab omni lumine in existentibus* [18] *occultam.*

VARIAE LECTIONES.

[1] Conj., vox in cod. tam corrupta, ut legi nequeat. [2] Pro *secundum* cod. *sed.* [3] Cod. *ut*ᵐ*q.* [4] Cod. *specturum.* Locus in cod. corruptissimus est. [5] Conj., cod. *ignota.* [6] Corr., cod. *et.* [7] Conj., cod. *afficientes.* [8] Corr., cod. *occulte.* [9] Cod. *modica.* [10] Sic cod., fort. leg. et in *hoc* opere. [11] Conj., cod. *intellectuali*; *super* add. ex conj. [12] Corr., cod. *et.* [13] *quod* om. cod., add. ex conj. [14] Corr., cod. *possumus.* [15] Conj., cod. *privamur.* [16] Corr., cod. *potentionaliter.* [17] descendentes — ultimis om. cod., add. ex conj. [18] Conj., pro *in existentibus* cod. *exeuntibus.*

GLOSSA.

In praemissis libris Deum laudare per affirmationem, in isto autem oportet laudare per negationes et omnium ablationes, quod [1] contrario illis [2]. Ibi enim inchoantes ab affirmatione vel positione principaliorum per media ad ultima descensum faciebamus. Hic autem ab ultimorum ablatione incipientes, usque ad ablationem principaliorum gradatim per media ascendimus, et iterum ad extrema reflexim omnia ab eo pariter auferimus, quod jam facimus, ut sine velo mysticae significationis cognoscamus divinam incomprehensibilitatem, quae excedit omne ens, quae vere occulta est ab omni scientia in omnibus creaturis.

CAPITULUM III. [3]

Quae sunt cataphaticae, id est, affirmativae theologiae; et quae sunt apophaticae [4], *id est, negativae.*

TEXTUS. [5]

In [6] *theologicis quidem ypotifosibus* [7] *maxime propria* [8] *affirmativae theologiae laudavimus* [9], *quomodo divina et bona natura singularis dicitur, quomodo trina, quae secundum ipsum dicta paternitas et filiatio, quid vult monstrare Spiritus theologia, quomodo ex immateriali et simplici bono in corde manentia bonitatis pullulaverunt lumina, et quomodo mansione* [10] *in ipso et in se ipsis et in se invicem coaeterna pullulationi permanserunt ingressibilia, quomodo supersubstantialis Jesus, humanae naturae virtutibus substantia factus, et quaecunque alia ab eloquiis expressa in theologicis ypotifosibus laudantur* [11]. *In libro autem de divinis nominibus, quomodo bonus nominatur, quomodo existens, quomodo vita* [12], *et quomodo sapientia, et virtus, et quaecunque alia intelligibilis sunt Dei nominationis* [13]. *In symbolica autem theologia, quae sunt a sensibus ad divina transnominationes* [13'], *quae sunt divinae formae, et partes, instrumentaque, divina loca, et qui ornatus, et qui furores, et quae tristitia, et quae insaniae* [14], *et quae ebrietates, et crapulae, et quae juramenta, et maledictiones, qui sompni, et quae vigilationes, et quaecunque aliae sunt sanctae compositae formationes symbolicae Dei formationis* [15].

TITULUS HUJUS CAPITULI.

Sensus talis est. *Quae sunt cataphaticae* [16]. In tribus voluminibus egit beatus Dionysius de cataphatica, id est, affirmativa theologia: in libro de ypotifosibus, in quo egit de distinctionibus personarum; in secundo de divinis nominibus; in tertio de vocabulorum insuppositionibus [17] ad divina designanda; in quarto, id est, mystica theologia specialiter agit de apophatica, id est negativa, quae scilicet omnia a Deo removet, tam inferiora, quam media, quam superiora, ut videlicet per remotionem naturalem a Deo ipsum Deum tandem inveniat singularem.

TEXTUS.

Igitur in theologicis etc., ut s[upra].

GLOSSA

Talis est sensus: In tractatu de divinis characteribus, id est personalibus distinctionibus, maxime affirmationibus usi sumus, sive positionibus in divinis laudibus, ubi ostendimus, quod divina natura singularis est in essentia, et trina in personis, et qualiter intelligenda est paternitas et filiatio, et [quid] significet proprietas, quam sacra Scriptura attribuit Spiritui sancto, id est processio juxta illud: « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit ». Item quomodo plenitudo invisibilium, quae infixe [17'] manent in corde Patris, pullulat ex immateriali et simplici bono, id est persona Patris; a qua procedit persona Filii per generationem, et persona Spiritus sancti per processionem, quorum uterque a Patre accepit eandem plenitudinem, et per hoc Filius et Spiritus sanctus manent in Patre, et in se ipsis, et omnes tres in se invicem, et ipsa luminum plenitudo in Filio et Spiritu sancto permanet coaeterno Patri, a quo uterque eorum originem habet, qui tamen nihilominus totus [18] manet in Patre. In eodem etiam libro tractavimus, quomodo Jesus, qui est supersubstantialis secundum deitatem, factus est homo secundum veram humanitatem, et alia multa tractavimus juxta expressa Scripturae testimonia. In libro autem de divinis nominibus tractavimus, quomodo Deus dicitur bonus, quomodo existens, quomodo vita [19] et sapientia, et de aliis intelligibilibus Dei nominationibus. In symbolica autem theologia tractavimus transpositiones vocabulorum sensibilium ad designanda anagogice [20] invisibilia divina, monstrando scilicet, quomodo accipiendum sit, quod Deo attribuuntur formae, ut illud « qui cum in forma Dei esset », figurae, ut illud Osee: « Quasi leaena », aut partes, ut illud Ezechiel: « Benedicta gloria Domini de loco sancto suo »; aut ornatus, ut illud: « Vestitus pondere », aut furores, ut illud: « Domine, ne in furore », aut tristitiae, ut id: « Tristis est anima mea », aut insaniae, ut id Oseae: « Scito te Israel stultum, prophanum, insanum ». Nec [21] solum de istis tractavimus, sed et de aliis compositis formationibus, Deo attributis, in libro de symbolica theologia.

TEXTUS.

Et te arbitror conspexisse, quomodo plurium sermonum sunt ultima, quam prima. Etenim oportebat theologicos ypotifoses, et divinorum nominum reserationem paucorum sermonum esse [22], *quam symbolicam theologiam, quoniam, quantum ad superius respicimus, tantum* [23] *sermones conspectibus intelligibilium con-*

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *q.* [2] Conj., pro *illis* cod. *m'.* [3] *Capitulum* III om. cod. [4] Cod. *catafatice, apofatice,* sic semper. [5] Cod. *Textus p°.* [6] Cod. *Ig.* (igitur?). [7] Cod. pro ὑποτυπώσεσι. [8] Corr., cod. *proprie.* [9] Cod. *laudamus.* [10] Cod. *mansiones.* [11] Corr., cod. *laudant.* [12] Corr., cod. *lata.* [13] Sic cod. [13'] Conj., cod. *ad divina Dei nominacionis.* [14] Conj., cod. *infamido*; text. graec. μήνιδες, vers. *maniae.* [15] Corr., cod. *formationis.* [16] Cod. *cathefatice.* [17] Cod. *isupcoibz.* [17'] Sic cod. [18] Corr., cod. *tota.* [19] Corr., cod. *orta.* [20] Cod. *ad designandam analagogice.* [21] Corr., cod. *ne.* [22] Pro *esse* cod. *et.* [23] Cod. *tm̄ s'm*, hoc est, *tamen secundum.*

turbantur, quemadmodum et nunc ad caliginem, quae est super mentem [1], *introeuntes, non sermonum brevitatem, sed irrationabilitatem perfectam et imprudentiam* [2] *inveniemus* [3]. *Et ibi quidem a superiori ad extrema descendens sermo secundum quantitatem descensus ad portionalem dilatabatur multitudinem; nunc autem ab inferioribus ad supremum ascendens secundum mensuram ascensionis contrahitur, et post omnem ascensionem totus sine voce erit, et totus unietur* [4] *ineffabili. Dicis autem, quare totaliter primo ponentes* [5] *divinas positiones, ab ultimis inchoamus divinam ablationem? Quoniam quod est super omnem positionem ponentes, a magis ipsi cognato suppositivam affirmationem oportebat ponere; illud autem, quod est super omnem ablationem* [6], *auferentes a magis distantibus ab ipso auferre. Aut non magis vita et bonitas, quam aer et lapis, non est crapula et non est insania, quam non dicitur et non intelligitur?*

A B

GLOSSA.

Sensus talis est : Ego puto, quod tu, Timothee, oculis mentis perspexeris, quod tractatus nostri ultimi plus abundant in verbis, quam primi. Erat enim necesse, quod liber de divinis characteribus, vel personalibus distinctionibus, [et] [7] de divinis nominibus minus sunt [8] in verbis prolixiores, quam fuerint symbolicae theologiae tractatus. Et ratio ista est, quoniam, quanto materia, de qua agitur, est altior et a sensu remotior, aut ab imaginatione longinquior, tanto minus est utendum verbis sensibilibus, et magis exercendus est oculus intellectualis, C propter quod in praesenti libro, ubi fit mentio de divina caligine, id est de incomprehensibilitate, quae excedit omnem mentem tam angelicam, quam humanam, vel quae est super verbi intellectum vocalem [9], non solum invenimus verborum brevitatem, sed perfectum incomparabilem excessum rationis ad investigandum, et prudentiae ad digne loquendum. In praedictis etiam libris tractatus a superioribus ad inferiores descendens, secundum majorem vel minorem prolixitatem et, quanto tractabamus inferiora, et sensibus propinquiora, tanto magis abundat verborum copia proportionali; eodem sensu..... [10] autem tractatus ab inferioribus ad superiora conscendens secundum mensuram ascensionis contrahitur, id est coartatur. Cum autem ad D mentis excessum perventum fuit, tunc deficit omnis sermo tam oris quam mentis, quia verus sermo mentis ineffabilem Deum non loquitur, nec restat menti, nisi ut tota et totaliter [11] ineffabili couniatur. Cum enim inter Deum et mentem nihil sit medium, postquam facta est a Deo omnium remotio, non restat nisi ad ipsum supermentalis unitio.

Quaeris [12] autem fortassis, quae sit ratio, quare positiones incipimus a dignioribus, et ablationes ab inferioribus. Cujus rei ratio talis est : quia, quando volumus per positionem Deum, qui est super omnem positionem, designare, convenit, ut ipsa digniora et magis ei propinqua principalius attribuamus eidem; quando vero volumus ipsum designare per ablationem, pariter [13] convenit, illud ab eo auferre, quod magis ab ipso distare videtur. Verbi gratia, congruentius et propinquius attribuitur et vita et bonitas, quam aer vel lapis. Similiter ab eo evidentius removetur crapula vel insania, quam dicitur vel intelligitur.

CAPITULUM IV.

Quod nihil est sensibilium omnis sensibilis per excellentiam causalis.

EXPOSITIO TITULI.

Deus, qui est causa causalissima omnium, merito dicitur nihil esse sensibilium, sive activum sit, sive passivum. Et ideo beatus Dionysius, ostendere volens excellentiam hujus causae, quaevis ab eo removet remotiora, ut est non substantia, tum ut non ens, non vivens, ut lapis, non rationale, ut pecus. Et nominantur hic tres gradus inferiores creaturae, quos removet, videlicet eorum quae sunt, et vivunt, et non sentiunt; item eorum [14], quae vivunt, sed non rationantur, nec intelligunt; postremo removet omnia, quae possunt corpori vel sensibus subjacere.

TEXTUS.

Dicimus ergo, quod omnium causa, et super [15] *omnia existens, nec sine substantia est, nec sine vita, nec sine ratione, nec sine mente, nec corpus est, nec figura, nec formam, nec qualitatem, nec quantitatem, aut pondus habet, neque in loco est, nec videtur, nec tactum sensibilem habet, nec sentitur, nec sensibile est, nec inordinationem habet, neque turbationibus a passionibus materialibus perturbata, neque impotens est, sensibilibus subjecta casibus, nec indiga* [16] *est luminis, nec variationem, nec corruptionem, aut divisionem, aut privationem, aut passionem, aut fluxum, aut aliquid aliud sensibilium nec habet nec est.*

GLOSSA.

Sensus talis est. Asserimus quod Deus, qui creavit omnia, est aliquid materialiter substantiatum, sive nec vivens, nec ratione utens, nec mente eminens [17]. Ait autem, omnia [18] a se invicem [19] sunt remota et a Deo, quia non ens remotius est a Deo, quam ea, quae sunt et vivunt, nec rationantur, intel-

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., cod. *montem*. [2] Corr., cod. *prudentiam*. [3] Corr., cod. *veniemus*. [4] Corr., cod. *unitur*. [5] Corr., cod. *potentes*. [6] Corr., cod. *oblacionem*. [7] *et* om. cod. [8] Pro *sunt* cod. *et ut*. [9] Conj., cod. super verbi *intellectualem*. Mavis forte simpliciter *intellectum*. [10] Una vox deest. [11] Corr., cod. *totali*. [12] Corr. *qrta*. [13] Conj., cod. pº, forte pro pʳ. [14] Cod. *item verborum*. [15] *super* om. cod., add. ex conj. [16] Corr., cod. *indigna*. [17] Locus corruptus esse videtur. [18] Cod. *omnis*. [19] Pro *invicem* cod. *etiam vicem*.

ligunt. Dein removemus ab eo omne corporeum, et omnia corpori vel rei corporeae accidentia, ut est figura, forma, qualitas, quantitas, pondus, localitas, sensuum proprietas tam activa quam passiva. Similiter ab eo removemus inordinationem a carnalibus concupiscentiis provenientem, et completionem carnalis desiderii [1] a materialibus passionibus perturbatam vel turbidam factam. Item removemus ab eo impotentiam vel invaletudinem subjectam casibus sensibilibus. Item removemus ab eo luminis indigentiam, et variationem, vel generationem, vel corruptionem, et divisionem, cum non sit ex diversis compositum. Similiter passibilitatem materialem ab eo auferimus, et fluxum temporalem, cum non sit aliquid eorum, aut in se habeat, nec sit aliquid sensibilium.

CAPITULUM V [a].

Quod nihil est intelligibilium omnis intelligibilis per excellentiam causalis [2].

EXPOSITIO TITULI.

Sicut enim a causa causabilissima removentur sensibilia, cum ipsa non sit sensibilis, nec intelligibilis, ejusque dignitatis sit illud sensibile vel intelligibile, quod illi causae sit attribuibile, hanc inter creaturam et Creatorem distantiam non est dubium operari sine medio causae excellentiam: quae sicut in se est ineffabilis, ita nulli a se causato est comparabilis. Unde quando nulla ei potest esse [3] comparatio congrua, ibi cadit causa in sensibus remotionem.[4]

TEXTUS.

Rursus autem ascendentes dicimus, quod neque anima est, nec mens, nec phantasiam, nec opinionem, aut rationem, aut intellectum habet, nec ratio est, nec intellectus, nec dicitur, nec intelligitur, nec numerus est, nec ordo, nec magnitudo, nec parvitas, nec aequalitas, nec similitudo, nec dissimilitudo, nec stat, nec movetur, neque silentium agit, nec virtutem habet, nec virtus est, nec lumen, nec vivit, neque vita est, nec substantia est, nec aevum, neque tempus, nec tactus ejus intelligibilis, nec scientia, nec veritas, nec regnum, neque sapientia, nec unum, nec unitas, nec deitas, aut bonitas, nec spiritus est, sicut nos videmus, nec filiatio, nec paternitas, nec aliud aliquid cognitum a nobis, aut ab alio quodam existentium, nec aliquid est existentium, neque aliquid est essentium, nec existentia ipsum cognoscunt esse secundum quod ipsa est, nec cognoscit ea, quae sunt existentia, secundum quod existentia sunt, nec ratio ipsius est, nec nomen, nec cognitio, nec tenebrae, nec lumen, nec error, nec veritas, nec universalis ipsius [5] positio, nec ablatio, sed eorum, quae sunt praeter ipsam, positiones et ablationes facientes ipsam, nec ponimus, nec auferimus, quoniam et super omnem ablationem est perfectiva et unita et unitiva omnium causa, et super omnem ablationem est excessus ab omnibus simpliciter absoluti et supra totum.

GLOSSA.

Sensus talis est: Inchoantes denuo negationes ab altioribus divinis, dicimus, quod Deus, qui est causa omnium, nec anima est, quia corpus non vivificat, nec mens, quia non supereminet animae, ut superior pars animae, nec phantasiam habet, divina vel spiritualia imaginando, nec opiniones in diversas sententias diversimode declinando, nec rationem inter dubia discernendo, nec intellectum habet citra [6] solum causam tanta visibilia insistendo, nec est ratio inter bonum et malum discernens, nec intellectus circa visibilia creata insistens, nec dicitur, quia non est effabilis, nec intelligitur, quia a nullo est comprehensibilis. Ut autem decurramus per media ad extrema, rursus dicimus, quod neque numerus est, quia non est ad paria vel in paria proportionabilis, nec magnitudo, quia non est augmentabilis, nec parvitas, quia non est minorabilis, nec aequalitas, quia non est comportionabilis, nec similitudo, quia nulli rei comparabilis, nec dissimilitudo, quia a nullo est discrepabilis, nec stat, quia non est res immobilis, nec movetur, quia non est volubilis, nec silentium agit, quia non est verbo mentali vel vocali reprehensibilis. Ut autem ad summa per quaedam media revertamur, et in summis creaturis negationes terminemus, dicimus, quod nec veritatem habet, quasi ab alio solidetur [7], nec vera est, quasi ab alio mutuetur, nec vivit, ut ab alio sensificetur, nec vita est ad regendum adque corpus accomodatum, nec substantia est materialiter substantiatus, nec aevum, quia non est spatium modo variabile, nec tempus, quia non est spatium variabile, mutabile. Nec est tactus, quia secundum essentiam non est aliqualiter tangibile, nec est scientia, quia non est cognoscibilis, nec veritas, quia non est intellectum aequalis [8], nec regnum, quia non est dominabilis, nec sapientia, quia non est sustentabilis, nec unum, quia non est in plura augmentabilis, nec unitas, quia non est materialiter indivisibilis, nec est deitas a nobis intelligibilis, neque bonitas, quia non est qualitas infusibilis, nec spiritus a nobis intelligibilis, nec filiatio ab altero subsistentia [9] materialiter producabilis, nec est aliquid cognitum a nobis plene, vel ab aliquo existente, seu homine, vel angelo, nec est aliquid non existentium intellectualiter, vel aliquid existentium materialiter, nec existentia ipsum cognoscunt secundum quod ipse est, nec ipse cognoscit ea secundum quod ipsa existunt in se ipsis, sed secundum quod sunt in verbo. Item nec est ipsius rationalis investigatio, neque nominis impositio, nec cognitionis reprehen-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *desideriis.* [2] Cod. *causualis.* [3] Cod. *et.* [4] Cod. remoco (sic!) [5] Corr., cod. *ipsi.* [6] Cod. *et solum.* [7] Conj., cod. *solidet.* [8] Sic legendum esse videtur; cod. *eq̃l.* [9] Cod. *subsistentis.*

NOTAE.

[a] *Capitulum V* om. cod.

sio, nec est tenebrae a lumine deficientes, nec est lumen intelligibile, nec est error, quo animus decipiatur nec veritas, qua [1] sua industria animus illuminatur [2]. et omnino nulla est ejus positio vel ablatio. Sed tamen quaecunque alia de ipso ponimus, vel ab A ipso auferimus, ipsum tamen nunquam ponimus vel auferimus, quoniam super positionem est perfecta omnium causa, et super ablationem est excessus ejus ab omnibus et super omnia absolutus. *Explicit opus multum utile, et obscurum valde.*

VARIAE LECTIONES

[1] Sic cod. [2] Conj., cod. *insb'atur*.

JOANNIS SCOTI
HOMILIA
IN PROLOGUM S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

(CAP. I, 1—14.)

Ex cod. ms. bibliothecae Alenconiensis primus edidit M. Felix Ravaisson, *Rapports sur les bibliothèques des départements de l'Ouest. Paris*, 1841, pag. 354 sq.; denuo excudit M. Saint-René Taillandier, *Scot Erigène et la philosophie scholastique*, Strasb., 1843, pag. 299 sqq.

Omelia Joannis Scoti translatoris Ierarchiae Dionysii [1].

Vox spiritualis aquilae auditum pulsat Ecclesiae. Exterior sensus transeuntem accipiat sonitum; interior animus manentem penetret intellectum. Vox altividi volatilis, non aera corporeum vel aethera vel totius sensibilis mundi ambitum supervolitantis, sed omnem theoriam, ultra omnia, quae sunt, et quae non sunt, citivolis intimae theologiae pennis clarissimae superaeque contemplationis obtutibus transcendentis. Dico autem quae sunt, quae sive humanum sive angelicum non omnino fugiunt sensum, cum post Deum sint, et eorum numerum, quae ab una omnium causa condita sunt, non excedant; quae vero non sunt, quae profecto omnes intelligentiae vires relinquunt. Supervolat itaque beatus theologus Joannes non solum quae intelligi ac dici possunt, verum etiam in ea, quae superant omnem intellectum et significationem, supervehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur, incomprehensibilemque ipsius principii et verbi, hoc est Patris et Filii, unitam superessentialitatem, nec non et distinctam supersubstantialitatem pure dinoscens, Evangelium suum inchoat, dicens: *In principio erat Verbum.*

O beate Joannes, non immerito vocitaris Joannes. Ebreum nomen est Joannes, cujus interpretatio graece ᾧ ἐχαρίσατο [a], latine vero *cui donatum est.* Cui enim theologorum donatum est, quod tibi est donatum, abdita videlicet summi boni penetrare mysteria, et ea, quae tibi revelata et declarata sunt, B humanis mentibus ac sensibus intimare? Dic, quaeso, cui tanta ac talis est donata gratia? Fortassis quis dicet: summo vertici apostolorum, Petro dico, qui Domino interroganti, quem se esse existimaret, respondit: « Tu es Christus Filius Dei vivi ». Sed non temere, ut opinor, quis dixerit, plus in typo fidei et actionis, quam scientiae et contemplationis Petrum talia dixisse, ea scilicet ratione, qua Petrus in forma actionis ac fidei ponitur, Joannes autem contemplationis atque scientiae typum imitatur. Unus siquidem decumbebat super pectus Dominicum, quod est contemplationis sacramentum, alter saepe titubabat, quasi trepidae actionis symbolum. Actio namque mandatorum divinorum, priusquam perveniat in habitum, puras aliquando discernit species virtu- C tum, aliquando fallitur ejus judicium, carnalium cogitationum nebulis obumbratum. Intimae vero theoriae acies, postquam semel veritatis perspexerit vultum, nequaquam reperculitur, nunquam fallitur, nulla caligine occultatur in perpetuum.

Ambo tamen currunt ad monumentum. Monumentum Christi est divina Scriptura, in qua divinitatis et humanitatis ejus mysteria densissima veluti quadam muniuntur petra. Sed Joannes praecurrit citius Petro. Acutius namque atque velocius intima divinorum operum penetrat secreta virtus contemplationis penitus purificatae, quam actionis adhuc purificandae. Verumtamen primo intrat Petrus in monumentum, deinde Joannes, ac sicut ambo currunt, ambo intrant. Petrus siquidem fidei symbolum, D Joannes significat intellectum. Ac per hoc, quoniam scriptum est: « Nisi credideritis, non intelligetis », ne-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *Gerarchie Dionisii.*

NOTAE.

[a] Sic locus reparari debet. In codice legitur *oiexapicato*, quod est ᾧ ΕΧΑΡΙCΑΤΟ, id quod editores cl. omnino fugisse videtur. S. Hieronymus quoque interpretatur: Joannes, *in quo est gratia, vel Domini gratia.* Derivatur enim יְהוֹחָנָן a יְהוָֹה et חָנַן, ita ut proprie significet *cui Jehova propitius.*

cessario praecedit fides in monumentum sanctae Scripturae, deinde sequens intrat intellectus, cui per fidem praeparatur aditus. Petrus itaque Christum Deum et hominem jam factum in temporibus cognovit, et ait: « Tu es Christus Filius Dei vivi ». Altissime volavit. Sed altius ille, qui eumdem Christum Deum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit, dicens : *In principio erat Verbum.* Nemo nos existimet Petro Joannem praeferre. Quis hoc fecerit? Quisnam esset apostolorum altior illo, qui est et dicitur vertex eorum? Non praeferimus Petro Joannem, sed conferimus actioni contemplationem, purgando adhuc animo perfecte purgatum, ascendenti adhuc virtute ad incommutabilem habitum per venientem [1] jam virtutem. Non enim nunc consideramus apostolicarum personarum dignitatem, sed investigamus pulcherrimam divinorum mysteriorum differentiam.

Petrus itaque, hoc est actio virtutum, Dei Filium, mirabili et ineffabili modo carne circumscriptum, per virtutem fidei et actionis conspicatur : Joannes vero, hoc est altissima contemplatio veritatis, Dei Verbum per se absolutum et infinitum in principio suo, hoc est, in Patre suo miratur. Petrus aeterna simul ac temporalia, in Christo unum facta, divina revelatione introductus inspicit : Joannes sola aeterna ejus in notitiam fidelium animarum introducit.

Spirituale igitur πετηνὸν [2] citivolum, deividum, Joannem dico theologum, omnem visibilem et invisibilem creaturam superat, omnem intellectum tranat, et deificatum in Deum intrat deificantem. O beate Paule, raptus es, ut tu ipse asseris, in tertium caelum, sed non es raptus ultra omne caelum; raptus es in paradisum, sed non es raptus super omnem paradisum. Joannes omne caelum conditum, omnemque creatum paradisum, hoc est, omnem humanam angelicamque transgreditur naturam. In tertio caelo, o vas electionis et magister gentium, audisti verba ineffabilia, quae non licet homini loqui. Joannes, intimae veritatis inspector, ultra omne caelum in paradiso paradisorum, hoc est in causa omnium, audivit unum Verbum, per quod facta sunt omnia, et libuit ei illud Verbum dicere, hominibusque praedicare, quantum hominibus praedicari potest, ac fiducialiter clamat : *In principio erat Verbum.*

Non ergo Joannes erat homo, sed plus quam homo, quando et seipsum, et omnia, quae sunt, superavit, et ineffabili sapientiae virtute, purissimoque mentis acumine subvectus, in ea, quae super omnia sunt, secreta videlicet unius essentiae in tribus substantiis, et trium substantiarum in una essentia, ingressus est. Non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus. Ut enim radius oculorum nostrorum species rerum sensibilium coloresque non prius potest sentire, quam se solaribus radiis immisceat, unumque in ipsis et cum ipsis fiat, ita animus sanctorum puram rerum spiritualium, omnemque intellectum superantium cognitionem non suffert

A accipere, nisi prius incomprehensibilis veritatis participationem dignus efficiatur habere. Sanctus itaque theologus, in Deum transmutatus, veritatis particeps, Deum Verbum subsistere in Deo principio, hoc est Deum Filium in Deo Patre, pronuntiat. *In principio,* inquit, *erat Verbum.* Intuere caelum apertum, hoc est summae ac sanctae trinitatis et unitatis revelatum mundo mysterium. Animadvertere angelum divinum super Filium hominis ascendentem, nobis videlicet annunciantem, ipsum esse ante omnia in principio Verbum, ac mox descendentem super eumdem Filium hominis, clamantemque : *Et Verbum caro factum est.* Descendit evangelizans Deum Verbum hominem factum supernaturaliter inter omnia ex virgine; ascendit proclamans idem Verbum superessentialiter
B genitum ex Patre ante et ultra omnia. *In principio,* inquit, *erat Verbum.* Et notandum, quod in hoc loco non temporis, sed substantiae significationem beatus evangelista insinuat per hanc vocem, quae est *erat.* Nam et positio ejus, id est *sum*, unde inaequaliter flectitur, duplicem continet intellectum. Aliquando quidem subsistentiam cujuscunque rei, de qua praedicatur, absque ullo temporali motu significat, ideoque substantivum verbum vocitatur; aliquando temporales motus secundum aliorum verborum analogiam declarat. Tale ergo est quod ait : *In principio erat Verbum*, ac si aperte diceret : In Patre subsistit Filius. Quis enim sanum sapiens dixerit, Filium in Patre temporaliter unquam substitisse? Illic enim sola cogitatur aeternitas, ubi sola intelligitur immu-
C tabilis veritas. Et ne quis existimaret, ita Verbum in principio subsistere, ut nulla substantiarum differentia subintelligatur inesse, continuo subjunxit : *Et Verbum erat apud Deum*, hoc est, et Filius subsistit cum Patre in unitate essentiae et substantiali distinctione. Et iterum, ne in quopiam talis serperet venenosa cogitatio, Verbum solummodo in Patre esse, et cum Deo esse, non autem ipsum Verbum substantialiter et coessentialiter Patri Deum subsistere — hic namque error perfidos invasit Arianos — protinus adjecit : *Et Deus erat Verbum.* Videns item, quod non defuturi essent, qui dicerent, non de uno eodemque Verbo evangelistam scripsisse : *In principio erat Verbum*, et *Deus erat Verbum*, sed aliud voluisse *Verbum in principio*, aliud *Deus erat Verbum*,
D haereticam opinionem destruens, consequenter subnectit :

Hoc erat in principio apud Deum, ac si diceret : hoc Verbum, quod Deus est, apud Deum ipsum est, et non aliud quid erat in principio. Sed significantius ex Graecorum exemplaribus potest intelligi. In eis enim οὗτος scribitur, id est, *hic*, et potest referri ad utrumque, ad Verbum videlicet et Deum; haec quippe duo nomina θεός et λόγος apud Graecos masculini generis sunt. Ac per hoc ita potest intelligi : *et Deus erat Verbum*; *hic erat in principio apud Deum*, tanquam si luce clarius dixerit : Hic Deus Verbum

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., R. *pervenientem.* [2] Corr., cod. *velatum.*

apud Deum, ipse est, de quo dixi: *In principio erat Verbum.*

Omnia per ipsum facta sunt. Per ipsum Deum Verbum, vel per ipsum Verbum Deum omnia facta sunt. Et quid est *omnia per ipsum facta sunt*, nisi: eo nascente ante omnia ex Patre, omnia cum ipso et per ipsum facta sunt? Nam ipsius ex Patre generatio ipsa est causarum omnium conditio, omniumque, quae ex causis in genera et species procedunt, operatio et effectus. Per generationem quippe Dei ex Deo principio facta sunt omnia. Audi divinum et ineffabile paradoxum, irreserabile secretum, invisibile, profundum, incomprehensibile mysterium. Per non factum, sed genitum, omnia facta, sed non genita. Principium, ex quo omnia, Pater est; principium, per quod omnia, Filius est. Patre loquente verbum suum, hoc est, Patre gignente sapientiam suam, omnia fiunt. Propheta ait: « Omnia in sapientia fecisti »; et alibi, personam Patris introducens: « Eructavit cor meum ». Et quid eructavit cor suum? Ipse exponit: « verbum bonum dico », verbum bonum loquor, Filium bonum gigno. Cor Patris est sua propria substantia, de qua genita est Filii propria substantia; praecedit Pater Verbum non natura, sed causa. Audi ipsum Filium dicentem: « Pater major est me », substantia ejus causa meae substantiae est. Praecedit, inquam, Pater Verbum causaliter, praecedit Filius omnia, quae per ipsum facta sunt, naturaliter. Substantia Filii Patri coaeterna est. Substantia eorum, quae per ipsum facta sunt, inchoavit in ipso esse ante tempora secularia, non in tempore, sed cum temporibus. Tempus siquidem inter cetera, quae facta sunt, factum est; non autem *pro*creatum, sed *con*creatum. Et quae est consequentia verbi, quod locutum est os Altissimi? Non enim in vanum locutus est Pater, non infructuose, non sine magno effectu; nam et homines [inter] se ipsos loquentes aliquid in auribus audientium efficiunt. Tria itaque credere et intelligere debemus, loquentem Patrem, pronunciatum Verbum, ea quae efficiuntur per Verbum. Pater loquitur, Verbum gignitur, omnia efficiuntur. Audi Prophetam, quum ipse dixit, *et facta sunt*, hoc est, Verbum suum genuit, per quod facta sunt omnia. Et ne forte existimares eorum, quae sunt, quaedam quidem per ipsum Dei Verbum facta esse, quaedam vero extra ipsum aut facta esse aut existentia per semetipsa, ita ut non omnia, quae sunt, et quae non sunt, ad unum principium referantur, conclusionem totius theologiae subdidit: *et sine ipso factum est nihil*; hoc est, nihil extra ipsum est factum, quia ipse ambit, intra se comprehendens omnia, et nihil ei coaeternum vel consubstantiale intelligitur vel coessentiale, praeter suum Patrem et suum Spiritum a Patre per ipsum procedentem. Et hoc facilius in Graeco datur intelligi. Ubi enim Latini ponunt *sine ipso*, ibi Graeci χωρὶς αὐτοῦ, hoc est extra ipsum. Similiter et ipse Dominus suis discipulis dicit: « Extra me nihil potestis facere ». Qui per vos, inquit, extra me fieri

A non potuistis, quid extra me facere potestis? Nam et ibi non ἄνευ, sed χωρίς, hoc est, non *sine*, sed *extra* Graeci scribunt. Facilius autem propterea dixi, quia, dum quis audit *sine ipso*, potest putare sine ipsius consilio vel adjutorio, ac per hoc non totum, non omnia illi distribuit; audiens vero *extra*, nihil omnino relinquit, quod in ipso et per ipsum factum non sit.

Quod factum est in ipso vita erat. Postquam remotissima omni ratione et intellectu beatus evangelistes divina revelavit mysteria, Deum Verbum videlicet in Deo loquente, in ambobus intelligentiam sancti Spiritus divinae Scripturae contemplatoribus relinquens—ut enim, qui loquitur, in verbo, quod loquitur, necessario spiritum proflat, ita Deus Pa- B ter simul et semel et Filium suum gignit et Spiritum suum per genitum suum producit — et postquam per Deum Filium omnia facta esse, et nihil extra ipsum subsistere astruxit, veluti ab altero primordio suae theologiae seriem direxit, dicens: *Quod factum est in ipso vita erat.* Praedixit enim, *omnia per ipsum facta sunt*, ac veluti a quopiam rogatus de iis, quae per Deum Verbum facta sunt: quomodo et quid in ipso erant, quae per ipsum facta sunt? respondit et ait: *Quod factum est in ipso vita erat.* Quae sententia dupliciter pronunciatur. Potest enim subdistingui: *Quod factum est*, ac deinde subjungi *in ipso vita erat*, potest etiam sic: *Quod factum est in ipso*, ac deinde subinferri *vita erat*. Ac per hoc in duabus pronuntiationibus duos speculamur intelle- C ctus. Non enim eadem theoria est, quae dicit: quod factum, locis temporibusque discretum, generibus, formis numerisque distinctum, sensibilibus intelligibilibusque substantiis seu compactum seu segregatum, hoc totum in ipso vita erat; et ea quae declarat: quod factum est in ipso, non aliud erat nisi vita, ut sit sensus: Omnia, quae per ipsum facta sunt, in ipso vita sunt et unum sunt. Erant enim, hoc est subsistunt in ipso causaliter, priusquam sint in semetipsis effective. Aliter enim sub ipso sunt ea, quae per ipsum facta sunt, aliter in ipso sunt ea, quam ipse est. Omnia itaque, quae per Verbum facta sunt, in ipso vivunt incommutabiliter, et vita sunt; in quo neque fuerunt omnia temporalibus intervallis seu localibus, nec futura sunt, sed solum- D modo super omnia tempora et loca in ipso unum sunt et universaliter subsistunt visibilia, invisibilia, corporalia, incorporalia, rationalia, irrationalia, et simpliciter caelum et terra, abyssus, et quaecunque in eis sunt, in ipso vivunt, et vita sunt, et aeternaliter subsistunt, et quae nobis omni motu vitali carere videntur, in Verbo vivunt. Sed si quaeris, quomodo vel qua ratione omnia, quae per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter et uniformiter et causaliter subsistunt, accipe paradigmata ex creaturarum natura, disce factorem ex iis, quae in ipso et per ipsum facta sunt. « Invisibilia enim ejus », ut ait Apostolus, « per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur ». Conspicare, quomodo omnium rerum, quas mundi hujus

sensibilis globositas comprehendit, causae simul et uniformiter in isto sole, qui maximum mundi luminare vocitatur, subsistunt. Inde namque formae omnium corporum procedunt, inde distantium colorum pulchritudo, et cetera, quae de sensibili natura praedicari possunt. Considera multiplicem et infinitam seminum virtutem, quomodo numerositas herbarum, fructuum, animalium in singulis seminibus continetur, quomodo ex eis surgit pulchra formarum et innumerabilis multiplicitas; intuere interioribus oculis, quomodo multiplices regulae in arte artificis unum sunt, et in animo disponentis eas vivunt; quomodo infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit, et hujusmodi naturalia perspice exempla; ex quibus veluti physicae theoriae pennis ultra omnia subvectus, divina gratia adjutus, illuminatus, poteris arcana Verbi mentis acie inspicere, et, quantum datur humanis argumentationibus Deum suum quaerentibus, videre, quomodo omnia, quae per Verbum facta sunt, in ipso vivunt et vita sunt. In ipso enim, ut os loquitur divinum, vivimus et movemur et sumus; et, ut ait magnus Dionysius Areopagita, esse omnium est superessentialis divinitas.

Et vita erat lux hominum. Dei Filium, quem, o beate theologe, prius vocasti Verbum, nunc vitam nominas et lucem. Nec immerito mutasti appellationes, ut distantes nobis insinuares significationes. Verbum siquidem Dei Filium nominasti, quia per ipsum locutus est Pater omnia, quum ipse dixit et facta sunt; lucem vero et vitam, quia idem Filius lux est et vita omnium, quae per ipsum facta sunt. Et quid illuminat? Non aliud, nisi seipsum, et Patrem suum. Lux itaque est, et seipsum illuminat, seipsum mundo declarat, se ipsum ignorantibus se manifestat. Lux divinae cognitionis de mundo recessit, dum homo Deum deseruit. Dupliciter ergo lux aeterna se ipsam mundo declarat, per Scripturam videlicet et creaturam. Non enim aliter in nobis divina cognitio renovatur, nisi per divinae Scripturae apices et creaturae species. Eloquia disce divina, et in animo tuo eorum concipe intellectum, in quo cognosces Verbum. Sensu corporeo formas ac pulchritudines rerum percipe sensibilium, et in eis intelliges Deum Verbum, et in iis omnibus nil aliud tibi veritas declarabit praeter ipsum, qui fecit omnia, extra quem nihil contemplaturus es, quia ipse est omnia. In omnibus enim, quae sunt, quidquid est, ipse est. Ut enim nullum bonum substantiale, ita nulla essentia praeter ipsum est vel substantia. *Et vita erat lux hominum.* Quare *lux* addidit *hominum*? Quasi specialiter ac proprie lux sit hominum, qui est lux angelorum, lux universitatis conditae, lux totius visibilis et invisibilis existentiae? An forte Verbum vivificans omnia specialiter ac proprie lux hominum dicitur, quia in homine non solum hominibus, verum etiam angelis, omnique creaturae, divinae cognitionibus particeps fieri valenti, seipsum declaravit? Non enim per angelum angelis, neque per angelum hominibus, sed per hominem et hominibus et angelis, non in phantasia, sed in ipsa vera humanitate, quam totam sibi in unitatem substantiae suscepit, apparuit, suamque cognitionem omnibus cognoscentibus se praestitit. Lux itaque hominum Dominus noster Jesus Christus, qui in humana natura omni rationali et intellectuali creaturae seipsum manifestavit, suaeque divinitatis, qua Patri aequalis est, abdita revelavit mysteria.

Et lux in tenebris lucet. Audi Apostolum : « Fuistis », inquit, « aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino ». Audi Isaiam : « Sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est ». Lux in tenebris lucet. Totum genus humanum merito originalis peccati in tenebris erat, non exteriorum oculorum, quibus sensibilium formae coloresque sentiuntur, sed interiorum, quibus intelligibilium species et pulchritudines discernuntur; non in tenebris hujus caliginosi aeris, sed in tenebris ignorantiae veritatis; non in absentia lucis, quae mundum corporeum declarat, sed in absentia lucis, quae mundum incorporeum illuminat. Post cujus ortum ex virgine lux in tenebris lucet, in cordibus videlicet se cognoscentium. Quoniam vero totum genus humanum in duas veluti partes dividitur, in eos videlicet, quorum corda cognitione veritatis illuminata sunt, et eos, qui in obscurissimis adhuc impietatis atque perfidiae tenebris permanent, evangelista subjunxit : *et tenebrae eum non comprehenderunt.* Ac si evidenter diceret : Lux in tenebris fidelium animarum lucet, et magis ac magis lucet, a fide inchoans, ad speciem tendens; impiorum vero cordium perfidia et ignorantia lucem Verbi Dei in carne fulgentis non comprehenderunt. « Obscuratum est enim », ut ait Apostolus, « insipiens cor eorum », et sapientes se esse dicentes stulti facti sunt. Sed iste sensus moralis. Physica vero horum verborum theoria talis est. Humana natura, etsi non peccaret, suis propriis viribus lucere non posset. Non enim naturaliter lux est, sed particeps lucis. Capax siquidem sapientiae est, non ipsa sapientia, cujus participatione sapiens fieri potest. Sicut ergo aer iste per se ipsum non lucet, sed tenebrarum vocabulo nuncupatus, capax tamen solaris luminis est; ita nostra natura, dum per se ipsam consideratur, quaedam tenebrosa substantia, capax ac particeps lucis sapientiae. Et quemadmodum praefatus aer, dum solari radio participat, non dicitur per se lucere, sed solis splendor dicitur in eo apparere ita, ut et naturalem suam obscuritatem non perdat, et lucem supervenientem in se recipiat, ita rationalis nostrae naturae pars, dum praesentiam Dei Verbi possidet, non per se res intelligibiles et Deum suum, sed per insitum sibi divinum lumen cognoscit. Audi ipsum Verbum : « Non vos », inquit, « estis qui loquimini, sed Spiritus vestri Patris, qui loquitur in vobis ». Hac una sententia voluit nos docere id ipsum in ceteris intelligere, ac semper in aure cordis nostri ineffabili modo sonare : non vos estis, qui lucetis, sed Spiritus Patris vestri, qui lucet in vobis, hoc est, me in vobis lucere vobis manifestat,

quia ego sum lux intelligibilis mundi, hoc est, rationalis et intellectualis naturae. Non vos estis, qui intelligitis me, sed ego ipse in vobis per Spiritum meum me ipsum intelligo; quia vos non estis substantialis lux, sed participatio per se subsistentis luminis. Lux itaque in tenebris lucet, quia Dei Verbum, vita et lux hominum, in nostra natura, quae per se investigata et considerata informis quaedam tenebrositas reperitur, lucere non desinit, nec eam, quamvis delinquentem, deserere voluit, nec unquam deseruit, formans eam per naturam continendo, reformansque per gratiam deificando. Et quoniam ipse lux omni creaturae incomprehensibilis est, tenebrae eum non comprehenderunt; superat namque Deus omnem sensum et intellectum, et solus habet immortalitatem. Cujus lux per excellentiam tenebrae nominatur, quoniam a nulla creatura, quid vel qualis sit, comprehenditur.

Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. Ecce aquila, de sublimissimo vertice montis theologiae leni volatu descendens in profundissimam vallem historiae, de caelo spiritualis mundi pennas altissimae contemplationis relaxat. Divina siquidem Scriptura mundus quidam est intelligibilis, suis quatuor partibus, veluti quatuor elementis constitutus. Cujus terra est veluti in medio imoque instar centri historia, circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiae, quae a Graecis Ethice solet appellari. Circa quas, historiam dico et ethicam, veluti duas praefati mundi inferiores partes aer ille naturalis scientiae circumvolvitur. Quam, naturalem dico scientiam, Graeci vocant Physicen. Extra haec omnia et ultra ethereus ille igneusque ardor empyrii caeli, hoc est, superae contemplationis divinae naturae, quam Graeci Theologiam nominant, circumglobatur; ultra quam nullus egreditur intellectus. Magnus itaque theologus, Joannem dico, in primordio Evangelii excelsissima theologiae cacumina tangens, caelique caelorum spiritualium secreta penetrans, ultra omnem historiam et ethicam et physicam ascendens ad ea, quae paulo ante incarnationem Verbi facta sunt, in historiam narrandam veluti in quandam terram suum intelligibilem deflectit volatum, et ait: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.* Joannem consequenter in suam introducit theologiam. Abyssus abyssum invocat in voce divinorum mysteriorum. Evangelista praecursoris narrat historiam; ille, cui donatum est Verbum in principio cognoscere, illum, cui donatum est Verbum incarnatum praeire, commemorat. *Fuit homo,* inquit; non dixit simpliciter, *missus a Deo;* sed *fuit homo*, ut discerneret hominem solius humanitatis participem, qui praecurrit, ab homine divinitate et humanitate coadunato et compacto, qui post eum venit; ut segregaret vocem transeuntem a Verbo semper et incommutabiliter manente; ut insinuaret matutinam stellam in ortu regni caelorum apparentem, et declararet solem justitiae supervenientem. Testem

A discernit ab eo, de quo testimonium perhibet, missum ab eo, qui emittit, lucernam lucubrantem a luce clarissima mundum implente, totius humani generis tenebras mortis et delictorum demoliente. Praecursor itaque Domini homo fuit, non Deus; Dominus autem, cujus praecursor, homo simul fuit et Deus. Praecursor homo fuit transiturus in Deum per gratiam; quem praecurrit, Deus erat per naturam, accepturus hominem per humilitatem, et nostrae salutis et redemptionis voluntatem. *Homo* erat *missus.* A quo? A Deo Verbo, quod praecurrit; missio ejus praecursio ejus; clamans praemittit vocem. *Vox clamantis in deserto*, nuntius praeparat Domini adventum. *Cui nomen erat Joannes*, cui donatum est regi regum fieri praecursorem, incar-B nati Verbi manifestatorem, et in spiritualem filietatem baptizatorem, aeterni luminis voce et martyrio testatorem.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. De Christo videlicet. Audi testimonium ejus: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi »; et iterum: « Qui post me venit, ante me factus est ». Quod evidentius in Graeco legitur ἔμπροσθέν μου, hoc est coram me, ante conspectum meum, factus est. Ac si aperte diceret: Qui in ordine temporum post nativitatem meam natus est in carne, ante conspectum meum, dum adhuc essem in visceribus meae matris sterilis, prophetico visu vidi illum coram me conceptum et hominem factum in utero virginis.

C *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine;* a superioribus subaudi, et sic intellige: Non erat ille lux, sed missus est, ut testimonium perhiberet de lumine. Praecursor luminis non erat lux. Quare ergo lucerna ardens astrumque vocitatur matutinum? Lucerna ardens erat, sed non proprio igne incensus ardebat, non propria luce lucebat. Stella erat matutina; sed non a seipso proprium lumen accepit. Gratia ipsius, quem praecurrebat, in eo ardebat et splendebat. Non erat ille lux, sed particeps luminis; suum non erat, quod in se et post se fulgebat. Ut enim superius diximus, nulla seu rationalis seu intellectualis creatura per seipsam substantialiter lux est, sed participatione unius ac veri luminis substantialis, quod ubique in omnibus, D quae intelligibiliter lucent, lucet.

Propterea subditur: *Erat autem lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Veram lucem dicit Dei Filium per se subsistentem, a Deo Patre per se subsistente ante omnia secula genitum; veram lucem dicit eundem Filium hominem ex hominibus propter homines factum. Ipse est lux vera, qui de se ipso ait: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non morabitur in tenebris, sed habebit lumen vitae aeternae ». Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in mundum. Et quid est *venientem in mundum?* et quis est omnis homo veniens in mundum? et unde venit in mundum? et in quem mundum venit? Si de iis

qui de occultis naturae sinibus in hunc mundum per generationem locis temporibusque veniunt, acceperis, qualis illuminatio est in hac vita nascentibus ut moriantur, crescentibus ut corrumpantur, compositis ut solvantur, de quietudine silentis naturae in inquietudinem tumultuantis miseriae cadentibus? Dic, quaeso, qualis lux erat spiritualis et vera procreatis in vita transitoria et falsa? Numquid mundus iste alienatis a vero lumine conveniens habitatio est? Numquid regio umbrae mortis, et lacrymarum vallis, et ignorantiae profundum, et terrena habitatio, humanum animum aggravans, et ex veri luminis contuitu interiores oculos elimitans, non immerito dicitur? Non ergo de iis, qui de occultis seminum causis in species corporeas procedunt, debemus intelligere: *quae illuminat omnem hominem venientem in mundum*, sed de iis, qui spiritualiter per generationem gratiae, quae datur in baptismate, in mundum veniunt invisibilem, qui nativitatem, quae secundum corruptibile corpus est, spernentes, nativitatem, quae est secundum spiritum, eligunt, mundum qui deorsum est calcantes, et in mundum qui desursum est ascendentes, umbras ignorantiae et mortis deserentes, lucem sapientiae et vitae appetentes, filii hominum esse desinentes, filii Dei fieri incohantes, mundum vitiorum postponentes et in semetipsis destruentes, mundum virtutum ante oculos mentis constituentes, et in eum totis viribus ascendere inhiantes. Eos itaque vera lux illuminat, qui in mundum virtutum veniunt, non eos, qui in mundum vitiorum ruunt.

In mundo erat. In hoc loco mundum appellat non solum generaliter visibilem creaturam, verum etiam specialiter rationalis naturae, quae in homine est, substantiam. In his siquidem omnibus, et, ut simpliciter dicam, in universitate condita Verbum lux vera erat. Idem subsistit, et semper erat, quia nunquam in omnibus subsistere desistit. Ut enim, qui loquitur, dum loquitur, desinit vox ejus esse, desinit et evanescit: sic caelestis Pater si Verbum suum loqui cessarit, effectus Verbi, hoc est, universitas condita non substiterit. Universitatis namque conditae substitutio est et permansio Dei Patris locutio, hoc est, aeterna et incommutabilis sui Verbi generatio. Potest etiam non irrationabiliter de hoc mundo sensibili solummodo haec sententia praedicari, quae ait: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* Ne forte quis putaret Manicheae haeresis consors, mundum corporeis sensibus succumbentem a diabolo fuisse creatum, et non a Creatore omnium visibilium et invisibilium, theologus subnectit: *In mundo erat*, hoc est, in hoc mundo erat ille, qui continet omnia, *et mundus per ipsum factus est.* Non enim in alienis operibus universitatis conditor habitat, sed in suis quae fecit. Animadvertere debemus, beatum evangelistam generaliter mundum nominasse. Tres tamen mundos debemus intelligere. Quorum primus est, qui absolute solis invisibilibus et spiritualibus virtutum impletur substantiis; in quem quicunque venerit, plenam verae lucis possidet participationem. Secundus, qui praefato opponitur e diverso, quoniam absolute ex invisibilibus et corporalibus constituitur naturis. Et quamvis universitatis infimam obtineat proportionem, in eo tamen erat Verbum, et per Verbum factus est, et est primus gradus ad cognitionem veritatis ascendere per sensus volentibus; species namque visibilium ad cognitionem invisibilium ratiocinantem attrahit animum. Tertius mundus est, qui rationem medietatis habet, et superiorem spiritalium, et inferiorem corporalium in se ipso copulat, et de duobus unum facit, et in homine solo intelligitur, in quo omnis creatura adunatur. Corpore enim constat et anima. Corpus de hoc mundo, animam de altero mundo colligens, unum facit ornatum. Et corpus quidem omnem corpoream, anima vero omnem incorpoream possidet naturam. Quae, dum compagine una conglobantur, omne mundanum hominis conficiunt ornamentum. Ideoque homo dicitur omnis; omnis namque creatura in ipso velut in officina quadam conflatur. Hinc et ipse Dominus praedicaturis discipulis praecepit: « Praedicate Evangelium omni creaturae ». Iste igitur mundus, hoc est homo, Creatorem suum non cognovit, neque per legis scriptae symbola, neque per visibilis creaturae paradigmata Deum suum voluit cognoscere, carnalium cogitationum vinculis detentus. *Et mundus eum non cognovit.* Non cognovit homo Deum Verbum, neque ante humanationem ejus per se sola divinitate nudum, nec post humanationem sola incarnatione vestitum. Invisibilem ignorabat, visibilem negabat. Noluit quaerere quaerentem se; noluit audire vocantem; noluit colere deificantem; noluit recipere recipientem.

In propria venit, in ea videlicet, quae per ipsum facta sunt, ac per hoc propria illius non immerito sunt. *Et sui eum* [non] [1] *receperunt.* Sui sunt omnes homines, quos voluit redimere et redemit.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus. Jam dividitur non humanitas rationalis mundi, sed voluntas; segregantur receptores incarnati Verbi a respuentibus illud. Fideles credunt adventum Verbi et libenter recipiunt Dominum sui. Impii negant et contumaciter renuunt, Judaei per invidiam, pagani per ignorantiam. Recipientibus dedit potestatem filios Dei fieri, non recipientibus dat adhuc spatium recipiendi. A nullo enim aufertur possibilitas credendi in Dei Filium, et possibilitas efficiendi Dei filium; hoc enim in arbitrio hominis et cooperatione gratiae constitutum est. Quibus dedit potestatem filios Dei fieri? Recipientibus se, videlicet

VARIAE LECTIONES.

[1] *non* om. cod., add. ex coni.

credentibus in nomine ejus. Multi recipiunt Christum. Ariani recipiunt eum, sed non credunt in nomine ejus, non credunt unigenitum Dei Filium Patri consubstantialem; ὁμοούσιον eum negant, hoc est, Patri coessentialem; ἑτεροούσιον eum affirmant, hoc est, alterius essentiae quam Pater est. Ac per hoc non prodest eis Christum recipere, dum conantur veritatem ejus negare. Qui vero recipiunt Christum verum Deum et verum hominem, et hoc firmissime credunt, eis possibilitas data est filios Dei fieri.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. In antiquis Graecorum exemplaribus solummodo scribitur: *Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt.* Non ex sanguinibus, inquit, hoc est, non corporalibus procreationibus, qui adoptionem filiorum Dei merito fidei adipiscuntur; sed a Deo Patre per Spiritum sanctum in cohaereditatem Christi, hoc est, in confiliolitatem unigeniti Dei Filii nati sunt. *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.* Duplex introducitur sexus, ex quo in carne nascentium carnaliter numerositas propagatur; carnis quidem nomine femineum, viri vero masculinum evangelista significavit habitum.

Et ne forte dicas: impossibile videtur, mortales fieri immortales, corruptibiles corruptione carere, puros homines filios Dei esse, temporales aeternitatem possidere, ex iis, quae majora sunt, accipe argumentum, quo rei, de qua dubitas, possis fidem accommodare: *Et verbum caro factum est.* Si itaque, quod plus est, procul dubio praecessit, cur incredibile videtur, quod minus est, posse consequi? Si Filius Dei factus est homo, quod nemo eorum, qui eum recipiunt, ambigit, quid mirum, si homo credens in Filium Dei filius Dei futurus sit? Ad hoc siquidem Verbum in carnem descendit, ut in ipsum caro, id est, homo credens per carnem in Verbum ascendat, ut per naturalem Filium unigenitum multi filii efficiantur adoptivi. Non propter seipsum Verbum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per Verbi carnem potuissemus in Dei filios transmutari; solus descendit, cum multis ascendit; de hominibus facit deos, qui de Deo fecit hominem. *Et habitavit in nobis,* hoc est naturam nostram possedit, ut suae naturae nos participes faceret. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Ubi vidisti, o beate theologe, gloriam incarnati Verbi, gloriam humanati Filii Dei? Quando vidisti? Qualibus oculis perspexisti? Corporalibus, ut opinor, in monte tranformationis tempore. Tunc enim tertius aderas testis divinae glorificationis. Praesens eras, ut existimo, in Jerusalem, et audisti vocem Patris Filium clarificantis dicentem: «Clarificavi et iterum clarificabo». Audisti turmas infantium proclamantium: «Hosanna filio David». Quid dicam de gloria resurrectionis? Vidisti eum resurgentem a mortuis, dum ad te ceterosque tuos condiscipulos clausis januis intravit. Vidisti gloriam ejus ascendentis ad Patrem, quando ab angelis assumptus est in caelum. Et super haec omnia altissimo mentis contuitu contemplatus es illud, dico Verbum, in principio suo apud Patrem suum, ubi vidisti gloriam ejus quasi unigeniti a Patre. *Plenum gratiae et veritatis.* Duplex hujus periodi intellectus est. Potest enim de humanitate, ac divinitate incarnati Verbi accipi, ita ut plenitudo gratiae referatur ad humanitatem, plenitudo vero veritatis ad divinitatem. Verbum quippe incarnatum Dominus noster Jesus Christus plenitudinem gratiae secundum humanitatem accepit, quoniam caput Ecclesiae est, et primogenitus universae creaturae, hoc est, totius universaliter humanitatis, quae in ipso et per ipsum sanata et restaurata est. In ipso dico, quoniam maximum et principale exemplum gratiae, qua, nullis praecedentibus meritis, homo efficitur Deus, ipse est, et in ipso primordialiter manifestatum est. Per ipsum vero, quoniam de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam deificationis, per gratiam fidei, qua in eum credimus, et actionis, qua mandata ejus custodimus. Potest etiam plenitudo gratiae Christi de Spiritu sancto intelligi. Sanctus namque Spiritus, qui distributor et operator donationum gratiae, gratia solet appellari. Cujus Spiritus septiformis operatio humanitatem Christi implevit, et in eo requievit, sicut ait propheta: «Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini». Si ergo de Christo per se ipsum vis accipere, quod dictum est *plenum gratiae,* de plenitudine deificationis ejus et sanctificationis secundum humanitatem cognosce. Deificationis autem dico, qua homo et Deus in unitatem unius substantiae adunati sunt; sanctificationis vero, qua non solum de Spiritu sancto conceptus, verum etiam plenitudine donationum ejus repletus est; ac veluti in summitate mystici ecclesiae candelabri gratiarum lampades in ipso et de ipso fulsere. Si vero plenitudinem gratiae et veritatis incarnati Verbi de Novo Testamento mavis intelligere, sic idem evangelista paulo post videtur sensisse. Ait enim: «Lex per Moysen data est; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est». Non incongrue pronuntiabis, plenitudinem gratiae Novi Testamenti per Christum esse donatam, et legalium symbolorum veritatem in ipso esse implexam; sic ait Apostolus: «In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter»; plenitudinem videlicet divinitatis mysticos legalium umbrarum intellectus appellans, quos Christus in carne veniens in se ipso corporaliter, hoc est, veraciter habitasse et docuit et manifestavit, quoniam ipse est fons et plenitudo gratiarum, veritas symbolorum legalium, finis prophetalium visionum, cui gloria cum Patre et sancto Spiritu per omnia secula seculorum. Amen.

JOANNIS SCOTI
COMMENTARIUS
IN S. EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

Ex cod. ms. 81 bibl. Laudunensis, membran., sec. IX, 4°; primus edid. M. Félix Ravaisson in libro, qui inscribitur *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements* Tom. I Paris. 1849, 4°, p. 505 sqq.

FRAGMENTUM I.
CAP. I, 11-29

. . . .

In propria ergo venit, hoc est, in humana natura incarnatus est. *Et sui eum non receperunt.* Hoc dictum est de perfidis Judaeis et omnibus impiis, qui noluerunt Dei Verbum recipere, hoc est, neque in eum credere, neque eum intelligere voluerunt. Et ne quis putaret, omnes homines eum non recepisse, nam ab initio mundi nullum tempus erat, in quo receptores divini Verbi non essent, propterea addidit :

Quotquot autem receperunt eum, hoc est, quicumque crediderunt in eum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Non dixit : dedit eis potestatem salvari, aut in pristinum statum et dignitatem humanae naturae dedit eis potestatem redeundi, sed, quod ineffabile est, et omni naturae per se ipsam impossibile, dedit eis per sublimitatem suae gratiae filios Dei fieri. *His qui credunt in nomine ejus*, hoc est, his, qui credunt, notitiam ejus [1] et intelligentiam per fidem in hac vita, et per speciem in altera se recepturos.

Qui non ex sanguinibus, hoc est, qui non ex seminibus; *neque ex voluntate carnis*, hoc est, neque ex sexu femineo; caro quippe femineum sexum saepe significat; *neque ex voluntate viri*, hoc est, neque ex semine virili. Potest etiam sic intelligi *neque ex voluntate carnis*, ut expositio sit, quod sequitur, *neque ex voluntate viri.* Non enim desunt, qui irrationabilem motum, quo homines concipiuntur in carne, soli carni attribuunt, quasi nihil ad animam pertineat, dum caro sine anima nihil in talibus praevaleat. Ideoque sequitur, *neque ex voluntate viri*, hoc est, neque ex voluntate totius hominis. Saepe sapientes viri vocabulo hominem solent appellare. *Sed ex Deo nati sunt*, per gratiam videlicet baptismatis, in quo incipiunt credentes in Christum ex Deo nasci. Sed ne quis impossibile existimaret, hominem mortalem, carnalem, fragilem, corruptibilem, in tantam gloriam exaltari, ut filius Dei fieret, veluti evangelista respirans, occultisque infidelium cogitationibus respondens, fortissimum posuit argumentum :

Et Verbum caro factum est. Ac si dixerit : Non A mireris, carnem, id est mortalem hominem, in filium Dei posse transire per gratiam, cum majoris miraculi sit Verbum caro factum. Nam si, quod superius est, ad inferius descendit, quid mirum, si, quod inferius est, in id, quod superius, superioris gratia agente ascendat, praesertim cum ad hoc *Verbum caro factum sit*, ut homo filius Dei fieret! Descendit enim Verbum in hominem, ut per ipsum ascenderet homo in Deum. Sicut enim dicimus : Verbum caro factum est, ita possumus dicere : et caro Verbum facta est. *Et Verbum caro factum est*, haec evangelica sententia proloquiorum more recurrit. *Et habitavit in nobis*, hoc est, conversatum est inter nos homines; Verbum habitavit in nobis, hoc est, naturam nostram possedit. *Et vidimus gloriam ejus;* nos videlicet, quos elegit de mundo, vidimus gloriam ejus in manifestissimis miraculis, in transfiguratione in monte spirituali, in claritate resurrectionis; et non aliam gloriam, sed *gloriam unigeniti a Patre. Plenum gratiae*, subauditur : plenum vidimus gratiae secundum humanitatem, *et veritatis* secundum deitatem.

B

Joannes testatur de ipso, Verbo videlicet, *et clamat*, vel sicut in Graeco legitur : *et clamavit dicens : Hic erat quem dixi*, vel, sicut in Graeco habetur : *quem dicebam*, quod multo significantius est. Nam si praeteritum perfectum, quod est *dixi*, poneret, peractum jam praedicationis ejus de Christo opus significaret; praeteritum vero imperfectum, quod est *dicebam*, et inchoationem praedicationis Christi ab Joanne significat, et adhuc in ipsa praedicatione perseverantiam. *Hic erat;* hic pronomen est demonstrativum praesentis personae; ac per hoc datur intelligi, adfuisse Christum in illo loco, in quo Joannes talem de eo demonstrationem aperte declaravit. Nec hoc mirum; saepe enim ipse Dominus, adhuc fere omnibus ignotus, priusquam baptizaretur, et praedicare inchoaret, ad Joannem solitus erat venire. Ideoque ait Joannes : *Hic erat quem dixi.* In hoc loco, sicut frequenter et in superioribus, verbum quod est *erat*, non significationem temporis, sed substantiae declarat, ita ut intelligamus *hic erat*, ac si aperte diceret *hic est*, hic subsistit, quem dicebam vobis. Ad quos dicebat? Ad discipulos profecto suos, quibus et absentem Christum praedicabat, et praesentem demon-

C

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *ei*

strabat. Quod in sequentibus manifestatur, ubi ait discipulis suis : *Ecce Agnus Dei qui post me venturus est*, vel, sicut in aliis codicibus scribitur : *qui post me venit*. Nam quod in Graeco scriptum est ἐρχόμενος, et praeteriti temporis participium est et futuri. *Ante me factus est.* Ac si aperte diceret : Qui post me ordine temporum in conceptione et nativitate venit in mundum, ante me factus est, mihi praelatus ordine dignitatis. Ego enim purus et simplex homo sum, ille plus quam homo, ex humanitate et divinitate compositus; ille Dominus, ego servus; ille rex, ego praecursor. Ideoque sequitur : *Quia prior me erat*, non solum aeternitate divinitatis, verum etiam humanitatis dignitate. Sed si quis intentus graecum sermonem inspexerit, alio modo intelliget quod ait : *qui post me venturus est*, hoc est, qui post me venturus foret, vel qui post me venit in mundum, *ante me factus est*, hoc est coram me apparuit; et quemadmodum prophetavi et cognovi eum spiritualibus oculis, dum essem in utero, ita et nunc carnalibus oculis coram me factum, id est venientem conspicor. Quod enim in Graeco scriptum est ἔμπροσθέν μου, proprie interpretatur : *coram me*, hoc est, ante oculos meos. Et quid in eo perspicio, sive spiritualibus sive corporalibus oculis? Non aliud, nisi quia prior me erat, seu, ut significantius in Graeco, quia primus mei erat. Ad hoc itaque in praesentia mea factus est, ut cognoscerem illum primum esse, hoc est, in omnibus me praecedere. Praecedit enim me in plenitudine gratiae. Quidquid gratia possideo, non aliunde, nisi ex plenitudine gratiae ipsius accipio. Ideo consequenter adjunxit :

Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Quam plenitudinem dicit? Non aliam, nisi eam, de qua superius dixit : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Plenitudo quippe gratiae secundum humanitatem, et plenitudo veritatis juxta divinitatem in Christo habitat. Unde ait Apostolus : in quo plenitudo divinitatis corporaliter, hoc est, veraciter habitat. Sed quomodo in Christo plenitudo gratiae secundum humanitatem habitat [1]? Non aliter, nisi quod ipse sit primum et maximum divinae gratiae exemplum, in eo quod homo Christus, nullis praecedentibus meritis, in unitatem substantiae, vel, ut usitatius dicam, personae assumptus est. Plenitudo autem veritatis in ipso naturaliter est, quia ipse est veritas, ipso testante : « Ego sum via, veritas et vita ». De plenitudine igitur ejus secundum humanitatem et divinitatem nos omnes accepimus. *Nos omnes* dicit, qui de Israelitico populo eum recepimus, et qui de ceteris totius mundi nationibus in eum crediderunt, gratiam accepimus, qua in eum credimus, et veritatem, qua ipsum intelligimus. Et hoc est quod sequitur : *Gratiam pro gratia*, ut subaudiatur : de plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratia; gratiam videlicet contemplationis veritatis pro gratia fidei in humanationis ejus confessionis, hoc est, gratiam speciei pro gratia fidei, gratiam deificationis in futuro, pro gratia actionis et scientiae in praesenti. Et ne quis eorum, qui se gloriantur in lege, existimaret, se gratiam et veritatem ex lege accepisse, continuo subjecit :

Quia lex per Moysen data est. Ac si dixisset : Propterea dico ex plenitudine Christi nos omnes accepisse gratiam et veritatem, et non ex lege, quia lex tantummodo per Moysen data est, quae nullam gratiam accipientibus eam secundum litteram impertitur, quoniam nihil aliud est, nisi umbra quaedam et symbolum Novi Testamenti. *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Potest et sic intelligi : quia lex, dum consideratur in Moysi, id est, in littera nuda, solummodo lex est; dum vero in Christo, gratia et veritas est. Spiritus enim legis gratia et veritas est in Christo Jesu. Lex itaque, considerata in Moysi, non est gratia et veritas, in Christo autem gratia et veritas est. Beatus Augustinus ita Vetus Testamentum discernit a Novo; ait enim : Lex data est, ut gratia quaereretur, gratia autem data est, ut lex impleretur. Tria itaque proponit : legem, gratiam, veritatem; tres ierarchias insinuans, unam quidem in Veteri Testamento, in obscurissimis aenigmatibus traditam; secundam, quam et mediam dicimus, in Novo Testamento, in quo abundantia gratiae, et eorum, quae mystice in lege et dicta et facta sunt, apertissima declaratio est; tertiam, caelestem dico, jam in hac vita inchoantem, et in altera vita perficiendam, in qua purae veritatis contemplatio in his, qui deificantur, absque ulla caligine donabitur. Prima itaque ierarchia legis nomine, secunda gratiae, tertia veritatis appellatione insinuatur. De quibus tribus ierarchiis quisquis plenius scire desiderat, legat sanctum Dionysium Areopagitam [2].

Deum nemo vidit unquam. Ad cumulum laudis plenitudinis Christi additur quod ait : Deum nemo vidit unquam, et quasi hac occasione divinae invisibilitatis omni beatitudine humana privaretur natura — ipsius namque contemplatio vera est beatitudo — si non succurrerit divina bonitas per incarnationem unigeniti Filii Dei, qui in carne, hoc est, in toto homine, quem accepit, non solum se ipsum aperuit, sed omnino antea incognitum Deum Patrem hominibus manifestavit, sicut ait ipse : « Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi », et iterum Philippo quaerenti et dicenti, « Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis », respondetur : « Philippe, qui me videt, et patrem videt meum »; et iterum : « Nemo vidit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ». Nec solum hoc de hominibus, verum etiam de angelis intelligendum. Nam et angeli Deum suum, qui omnem intellectum exsuperat, in sua natura cognoscere non potuerunt, quia invisibilis et incognitus est, Verbo vero incarnato domi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *possidet*. [2] Cod. *Ariopagitam*.

num suum intellexerunt, Dei videlicet Filium, et in ipso et per ipsum totam remotam ab omnibus Trinitatem. Universaliter itaque et rationali et intellectuali creaturae profuit Dei Verbi inhumanatio, rationali videlicet ad libertatem naturae ex morte et servitio diabolico, et ex ignorantia veritatis, intellectuali vero ad cognoscendam suam causam, quam prius ignorabat. Hinc Apostolus : « In quo restaurata sunt omnia, quae in caelo et in terra ». Sed non immerito quaeritur, cur [1] in Veteri Testamento et in Novo frequenter legatur de Deo, hominibus apparuisse, sive visibiliter carnalibus oculis, sive invisibiliter propheticis visionibus, dum Evangelium ait : « Deum nemo vidit unquam ». Sed si de solo Patre diceretur, quod eum nemo vidit, facillime solveretur quaestio, ut persona Filii et Spiritus sancti saepe intelligantur visibiliter apparuisse, solum vero Patrem remotum ab omni visione. Quoniam vero non de una persona, sed de sola Trinitate, quae Deus unus est, hoc intelligitur dictum, « Deum nemo vidit unquam », essentiam videlicet et substantiam unius Trinitatis, quoniam superat omnem intellectum rationalis et intellectualis creaturae, non immerito investigandum est, quod apparuit, dum dicitur Deus sive visibiliter sive invisibiliter apparuisse. Beatus Augustinus incunctanter aperit, Filium apparuisse in Veteri Testamento, non tamen in ea substantia, qua Patri aequalis est, sed in aliqua subjecta creatura, sive visibili sive invisibili. Similiter quando apparuisse Spiritus legitur, verbi gratia in specie columbae, non per se ipsum in ea substantia, qua Patri et Filio coessentialis est, sed in subjecta creatura est existimandum. Id ipsum de Patre intellige. Visiones etiam prophetarum, quibus prophetae Deum vidisse perhibentur, de subjecta quadam spirituali creatura factae sunt; substantiam vero divinam per se ipsam nullo modo eis apparuisse Dionysius incunctanter astruit, ne invisibilis et incomprehensibilis aliquo modo videri aut comprehendi posse existimetur. Quaeritur etiam, utrum hoc [dicatur de] hominibus solummodo adhuc in hac vita degentibus, non autem de virtutibus caelestibus, quae semper in divina contemplatione consistunt. Ad hoc dicendum, quia nullus humanae seu angelicae naturae particeps ipsum Deum per se ipsum in sua propria natura potest contemplari. Quod enim in latino codice scriptum, « Deum nemo vidit », in graeco « Deum nullus vidit »; οὐδεὶς quippe et *nemo* et *nullus* interpretatur. Quid ergo sanctae animae hominum et sancti intellectus angelorum vident, dum Deum vident, si ipsum Deum non vident, quem videre perhibentur? Verbi gratia, ut pauca exempla de multis ponamus, Esaias vidit Dominum sedentem super solium excelsum. Dominus dicit in Evangelio : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est ». Item : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo me ipsum ei ». In epistola sua Joannes : « Scimus quia filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia, cum ipse apparuerit, videbimus eum, sicuti est ». Paulus item : « Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem faciem ad faciem », ceteraque id genus. Quid, inquam, vident homines et angeli, vel visuri sunt, dum apertissime et sanctus Ambrosius et Dionysius Areopagita absque ulla cunctatione inculcant, Deum, summam dico Trinitatem, nulli per se ipsam unquam apparuisse, nunquam apparere, nunquam apparituram ? Apparebit itaque in theophaniis suis, hoc est divinis apparitionibus, in quibus juxta altitudinem puritatis et virtutis uniuscujusque Deus apparebit. Theophaniae autem sunt omnes creaturae visibiles et invisibiles, per quas Deus, et in quibus saepe apparuit, et apparet, et appariturus est. Item virtute purgatissimarum animarum et intellectuum theophaniae sunt, et in eis quaerentibus et diligentibus se Deus manifestat, in quibus veluti quibusdam nubibus rapiuntur sancti obviam Christo, sicut ait Apostolus : « Rapiemur in nubibus obviam Christo », nubes appellans altitudines clarissimas divinae theoriae, in qua semper cum Christo erunt. Hinc est, quod Dionysius ait : « Et si quis eum, Deum videlicet, vidisse dixerit, non eum vidit, sed aliquid ab eo factum. Ipse enim omnino invisibilis est, qui melius nesciendo scitur, et cujus ignorantia vera est sapientia ». *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*; vel ut in Graeco scribitur : qui est in sinum Patris, vel in sinibus Patris. In quibusdam codicibus Graecorum singulariter sinus Patris dicitur, in quibusdam pluraliter, quasi sinus multos Pater habeat. *Ipse enarravit.* Unigenitus itaque Filius Deum narravit, hoc est, in se ipso manifestavit, non in quantum divinitas ejus, quae omnino invisibilis est, sed in quantum humanitas, quam, ut se ipsum et Patrem suum, necnon et Spiritum sanctum suum hominibus manifestaret et angelis, accepit. Nam humana anima, dum per se ipsam invisibilis sit, per motus suos corporeos, non quid sit, sed quia sit, manifestat. Et quid est, quod ait : « Qui est in sinu Patris » vel « in sinibus Patris »? Utrum aliud est sinus Patris, aliud unigenitus Filius Patris? Non aliud, sed unigenitus Filius ipse est sinus Patris. Sinus autem Patris dicitur Filius, quia Patrem insinuavit mundo. Sinus etiam Patris unigenitus Filius est, quia in secretis paternae naturae semper est, sicut ipse ait : « Ego in Patre, et Pater in me est ». Quemadmodum igitur domus Patris unigenitus Filius est, sicut ipse ait : « In domo Patris mei mansiones multae sunt »; ac si diceret : In me, in quo Pater veluti in sua propria domo habitat, multae mansiones sunt; in ea enim unusquisque suam receptionem pro suis meritis et ipsius gratia possidebunt : ita et sinus Patris est Filius; in ipso enim recipit Pater, et colligit, quos vult

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *cur cum.*

recipere et colligere. *Enarravit*; hoc est, doctrina et manifestatione [1] suae incarnationis Deum invisibilem demonstravit et demonstrat et demonstraturus est; sicut ait in ipsa sententia, quam paulo superius introduximus: « Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo me ipsum ei ».

Et hoc est testimonium Joannis. Ac si diceret: Hoc totum, quod diximus, ab eo loco « Joannes testimonium perhibet » usque ad id quod est, « ille enarravit », testimonium Joannis est praecursoris de eo, cujus praecursor est. Deinde veluti ex alio primordio narrationis incipit, dicens: *Quando miserunt Judaei ab Jerosolimis* cet. Et est ordo verborum: *Et confessus est, et non negavit, quando miserunt Judaei ab Jerosolimis sacerdotes et levitas*, et reliqua. Quid autem non negavit, et quid confessus est?

Quia non sum ego Christus. Putabant enim Judaei Joannem Baptistam Christum fuisse, quia in prophetis praedictum, quod in mundum venturus esset. Putabant quoque eum Heliam Thesbiten, propter nimiam sui abstinentiam, et castitatem, et solitariam vitam, et asperrimam delictorum reprehensionem, et durissimum vindictae futurae terrorem. Et praeter hoc putabant, eum, Joannem dico, unum aliquem ex prophetis iterum surrexisse, videntes maximam prophetiae gratiam in eo profecisse. « Non sum ego », inquit, « Christus, quia Christi praecursor sum et vox clamantis in deserto ».

Helias es tu? Et dixit: Non sum. Haec negatio duobus modis intelligitur. Non sum, dixit, Helias, sed in spiritu et virtute Heli veni. Item non sum Helias; ille enim solummodo propheta, ego vero non solum propheta, sed et praecursor. Non quod omnes prophetae praecursores Christi non sint, sed quod nullus prophetarum simul cum Christo uno eodemque anno natus est, qui fieret praecursor parvo spatio interposito. *Propheta es tu? Respondit: Non.* Item dupliciter intelligitur: aut, quia plus quam propheta est, sicut de eo Christus praedicat, ideo negat se prophetam esse, aut quod opinioni eorum respondit. Putabant enim, Joannem unum ex mortuis prophetis praeteriti temporis fuisse. Ait ergo: Non sum unus ex ipsis prophetis, de quorum numero existimatis me surrexisse, et praesentialiter vobis praedicare.

Dixerunt ergo ei: Quis es? Si Christus, seu Helias, seu aliquis prophetarum non es, dic, quis es, ne absque responso atque ulla cognitione de te ad eos, qui nos miserunt, redeamus, nullumque responsum eis reddere valeamus. *Quid dicis de te ipso?* Audivimus enim, te de Christo praedicasse, de te autem ipso nil manifestum asseris. Quid ergo dicis de te ipso?

Ego sum vox clamantis in deserto. Si quaeritis, inquit, quid de me ipso profero, cognoscite, quia ego sum vox. Non dixit, « quia ego sum homo », seu « ego sum Joannes filius Zachariae », sed dixit: « Ego sum vox ». Non enim in se humanam substantiam consideravit, nec humanam generationem, siquidem ultra haec omnia exaltatus est praecursor Verbi. Deseruit omnia, quae intra mundum continentur, ascendit in altum, factus est vox Verbi, ita ut nullam in se substantiam fateretur, praeter id quod extra omnem creaturam ex abundantia gratiae accepit, esse videlicet vox Verbi. Hoc autem nomen non a se ipso, sed longe ante ab Esaia propheta, imo a Spiritu sancto per Esaiam sibi est impositum. Itaque ego sum vox, non mea vox, sed clamantis vox; vox enim relative dicitur. Clamantis igitur Verbi, hoc est, per carnem praedicantis vox est Joannes. Et ubi clamat Verbum, cujus vox est Joannes? *In deserto.* Hoc desertum multi volunt intelligi de Judaea, deque toto Israel. Judaea quippe in desertum redacta est, omni divino cultu evacuata, idololatriaeque sordibus contaminata, legalem litteram solummodo, omni spirituali sensu evacuatam, diversis superstitionibus pollutam sequens; et quae prius confessio dicta est, Judaea enim *confessio* interpretatur [a], in negationem omnino veritatis versa est. In hac itaque solitudine et vox Verbi et ipsum Verbum primo praedicavit. Sed cur vocis appellatione praecursor Verbi significatur, non immerito quaeritur. Est igitur vox interpres animi. Omne enim, quod intra semetipsum prius animus et cogitat et ordinat invisibiliter, per vocem in sensus audientium sensibiliter profert. Animus itaque, id est, intellectus omnium, Dei Filius est. Ipse est enim, ut ait sanctus Augustinus, intellectus omnium, imo omnia. Cujus praecursor pulchre vocis vocabulo nominatur, quia primo per ipsum demonstratus est mundo, dicens « Ecce agnus Dei » et reliqua. Altiori vero theoria desertum intelligitur divinae naturae ab omnibus remotae ineffabilis altitudo. Deseritur enim ab omni creatura, quia superat omnem intellectum, cum nullum intellectum deserit. Et hoc graeco nomine, quod est ἔρημος, luce clarius significatur. Ἐρημία quippe interpretatur remotio et excelsitudo, quod omnino divinae convenit naturae. In ipso itaque deserto divinae celsitudinis Verbum clamat, per quod facta sunt omnia. Audi Moysen in Genesi dicentem: « Dixit Deus: Fiat lux », dixit Deus: « Firmamentum »; similiter in omnibus operibus sex dierum praecedit: « dixit Deus ». Ubi Dei nomine Patrem intelligimus, « dixit » autem Dei Verbum significat. Clamat itaque Verbum Dei in remotissima divinae bonitatis solitudine. Clamor ejus naturarum omnium conditio est. Ipse enim vocat ea, quae sunt, tanquam quae non sunt, quia per ipsum Deus Pater clamavit, id est, creavit cuncta, quae fieri voluit. Clamavit ille invisibiliter, priusquam fieret mundus, mundum fieri. Clamavit, in mundum

VARIAE LECTIONES.

[1] cod. *doctrinam et manifestationem.*

NOTAE

[a] Hieronymus: *Juda, laudatio, confessio.* Nam יְהוּדָה ducitur a verbo יָדָה Hiph. הוֹדָה, id est, *confiteri*.

veniens, visibiliter mundum salvari. Prius clamavit aeternaliter per solam suam divinitatem ante incarnationem; clamavit postea per suam carnem. Et quid illa vox ejus, hoc est praecursor ejus, vociferat? Audi. *Dirigite viam Domini.* Quid est « Dirigite viam Domini »? Nonne quod sequitur, « rectas facite semitas »? Dirigite ergo viam Domini, hoc est, recte praedicate et credite Dominum, qui via est, sicut ipse ait : « Ego sum via et veritas et vita ». Potest et sic intelligi: « Dirigite viam Domini », hoc est, recte credite in Dominum. Non enim per aliam viam Dominus corda hominum ingreditur, nisi per fidem, quae via est Domini. *Sicut dixit Esaias propheta.* Videns evangelista sententiam Esaiae de praecursore Domini in Evangelio secundum Lucam plenissime scriptam, intermittere voluit, ne videretur superfluum, eandem sententiam recapitulare. In hoc loco de mysticis praecursoris nominibus pauca inserere non est inconveniens, ut opinor. Vox vocatur, quia, sicut vox praecedit mentis conceptum, ita Joannes praecessit Dei Verbum. Πρόδρομος vocatur, id est praecursor, quia non solum Joannes in conceptione et nativitate, verum etiam in mysterio baptismatis et praedicationis poenitentiae Dominum praecessit. Φώσφορος dicitur, hoc est lucem ferens, quia ipse primo lucem mundi in notitiam mundo attulit, et in se ipso gestavit. Stella matutina, quam Graeci ἄστρον πρωϊνὸν appellant, Joannes dicitur, quia, sicut illa stella, quam astrologi luciferum vocant, ortum solis praecedit, ita praecursor Domini prius mundo apparuit, quem sol justitiae subsecutus est. Similiter a Graecis ἀκριδομελιτροφὸς vocitatur, propter suam abstinentiam a communibus hominum alimentis. Ἀκρὶς quippe interpretatur *locusta*, μέλι *mel*, τροφὴ [1] *esca*; ἀκριδομελιτροφὸς itaque locustas et mel silvestre comedens interpretatur.

Et qui missi fuerunt, erant ex Pharisaeis [2]. Quaeritur, quare Pharisaei missi sunt ad Joannem? Sed ad hoc dicendum : Ideo specialiter Pharisaei, audientes praedicationem Joannis generalem omnium resurrectionem ex mortuis populo suasisse, et maxime eo loci, ubi ait, « genimina viperarum, quis vos liberabit a superventura ira », in judicio videlicet post resurrectionem, desiderabant audire Joannem; nam et ipsi resurrectionem mortuorum firmissime credebant et praedicabant, ac per hoc in multis consensisse Christo perhibentur, Paulum quoque apostolum frequenter adjuvisse.

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque propheta? Quaeritur, cur Pharisaei tribuerint auctoritatem baptismatis Heliae, aut cuipiam prophetarum; audierant enim in prophetis, Christum in mundum venturum et baptizaturum. Scientes itaque, Jordanem figuram baptismatis gessisse, eumque Heliam et Elisaeum siccis pedibus transiisse, figuram baptismatis in Helia et Elisaeo non dubitabant praecessisse, aut illos ipsos sur- A rexisse ac baptizasse. Ac per hoc non interrogabant : « Prophetarum unus es tu »? sed solummodo : « Propheta es tu »? ipse videlicet, qui praefigurabat baptismum. Respondit eis :

Ego baptizo in aqua; ac si diceret : ego tingo in aqua solummodo per purgationem corporum, sanctificationem corporis et animae in eo, qui vere baptizat, praefigurans. *Medius autem vestrum stat,* hoc est, praesens vobis apparet, *quem vos nescitis,* quia in eum non creditis, neque, quis sit, cognoscitis.

Ipse est, qui post me venturus est. Hic est, qui in divina disputatione et praedicatione, priusquam fieret mundus, definitus [3] est, quod post me venturus esset in mundum, ut me praecursorem suum subsequeretur. *Qui ante me factus est;* hoc est, qui coram B oculis mentis meae et corporis praesens factus est. Ipsum siquidem video, et cognosco in medio vestrum, vos autem eum nescitis. Est et alius intellectus in his verbis, ut Maximo placet. Joannes figuram poenitentiae gerit, quoniam poenitentiam praedicavit; Christus autem figuram justitiae, non solum quia mundum judicat, verum etiam, quia ipse justitia aeterna est. Poenitentia non nisi post praevaricationem justitiae valet fieri; humana itaque natura, quae leges divinas in paradiso transgressa est, sub persona Joannis poenitentiam praedicat et facit, et substantialem Dei Verbi justitiam praecedentem se per divinitatem, et post se venturam per carnis dispensationem manifeste declarat, ut eam, humanam dico naturam, juxta divinas leges, quas C superbiendo spreverat, conversantem, ad pristinum aeternae justitiae statum revocaret. *Cujus ego non sum dignus,* et reliqua. Calceamentum Verbi est sua caro, quam de virgine assumserat, quae per figuram calceamenti insinuatur. Ut enim calceamentum ex corio mortuorum animalium efficitur, ita caro Christi propter nos mortalis facta est, ut morte ipsius mors nostra omnino interimeretur. Nam caro Christi non merito sui peccati mortalis facta est, sicut caro nostra, sed ad naturam nostram post peccatum condescensione passibilis erat. Mortem siquidem subire propter nos non renuit, causam vero mortis, peccatum dico, non recepit. Ideoque mors eum detinere non potuit, quia debitor mortis non fuit. Non poterat D mors detinere captivum, quem non invenerat criminosum. A primo ergo homine ante peccatum accepit absque peccato esse; ab eodem post peccatum accepit mori posse; quibus duobus totam nostram naturam in se ipso restituit. Mortem quippe nostram omnino in se delevit, et vitam aeternam restituit. Eo vero, quod peccato caruit, naturam nostram, antequam peccaret, in se manifestavit. Si itaque calceamentum Verbi caro Verbi est, non incongrue corrigiam calceamenti ejus subtilitatem, et investigabilem perplexionem mysteriorum incarnationis intellige. Cujus mysterii altitudinem solvere indignum se praecursor judicat.

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. θρόφος. [2] Cod. *Fariseis.* [3] Cod. *diffinitus.*

Notandum tamen, quod non dixit, « cujus corrigiam calceamenti non solvam », sed dixit : « Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ». Solvit enim ille mysteria incarnationis Christi, quando ipsum apertissime manifestavit mundo, multaque de divinitate et humanitate ipsius aperuit. Indignum tamen ad hoc agendum se comparat. Potest etiam per calceamentum Christi visibilis creatura et sancta Scriptura significari; in his enim vestigia sua veluti pedes suos infigit. Habitus quippe Verbi est creatura visibilis, quae eum aperte praedicat, pulchritudinem suam nobis manifestans. Habitus quoque ejus facta est Scriptura, quae ejus mysteria continet, quorum omnium, id est, creaturae et litterae corrigiam, hoc est, subtilitatem solvere indignum se praecursor existimat. Duo pedes Verbi sunt, quorum unus est naturalis ratio visibilis creaturae, alter spiritualis intellectus divinae Scripturae. Unus tegitur sensibilis mundi sensibilibus formis, alter divinorum apicum, hoc est, Scripturarum superficie. Duobus quippe modis divinae legis expositores incarnationem Dei Verbi insinuant. Quorum unus est, qui ejus incarnationem ex virgine, qua in unitatem substantiae humanam naturam sibi copulavit, edocet. Alter est, qui ipsum Verbum quasi incarnatum, hoc est, incrassatum litteris rerumque visibilium formis et ordinibus asserit. Cujus biformis calceamenti corrigia est diligens in his omnibus veritatis inquisitio ac perplexa admodum vestigatio, cujus solutione indignum se praecursor judicat.

Haec in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Haec, inquit, quae hactenus dicta sunt a praecursore de divinitate Dei Verbi et humanitate, deque praecursoris ipsius praedicatione, Pharisaeisque responsione, in Bethania facta sunt, trans Jordanem, hoc est ultra Jordanem. Bethania interpretatur *domus obedientiae* [a]. Sunt autem duae Bethaniae, quarum una ultra Jordanem, ubi erat Joannes baptizans, altera infra Jordanem, non longe ab Jerusalem, ubi Dominus Lazarum suscitavit. Sed haec plenissima mysteriorum sunt. Bethania igitur trans Jordanem praefigurat mystice humanam naturam, quae domus obedientiae, priusquam peccaret, facta est. Ad hoc enim creata, ut divinis mandatis, sibi intra septa paradisi, hoc est, intra naturalia sui bona traditis obediret, ne a contemplatione et amore Creatoris sui, ad cujus imaginem creata est, recederet, sed semper ei adhaereret. Trans Jordanem Bethania humana natura ultra fluenta divinae gratiae, quae post incarnationem Verbi in eam diffusa sunt, veluti egestate divinorum bonorum et siccitate infusionis sapientiae confecta residebat. Bethania vero in Judaea citra Jordanem juxta Jerusalem eadem natura, per incarnationem Verbi Dei liberata, et per fluenta divinae gratiae, quae primitus per sacramenta baptismatis distribuuntur veluti in Judaeam, id est, in veram confessionem fidei et actionis et scientiae, et in domum obedientiae, hoc est, in unitatem Ecclesiae divinis legibus obedientis transducta juxta Jerusalem posita est. Jerusalem quippe *visio pacis* interpretatur [b]. Quae caelestem civitatem significat, ad quam adhuc humana natura non pervenit omnino, quod post generalem omnium resurrectionem futurum esse credimus, quando ad integram plenissimamque divinae speculationis humana natura introducetur. Adhuc tamen non longe a caelesti patria distat, dum adhuc in carne moratur in domo obedientiae. Ex parte enim veritatem cognoscit, sui redemptoris gratia illuminata; ex parte prophetat, invisibilibus symbolis mysticisque doctrinis ea, quae ad purum non intelligit, significans. Ac per hoc in hac una sententia evangelistae tres ierarchiae, hoc est, tria sacerdotia mystice insinuantur. Primum siquidem sacerdotium, quod erat sub lege, veluti Bethania ultra effusiones per Christum gratiae et veritatis in Novo Testamento constituitur. Quod, sacerdotium dico, longe ab Jerusalem, hoc est, a visione pacis distabat, propter obscura sui mysteria et ad intelligendum difficillima, propterque mandatorum ejus densissimas caligines, et a luce veritatis valde remotas. Secundum sacerdotium est in Novo Testamento; quod a praedicatione praecursoris incipit, et in fine mundi terminabitur, sicut ait Scriptura : « Lex et prophetae usque ad Joannem, et ab eo regnum caelorum ». Quod sacerdotium partim lucet clarissima veritatis cognitione, partim obscuratur in symbolis. Symbola autem Novi Testamenti principalia tres τελεταί sunt, hoc est, tres mysticae hostiae, quarum una baptismatis est, altera συνάξεως [1], hoc est, communionis corporis Domini et sanguinis, tertia in mysterio chrismatis. Tertium sacerdotium in futura vita celebrabitur, in qua nulla symbola, nulla figurarum obscuritas, sed tota apparebit clarissima veritas. Ideoque sacerdotium Novi Testamenti medietatem quandam inter praeteritum legis, et futurum beatae vitae obtinet [2]. In quibusdam quippe veritatem considerat ut futurum, in quibusdam in ministeriis celebrat ut praeteritum. Bethania itaque trans Jordanem sacerdotium legis, Bethania citra Jordanem, non longe ab Jerusalem, sacerdotium gratiae, Jerusalem praefigurat futuram beatorum vitam. In sacerdotio igitur legis quasi trans Jordanem sub lege naturae et sub lege scripta erudita est et correcta ipsa humana natura, quae imaginem Dei post praevaricationem in se obscuravit per veritatis ignorantiam, et contaminavit per rerum temporalium concupiscentiam. In sacerdotio Novi Testamenti sub Christo eadem natura illuminata, et sub lege gratiae educata, et futuro sacerdo-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *synaxios.* [2] Cod. *optinet.*

NOTAE.

[a] Hieronymus : *Bethania, domus afflictionis ejus, vel domus obedientiae.* Bethania derivatur a verbo עָנָה *respondere, obedire, depressus esse.*

[b] S. Hieronymus : *Jerosolyma, visio pacis.* J. Scotus vocem infra interpretatur *templum pacis.* Vox derivatur a ראה שׁלם.

tio veluti proxima atque perfecta facta est, illuminata quidem per fidem, educata vero per spem, et proxima facta divinae visioni per caritatem, in quantum divinarum intelligendarum sublimitates adhuc in carne posita sinitur penetrare. Sed si quaeris harum trium legum, naturalis dico, et scriptae, et gratiae differentiam, breviter cognosce. Lex naturae est, quae imperat, omnes homines se invicem aequaliter diligere, ut quemadmodum una eademque natura omnibus idem, ita et communis omnium ab omnibus dilectio fiat. Lex scripta est, quae prohibet legem naturae violari, et discernit inter virtutes et vitia, et figuram legis gratiae gerit. Ipsamque legem scriptam dico adjutorium esse legis naturae, ut, quoniam lex naturae per se ipsam solummodo humanam naturam corrigere non valuit, violentia legis scriptae, quae prohibenda sunt, coerceret, et quae adimplenda, doceret. In tantum quippe lex naturae in hominibus pene abolita est, ut neque conditorem suum cognosceret, neque inter virtutes et vitia ullam differentiam habere posset. Lex gratiae est, quae docet non solum homines se invicem diligere, et virtutes et vitia discernit, verum etiam supra haec, quod soli divinae gratiae possibile est, pro hominibus non solum bonis, verum etiam et malis, si necesse est, mori. Quam legem Christus in se ipso adimplevit, quando non solum pro omnibus hominibus, verum etiam pro omnibus impiis passus est. *Ubi erat Joannes baptizans.* Joannes baptizabat trans Jordanem, merito, quia adhuc verum baptisma, quod liberat totam humanam naturam non solum de originali peccato, verum etiam de propriis delictis in his, qui subeunt illud, non habebat, sed solummodo veluti sub figura quadam perfecti baptismatis, quod in Christo subsecutum est, in sola aqua baptizabat. Ultra igitur Jordanem baptizabat, id est, ultra divinorum donorum fluenta, quae nondum in Christo inchoaverunt in humanam naturam descendere. Joannes erat trans Jordanem, quoniam Joannes figuram legis naturae, necnon et legis scriptae gestabat. Lex quippe naturae in Joanne praefigurabatur. Nam qui sub lege naturae degunt pie et caste, omnique carnalis conversationis contagione remote, veluti in quadam solitudine divinarum virtutum debent vivere, ut Joannes. Legem quoque scriptam Joannes significat, quoniam ipsius finis est; « lex enim et prophetae usque ad Joannem ». Quoniam vero non solum propheta, verum etiam manifestator Christi factus est, non modo legem significat solam, sed et Evangelium et gratiam. Ideoque sequitur : « Et ab eo regnum caelorum » ; ac si dixisset : In Joanne, veluti quodam confinio, et lex finitur, et manifestatio gratiae, quam regnum caelorum vocat, ab eo incipitur.

Altera die, vel, ut in Graeco significantius scribitur, *alia die videt Joannes Jesum venientem ad se.* Alia, inquit, die, hoc est, alia cognitione. Prima enim cognitio fuit, quando eum concurrentibus ibi-

A dem populis manifestavit, dicens : « Hic erat, quem dicebam vobis ». Nunc autem, veluti secunda notitia, altera die, vel alia die, videt Joannes Jesum venientem ad se. Duplici contuitu, mentis videlicet et corporis, Joannes praecursor Dominum suum, quem praecurrebat, cognoscit venientem ad se, non solum corporis gressibus, verum interioris suae contemplationis accessibus. Jesus venit ad Joannem. Venit igitur Jesus ad Joannem, hoc est, dignatus est cognosci ab Joanne secundum divinitatem suam et humanitatem. Et ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Manifeste eum populis praedicat, dum dicit : « Ecce Agnus Dei ». Verbum Dei ab Joanne Agnus nominatur. Ipse enim erat, quem mysticus Agnus in lege praefigurabat. Nec mirum,

B si umbra praedicatur de veritate. Umbra erat legalis Agnus, veritas erat, ac veluti quoddam corpus umbrae, Jesus Christus. Agnus quoque nominatur non irrationabiliter. Tria enim Agnus possidentibus se ministrat : lac, lanam, esum quoque suae carnis. Dominus noster credentibus se indumenta praestat virtutum, lacte, hoc est, simplici doctrina veritatis eos nutrit, et ad perfectam escam divinae suae contemplationis perducit. Agnus dicitur Christus Dei, quia pro omni mundo immolatus est, ideoque sequitur : *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Tollit, ait, non de loco ad locum, vel de tempore in tempus, sed omnino tollit, ne omnino sit, et per suae sanctissimae carnis interemtionem omnino totum mundi peccatum interimit. Peccatum mundi dicitur origi-

C nale peccatum, quod commune est totius mundi, hoc est humanae naturae; cujus reatus nunc gratia baptismatis demittitur, ipsum vero in fine mundi, in resurrectione omnium, omnino destruetur. Est itaque originale peccatum illud, quo tota humana natura, simul et semel ad imaginem Dei condita, et in qua omnes homines, ab initio mundi usque ad finem, et unum sunt, et secundum corpus et animam simul creati, leges divinas per inobedientiam transgressa est in paradiso, nolens mandatum Dei custodire. Non enim primus Adam ille, qui ex generalitate naturae humanae ante ceteros in mundum hunc visibilem venit, solus peccavit, sed omnes peccaverunt, priusquam in mundum

D procederent. Nam quod Apostolus ait : « sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur », non de ipso uno ac primo homine intelligimus, sed nomine Adam omnem generaliter naturam humanam significari accipimus. Ille siquidem singularis Adam non nasceretur in hunc mundum corruptibilem per generationem, si naturae humanae non praecederet delictum. Divisio quippe naturae in duplicem sexum, virilem dico et femineum, et ex ipsis humanae processionis et numerositatis per corruptionem generatio, poena generalis peccati est [a], quo simul totum genus humanum praevaricatum est mandatum Dei in paradiso. Hoc igitur gene-

NOTAE.

[a] J. Scotus pessime omnino docet, primum hominem ante praevaricationem simplicem hominem

rale peccatum originale dicitur; nec immerito, quoniam peccatum communis omnium originis est, cujus merito mortis et corruptionis omnes homines, excepto Redemptore, debitores sumus; solus siquidem ad medicamentum vulneris Redemptor noster in illa massa totius humani generis absque peccato relictus est, ut per illum solum semper salvum totius naturae vulnus curaretur, ac per hoc ad pristinum statum salutis totum, quod vulneratum est, restitueretur. Hoc itaque originale peccatum, singulorumque post generationem in hunc mundum delicta, gratiae baptismatis abundantia per Salvatorem nostrum relaxantur, ut omnino non sint. Et hoc est, quod ait evangelista : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi ». Hic est unicus et singularis Agnus mysticus, in cujus figura Israeliticus populus singulos agnos per singulas domus paschali tempore immolabat. Nam et nos, qui post peractam ejus incarnationem et passionem et resurrectionem in eum credimus, ejusque mysteria, quantum nobis conceditur, intelligimus, et spiritualiter eum immolamus, et intellectualiter mente, non dente, comedimus [b]. Itaque unusquisque credentium Christo, secundum propriam virtutem, et subjectum sibi virtutis habitum et qualitatem, et crucifigitur, et crucifigit sibimet ipsum Christum, Christo videlicet concrucifixus. Unus quidem soli peccato crucifigitur, dum ab omnibus operationibus ipsius in carne et per carnem suam quietus, veluti quadam morte obrutus efficitur; et illud, peccatum dico, clavis timoris Domini confixum mortificat, dum omnes ipsius impetus, ne quid in sua carne operari valeant, refrenat. Alius passionibus, hoc est, infirmis animae actionibus, quibus primo in se ipsa corrumpitur, priusquam per corpus operetur — actio quippe animae est, operatio vero corporis — crucifigitur, dum per potentias restauratae animae sanatur. Alius passionum phantasiis, hoc est, imaginibus rerum sensibilium, quae in sensibus corporeis, quos sapientes vocant passiones, formantur, crucifigitur, dum eis, phantasiis dico, sui sensus obstruuntur, ne in libidinem cujuspiam rerum temporalium per eos turpiter attrahatur. Alius cogitationibus, mentisque conceptionibus, quas per sensus corporeos de sensibilibus rebus hauserat, crucifigitur, ne diutius in eis demoretur, a divinis contemplationibus retractus. Alius non solum phantasiis sensuum, verum etiam omnino ipsis omnibus sensibus moritur, ne per eos ullo errore seducatur. Alius omnem naturaliter familiaritatem et habitum, quem per sensus corporeos ad sensibilia possederat, veluti ipsis omnibus crucifixus deponit. Alius universaliter omnem sensibilem motum in se ipso, veluti in quadam cruce, extinguit, ita ut nullum omnino in se ipso naturalem habeat actum. Et unusquisque horum secum crucifigit Christum. Unusquisque enim fidelium, qualem in animo habuerit habitudinem per incrementa virtutum, talem de Christo habebit fidem per augmenta intelligentiarum; et quotiens prioris vitae modis et inferioris moritur, et in altiores gradus subvehitur, totiens opiniones de Christo, quamvis simplices, tamen in ipso et cum ipso morientur, et in sublimiores de eo theophanias fide atque intelligentia provehetur. Itaque in suis fidelibus Christus quotidie moritur, et ab eis crucifigitur, dum carnales de eo cogitationes, seu spirituales, adhuc tamen imperfectas, interimunt, semper in altum ascendentes, donec ad veram ejus notitiam perveniant; infinitus enim infinite etiam in purgatissimis mentibus formatur. Alius ab ipsa intellectuali operatione perfecte quiescit, veluti perfecte mortuus; non enim solummodo naturales actus animae, verum etiam intellectuales ejus operationes superat. Alius activae crucifigitur philosophiae. Activa autem philosophia est, quae circa naturalium virtutum adunationes et discretiones versatur. Activa quoque philosophia rationes inhumanati Verbi, quantum valet, considerat; quas omnes, hoc est totam moralem philosophiam, de virtutibus animae deque Christi carne spiritualis homo superans, ad ipsam naturalem contemplationem in Spiritu, veluti a quadam carne Verbi ad ipsius animam transcendit. Alius naturali theoriae moritur. Est autem naturalis theoria rationabilis animae, quam Christus accepit, virtus speculativa, cui spiritualis homo moritur, dum jam non solum negat Christum carnem esse, quam jam in spiritum versam esse intelligit, verum etiam ipsum depellit rationabilem animum esse. Ut enim caro ipsius exaltata est et mutata in animam rationabilem, ita rationabilis ipsius anima in intellectum et subvecta est et versa; ac per hoc, qui ad eum perfecte ascendit, ad uniformem simplamque theoricae scientiae in mysteria inductionem, veluti a quadam Christi anima ad intellectum ipsius transvehi necesse est. Alius ab eadem simpla theologica scientia, quae maxime circa Christi intellectum circumvolvitur, in ipsam perfectam secretamque divinam infinitatem per negationem, omnibus, quae post Deum sunt, moriens, veluti a quodam intellectu Christi ad ipsius divinitatem mystice ascendit. Sic Agnus Dei in cordibus fidelium mactatur, et mactando vivificatur; sic peccatum mundi ab omni hu-

NOTAE.

fuisse, at demum post peccatum humanam naturam in masculum et feminam divisam esse. Ex qua divisione sexuum natam esse generis humani multiplicationem, quae fiat generatione per corruptionem. Quem errorem in libris de div. Nat. uberius exposuit. Recensetur illa doctrina in commentatione de J. Scoto supra posita P. II § 50 sqq.

[b] En *ineptiarum*, quas, teste Adrevaldo, J. Scotus de sanctissima Eucharistia docuit, vestigia. Econtra Berengarius Romae subscribere debuit formulae: « Panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri esse; *et sensualiter* non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, et frangi et *fidelium dentibus atteri* ». Quae quidem de *specie* dicta sunt; nam *nulla rei fit scissura*. Nec non J. Scotus supra in expositionibus caelestis Ierarchiae docuerat, sanctissimam Eucharistiam *in interiora naturae nostrae viscera sumi, ad nostram ineffabilem deificationem*.

mana natura tollitur. Ubi non spernenda quaestio susurrat. Merito quippe quaeritur, quomodo Agnus Dei, id est Salvator mundi, originale totius humanae naturae peccatum tollit, utrum re ipsa jam ablatum est, et de tota natura purgatum, an adhuc in sola spe, re autem post communem humanae naturae resurrectionem auferetur? Nam si jam humana natura ab originali peccato reipsa liberata est, cur quotidie, qui baptizantur in Christo, remissionem originalis peccati propriorumque delictorum, quae ab originali peccato, quadam scaturigine, manant, per abundantiam gratiae accipiunt? Cur etiam, qui in carne nascuntur sine carnali concupiscentia, quae nihil aliud est nisi poena originalis peccati, nasci non possunt [a]? Si enim causa, peccatum dico originale, penitus eradicata est, quare suos effectus, vel potius sua poena adhuc permanet, de qua poena, qui ex ipsa carnali concupiscentia nascuntur, gratia baptismatis purgantur, inchoantes per Spiritum in Christo renasci, ita ut non solum, qui in carne per concupiscentiam carnis procreantur, parentum suorum delicti, quo concipiuntur, verum etiam communis criminis, originalis videlicet peccati, quo universaliter in primo homine omnes homines deliquerant, indulgentiae baptismatis indigeant? Ad hoc itaque dicendum, quia jam ab originali peccato humana natura neque in omnibus communiter, neque in singulis specialiter, re ipsa abolitio facta est perfectaque interemptio. Hoc enim servatur ad ultimam in fine mundi victoriam, quando, ut ait Apostolus, novissimus inimicus destruetur mors. Dum enim universaliter destruetur mors, quae masculino nomine novissimus inimicus vocatur, quoniam graece θάνατος, id est mors, masculini generis est, necessario causa ejus, originale peccatum, omnino ab humana natura delebitur. Praecedet enim abolitio causae abolitionem effectus, hoc est, praecedet interemptio originalis peccati in omnibus et in singulis interemptionem mortis; similiter in toto et in parte, quando etiam implebitur, quod dictum est per prophetam: « Ero mors tua, o mors, et morsus tuus, o inferne ». Adhuc itaque in spe liberata natura, in futuro vero reipsa liberabitur. Quid ergo datur per gratiam divinae generationis, per baptismum dico, si omnino originale peccatum radicitus non exstirpatur? Ad hoc dicendum: reatus solummodo originalis peccati per baptismum laxatur, manente adhuc originali peccato. Aliud enim est sagittam auferre de vulnere, aliud postea vulnus sanare. Hoc igitur totum est, quod nobis gratia baptismatis confert. Ex reatu enim peccati nos libe-

A rat, et in gratiam divinae filietatis exaltat, ut dimisso reatu vulnera delictorum nostrorum sanari incipiant. Quanto enim tempore reatus, quasi quoddam ferrum, in vulnere remanserit, nullum vulnus sanari possibile est; eo autem subtracto, spirituali medicinae locus tribuitur. . . . .

FRAGMENTUM II.

Cap. III, 1 — IV, 28.

Erat homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Judaeorum. Pharisaeus, *divisus* interpretatur; Pharisaei, *divisi* [b]. Secta namque eorum divisa est a ceteris Judaeis, id est a Scribis et Sadducaeis. Soli quippe Pharisaei resurrectionem mortuorum crediderunt, ceteris contendentibus. Nicodemus

B interpretatur *victoria populi*, vel *victor populus*, figuram gestans omnium, qui ex Judaico populo in Christum crediderunt. Omnis autem, qui credit in Christum, vincit mundum. *Princeps Judaeorum*, hoc est unus de principibus Judaeorum, doctus legalis litterae, magister Israel.

Hic venit ad Jesum nocte. Juxta Augustinum Nicodemus in figura catechumenorum ponitur. Etenim catechumeni, id est, in fide instructi, nondum tamen baptizati, neque sacramento corporis et sanguinis Domini imbuti, solam fidem habentes, ad Christum veniunt; ignorantes adhuc virtutem baptismatis, quod nondum accipiunt, veluti in quadam nocte ignorantiae sacramentorum accedunt. Juxta vero Gregorium theologum Nicodemus veluti quidam

C nocturnus discipulus accipitur, conformans eos, qui perfectissime in Christum credunt, ita ut nihil de integritate catholicae fidei eos lateat, luce tamen perfectorum operum carent, timentes carnalium suarum cogitationum et actionum, veluti infidelium Judaeorum impetum atque invidiam, sola fide colloquio Christi fruuntur, bonorum operum fiduciam non habentes. Propterea Evangelista ait: « Hic venit ad eum nocte ». *Et dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo magister venisti; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ex his verbis, quibus Nicodemus visus est Christum alloqui, datur intelligi, ipsum, Nicodemum dico, unum fuisse ex his, qui crediderunt paulo ante in die

D Pascha, de quibus dictum est: « Cum autem esset Hierosolomis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quae faciebat ». Ad hoc enim respicit quod ait: « Nemo potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo ».

Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre re-

VARIAE LECTIONES.

[a] Sic cod., forte leg. *humanae naturae?*

NOTAE.

[a] Ea, quae J. Scotus usque ad finem fragmenti de peccato originali cet. disputat, cum veritate Christiana non satis convenire, nemo non intelligit. Quae ipsius de his capitibus falsissima doctrina fuerit, copiosius disceptatur in commentatione supra typis expressa P. II § 57 sqq.

[b] S. Hieronymus: *Pherezati, separantes, sive disseminati, vel fructificantes.* Illud enim nomen derivatur a radice פרש, *separare*, id est *dividere*.

gnum Dei. Quaeritur, cur Jesus de secunda nativitate, quae est secundum spiritum, respondit Nicodemo, cum ipse nihil inde interrogasse videatur? Sed respondendum : quoniam Dominus vidit eum credidisse, sicut et ceteri crediderunt, qui signa ejus viderunt, et existimasse, quod sola fides eis sufficeret, absque spiritualis generationis virtute et sacramentis, continuo docere eum coepit de nativitate, quae est secundum spiritum. Ac si ei aperte diceret : Non sufficit tibi, solummodo in me credidisse, nisi sacramenta baptismatis accipias, virtutemque spiritualis generationis intelligas. Notandum, quod in codicibus Graecorum ἄνωθεν legitur, ubi in latinis codicibus *denuo* reperitur, ut sit sensus : nisi quis natus fuerit ἄνωθεν, hoc est desursum, ut desursum dicamus pro denuo; quod et facilius intelligitur, et duabus nativitatibus, terrenae videlicet atque caelesti, convenientius. Ait enim Apostolus : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis ». Duae siquidem nativitates sunt, ut ait Augustinus; quarum una de terra, altera de caelo, hoc est desursum; una ex parentibus, secundum carnem, altera ex Christo et Ecclesia, secundum spiritum; una in similitudine jumentorum per peccatum in mortem, altera in similitudine caelestium virtutum per gratiam in vitam; una contra naturam per delictum, altera secundum naturam per delictorum remedium. Gregorius autem theologus quatuor nativitates astruit, quas etiam Dominus noster Jesus Christus pro salute humanae naturae subiisse dignatus est. Quarum prima est nativitas illa, in qua totum genus humanum simul de nihilo natum; de qua scriptum est : « Et fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam ». Secunda, quae hominis delictum subsecuta ex utroque sexu, ad similitudinem ceterorum animalium, de qua eadem Scriptura dicit : « Masculum et feminam fecit eos »; per quam totum genus humanum in infinitum multiplicatur terrena successione. Tertia, quae est secundum spiritum, de qua nunc Dominus ait : « Nisi quis natus fuerit denuo »; in qua nativitate incipit humana natura ad suam pristinam sedem, de qua corruit, redire. Quarta erit in resurrectione omnium, quando nascetur simul tota nostra natura, morte interempta, in vitam aeternam. Prima itaque naturalis, secunda propter peccatum, tertia per gratiam Redemptoris, quarta secundum naturam simul et gratiam. Inest enim naturaliter humanae naturae virtus resurrectionis, siquidem contraria omnino sibi est mors aeterna. Quid autem natura confert resurrectioni, et quid gratia, alius disserendi locus est. *Non potest videre regnum Dei*. Regni Dei multiplex intellectus est. Regnum Dei est ecclesia fidelium, de qua scriptum : « Regnum Dei inter vos est ». Regnum Dei universitas corporalis et spiritualis creaturae. Regnum Dei caelestes virtutes et justo- (A) rum animae. Regnum Dei est Filius Dei, qui « a fine usque ad finem adtingit fortiter et disponit omnia suaviter ». Regnum Dei visio veritatis est. Quod ergo ait : *non potest videre regnum Dei*, non incongrue intelligitur : non potest me cognoscere, qui sum regnum Patris. Non enim solummodo rex omnium sum, sed et illud regnum et omnia. Recte igitur visio veritatis regnum Dei et dicitur et intelligitur.

Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci cum senex sit? Numquid potest in ventrem matris suae secundo introire et [re]nasci [1]? Carnaliter intellexit, qui adhuc secundum carnem solummodo natus fuit, et ideo carnaliter respondit, quoniam non erat natus ex sacramento baptismatis et spiritu. Attamen vere dixit, quia nemo potest bis nasci (B) secundum carnem, sicut nemo potest bis nasci secundum spiritum. Ut enim nascitur semel homo in carne ex carne, ita semel nascitur homo ex spiritu in spiritu. Sacramentum namque baptismatis semel acceptum nemo potest iterare.

Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ubi datur intelligi, non aliud esse videre regnum Dei, et aliud introire in regnum Dei, sed idipsum. Qui enim videt regnum Dei, ille intrat; et qui intrat, ille videt. Videre enim intrare est, et intrare videre, hoc est veritatem cognoscere. *Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu*, hoc est, ex sacramento visibili et intellectu invisibili. Ac si aperte dixisset : Nisi quis (C) symbolum baptismatis acceperit visibiliter, et spiritum, id est, intellectum ipsius symboli non perceperit, non potest introire in regnum Dei. Potest et sic intelligi : ex aqua, hoc est, ex visibili sacramento, et Spiritu sancto. Quaeritur, qua de causa Dominus visibile sacramentum baptismatis in aqua fieri constituit, cum videatur sola doctrina spiritualis per fidem sufficere ad nativitatem hominis ex spiritu. Sed et hoc dicendum : quoniam homo ex visibili corpore et invisibili anima constituitur, necessarium erat sacramentum visibile ad purificationem visibilis corporis, sicut necessaria est invisibilis fidei doctrina ad sanctificationem invisibilis animae. Quamvis enim sacramentum visibile baptismatis nihil adhuc in hac vita corpori videatur conferre, in resur- (D) rectione tamen futura de mortali efficiet immortale, de corruptibili incorruptibile, et cetera, quae ad gloriam futurae resurrectionis pertinebunt. Veruntamen etiam in praesenti vita sanctificat fidelium corpora virtus sacramenti, cum templum Dei efficiantur, dicente Apostolo : « Nescitis, quia corpora vestra templum sancti Spiritus sunt »? Sed si quis plene virtutem baptismatis noscere desiderat, legat sanctum Dionysium Areopagitam in libro de Ecclesiastica ierarchia.

Sequitur : *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Duas nativita-

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., cor. *nasci*.

tes repetit, ex carne videlicet et ex spiritu. Quod natum est ex carne, hoc est, ex primo homine per carnis successionem, caro est, hoc est, carnale est. Notandum, quod in hoc loco nomine carnis non carnem solummodo, sed totum carnalem hominem significaverit. Siquidem saepe anima carnalis carnis nomine vocitatur, unde Apostolus : « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ». Sciendum quoque, quod, sicut totus homo carnalis anima et corpore caro dicitur, ita et totus homo spiritualis anima et corpore spiritus, quoniam nascentes homines in Christo per Spiritum sanctum unum cum ipso Spiritu efficiuntur secundum corpus et animam. Ubi datur intelligi, quod sacramentum baptismatis mutationem carnis in spiritum futuram esse praefigurat.

***Non mireris*, *quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo*.** Ac si dixisset : non sit tibi mirum et incredibile, hominem nasci iterum ex spiritu.

***Spiritus ubi vult spirat*.** Ubi Spiritus sanctus virtutem sanctificationis suae vult perficere, ibi spirat, ibi sanctificationem perficit. Ex hoc intelligitur, quod fides, qua credimus in Christum, et sacramentum, quo renascimur, dona sancti Spiritus sint, qui ubi vult spirat, hoc est, operatur in his, in quibus vult operari, dividens singulis propria, prout vult. ***Et vocem ejus audis*.** De voce sancti Spiritus sat est verba sancti Augustini ponere. Ait enim : « Nemo videt spiritum; quomodo audimus vocem spiritus? Sonat psalmus, vox est spiritus. Sonat Evangelium, vox est spiritus. Sonat sermo divinus, vox est spiritus. *Vocem ejus audis, et nescis, unde veniat et quo vadat*. Si nasceris et tu de spiritu, hoc eris ut ille. Qui non est natus adhuc de spiritu, nescit de te, unde venias et quo vadas; hoc enim ait secutus : *Sic est et omnis qui natus est ex spiritu* ». Hactenus verba Augustini. Vox igitur spiritus est vox Christi, quam audivit Nicodemus. Sed quoniam ille adhuc non est natus ex spiritu, neque cognoverat, unde veniat spiritus, et quo vadat, quamvis vocem ejus audierit, dicitur ei : *Sed nescis, unde veniat et quo vadat*, quia adhuc non es natus ex spiritu. Ideoque, quamvis vocem meam audias, dum de spiritu meo loquor, nescis, unde venit spiritus ille, id est, qua occasione vult ex se nasci hominem in spiritu, aut ad qualem perfectionem ducit ipsum nascentem ex se hominem. Nam qui ex eo nascitur, unus cum eo efficitur. Quemadmodum ille Spiritus sanctus est per naturam, ita et nascentem ex se spiritum sanctum efficit per gratiam. *Sic est omnis qui natus est ex spiritu*. Non ut tu, o Nicodeme, qui nondum natus es ex spiritu, nescis, unde veniat spiritus et quo vadat, quamvis vocem ejus audias, omnis, qui nascitur ex spiritu, et vocem ejus audit, hoc est intelligit, et qua de causa spirat in his, in quibus vult, et ad qualem finem eos perducit. Mihi tamen videtur facilius intelligi, si interrogative proferatur quod Dominus ait, *sic est omnis natus ex spiritu*, ut sit

A sensus : spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde venit et quo vadit, quoniam adhuc non es natus ex spiritu; sic est omnis? Ac si dixisset : putasne sic esse omnem nascentem ex spiritu, ut audiat vocem spiritus, ignoret autem, unde venit et quo vadit? Noli hoc existimare. Nam si nascaris ex spiritu, non solum vocem ejus audies, verum etiam cognosces, unde venit et quo vadit. Venit a Patre per Filium, sicut alibi scriptum : « Quem mittet Pater in nomine meo, ut ex se credentes in Christum nascantur ». Redit ad Patrem per eumdem Filium, nascentes ex se in divinam filietatem reducens.

Respondit Nicodemus et dixit ei : Quomodo possunt haec fieri? Adhuc haesitat, qui litteram legis B legerat, spiritum autem ipsius omnino ignorabat. Quod ait Apostolus : « Littera occidit, spiritus autem vivificat ». Lex enim lecta et non intellecta occidit, lecta vero et intellecta vivificat. Proinde impossibile Nicodemo visum erat, quod de nativitate ex spiritu Dominus praedicabat. Ignorans spiritum divinae doctrinae retellitur judaica superbia, quae negat altiora esse legis littera, in qua redolent divina mysteria. Ac per hoc reprehenditur Nicodemus a Domino. Ait evangelista :

Respondit Jesus et dixit ei : Tu es magister Israel et haec ignoras? Ubi notandum, quod non insultando Dominus dixit *tu es magister Israel*, sed superbiam opprimendo, quae nihil praeter litteram noverat et carnalem nativitatem.

C *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis*. Ac si aperte diceret : Putasne, superbe Judaee, et virtutem divinorum eloquiorum ignorans, nos dicere, quod ignoramus, aut quod non vidimus testari? Non ita est; quod scimus loquimur. Sapientia novit quae loquitur, et vidit quae testatur; ipse est enim sapientia, quae nec fallit nec fallitur. Ipse est visio, quae omnia, prius quam fierent, vidit. Et ipsa visio substantia est eorum quae visa sunt, cujus testimonium verum est, quoniam ipse est veritas. Omne autem, quod ex veritate procedit, verum esse necesse est. Necnon et ipse Dominus locutio est Patris, et sermo Patris, et verbum ejus. De illo sermone Propheta ait, « velociter currit sermo ejus », D et ipse de se ipso ait : « Sermo, quem locutus sum vobis, non est meus, sed mittentis me Patris ». Inspice erga vim verborum *quod scimus loquimur*, quoniam ipse est scientia et locutio; *et quod vidimus testamur*, quoniam ipse est visio ac verum testimonium. Quod autem pluraliter dixit, mysterium sanctae Trinitatis suggerit. *Et testimonium nostrum non accipitis*, quia in nos non creditis, neque ea, quae docemus intelligere valetis; nondum enim ex spiritu nati estis.

Si terrena dixi, vel, sicut in Graeco legitur *dicebam vobis, et non credidistis, quomodo, si dicam vobis caelestia, credetis?* Nicodemus quaesivit, *quomodo possunt haec fieri?* impossibilem esse ex Spiritu nativitatem existimans; sed audit a Domino : *si terrena dicebam*

vobis. Quaeritur, cur, cum nihil terrenum in praedictis sermonibus videatur dixisse, omnino enim spiritualia dixit, spiritualem nativitatem ex spiritu docens, dixerit : *si terrena dicebam vobis?* Ad hoc dicendum, quia non ad praedicta respicit responsio, sed ad ea, quae superius in die Pascha dixerat quaerentibus signum Judaeis : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud ». Ait ergo : Si de meo terreno adhuc corpore solvendo paulo superius dicebam vobis, et non credidistis, quomodo, si dicam vobis caelestia, credetis? hoc est, spiritualem nativitatem a sancto Spiritu, quae caelestis est atque divina? Si igitur terreni corporis mei solutionem in passione, et tertia die ipsius resurrectionem non credidistis, quid a me quaeritis spiritualis nativitatis aperire vobis mysteria, quae, quoniam renati non estis ex spiritu, omnino credere non valetis? Dicam tamen caelestia, quamvis intelligere non possitis.

Et nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo. Ascendit, ambiguum est, cujus temporis verbum sit, utrum praeteriti, an praesentis. Sed in Graeco non est ambiguum; praeteriti temporis est. In hac sententia quaeritur, quis est descensus Filii hominis, et quis ascensus; et quod caelum, in quod ascendit, et de quo descendit, et in quo semper manet, dum ascendit et descendit? Sed ne, multorum sensus de hoc dicendo, moras faciamus, quod verisimilius videtur, sat est dicere. In divina Scriptura Pater caelestis, qui est principium omnium, nomine caeli crebro nominatur. Saepe in Evangelio legitur, Dominum surrexisse in caelum, id est in Patrem. Non enim credendum est, ipsum elevasse oculos suos in hoc caelum sidereum, corporale, circumscriptum, mortale. In Patrem igitur elevabat oculos, ut eum aspicientes indubitanter crederent semper in Patre fuisse, ad quem intendebat. Quod ergo ait : *nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis, qui est in caelo*, pulchre aliis verbis exponitur : nemo ascendit in Patrem, nisi qui de Patre descendit, filius hominis, qui est in Patre. Qualis autem descensus ejus et ascensus, ipse alibi aperte exposuit, dicens : « Exivi a Patre et veni in mundum, et iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». Exitus ergo ejus a Patre humanatio est, et reditus ejus ad Patrem hominis, quem accepit, deificatio, et in altitudinem divinitatis assumptio. Solus ille descendit, quia solus incarnatus est; sed, si solus ascendit, quae spes est his, pro quibus descendit? Magna quidem et inexplicabilis, quoniam omnes, quos salvavit, in ipso ascendunt, nunc per fidem in spe, in fine vero per speciem in re, sicut ait Joannes in Epistola sua : « Scimus quoniam filii Dei sumus; nondum apparuit quid erimus; cum autem apparuerit, similes ei erimus; videbimus enim eum, sicuti est ». Solus itaque descendit, et solus ascendit, quia ille cum omnibus suis membris unus Deus est, unicus Filius Dei. In ipso enim omnes credentes in ipsum unum sunt; unus itaque Christus, corpus cum membris, ascendit in Patrem.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis, ut omnis credens in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Figuram suam ipsa veritas exponit; umbram suam ipsum corpus asserit. Divina narrat historia, populum Dei a serpentibus in deserto afflictum, crebrisque eorum morsibus magnam stragem fuisse; sed Moyses, jubente Domino, aeneum serpentem fecerat, quem in alta arbore suspenderat, populoque jusserat, ut, quicunque morsus esset a draconibus, in aeneum suspiceret colubrum, et sanaretur, et a serpentina plaga liberaretur. Hoc totum umbra futuri est, hoc est, figura Christi morituri pro salute omnium, quos serpentes delictorum suorum venenosis morsibus interimunt. Moyses itaque ipse Christus est; serpens aeneus mors Christi : lignum, in quo serpens suspensus, crux Christi, in qua mortem subiit pro salute omnium in se credentium. Pulchre quoque mors Christi per serpentem figuratur a forma, qua causa pro effectu ponitur. Causa quippe mortis Christi serpens erat. Ac per hoc et serpens figurate effectum suum, id est mortem praetendebat, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Magna distantia est inter litteram et spiritum, inter figuram et veritatem, inter umbram et corpus. Littera est factum, quod sancta narrat historia; spiritus est mors Christi, quam tradit Evangelium; serpens figuratur in ligno suspensus; aspicientibus se vitam praestabat temporalem; mors Christi credentibus in eum vitam praestat aeternam. Sed quid haec ad secundam nativitatem ex spiritu, non immerito quaeritur? Facillime solvitur. Nemo ascendit in Christo ad Patrem, nisi qui ex spiritu nascitur, ut conformis fiat imaginis Filii Dei, hoc est, ut Christus in illo formetur, et unum cum Christo sit. Similiter nemo salvatur per mortem Christi, nisi qui ex spiritu nascitur; nemo ex spiritu nascitur per baptismum, nisi in morte Christi, sicut ait Apostolus : « Consepulti sumus cum Christo per baptismum, nisi in mortem, ut, quemadmodum Christus surrexit a mortuis in gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus ».

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Causam humanae salutis aperit, Patrem videlicet caelestem, ex quo omnis salus et restitutio humanae naturae per unigenitum suum in Spiritu suo. Dilectio itaque Patris causa et humanae salutis, qui in tantum dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, hoc est morti traderet, ut omnis aspiciens in mortem ejus non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sed quaeritur, quem mundum dilexit Deus? Non enim credendum est, mundum istum, id est universitatem, quae constat ex caelo et terra, Patrem dilexisse. Ille enim non propter se ipsum, sed propter superiorem mundum factus est. Mundum igitur superiorem, quem ad imaginem et similitudinem suam condidit, id est humanam naturam Pater dilexit ita, ut Filium suum pro eo trade-

ret. Sed notandum, quod mundus, quem Pater dilexit, id est homo, non propterea mundus vocatur, quod quattuor elementis constiterit, quod solum secundum corpus fieri in terreno adhuc homine consideratur; sed ideo homo κόσμος vocatur, quoniam ornatus est ad imaginem et similitudinem Dei, quae vel solum, vel maxime in anima intelligitur. Κόσμος quippe graece *ornatus* proprie interpretatur, non mundus. Et quae creatura tam ornata est, quam ea, quae ad imaginem Creatoris condita? Ad hoc itaque dilexit Deus mundum, et pro eo tradidit Filium, ut omnis credens in eum non pereat, sed habeat vitam, non temporalem, sed aeternam.

Non enim misit Deus Filium suum in mundum, hoc est, in humanam naturam, *ut judicet*, hoc est, damnet propter suum peccatum, *mundum*, hominem videlicet, *sed ut salvetur mundus* humanae naturae *per ipsum*.

Qui credit non judicatur, qui autem non credit jam judicatus est. Qui autem credit in Filium Dei, non judicatur, quoniam dimittuntur ei omnia peccata, pro quibus judicaretur. Qui non credit, finitum est de eo judicium, quia non credit; ac per hoc habet peccata, pro quibus judicatur, quoniam neque credit, neque dimittere ei sua peccata vult. Ubi notandum, quod unusquisque se ipsum judicat vel non judicat. Non judicat se ipsum, qui considerat dimissa ei delicta, et non in eo manet, quod judicetur; qui autem non credit, ipse se judicat, quoniam in se detinet digna judicio. *Jam judicatus est. Jam* dixit, adhuc in praesenti tempore. Quamvis enim judicium, quo se judicat damnandum, occultum sit adhuc in hac vita, in futura tamen manifestabitur. Quare jam judicatus est? Quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei. Nihil aliud est ergo judicium, id est aeterna condemnatio, nisi non credere in Filium Dei, sicut nihil aliud est beatitudo et vita, nisi credere et cognoscere Filium Dei; sicut ipse ait: « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te verum ac solum Deum, et quem misisti Jesum Christum ». Sequitur:

Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum. Si lux non veniret in mundum, non esset de mundo judicium, sicut Dominus ait: « Si non venissem et locutus fuissem, peccatum non haberent ». Lux itaque, hoc est Dei Verbi incarnatio et doctrina et passio et resurrectio, judicat mundum. Qui vult accedere ad lucem, hoc est ad Filium Dei, ut in eum credat, eumque cognoscat, non judicatur; qui autem neque in eum credit, neque intelligit, in tenebris suis manebit, in quibus damnabitur, hoc est judicabitur, nolens accedere ad lucem. *Et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Pulchre ait *homines*, hoc est carnales, impii, increduli, non spirituales; nam illi ultra hominem ascendunt et superant suam naturam per ejus, qui eos illuminat, gratiam. Cur autem homines dilexerunt magis tenebras quam lucem, conse-

A quenter subjungit, dicens: *Erant enim eorum mala opera.* Quae sunt illa mala opera? Non alia, nisi impietas et incredulitas et odium aeternae lucis, et nolle eam aspicere, velle autem in tenebris peccatorum manere.

Omnis enim mala agens odit lucem, nec venit ad lucem, ut non redarguantur opera ejus. Ideo fugit impius lucem veritatis, ne impietas ejus manifesta fiat, in qua omnia mala opera continentur. Ut enim pietas nullo bono opere caret, ita impietas nullo malo.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur sua opera, quia in Deo sunt facta. Quis est qui facit veritatem, hoc est, quis est qui bona opera, quae jubet veritas, perficit, nisi qui credit in Christum? Et quis est, qui venit ad lucem, hoc est ad Christum et doctrinam ejus, ut manifestentur B opera sua bona, quia in Deo sunt facta, nisi ipse, qui credit in Christum, et mandata ejus custodit?

Post haec venit Jesus et discipuli ejus in Judaeam terram, et reliqua. Non est existimandum, continuo post disputationem cum Nicodemo, quae facta est in Jerosolymis, venisse Jesum et discipulos ejus in Judaeam terram, sed peracto spatio temporis de Galilaea in Judaeam rediisse. Morali sensu Judaea terra est cor fidelium. Judaea quippe *confessio* interpretatur [a]. Confessio autem duplex est. Est enim confessio peccatorum, est et confessio divinarum laudum. In quocunque ergo corde duplex illa confessio fuerit, et peccatorum videlicet et divinarum laudum, illuc venit Jesus et discipuli ejus, hoc est doctrina ejus et illuminatio, ibique demorabatur et purgat C illud ab omnibus delictis. Et hoc est quod sequitur:

Et illic demorabatur cum eis et baptizavit. Juxta litteram demorabatur Jesus cum discipulis vel cum credentibus Judaeis in Judaea. Ambiguum enim est quod ait *demorabatur cum eis*, utrum cum discipulis suis, an cum credentibus in eum Judaeis, aut, quod verisimilius est, cum utrisque. *Et baptizavit.* Ubi quaeritur, si Christus ipse baptizavit, quomodo evangelista in sequentibus dicit: « Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus ». Sed ad hoc dicendum, quod ipse Christus baptizavit discipulos suos primum, deinde ipsi discipuli baptizabant credentes in Christum. Quamvis quidam existiment, neminem eum baptizasse per seipsum, sed dicitur baptizasse, qui discipulis suis jussit baptizare. Sequitur:

D *Erat autem Joannes baptizans in* Αἰνὼν [1] *juxta Saleim, quia aquae multae erant illic.* Adhuc Joannes baptizabat in Jordane, dum Christus in Judaea coeperat et discipulos suos, et per eos alios baptizare. Non enim debuerat praecursor discipulus praecursionis suae mysterium intermittere, priusquam ipse, cujus praecursor erat, inciperet veritatem ostendere. Umbra adhuc permansit, quia non omnino lux patefacta fuit. *In Aennon*, hoc est *in aquis* [b]; *enos* [2] enim hebraice *aqua* dicitur; ideo subsecutus ait, quasi

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *Aennon*. [2] Sic cod. pro *Aennon*.

NOTAE.

[a] De hac interpretatione verbi *Judaea* vide supra col. 503.

[b] Recte J. Scotus interpretatur *aquis*. Nam derivatur עֵינוֹן a עַיִן, *fons*, *puteus*. S. Hieronymus: *Aenon*, *oculus*, *aut fons eorum*.

interpretationem nominis aperiens : *quia aquae multae erant illic.* De Salem autem varie tradunt. Quidam volunt de Jerusalem accipi, quae non longo spatio locorum distat ab Jordane. Nam primitus Salem simpliciter nominata, ut aiunt; deinde Ebussalem, quia ab Ebusseis possessa; deinde Jerusalem, hoc est *templum pacis*, propter nobilissimi templi a Salomone constructi divulgatam in fines mundi gloriosissimam famam [a]. Alii vero, quibus, ut aestimo, fides magis habenda, Salem dicunt oppidum ultra Jordanem situm, eo loci, quo Jordanus intrat in lacum Asfalti, hoc est in lacum bituminis, et in illo oppido quondam Melchisedech regnasse, cujus oppidi adhuc vestigia remanent. Juxta illud baptizabat Joannes, quia erant ibi aquae multae.

Non[dum] enim missus fuerat in carcerem Joannes. Nam postquam missus est in carcerem, continuo desivit baptizare, baptismate Christi inchoante. Quaeritur, quid baptisma Joannis his, qui ab eo baptizati sunt, profuit? Nullo modo enim credendum est, non solum originalis peccati, verum etiam propriorum delictorum remissionem contulisse [2]. Quid ergo contulit? Magnum quidem. Quantum enim catechumenis nondum baptizatis [3] doctrina fidei prodest, tantum Joannis baptisma baptizatis in eo, priusquam baptisma Christi subirent, profuit. Joannes quippe poenitentiam praedicabat, et baptismum Christi praenuntiabat, et in cognitionem veritatis, quae mundo apparuit, attraxit. Nonne similiter quotidie ministri faciunt Ecclesiae? Erudiunt primo venientes ad fidem; deinde peccata eorum redarguunt; deinde remissionem omnium peccatorum in baptismate promittunt; ac sic ad cognitionem et dilectionem veritatis eos attrahunt. Additur ad cumulum laudis et utilitatis, quam Joannis baptisma perfecit. Debuit quippe praecursor in omnibus praecursionis suae effectum implere, ut, quemadmodum praecessit Christum nativitate et praedicatione, ita etiam baptismatis similitudine. Ut enim aurora praecedit ortum solis, ita sacramenta Joannis opera Christi praecesserunt, et quemadmodum aurora quodammodo umbras excutere, ita doctrina et mysterium praecursoris tenebras ignorantiae totius mundi inchoabat excutere. Itaque, ne subito verum baptisma Christi appareret mundo, praecessit figuratum baptisma, ut altius et clarius veritas elucesceret, si prius sedentibus in tenebris figura arrideret. Item quaeritur, cur Christus baptizatus est a suo servo. Ad quod dicendum : propterea Christus a servo baptizari dignatus est, ut praecursoris sui officium et honorificaret, et verum illud fuisse, omnibus Judaeis ac toto mundo notum faceret. Sed si sola haec causa fuit baptizandi a servo suo Domini, cur non solus Christus baptizatus est a Joanne? Sufficiebat enim ad laudem et testimonium baptismatis servi humilitas Domini. Sed ad

A hoc dicendum, quod, si Christus solus ab Joanne baptizaretur, plus baptisma Joannis, quam Christi, baptizatis conferre videretur. Multo enim melius potuit existimari unicum baptisma, quo Dominus baptizatus est, quam baptisma, quo multi ab ipso Domino et discipulis suis baptizati sunt. Sed ne hoc putaretur, multi a Joanne sunt baptizati. Si autem quaeritur, utrum in aliquo profuit ipsi Domino, quod a suo praecursore baptizatus sit, quidam non absurde respondent, Christum sanctificationem quandam Joannis effecisse. Illud autem baptisma nihil Christo contulit. Scimus tamen, Graecorum auctores fiducialiter asserere, sanctificationem humanitatis Christi per sacramentum baptismatis Joannis auctam fuisse. Quod maxime ex descensione
B Spiritus sancti in specie columbae super ipsum baptizatum argumentantur. Nec mirum, cum evangelista dicat : « Jesus autem proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines ». Quid mirum, si quoddam augmentum humanitatis Christi per sacramentum praecursoris sui baptismatis Christus acciperet, verbi gratia humilitatis suae merito, qua baptisma sui servi subire non dedignatus est? Accepit gratiam, ut sui baptismatis virtute omnium delictorum et originalium et propriorum omnes credentes in se remissionem acciperent. Addit etiam Augustinus aliam causam baptizandi Domini a servo suo : ne catechumeni caste atque pie post acceptam fidem viventes superbirent, existimantes mysterium baptismatis nil eis addere posse, cum secundum
C illam, qua imbuti sunt, fidem vivant. Sed ne in hoc errarent, et in vanum laborarent, Dominus voluit exemplum eis dare de suo baptismate, ut nullus eorum auderet inflari, videntes Dominum suum servi sui baptismum subiisse. Si enim Dominus baptismum sui servi noluit despicere, qua ratione illi baptismum Domini sui nollent subire?

Facta est ergo quaestio ex discipulis Joannis cum Judaeis de purificatione. Discipuli Joannis, videntes multos Judaeorum credidisse in Christum, et baptizatos fuisse a discipulis ejus, invidia commoti, interrogabant ipsos Judaeos de purificatione, hoc est de baptismate. Mirabantur enim alios posse baptizare praeter Joannem et discipulos ejus, existimantes, majorem esse
D Joannem Christo, quoniam viderunt non longe ante ipsum Christum a Joanne in Jordane baptizatum.

Et venerunt ad Joannem, accusare Christum volentes ejusque discipulos, veluti in injuriam ejus baptizare praesumentes, *et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem*, qui videbatur discipulus tuus tempore, quo a te baptizatus est trans Jordanem, *cui tu testimonium perhibuisti*, dicendo : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi », *ecce hic baptizat*, nunc in Judaea, quod valde miramur, *et omnes veniunt ad eum.* Volumus itaque te inter-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *non.* [2] Cod. *non contulisse.* [3] Cod. *baptismatis.*

NOTAE.

[a] S. Hieronymus : *Jerusalem, visio pacis, timebit perfecte.* Derivatio verbi ירושלים ab ירו et שלם, id est, *domus pacis*, praeferenda est alteri a ירש et שָׁלֵם, id est, *possessio pacis.*

rogare, quid de hac praesumptione tibi videtur. *Respondit Joannes et dixit : Non potest homo accipere quicquam* [1], *nisi fuerit ei datum de caelo*. In quibusdam codicibus Graecorum legitur : *nisi fuerit ei datum desursum de caelo*. Humiliter respondit servus accusantibus Dominum suum. *Non potest*, inquit, *homo accipere quicquam*. Ac si diceret : Putatis me majorem esse ipso, cujus servus et praecursor sum; erratis in eum non credentes, et ignorantes, quid sit et unde venit, et putatis me esse quod non sum. Ut autem sciatis, quid ille sit, et quid ego sum, audite meum responsum : *Non potest homo accipere quicquam*. Homo sum et non Deus, ille vero et Deus est et homo. Ipse est, de quo testimonium perhibui dicens : « De plenitudine ejus nos omnes accepimus ». Homo itaque sum; a me nihil accepi, qui non habeo, quod a me accipiam. Quicquid accepi, ab eo accepi. Si gratiam accepi praecursoris, ab eo accepi. Existimatis, me ultra naturam esse humanam. Quia audistis, quod non sine miraculo divinae virtutis natus sum, ex parentibus quippe provectae aetatis, ac veluti ultra humanae naturae consuetudinem natus sum, propter hoc putatis, me ultra hominem esse. Non ita, homo solummodo sum. Si cognovissetis quid sum, non exaltaretis me ultra id quod sum; et si cognosceretis quid ille est, nullo modo compararetis me illi. Homo enim sum, ille Deus; quicquid accepi, ab illo accepi. Sapientissimus praecursor Christi segregat in se ipso naturam et gratiam, sibi attribuens, quod homo, hoc est quod mortalis, quod peccator, quod ex primo homine terreno terrenus factus sit, et cetera, quae de humanae naturae infirmitate et peccato et poena peccati in se ipso ceterisque hominibus considerabat, gratiam seorsum segregans a se, quam acceperat non ex meritis, sed ex abundantia plenitudinis ipsius, cujus praecursor erat. Duo considerantur in homine : datum videlicet et donum. Datum refertur ad naturam, donum refertur ad gratiam. Et quamvis nullum horum sit nisi ex Deo, sicut ait Apostolus : « O homo, quid habes quod non accepisti » ? solet tamen Scriptura datum naturae quasi ipsi homini, donum vero nulli nisi Deo adscribere. Ad hoc enim dedit Deus naturam, ut eam ornaret per gratiam. Et hoc est quod ait : *Non potest homo*, hoc est humana natura, *accipere quicquam* gratiae, *nisi fuerit ei datum de caelo*. Datum in hoc loco pro donum Joannes posuit, quod saepissime invenitur in divina Scriptura. Datum enim pro dono, et donum pro dato potest accipi. Ita enim juncta data naturae et dona gratiae, ut inseparabilia fieri videantur. Nulla quippe natura est rationalis, quae omnino dono gratiae careat. *Nisi fuerit datum de caelo*. De quo caelo? De Patre videlicet. Audi Jacobum apostolum dicentem : « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum ». Quibus verbis omnino congruit, quod Joannes ait : *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo*, hoc est de Patre, qui principium est omnium bonorum; ac, si de Patre, utique primo per Filium, de cujus plenitudine nos omnes accepimus.

Ipsi vos mihi testimonium perhibetis. Hoc mihi solummodo in vestris verbis congruit, qui non solum non creditis in eum qui misit me, verum etiam baptisma ipsius irritum putatis, quod mihi testimonium adhibetis. *Quod dixerim : Ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum*. Audistis ex me haec verba, quando de eo loquebar ultra Jordanem; audistis utique, quando dicitis : « Qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti » ; et si audistis, quare illum, de quo tale testimonium perhibui, ad me accusatis, quasi in injuriam meam multos baptizarit? Dixi : Non sum Christus, sed simplex homo; non sum unctus a Patre plenitudine spiritus, ille autem unctus; et de plenitudine ejus accepi. Sed quia missus sum ante illum, missus sum in mundum prius, nascendo ante illum. Ille ante omnia secula Deus cum Deo Patre, ego homo in fine seculi missus in carne, antequam ille nasceretur in carne.

Qui habet sponsam, sponsus est. Videns praecursor cogitationes suorum discipulorum, qui talia de Christo ejusque baptismate proferebant, et audiebant sui magistri responsum de se ipso et de suo baptismate, dicens : « Non potest homo accipere quicquam », humilians se ipsum, veraciterque de se ipso pronuntians, quod terrenus homo sit, et volebant interrogare : Si homo es solummodo, et majorem potestatem et gratiam a te ipso non habes, praeter quod ab eo accepisti, qui nunc baptizat in Judaea, et tu dicis, quia missus est ante illum, dic, quaesumus, quid es praeter hominem, aut quantus [2], et quid gratiae accepisti de caelo; respondit : *Qui habet sponsam sponsus est*. Qui propter Ecclesiam venit, ut haberet sponsam venit, quam nunc incipit ex Judaico populo vocare, multos Judaeorum baptizans. Ipse sponsus est. Ego autem, ut existimatis, neque sponsus sum, neque sponsam habeo, sed in numero sponsae me ipsum computo. Ut sciatis autem, quid sum, et qualem gratiam habeo ab illo sponso, qui habet sponsam, audite : *Amicus autem sponsi*. Non sum sponsus, sed magnam gratiam sponsi habeo, amicus ejus sum. *Qui stat et audit eum, gaudio gaudet*. Ego amicus sponsi sum, et sto in ejus gratia; in ejus amicitia permaneo; non cado; ille me custodit, ne cadam; ille mihi donat, ne gratiam suam deseram, sed semper stem et audiam eum, audiam doctrinam ejus, non extrinsecus solummodo aure corporis, verum etiam intrinsecus aure cordis, et plus intrinsecus quam extrinsecus. Vox ejus testimonium ejus, quo perhibet se Filium Dei et sponsum Ecclesiae; et quia audio verbum ejus, gaudeo *propter vocem sponsi*. De se ipso ergo profert Joannes quod ait : *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio*

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *quicquam accipere*. [2] Corr., cod. *quanties*.

gaudet propter vocem sponsi, ut discipuli sui aperte cognoscerent, quid ipse esset, et quid Christus, in quem adhuc non crediderant, neque baptismum ejus acceperant. *Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Ac si diceret : In hoc gaudium meum impletum, in eo, quod factus sum amicus sponsi, et sto in ejus gratia, et audio vocem sponsi, vocantis nunc sponsam in Judaea ex Judaeis, et inchoantis per se ipsum et praedicare et baptizare; quod jam non sentitis, qui in eum non creditis. Et ne miremini, quod ille baptizat, et omnes veniunt ad eum, ut credant et baptizentur, et quod plures discipulos habet, quam ego :

Illum oportet crescere, me autem minui. Illum oportet crescere in mentibus vestris, quem adhuc solummodo hominem et nullius potestatis existimatis; sed illum oportet crescere, ut non solum verum hominem cognoscatis, sed etiam verum Deum, et suo aequalem Patri. Oportet itaque eum crescere in cogitationibus vestris, me autem minui. Putatis majorem [me] [1] esse, quam sum, illum vero minorem, quam est. Opinio vestra de me in vobis minuetur, opinio vestra de illo in vobis augebitur. Quod si cognosceretis, ex visibilibus signis augmentari potuissetis. Ego decollabor, ille exaltabitur in cruce, ut per hoc cognoscatis, quia oportet illum crescere super omnia in mentibus perfecte credentium in eum, me autem minui, ut nemo de me existimet, praeter quod sum et ab eo accepi. Id ipsum significat, quod ipse luce inchoante crescere, tenebris autem decrescere natus sit; ego vero luce inchoante minui, tenebris autem inchoantibus crescere natus sum. Potest et aliter intelligi. Joannes figuram legis gestat, Christus vero figuram suam, id est veritatis. Apparente igitur veritate in mundo coepit lex minui, hoc est carnalia opera. Cognoscens haec praecursor et propheta et plusquam propheta, ait : *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ille, quia veritas est, crescet in mundo, hoc est, clarissime cognoscetur ab his qui credunt et credituri sunt in eum. Lex autem, cujus figuram gero, minuetur, veritate crescente.

Qui desursum venit, super omnes est. Iterum redit servus ad comparationem sui et Domini sui. *Qui desursum venit*, hoc est, qui ex Patre venit in mundum, ut salvaret mundum, *super omnes est*, non solum me superat servum et praecursorem suum, verum etiam omnes homines, et non solum homines, verum etiam omnes virtutes caelestes, et omnia, quae sunt, et quae non sunt. Nec hoc juxta divinitatem, sed juxta humanitatem; homo quippe est et plusquam homo. Divinitas ejus nihil superat, quia omnia est. *Qui est de terra, terra est, et de terra loquitur.* De se ipso hoc ait, ac si diceret : Ego, qui de terra sum, hoc est de terrenis parentibus, natus ex illo, cui dictum est, « Terra es et in terram ibis », hoc est ipso terreno homine, ex quo omnes terreni peccatum et poenam peccati, hoc est mortem, traxere, inde sum. Et ideo terra sum, quia de terra natus sum, nec aliud me esse arbitror. Si quid supra haec habeo, de plenitudine ipsius accipio, ante quem missus sum. *Et de terra loquitur*, hoc est, de fragilitate meae naturae loquor, cognoscens eam nil esse, si desursum non acciperet. Et ne mireris, Joannem de se ipso veluti de quadam tertia persona dixisse, nec sine ratione, quoniam personam omnis terreni hominis in se ostendit. *Qui de caelo venit, super omnes est.* Eadem verba sunt, praeter quod prius *desursum venit*, nunc autem *de caelo venit*. Et quae est ista repetitio, et quid vult? An forte aliud est « desursum venit », aliud « de caelo venit »? Christus desursum venit, Christus de caelo venit, ideoque super omnes est, et super omnia. Potest itaque talis distantia inter « desursum venit » et « de caelo venit » intelligi, ut in eo, quod dixit « desursum venit », intelligamus altitudinem humanae naturae ante primi hominis delictum, de qua altitudine hominem venisse Christum non dubitamus. Nam si de homine post peccatum veniret, peccato forsan non careret; quoniam vero peccato caruit, recte credendus [2] est hominem ante peccatum accepisse. Nam Dominus noster Jesus Christus, humanae conditor naturae atque salvator, et de primo homine accepit ante peccatum, et veluti de secundo homine post peccatum. Quid accepit ab homine ante peccatum? Carere peccato, quia humana natura, priusquam peccaret, omnino peccato carebat. Quid accepit ab homine post peccatum? Mori pro peccato, absque ullo reatu peccati. Quod ergo prius ait « qui desursum venit », recte intelligitur, qui de sublimitate humanae naturae, ad imaginem Dei factae, antequam peccaret, venit. Nullus enim inde venit, nisi ipse solus. Quotquot enim venerunt in mundum, ab homine peccante venerunt; solus ille absque peccato ab homine ante peccatum processit. Quod autem in sequentibus dixit, *qui de caelo venit, super omnes est*, ibi intelligimus Patrem caeli nomine significatum, a quo missus est Christus in mundum, sicut ipse ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum ». Duobus itaque modis unigenitus Filius Dei super omnia esse credendus est : primo, quia super omnem humanitatem exaltatur, qui de ipsa, priusquam peccaret, venit; secundo, quod juxta altitudinem divinitatis, in qua Patri aequalis est, omnem superat creaturam.

Et quod vidit et audivit, hoc testatur. Quid est, quod Filius Dei vidit? Non aliud, nisi cognovit, se in Patre, et aequalitatem ipsius esse. *Et audivit.* Quid audivit? Audivit a Patre : « Ego hodie genui te ». Vidit igitur se ipsum secundum suam divinitatem in suo Patre, et audivit a suo Patre, quod ipse cum genuerit aequalem sibi. *Hoc testatur.* Quid testatur? Quod Filius Dei sit. Et ubi testatur? Redige ad superiora, ubi ipse de se ipso ait : « Non enim misit Deus Filium suum

VARIAE LECTIONES.

[1] *me* om. cod., add. ex conj. [2] Corr.; cod. *credendum*.

in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur A mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur. Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei ». Hoc itaque est, quod vidit Filius Dei, et de se ipso testatur. *Et testimonium ejus nemo accipit.* Si testimonium ejus nemo accipit, quare venit, et quid utilitatis mundo contulit? Joannes praecursor, plenus gratia divinae prophetiae, providit eos, qui in Christum credituri sunt, testimonium illius accipientes, et eos, qui in eum non sunt credituri, testimonium illius respuentes. De his, qui non credunt neque credituri sunt [1], a se ipsis [ad] interitum praeparati, nemo accepit testimonium Filii Dei. De his autem, qui credunt et credituri sunt, nemo est, qui testimonium ejus non accipiat, ac per hoc, qui salvus non sit. Ideoque sequitur : B

Qui accipit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est, hoc est, in corde suo firmavit, et quasi sigillo incommutabili perfectae fidei conclusit, quia Deus verax est. Quod facilius intelligitur, si graecus sermo legatur : *Quia Deus verus est*, ut sit sensus : Qui accipit testimonium Filii Dei de se ipso, quod Filius Dei sit, et quod pro salute mundi Pater suus eum miserit, ille firmiter credit, quia Deus verus est, qui de se ipso, quod verus Deus sit, veri Dei Filius, testimonium perhibuit.

Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Hoc de Filio Dei loquitur solummodo, qui, quoniam a Deo Patre missus est, verba Dei loquitur. Nonne [2] et prophetae ab eo missi sunt? Nonne [3] et apostoli ab eo missi sunt, et verba Dei locuti sunt? Quid ergo de C solo Christo dictum est : *Quem misit Deus, verba Dei loquitur?* Videtur enim dixisse : Quem misit Deus, illius mittentis se Dei verba loquitur; quod prophetae fecerunt, similiter apostoli. Quid ergo magnum datur Christo, quod aliis non datum? Intende in verba : *Quem misit Deus*, Pater videlicet, *verba Dei loquitur;* quoniam et ille, qui missus est, Deus est, ideo verba Dei loquitur, ut sit sensus : Quem misit Deus, profecto Deus est, ac per hoc verba illius verba Dei sunt; ergo verba Filii de se ipso, testimonium perhibentis quod Deus sit, verba Dei sunt. Verba prophetarum et apostolorum verba Dei sunt, quia verba Dei locuti sunt. Sanctus enim Spiritus locutus est in eis, nec tamen illa verba referuntur ad illos, ut illorum verba sint, sed veri Dei verba. D Verba Christi ad se ipsum referuntur, et verba Dei dicuntur merito, quia naturaliter Deus est, et totus Deus, et tota sapientia, et in eo plenitudo donorum Dei. Propterea sequitur : *Non enim ex mensura dat Deus spiritum.* Ac si dixisset : Ex mensura dat Deus spiritum suum singulis hominibus, sicut ait Apostolus : « Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae », ceteraque spiritualium donorum divisio. Quibus verbis ostenditur, ex mensura dari Spiritum sanctum membris Ecclesiae. Quod consequenter ait Apostolus, dicens : « Unus autem operatur atque idem Spiritus, dividens singulis propria, prout vult ». Christo autem, qui est caput Ecclesiae, non e mensura dat Deus spiritum, sed sicut totum ex se ipso toto genuit Filium suum, ita incarnato Filio suo totum spiritum suum dedit, non participaliter, non per subdivisiones, sed generaliter et universaliter.

Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus. Causam reddit, cur ceteris hominibus ex mensura dat Deus spiritum, Filio autem suo non ex mensura, sed ex toto dat spiritum. Quare? Non ob aliud, nisi quia *Pater diligit Filium*, ideo dedit ei totum suum spiritum, et omnia dedit in manu ejus. Quae omnia? An forte omnia, quae in ipso facta sunt? In principio enim fecit Deus caelum et terram; et psalmus, « Omnia in sapientia fecisti ». Illa itaque omnia, quae in Filio facta sunt, dedit Pater in manu ejus. Altius *omnia dedit in manu ejus*, hoc est, omnia quae substantialiter habet Pater, dedit Filio, gignendo ipsum de se aequalem sibi per omnia.

Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Quare? Quia ipse Filius vita aeterna est, sicut ipse ait : « Ego sum veritas et vita ». Merito ergo, *qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Ac si dixisset : Qui credit in Filium, habet ipsum Filium, ac per hoc habet vitam aeternam, quia ipse Filius vita aeterna est. *Qui autem non credit in Filio, non videbit vitam aeternam.* Eodem genere locutionis : qui autem non credit Filio, non videbit Filium, qui est vita. *Sed ira Dei manet super eum.* Non dicit : ira Dei veniet super eum, sed ait : *manet super eum.* Quae est illa *ira Dei?* Nihil aliud, nisi maledictio illa, qua Deus maledixit primi hominis peccato, mandatum suum transgredientis, dicens : « Maledicta terra in operibus tuis ». Illius irae effectus est mors, et corruptio, et omnino veritatis ignorantia, quae omnia manent super eum. De illa ira ait Apostolus : « Fuistis aliquando filii irae sicut et ceteri ». Ira Dei potest originale peccatum intelligi, quoniam illud originale peccatum iram Dei in humanam naturam provocavit; quod originale peccatum manet in his, qui nolunt credere in eum, qui pro illis mortuus est.

Ut ergo cognovit Jesus, quia audierant Pharisaei, quia Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes, etsi Jesus ipse non baptizavit, sed discipuli ejus. Baptizavit Christus et non baptizavit. Baptizavit, id est purgavit in spiritu, quos non ipse, sed sui discipuli aqua tingebant in corpore.

Reliquit Judaeam, et abiit iterum in Galilaeam. Postquam Dominus cognovit, cui omnia corda cognita sunt, quod audierant Pharisaei plures discipulos ad eum venisse, quam ad Joannem, et plures baptizasse quam Joannes, reliquit Judaeam. Pharisaei quippe, invidia commoti adversus Christum ejusque discipulos, videntes baptismum Joannis paululum vilescere, quoniam maxime ex Pharisaeis discipuli Joannis fuerunt, sicut etiam tunc et Christi,

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., pro *sunt* cod. *sed*. [2] Cod. *nunquid*. [3] Cod. *nunquid*.

baptisma vero Christi crescere et numerum discipulorum ejus, insuper etiam cognoscentes per doctrinam Christi legem evacuari, Veterisque Testamenti caerimonias, quod in doctrina Joannis non potuerunt cognoscere, tali itaque zelo turbati, Christum suosque discipulos omnesque credentes in ipsum cogitabant persequi. Hac occasione reliquit Jesus Judaeam, id est Pharisaeos incredulos, cogitantes eum persequi. Hoc autem fecit, non quasi timidus vel impotens; potuit enim permanere in Judaea a persecutione carnalium impiorumque Pharisaeorum illaesus; sed ut exemplum credituris in eum relinqueret, dans eis suo exemplo potestatem fugiendi a facie persequentium se, eosque ad tempus deserere, ne ante tempus Deo placitum et praefinitum ab eis comprehenderentur; ac per hoc in Judaea diutius maneret, si, quos reliquit, credituros cognosceret. Juxta vero leges theoriae reliquit Jesus Judaeam, postquam ex Judaico populo primordium Ecclesiae in his, qui in eum crediderunt, suscepit; reliquit carnales perfidosque Judaeos, legis litteram sequentes, et ad spiritum ipsius litterae, qui est Christus, accedere nolentes. Morabatur itaque Dominus in Judaea, ut salvaret quos voluit; reliquit Judaeam, deserens quos merito suae superbiae salvare neglexit. Deseruit litteram legis, quae neminem ad perfectum ducit; lex enim neminem ad perfectum duxit; et ab iis iterum [abiit][1] in Galilaeam, hoc est, in spiritualem ipsius litterae intellectum, qui per Galilaeam symbolice figuratur. Nec vacat quod ait: *Abiit iterum in Galilaeam*. De Galilaea enim venit in Judaeam, sicut in superioribus scriptum est: « Posthac venit Jesus et discipuli ejus in Judaeam terram ». Galilaea caelestis vitae ac divinae bonitatis figuram gerit, de qua Dominus nascens in carne venit in in Judaeam, hoc est, in sacramenta ipsius legis, quae primo Judaeis data est, sicut ait Apostolus: « Dum autem venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege ». Quoniam vero noluit manere sub lege, neque eos, qui in eum credituri essent, reliquit legem, ne sub lege essent, sed sub spiritu. Et hoc est, quod Apostolus ait, « ut eos, qui sub lege erant, redimeret », hoc est, de servitute carnalis legis in libertatem spiritus revocaret. Et hoc est: *abiit in Galilaeam.*

Oportebat autem transire per Samariam. Inter Judaeam et Galilaeam Samaria constituta est, hoc est, inter legem litterae, quae significatur per Judaeam, et aeternas divinas leges circa Deum revolutas, quarum figuram gerit Galilaea, lex naturalis in medio constituta est. Quoniam igitur Christus primo quidem ex lege litterae fundamenta suae sumpsit Eccle- A siae, oportebat eum transire per gentes sub lege naturae constitutas, ut ex eis similiter in structuram, quam coeperat, electos per fidem lapides vocaret. Samaria quippe ab alienigenis, hoc est ab his, qui et legali littera, quae soli carnali Israel imposita, et naturali lege usi sunt seu abusi, possessa est, ut cum universali Ecclesia, et ab Judaeis et a gentibus collecta et aedificata, ipse fabricator in Galilaeam aeternae beatitudinis rediret. Quod autem Galilaea aeternam vitam significet, non solum ex interpretatione potest conjici, verum etiam ex divinis gestis, quae in ea peracta sunt. Galilaea quippe *transmigratio facta* vel *revolutio* interpretatur [a]; transmigratio autem facta est humanae naturae in Salvatore suo de lege primum carnali in leges natu- B rales, ab ipsis iterum ultra naturam in leges aeternas. In Galilaea quoque juxta fidem rerum gestarum transformatio Christi facta est, per quam significatur humanae naturae transmutatio in pristinam gloriam, quam peccando deseruit. In Galilaea ascendit in montem, in quo octonariam doctrinam discipulis suis tradidit, per quam ad beatitudinem futurae, quae octonario numero innuitur, credentes in Christum transituri sunt.

Venit autem Jesus in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, juxta praedium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. Samaria, ut praediximus, gentilis populi sub naturali lege constituti typus est; civitas Samariae, quae dicta est Sichar, collectionis fidelium illius populi fidem Christi accipientis. Sichar quippe C interpretatur *conclusio* seu *ramus* [b]. Gentilium populus conclusus erat. Conclusit Scriptura omnia sub peccato. Ipse est ramus de oleastro excisus et olivae, cujus rami fracti sunt, insertus. Notandum, Sichar pro Sychem corrupte poni. Sychem interpretatur *numeri* [c]: electos ex gentibus numeratos investigatio manet. Et quoniam ipsa naturalis ratio non aliunde surgit, nisi a causa omnium bonorum, a Deo videlicet, pulchre dicitur *fons Jacob*, id est ratio infinita, Patris altitudine procedens. Fons quoque Jacob hanc universitatis infimam partem, hoc est omnia visibilia intra hujus mundi sensibilis terminos coartata, non incongrue significat. Breviter ergo colligendum: fons Jacob aut sensibilis naturae aut intelligibilis rationis symbolum est.

D *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedit sic super fontem.* Fatigatio Jesu incarnatio ejus est. Nostram quippe naturam merito originalis peccati, laboribus hujus mundi atque aerumnis fatigatam, accepit. Iter ejus descensus divinitatis suae, ad suscipiendam nostrae naturae similitudinem. Absque labore creavit nos per divinitatem, cum labore creavit nos per

VARIAE LECTIONES.

[1] *Abiit* om. cod., add. ex conj.

NOTAE.

[a] S. Hieronymus: *Galilaea, volutabilis, aut transmigratio perpetrata* vel *rota*. J. Scotus recte vocem derivat a גָּלַל, *volvere;* interpretio *transmigratio* respicit גִּלְגָּל, Gilgal, Josua V, 9.

[b] Sic S. Hieronymus: *Sichar conclusio sive ramus.*

[c] S. Hieronymus: *Corrupte pro Sichem, quae transfertur in humeros, ut Sichar legeretur, usus obtinuit.* J. Scotus legisse videtur *numeri* pro *humeri;* sed interpretatio *numeri* non satis accurata est; nam Sichem derivatur a שְׁכֶם.

humanitatem. Aeternaliter in se ipso et in Patre suo manens et immutabiliter, movit se ipsum veluti quodam itinere temporalis dispensationis per carnem. *Sedit super fontem.* Sessio Christi incommutabilis divinitatis suae in nostra natura possessio. Nostra autem natura duplex est : constat quippe ex visibili corpore et invisibili anima. Quae duo duplex ipsius fontis interpretatio indicat. Praedictum namque est, et rationabilem animam et visibilem creaturam fontem figurasse. Quoniam vero humanitas Christi non solum omnem visibilem, verum etiam omnem intellectualem creaturam superat, homo enim dicitur et plus quam homo, apte super fontem sedisse narratur, quamvis ex itinere fatigatus. Infirmitas enim humanitatis ipsius omni creatura fortior est merito, quia in Deum assumpta. *Hora erat quasi sexta.* Sexta hora sextam mundi aetatem praefigurat. Cujus prima aetas ab expulsione primi hominis de paradiso usque ad altare, quod Noe exiens de arca post diluvium construxerat, computatur. Secunda, inde usque ad altare, in quo Abraham jussus a Deo immolare Isaac. Tertia, dehinc ad altare regis David in area Ornan Jebusei. Deinde quarta, usque ad altare Zorobabel in templo reaedificato. Inde quinta, usque ad baptismum Joannis, seu, ut multis non irrationabiliter videtur, usque ad verum altare, hoc est usque ad Christi crucem, quam cuncta praefata typicabant altaria. Protenditur hinc sexta aetas usque ad finem mundi; nunc agitur. Septima namque aetas in alia vita perficitur in animabus corpore solutis; quae aetas incipit martyrio Abel, et in fine mundi resurrectione omnium terminabitur. Post quam octava incipiet apparere, quae nullo fine circumscribetur. Potest etiam in sexta hora perfecta caelestis gratiae claritas, quae Christo inhumanato plenissime illuxit mundo, typice figurata intelligi. Senarius siquidem numerus perfectus est.

Venit mulier ex Samaria haurire aquam. Samaria, ut praediximus, figuram gentium suggerit. Mulier egressa de Samaria Ecclesia est, ex ipsis gentibus collecta, quae, suscepta fide veritatis, fontem ipsius, id est Christum, haurire desiderat. Item mulier de civitate egressa naturam indicat humanam, quae naturaliter rationis fontem appetit, unde siti suae, hoc est, indito sibi verae cognitionis appetitui satisfacere valeat; quod ante incarnationem conditoris, qui est fons vitae, adimplere nequiverat. Bibebat tamen laboriose ex naturali fonte rationis sibi insitae, naturam rerum physico motu vestigans, ipsiusque naturae creatorem et causam. *Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Jesus super fontem sedens petit ab Ecclesia primitiva, quam ex gentibus elegerat, potum fidei, qua in eum creditur. Petit a natura potum rationis, qua conditor atque redemptor suus investigatur. Discipuli in civitatem emere cibos abeuntes, apostoli sunt in mundum missi, ut emerent spirituales escas, hoc est fidem et actionem et cognitionem, quibus spirituales magistri Ecclesiae satiantur. Primo siquidem ab his, quibus praedicant, fidem postulant, deinde congruas ipsi fidei actiones, postremo cognitionem veritatis, propter quam et fides praedicatur et actio scientiaque perficitur.

Dicit ergo ei mulier Samaritana : Quomodo tu, Judaeus cum sis, a me bibere petis, dum sim mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judaei Samaritanis. Mulier illa Samaritana, quae typum Ecclesiae seu naturae gestabat, miratur Dominum, quem adhuc ignorabat, sed tantum Judaeum fuisse cognoverat, cur petierit ab ea bibere, cum esset mulier Samaritana. Non enim, ut ait, coutuntur Judaei Samaritanis. Ubi secundum litteram quaeritur, quid est, quod ait femina, *non enim coutuntur Judaei Samaritanis*, dum Samaritani et sub lege Moysi omnibusque ejus praeceptis et symbolis vixerint, simulque cohabitarint, ac per hoc, si sub una lege vivebant, in cibis etiam communicasse existimandum. In quo ergo non coutebantur? Ad hoc dicendum : Judaei et Samaritani, sub una lege degentes, unum Deum, Patrem videlicet adorabant, sed de loco orationis contendebant. Judaei quippe in nullo alio loco adorari putabant, nisi in templo, quod erat Hierosolimis. Samaritani vero in monte Samariae, in quo habitavit Jacob, Deum colendum existimabant. In hoc ergo non coutebantur, de loco orationis discrepantes. Si enim lex Judaica Judaeos Samaritanis couti prohiberet, fortassis Christus figuratum potum a muliere non peteret, nec suos discipulos cibos ab eis emere sineret, cum indubitanter non potum aquae corporalis, sed potum fidei spiritualis petiisse credendum sit.

Respondit Jesus et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu petisses eum, et dedisset tibi aquam. Ac si dixisset : Si tu, mulier, nosses me, et in me perfecte crederes, et si scires donum Dei, hoc est Spiritum sanctum, tu petisses a me bibere, et darem tibi merito tuae fidei aquam vivam, Spiritum videlicet sanctum.

Dicit ei mulier : Domine, neque hauritorium habes, et puteus altus est. Quomodo ergo habes aquam vivam? Mulier, adhuc carnalis et nondum credens, ignorabat verba loquentis cum ea; putaverat enim illa de sensibili aqua Dominum dixisse, cum ipse de intelligibili tractaret. Puteus altus, ut praediximus, aut profunditatem humanae naturae significat, aut humilitatem sensibilis atque corporalis creaturae, quae propterea profunda dicitur, quia nihil in universitate rerum creatarum inferius est corporali natura. Hauritorium vero studium sapientiae, quo intimis naturae sinibus rationis unda promulgatur, dum de humana substantia sensibilive creatura physica tractat investigatio. Sanctus Augustinus puteum profundum delectationem [1] corporalium

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *delectionem.*

rerum, ex quibus et in quibus instar aquae manantis ipsa delectatio surgit, significare astruit; hauritorium vero cupiditatem carnalis animae, quae semper appetit delectatione [1] temporalium et corporalium rerum satiari. Sequitur :

Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibebat, et filii sui, et pecora sua? Mulier Samaritana alienigena erat; patrem autem suum vocat Jacob. Nec immerito, quia sub lege Moysi vixerat, et praedium, quod Jacob filio suo Joseph dederat, possidebat. Quod ergo ait : *Numquid tu major es patre nostro Jacob?* videtur hoc velle, ac si diceret : Numquid majoris potestatis es patre nostro Jacob, qui hunc puteum foderat, et hauritorium habebat, quo aquam et sibi et filiis et pecoribus suis ministrabat? Tu autem neque hauritorium habes, neque ullum instrumentum aquae trahendae, et mihi promittis dare bibere; verba loquentis secum adhuc non intelligens.

Respondit Jesus et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, quam haurire vis, femina, et existimas me a te petere, *sitiet iterum*, temporalem videlicet sitim temporaliter exstinguit. *Quicumque autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Ac si diceret : Cuicumque credenti in me donum sancti Spiritus a Patre per me procedentis dedero, non sitiet in aeternum. Dicturus enim est cum Psalmista : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua ».

Sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Aqua spiritualis, hoc est, donum sancti Spiritus salit in vitam aeternam. Aqua corporalis deorsum fluit, aqua spiritualis sursum salit, ac secum eos, qui eam imbibunt, in aeternam gloriam et beatitudinem subvehit.

Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Incipit natura cognoscere conditorem suum; inest enim rationabili creaturae appetitus beatitudinis et verae cognitionis, quod per Samaritanam mulierem praefigurabatur. Incipit Ecclesia fidem, quam prius simpliciter coepit haurire, altius cognoscere, dum in theologicas rationes inchoat intrare.

Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. Ac si diceret : Petis a me aquam salientem in vitam aeternam, Spiritum videlicet sanctum, cujus dono vitam aeternam do. Non potes talem aquam bibere, nisi virum tuum vocaveris. Vade ergo, si vis bibere, voca virum tuum, et cum illo veni huc; hoc est: crede in me, ut et tu, et tuus vir, Spiritum sanctum imbibas. In hoc loco de genere in speciem transitus intelligitur theoriae. Praedictum est namque, quod Samaritana mulier et generalis Ecclesiae de gentibus collectae, et generalis humanae naturae symbolum sit Nunc vero eadem mulier, et uniuscujusque in unitate Ecclesiae constituti, et uniuscujusque animae A humanam naturam participantis figuram praetendit Mulier itaque est anima rationalis, cujus vir intelligitur animus, qui multipliciter nominatur; aliquando enim intellectus, aliquando mens, aliquando animus, saepe etiam spiritus. De hoc viro ait Apostolus : « Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus »; ac si aperte diceret : Animae rationalis caput est vir ejus, intellectus ejus; ipsius vero intellectus caput est Christus. Hic est enim naturalis ordo humanae creaturae, ut sub regimine mentis subdatur anima, mens autem sub Christo; ac sic totus homo per Christum jungitur Deo et Patri. Nam et sexus duplex, virilis sane atque femineus, qui in solo corpore exterius inspicitur, interiores animi et animae habitudines B praetendit [2]. Ternaria quippe rationabilis animae divisio est : in animum, et rationem, et sensum interiorem. Animus semper circa Deum volvitur, ideoque vir atque rector ceterarum animae partium merito dicitur, quoniam inter ipsum et Creatorem suum nulla alia interposita est creatura. Ratio vero circa rerum creatarum causas et cognitiones versatur, et quicquid animus a superna contemplatione percipit, rationi tradit, ratio vero commendat memoriae. Tertia pars animae est sensus interior, qui rationi subditur, quasi superiori parti. ac per hoc per rationem subditur menti. Sub illo vero interiori sensu naturali ordine sensus exterior positus est, per quem tota anima quinquepartitum corporis sensum vegetat, regit, totumque corpus vivificat. Quoniam itaque anima rationalis nil de supernis donis C percipere valet, nisi per virum suum, hoc est per animum, qui principatum totius naturae tenet, merito jubetur [3] mulier, anima videlicet, vocare virum suum, intellectum suum, cum quo et per quem dona spiritualia potest bibere, absque quo nullo modo supernae gratiae [potest] [4] esse particeps. Ideo ait, *voca virum tuum et veni huc;* absque viro tuo minime praesumas ad me venire. Absente quoque intellectu, nemo novit altitudinem theologiae ascendere, nec dona spiritualia participare.

Respondit mulier et dixit ei : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia virum non habes. Bene dixisti, ait; laudo, quod dixisti, quae [5] vere dixisti. Novi enim te non habere virum, neque ideo novi, D quia tu dixisti, te non habere, sed per me ipsum, cui vacat omnia nosse.

Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir; hoc vere dixisti. De quinque viris mysticae mulieris, id est rationalis animae carnaliter viventis, sensus auctorum variantur. Quidam de quinque libris Mosaicae legis accipiunt; quorum sensus propterea non probatur, quoniam Judaeis solummodo data est lex Mosaica, haec autem mulier generaliter omnem humanam animam significat. Augustinus quinque sensus corporis quinque viros

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *delectationem.* [2] Cod. *praetendant.* [3] Cod. *iuvetur.* [4] *potest* om. cod., add. ex conj. [5] Sic cod., forte *quia?*

intelligit, sub quibus unamquamque animam [1], prinsquam ad perfectam aetatem venerit, qua ratione uti possit, non dubium est vivere. Visus enim in infantibus viget, similiter auditus, olfactus, gustus, tactus. Ultra hos carnalis adhuc anima atque infantilis nihil potest participare. Dum autem venerit ad aetatem adultam, quasi cuidam sexto viro copulatur, id est rationi. Saepe tamen carnalis anima atque insipiens, neglecto rationabili motu, veluti naturali viro errori subditur, a quo et per quem fallitur, et ea, quae contra naturam sui sunt, derelicto naturali ordine appetit. Ideoque de eo dicitur, *et nunc quem habes non est tuus vir;* tuum virum deseruisti et obedire ei noluisti, adulterum secuta es, ac per hoc adultera facta. Sed si vis bibere de aqua, quam dabo tibi, vade, voca virum tuum, cui subjecta debes fieri et spirituali conjugio adjungi. Desere adulterum, ne sis adultera; desere errorem, quo seducta es; virum tuum reliquisti, et naturalem castitatis tuae pulchritudinem violasti. Hactenus Augustinus. Maximus quinque viros quinque leges humanae animae datas significare asserit. Quarum prima in paradiso ante peccatum data est homini, de illicito et probibito ligno. Secunda post praevaricationem et expulsionem ejus de paradiso, de multiplicatione humanae propaginis. Tertia Noe ante diluvium, de arca fabricanda. Quarta post diluvium, de divisionibus gentium. Quinta Abraham, de circumcisione et immolatione filii sui. His quinque legibus, quasi quibusdam quinque viris, humana anima ab initio mundi usque ad legem Moysi subjecta erat. Lex autem litterae, quae data est per Moysen, non ad liberandam animam vel justificandam data est, sed ad redarguendam, et gravitatem sacramentorum opprimendam, quae ei nullam salutem contulerant, nisi ad gratiam Novi Testamenti confugeret. Lex enim data est, ut gratia quaereretur, gratia autem data, ut lex impleretur. Quoniam igitur lex litterae nil humanae naturae contulerit ad salutem, neminem enim lex ad perfectum duxit, sed ad cumulum delictorum valuit, sicut ait Apostolus: « Virtus peccati lex », idem: « Lex autem subintravit, ut abundaret peccatum », pulchre ait Dominus Samaritanae *Et nunc quem habes non est tuus vir;* dimitte litteram, non est tuus vir; vade ad virum tuum, ad spiritum litterae; voca legem gratiae, quae est tuus vir, a quo spiritualem virtutum prolem concipies, cum quo dona sancti Spiritus tibi dabo, quibus in me credere valebis. Repudiato igitur sexto viro, carnali videlicet lege, jubetur rationabilis anima vocare virum suum, hoc est Novum Testamentum, legem gratiae, sub qua sola salvari poterat.

Dicit ei mulier : Domine, video, quia propheta es tu. Ut cognovit mulier ex his, quae ei Dominus de numero virorum suorum, deque suo adulterio cum viro alieno, quod ipse propheta fuerit, continuo

A proposuit quaestionem, ac si diceret: Quoniam video te et indubitanter cognosco prophetam esse, solve mihi quaestionem, de qua Judaei et Samaritani contendunt, de loco videlicet adorandi Deum, pro qua ipsi Judaei nobis non contuntur, hoc est, a nobis dissentiunt.

Patres nostri in monte hoc adorabant. Id est, Jacob, et filii ejus, et omnes Samaritani, qui sub lege Mosaica degebant, et vos, Judaei, dicitis, quia in Hierosolymis est locus, ubi oportet adorare. In hoc itaque dissentimus, in hoc unanimiter non coutimur. In monte hoc Samariae adoramus Deum, ubi Jacob, vos in templo Hierosolimitano. Quoniam itaque video te prophetam, nosse omnia te non dubito; ac per hoc fac me certam de hac contentione, id est

B vestra et nostra, ubi adorare Deum debemus, in hoc loco, an Hierosolimis.

Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolimis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus. His verbis mulieris jactantiam Samaritanae omniumque Samaritanorum opprimit. Samaritani quippe putabant, se non minoris religionis fuisse, quam Judaei. Ex persona igitur Judaeorum loquitur, non impiorum se non recipientium, sed patriarcharum et prophetarum, et eorum, qui in se crediderunt paulo ante in Judaea. Propterea ait: Vos adoratis Patrem quem nescitis, nos autem adoramus eundem Patrem quem scimus. Nemo enim potest adorare Patrem, nisi prius adoraverit

C Filium. Qui credit in Filium, ipse novit Filium, ac per hoc novit et Patrem. Ait enim: « Philippe, qui me videt, et Patrem meum videt ». Tu igitur, mulier, cum tua tota [gente] nescis Patrem quem adoras, quia adhuc non credidisti in Filium ejus, per quem ad Patris notitiam pervenitur. Et hoc est quod sequitur : *Quia salus ex Judaeis.* Ac si aperte diceret : Ideo scimus quod adoramus, adjungens se credentibus Judaeis, *quia salus ex Judaeis,* quia Christus, qui est totius mundi salus, ex Judaeis est, non solum origine carnis, verum etiam propagine fidei; ex eis enim orta est fides et primitiva Ecclesia.

Sed venit hora et nunc est. Horam dicit praesentiam suam in carne. Tu, inquit, mulier, de loco

D adorandi me consulis; ideo tibi dico, venit hora, praesens sum, et nunc sum in carne. *Quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Priusquam venirem, nemo potuit adorare Patrem in spiritu et veritate, praeter patriarchas et prophetas, quibus praesentia mea in carne revelata est per Spiritum, antequam venirem in mundum. Non ergo, o mulier, in monte hoc, neque in Hierosolimis veri adoratores adorabunt me et Patrem meum, sed interius in intimo templo cordis sui intelligentiaeque suae. Purgabitur prius per fidem, illuminabitur per

VARIAE LECTIONES

[1] Cod. *unaquaeque anima.*

scientiam, perficietur per deificationem. In monte theologiae in spiritu adorabunt, qui Spiritu sancto illuminati erunt. *Etenim Pater tales quaerit adorantes se*, qui eum in spiritu suo et in veritate cognitionis suae adorant. Quod praedixit ratione conclusit, dicens :

Spiritus Deus, et adorantes se in spiritu et veritate oportet adorare. Ac si diceret : Si Deus corporeus aut corpus esset, fortassis quaereret loca corporalia ad se adorandum. Jam quia spiritus [1] est, eos quaerit, qui in spiritu suo et in intellectu per veram cognitionem se adorent.

Dicit ei mulier : Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus. Quoniam praedixit Dominus : « venit hora et nunc est », putabat mulier de Messia, hoc est de venturo Christo, quem adhuc praesentem non cognoverat, quasi de alio dixisse. Audierat enim ex prophetis Christum venturum. Ideo ait : *Scio quia Messias venit. Venit* dixit, non « veniet », ut sua verba verbis prophetae compararet, cum quo loquebatur; aut quodammodo illuminata a spiritu venientem Christum praesentialiter intellexit, aut quia usus loquendi est, ut de eo, qui est in itinere, *venit*, cum adhuc non venerit, dicatur. Messias hebraicum nomen est, quod graece interpretatur Christus, hoc est unctus. *Cum venerit ille, adnuntiabit nobis omnia.* Adhuc non intellexit perfecte praesentem Christum, credidit tamen, a prophetis erudita, adventum Christi et doctrinam ejus futuram. *Adnuntiabit nobis omnia*, cuncta videlicet, quae ad cultum suum et Patris sui pertinent.

Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tibi. Primo Dominus intellectum mulieris aperuit, ut crederet, deinde se ipsum ei manifestavit. Illa siquidem credidit prophetas, qui de adventu Christi praedixerunt; ideoque meruit loqui cum ipso, quem futurum crediderat, quamvis adhuc praesentem non cognoverat. Cujus fidei merito venit ad cognitionem loquentis de se ipso Christi et dicentis : *Ego sum* ipse Christus; quem cognoscis futurum, jam cognosce praesentem.

Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Quare mirabantur, cum saepissime Christus locutus est cum mulieribus? Non ergo mirabantur Dominum suum loqui cum muliere, sed hoc solum mirabantur, quia cum Samaritana, id est alienigena muliere, ignorantes mysterium Ecclesiae de gentibus futurae. *Nemo tamen dicebat : Quid quaeris aut quid loqueris cum ea?* Non enim ausi sunt discipuli interrogare Dominum suum, timentes, ne ab eo reprehenderentur, si incaute eum interrogarent, nondum valentes futurae Ecclesiae mysterium cognoscere.

Reliquit ergo hydriam suam mulier. Postquam Ecclesia seu humana natura cognovit praesentiam divinae substantiae in carne, reliquit hydriam suam, reliquit usum suum carnalem, reliquit aquam et studium carnalis scientiae. . . . .

. . . .

FRAGMENTUM III.

Cap. VI, 5-14.

. . . .

turbam ad se venientem videre non posset, si oculos suos non levaret, qui, priusquam fieret mundus, omnia viderat, neque unquam corporalium oculorum instrumentis ad videndum indigebat. Elevat ergo oculos suos, edocens cordis nostri oculos elevare, totumque mundum undique ad fidem Christi concurrere. Levare etiam oculos nostri cordis exemplo Christi admonemur, ut, si forte, eo nos docente et interius illuminante, altitudinem actionis et scientiae, necnon et theologiae ascendere permittamur, turba sequentium carnalium cogitationum nos non perturbet, et a contemplationis altitudine dejiciat, sed eas spiritualibus escis, quantum possunt capere, satisfaciendo pascere procuremus. *Dicit ad Philippum.* Philippus, qui interpretatur *os lampadis* [a], figuram gerit praedicantium fidem, quibus in altitudine contemplationis cum Christo constitutis, de carnalium cogitationum turba pascenda Dominus quotidie loquitur : *Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum*, hoc est fidem ipsius de futuro miraculo consulens. Deus tentator malorum est. Tentat autem electos probandi gratia, non supplantandi. Tentationis siquidem duae species sunt, quarum una justorum probat fidem, altera impiorum reprobat perfidiam.

Ipse enim sciebat, quid futurum erat facere. Probandi, inquit, gratia tentat Dominus Philippum, non discendi, quid faciendum foret. Ipse enim novit, priusquam fieret mundus, omnia miracula, quae facturus esset in mundo. Quod enim ait, *ipse enim sciebat*, non ante aliquod tempus, sed ante omnia tempora cognoverat, quid futurum ei erat facere.

Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt his, ut unusquisque modicum quid accipiat. Adhuc Philippus lacte doctrinae nutritus, solidum verae fidei atque cognitionis cibum capere non valens, juxta suae jam virtutis facultatem respondit, impossibile existimans, tantam multitudinem paucis panibus refici posse. Erudiendi itaque gratia ludit Dominus cum Philippo, tentans ejus fidei simplicitatem, ut per hoc disceret altius ascendere, nullamque difficultatem Deo crederet inesse. Ordo itaque evangelisantium, qui, ut diximus, per Philippum typice insinuatur, tentanti se Domino, hoc est, fidem illorum probanti, ac per hoc

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., cod. *qui a spiritu.*

NOTAE.

[a] Mira sane interpretatio; derivare enim videtur vocem *Philippus* a פי, *os*, et λαμπάς.

etiam laudanti, respondit : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt. Centenarius numerus perfectus est; decies enim decem eum conficiunt; qui numerus si fuerit duplicatus, faciunt ducentos; pulchre perfectionem bonae actionis et rationabilis scientiae typum gerens, quae pascendis, hoc est audiendis in fide non sufficiunt, nisi eis altitudo theologiae addatur. Actio quippe virtutum fidelium animas solummodo purgat, scientia vero rerum creatarum illuminat; sed illa purgatio atque illuminatio eis non sufficit, nisi habitus perfectae contemplationis addatur, qui solus animas ad consummatam spiritualium refectionum plenitudinem perducit.

Dicit ei unus discipulorum ejus Andreas, frater Simonis Petri: Est puerulus unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisciculos, sed haec quid sunt in tantos? Eadem simplicitate, qua et Philippus, respondit Andreas frater Simonis Petri. In ea tamen simplicitate multiplex continetur theoria. Puerulus iste, qui juxta fidem rerum gestarum aut unus ex discipulis intelligitur, aut puerulus quidam ex turba, quae eos sequebatur, mystice legislatorem significat, Mosen videlicet, qui veluti quidam puerulus non incongrue dicitur, quia ipsa lex, quae per eum data est, neminem ad perfectam justitiae aetatem perduxit. Unus puerulus dicitur legislator, quia unitatem Ecclesiae futuram praefigurabat factis, dictisque prophetabat. *Hic* dixit, hoc est in Veteri Testamento, quod jam Novo clarescente vilescere coepit, adhuc tamen omnino non recessit. *Qui habet quinque panes hordeaceos;* quinque panes hordeaci resunt quinque Mosaicae legis libri, qui hordeacei non immerito dicuntur, quia carnales homines illis pascebantur. Hordeum quippe jumentorum est proprie alimentum, non hominum. Carnalis populus adhuc sub littera degens, et vetustatem primi hominis, de quo scriptum est: « Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis », non deserens, in numero jumentorum brutorum computabatur, ac per hoc sola littera, quasi quodam hordeaceo pane mixto cum palea, non autem spirituali medulla ipsius litterae vescebatur. Granis siquidem hordeaceis ita naturaliter intimi palearum folliculi adhaerent, ut vix ab eorum medulla segregari queant, legalium sacramentorum necnon et praeceptorum difficultatem intelligentiae significantes. Quinarius quoque numerus hordeaceorum panum quinque corporeos sensus insinuare non incongrue intelligitur. Quanto siquidem quis fidelium in his, quae per quinquepertitum corporis sensum accipiuntur, delectatur, tanto inter bruta animalia hordeo vescentia computabitur. Dum vero eos, sensus dico, actionis et scientiae incremento deserens spirituali esca vescitur, non jam inter bruta, sed inter rationalia animalia reputatur. Quoniam itaque nemo ad altitudinem virtutum et contemplationum sinitur ascendere, nisi prius sensibilium rerum significationibus nutriatur, pulchre Dominus sequenti se turbae fidelium panes distribuit hordaceos, ut prius inde satiatos [1], si fidem, quam acceperant, servaverint, ad spiritualia et altiora rationabilis creaturae alimenta perducat, quibus, priusquam corporeos sensus, omniaque, quae per eos accipiunt, transcendant, nutriri non possunt. Quod ergo ait, *sed hoc quid est in tantos?* tale est, ac si diceret : Legis littera seu corporei sensus et corporalia, quid sunt? quid prosunt ad tantam multitudinem fidelium, qui in te credituri sunt, et spiritualia alimenta petituri, quae omnem litteram omnemque corporeum sensum superant? « Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se ».

Dicit autem Jesus : Facite homines recumbere. Erat autem foenum multum in loco. Foenum multum legis litteram significat, quae multiplex erat in symbolis, foenum quoque multum carnalium cogitationum, quae per corporeos sensus animae ingeruntur, ab eaque iterum citissime labuntur, non incongrue significat. Pulchre quoque discipuli jubentur facere homines recumbere, quoniam magistri veritatis, nisi prius veluti in infimis locis, in simplicitate litterae et visibilis creaturae eos, quos nutriverant, erudire incipiant, in altitudinem contemplationis erigere non valent. Primus quippe gradus est, ad ascendendam altitudinem virtutum, sanctae Scripturae littera, rerumque visibilium species, ut prius lecta littera, seu creatura inspecta, in spiritum litterae, et in rationem creaturae, rectae rationis gressibus ascendant. *Recubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.* Eadem ratione theoriae, sicut per quinque panes quinque libri Mosis, quantum ad litteram attinet, seu quinque corporis sensus significantur, ita per quinque millia multitudo eorum, qui sub lege litterae vixerunt, seu eorum, qui carnalibus sensibus adhuc subjiciuntur, recta ratione innuitur. Millenarius quippe numerus perfectus ac cubicus est. Decies quippe decem decies millenarii numeri summam conficiunt. Qui, dum per quinarium numerum multiplicatur, carnaliter viventium plenitudinem insinuat. Qui mox, ut sancta historia et visibili rerum superficie eruditi fuerant, ad altitudinem spiritualium rerum transituri sunt.

Accepit autem panes Jesus, et gratias agens, distribuit recumbentibus, similiter et ex piscibus quantum volebant. Accepit Dominus panes, quia ipse legem per Mosen dedit, ita ut lex illius proprie dicatur, qui dedit, non illius, per quem veluti ministrum data est. *Et gratias agens, distribuit recumbentibus;* cui gratias, nisi Patri, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum daret, per quem pasceret mundum visibilibus sacramentis et sensibilibus creaturis, ut per haec ad se cognoscendum perduceret atque nutriret? Duo pisces duo testamenta, quantum ad sensibilia symbola pertinent, insinuant. Pisces quippe in aqua

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *satiati.*

sunt sensibilia symbola, in carnali adhuc populo, perfecte tamen vivere inchoanti. Quae symbola, dum altius quodammodo intelligi incipiuntur, recte desiderantibus, quantum volunt, distribuuntur. Distribuere quippe est, visibilia symbola ab invisibilibus eorum intellectibus discernere, et juxta uniuscujusque capacitatem dispertiri. Quidam volunt, per duos pisces duas personas in lege, regis videlicet et sacerdotis, quidam, prophetas et psalmos significari.

Ut autem saturati sunt, dicit discipulis suis : Colligite, quae superaverunt, fragmenta, ne quid pereat. Simplex fidelium turba sola littera, visibili creatura, necnon et visibilibus symbolis saturata atque contenta; litterae et creaturae et symbolorum spirituales intellectus veluti residua quaedam fragmenta, quae adhuc carnales non possunt assumere magistri Ecclesiae colligere jubentur, ne quid ex ipsis intellectibus non intellectum pereat, sed ex eis spiritualium animarum rationabile desiderium in divinis contemplationibus satietur. Fragmenta itaque sunt hordeaceorum panum, subtiles ac difficiles intellectus sanctae Scripturae et sensibilium sacramentorum, quas doctores Ecclesiae in unum colligunt, ne quid ex eis pereat, hoc est, ne aliquid ex eis remaneat, quod capacibus intelligibilium sensuum non distribuatur.

Colligebant ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, qui superaverant manducantibus. Duodenarius cophinorum numerus capacitatem sapientum spiritualesque intellectus colligentium typice figurat. Duodenarius quippe numerus perfectissimus est, multisque modis consideratus, in actione virtutum, et in scientia rerum, et in theologia, quae circa divina solummodo versatur, praeditos divinorum hominum intellectus significat. Primum quidem duodenarii perfectio consideratur eo, quod senarii numeri duplus est. Senarius autem numerus perfectionem bonorum operum in hac vita insinuat; quae si duplicata fuerit, in aeternam contemplationem, quae totius bonae operationis fructus est, veluti in duodenarii numeri quantitatem concrescit. Item duodenarius intra se totius musicae harmonias continet. Habet enim diatessaron [a] in quaternario cum ternario collato; habet diapente in ternario et binario; habet diapason inter seipsum et senarium. Intra octonarium quoque numerum integra diapason est. Habet tonum inter novenarium et octonarium. Qui omnes numeri intra terminos duodenarii continentur. Ac per hoc omnium rerum visibilium et invisibilium harmonia connexa tali numero figuratur. Quae harmonia solis divinas res intelligentibus, quantum datur hominibus, nota et comprehensibilis est. Duodenarius quoque numerus in decem dividitur et duo. Propterea et legem significat litterae, quae denaria est, et caritatis praeceptum, quod in se geminatur, et in quo lex pendunt et prophetae. Ideoque qui legem praecepto caritatis adimplent, ipsi sunt cophini, in quibus spiritualia fragmenta divinorum intellectuum et colliguntur et salvantur, ne quid eorum pereat. Idem numerus dividitur in septem et quinque, qui numeri musicae humanae vocis attribuuntur, mirabilemque concordiam omnium rerum ad unum finem redeuntium indicat. Quinarius siquidem in se ipso multiplicatus viginti quinque numerum complet. Septenarius vero in duo membra dividitur, quorum majus quaternarius est, minus ternarius. Si itaque septenarium numerum per inferius membrum sui multiplicaveris, viginti unum efficies. Cui numero si majus membrum addideris, erit similiter viginti quinque; ac per hoc ad unum finem quinarius et septenarius multiplicati dicuntur. Spirituales igitur cophini sunt, qui virtute actionis et scientiae ad unum finem aeternae contemplationis perveniunt.

Homines ergo videntes, quod fecit signum Jesus, dicebant : Quia ipse est vere propheta, qui venit in mundum. Iterum imperfecta turba redarguitur in eo, quod propter signum visibile, non propter virtutem intelligibilem signi dicebant : *quia ipse est vere propheta, qui venit in mundum.* In hoc miraculo quinariae quantitatis hordeaceorum panum non sine causa quaeritur, quid vult, quod fragmenta quinque panum solummodo, non autem duorum piscium colliguntur, ex quibus duodecim cophini implentur, cum ex quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum saturata fuisse Evangelium narret. Cujus mysterii obscura mihi videtur profunditas, ut vix investigari queat. Augustinus quippe in expositione sua in Joannem nil inde tractat, sed omnino praetermisit. Quamquam multis sufficere videatur, quod in Marco legitur : « tulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, et a piscibus », ut subintelligatur : et a piscibus tulerunt fragmenta, aut alia, aut eadem. Sed si alia, non XII, sed XXIIII cophini fuerunt, si eadem, suffecerat dicere : tulerunt fragmentorum duodecim cophinos. Videtur non vacare mysterio, quod veluti post fragmenta panis collecta ait : « et a piscibus », absolute, nil addens. Matthaeus siquidem et Lucas indiscrete fragmenta commemorant, in ambiguo linquentes, utrum solummodo panum, ut Joannes, an panum simul et piscium. Conemur itaque, quantum lux mentium dederit, inquirere, non aliorum sensus praejudicando. Praediximus quippe, quinque sensus corporis seu quinque libros Mosaicos quinario panum numero insinuari, duobus vero piscibus utriusque Testamenti symbola. Ubi primo quaerendum, quid inter mysteria distat utriusque legis, litterae videlicet et gratiae, et symbola. Mysteria itaque proprie sunt, quae juxta allegoriam et facti et dicti traduntur, hoc est, et secundum res gestas facta sunt et dicta, quia narrantur. Verbi gratia Mosaicum tabernaculum et secundum rem gestam erat constructum, et textu sanctae Scripturae dictum atque narratum. Similiter sacramenta legalium hostiarum et secundum historiam facta sunt,

NOTAE.

[a] Respicit Graecorum harmonias.

et dicta sunt secundum narrationem. Circumcisio similiter et facta est in carne, et narrata est in littera. In Novo quoque Testamento mysteria baptismatis, Dominici quoque corporis ac sanguinis, necnon et sancti chrismatis juxta res gestas conficiuntur, et litteris traduntur et dicuntur. Et haec forma sacramentorum allegoria facti et dicti a sanctis Patribus rationabiliter vocitatur. Altera forma est, quae proprie symboli nomen accepit, et allegoria dicti, non autem facti appellatur, quoniam in dictis solummodo spiritualis doctrinae, non autem in factis sensibilibus constituitur. Mysteria itaque sunt, quae in utroque Testamento et secundum historiam facta sunt, et secundum litteram narrata; symbola vero, quae solummodo non facta, sed quasi facta sola doctrina dicuntur. Verbi gratia, in veteri lege scriptum est: « Non coques haedum in lacte matris suae ». Illud siquidem nunquam secundum historiam legitur fuisse, teste Augustino; dictum est tamen et scriptum, ac veluti factum traditur, cum veritas divinae historiae factum fuisse non invenitur narrare. Item in Psalmis: « Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium ». In his enim divinae Scripturae locis et in multis similibus allegoria sola dicti, non autem facti et dicti, intelligitur. In Novo Testamento multa narrantur, quae secundum fidem historiae non sunt facta, sed solummodo dicta ac veluti facta; quae exempla maxime in allegoria parabolarum Dominicarum reperiuntur, verbi gratia, parabola de divite et Lazaro paupere in sinu Abraham, deque interposito chasmate, de flamma, de lingua, de digito, quae omnia nulla auctoritas secundum res gestas fuisse tradit, sed figurate omnino dicta sunt. Quae forma in omnibus fere parabolis cognoscitur, proprieque symbolica nominatur; quamvis usus divinae Scripturae sit, symbola pro mysteriis, et mysteria pro symbolis vicinitate quadam atque similitudine ponere. Ponamus ergo quandam similitudinem, qua possimus suadere, quod volumus asserere. Carnalium fidelium populus et in veteri lege praecessit et in nova. Jam est, qui nihil extra litteram sensusque corporeos existimat esse, quoniam altius ultra litteram Scripturae, et ea, quae per sensus accipiuntur, [non] [1] potest ascendere. Similiter in veteri lege perfecti et sapientes in actione et scientia spiritualium intellectuum, ac in Novo Testamento fuisse narrantur, qui, veluti discipuli, cum Christo in altitudinem contemplationis, tanquam in quendam montem ascendunt, relictis carnalibus, sub littera et sensu in foeno rerum temporalium recumbentibus. « Omnis quippe caro foenum, et omnis gloria ejus flos foeni ». Itaque cogitemus in animo veluti multitudinem quandam simplicium fidelium, in lateribus montis, seu in planitie, hoc est, infra altitudinem divinorum intellectuum residentem. Nam ex textu Evangelii datur intelligi, non in summitate montis, sed in quadam planitie, ubi foenum A multum fuerat, Dominum turbam pavisse. Ubi ait, « reversus in montem ipse solus »; ut secundum res gestas accipiamus, solum Dominum cum discipulis suis prius ascendisse in montem, ac deinde iterum ad inferiora descendisse, miraculoque peracto solum iterum in montem rediisse. Huic multitudini fidem Christi esurienti apponuntur quinque panes et duo pisces, hoc est sacramenta, quae et facta et scripta sunt, et symbola, quae solummodo dicta, non autem facta. Accipiens Christus panes quinque et duos pisces, et gratias agens, Patri videlicet, qui voluit fideles suos symbolis ac sacramentis pascere, tradit discipulis suis, magistris suis, ministris suis; ipsi vero turbae dividunt. Panes hordeacei a discipulis franguntur, dum ab eis utriusque legis B mysteria in res gestas et in earum spirituales intellectus dividuntur. Simplici historia pascuntur carnales; divinos ipsius historiae intellectus quasi quaedam fragmenta colligunt spirituales. Fragmenta, quae comedunt carnales et saturantur, res gestae; fragmenta, quae comedunt spirituales, divini intellectus rerum gestarum sunt. Verbi gratia, legatur liber Geneseos, eo loci, ubi transitus carnalis Israel per mare rubrum narratur. Simplex Christianus adhuc, veluti in foeno rerum temporalium atque carnalium recumbens, sola pascitur historia. Quidquid enim ibi factum est, quinque sensibus corporeis notum fuit. Nam et visi sunt Israelitae siccis pedibus mare transisse, Aegyptiaci vero necati fuisse. Hoc quoque a finitimis gentibus auditum est, unda C marina gustata est, olfacta et tacta. Quae cuncta simplex adhuc fidelis animus secum tractat et cogitat, indeque, veluti quibusdam fragmentis divinae historiae, satiatur. Intellectum vero ipsius litterae non potest capere, ideoque ab his, qui spiritualia sapiunt, colligitur, ne pereat, sed valentibus intelligere proficiat. Ecce quinque panes hordeaceos: mysteria videlicet rerum gestarum, in litteram et spiritum divisa, et, quantum littera est, sensibus corporeis quinariis conveniunt [2] . . . .

. . . .

« Abraham », inquit, « duos filios habuit, unum quidem de ancilla, alterum de libera ». Ecce historiae prima fragmenta simplicibus sufficientia. D Consequenter subjungit fragmenta spiritualia, dicens: « Haec autem sunt duo Testamenta ». Apponantur pisces duo eidem multitudini, hoc est sola spiritualis doctrina allegorice dicti, non autem secundum historiam facti. Quae veluti binario numero continetur, quoniam duobus solummodo sensibus percipitur, visu videlicet et auditu, ceteris autem sensibus percipi non potest. Legitur enim oculis, auribus auditur, olfactu vero seu gustu seu tactu remota est. Verbi gratia, ut eisdem utamur exemplis, legatur quod scriptum est in Exodo: « Non coques haedum in lacte matris suae ». Hoc symbolum et per oculos legitur, et per aures auditur; frangi vero

VARIAE LECTIONES.

[1] *non* om. cod. [2] Una linea deest.

non potest, quia juxta rerum gestarum fidem non accipitur, sed solummodo allegorice dictum est. Et quoniam non dividitur, totum memoriae carnalium fidelium commendatur, ut credant sensum spiritualem his verbis inesse, quamvis non intelligant. Totum ab his, qui spiritualiter spiritualia cognoscunt, colligitur. In symbolis itaque, hoc est in dictionibus spiritualis doctrinae, quas sola allegoria facti, non autem dicti, tradit, nulla fragmenta colliguntur, quoniam in historiam et intellectum non dividitur. Solus enim intellectus in eo cogitatur, nullum autem factum. Item in Novo Testamento, ut et inde exemplum accipiamus, corpus et sanguis Domini nostri et sensibiliter secundum res gestas conficitur mysterium, et secundum spiritualis intellectus investigatur cerebrum (?). Quod extrinsecus sentitur et percipitur carnalibus hominibus, quinquepertito corporeo sensui subditis, hordeaceus panis est, quia altitudinem spiritualis intelligentiae non valent ascendere; ac veluti quoddam fragmentum est, quibus carnalis illorum cogitatio satiatur. Fragmentum spirituale est his, qui altitudinem divinorum ipsius mysterii intellectuum valent cognoscere, ideoque ab eis colligitur, ne pereat. Nam mysterium ex littera et spiritu confectum partim perit, partim aeternaliter manet. Perit quod videtur, quia sensibile est et temporale; manet quod non videtur, quia spirituale est et aeternale. Symboli exemplum fiat: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum ». Hoc solummodo dictum, in hoc nulla res gesta cognoscitur, ideoque et totum simpliciter a carnalibus accipiatur, et totum uniformiter a spiritualibus. Nec ibi ulla fragmenta possunt fieri, quoniam nil ibi est, quod secundum historiam intelligatur, sed totum ad theologiam, quae omnem sensum et intellectum superat, refertur. Oculis legitur legentium, auribus sentitur audientium, ac per hoc, veluti quidam duo pisces, una eademque evangelistae theologia accipitur duobus sensibus conveniens. .

. . . .

Cetera desunt.

JOANNIS SCOTI
De praedestinatione
LIBER

Ad fidem codicis ms. S. Germani 1314 (*olim* 634) *membran. sec.* x, 4°, *bibliothecae Regiae Parisiensis recognitus.*

Mauguini editio princeps..... M.

MONITUM AD LECTOREM.

Joannes Scotus periculosiorem vix poterat provinciam suscipere, quam *dialecticis philosophicisque suis argumentis* quaestionem theologicam arduam obscurissimamque « de Praedestinatione » expediendi. In quo quum parum posset proficere, quid mirum, quod adversariorum omnia fere tela in se convertit. E quibus Prudentius Tricassinus, et Ecclesiae Lugdunensis nomine Florus diaconus Scoti librum, ubi primum in lucem prodiit, vehementissime impugnarunt, ac summa cum eruditione refutarunt. Quorum scripta, quae in hac Patrologia tom. CXV et CXIX typis excusa sunt, lector adeat.

Scotus in eo potissimum versatur, ut ostendat, nec duplam praedestinationem nec geminam rationi satis congruere, sed unam tantum simplicissimae divinae unitatis esse praedestinationem. Eamque probare nititur variis argumentis, e ratione, sacra Scriptura, Augustino, aliunde petitis. Nec tamen rationes, quas affert, ac doctrinae cum veritate ita satis conveniunt, quin sanae rationi atque doctrinae Ecclesiae saepissime aperte repugnent. Docet enim, « praescientiam et praedestinationem unum idemque esse; praedestinationem in Deo relative fieri non posse; naturam natura non puniri; naturam, quia a Deo sit, nec peccare, nec puniri; neque in primo homine peccasse naturae generalitatem, quae quidem natura, si deliquisset, cum *una sit*, tota profecto periisset; peccare non nisi uniuscujusque individuam voluntatem, puniri vero solum motum voluntarium libidinosum; *totam* animae naturam *voluntatem* esse; omne malum esse peccatum et ejus poenam, *et haec nihil esse;* omnem perversae voluntatis defectum vel privationem vel peccatum, finemque ejus mortem miseriamque suppliciorum aeternorum *omnino nihil esse,* ac per hoc *nec praesciri nec praedestinari*; peccata eorumque supplicia *nihil esse ;* nec esse illum ignem aeternum poenam, neque ad eam praeparatum vel

praedestinatum; in eo procul dubio habitare cum beatos tum miseros; ignem aeternum istum ipsum quartum mundi elementum esse, ubi corpora sanctorum in aethereum mutentur qualitatem, iniquorum vero corpora in aeream qualitatem sint transitura; *in eoque naturarum intra se mirabile perfici gaudium*, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum; et ita impiorum omnium, angelorum hominumque, corpora supplicia ignis aeterni perpessura, ut integritate eorum substantia nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturae bonis ad universitatis ornamentum mirabili ordine refulsuris, excepta beatitudine, qua priventur, aeternas patiantur aerumnas. Deum non esse auctorem, factorem suppliciorum. Poenas mala esse, ideoque a Deo, a quo non sit malum, non esse. Deum non punire, quod fecit, nec ab eis, quae fecit, naturalia bona tollere. Deum in ea natura, quam creavit, semper habitare. Ignem aeternum ad urendum diabolum et angelos ejus, nec ad homines cruciandos factum esse. Diabolo, postquam aethere detrusus sit, ubi in aethereo corpore non poterat poenas sentire, additum esse corpus aerium, in quo ignem sentiret ».

Haec hisque similia quum J. Scotus ex decretis suae philosophiae contra sanctae Ecclesiae et sanctarum Scripturarum doctrinam aperte protulisset, quid mirum, quod iis, qui ipsum ad hunc librum condendum impulerant, noceret magis quam prodesset? Nec satis intelligitur quid sit, quod Hincmarus archiepiscopus, inter aequales facile prudentissimus, Joannem Scotum evocarit, qui partes suas tali scripto defenderet. Prudentius vero iis Scotum armis adorsus est, quibus is resistere vix poterat, auctoritatibus sanctorum Patrum. Quorum locos innumeros congessit, Scotumque aulicum acerbissime perstrinxit. Nec omisimus, ex Prudentii « Recapitulatione », quam ad calcem operis sui adiecit, nonnulla, quibus singulis Scoti erroribus mederemur, suo loco notis addere. Ut vero noscas arma, quae noster hoc scripto in se convertit, nonnullos librorum Prudentii et Flori integros locos, nec non duarum synodorum judicia adscribere lubet.

Prudentius enim in *praefatione* libri sui, quae Weniloni archiepiscopo Senonensi inscribitur, sic orditur :

Accensus, prout decet atque oportet, zelo catholicae fidei et verae caritatis affectu, pater beatissime, misisti mihi quandam schedulam, decem et novem capitula continentem ex libro cujusdam Scoti selecta, a nostro, ut ais, se quodammodo intellectu divertentia, rogans et monens, ut quaecunque in eis a vero exorbitantia comperissem, unicuique de libris evangelicis et catholicorum doctorum auctoritatibus devianti capitulo congrua depromerem abunde responsa. Quibus decursis solliciteque perspectis, reperi in eis Pelagianae venena perfidiae, et aliquoties Origenis amentiam, Collyrianorumque haereticorum furiositatem, quorum merito a catholicae fidei cultoribus ac praepugnatoribus validissimis confutati censuraque justissimae severitatis multo ante nostra tempora damnati sunt. Intremui, fateor, et expavi, tot olim errores, cum suis auctoribus jam sopitos, nostris denuo temporibus pullulare, et deficientes quondam fumos nova rursum accensione erumpere, suique noxietate multorum oculos caligare. Quibus, ut jusseras, refellendis cum animum pararem appellere, laboris difficultate perterritus deliberabam penitus omittendum. Verum monentis auctoritate perpensa duxi satius, cum fructu obedientiae, etsi minus pleno, aliquatenus labi, quam paternae reverentiae timiditate stupida contraire. Animatus itaque meritis rogantis orationumque instantissima puritate scribentis visum est librum eundem, si qua forte inveniri posset, diligenti curiositate perquirere, cujus serie salebrosas tantorum errorum tortiones valerem facilius intueri. Quo gratia Dei, sine qua nihil sum et nihil possum, ut optaveram, assecuto deprehendi, quantum divinitus inspiratus potui, Pelagii, Caelestii, eorumque sequacis ac defensoris acerrimi, Juliani, per omnia sectatorem, Joannem videlicet Scotum, tanta impudentia orthodoxae fidei Patribusque catholicis oblatrantem, ac si unus spiritus Julianum Joannemque docuerit, unus idemque spiritus in eis fuerit, nec dispar spiritus per eorum linguas tot tantasque blasphemiarum nauseas evomuerit. Nam et gratuitam Dei gratiam pariliter impugnant, et Dei justitiam similiter denegant, et originale peccatum, quod nascentes trahimus, quoque non nisi caelesti gratia per mysterium baptismatis solvimur, indissimili garrulitate dissuadent, argutiisque dialecticis simillima vanitate desipiunt. Rectissimum etiam sanctarum Scripturarum intellectum Patrumque catholicorum sensum sanissimum tam concinna varicositate pervertunt, ac si nunquam adversus eorum errores quidpiam fuerit actitatum. Quibus cum a Patribus praecipueque beatissimo Augustino competentissime abundantissimeque responsum fuerit, nequaquam me praesumptionis a piis lectoribus credidi iudicandum, si tuis monitis dictante pietate libenter obsequens, offeram pro vili portione in donaria tabernaculi Domini mei, quae possim, relinquens potioribus ac doctioribus, quaeque melius valuerint et voluerint offerenda. Nec posse, ut ait S. Hieronymus, alterius opes alterius paupertate foedari. Fidens igitur in ejus gratia, qua praevenimur, ut bene velimus, subsequimur, ne frustra velimus, revolutis Patrum consonis per omnia paginis, quid quisque eorum antidoti contra eadem venena confecerit, decerpere fideliter curavi, praefixo cujusque doctoris nomine, libroque pariter intimato. Verba quoque ejusdem Joannis, ut ab eo digesta sunt, pluribus locis inserui, praeposito etiam nomine ipsius cum praecedente illud nota, quae graece dicitur θῆτα, quam sententiis capitalibus damnandorum aliqui praescribere solebant. Si multis enim non verba ejus interposui, quae loquacitate nimia legentibus fastidium

ingerunt, sed sensibus eorum pro meo captu meae pusillitatis veraciter obviari. »

Deinde capite primo in Joannem Scotum invehitur his verbis :

Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam justitiamque inflexibilem procax inveheris, percurso tuae perversitatis libro, quem sub nomine cujusdam Gotescalci adversus omnes catholicos effudisti, eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar, peculiarius diligebam, quippe qui in tantum vesaniae proruperis, ut gravissimam sanctarum Scripturarum auctoritatem tuis pravis interpretationibus detorqueres, sensaque catholicorum Patrum perversis invertenda sensibus edoceres, nimirum quadrivium quoddam nobis intelligendi Scripturas affingens, quod Patres nostri, videlicet omnes catholici tractatores, divina humanaque sapientia praefulgentes, cum multa eruditissime luculentissimeque caelitus imbuti, exponendo, atque intelligendi regulas modosque locutionum multiplices aperiendo reliquerint, in quibus nullam tui quadrivii mentionem fecisse probantur, penitus contempserunt, proponentes nobis videlicet et multo meliores, sanctiores, doctioresque vias, quarum opitulatione subnixi et stropharum tuarum faeculentias evitare, et puritatem simplicissimae fidei clarissimis ac suavissimis fontibus haurire et propinare in nomine et adjutorio auxiliatricis, imo praeventricis gratiae Dei possimus.

Nec leniter eum eodem capitulo paulo post sic increpat :

Quamvis non ignoremus, praecepto Domini vasa aurea atque argentea, vestiumque ac gemmarum variam pulchritudinem ab Aegyptiis mutuata, ejus tabernaculo fuisse oblata, et esse devotius offerenda; verum id, quotiescunque contra eos agi summa necessitas coegit, qui talibus inflati gloriabantur in vanitatibus suis, et simplicitatem nostrae fidei stultitiam deputabant, exsequi pro tempore non est inhibitum, sed fideliter prudenterque a Patribus usurpatum. Tu autem a contrario de fide adversus fideles, nullis sophismatibus innitentes impudentius scribens, quare ad sophistica te deliramenta verteris? In promptu est nimirum jactantiae studens, et non jam philosophus, sed philocompos videri appetens, ea nobis ingerere delegisti, quae a nullo nostrum vel intelligi, vel deprehendi, vel certe confutari posse credideras; et dum studes placere hominibus, quibus id cordi esse noveras, si tamen sunt aliqui, quod avertat veritas sempiterna, nequaquam vel cavisti, vel formidasti illi displicere, de quo super talibus propheta intentando praedicit. Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. *Nec metuisti cum Achan auream regulam ex Hiericonthino anathemate contra inhibitum castris Dominicis inferre, jamjamque cum ipso sententiam divinae animadversionis, nisi citius humiliter resipiscendo poenitueris, merito subiturus. Quicunque enim propheticas vel apostolicas nobis litteras diligenter scrutati sunt, vivaciter intellexerunt, fideliter enodarunt, abstrusa aperientes, plana exornantes, nodosissima enucleantes, allegorica detegentes, hoc potissimum sategerunt, ut illo loquendi genere quam maxime uterentur, quo etiam a simplicioribus absque gravi difficultate, quae vel audirent, vel legerent, caperentur. Quod cum ab omnibus provide fuerit observatum, praecipue beatissimi atque doctissimi patris Augustini, venerandae memoriae episcopi, opusculis specialius elucescit, quae de doctrina Christiana composuit, in quibus vel maxime tuorum tibique similium figmenta portentorum cavenda et fugienda eruditissima humilitate humillimaque eruditione et sanxit et docuit. Necnon in illis, quos quaestionum vel locutionum* Eptateuci *mirabili elucidatione exaratos nomine voluit praenotari. Beatissimus quoque Hieronymus, tot linguarum atque librorum litteris incomparabiliter eruditus, in omnibus, tam propheticis, quam apostolicis explanationibus, id sibi summopere studii fuisse crebrius replicando inculcat, malle per se sanctarum Scripturarum dicta intelligi, quam rhetorum controversiis inservire. Instructus videlicet tremendi judicis verbere, quo propter nimiam Ciceronis lectionem adductus acriterque caesus tandem circumstantium precibus liberatus, juraverat se Ciceronis libros nunquam de cetero meditaturum, nunquam lecturum, quin epistola ad Galatas contemptum hujus disputationis ita deprompsit, dicens* cet.

Capite tertio haec exstant, quibus colligitur, Joannem Scotum ecclesiasticae dignitatis gradibus non fuisse insignitum : *Quis te barbarum, et nullus ecclesiasticae dignitatis gradibus insignitum, nec unquam a catholicis insigniendum, adversus Romanae urbis et apostolicae sedis antistitem Gregorium... audiat oblatrantem !*

Capite decimo quarto Prudentius cum acerbissima ironia :

Te solum, inquit, *omnium acutissimum Galliae transmisit Hibernia, ut, quae nullus absque te scire poterat, tuis eruditionibus obtineret. Sed absit, ut Celtica eloquentia tot tantisque fluviorum exundationibus tuas nubilationes admittat, quamvis Christianae humilitatis eminentia alterutro caritatis officio vicissim suppeditari minime prohibeat, immo undecunque commodum duxerit, alternatim, quae recta sunt, exhiberi percenseat.*

Denique Prudentii liber finitur his verbis :

Haec est nostra fides, quia haec est vera, prophetica, apostolica, orthodoxa atque catholica fides. Poteram quidem et ipse tibi dicere anathema, nisi exspectarem et mallem et optarem tui correctionem, quam perditionem. Proinde nondum in te severitatem anathematis jaculor, quoniam hortor, moneo, et totis cordis affectibus rogo, ut respectu supernae gratiae resipiscas, et a tam laetali veterno tandem evigiles, et quod Christiana puritas sentiat, exquiras benevolus, humilis apprehendas, mitis acquiescas, mansuetus secteris, devotus teneas, et fidelis in omnibus exsequaris. Relinque quadrivium vanitatis

quod sequens extorris viae factus es veritatis. Quanto melius quantoque salubrius ageres, si uni verae sempiternaeque viae innitens quadriga illius humilis vehi, quam quadrivii tui inflatus typho raptum iri in diversa deligeres. Quadriga hujus viae sunt quattuor Evangelia, uno paradisi fonte manantia, quibus nobis via panditur salutaris. Quadriga hujus viae quattuor sunt virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, quibus omnis morum probitas venustatur. Quadriga hujus viae sunt quattuor divinorum eloquiorum species, historica, ethica, allegorica, anagogica, quibus ad omnem sacrarum litterarum intellectum illuminante gratia ejus inducimur. Quae si humiliter fideliterque sectari studuisses, nunquam in tanta errorum atque abominationum, immo blasphemiarum praecipitia incidisses. Verum dum quadrivio varicoso tanta pertinacia inhaesisti, nequaquam eloquium libri Ecclesiastici evadere voluisti, quo dicitur: Qui sophistice loquitur, odibilis est, omni re defraudabitur. Non enim data est illi a Domino gratia. Omni enim sapientia defraudatus est (*a*). *Et illud*: In multiloquio non effugies peccatum (*b*). *Quibus si expediri desideras, humilitati sublimissimae crucifixi supplex prosternere, ut cum Apostolo dicere valeas:* Nihil judicavi me scire inter vos nisi Christum Jesum et hunc crucifixum (*c*). *Et item:* Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*d*). *His in nomine et adjutorio Dei pro captu et viribus meae pusillitatis magis devote quam docte, tuae quoque correctionis, frater Joannes, gratia exaratis, libet quam breviter quamque succincte capitulatim singula adnotare, quo legentis audientisque intentio lecta vel audita memoriae tenacius valeat commendare.*

Et haec quidem e Prudentii libro hactenus. Florus Lugdunensis, qui nomine Ecclesiae Lugdunensis librum suum condidit, Joannem Scotum simillimis fortiter impetit armis. Is enim sic orditur: *Venerunt ad nos, id est ad Ecclesiam Lugdunensem, cujusdam vaniloqui et garruli hominis scripta, qui velut de praescientia et praedestinatione divina humanis, et, ut ipse gloriatur, philosophicis argumentationibus disputans, nulla ratione reddita, nulla Scripturarum sive sanctorum Patrum auctoritate praelata, velut tenenda et sequenda sola sua praesumptione definire ausus est, quae a fidelibus et in doctrina sacra exercitatis lectoribus, eo quod sint vanissima et contra fidem ac veritatem Dei, plena mendacii et erroris, Deo opitulante, facillime judicantur et respuuntur, immo etiam contemptui et risui habentur. Sed quia a multis, ut audivimus, idem homo quasi scholasticus et eruditus admirationi habetur, et talia garriens sive scribens alios ad haesitationem deducit, alios, quasi magnum aliquid dicat, errores sui sequaces efficit, omnes tamen auditores et admiratores suos inani verbositate et ventosa loquacitate perniciosissime occupat, ut non divinis Scripturis, non auctoritatibus Paternis se humiliter submittant, sed ejus potius phantastica deliramenta sequantur, necessarium omnino duximus, ut studio caritatis et debito nostri loci atque ordinis ejus insolentiae, auctore Domino, responderemus, ut, quicunque haec cum Dei timore et cura salutis suae fideliter legere voluerint, agnoscant veraciter, quantum necesse sit, in his maxime periculosissimis et extremis temporibus, inhaerere firmiter Scripturae sanctae immobili veritati, obedire humiliter sanctorum orthodoxorum Patrum fundatissimae auctoritati, claudere et obstruere auditum indisciplinatae et vanissimae verbositati, et illud Domini dictum tota intentione pertimescere, quod jam paene videmus impleri, quo ipse ait:* Putas filius hominis veniens inveniet fidem in terra? (*e*) *et quod Apostolus, in quo idem Dominus loquebatur, terribiliter denuntiat dicens:* Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (*f*). *Unde et alibi sub persona dilecti et electi discipuli omnem fidelem, et praecipue ordinem pastoralem sollertissime admonet, dicens:* O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones ψευδωνύμου γνώσεως, *id est falsi nominis scientiae*, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt (*g*). *Propositis igitur verbis, quae in decem et novem opusculi sui digessit capitulis, prout Dominus donare dignatur, non nostro sensu, sed sanctarum Scripturarum et beatissimorum catholicorum Patrum ita respondendum aggredimur.*

Acerbissimum denique Joanni Scoto accidit, ut duae synodi Gallicanae, Valentina an. 855 et Lingonensis an. 859, ipsius librum et capitula, quibus *commentum diaboli potius quam argumentum aliquod fidei* contineatur, proscriberent. Ex quibus altera insuper *aniles paene fabulas Scotorumque pultes puritati fidei nauseam inferentes* haud mediocriter perstrinxit. Synodi enim Valentinae can. 4 haec extant: « Capitula quattuor, quae a concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem et errorem contrarium veritati; *sed et alia* XIX *syllogismis ineptissime conclusa, et licet jactetur, nulla saeculari litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli potius quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus, et ut talia et similia caveantur, per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus; novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus* ».

(*a*) Eccl. XXXVII, 23.
(*b*) Proverb. X, 19.
(*c*) I Cor. II, 2.
(*d*) Gal. VI, 14.
(*e*) Luc. XVIII, 8.
(*f*) II Tim. IV, 4, 5.
(*g*) I Timoth. VI, 20.

Ibidem vero can. 6 haec leguntur : « *Ineptas autem quaestiunculas, et aniles paene fabulas Scotorumque pultes puritati fidei nauseam inferentes, quae periculosissimis et gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem caritatis miserabiliter et lacrimabiliter succreverunt, ne mentes christianae inde corrumpantur, et excidant a simplicitate et castitate fidei, quae est in Christo Jesu, penitus respuimus, et, ut fraterna caritas cavendo a talibus auditum castiget, Domini Christi amore monemus. Recordetur fraternitas, malis mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum et paleis levium hominum se durissime suffocari. Haec vincere ferveat, haec corrigere laboret, et superfluis coetum pie dolentium et gementium non oneret, sed potius certa et vera fide, quod a sanctis Patribus de his et similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur* ».

Synodus autem Lingonensis an. 859 can. 4 his utitur verbis : *Porro capitula numero* XIX, *syllogismis ineptissime ac mendacissime a quodam Scoto conclusa, ubi non argumentum fidei, sed potius commentum perfidiae patet, nulla omnino philosophiae arte, ut arroganter a quibusdam jactatur, constructum, sed inani fallacia et deceptione imperitissime confusum, a pio auditu fidelium penitus explodimus*, cet., ut in synodo Valentina can. 4.

Haec igitur quum ita se habeant, quid mirum, quod illud Joannis Scoti opus, si unum codicem Parisiensem exceperis, ex omnibus, quantum scitur, bibliothecis librorum mss. evanuit. Scriptores vero libri, cui titulus : *Hist. litt. de la France*, Benedictini, tom. V pag. 420 de Joannis Scoti libro judicium hoc tulerunt : *Le raisonnement est la voie qu'il se propose. Mais outre que la raison ne suffit pas pour décider des points de foi, il fait voir, par la suite de ses raisonnements, qu'il ne savait même raisonner juste. Il n'en fait point d'autres preuves que les absurdités et les contradictions fréquentes dans lesquelles il est tombé.* Insuper ea, quae de hoc J. Scoti libro in commentatione supra typis excusa disputantur, evolvas.

JOANNIS SCOTI
DE DIVINA PRAEDESTINATIONE
LIBER.

PRAEFATIO [1].

Dominis illustribus et merito Christianae fidei tuendae praestantissimis, atque divino episcopalis gratiae dono desursum a Patre luminum muneratis, Hincmaro et Parthulo, Joannes servus vester devotus in Domino salutem.

Fari non possum, quantas qualesque gratiarum actiones vobis rependere debeam in eo, quod vestrae dilectionis copiosissima sublimitas me tanquam aliquid valentem in defendenda omnium nostrum salute, quae est professio catholica [2], non est dedignata cooperatorem eligere, impos quidem longe virium vestrarum sermone atque intelligentia, compos vero fide et devotione in asserendae veritatis fiducia. Studium quippe vestrum partim sursum versus contemplative erigitur ad speculandam veritatem, partim [3] vero deorsum versus active reprimitur ad regendam Ecclesiam : nos vero e diverso inter undosum velivolumque pelagus imperii senioris nostri, domini videlicet gloriosissimi Caroli, quasi quaedam navicula diversis fluctibus agitati, quandoque tamen in portu serenitatis ejus stabilitanda occu- A pati, vix aliquando ad vestigia sapientiae intuenda brevissimo temporis sinimur intervallo. Modus tamen nostrae capacitatis, qualiscunque sit, de vestra prudentissima sanissimaque doctrina testimonium perhibebit. Ut enim maxima clarissimaque mundi luminaria stellarum lucubrationes non despiciunt, sed ad expellendas omnium tenebrarum caligines earum radiis ad perfectionem sui splendoris utuntur [4] : sic vos, religiosissimi Patres, cum vestrae nobilitas eloquentiae ad omnes novellarum haeresium versutias cavendas, convincendas, destruendas sufficiat, nostrae tamen ratiocinationis astipulationibus vestram perfectissimam de fide praedestinationis definitionem [5] roborare non sprevistis, ita ut et vestrae pietatis pulcherrima virtus omnibus pateat, B et nostrae obedientiae [6] non spernenda humilitas clarescat.

In hoc itaque opusculo nostro, quod ad testimonium vestrae orthodoxae professionis vobis jubentibus scribere curavimus, quae vera esse perspexeritis, tenete, et Ecclesiae catholicae tribuite, quae falsa, respuite, et nobis, qui homines sumus, igno-

VARIAE LECTIONES.

[1] *Johannis Scoti — praefatio* om. cod., recentior m. Sec. forte XV supra adscr. *Johannes Scotus seu Erugena.* [2] Cod. *chatholica*, sic fere ubique. [3] Sic cod., M. *parum — parum.* [4] Sic cod., M. *utimur.* [5] Cod. *diffinitionem*, sic ubique. [6] Cod. *obuedientiae*, sic ubique.

scite, quae dubia, credite, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse praecipiat auctoritas. De connexionis autem verborum inhonestate non facile animi vestri constantiam crediderim esse commovendam, ut prius taedium audiendi aures vestras praeoccupet, quam amor perveniendi ad ea, quae suadere sudavimus. Quae si vera sunt, in eis absque verborum consideratione diligenda est veritas. « Bonorum siquidem ingeniorum »; ut ait Augustinus, « insignis est indoles; in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest, aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quaerimus nisi patescere, quod clausum est ». Munuscula igitur nostri ingenii libenter accipite, plus eorum utilitatem, si qua est, consideraturi, quam honestatem dictionis, quae aut vix, aut nulla est, quaesituri. Deinde suppliciter vestram exoramus clementiam, ut, quotiescunque [1] reperiatis, nos dixisse aequalitatem divinae praescientiae atque praedestinationis, quantum ad unitatem divinae substantiae, in qua unum sunt, nos sensisse sciatis. Item quod diximus, ea, quae non sunt, nec a Deo sciri, nec praesciri posse, non ea pravitate, qua quidam praescientiam Dei auferre conantur, dixisse nos arbitremini; sed ea ratione, qua docemur nesciri, quae non sunt, et scientiam Dei esse substantiam, substantiam autem ejus non in nihilo, sed in aliquo esse [a]. Pax Christi abundet in cordibus vestris.

Caesare sub Carolo Francorum gloria pollet,
Littore seu Pelagi, piscibus, atque salo :
Secta diabolici damnatur dogmatis, atque
Pastorum cura splendet amoena fides.

CAPITULUM I.

Quadrivio regularum totius philosophiae quattuor omnem quaestionem solvi [2] [b].

I. Cum omnis piae perfectaeque doctrinae modus, quo omnium rerum ratio et studiosissime quaeritur, et apertissime invenitur, in ea disciplina, quae a Graecis philosophia solet vocari, sit constitutus, de ejus divisionibus seu partitionibus quaedam breviter edisserere necessarium duximus. « Sic enim », ut ait sanctus Augustinus, « creditur et docetur, quod est humanae salutis caput, non aliam esse philosophiam, *id est* sapientiae studium, et aliam religionem, cum hi, quorum doctrinam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant » [c]. Quid est aliud de philosophia tractare, nisi verae religionis, qua summa et principalis omnium rerum causa, A Deus, et humiliter colitur, et rationabiliter investigatur, regulas exponere? Conficitur inde, veram esse philosophiam veram religionem, conversimque veram religionem esse veram philosophiam. Quae dum multifariam, diversisque modis dividatur, bis binas tamen partes principales ad omnem quaestionem solvendam necessarias habere dignoscitur, quas Graecis placuit nominare διαιρετική, ὁριστική, ἀποδεικτική, ἀναλυτική, easdemque latialiter possumus dicere : divisoriam, definitivam, demonstrativam, resolutivam. Quarum enim prima unum in multa dividendo segregat, secunda unum de multis definiendo colligit, tertia per manifesta occulta demonstrando aperit, quarta composita in simplicia separando resolvit.

B II. Earum etiam exempla in processu hujus operis, quantum ipsa lux, quae illuminat [4] cor quaerentium se, nobis aditum rerum, quas conamur ingredi, aperuerit, ostendemus. His enim tanquam utili quodam, honestoque humanae ratiocinationis quadrivio ad ipsam disputandi disciplinam, quae est veritas, omnis in ea eruditus pervenire non dubitat. Cujus disciplinae regulis necessario uti jubemur, dum adversus quendam saphrophilum, nomine Gotescalcum, suae haereseos et inventorem simul et assertorem, fautoresque ejus, si tamen sunt, nescio, atque utinam ne sint, respondere compellimur, jubentibus videlicet catholicae Ecclesiae vigilantissimis pastoribus, in quorum ovili tale venenum serpere molitur, annuente praesertim orthodoxissimo
C principe domino venerabili Carolo, cujus maximum studium est, pie recteque de Deo sentire, prava haereticorum dogmata veris rationibus, sanctorumque Patrum auctoritate refellere, ad ultimum penitus eradicare.

III. Ne igitur defensores veritatis inermes cum assertoribus falsitatis confligere videamur, non incongrue regulis disputatoriae artis utemur. Cum enim per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum [5], vel intentum, vel docilem prooemio [6] facere, isti autem non noverint; illi falsa breviter, aperte, verisimi-
D liter, et isti vera sic narrent, ut audire taedeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat; illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem, isti nec vera defendere, nec falsa

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *quotienscunque.* [2] Cod. *quadruvio*, sic ubique. [3] Titulus in cod. deest; addidi ex Prudentio. [4] Cod. *inluminat*, sic ubique. [5] Cod. *benivolum.* [6] Cod. *proymio.*

NOTAE.

[a] Ipse J. Scotus sentire videtur, ea, quae in hoc libro docuit de aequalitate divinae praescientiae et praedestinationis, nec non de divina inscitia eorum, quae non sunt, quo peccatum, mors, poenae, malum ab ipso numerantur, a communi sensu omnino recedere. Ideoque, ne catholicorum animi nimis offendantur, haec praemonet. Reapse autem ejus doctrinam in his capitibus a veritate longe recedere, ex libro ipso facile patet.

[b] Ad haec Prudentius : *Nec illud quadrivium; nec ullas mundanae sapientiae species ad omnem quaestionem solvendam sufficere absque gratia Dei et fide, quae per dilectionem operatur, ac veraci studio et sanctarum scientia Scripturarum.*

[c] Augustin. *de vera relig.* c. 5.

valeant refutare; illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent [1], exhortentur ardenter, isti pro veritate lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Sed quoniam verissime dictum est, *oportet multas haereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* [a], utamur etiam isto divinae providentiae beneficio. Ex his enim hominibus haeretici fiunt, qui etiam, si essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quaerendum carnales, et ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in sancta Ecclesia Deo probati viri; sed manifesti viri non fiunt inter nos, quamdiu imperitiae nostrae tenebris delectati dormire malumus [2], quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant et gaudeant, per haereticos de somno excitantur. Utamur ergo etiam haereticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possimus.

IV. Quoniam igitur antiqui hostis miseria humanae beatitudini semper invidet, insidias [3] nostrae saluti praeparare non cessat. Salus autem nostra ex fide inchoat. Fidem igitur destruere laborat, quaerens vasa sibi convenientia, quibus ea venena, quae ejus argumentosa malitia interius exagitat, in aures credentium, impetumque astutiae suae cavere non valentium exterius infundat. Sed quia ipsius omnes adinventiones, quibus unitatem Catholicae fidei usque modo conatus est scindere, operante divina gratia per eos, qui beati et immaculati in via legis divinae ambulaverunt, et testimonia ejus scrutati sunt, funditus explosae [sunt] [4], ne ullum nequitiae suae argumentum praetereat, novo nunc [5] machinamento murum munitae fidei solvere temptat; per ministrum namque suum, scilicet G[otescalcum] [6], duas praedestinationes in Deo esse asserit, quibus et aequissima justitiae merita, et misericordissima gratiae dona nititur auferre. Cum enim genus humanum dividatur in bonos malosque; omnis namque homo aut bonus, aut malus est; *malorum* autem, ut ait Veritas, *finis est supplicium aeternum, bonorum vero vita aeterna* [b]: qui sunt mali nisi impii, et boni nisi justi? Justorum omnium, ut ipse adstruit, inevitabilis effectivaque causa constituta est in praedestinatione una; impiorum vero similiter in altera. Una quippe, ut ait, justorum est, altera impiorum; in tantum, ut nemo, nisi necessitate immutabili unius, neque ad justitiae meritum, neque ad finem ejus, vitam videlicet aeternam, possit pervenire, nemo, nisi alterius necessitate fati [7] nec in meritum impietatis, nec in ejus terminum, aeternum quidem supplicium, compellatur cadere. Quae stultissima crudelissimaque insania primo auctoritate divina refellitur, deinde verae rationis regulis annullatur. Quid enim? numquid per prophetam dicitur: *Universae viae Domini misericordia et veritas* [c]? Quod apertius alibi aperitur: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine* [d]. Quibus verbis lucidissime et donorum Dei largitas, et justitiae ejus aequitas commendatur.

CAPITULUM II.

Argumento necessitatis colligitur duas praedestinationes fieri non posse.

I. Ubi sunt ergo, G[otescalce], duarum praedestinationum tuarum necessitudines? Tuarum dico, non divinarum. Tua etenim eas perversitas finxit, et ideo non sunt, nec fieri possunt. Quomodo enim potest esse, quod conatur auferre, quod est? Ubi autem est necessitas, ibi non est voluntas. Atqui in Deo est voluntas. In eo igitur non est necessitas. Deus quidem omnia, quae fecit, sua propria voluntate, nulla vero necessitate fecit. Quid enim cogeret Deum, ut aliquid faceret? Quodsi aliqua eum causa compelleret ad faciendum, ea merito major meliorque eo crederetur; ac per hoc ipsa, non ipse, summa omnium causa Deusque coleretur. Si vero una et principalis totius universitatis causa voluntas Dei et pie creditur, et recte intelligitur, frustra in ipsa, vel ante ipsam necessitas fingitur. Age jam! Si omne, quod in Deo est, Deus est: voluntas autem Dei in Deo est: Deus est igitur Dei voluntas. Non enim aliud est ei esse et velle, sed quod est esse, hoc est et velle. Proinde si voluntas Dei libera est; aliter enim credere impium est: libera vero voluntas omni caret necessitate: igitur nulla necessitas voluntatem Dei possidet. Atqui quicquid [8] de divina voluntate sane intelligitur, de ejus quoque praedestinatione necesse est similiter intelligatur. Expulsa est autem omnis necessitas a divina voluntate. Igitur expulsa est ab ejus praedestinatione.

II. An forte dicis, haeretice, ad substantiam Dei voluntatem suam, non autem praedestinationem suam pertinere, ita ut non aliud sit Deo esse et velle, aliud vero esse et praedestinare? Sed hoc facile possumus refellere argumento, quod sumitur a definitione. « Est enim divina praedestinatio », ut ait Augustinus, « omnium, quae Deus facturus est, ante secula praeparatio atque dispositio » [e]. Si ergo ante secula nihil creditur et intelligitur praeter solum Deum

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *exilarent.* [2] Sic cod., M. *malunt.* [3] Sic cod., M. *et* insidias. [4] *sunt* om. cod. [5] Sic cod., M. *non.* [6] Cod. G., sic ubique. [7] Emend., cod. *fari.* [8] Sic cod., M. *quidquid.*

NOTAE.

[a] I Cor. XI, 19.
[b] Rom. VI, 21.
[c] Psal. XXIV, 10.
[d] Psal. C, 1.
[e] Augustin. *de dono persever.* c. 17.

fuisse: praedestinationem autem Dei ante omnem creaturam esse nullus sanus ambigit: colligitur, praedestinationem Dei ipsum Deum esse, atque ad naturam ejus pertinere. Sed ne forte dicas: Quae de Deo ante mundum dicuntur, non utique semper secundum substantiam dicuntur. Quaedam enim praedicantur substantialiter, quaedam vero relative. Non enim secundum substantiam, sed secundum relationem dicitur Pater, dicitur Filius, dicitur Dominus. Similiter praedestinatio ejus relative ad ea, quae praedestinata sunt, profertur. Audi Scripturam de Christo dicentem: *In quo sunt omnes thesauri scientiae, et sapientiae absconditi* [a]. Dic, quaeso, quid in his verbis intelligere conaris? An forte scientiam et sapientiam Christi esse judicas accidentia, non autem ejus secundum suam divinitatem substantiam? Quod absurdissime creditur, et falsissime suadetur [b]. Summus enim ille intellectus, in quo sunt universa, immo ipse est universa, quamvis diversis significationibus nominum ab ipsa rationali natura, quae ad inquirendum eum creata est, appelletur, ipse tamen in se ipso unus atque idem est, cum sit omnium naturarum causa simplex et multiplex. Quod est ergo Deo esse, hoc est ei sapere, et quod est ei sapere, hoc est scire, et quod est scire, hoc est destinare. Cum enim omnis praedestinatio praescientia, non autem omnis praescientia praedestinatio dicatur [c], non tamen eo modo dicimus, omnem praedestinationem esse praescientiam, non omnem vero praescientiam esse praedestinationem, quo solemus dicere in generibus eorumque formis, verbi causa in virtutibus, quibus anima rationalis ornatur, omnis prudentia virtus est, non autem omnis virtus prudentia; sed sicut recte dicimus, quod est virtus, hoc est prudentia, et quod est prudentia, hoc est virtus. Non enim hoc modo generalem virtutem, et formam ejus significamus, sed solam unitatem naturae virtutis et prudentiae exprimimus. Recte ergo dicitur omnis praedestinatio praescientia, non omnis praescientia praedestinatio, ut intelligamus, quod est praescire, hoc est praedestinare, et quod est praedestinare, hoc est praescire [d]; unius enim ejusdemque substantiae sunt, divinae videlicet naturae. Nec tamen omne, quod intelligimus, audientes Dei praescientiam, cogimur intelligere, audientes ejus praedestinationem; sicut non omne, quod quaerimus audiendo virtutem, necesse sit quaeramus audiendo prudentiam. Hoc autem argumentum, quod ab effectibus ad causam sumitur, non incongruum, si paulo latius aperiatur.

III. Si ergo virtutes animi, quae vere nihil aliud sunt, nisi effectus unius ipsius summae omnium causae, divinae scilicet voluntatis, ita intelligantur, ut cum sint multae, simul tamen inseparabiliter sint, quia ejusdem naturae sunt — quarum enim una colligitur causa, conficitur eadem esse natura; in eo namque [1], in quo una vera virtus invenitur, omnes virtutes fieri rationabiliter probantur — appellationibus tamen variis significari, in genera, formasque ejus, usque ad species individuas dividi patiuntur, deinde in numeros multiplicari — tot enim virtutes esse dicuntur, quot sunt hi [2], quibus donantur: quid mirum de ipsa ineffabili causa omnium, quae dum generibus, formis, individuis, numerisque careat, ab ea tamen est omne genus, omnis forma, omne totum, omnis numerus, quoniam ipsa est prima universitatis essentia. Omne quippe, quod est, ab ea hoc est, ut sit; ipsa est forma omnium summa. Quid enim appetit nisi eam omne, quod appetit, principium omnium, sive sciens, sive nesciens? Ab ea est omne totum, quae in se ipsa ubique tota est. Ab ea omnis numerus, quia in se ipsa est multiplex sine fine, sine numero numerus. Cum igitur ipsa divina substantia, vel essentia, vel natura, vel quoquomodo dici potest, in se ipsa unum, individuum, inseparabileque sit, unitas enim simplex est atque incommutabilis, variis tamen verborum significationibus nominatur secundum affectus humanae mentis, quibus ad notitiam Creatoris sui redire nititur. Homo namque male utens libero arbitrio sui, ad eum, quem sine labore deseruerat, sine laboris studio et cooperantis gratiae dono pervenire non potest [e].

IV. Proinde humana ratio duce veritate Deum suum multipliciter intelligens, ipsum secundum modos suae intelligentiae diversis vocationum signis appellat. Ut enim, exempli causa, pauca de multis ponamus. Cum aeternum intellectum, in quo sunt omnia, hoc est, ipsum Deum, rationis intuitus attingit, ut in eo aspiciat, quod ipse divinus intellectus aeternae suae immutabilisque substantiae plenissimam perfectissimamque habeat notionem, quae omnem exsuperat intellectum creaturae, ipsa divina notio, qua semetipsum Deus intelligit, sapientia proprie vocatur. Cum autem eadem ratio aeterno intellectui copulatur, ut in eo videat esse omnium na-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *nanque*, sic semper. [2] Sic cod., pro *hi* M. *is*.

NOTAE.

[a] Col. II, 3.

[b] Prudentius animadvertit, *sapientiam, veritatem, voluntatem in Deo essentialiter praedicari, praedestinationem vero et praescientiam relative*, ideoque differentiam adesse.

[c] Cf. Augustin. *de Praedest. sanct.* c. 10.

[d] J. Scotus pariter Cap. XV, 4, et passim, praescientiam et praedestinationem unum idemque esse affirmat. Sed reapse eae plurimum inter se differunt; quoniam multa praesciuntur, quae non praedestinantur, nulla vero praedestinantur, nisi praesciantur. Cf. Prudentium.

[e] Probe scias, neminem omnino nisi praevenientis Dei gratiae adspiratione saltem laboris studium posse concipere.

turarum, quae ab eo creatae sunt, incomprehensibilem notionem; ipsa mox appellat scientiam, quae iterum tunc quasi proprie scientia vocatur, cum non solum cernitur in omnibus bonis, quae Deus de sua et in sua universa creatura facienda esse, antequam fierent omnia, disposuit, sed etiam in omnibus malis, quae perverso motu fiunt rationalis creaturae male quidem libero utentis arbitrio, hoc est conditorem suum deserentis, et in rerum infimarum, ab eo tamen creatarum libidinosam cupiditatem corruentis.

V. Ipsa igitur, ut dictum est, omnium bonorum Dei malorumque perversae creaturae divina et quodammodo generalis praenotio praescientia meruit vocari. Ac per hoc Deus dicitur praescire bonos et malos, si tamen mala praesciri possunt, qui modus locutionis in sequentibus ostendetur. Eadem autem scientia ad discretionem scilicet et [1] significationem praedestinatio expresse nominatur, dum in divinis tantum operibus conspicitur. Operatio quippe divina non solum in condendis omnibus creaturis dinoscitur, sed etiam in his, quos Deus per suae gratiae propositum ad vitam praeparavit aeternam; in ea quoque occultissima operatione, qua de malis motibus reproborum, quos juste deserit, ad exercitationem justitiae consulit eorum, quos sua praedestinatione vocavit; in ipsis etiam qualitatibus elementorum [2], quae dum natura sui bona esse videantur, quoniam a summo bono sunt, poenaliter tamen sentiuntur ab eis, quibus judex justus merito suae justitiae tormenta praeparavit aeterna, ideoque mala dicuntur, cum sint naturaliter bona. Hujus ergo ratiocinationis connexione [3] conficitur, praedestinationem in Deo secundum substantiam esse, relative autem fieri non posse [a].

VI. Quapropter si unam [4] incommutabilem Dei essentiam, indivisibilemque ejus simplicitatem nomine sapientiae, nomine scientiae, ceterisque nominibus, sicut virtutis, potestatis, justitiae, veritatis, aeternitatis, operationis, similibusque non incongrue [5] significamus: necessario sequitur, praedestinationis quoque vocabulo ejusdem inseparabilis essentiae naturam convenientissime insinuari. Deinde si impium est, duas essentias in Deo doceri, vel duas sapientias, scientias, virtutes, ceteraque omnia [6], quae de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel quacumque multiplici specie cumulari, quicunque duas in Deo praedestinationes asserere convincitur, reatu impietatis ligatur. Una est enim divina praedestinatio, sicut una est divina operatio, divina sapientia, divina substantia, divina voluntas. Dic ergo G[otescalce], ubi possunt inveniri duae praedestinationes tuae, quas astruis? Eas enim vera ratio in Deo esse non sinit, maxime propter vim necessitatis, quam inesse ipsis asseris. Clamat enim Scriptura: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* [b], et alibi: *Omnia quaecunque voluit, Dominus fecit* [c]. Non dixit in omnes necessitates ejus, sed in omnes voluntates, quae omni carent necessitate. Quamquam enim omnia, quaecunque Deus voluit, necesse sit, ut sint, nulla tamen necessitas voluntatem ejus, aut ad aliquid faciendum impellit, aut ab aliquo faciendo retrahit. Voluntati enim ejus quis resistit? Sed eo modo dicimus, quaecunque Deus voluit fieri, necesse est, ut sint, quo debemus intelligere, omne, quod voluit Deus fieri, necesse est, ut non aliter, quam ipse voluit, sit. Quae enim voluit esse, sunt, et ideo sunt, quia ipse voluit ea fieri. Ac per hoc bene videntibus nihil aliud occurrit voluntatis divinae necessitas, nisi ea ipsa voluntas. Sicut itaque voluntate Dei fiunt, quae fiunt, ita voluntate ejus non aliter fiunt, nisi sicut ipsa voluit. Nam si omnium naturarum est necessitas Dei voluntas, erit Dei voluntas naturarum necessitas. Est autem Dei voluntas naturarum, quas [6*] ipsa creavit, necessitas. Erit igitur necessitas creaturarum, quas [6*] Deus creavit, Dei voluntas. Colligitur Dei voluntas ipsa est [7] necessitas, et necessitas ipsa est Dei voluntas. Quicquid autem de divina voluntate intelligimus, de praedestinatione quoque Dei omnino sentire debemus.

CAPITULUM III.

De eo quod duas praedestinationes ratio non sinit esse.

I. Jam nunc breviter omnia, quae praedicta collegit ratiocinatio, repetamus. Primo igitur vera ratio suasit, divinam voluntatem summam, principalem, solamque esse causam omnium, quae Pater per veritatem suam fecit, ipsamque voluntatem omnimodo cuncta necessitate carere, quae vel eam impelleret, vel ei impediret, sed ipsa est sua necessitas, tota igitur est voluntas. Deinde quemadmodum rectissime de Deo secundum substantiam voluntas dicitur, sanissime praedestinatio praedicatur. Quod potest probari argumento sapientiae et scientiae veritatis [8] ceterisque, quae substantialiter de Deo praedicari nullus fidelium dubitat. Proinde si omnis necessitas divina tollitur voluntate, certissime tolletur [9] divina praedestinatione. Non enim Deo aliud est velle, aliud praedestinare, quoniam omne, quod fecit, praedestinando voluit, et volendo praedestinavit [d].

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., *et* om. M. [2] Cod. *elimentorum*. [3] Cod. *conexione*. [4] Sic cod., pro *si unam*, M. *summam*. [5] Sic. cod., M. *incongruis*. [6] Sic cod., *omnia* om. M. [6*] Corr., cod. et M. *quae*. [7] Sic cod., M. *esse*. [8] Sic cod., M. scientiae *et* veritatis. [9] Sic cod., M. *tollitur*.

NOTAE.

[a] Prudentius animadvertit, *praedestinationem in Deo semper relative dici. Esse*, inquit, *enim ad nihil aliud refertur, praedestinare vero nunquam nisi ad aliquid dici potest.*

[b] Psal. CX, 2.

[c] Psal. CXIII, 3.

[d] Falso disputat. Quamvis enim nemo nisi volendo aliquid praedestinet, tamen *aliud est velle, aliud praedestinare*. Prudentius observat, *velle ad se tantum dici, praedestinari vero referri ad alia, ideoque non unum idemque esse.*

Multimodas etiam voces, quibus Deum suum rationalis anima significare appetit, unum atque idem innuere, hoc est, ipsam ineffabilem Creatoris essentiam, quamvis nominum quaedam relative dicantur. Motus etenim humani animi, quo principium sui repetit, gradatim ascendere nititur, ideoque juxta modos ascensionis [1] suae signa vocis invenit, quibus ea, quae intus intelligit, sensus secum conscendentium, vel conscendere volentium, caritati obediens [2] erudit. Deinde contexitur : si omnia, quae de Deo praedicantur, unum sunt, nihil autem et verius et honestius de Deo dicitur, quam praedestinatio : una est igitur. Quam et errando separat, et blasphemando negat, atque pro eo duas a se ipso finxit, quarum nec una, nec altera stare nequit. Jure igitur penitus non sunt, quia neque verae, neque falsae sunt. Verae quidem non sunt, quoniam omne, quod veritati contradicit, a veritate non est. Omne, quod a veritate est, verum esse necesse est; omne igitur, quod veritati contradicit, verum non esse necesse est. Duae autem, G[otescalce], praedestinationes veritati contradicunt; verae igitur non sunt. Falsae non sunt. Omne enim falsum sub quadam similitudine veri appetit esse, quod non est. Cujus exemplum in natura rerum est vocis imago, quae a Graecis ἠχώ vocatur, umbraque corporum, in arte vero picturarum figurae [3], ceteraque id genus. Similitudo etenim, sed non omnis, falsitatis causa esse videtur. Ac per hoc omne, quod similitudine aliqua veri vacat, non est falsum. Praedestinationes, G[otescalce], nullam veri similitudinem habere convincuntur; falsae igitur non sunt. Sed quid sint, non invenio : nihil enim sunt : quis autem potest invenire nihil? Fabulosae ergo repertae. Fabulosum namque est, quod nec verum, nec verisimile, ut volatus Daedali, qui nunquam fuit, nec fieri potuit.

II. Est etiam aliud argumentum, quod dicitur ab effectibus ad causam, quo conficitur, duas praedestinationes Dei non esse. Cujus argumenti maxima propositio est : omnium, quae sunt inter se contraria, necesse est eorum causas inter se fieri contrarias. Unam enim eandemque causam diversa inter se contraria efficere ratio prohibet. Quid autem est contrarium essentiae, nisi non esse? Quid vitae, nisi interire? Quid justitiae, nisi peccatum? Quid beatitudinis, nisi miseria? Si ergo haec omnia inter se contraria esse manifestum est, sequitur, eorum quoque causas inter se fieri contrarias. Non enim aut ab una causa, aut duabus ejusdem generis nasci possunt. Igitur, ut haereticus asserit, si duae praedestinationes sint in Deo, quarum una, ut ait, non solum efficit, sed etiam violentia sui cogit vitam, quod est esse, deinde justitiam, quam sequitur beatitudo; altera vero, quae per omnia contraria est praedictae, ipsa enim e diverso non solum efficit, sed etiam cogit peccatum, quod est non esse, deinde mortis interitum, quem necessario sequitur miseria : ipsae igitur sibimet contradicunt. Si autem divina natura, summa omnium, quae sunt, causa multiplex, cum sit simplex et una, saluberrime creditur, consequenter necesse est, nullam in se ipsa controversiam recipere credatur. Relinquitur ergo, in Deo duas non esse praedestinationes, quae inter se discordantia et efficiant, et fieri cogant. Nec earum ulla fieri potest. Quomodo enim creditur in Dei natura causa necessario aliquid cogens, qui omnia, quae fecit, bonitate voluntatis, et voluntate bonitatis suae fecit? cujus bonitas sua est voluntas, et voluntas sua est bonitas.

III. Non est igitur illa praedestinatio, quae cogat inevitabili necessitate sua vitam, justitiam, beatitudinem, nec illa, quae cogeret praedictorum bonorum contraria, videlicet mortem, peccatum, miseriam. Quae ratio enthymematis [4] argumento concluditur, quod semper est a contrario. Cujus propositio [5] talis est. Non et Deus summa essentia sit, et eorum tantum, quae ab eo sunt, causa non sit. Est autem Deus summa essentia. Est igitur eorum tantum, quae ab eo sunt, causa. Peccatum, mors, miseria a Deo non sunt. Eorum igitur causa Deus non est. Idem quoque syllogismus hoc modo connectitur [6]. Non et Deus eorum, quae sunt, causa sit, et eorum, quae nihil sunt, causa sit. Est autem Deus eorum causa, quae sunt. Igitur non est causa eorum, quae non sunt. Peccatum, ejusque effectus, mors profecto, cui adhaeret miseria, non sunt. Eorum igitur nec Deus, nec ejus praedestinatio, quae est, quod ipse est, causa esse potest.

IV. Sed quia, haeretice, jam de tua prima congressione, qua duas praedestinationes et asserere mendose coepisti incautus, et defendere contumeliose sudasti superbus, et modica [7] convictus auctoritate fugisti, et apertissima veritate prostratus occubuisti, occumbendo siluisti, silendo posteriora prioribus pejora excogitasti, ut in te impiorum convicium impleatur, quod scriptum est : *Et erit novissimus error pejor priore* [a]—ut enim non te piget negare, te praedicasse duas praedestinationes, quod tamen dixisse a multis convinceris, ita non te pudet iterum proferre, unam esse, sed duplam ; scribis enim in deliramentis confessionum, immo perfidiarum tuarum, tanquam originem erroris tui defendere volens, sententiam videlicet Isidori : « Gemina est praedestinatio sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem », [b] quam sic exponis : « non enim, ait, duae sunt, quia non sunt, sed gemina, id est bipertita » [c] — ut

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *assentionis*. [2] Cod. *oboediens*, sic ubique. [3] Sic cod., M. *figura*. [4] Cod. *entimematis*. [5] Sic Cod., M. *expositio*. [6] Cod. *conectitur*, sic ubique. [7] Corr., cod. *nodica*.

NOTAE

[a] Matth. XXVII, 64.
[b] Isidor. *Sentent.* lib. II, 6.
[c] Cf. *Confess. mai. Gotescalci.*

quid, impudentissime [1], debilis, enervatus, omni veritatis auxilio desertus, lites renovas, quibus conaris te a prima tua [2] illa impudentia latenter subtrahere, tanquam tolerabilius sit, et minus veritati resistat, geminam, id est, bipertitam Dei praedestinationem praedicare, quam duas? Quam geminationem, vel bipertitionem [3] exemplo caritatis probare contendis. « Tale enim », inquis, « est, quod dicitur praedestinatio gemina, in electos videlicet et reprobos bipertita, cum sit una, licet sit dupla, quale est, quod dicitur caritas vel dilectio gemina, cum utique non sint duae, sed una, licet sit etiam propter Deum et proximum dupla » [a].

V. O quam vere de te dictum est: *De locusta egredietur bruchus* [4]. De blasphemia tua in praedestinationem egressa est blasphemia tua in caritatem, ita ut prioris peccati poena sit sequens peccatum. Eandem itaque fidem videris habere de caritate, quam profiteris de praedestinatione; utramque [5] siquidem duplam asseris esse. Concedis, ni fallor, si non insanis, Deum esse caritatem, Scriptura perhibente, quae ait: *Deus est caritas* [b]. Non negare ausus es, praedestinationem Deum esse, quod patenter in confessionibus tuis professus es. Deo enim praedestinationem suam coaeternam esse scripsisti; atque utinam veritatem consuleres in ceteris, quae dixisti de praedestinatione, sicut in ejus Deo [6] coaeternitate. Convenit itaque inter nos de caritate et de praedestinatione in eo, quod et caritas Deus, et praedestinatio Deus, et unus Deus, una essentia divina, aeterna, incommutabilis. Proinde si caritas et praedestinatio essentialiter de Deo praedicantur; essentia autem divina nullo Catholico dubitante unitas est, summa et vera caritas: itaque et praedestinatio unitas est [7]. Quae, si una, et sola est incommutabilis, numero carere necesse est, cum ab ea sint omnes numeri; quod, si commutabilitate [8] careat, multiplicari non potest. Primus multiplex est duplus; dupla igitur non est unitas, quae est divina substantia. Praedestinatio essentialiter de Deo praedicari non est dubium. Essentia autem unitas. Praedestinatio igitur unitas. Unitas dupla non est. Praedestinatio itaque dupla non est. Ac per hoc nec gemina. Quomodo enim sit geminatio, ubi non sit numerus et pluralitas? Divina unitas numerosa caret pluralitate. Caret igitur duplicitate. Similis ratio de bipertitione [9]. Si praedestinatio de unitate divinae substantiae rectissime praedicatur, et omnis vera unitas partium sit expers, praedestinatio itaque bipertita [10] non est, quia partibus composita non est. Sicut enim divina natura generum, eorumque formarum, differentiarum, numerorum quoque capax non

A est, cum horum omnium causa sit, ita omnium partium, quibus totum conficitur, cum omnis totius auctor sit, compactione caret. Quali itaque impudentia non dubitas pronuntiare praedestinationem quae Deus est, et caritatem bipertitas, addita expositione, id est duplas? Proinde sicut nullus fidelium audet dicere geminum, sive bipertitum, sive duplum Deum, quia impium est, ita etiam praedestinationem et caritatem geminare, vel duplicare, vel bipertiri sacrilegum est. Quicquid enim de Deo creditur, necesse est de ejus quoque praedestinatione et caritate credatur.

VI. O aeterna caritas, quanta caecitate percussi sunt, qui te duplam esse praedicant, cum inveniunt, praecones tuos pronuntiare, te esse geminam, non

B valentes discernere intellectuali visione, quid intersit inter te, et praeceptum tui! Praeceptum tuum dominatrix potentissima geminari dicitur, quoniam ad te ipsam primo, quae Deus es, dirigitur, deinde ad proximum, cum et tu diligeris in illo. Nihil enim amatur in omnibus, nisi dilectio, quae tu es simplex, individua, incommutabilisque substantia, et nihil perfecte diligit, nisi tu, vinculum insolubile, quo continentur omnia. Tu itaque diligis, tu diligeris; ideoque praeceptum tuum geminum dicitur. Partim siquidem jubes, ut nulla interposita natura diligaris in temetipsa [11], partim interposita creata natura diligaris in proximo. Nunquid propter hoc, individua unitas, debemus te credere esse geminam? Nunquid noster amor multiplicabitur secundum numerum re-

C rum, quas amamus? Nonne eodem amore diligimus omnia, quae diligimus, cum unus atque idem amor non aequaliter omnibus distribuitur, aliis quippe plus, aliis minus accommodatur, ipso tamen in se ipso sine augmento, sine detrimento status sui manente. Non enim alio amore jubemur diligere Deum, et alio diligere proximum; neque parte una unius amoris praecipimur adhaerere Creatori, parte altera adhaerere creaturae: sed uno eodemque toto et Deum et proximum debemus amplecti. Praeceptum igitur caritatis est geminum, non ipsa caritas, et ideo geminum, quia talis differentia est in praecepto, ut Deus diligatur propter semetipsum, proximus vero non propter semetipsum, sed propter

D Deum. Caritas igitur in omnibus Deum, id est, se ipsam diligit, et in ea nulla geminatio est, ac per hoc nulla duplicatio.

VII. Confectum est itaque argumento *caritatis*, quid accipere debemus de geminatione praedestinationis, quae similiter in semetipsa nec gemina, nec bipertita, nec dupla est, quamvis videatur aliqua differentia in effectibus ejus secundum rationes mi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *imprudentissme*. [2] Sic cod., *tua* om. M. [3] Sic cod. [4] Cod. *brucus*. [5] Cod. *utranque*, sic ubique. [6] Sic cod., *Deo* om. M. [7] Conj., cod. *praedestinati ounitas sunt*, M. *p. u. sit*. [8] Conj., cod. *in commutabilitate* [9] Sic cod., M. *bipertione*. [10] Sic fere ubique cod. *bipertita*, raro *bipartita*. [11] Sic cod., M. *item et ipsa*.

NOTAE.

[a] Confessio Gotescalci I.

[b] Joan. IV, 16.

sericordiae atque justitiae. Una siquidem eademque praedestinatione sua Deus justus et misericors, potens in omnibus, de massa humani generis, originaliter in cunctis, excepto Christo, vitiata, quosdam elegit, quibus daturus fuerat, quod a semetipsis non habituri, id est, dona sua, quibus essent victuri; quosdam reliquit [1], qui a semetipsis inventuri peccata sua, quibus essent perituri. Illis dedit, unde beatitudo esset futura, istis non dedit, sed permisit, unde miseria eorum poenas passura [2]. Illis non illi, sed ipse praeparavit vitam, istis non ipse, sed ipsi praeparaverunt mortem. Illis illius misericors bonitas causa fuit regnandi, istis sua propria superbia causa fuit et effectus cruciandi. Cetera quoque exempla, quae ad complicandam absurdissime praedestinationem cumulas, plus dementiae tuae sunt B indicia, quam erroris tui. Dic, quaeso [3], qua ratione sumpsisti argumentum ab opere Dei bipertito ad suadendam praedestinationis et caritatis duplicem complicationem, cum opus Dei sit numerosum, quia creatum est, praedestinatio vero et caritas, sicut pluralitate, ita etiam numerositate carent? Nunquid quia opus divinum, id est universitas creaturarum, verbi gratia in duas quasi principales species dividitur, spiritualem videlicet et corporalem, propterea cogemur praedestinationem, qua Deus opera sua futura disposuit, duplicare? Quod si cogimur, necessario et quadruplam credere compellemur, quoniam Augustinus in opusculis suis: « Opera divina », inquit, « quae secula creavit et gubernat, quadriformi ratione distinguitur ». Virtus quoque com- C munis, qua omnis anima sapiens formatur, quadruplicabitur, quoniam in quattuor [4] virtutes habitus animi de ipsa exprimitur. Quasi unitas dum sit omnium specierum partiumque expers, ab ea tamen omnis species, omnesque partes non oriantur! Aut tanquam de impressione unius anuli [5] multa vestigia in cera fieri non possint! Quid est, quod dixisti de mundo quadripertito? O plumbeum pugionem! An forte aestimas, praedestinationem duabus constare partibus, quemadmodum mundus quattuor elementis componitur [6], cum sit unus? Simili modo de gemina arbore quid deliras? An forte putas praedestinationis simplicitatem comparandam esse ramis arborum? Inter illa, ut video, dolia, quae tibi D praeparari jubes, jam involutus suffocaris. Merito quippe in oleo atque pice ardere debuisti, qui et lumen caritatis, et mysterium praedestinationis perperam docere non timuisti [a].

CAPITULUM IV.

De una, vera, solaque Dei praedestinatione.

I. Restat itaque, de una, vera, solaque incommutabili [7] aeterna praedestinatione divinae voluntatis omnipotentissimae, quae nunquam nusquamque fallitur, tractari. Sed de proprietate illius haeresis, quae eam lacerat, prius dicendum. Haec igitur haeresis Gotescalcana, si tali nomine potest vocari, inter duas alias haereses, sibi invicem adversantes, medietatis loco constituta est, inter illam plane, quae dicitur Pelagiana, et illam, quae ei repugnat; quarum una dono divinae gratiae derogat, altera libertatem arbitrii condemnat. Pelagiana siquidem secta libertatem arbitrii rationalis naturae in tantum commendat, ut sine dono gratiae ad perficiendam hominis justitiam sufficiat. Ejus vero secta contraria gratuitae gratiae donum confirmat, ut eo solo in homine operante, omni conatu liberi arbitrii contempto, omnis fidelis fastigium justitiae contingat. Una igitur, ut dictum est, donum gratiae contemnit, altera donum libertatis arbitrii; ambae impietate pares, secta vero dispares. Haec autem, de qua nunc agitur, sic est in medio inter utrasque praedictas tanquam extremitates inter se contrarias conjuncta, ut ipsis partim consentiat, partim contradicat, propriumque sibi vindicet [8], quod ipsas non habere contendat. Dum enim omnium virtutum, quibus pervenitur ad beatitudinem, omniumque vitiorum, quibus praecipitatur ad miseriam, in praedestinationibus divinis, ut ipsa fingit, necessarias inevitabilesque causas conatur constituere, quid aliud videtur suadere, nisi Dei dona, hoc est, liberum voluntatis arbitrium, et gratiae auxilium destruere, quibus duobus profecto plenitudo justitiae hominis et inchoatur, et perficitur

II. Haec igitur nova secta Pelagianae consentit in eo, quod donum gratiae gratuitae nihil homini prodesse asserit ad faciendam justitiam, sed solam praedestinationis necessitatem; ab ea vero dissentit eo, quod vires liberi arbitrii penitus evacuavit, neque ad bene facere, neque ad mala committere [9] praevalere, omnia haec in necessitate praedestinationis impudentissime [10] ponendo. Ast in eo, quod appetitum liberi arbitrii laborat auferre, adversantibus Pelagianae [11] videtur consentire, cui iterum resultat, dum dona divinae gratiae nihil homini proficere commendat. Neque enim dona sunt, quae non voluntate, sed necessitate fiunt, cum omnibus sapientibus et insipientibus notissimum sit, omnia, quae donantur, et voluntate donantis largiri, et voluntate accipientis percipi. Proprium vero hujus haereseos, quo ipsae, inter quas medietatis loco ponitur, carere probantur. Pelagiana enim vires liberi arbitrii sine adjutorio divinae gratiae, ejus vero adversans donum solummodo gratiae absque liberi arbitrii nisu ad justitiam perpetrandam sufficere arbitratur. Sed ea-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *reliquid.* [2] Cod. *pasura.* [3] Cod. *quesso.* [4] Cod. *quattuor.* [5] Sic cod., M. *annuli.* [6] Cod. *conponitur*, sic ubique. [7] Cod. *incommotabili*, sic fere ubique. [8] Cod. *uendicet.* [9] Cod. *comittere.* [10] Cod. *inpudentissime*, sic semper. [11] Cod. *pelaginae.*

NOTAE.

[a] De quattuor doliis cf. Confess. prolixior. Gotesc.

rum nulla praesumpsit dicere, praedestinationis necessitatem homines aut ab bene vivendum juste, aut ad male vivendum impie retorquere. Relinquitur ergo ipsa vana praedestinationis necessitas hujus tertiae haeresis proprietas.

III. Sed haec omnia venenosa diabolicae impietatis jacula munitis inexpugnabilis fidei propugnaculis facillime repelluntur. Illa igitur rationis specie, quae dicitur ἀποδεικτική, utamur, primum adversus eos, qui vel negant, vel dubitant, gratiam Dei esse, et ad mundi salutem praevalere; non quod nostrum propositum sit, debellare Pelagianos, aut eorum ex adversa parte, pari tamen malitia contrarios, quod satis a sanctis Patribus est actum, sed quod hujus haeresis, de qua nunc agitur, sit depulsio ipsarum duarum refutatio. Ex eis enim manare non dubium est. Qui ergo non possunt videre Dei gratiam, videant mundi salutem. Non enim simul possunt esse, salus mundi est, et gratia Dei non est. Si enim gratia Dei mundus non liberaretur, quomodo salus ejus sequeretur? Simul autem esse possunt et salus mundi, et gratia Dei. Si igitur est salus mundi, necessario erit gratia Dei. Firmissime autem tenemus, salutem mundi venisse. Certissime igitur teneamus, gratiam Dei illuxisse. Audiant Apostolum dicentem: *Illuxit enim gratia Dei* [a]. Deinde his, qui liberum voluntatis humanae arbitrium vel penitus negant, vel de eo dubitant, eodem modo est respondendum. Si liberum arbitrium credere non poteritis, judicium mundi futurum esse non creditis. Si autem judicium mundi non potestis negare, cogemini liberum arbitrium fateri. Non enim et judicium mundi futurum est, et liberum arbitrium non est. Haec quippe simul fieri non possunt. Nam qua justitia futurum est judicium, si non est liberum arbitrium? Simul vero fieri possunt, et liberum arbitrium est, et judicium futurum. Si ergo mundi judicium est futurum, necessario erit liberum voluntatis arbitrium. Futurum autem de mundo justum judicium impium est negare. Liberum ergo arbitrium homini a Deo datum impium est non credere. Conclusum est igitur, et liberum hominis esse arbitrium, et gratiae donum, ex eo quod concessum est, et salutem mundi venisse, et judicium esse futurum. Via igitur regia gradiendum, nec ad dexteram, nec ad sinistram divertendum, hoc est, ne sic defendatur liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuantur, nec sic defendatur gratia, ut quasi de illa securi mala opera diligantur.

IV. Huic vero tertiae haeresi, quam perversa Gotescalci cogitatio inspirante diabolo addidit, respondendum. Mira siquidem diabolica subtilitate [ex] [1] duabus praedictis haeresibus manare non est dubium, dum earum videatur partim esse negativa, partim confessiva [2]. Illarum namque, ut dictum est, una libero contendit arbitrio, altera gratiae; haec [3] vero et liberum arbitrium simul, et gratiae munus destruere molitur, ac per haec consequenter et mundi salutem, et judicium. Huic ergo resistitur tali modo. Qui non potest videre, immo qui non vult fateri, nullam inevitabilem compellentemve necessitatem inesse divinae praedestinationi, quae vel eam cogat, ut aliquid in creatura sua faciat, neque eam ipsam esse causam necessariam, quae violenter urgeat rationalem vitam, ut vel pie vivendo Deo suo adhaereat, vel impie Deum suum deserat, videat liberum voluntatis arbitrium et munera gratiae. Non enim simul possunt esse, ut et liberum arbitrium gratiaeque donum sint simul et necessitas praedestinationis. Quomodo quippe possunt [4] fieri in uno et causa necessaria cogens, et voluntaria efficiens? Non enim locum habet aut gratiae, aut voluntatis libertas, ubi est naturae immutabilis captivitas. Simul autem fieri possunt, ut et liberum arbitrium cum dono gratiae sint, et praedestinationis necessitas non sit; aufert enim plane libertas captivitatem. Si ergo, ubi libertas arbitrii cum dono gratiae sunt, ibi praedestinationis necessitas esse non potest, conversim sequitur, ubi praedestinationis necessitas est, ibi nec liberum arbitrium, nec gratiae potest esse donum. Rectissime autem credimus, et lucidissime sentimus, et liberum arbitrium, et gratiae donum in homine posse esse. Firmissime igitur intelligamus, necessitudinem praedestinationis in homine non posse esse. Omni namque homini libertas data est propriae voluntatis generaliter, sed non in omnibus, sed tantum in praedestinatis dono gratiae praeparatur, adjuvatur, custoditur, finitur, coronatur. In nullo autem generaliter divina praedestinatione urgetur, captivatur, sed peccato et originali et proprio impeditur, occulto, justo tamen Dei judicio.

V. Proinde, ut ad veram praedestinationem redeamus [5], duce ipsa firmissime credimus, apertissimeque videmus, eam esse unam solamque substantialem. Deus est enim verus, vera Dei praedestinatio, quae antequam omnia fierent, quae ab ipsa, et per ipsam, et in ipsa facta sunt, in mensura et numero et pondere facienda praevidit, et factura disposuit. Est enim omnium creaturarum causa voluntaria, et voluntas causativa. Inter quas rationalem creaturam condidit [6] ad se intelligendam, ut summo sui bono, hoc est, contemplatione creatricis suae frui posset, largiens ei suum donum, id quidem suae voluntatis liberum arbitrium, ut eo munere bene utendo, hoc est, Creatoris sui praecepto pie humiliterque obediendo, juste atque beate semper viveret. Si vero eodem munere male uteretur, quod est summum bonum, Creatorem videlicet suum deserere, corruptibilibusque bonis voluntate perversa inhaerere, debita mi-

VARIAE LECTIONES.

[1] *ex* om. cod., add. M. [2] Cod. *con fe sina.* [3] Corr. M. cod. *hic.* [4] Cod. *possint*, M. *possint.* [5] Sic cod., M. *redeam.* [6] Sic cod., M. *edidit.*

NOTAE.

[a] Tit. II, 11.

seria poenaliter sequeretur. Justissime quippe desertorem copiosissimae pulcherrimaeque beatitudinis sequitur egestas [1] turpissimae voluntatis. Ars igitur ipsa, per quam facta sunt omnia, quae est summa incommutabilisque [2] Dei sapientia, ita rationalem creaturam faciendam esse praedestinando disposuit, ut ei nullam necessitatem imponeret, quae etiam nolentem Deo suo servire inevitabili violentia urgeret, vel volentem ei adhaerere cogeret deserere. In uno nempe videretur conditae rationis captivitas, in altero conditoris iniquitas. Eo enim modo justissimo benignissimoque pulchritudinis totius universitatis consuluit naturae, quam ad imaginem et similitudinem suam creavit, ut sibi voluntate, non necessitate serviret, rectissimo quidem divinae sapientiae moderamine. Non enim aliter debuit fieri rationalis vita, nisi voluntaria, cum ab ea voluntate, quae est causa omnium, creata sit ad imaginem et similitudinem sui. Aut quomodo eam divina voluntas, summa videlicet universitatis ratio, quae nulla necessitate stringitur, quoniam sua liberrima potentia potitur, imaginem sui similem faceret, si non ejus substantiam crearet voluntatem liberam rationalem?

VI. Hoc apertissimo probatur argumento, quod sumitur ex primi hominis peccato. Quamvis enim beatam vitam peccando perdidit, substantiam suam non amisit, quae est esse, velle, scire. Est enim, et vult, et scit, vult se esse et scire, scit se esse et velle. Quid ergo primus homo habuit ante peccatum, quod perdidit post peccatum? Non enim adhuc habebat vitam beatam, quae ei tribuenda fuerat, si praeceptum servaret. Si dixerimus liberam voluntatem, perdidit igitur suam naturam. Si autem ratio edocet [a], nullam naturam posse perire, prohibemur dicere, liberam voluntatem perdidisse, quae sine dubio substantialis est. Non enim in homine creavit Deus voluntatem captivam, sed liberam, quae libertas post peccatum remansit. Nulla enim anima peccatrix est, quae non velit beatitudinem, et velit miseriam. Quid ergo plus habuit ante peccatum? Antequam enim perpetraret peccatum, voluit peccare, noluit autem miser fieri. Quis vero audet dicere, noluisse eum se beatum fieri, cum adhuc in natura per eum corrupta beatitudinis appetitus remaneat? An forte liberae voluntatis vigorem potestatemque, qua sola potuit custodire praeceptum, si vellet, peccando perdidit? Ac per hoc vigor et potestas liberi arbitrii non erat in primo homine ex substantia, sed ex Creatoris gratia, quod magnum munus amisit male utens libero voluntatis arbitrio. Noluit enim facere quod potuit, hoc est, mandatum custodire, quod

A post peccans non potest, si velit, si gratia non juverit.

VII. Hinc Augustinus in libro de dono perseverantiae: « Si ergo alia documenta non essent, haec dominica oratio nobis ad causam gratiae, quam defendimus, sola sufficeret, quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem ut non discedamus a Deo, non ostendit dandum esse nisi a Deo, cum poscendum ostendit a Deo. Qui enim non infertur [3] in temptationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt. Fuerat in homine, antequam caderet. Quae tamen libertas voluntatis in illius primae conditionis praestantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, et ad securitatem perpetuam non cadendi,
B in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur [b] ». Quomodo ergo debemus intelligere, quod sanctus Augustinus in libro Enchiridion [4] loquens ait: « Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum [c] », nisi forte credendum est, hoc eum docere voluisse, non ut his verbis accipiamus, primum Adam substantiam suam perdidisse, quod non potuit, sed eam in inferius mutavit, quod potuit. Melior quippe fuerat humana natura tunc, dum haberet velle et posse, unum
C quidem substantia, alterum vero gratia, quam nunc, cum habet solum velle sine posse, id est, naturam dono desertam.

VIII. Hinc Dominus in Evangelio suis ait discipulis: *Sine me nihil potestis facere* [d]. Non dixit, nihil potestis velle. Et Apostolus: *Velle adjacet mihi, perficere autem non* [e]. Item, quod ait idem Apostolus: *Non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis* [f]. Non aliter intelligitur, nisi dum sit volens et currens. Naturaliter enim haec duo insita sunt homini: siquidem vult, unde est volens; et appetit beatitudinem, unde est currens. Non tamen volentis, neque currentis, bona opera vel inchoare, vel agere, vel perficere; hoc enim est miserentis Dei donum. Sicut enim homo in densissimis tenebris positus,
D habens sensum videndi quidem, nihil videt, quia nihil potest videre, antequam extrinsecus veniat lux, quam etiam adhuc clausis oculis sentit, apertis vero et eam, et in ea cuncta circumposita conspicit: sic voluntas hominis, quamdiu originalis peccati, propriorumque umbra tegitur [5], ipsius caligine impeditur. Dum autem lux divinae misericordiae il-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *aegestas*. [2] Cod. *incommotabilisque*. [3] Cod. *infert*. [4] Cod. *enceiriden*. [5] Cod. *tetigitur*.

NOTAE.

[a] Prudentius ad ista animadvertit, *rationales quidem creaturas in totum non posse perire, irrationales vero posse.*

[b] Augustin. *de dono persever.* c. 7.

[c] Augustin. *Enchiridion* c. 30.

[d] Joan. XV, 5.

[e] Rom. VII, 18.

[f] Rom. IX, 16.

luxerit, non solum noctem peccatorum omnium, eorumque reatum destruit, sed etiam obtutum infirmae voluntatis sanando aperit, et ad se contemplandum bonis operibus purgando idoneam facit. Sed jam tempus est ad propositum redire.

CAPITULUM V.

De eo quod praescientia et praedestinatione Dei nemo compellitur, seu bene seu male facere.

I. Quae cum ita sint, ordo rerum, quas exequendas esse praesentis causae flagitat utilitas, consequenter postulat, ut, quoniam malorum omnium, quorum Deus auctor non est, ejus quoque necessario effectivam causam non esse praedestinationem, aperte rationis regulis, ut opinor, confectum, ex praescientia Dei firmissima sumamus argumenta, ea scilicet monstraturi primo: quemadmodum praescientia Dei peccata, quae praescit, fieri non cogit, ita ejus praedestinatio peccata, quae nunquam praedestinat, fieri non efficit. Si enim praescientia non omnia, quae praescivit, fecit, quo pacto praedestinatio omnia, quae non praedestinavit, efficit? Praescientia sua Deus malefacta hominum futura praevidit, non tamen eorum est factor; praedestinatione sua malefacta hominum futura creditur non praedestinasse, quomodo ergo putatur facere? Quid enim? Nunquid dementis est dicere, id, quod Deus praescit et non facit, praedestinatione sua fieri, cum illud non praedestinat? Si igitur et auctoritate creditur et ratione videtur Deus omnia peccata praesciisse, non fecisse — quomodo enim potest esse peccatorum factor, qui est eorum et destructor et ultor? — nullum autem peccatum praedestinavit: qua impudenti stultitia, immo nequitia aestimatur praedestinatione sua cogere, ut sint, quae non praedestinavit, cum eadem praescientia sua fieri non cogit, sed permittit?

II. Deinde, si auctoritas quaeritur, quae Deum omnium malorum, quae ab eo non sunt, esse praescium, causam vero eorum efficientem adstruat non esse, unius Patris Augustini dicta sufficiunt ex libro tertio de libero arbitrio: « Nisi fallor, non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse praescires, neque ipsa praescientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset. Non enim aliter id futurum esse praescires. Sicut itaque non sibi adversantur haec duo, ut tu praescientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est, ita Deus neminem ad peccandum [1] cogens, praevidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus, quae fieri non cogit praescius. Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura [sunt] [2]. Et sicut tu quaedam, quae fecisti, meministi, nec tamen, quae meministi, omnia fecisti, ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, praescit, nec tamen omnium, quae praescit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus [3] auctor, justus est ultor. Hinc ergo jam intellige, qua justitia Deus peccata puniat, quia, quae novit futura, non facit. Nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus, quia praevidet peccaturos, nec recte facientibus debet praemia retribuere, quia et recte facturos nihilominus praevidet, immo vero fateamur, et ad praescientiam ejus pertinere, ne quid eum lateat futurorum, et ad justitiam, ut peccatum, quia voluntate committitur, ita judicio ejus impune non fiat, sicut praescientia non cogitur fieri [a] ». Quae cum ita se habeant, tantum abest a vero, quod Creatori deputanda existimantur peccata creaturae, quamvis necesse est fiant, quae ipse futura praescivit, ut, cum tu dixeris, non te invenire, quomodo non ei deputetur, quicquid in ejus creatura fieri necesse est, ego contra non inveniam modum, neque inveniri posse, atque omnino non esse confirmem, quo ei deputetur, quicquid in ejus creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat. Omnino igitur non invenio, nec inveniri posse, et prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra Creatori nostro Deo, quando et in ipsis eum laudabilem invenio, non solum quod ea punit, sed etiam quod tunc fiunt, cum ab ejus veritate receditur [4].

III. Quocirca firmissime fatendum est, simul fieri non posse, peccatorum, quae Deus in creatura sua permittit, praescientiam ejus, qua ea praescivit, causam [5] non esse, praedestinationem vero ejus, quae ea non praedestinavit, causam esse. Quicquid autem de peccato vel generali, vel speciali conficitur, necesse est de ejus quoque poena sentiatur. Poena peccati mors est. Quicquid ergo de peccato dicitur, necesse est de morte dicatur. Non dico de omni morte, sed tantum de illa, quae sequitur peccatum. Dicimus enim, morimur peccato, id est, merito peccati morimur. Item morimur peccato dicimus, dum liberati a peccato justitiae vivimus. Si ergo omnis peccati causa nec in praescientia Dei, nec in ejus praedestinatione sit constituta [6], evidentissime omnis mortis, quae sequitur peccatum, sicut in Dei praescientia causa non est, in ejus similiter praedestinatione non esse certissimum est. Quamvis sancti auctores modo quodam abusivae locutionis soleant dicere praedestinatos ad mortem, vel interitum, vel poenam, de quo postea, prout Dominus aperuerit, dicemus.

IV. Nunc interim considerare debemus, utrum, sicut Deus nec praescientia, nec praedestinatione sua neminem compellit peccare, ita neminem compellat

VARIAE LECTIONES.

[1] al. *ad peccatum.* [2] *sunt* om. cod., add. M. [3] al. *malus* om. [4] Corr. M., cod. *recedit.* [5] Corr. M., cod. *causa.* [6] Sic cod., pro *sit constituta* M. *sic est futura.*

NOTAE.

[a] Aug. *de libero arbitrio* III, 4.

pie vivere [a]. Ubi intendendum est, nullius voluntatis esse veram libertatem, si aliqua causa eam coegerit. Igitur si humanam voluntatem aliqua causa praecedit, quae eam invitam extorqueat ad bona malave vel cogitanda, vel agenda, sequitur, non esse eam vere liberam, sed penitus eam non esse [b]. Ubi enim est causa quae compellit, ibi non est natura quae velit. Atqui humana natura non solum voluntas est, sed et libera; nec ejus libertas falsa, sed vera est, quamvis ipsa libertas post peccatum in tantum vitiata sit, ut poena ejus impediatur, ne aut recte vivere velit, aut si velit, non possit. De qua miseria liberatur, ut ait Apostolus, *gratia Dei per Jesum Christum* [c], manente tamen adhuc naturali libertate, quae intelligitur beatitudinis appetitu, qui ei naturaliter insitus est.

V. Non ergo ullo modo concedendum, aliquam causam compulsativam, sive bonam, sive malam, praecedere voluntatem hominis, seu alterius rationalis naturae, ne ab ea meritum suae libertatis auferatur, sive bonum, si bene vixerit cooperante divina gratia, sive malum, si male vixerit suo motu irrationabili perversoque. Proinde nulla causa constringit hominem, seu bene, seu male vivere. Non enim Deus omnium bonorum causa est necessaria, sicut ignis ardendi, sol calefaciendi, illuminandi, aut coactiva, ut sensus dormiendi, sitis bibendi, sed est voluntaria, ut sapientia sapientis, visus videntis, ratio ratiocinantis, similiter. Sed e contrario, cum sit omnium malorum causa perversus motus rationalis substantiae libero voluntatis suae arbitrio male utentis, ea tamen non est necessaria, ut peccatum mortis, mors miseriae, nec coactiva, ut passio doloris, dolor tristitiae, sed est voluntaria, ut libido avaritiae, avaritia fraudis.

VI. In quo loco respondendum est his, qui nolentes, immo spernentes sua peccata corrigere, sed querentes [1] de divina operatione, procaciter dicere solent : cur Deus dedit homini liberum arbitrium, quo solo peccare convincitur? Nonne melius erat, si eum ita faceret, ut peccare non posset? Quod etiam conantur falsissimo paralogismo concludere, proponentes : Si liberum arbitrium donum Dei est; omne autem donum bonum est; omne bonum non nocet; liberum [2] igitur arbitrium non nocet. Quomodo autem non noceat liberum arbitrium, quando eo peccamus? Aut quomodo videtur esse Dei donum peccandi occasio? Deus autem nullam mortis occasionem dare debuit. Oportuerat quippe Deum facere hominem, qui non peccaret, quia potuit talem facere. Melius est enim non esse, quam misere esse. Quae perversa opinio refellitur facile consulta ratione. Interrogandi quidem sunt : Vos autem, qui peccatorum vestrorum auctoritatem Creatori omnium referre non pertimescitis, cur peccare timetis? An quia mortem non vultis? Nunquid Deus injustus est, quod absit, quando peccata punit, quorum occasionem dedit? Non est igitur liberum arbitrium peccatorum causa, cum sit Dei donum.

VII. Item interrogandi : Cur mori timetis? An quia vivere vultis? Ob hoc enim maxime mors timenda, quod vitam auferat sive corporis, sive animae, seu utriusque. Si autem vivere vultis, dicite, utrum beate, an misere? Nullus est, qui vitam miseram velit, quandoquidem nullus est, qui vitam beatam non appetat. Quae tamen nulla est, si vel coacta voluntate adquiritur, vel sine libertate possideatur. Aut: Si Deus liberum arbitrium homini non dedisset, quo beatitudinem desideraret, purgaretque se bonis operibus, quibus eam merito retribueret? Quomodo juste eum beatae vitae gloria coronaret, qui sibi sua propria voluntate servire non posset?

VIII. Si vero dixeritis, cur Deus homini tale liberum arbitrium non dedit, cum potuit, quo non nisi pie justeque vivere vellet, nec aliter velle posset, impie vero injusteque vivere nec vellet, nec posset, continuo vobis respondebitur : Si Deus in homine talem voluntatem condidisset, quae non omnimodo movere se posset, sive recte, sive perverse, non omnimodo libera esset, sed esset ex parte libera, ex parte non libera; libera quidem juste, non autem libera injuste vivere. Si ergo esset aliqua ex parte necessitas, non esset perfecta libertas. Aut quomodo de eadem voluntate posset simul dici, libera est, libera non est; haec enim contradictorie dicuntur, quia simul fieri non possunt. Si enim verum est, libera est, falsum est, libera non est; si autem verum est, libera non est, falsum est, libera est. Ac per hoc liberum arbitrium nullo modo staret, si in aliquo claudicaret. Si dixeritis : Quid homini noceret, si liberum suum arbitrium parte aliqua claudicaret, id est, eo male uti non posset, tantum ut eo bene utendo ad vitam perveniret aeternam? melius est enim, beate vivere, quam plenam voluntatis libertatem habere : miranda est vestra coecitas atque potius miseranda. An nescitis, quid sit justitia? Utique nescitis. Si enim sciretis certissime, certissime taceretis. Audite ergo, quid sit justitia. Ita namque definitur. Justitia est sua cuique tribuere. Si ergo justitiam Dei nemo potest auferre, sinite [3] contra eam latrare. Quomodo quippe Deus judex justus coronam vitae dat homini, nisi pie sibi servienti? Quis

VARIAE LECTIONES.

[1] Conj., cod. *querentur*. [2] Sic cod., M. *et* liberum. [3] Sic cod., M. *desinite*.

NOTAE.

[a] Deus reapse neminem compellit ad peccandum, sed ad bene vivendum multis correptionum generibus invitat, immo compellit, ipso dicente : *Faciam ut in praeceptis meis ambuletis*. et item : *Compelle intrare*. PRUD.

[b] Probe, quaeso, animadvertas, voluntatem revera *praecedi diversis causis* medentis et miserentis Dei, ad mala vero nullis, nisi propriae perversitatis meritis exigentibus. Cf. PRUD.

[c] Rom. VII, 25.

autem Deo pie servit, nisi qui ejus mandata custodit? Et quis mandata Dei custodit nisi ille, qui ea, quae ipse prohibet, abhorret, ne faciat, et ea, quae jubet, desiderat, et contendit, ut faciat, adjuvante gratia ejus, sine qua nihil boni potest facere. Sed quid prohibet, nisi peccare, aut quid jubet, nisi non peccare? Supervacuo autem prohiberetur [1] homo, ne peccatum committeret, si ejus committendi liberam potestatem non haberet. Non enim prohibetur, quod non potest esse. Aut qua ratione juberetur ei non peccare, si nullomodo posset peccare? Illud enim Deus debuit jubere, quod posset homo facere. Quod autem non posset homo facere, quomodo Deus voluit jubere, non video. Siquidem, ut vultis, si Deus tale liberum arbitrium in homine crearet, ut eo tantum non peccare posset, eo vero peccare non posset, quomodo unum prohibuit, id est, peccare, quia, etsi non prohiberetur, non esset, quod esse lege naturae non sinente non posset, alterum vero quomodo jussit [2], hoc est, non peccare, quandoquidem, si non juberetur, ut fieret, necessario fuisset? Si enim peccare non posset naturali vi cogente, quo pacto peccaret?

IX. His ergo rationibus confectum est, Deum primo homini talem voluntatem et dedisse, et in eo eam condidisse in tantum liberam, ut per eam posset peccare, posset non peccare, sicut potuit mori, potuit non mori. Proinde primum mandatum in medio constitutum est inter peccandum et non peccandum. Unum enim prohibuit, quod fieri libertate naturae potuit; alterum jussit, quod fieri et natura, et gratia non negavit, ut, si ei obedire vellet, juste [3] vitam beatam reciperet, sin vero illud contemneret, juste debitam mortem subindeque miseriam subiret. Quae cum ita sint, nullus Christianorum dubitare debet, Deum universitatis conditorem dedisse homini liberum arbitrium, id est, electionem sive boni, sive mali, nec aliter eum dare debuisse, nisi omnino liberum, eo scilicet et monstraturus, quid in homine praevaleret natura sine gratia, quid gratia posset in natura, quid justitiae meritum, quid peccati, quid deinde suae ineffabilis largitatis donum, in tantum, ut quisquis libertati arbitrii deroget, aut minuendo, aut penitus auferendo, aut blasphemando [4], eum totius Christianae disciplinae proculdubio inimicum et divina et humana convincat auctoritas. Hinc Augustinus in libro de vera religione: « Defectus autem iste », ait, « qui peccatum vocatur, si tanquam febris invitum occuparet, recte injusta poena videretur, quae peccantem consequitur, et quae damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi. Non autem recte negat peccasse animam, qui et poenitendo eam corrigi [5] fatetur, et veniam poenitenti dari, et perseverantem in peccatis justa Dei lege [6] damnari. Postremo, si non voluntate male facimus, nemo objurgandus omnino, aut monendus est; quibus sublatis Christiana lex et disciplina omnis religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur, et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium; tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter; quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent » [a].

CAPITULUM VI.

De eo quod non aliunde sit omne peccatum, nisi libero propriae voluntatis arbitrio.

I. Firmissime igitur tenendum, nullum peccatum, hoc est malefactum, nullamque ejus poenam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate, libero male utentis arbitrio [b]. Neque enim aliter fieri vera ratio invenit. Cujus rei ostendendae causa utendum est eo argumento, quod sumitur a comparatione [7]. Si humana voluntas est secundum naturam, unde dubitare stultissimum, nulli dubium, eam non esse summam omnium voluntatem, eo maxime argumento, quod mutabilis sit. Si enim summa omnium esset, quomodo mutabilis esse posset? Non igitur summa. Quoniam vero eam rationis summae participem esse videmus, dubitare non possumus, ipsam rationalem substantiam esse. Deinde, si rationalis natura irrationalem merito praecedit, sequitur, ut rationalis natura mutabilis minor sit rationali incommutabili [8], major vero irrationali mutabilique. Summam igitur omnium divinam voluntatem nullomodo voluntati rationali, quam creavit, vel suasisse peccare, vel eam coegisse ad peccandum, credere debemus. Irrationalis vero voluntas, sicut est animalium, quomodo meliorem se voluntatem vinceret, praesertim cum ipsa peccare non possit carens ratione? Quomodo potuit aut suadere, aut cogere ad peccandum fortiorem se voluntatem, ratione quippe utentem? Restat par ejus voluntas, quae, si aliqua est, aut vitio caret, aut vitiata est. Sed si vitio careat, quomodo vel suadere, vel cogere potest, vitium fieri in sua pari voluntate? Nulla enim voluntas, carens vitio, in alia voluntate vitium efficit. Si vero vitiata est, non erat par humanae voluntatis ante

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *prohibetur.* [2] Cod. *iusit;* sic semper. [3] Sic cod., M. *et* iuste. [4] Cod. *blasfemando.* [5] Sic cod., M. *corrigi eam.* [6] Sic cod., M *infra Dei legem*, et ad marg. adscr. al. *iusta Dei lege.* [7] Sic cod., M. a rei comparatione. [8] Cod. *incommotabili*, sic fere ubique.

NOTAE.

[a] Augustinus *de vera relig.*, cap. 14.

[b] Animadvertas, peccatum quidem propria hominis voluntate nasci, poenam vero ejus a Deo justo judice irrogari. Cf. Prud.

peccatum. Melior est enim omnis voluntas corruptione carens ea non carente. Concluditur omnis malefacti occasio, poenaque ejus omnis, in propria hominis voluntate.

II. Hinc Augustinus in primo libro de libero arbitrio: « Ergo relinquitur, ut, quoniam regnanti menti compotique virtutis quicquid par, aut praelatum est, non eam facit servam libidinis propter justitiam, quicquid autem inferius est, non possit hoc facere propter infirmitatem, sicut ea, quae inter nos constiterunt, docent, nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat, quam propria voluntas et liberum arbitrium, justeque illam pro peccato tanto poenas pendere. Quid enim? Num ipsa poena parva existimanda est, quod ei libido dominatur, expoliatamque virtutis opulentia per diversa inopem, atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris approbantem, nunc etiam defensitantem, nunc improbantem, quae antea probavisset, et nihilominus [1] in alia falsa irruentem, nunc assensionem suspendentem suam, et plerumque perspicuas ratiocinationes formidantem, nunc desperantem de tota inventione veritatis, et stultitiae tenebris penitus inhaerentem, nunc conantem in lucem intelligendi, rursusque fatigatione decidentem, cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice saeviat, et variis contrariisque tempestatibus totum hominis animum, vitamque perturbet? Hinc timore, inde desiderio, hinc anxietate, inde inani falsaque laetitia, hinc cruciatu rei amissae, quae diligebatur, inde ardore adipiscendae, quae non habebatur, hinc acceptae injuriae doloribus, inde facibus vindicandae, quaquaversum potest coartare [2] avaritia, dissipare [3] luxuria, adjicere [4] ambitio, inflare superbia, torquere invidia, desidia sepelire, pervicacia concitare, affictare subjectio, et quaecunque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequentant [5] et exercent. Possumusne tandem nullam istam poenam putare, quam, ut cernis, omnes, qui [non] inhaerent [6] sapientiae, necesse est perpeti [a]? » Quid autem quisque sectandum et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit, nullaque re de arce dominandi rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate, et est manifestum, non rem ullam, cum ea quisque male utitur, sed ipsum male utentem esse arguendum.

III. Quocirca licet nunc animadvertere et considerare, utrum sit aliud male facere, quam neglectis rebus aeternis, quibus per se ipsam mens fruitur, et per se ipsam percipit, et quae amans amittere non potest temporalia, et quaeque per corpus partem hominis vilissimam sentiuntur, et nunquam esse certa possunt, quasi magna et miranda sectari. Nam hoc uno genere omnia malefacta, id est, peccata mihi videntur hoc uno genere contineri, cum quisque avertitur a divinis vereque manentibus, et ad mutabilia atque incerta convertitur. Quae quamquam in ordine suo recte locata sint, et suam quandam pulchritudinem peragant, perversi tamen animi est et inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum suum ducendis potius divino ordine ac jure praelatus est

CAPITULUM VII.

Quod liberum voluntatis arbitrium numerandum sit inter bona quae Deus homini largitur, quamvis eo male utatur. Quae est causa peccati et peccatum?

I. Non ergo liberum arbitrium malum est, cum eo quisque male utatur, sed est numerandum inter bona, quae homini divina largitate donata sunt, praesertim cum potius ad bene utendum eo datum sit. In hoc enim maxime arguitur humana voluntas, quod eo dono, quod ei datum est ad recte utendum, maluit perverse uti. Sed merito quaeritur, cur eo male uti potuit? Respondetur, quia non est magnum bonum, quo nemo male uti potest. Sunt enim magna bona, quae a Deo homini [7] donantur, sunt media, sunt minima. Et quidem magnis nullus male utitur. Quis enim prudentia, temperantia, fortitudine, justitia male uti potest? Mediis vero bonis, minimisque pro arbitrio utentis et recte vivitur [8] et perverse. Potest enim aliquis in disciplina, verbi causa, disputandi, quae dicitur dialectica, peritus, quae nullo dubitante a Deo homini donatur, si voluerit, bene uti, quoniam ad hoc certissime data est, dum ea ignorantes eam erudit, vera falsaque discernit, confusa dividit, separata colligit, in omnibus veritatem inquirit. Potest e contrario perniciose vivere [9], ad quod non est data, dum falsa pro veris approbans, alios in errorem mittat, falsisque ratiocinationibus simplicium sensus confundat, confundendo caliginat, ne eorum oculus interior, qui est animus, ad notitiam purae ipsius veritatis perveniat. Sicut ergo ipsa disciplina, si inter magna bona numeraretur, nullus ea falleret, nullus falleretur, ita, si liberum arbitrium in numero magnorum bonorum collocaretur, nullus eo male utens primo haberetur, nullus consequenter male utendo puniretur. Quis autem non videat frequentissime homines male utentes minimis bonis, a Deo tamen commissis, ut sunt species corporeae, earumque pulchritudines, quibus maxima hominum multitudo ad varias eorum libidines explendas mortifere utitur, cum eisdem ipsis pie, juste, recteque uterentur ad meritum beatitudinis suae, si eas ad laudem Creatoris referrent?

II. Sed ut haec apertius approbemus, sancti Patris Augustini suaviloqua verba ponenda sunt. Ait enim in libro secundo de libero arbitrio: « Constitit inter

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *nihil hominus*. [2] M. *coarctare*. [3] Cod. *desipare*. [4] Sic cod., M. *adurere* et ad marg. adscr. *al. addicere*. [5] Corr. cod. *frequentantur*. [6] *Non* om. cod.; M. *non adhaerent*, et ad marg. adscr. *al. inhaerent*. [7] Sic cod., M. *homini a Deo*. [8] Sic cod., M. *utitur*. [9] Sic cod., M. *uti*.

NOTAE.

[a] Augustin. *de libero arbitrio* I, 11.

nos, naturam corporis inferiore gradu esse, quam animi naturam, ac per hoc animum majus bonum esse, quam corpus. Si ergo in corporis bonis invenimus aliqua, quibus non recte uti homo possit, nec tamen propterea dicimus, non ea dari debuisse, quoniam esse confitemur bona : quid mirum, si et in animo sunt quaedam bona, quibus etiam non recte uti possumus. Sed quae [1] bona sunt, non potuerunt dari, nisi ab illo, a quo sunt omnia bona. Vides enim, quantum boni desit corpori, cui desunt manus, et tamen manibus male utitur, qui eis operatur vel saeva vel turpia. Sine pedibus aliquem si aspiceres, fatereris, deesse integritati corporis plurimum bonum, et tamen eum, qui ad nocendum cuipiam, vel seipsum dehonestandum pedibus uteretur, male uti pedibus non negares. Oculis hanc lucem videmus, formasque internoscimus [2] corporum, idque et speciosissimum est in nostro corpore. Unde in fastigio quodam dignitatis haec membra locata sunt, et ad salutem tuendam, multaque alia vitae commoda refert usus oculorum. Oculis tamen plerique pleraque agunt turpiter, et eos militare cogunt libidini. Et vides, quantum bonum desit in facie, si oculi desunt. Cum autem adsunt [3], quis hos dedit, nisi bonorum omnium largitor Deus? Quemadmodum ergo ista probas in corpore, et non intuens eos, qui male his utuntur, laudas illum, qui haec dedit bona : sic liberam voluntatem, sine qua nemo potest recte vivere, oportet et bonum, et divinitus datum, et potius eos damnandos, qui hoc bono male utuntur, quam eum, qui dederit, dare non debuisse fatearis [a] ».

III. « Virtutes igitur, quibus recte vivitur, magna bona sunt; species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt; potentiae vero animi [4], sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur, ceteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur, quia [5] opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media et minima bona esse praestitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quam in mediis, et magis in mediis, quam in minimis bonis; sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset [b] ».

IV. « Voluntas ergo, adhaerens communi atque incommutabili bono, imperat prima et magna hominis bona, cum ipsa sit medium quoddam bonum; voluntas autem aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius peccat. Ad proprium convertitur, cum suae potestatis vult esse; ad exterius, cum aliorum propria, vel quaecunque ad se non pertinent, cognoscere studet; ad inferius, cum voluptatem corporis diligit. Atque ita homo superbus et curiosus et lascivus effectus, excipitur ab alia vita, quae in comparatione superioris vitae mors est. Quae tamen regitur administratione [6] divinae providentiae, quae congruis [sedibus] [7] ordinat omnia, et pro meritis sua cuique distribuit. Ita fit, ut neque illa bona, quae a peccantibus appetuntur, ullo modo mala sint, neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus, sed malum sit aversio ejus ab incommutabili bono, et conversio ad mutabilia bona; quae tamen aversio atque conversio, quoniam non cogitur, sed est voluntaria, digna et justa eam miseriae poena subsequitur [c] ».

V. « Sed tu fortasse quaesiturus es, quoniam movetur voluntas, cum se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, unde ei iste motus existat, qui profecto malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit? Si enim motus iste, id est, aversio voluntatis a Domino Deo sine dubitatione peccatum est, num possumus auctorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo. Unde igitur erit? Ita quaerenti tibi si respondeam nescire me, fortasse [8] eris tristior? Sed tamen vera responderim. Sciri enim non potest, quod nihil est. Tu tantum pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit, quae non sit ex Deo; omnem quippe rem, ubi mensuram et numerum et ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris. Unde autem ista penitus [9] detraxeris nihil omnino remanebit, quia, etsi remanserit aliqua formae alicujus inchoatio, ubi neque mensuram neque numerum neque ordinem invenias, quia ubicunque ista sunt, forma perfecta est, oportet auferas istam [10] inchoationem formae, quae tanquam materies ad perficiendum subjacere videtur artifici. Si enim formae perfectio bonum est, nonnullum jam bonum est et formae inchoatio. Ita detracto penitus omni bono nihil omnino remanebit [11]. Omne autem bonum ex Deo : nulla ergo natura est, quae non sit ex Deo. Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat; et ad Deum non pertinere non dubites. Qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostra est positus possibilitate [12]. Si enim times illum, oportet ut nolis; si autem nolis, non erit. Quid ergo securius,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., al. *quia*. [2] Sic cod., M. *cognoscimus* et ad marg. adscr. al. *internoscimus*. [3] Cod. *assunt*. [4] Sic cod., al. *animae*. [5] Corr. M. cod. *qui*. [6] Cod. *amministratione*. [7] *sedibus* om. cod., add. M. [8] Cod. *fortasse*. [9] Cod. *poenitus*, sic ubique. [10] al. *etiam ipsam*. [11] Sic cod., M. omni bono *non quidem non nihil, sed* nihil omnino remanebit. [12] al. *potestate*.

NOTAE.

[a] Augustin. *de lib. arb.* II, 18.
[b] Augustin. *ibid.* II, 19.
[c] Augustin. l. l. in fine.

quam esse in ea vita, ubi non possit tibi evenire, quod non vis. Sed quoniam, non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest, porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est, Dominum nostrum Jesum Christum firma fide teneamus, et exspectemus certa spe, et caritate ardenti desideremus [a].

CAPITULUM VIII.

De differentia inter naturam hominis et liberum ejus arbitrium.

I. Jam nunc pulsanda est divina misericordia, ut nobis aperire dignetur imminentis quaestionis difficultatem. Longe namque remotum est, et in profundae intelligentiae secreto sinu repositum, quid distat inter liberam hominis voluntatem, quae ex natura est, et liberum ejus arbitrium, quod procul dubio donum Creatoris esse manifestum [1]. Sancto siquidem Augustino multoties [2] nobis inculcante apertissime credimus, interioris hominis substantialem trinitatem in his tribus, essentia videlicet, et voluntate, et scientia contineri [b]. Si enim summa sapientia, quae humanam naturam sui similem creare voluit, in se ipsa una trinaque est, merito hominem sic fecit, essentiam profecto, voluntatem, scientiam, quae tria unum sunt. Non enim aliud est rationali vitae esse, et velle, nec aliud velle, et scire, sed esse ejus voluntas sciens, et voluntas ejus essentia sciens, et scientia ejus volens essentia est.

II. Haec igitur tria unum sunt, et una natura. Tota deinde animae natura voluntas est. Sed considerandum, utrum ea voluntas, sicut naturaliter est, ita libera est naturaliter, an tantum, ut voluntas sit, ex natura habeat, ut autem libera, ex dono Creatoris. Cum enim omne bonum aut Deus ipse est, aut quidquid ab eo est, non tamen omnia bona, quae ab eo sunt, eodem modo ab eo fieri dicimus. Omnium quippe bonorum, quae Deus creavit, quaedam sunt ejus bonitate, quaedam vero ejus largitate. Quae autem ab ipsius bonitate fiunt, substantialiter fiunt, cum omnibus accidentibus, quae eis naturaliter adhaerent, ut sunt qualitates, quantitates, relationes, situs, habitus, loca, tempora, agere, pati; quo numero denario et omnis creata substantia, et omnia ei naturaliter accidentia comprehendi possunt. Nec nos moveat, si dicantur accidentia [3] quaedam, quae ex natura non sunt. Non enim sunt vere accidentia [4], sed naturalium accidentium aut absentiae, aut defectus, id est corruptiones. Quae vero largitate conditoris veniunt, profecto dona ejus appellantur, nec aliter credi oportet, quoniam quidem tria quaedam intelligi necesse est in omni donandi actu, qui dat, quod datur, cui datur.

III. Proinde Deus omnium opifex primo universitatis a se condendae substantias condidit bonitate sua, deinde unicuique pro gradibus suis dona dare disposuit largitate sua. Inter quas videlicet substantias naturam hominis in voluntate rationabili [5] substituit. Non enim ideo homo voluntas est, quia voluntas est, sed quia rationalis voluntas est. Tolle namque rationalem voluntatem, non erit homo. Quod tamen non recurrit, ut, si tollas hominem, non sit rationalis voluntas, quae non in homine tantum, verum etiam in angelo, atque ipso Deo cognoscitur. Hinc necessario considerandum [6], quid ista humana voluntas habeat ex natura, quid ex dono. Sed si luce clarius est, naturaliter eam habere, quod sit substantialis voluntas, restat quaeri, unde sit ei libertas. Non enim absolute dicitur voluntas, sed libera voluntas. Si ergo tantum ex substitutione [7] sua habeat, ut sit voluntas, non autem libera; relinquitur, si libera est, quod negare absurdum, dono sui Creatoris ei donatam esse libertatem. Et erit talis differentia inter naturam et liberum arbitrium, ac si humana voluntas non solum sua substitutione accepit, ut sit, sed etiam ut libera sit.

IV. Adhuc non est quaestio proposita reserata. Praedictis quippe argumentationibus collectum est, omnipotentissimam divinam voluntatem, quae nulla lege coartatur, nec impeditur, debuisse voluntatem sui similem creare, quae aeternis legibus creatricis regeretur, nulla vi ab agendo, quid vellet, artaretur, vel ad agendum, quod nollet, compelleretur. Quidquid enim facere maluisset, sive boni, sive mali, sapientissimam creatricis suae disciplinam non excederet, quae omnes motus liberae voluntatis, sive rectos, sive perversos, congruis ordinibus exciperet. Non enim credendus est universitatis conditor rationalem voluntatem fecisse servilem. An forte non est homini substantialiter ratio? Quis audeat hoc dicere, cum sit vera hominis definitio, homo est substantia rationalis, sapientiae capax! Quid ergo mirum, humanae voluntati ex natura sui esse libertatem, cum non sit mirum, ea fieri rationem? Aut quomodo fieri potuit natura servilis voluntas, cui merito obedientiae promittitur illa futura libertas, quoniam non erit peccandi cupiditas? Nullo enim pacto Deus destruit, quod in natura creavit, sed quaedam bona naturalia, quae condidit, in melius eadem convertit, non ut ab eis, quod fecit, eruat, sed ut eis, quod addere voluit, adjiciat.

V. Exemplo sit corpus hominis ante peccatum, quod erat primum animale, deinde futurum spirituale merito obedientiae, nulla interposita morte. Cur primum animale? An quia adhuc deerat, quod ei propter praecepti custodiam fuerat addendum, id est spirituale, ac per hoc ex eo, quod aliquid a per-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod. [2] *multociens*, sic ubique. [3] Cod. *accedentia*. [4] Sic cod. [5] Sic cod., M. *rationali*. [6] Sic cod., M. *est* considerandum. [7] Sic cod., M. ad marg. adscr., forte *institutione;* sed frustra, nam lectio *substitutione* et hoc loco et paulo post retinenda est.

NOTAE.

[a] Augustin. *l. l.* II, 20 initio.

[b] Augustin. *Confess.* XIII, 11.

fectione naturae defuit, erat animale, ex eo, quod nihil ei deesset, futurum spirituale. Hinc datur intelligi, primam hominis voluntatem liberam naturaliter fuisse creatam, cui tamen aliquid adderetur, si praeceptum Dei servare vellet, ut, sicut animale corpus potuit mori, quia adhuc non erat perfectum, ita voluntas libera adhuc animalis merito, quia mortalis, potuit peccare, quoniam adhuc non erat perfecta, quae utique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ea peccandi voluntas penitus auferretur, qualis erit illa futura, quam Dominus noster Jesus Christus daturus est diligentibus se. Sed ut haec ratio roboretur, argumento utamur illo, quod sumitur a minori ad majus. Si naturaliter habemus liberum sensum in oculis nostri corporis, ut eorum lumine utamur ad videnda honesta seu turpia : quid mirum, si Deus talem in homine voluntatem substituisset, quae sua naturali libertate uteretur honeste, si non peccaret, aut turpiter, si peccaret? Quod ergo agitur naturaliter in corpore nostro, cur in anima nostra non ageretur, praesertim [cum] [1], ubi est rationabilitas, ibi necessario erit libertas? Est autem rationabilis substantialiter voluntas humana. Est igitur substantialiter libera.

VI. Quae cum ita sint, diligentius considerandum, quid est liberum arbitrium? Quod procul dubio a Deo est humanae naturae concessum [2]. Eisdem enim verbis et substantiam hominis, et donum solemus enuntiare, ita ut dubium sit, quid in eis natura insinuet, quid donum. Quid enim aliud sentimus, audientes liberum voluntatis arbitrium, nisi liberae voluntatis motum, quae omnia naturam humanae voluntatis exprimunt. Est enim voluntas libera, rationalis, mutabilis. An forte, si mutabilis est, quod omnino fatendum, si solus Deus immutabilis esse rectissime creditur, quaeri potest, unde mutabilis est? Ad quod verissime respondetur, unde est libera, inde mutabilis. Est autem ex natura libera. Est igitur ex natura mutabilis.

VII. Deinde quaeritur, unde movetur? Cui redditur : a se ipsa, quia libera est. Potest aliunde? Potest, quia ea major meliorque voluntas est, qua [3] moveri potest. Quae est illa? Non alia, nisi summa divinaque, quae eam creavit et movet. Potestne moveri a pari, aut minori [4]? Non potest. Si enim omne, quod movet, plus est, quam quod movetur, necessario majora minoribus [5] moveri non sinunt. Simili ratione paria non possunt paria movere; alioquin non erunt paria moventibus mota; ac per hoc fortiori [6] se causa moventur paria. Restat plane, humanam voluntatem aut a se ipsa moveri, aut ab ea, quae eam condidit. Quid, cum a se ipsa movetur, potestne et recte et perverse [7] moveri? Utrumque potest, ut velit, quia liberum habet motum. Quid, si ab ea moveatur, quae eam creavit, inde rectum motum fieri quis dubitare audeat? Proinde quia de hominis voluntate ante peccatum quaeritur, concedendum est, motu suo proprio potuisse et ad Deum suum velle converti, ne peccaret, et ab eo averti, ut peccaret; a superiori autem causa moveri tantum, ne vellet peccare. Si ergo, ut praedictae rationis edocet investigatio, humanae substantiae motus naturalis, quo videlicet ad Deum suum cognoscendum diligendumque primo converteretur, deinde ad se ipsam, duplici causa effici persuasum est, quarum una superior, quae naturarum communis est omnium, altera vera inferior, quae in ipsa humana substantia est constituta : quid nos prohibet, omnes [8] rectos motus animi nostri conditori nostro referre, qui cum se ipsum moveat sine tempore et loco, movet conditum nostrum spiritum per tempus sine loco, movet corpora nostra per tempus et locum. Nostrae quoque naturae inseruit causam, qua nosmetipsos possemus movere libere, rationabiliter, voluntarie [9] ad ea, quae nobis sequenda fuerant, assequenda. Qui motus merito vocatur liberum arbitrium nostrae voluntatis, quoniam potestati nostrae subjectus est. Possemus quippe pro nostro judicio recto cursu eum dirigere, possemus cohibere. Unde igitur haberemus talem motum talemque potentiam, nisi a Deo, qui nobis largitus est hoc proprium, quod esset et nostrae naturae non minimum bonum, et Creatoris laudabile donum? Cui debemus ineffabiles gratias reddere, non solum quod naturam nostrae mentis bonitatis suae copia condiderit rationalem, liberam, voluntariam, mobilem, sed quod nobis largitatis suae munere concessit, proprio nostro nutu rationabiliter, libere, voluntarie posse nos movere. Qui motus nulli animalium, praeter hominem, concessus [10] est. Si enim praecipimur eam laudare pulchritudine [11] naturarum, quas sine rationabili voluntatis libertate creavit, quanto magis de nostra substantia, cui tale munus donavit, ut suo proprio motu conditori suo adhaereret, ipsumque motum cohibere posset, si vellet, ne ab eo recederet! Qui quidem motus, si in propria humanae voluntatis potestate non fieret, quis recte vivere posset, quis deinde peccaret, cum ad bene vivendum a Deo datus sit, nullomodo ad male vivendum!

VIII. Hinc sanctum audiamus Augustinum : « Si homo aliquod bonum esset, et non posset, nisi cum vellet, recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. Non enim, quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dedisse credendum est. Satis ergo causae est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo recte non posset vivere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi potest, quia, si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur, quod non juste fieret, si non solum, ut recte viveretur, sed etiam, ut peccaretur, libera esset voluntas data. Quomodo enim

VARIAE LECTIONES.

[1] *cum* om. cod., add. ex conj. [2] Cod. *concessum*. [3] Sic cod., M. *quae*. [4] Sic cod., M. aut *a* minori. [5] Sic cod., M. *a* minoribus. [6] Sic cod., M. *fortiore*. [7] Cod. *perversae*. [8] Sic cod., M. *et* omnes. [9] Cod. *voluntariae*. [10] Cod. *concesus*. [11] Sic cod., M. laudare *de* pulchritudine.

juste vindicaretur in eum, qui ad hanc rem usus esset voluntate, ad quam rem data est? Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid aliud tibi videtur dicere, nisi, cur non ad eam rem usus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est, ad recte faciendum? Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis, recteque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset, aut recte factum, quod non fieret voluntate; ac per hoc et poena injusta esset, et praemium, si homo voluntatem liberam non haberet. Debuit [1] et in supplicio et in praemio esse justitia, quoniam hoc unum est bonorum, quae sunt ex Deo. Debuit igitur Deus dare homini liberam voluntatem [a] ». In quibus verbis debemus intendere, ne quis substantiam confundat B et motum, audiens liberam voluntatem, quae procul dubio substantialis est. Eo itaque locutionis modo sanctus pater Augustinus usus est, dicendo liberam voluntatem pro eo, quod est liberae voluntatis motum, sive arbitrium, quo solemus uti, dum per causas substantiales earum significamus effectus. Hinc est verae rationis circuitus, pro verae ratiocinationis circuitu — vera siquidem ratio substantialiter est in homine, cujus motus ratiocinatio—manus pro opere, pes pro ambulatu, lingua pro verbis, ceteraque id genus.

IX. Hoc ergo, nisi fallor, prolixae ratiocinationis ambitu confectum est, causas omnium recte factorum, quibus ad coronam justae beatitudinis pervenitur, in libero humanae voluntatis arbitrio, praeparante ipsum, ipsique cooperante gratuito divinae gratiae multiplicique dono, constitutas esse; malefactorum vero, quibus in contumeliam justae miseriae ruitur, in perverso motu liberi arbitrii suadente diabolo principalem radicem esse fixam. Quanta igitur dementia est eorum, qui talium causas inevitabiles coactivasque necessitates in praedestinatione divina falsissime fingunt, impudentissime adstruunt, postremo, quod valde dolendum, se ipsos consentientesque sibi ad perpetuae mortis interitum merito erroris detrudunt! Sive itaque talis differentia inveniatur inter liberum arbitrium hominis et ejus substantiam, ita ut natura in voluntate rationali, liberum vero arbitrium in ejus sit libertate constitutum [b], sive in motu liberae naturaliter voluntatis, sive in munere intelligentiae, quod omnibus in commune donatum est, sive, ut probabilius aestimatur, haec tria in unum collecta, id est, liber [2] motus intelligentiae liberum arbitrium inter se componunt, ea videlicet ratione, ut, quemadmodum substantia ipsa, in qua est, A trina sit — est enim, et vult, et scit — ita et illud trinum fiat, liber, motus, intelligens: constat tamen, peccatum omne, poenasque peccati perverso ejus usu originem duxisse, et in omni peccatore ad male vivendum vigere.

CAPITULUM IX.

De eo quod non proprie, sed temporalium rerum similitudine praedicantur de Deo praescientia et praedestinatio.

I. Jam nunc textus principalis quaestionis exigit, nos considerare, utrum proprie, an abusive in sacris litteris et sanctae Scripturae, et sanctorum Patrum dicatur Deus praescisse, vel praedestinasse, sive omnem universitatem, quam ipse condidit substantialiter, B sive quidquid administrationis divinae temporaliter apparet in illa, in his videlicet, quae ipse facit, non quae fieri sinit. Ubi primo notandum, quoniam nihil digne de Deo dicitur, omnia paene [3] sive nominum, sive verborum, aliarumque orationis partium signa proprie de Deo dici non posse. Quomodo enim signa sensibilia, id est, corporibus adhaerentia remotam illam omni sensu corporeo naturam ad liquidum significare possent, quae vix purgatissima mente attingitur, omnem transcendens intellectum? Eis tamen utitur humanae ratiocinationis post peccatum primi hominis laboriosa egestas, ut quodammodo credatur et innuatur copiosa conditoris sublimitas. Amplius si omnia vocum signa secundum naturam non sunt, sed ex complacito hominum C inventa, quid mirum, si non ad illam naturam, quae sola vere dicitur esse, sufficiant exprimendam?

II. Proinde signorum verbalium, quibus humanae locutionis consuetudine ad significandum ipsum Deum aut ejus administrationem in universa creatura utitur divina humanaque industria, quaedam sunt quasi propria, quorum exempla sunt in verbis quidem sum, es, erat, esse, in nominibus vero essentia, veritas, virtus, sapientia, scientia, destinatio ceteraque hujusmodi, quae quoniam in natura nostra quidquid primum optimumque sit, significant, id est ipsam substantiam, et ejus optima, sine quibus immortalis esse non potest, accidentia [4], non absurde referuntur ad unum optimumque principium omnium bonorum quod est Deus; quaedam D vero aliena, hoc est translata, quae tribus sedibus venire solent, a similitudine videlicet, a contrario, a differentia. Primae sedis exempla sunt: *Brachium Domini, cui revelatum est* [5] [c]; item: *Manus tuae fecerunt me* [d]; similiter: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* [e]. Quae merito aliena dicun-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *debuit autem* et etc. [2] Sic cod., M. *liber, motus, intelligentia.* [3] Cod. *poene.* [4] Corr., cod. et M. *accedentia.* [5] Sic cod., *est* om. M.

NOTAE.

[a] Augustin. *de libero Arbit.* II, 1.

[b] Talis differentia minus vera esse videtur. Nam voluntas rationalis reapse libera est, liberum vero arbitrium nihil aliud nisi boni malive eligendi facultas. Cf. Prudent.

[c] Isai. LIII, 1.

[d] Job. X, 8.

[e] Psalm. XXX, 16.

tur, cum divina substantia talibus corporalium membrorum omnimodo careat lineamentis. Similitudine tamen quadam de ea non incongrue praedicantur. In brachiis quippe vires corporum, in manibus operationem, in oculis visum, auditum in auribus tanquam in sedibus suis natura locavit. Itaque divina virtus et operatio, visio quoque ejus et largitas aptissime sedium illarum nominibus vocitantur. Tertiae sedis exemplo fiunt, quae ab animorum nostrorum perturbationibus sumuntur ad significandam incommutabilem [1] substantiam, ut sunt ira, furor, indignatio, timor, tristitia, ceteraque, quae de differentiae loco trahuntur, quorum nulla similitudo cum divina natura invenitur, sed sola necessitate significationis remotissimo abusionis modo solent transferri.

III. Restant ea, quae contrarietatis loco sumuntur. Quibus tanta vis inest significandi, ut quodam privilegio excellentiae suae merito a Graecis enthymemata [2] dicantur, hoc est, conceptiones mentis. Quamvis enim omne, quod voce profertur, prius mente concipiatur, non tamen omne, quod mente concipitur, eandem vim significationis, dum sensibus fervore [3] infunditur, habere videtur. Sicut ergo argumentorum omnium fortissimum est illud, quod sumitur a contrario, ita omnium signorum vocalium aptissimum est, quod ducitur ab eodem contrarietatis loco. Quorum quaedam absolute dicuntur, quaedam conjuncte. Absolutorum forma est : *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo* [a]. Quod recte intelligitur a contrario, ac si aperte diceret : Perdam insipientiam insipientum, imprudentiam imprudentum reprobabo. Quod aperte intelligitur ex verbis Apostoli dicentis : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* [b]. Si enim omnis sapientia a Domino Deo est, qua ratione intelligetur Deus destruere, quod ab eo est? Quod autem de sapientia creditur, de prudentia similiter credendum. Nullam quippe virtutem in homine Deus perdit, cujus formae absolutivae exemplum non facile de Deo inveniri potest.

IV. Nec mirum, cum nihil Deo contrarium sit, nisi non esse, quoniam ipse solus est, qui dixit : *Ego sum qui sum* [c], cetera vero, quae dicuntur esse, nec omnino sunt, quia non sunt, quod ipse est, nec omnino non sunt, quia ab ipso sunt, qui solus est esse. Nisi forte dicamus, ea, quae de Domino nostro Jesu Christo dicta sunt secundum humanitatis suae proprietatem, de divinitate similiter ejus dici posse propter unius personae in duabus substantiis inseparabilem unitatem. Si autem illud non absurde creditur fieri, videamus, quod scriptum est in lege : A *Maledictus omnis qui pependit in ligno* [d]. Hoc de Christo procul dubio dictum est, *qui est super omnia benedictus in secula* [e]. Nos enim, qui in primi hominis peccato mortis et servitutis meruimus maledictionem, in secundi hominis justitia vitae et libertatis accepimus benedictionem. Nam quod pendenti Christo in cruce Judaei maledixerunt, plus benedictionis insinuat, quam maledictionis. Haec igitur forma locutionis absolute contrarietatis loco deducta est, quo etiam Apostolus sumpsit, quod ait : *Eum, qui non noverat* [4] *peccatum, pro nobis peccatum fecit* [f]. Quis enim dubitat, hostiam et peccatum inter se esse contraria, cum hostia nihil agatur, nisi ut peccatum deleatur. Christus hostia generalis est pro peccato totius mundi. Recte igitur e contrario B per peccatum significatur.

V. Deinde conjuncti contrarii consideremus exempla. Quae quidem conjuncta propterea dicuntur, quod duobus locis conveniant, similitudini videlicet, atque contrarietati. Partim quippe eadem nomina seu verba similitudine, partim sumuntur contrarietate, quorum pragmata sunt praescientia et praedestinatio, quando de Deo praedicantur. Et primum quidem considerandum, haec et hujusmodi seu nomina, seu verba de Deo proprie praedicari non posse. Qua enim ratione diceretur Deus praescire aliquid praescientia, vel praedestinare praedestinatione, cui nihil futurum, quia nihil expectat, nihil praeteritum, quia nihil ei transeat. In eo enim sicut nulla locorum spatia sunt, ita nulla temporum interC valla. Ac per hoc nulla recta ratio permittit, talia de Deo jure proprietatis intelligi. Quomodo quippe praescientia ejus dicitur, cui nulla futura sunt? Sicut enim nulla ejus memoria proprie dicitur, cui nihil est praeteritum, ita nulla praescientia, quia nullum futurum. Et tamen dicitur : *In memoria aeterna erit justus* [g]. Eodem namque modo Deus vidit, praevidit, scivit, praescivit omnia facienda, priusquam fierent, quo videt et scit eadem, postquam facta sunt, quoniam, sicut ipse semper aeternus est, ita universitas, quam fecit, semper in ipso aeterna est.

VI. De praedestinatione quoque ejus eadem sentienda sunt, praesertim cum omnis praedestinatio praescientia sit. Quo jure potest dici praedestinatio, id est, praeparatio in eo, qui nullo temporis interD vallo praecessit [5], quo disponeret ea, quae facturus esset? cujus operationem non praecedit praeparatio. Non enim aliud ei est praeparare et operari ; utque proprium hominis est praeparare, quae facturus, ita Deo alienum est, praedestinare, quae nunquam facturus. Quomodo autem facturus esset aliquid, qui omnia [6] semel et simul fecit? Aut quomodo non om-

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *incommotabilem*. [2] Cod. *entimemata*. [3] Sic M. cod. *feruorē*. [4] Cod. *no ue ra*. [5] Cod. *precesit*. [6] Sic cod., pro *qui omnia*, M. *quoniam*.

NOTAE.

[a] 1 Cor. I, 19.
[b] 1 Cor. III, 19.
[c] Exod. III, 14.
[d] Deuter. XXI, 23.
[e] Gal. III, 13.
[f] II Cor. V, 12.
[g] Psalm. CXI, 7.

nia fecit, qui semper omnia habuit? qui semper suum verbum habuisse creditur, per quod facta sunt omnia, et in quo incommutabiliter vivunt omnia, non solum quae fuerunt, sed etiam quae futura. Nec tamen in illo fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt, et omnia unum sunt. Proinde quoniam aliter sub illo sunt ea, quae per illum facta sunt, aliter in eo sunt ea, quae ipsa est in eis, quae sub illo sunt, quia locis temporibusque suis et creata et ordinata sunt, proprie fiunt verba locorum temporumque significativa, in eis vero, quae aeternaliter in illo sunt, translative proferri possunt. Ac per hoc sicut abusive de Deo dicitur fecisse, vel facturum esse, ita de eo dicitur abusive praesciisse [1], praescire, praesciturum esse, simili modo praedestinasse, praedestinare, praedestinaturum esse.

VII. Conficitur ergo, praescientiam et praedestinationem similitudine rerum temporalium ad Deum transferri. Qui locus a contrario videretur, si temporalia aeternitati contradictorie [2] opponerentur. Jam vero, quoniam aeternitatis quaedam similitudo temporalibus est insita, non solum, quod ab ea facta sunt, sed etiam quod temporalium illa pars, de qua sumuntur haec nomina, videlicet humana natura, in similitudinem quandam verae aeternitatis transitura sit: quomodo a contrario sumitur, dum a temporali ad intemporale alia quaedam significatio transferatur? Loco igitur similitudinis veniunt. Sed quis est ille similitudinis modus, quaeri oportet. Et quidem dicimus ante quattuor modis; quorum primus dicitur ante temporis, secundus ante dignitatis, tertius ante originis, quartus ante aeternitatis. Illorum exempla fiunt haec: Tempore praecedit flos fructum, dignitate praecedit fructus florem, vox origine praecedit verbum, Deus aeternitate creaturam antecedit. Illo igitur modo, quo Deus omnia, quae fecit, antecedit, id est, aeternitate, eo scilicet praescivit et praedestinavit ea, quae facturus esset. Hinc colligitur, talia verba transferri a primo modo ad quartum, a loco videlicet temporis ad locum aeternitatis.

CAPITULUM X.

De eo quod a contrario intelligendum sit, quando dicitur Deus praescire, aut praedestinare peccata, vel mortem, vel poenas hominum, vel angelorum.

I. Restat considerare locum, qui, ut praediximus, a Dialecticis ac Rhetoricis enthymema [3] vocatur, a Grammaticis vero καταντίφρασις, et est omnium argumentorum signorumque verbalium nobilissimus. Indictum [4] est autem, praescientiam, et praedestinationem, sicuti et praeparationem, et praevisionem et hujusmodi translative de Deo praedicari, duabusque sedibus significationum posse transferri, meritoque conjuncta dici, quoniam et loco similitudinis, et loco, qui dicitur a contrario, venire probantur. Ubi apertissime intelligitur et firmissime tenetur, in his verbis, quando similitudine sumuntur, nihil aliud significari praeter [5] quod ipse Creator omnium facturus est, et sive in constituenda [6] universitatis substantia, naturalibusque ejus qualitatibus, sive in ejus administratione, in his tantummodo, *quos praescivit, et praedestinavit secundum propositum gratiae suae, conformes imaginis Filii sui* [a] esse futuros; quando vero de loco, qui est a contrario, transferuntur eadem ipsa verba, nihil in eis intelligendum, nisi quod Deus in creatura, quam ipse condidit, fieri sinit motu proprio liberoque rationalis naturae perverse utentis naturalibus bonis, quae sui Creatoris largitate suscepit. Et hoc est totum, quod dicitur malum, et poena ejus varia, multimodaque miseria.

II. Cum ergo audimus: praescivit Deus, vel praedestinavit, vel praeparavit peccata, seu mortem, sive poenas eorum, quos juste deseruit, id est, sua propria perversitate puniri permisit [7], omnino e contrario intelligere debemus, ne nos haeretica pravitas seducat, quae talibus verbis male utens originem sumpsit. Non enim vident lumen oculorum interiorum pendentes, quod omne malum perversa voluntate descendens nihil sit. Ut omittam illud malorum genus, quod eadem contrarietatis regula malum [8] dicitur, cum naturaliter sit bonum; ut est ignis ille aeternus, qui praeparatus est diabolo ministrisque ejus. Cetera omnia, quae proprie vocantur mala, unaque de causa nascentia, perverso scilicet, ut saepe dictum est, motu liberae voluntatis, mutabilis, avertentis se a Creatore, maleque utentis creatura, inter duos terminos colliguntur; quorum unus peccatum, alter poena ejus est.

III. Omne igitur malum aut peccatum est, aut poena peccati. Quae duo si nulla ratio vera sinit Deum praescire, quanto magis praedestinare quis audeat dicere, nisi e contrario? Quid enim? Nunquid possumus recte sentire de Deo, qui solus est vera essentia, qui fecit omnia, quae sunt, in quantum sunt, eorum, quae nec ipse est, nec ab eo sunt, quia nihil sunt, praescientiam seu praedestinationem habere [b]? Si enim nihil aliud est scientia, nisi rerum, quae sunt, intelligentia, qua ratione in his, quae non sunt, scientia vel praescientia dicenda est? Simili modo, si nihil aliud est praedestinatio, nisi eorum, quae Deus facienda praevidit, praeparatio: quomodo

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. presciise. M. praescisse. [2] Cod. contradictoriae. [3] Cod. entimema. [4] Sic cod., M. dictum. [5] Sic cod., M. potest. [6] Sic cod., M. construenda. [7] Cod. permissit. [8] Corr. M, cod. malorum.

NOTAE.

[a] Rom. VIII, 29.

[b] Pessime docet, peccatum et poenam nihil esse, ideoque nec praesciri nec praedestinari. Deus praescit et peccatum et poenas. Neque poena nihil est, sed aliquid est, id est creaturae Dei, quae peccatoribus poenales efficiuntur, exceptis iis peccatis, quae poenae dicuntur praecedentium peccatorum. Cf. Prud.

eorum, quae Deus nec fecit, nec facienda praeparavit, dicenda est praedestinatio? Deinde, si nihil aliud est malum, nisi boni corruptio, et omne bonum aut Deus est, quod corrumpi non potest, aut a Deo est, quod corrumpi potest, omnis autem corruptio nihil appetit, nisi ut bonum non sit: quis dubitare potest esse malum, quod appetit bonum delere, ne sit? Malum igitur nec Deus, nec a Deo est. Ac per hoc, sicut Deus mali auctor non est, ita nec praescius mali, nec praedestinans est. Sed si quis dubitat, nihil esse malum, nisi boni corruptionem, videat, quid de hac ratione Augustinus dicat, scribens contra epistolam Fundamenti: « Discite, non substantiam malum esse, sed sicut in corpore commutatione [1] formae in deterius amitti speciem, vel potius minui, et foedum dicitur, quod pulchrum antea dicebatur, et displicere corpus, quod antea placuerat: sic in animo recte voluntatis decus, quo pie justeque vivitur, commota in deterius voluntate depravari, quo peccato effici animam miseram, quae honestate rectae voluntatis beatitudinem [2] obtinebat, nulla addita detractave substantia. Quis dubitet totum illud, quod dicitur malum, nihil esse aliud, quam corruptionem? Possunt quidem aliis atque aliis vocabulis alia atque alia mala vocari; sed quod omnium rerum malum sit, in quibus mali aliquid animadverti potest, corruptio est. Sed corruptio peritae animae imperitia vocatur, corruptio prudentis imprudentia, corruptio justitiae [3] injustitia, corruptio fortitudinis [4] ignavia, corruptio quietis atque tranquillitatis cupiditas, vel metus, vel tristitia, vel jactantia. Deinde in corpore animato corruptio sanitatis dolor et morbus; corruptio virium lassitudo [5]; corruptio quietis labor. Deinde in ipso corpore corruptio pulchritudinis foeditas; corruptio rectitudinis pravitas; corruptio ordinis perversitas; corruptio integritatis discissio [6], aut fractura, aut diminutio [7]. Longum est, et difficile, et harum rerum, quas commemoravi, et aliarum innumerabilium omnes corruptiones nominatim enuntiare, cum etiam multae, quae dicuntur in corpore, possint et in anima dici, et innumerabilia sunt, in quibus propria vocabula corruptio teneat [a] ».

IV. Quae cum ita sint, quis non videat, nisi qui sensu caret, totum, quod dicitur peccatum, ejusque consequentias in morte atque miseria constitutas, non aliud esse, quam integrae vitae beataeque corruptiones; ita, ut singula singulis opponantur, integritati quidem peccatum, vitae mors, beatitudini miseria. Illa sunt, ista penitus non sunt; illa sursum versus appetunt unum omnium principium, ista deserunt, deorsumque in nihilum bona, quae corrumpunt, redire contendunt; illarum causa Deus est, istarum nulla; illa intra terminos naturalium formarum intelliguntur, ista in earum defectu atque privatione nesciendo sciuntur. Sicut enim causa malae voluntatis neque inveniri, neque sciri potest, ita omnium defectionum merito eam consequentium neque causae efficientes sciri possunt, neque ipsae defectiones, quia nihil sunt. Cui loco sancti Augustini testimonium adhibendum esse arbitror; ait enim in libro XII de civitate Dei: « Nemo quaerat efficientem causam malae voluntatis; non est enim efficiens, sed defectio [8]. Deficere namque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, sed deficientes, velle invenire, tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium, quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sane in specie, sed in speciei privatione. Nemo autem [9] ex me scire quaerat, quod me nescire scio, nisi forte, ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum [10]. Ea quippe, quae non in specie, sed in ejus privatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, ut sciendo nesciantur. Cum enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi coeperit non videre. Etiam [11] non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet sentire silentium, quod tamen nullomodo, nisi non audiendo sentitur. Sic species intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspicit, sed ubi deficiunt, nesciendo discit [12]. *Delicta enim quis intelligit* » [b]!

V. His itaque rationibus inconcusse [13] colligitur, omnem perversae voluntatis defectum vel privationem vel peccatum, vel quoquo modo vocari possit motus ille letifer [14], quo summum bonum deseritur, efficiturque spiritus vadens, et non rediens, finisque ipsius, mors plane, miseriaque suppliciorum aeternalium, omnino nihil esse. Omne quippe carens materia, forma, specieque procul dubio nihil est; omnis autem rerum absentia, earumque defectus tribus praedictis carere manifestum est. Omnino igitur non sunt. Ac per hoc nec praesciri [15], nec praedestinari ab eo, qui summe est, possunt [c]. O miranda, imo dolenda caecitas eorum, qui e contrario intelligere

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr. M, cod. *commutationē*. [2] Corr. B, Cod. *beatitatem*. [3] Sic cod., al. *justae*. [4] Sic cod., al. *fortis*. [5] Cod. *lasitudo*. [6] Cod. *discisio*. [7] Cod. *dimminutio*. [8] al. *deficiens quia nec illa effectio est sed defectio*. [9] al. *ergo*. [10] Sic cod., M. corr. sciendum *est*. [11] Sic cod., M. videre, *ita* etiam. [12] al. *condiscit*. [13] Cod. *inconcuse*. [14] Cod. *loetifer*. [15] Corr. M. *prescire*.

NOTAE.

[a] Augustin. *contra epistolam Fundam*. c. 35.

[b] Augustin. *de Civitate Dei* XII,7. Psal. XVIII, 13.

[c] Male docet. Peccatum quidem propria hominis voluntate nascitur, sed a Deo et praescitur et punitur. Mors item, quae est separatio animae et corporis, et poenae gehennales non nisi Deo judice fiunt, ideoque ab eo praesciuntur. Cf. Prud.

nolunt, si quando in divina, seu humana legerint auctoritate, Deum praesciisse vel praedestinasse peccata, mortem, supplicia, quae penitus nihil sunt, quia defectus sunt! Quid enim est peccatum nisi defectus justitiae? quid mors nisi vitae? quid supplicium nisi beatitudinis? Qui si diligentius attenderent, omnia, quae sunt, non ob aliud esse, nisi quia praescita et praedestinata sunt, omnia vero, quae non sunt, non ob aliud non esse, nisi quod nec praescita, nec praedestinata sunt, fortassis seipsos emendarent, et resipiscerent, animumque suum ad lucem veritatis converterent, ut in ea, et per eam [1] cernere possent in omni rerum natura, quidquid vere [2] invenitur esse, non aliud id esse, nisi unam, veramque essentiam, quae ubique in se ipsa tota est. Et quae est illa, nisi omnium naturarum praesciens praedestinatio, et praescientia praedestinans? Si autem apertissime intelligitur, omnium naturarum non esse summam principalemque substantiam, praeter divinam praescientiam [3] et praedestinationem: quomodo credendum est, in eis esse, quae omnino non sunt? Si enim in eis essent, procul dubio non nihil, sed aliquid substitissent. At vero nihil sunt. In eis igitur nec praescientia, nec praedestinatio divina sunt.

CAPITULUM XI.

Quod divina humanaque auctoritate comprobari possit, non esse Dei praedestinationem, nisi de his, qui praeparati sunt ad aeternam felicitatem.

I. Quoniam vero hujus nostrae actionis principalis quaestio proposita est de divina praescientia [4] et praedestinatione, propter quam necessario diligentius [5] tractandam incidentes quaestiones introductae sunt, eadem paulo apertius exemplorum luminibus discutienda. Sed prius nostrarum litterarum lectoribus suadere curavimus, si tamen sint, qui eas legendas judicaverint, atque utinam eorum caritas ad eas perlegendas accedat, plus in ipsis nostrae obedientiae devotionem consideraturi, quam utilissimae disputationis, si tamen aliqua utilitas in ea sit, despecturi, ne forte quasi commoti in nos irruant dicturi, nos esse destructores et praescientiae, et praedestinationis divinae, quia, si studiosius inspexerint, assertionis earum plurimum in eis invenient, destructionis vero nihil. Quid enim? Nunquid vel praescientiam Dei destruit, vel ejus praedestinationem contemnit, qui eas translate de Deo praedicari asserit? Quasi [6] non possit a temporalibus ad aeterna translatio fieri modo quodam similitudinis, aut ab his, quae sunt, ad ea, quae non sunt, modo pulcherrimo contrarietatis? Aut quasi rectae fidei resistat, si quis dicat,

A praescientiam et praedestinationem proprie fieri in his, quae ordine temporum praecedunt ea, quae et praesciunt et praedestinant [7], abusive vero dici in eo, cui nulla [8] futura sunt, quoniam nullo tempore, sed sua aeternitate praecedit omnia, quae ab eo sunt? Aut quomodo a veritate abhorreat, si dicatur a simili, praescivit Deus omnia, quae facturus esset, et dicatur a contrario, praescivit, quae facturus non esset, pro nescivit? Similiter de praedestinatione intelligendum a simili. Praedestinavit Deus, quos praeparavit ad suam gratuitam gratiam accipiendam. A contrario praedestinavit impios ad interitum, vel supplicium aeternum, quos tamen non praedestinavit. Si enim praedestinati sunt, necessario peribunt [9], poenasque patientur inevitabiles [10]. Quod si ita est,
B quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas praedestinationis cogit perire? Quod impietatis proprium est aestimari.

II. Proinde ne nostra ista ratiocinatio videatur nulla divinae seu humanae auctoritatis formula esse suffulta, quid divinae Scripturae paginis, quid sancti patris Augustini dictis potest effici, investigare debemus, non quod [11] aliorum catholicorum Patrum exemplis haec eadem concludere non possimus, sed quod necessarium duximus, et utiliter ad rem pertinere videmus [12], illius auctoris dicta ponere, cui maxime G[otescalcus] haereticus sui nefandi dogmatis causas solet referre. Nulla etenim scriptura est, de qua non facile non intelligentes eam prava possint sentire. Hinc est, quod praedictus sanctorum Patrum
C mendosus adulterator merito, dum veritatis neque sit investigator, neque inventor, non ea, quae pater Augustinus suis verbis insinuare voluit, intellexit, sed ut ea, quae ipse a se ipso atque diabolo [13] finxit, suaderet, praedicti Patris non quidem verba in sibi [14] convenientia, sed plane resistentia violenter retorsit.

III. Ubi primo notandum, quod sanctae Scripturae auctoritas inconcussa [15] praescientiam simul et praedestinationem, aut solam absolute praedestinationem, non nisi in his, quos Deus elegit ad aeternam beatitudinem possidendam, inveniatur posuisse [16]. Ad quod probandum Apostoli dicta sufficiunt. Agens quippe ad Romanos: *Scimus*, inquit, *quoniam dili-*
D *gentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt; quoniam, quos ante praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, illos et vocavit; et quos vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* [a]. Item ad Ephesios [17]:

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *ea*. [2] Sic cod., M. *vero*. [3] Corr. M., cod. *presentiam*. [4] Corr. M., cod. *presentia*. [5] Cod. *deligentius*. [6] Cod. *quassi*. [7] Sic cod., M. *praescivit et praedestinavit*. [8] Cod. *nula*. [9] Cod. *perhibunt*. [10] Eadem aut simillima aequalis manus ad marg. adscr. *Hic dicit praedestinationem necessitatem inferre* [11] Conj., cod. *nunquid*. [12] *Sed quod — videmus* om. M. [13] Cod. *diabulo*. [14] Sic cod., M. verba *non sibi quidem*. [15] Cod. *inconcusa*. [16] Cod. *possuisse*. [17] Cod. *efesios*.

NOTAE.

[a] Rom. VIII, 28 seqq.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo Jesu sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et sine macula in conspectu ejus in caritate; praedestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum placitum voluntatis suae, ad laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nos in omni sapientia, et prudentia; ostendens nobis sacramentum voluntatis suae, secundum bonum placitum ejus, quod proposuit in eo, ad dispositionem plenitudinis temporum, ut restaurentur omnia in Christo, quae sunt in caelis, et quae super terram, in ipso, in quo et sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum Dei ab eo, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae [a]. Contra istam veritatis tam claram tubam quis homo sobriae vigilantisque fidei voces admittat humanas? Quis in ea non audiat praedestinationem omnimodo esse sanctorum, nullo modo posse fieri reproborum?

IV. Quoniam vero sanctus pater Aurelius Augustinus, eloquentiae Christianae copiosissimus auctor, solertissimus veritatis inquisitor, propriae translataeque locutionis, ad exercitium eorum, qui eum lecturi essent, nobilissimus doctor, aliquotiens in suorum librorum [1] serie invenitur dixisse, Deum praedestinasse impios ad interitum seu poenas, ac per hoc intelligentibus eum, ut ait Apostolus, *factus est odor vitae in vitam*, non intelligentibus vero *odor mortis in mortem* [b], praesentis causae ratio postulat, ipsius verba quasi sibimet repugnantia ponamus, uti lector intelligens facilius intendat, quo genere locutionis dixerit, praedestinationem divinam utrique hominum generi convenire, videlicet electis per gratiam, relictisque per justitiam, eademque dicta, quibus male utendo haereticus erroris sui perfidiam conatur astruere, ponenda esse judicavimus, ut eisdem sagittis, quas in corda simplicium incautus extorserat, vulneratus recedat.

V. Ait ergo Augustinus in quadam homilia ad populum exponens illud Evangelii: *Princeps hujus mundi jam judicatus est* [c], « id est judicio ignis aeterni irrevocabiliter destinatus est [d] ». In expositione quoque Evangelii secundum Joannem, ubi testimonium praecursoris sui de Christo explanat, dicit [e]: « Est quidam populus praeparatus ad iram Dei, damnandus cum diabolo [2] »; item de Judaeis [f]: « Isti indignantes mortui et morti sempiternae praedestinati ». Item: « Quare dixit Dominus Judaeis, *vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis* [g], nisi quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinatos [h] »; identidem, quod Dominus dicit: *nemo potest rapere de manu patris mei* [i], explanando persequitur dicens: « Quid potest lupus, quid potest fur et latro? Non perdunt, nisi ad interitum praedestinatos [j] ». In libro, quem vocat Enchiridion [3]: « Haec sunt », inquit, « *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus* [k], et tam sapienter exquisita, ut, cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturae voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, impleret ipse, quod voluit, bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem, quos benigne praedestinavit ad gratiam [l] ». Item ex eodem libro: « Dicuntur etiam *filii gehennae*, non ex illa nati, sed in illam praeparati, sicut filii regni praeparantur in regnum [m] ». In libro de perfectione justitiae hominis: « In eo », ait, « genere hominum, quod praedestinatum est ad interitum [n] ». In libris de Civitate Dei: « Quid dabit eis, quos praedestinavit ad vitam, qui haec dedit eis, quos praedestinavit ad mortem [o] ».

VI. His et hujusmodi verbis catholici [4] auctoris solet haeretica insanire vecordia, fidemque minus eruditorum lupinis dentibus laniare. Quis enim ignorantium modos locutionum, quibus sancti Patres uti solent, non facile possit seduci, audiendo praedestinatos aeterno igni, praeparatos ad iram Dei, praedestinatos morti sempiternae, praedestinatos ad interitum, ad poenam, ceteraque id genus, ut sine ulla haesitatione concedat, aut duas praedestinationes, unam plane sanctorum, alteram impiorum, sibimet per omnia contrarias, aut unam eandemque divinam praedestinationem sanctosque impiosque amplecti, eamque simul contrariorum, quod ratio denegat, esse capacem. Cui dolendae miseriae utillime succurritur [5], quando eadem praedestinatio secundum eundem Augustinum definitur [6], ejusque definitio suis dictionibus defenditur. Esto igitur, haeretice, paratus, aut te defendere, quod nullo modo vales, aut te emendare, quod potes, si veritati contradicere desinas. Audi praedestinationis divinae terminos de-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic. cod., M *librorum suorum.* [2] Cod. *diabulo.* [3] Cod. *encheiridon.* [4] Cod. *catoloci;* sic saepe. [5] Sic. M., cod. *succurenntur.* [6] Cod. *diffinitur,* sic ubique.

NOTAE.

[a] Ephes. I, 3 seqq.
[b] II Cor. II, 16.
[c] Joan. XVI, 11.
[d] Augustin. *homilia* 95 *in Evangel. Joannis.*
[e] Augustin. *ibid.* tract. 14.
[f] Augustin. *ibid.*
[g] Joan. X, 46.
[h] Augustin. *ibid.* tract. 48.
[i] Joan. X, 29.
[j] Augustin. I. I.
[k] Psal. CX, 2.
[l] Augustin. Enchiridion c. 100.
[m] Augustin. *ibid.*
[n] Augustin. *de perfect. just.* c. 13.
[o] Augustin. *de Civit. Dei* XXII, 24.

finitionis, quos nullus recte credentium aut minus artare, aut plus audet extendere, nullus contentiosus potest infirmare. In libro ad Prosperum et Hilarium : « Praedestinatio est », inquit, « quae sine praescientia non potest esse. Potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus : unde dictum est fecit, quae futura sunt. Praescire autem potest [1] etiam, quae ipse non facit, sicut quaecunque peccata [a] ».

VII. Attende, qualis sit ista definitio, quae a differentia est assumpta [2]. Est igitur talis differentia inter praedestinationem et praescientiam, quod omnis praedestinatio praescientia, non autem omnis praescientia praedestinatio. Praescientia namque ipsa, qua Deus praescivit ea, quae fuerat ipse facturus, praedestinatio vere specialiterque dicitur. Ea vero praescientia, qua ea, quae non facit, praescivit, id est, peccata eorumque poenas, praescientia absolute placuit vocari, ita, ut ea tantummodo praescientia, quae dicitur praedestinatio, in bono semper intelligatur; sola vero praescientia sine praedestinatione omnino malorum est, quae Deus non facit. Et ne ullus inde dubitaret, adjecit : « Quocirca praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est praeparatio; gratia vero est ipsius praedestinationis effectus [b] ». Idem in libro de Dono perseverantiae eadem planius aperit dicens : « Ista igitur sua dona, quibuscunque Deus donat, procul dubio se daturum esse praescivit, et in sua praescientia praeparavit. *Quos ergo praedestinavit, ipsos et vocavit* [c], vocatione illa, de qua dictum est : *Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei* [d]. Namque in sua, quae falli mutarique non potest, praescientia opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est praedestinare [e] ». Huic clarissimae tubae atque apertissimae Christianorum castrorum quis dissonare [3] praesumat ? Quae apertissima voce resonare non desinit, id omnino, nec aliud esse, Deum praedestinare, quam praescientia sua opera, quae ipse facturus fuerat, disponere. Dic, quaeso, utrum ista definitio praedestinationis vera sit, an falsa ? Si falsa est, reprehende Augustinum; si vera est, talis fieri necesse est, qualis ipse ait in libro de animae quantitate : « Definitio [4] nihil minus, nihil amplius continet, quam id, quod susceptum est explicandum; aliter omnino vitiosa est [f] ». Utrum autem hujusmodi vitiis careat, conversione [5] exploratur.

CAPITULUM XII.

De definitione praedestinationis.

I. Fiat igitur hujus definitionis conversio sic. Si verum est, sua, quae falli mutarique non potest, praescientia opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est praedestinare : verum est id omnino : nec aliud quidquam est praedestinare, quam in sua, quae falli mutarique non potest, praescientia opera sua futura disponere. Hinc conficitur alia conversio. Si omnis praescientia, qua Deus opera sua futura disposuit, divina praedestinatio est : omnis praedestinatio, qua Deus opera sua futura disposuit, divina praescientia est : conficitur ergo, praedestinationem Dei non esse nisi in operibus ejus, quando nihil minus, nihil amplius continetur in ejus definitione praeter divinorum operum dispositionem.

II. Sed ad haec dicturus es : Ad Dei opera pertinere, juste damnandos praedestinare ad poenam, sicut ad ejus opera pertinet, gratia salvandos praedestinare ad beatitudinem, et hoc testimoniis ejusdem sancti Augustini firmare conaberis. Quae eo, quo posuisti, ordine posuimus, ut in eis, non quod tu, sed quod ille voluit, videamus. Quorum si unum recte fuerit expositum, sufficiet ad cetera intelligenda. Ponamus ergo illud : « *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* [g], et tam sapienter exquisita, ut, cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturae voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, impleret ipse, quod voluit, bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem, quos benigne praedestinavit ad gratiam [h] ». Ecce in una eademque sententia : « Praedestinavit », inquit, « ad poenam », « praedestinavit ad gratiam ». Ubi, quaesumus, respondeas ad ea, quae interrogamus, utrum ad justitiam Dei, an ad ejus gratiam pertineat praedestinare impios ad poenam ? Respondebis, credo, ad justitiam; ait enim, quos juste praedestinavit ad poenam, non igitur ad gratiam. Ac per hoc, si poenae praedestinatio donum Dei non est, sed peccati judicium, necessario sequitur, ut aut falsum sit, quod ipse Augustinus ait : « Praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est praeparatio [i] »; aut e contrario accipitur praedestinatio poenarum. Est autem verum et immutabile, quod dixit, praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est praeparatio. E contrario igitur intelligi voluit, quod posuit, praedestinavit ad poenam.

III. Sed ne forte objicias [6] : Non dixit, praedestinatio Dei est gratiae praeparatio, sed praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est praeparatio. Ubi videtur locus relinqui alterius praedestinationis, quae tanquam in malo sit; aut eadem praedestinatio, si

VARIAE LECTIONES.

[1] al. *potens est*. [2] Cod. *asumpta*. [3] Cod. *disonare*. [4] Cod. *diffinio*. [5] Cod. *converisione*. [6] Cod. *obicias*.

NOTAE.

[a] Augustin. *de Praed. Sanctorum* c. 10.
[b] Augustin. *l. l.*
[c] Rom. VIII, 30.
[d] Rom. XI, 29.
[e] Augustin. *de Dono persever.* c. 17.
[f] Augustin. *de Quantit. animae.*
[g] Psal. CX, 2.
[h] Augustin. *Enchiridion* c. 100.
[i] August. *de Praed. sanct.* c. 10.

una solaque est, in bono et in malo fieri posse non negatur. Primum attende, unam definitionem duas praedestinationes omnino non posse continere; deinde, quod, si nulla alia definitio praedestinationis verior aptiorque inveniatur, quam illa, quae praedicta est, et nihil nisi opera divina comprehendit, quae nullo pie credentium dubitante bona sunt: quid nos cogit, aliud aliquid subaudire, audientes, praedestinationem Dei, quae in bono est, nisi semper eam et bonam et in bono esse?

IV. Si autem dicis, bonum est, praedestinare impios ad poenam, et ideo inter opera Dei reputandum, respondemus, bonum, quia justum. Sed quoniam non est Dei donum, cum ejus sit judicium, omnis autem praedestinatio Dei omnino est praeparatio gratiae, omnisque gratia donum, necessario colligitur omnis divina praedestinatio donorum ejus praeparatio. Poena procul dubio impios juste torquet, quod donum non est; alioquin, si esset donum, non torqueret, sed utique liberaret. Non est igitur praedestinatio poena. Quod si esset, non esset poena, sed gratia. Est autem poena. Non est igitur praedestinatio ejus. Proinde praedestinationem in donis divinae largitatis semper intelligendam esse, si quis adhuc dubitat, librum sancti Augustini de Dono perseverantiae intentus perspiciat, in eo loco, ubi ait: « Haec », inquam, « Dei dona, si nulla est praedestinatio, quam defendimus, non praesciuntur a Deo. Praesciuntur autem. Haec est igitur praedestinatio, quam defendimus. Unde aliquando eadem praedestinatio significatur etiam nomine praescientiae, sicut ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit* [a]. Hic [1] quod ait praescivit, non recte intelligitur, nisi praedestinavit, quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Judaeorum, quae *salvae factae sunt* pereuntibus ceteris. Nam superius dixerat ad Israel [2], dixisse Prophetam: *Tota die extendi [3] manus meas ad populum non credentem, et contradicentem* [b]. Et tanquam responderetur, ubi sunt ergo factae promissiones Dei ad Israel, continuo subjunxit: *Dico ergo, nunquid repulit [4] Deus plebem suam? Absit; nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham [5], tribu [6] Benjamin* [c]. Tanquam diceret: Nam et ego ex ipsa plebe sum. Deinde addidit, unde nunc agimus: *non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* Atque ut ostenderet, Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adjunxit [7]: *An nescitis in Helia quod [8] dicit* [d] *Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel* [e] et cetera. *Sed quid dicit illi*, inquit, *responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua [9] ante Baal* [f]. Non enim ait, relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi, sed *reliqui mihi. Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiae per electionem gratiae [salvae] [10] factae sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia* [g]. Et connectens illa, quae jam supra interposui: *Quid ergo?* Et huic interrogationi respondens: *quod quaerebat*, inquit, *Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri vero excaecati sunt* [h]. In hac ergo electione, et in his reliquiis, quae *per electionem gratiae salvae factae sunt*, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia praescivit. Haec est illa electio, qua eos, quos voluit, *elegit in Christo ante constitutionem mundi* [11], *ut essent sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, praedestinans eos in adoptionem filiorum* [i]. Nullus igitur, qui haec intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*, praedestinationem significare voluisse. Praescivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiae fuerat ipse facturus, hoc est ergo praedestinavit; sine dubio enim praescivit, si praedestinavit. Sed praedestinasse est hoc praescisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei praescientiam, et agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere; magis enim [12] fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod et facilius intelligitur, et non repugnat, imo et congruit veritati, quae de praedestinatione gratiae praedicatur. Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse [j] ».

V. Si ergo sancti Augustini credendum est auctoritati, immo per eam veritati, inconcusse debemus hanc regulam tenere, ut quotiescunque seu in sancta Scriptura, seu in tractatoribus ejus praescientiam divinam reperiamus, si de sanctorum electione sermo fuerit, nullatenus per eam nisi praedestinationem significari accipiamus. Et si sic est, quis non videat, omnem Dei praescientiam ad sanctos pertinentem nihil aliud esse, nisi eorum praedestinationem. Proinde connexione verae ratiocinationis colligi potest: omnis praescientia pertinens ad electos praedestinatio est: nulla praedestinatio, nisi electorum est: nulla igitur

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *Hoc.* [2] Cod. *israhel*, sic ubique. [3] al. *expandi.* [4] Cod. *reppulit*, sic ubique. [5] Cod. *habraham.* [6] Sic cod., M. *de* tribu. [7] Sic cod., M. *adjungit.* [8] al. *quid.* [9] al. *genu.* [10] *salvae* om. cod. [11] Sic cod., M. *mundi constitutionem.* [12] al. *autem.*

NOTAE.

[a] Rom. XI, 2.
[b] Isai. XV, 2.
[c] Rom. XI, 1.
[d] Rom. XI, 2.
[e] Rom. XI, 4.
[f] III Reg. XIX, 18.
[g] Rom. XI, 5, 6.
[h] Rom. XI, 7.
[i] Ephes. I, 4, 5.
[j] Augustin. *de Dono perseverantiae* c. 17 in fine et c. 18.

praescientia pertinens ad electos praedestinatio non A est [a]. Nullus eligitur ad poenam : quomodo ergo praedestinatur poena, quae reproborum est propria ? An forte, quemadmodum electi dicuntur, qui non sunt electi, ita praedestinati, qui non sunt praedestinati, et filii Dei, qui non sunt filii ejus, praedicto contrarietatis modo ab auctoribus saepe solent vocari.

VI. Si autem quaeris, ubi inveniuntur reprobi appellari electi, cum non sint electi, et filii Dei, qui non sunt filii ejus; lege sanctum Augustinum in libro ad Prosperum et Hilarum hujusmodi verbis loquentem [b] : « Quicunque *electi*, sine dubio etiam *vocati*, non autem quicunque vocati, consequenter electi [c]. Illi ergo electi, ut saepe dictum est, *qui secundum propositum vocati, qui* etiam *praedestinati, atque praesciti*. Horum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo B eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi enim sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas, ad opus cui congruebat; ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut et per ejus opus damnabile illud, propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* [d], illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos [ergo elegit] [2] ad obtinendum [3] regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum ». « *Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Scivit Deus, qui sunt ejus* [e]. Horum *fides, quae per* C *dilectionem operatur* [f], profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita ipsa finiatur, et deleta, quam incurrerat [4], iniquitate usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide Christiana et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitae hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in istorum numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti. Et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, sed in eis vocati, de quibus dictum est : *multi vocati*, [et non in eis, de quibus dictum est] [5], *pauci vero electi* [g]. Et tamen quis eos neget D electos, cum credunt, et baptizantur, et secundum Deum vivunt? Tamen [6] dicuntur electi a nescientibus, quid futuri sunt [7], non ab illo, qui eos novit non habere perseverantiam, quae ad beatam vitam perducit electos, scitque illos [ita] [8] stare, ut praescierit [9] esse casuros [h] ». « Nec nos moveat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis praedestinatis essent, *et secundum propositum vocatis*. Qui vero non sunt filii promissionis [10], jam isti, cum pie vivunt, dicuntur filii Dei. Sed quoniam victuri sunt impie, et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei praescientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, et sunt jam Deo. De quibus ait evangelista Joannes [11] : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, sed etiam, ut filios Dei dispersos congregaret in unum* [i]. Quod utique credendo futuri erant per Evangelii praedicationem, et tamen, antequam esset factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui [12] filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo. De quibus ait idem Joannes : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* [j]. Cum ergo filii Dei dicuntur de his, qui perseverantiam non habuerunt, *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, et additur [13], *quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, quid aliud dicuntur [14], nisi non erant filii, etiam quando erant in professione et nomine filiorum [k] » ?

CAPITULUM XIII.

Quid potest colligi ex praedicta sancti Augustini sententia.

I. Cujus sententiae dicta paulo diligentius considerata sufficiunt his, quae suadere conamur, probandis. Assumens itaque, quod Dominus suis dixit discipulis : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* [l], subjunxit et ait : Illos debemus intelligere, videlicet apostolos undecim tunc numero, vocatos secundum propositum gratiae, illum per judicium, scilicet proditorem, secundum aequamen justitiae repulsum. Illi ad gloriam electi, ille ad poenam; in illis omnes salvandi per gratiam, ad finem hujus vitae in bono mansuri accipiendi, in illo omnes morituri per judicium. Ad tempus vocati, mox propositum pie vivendi deserturi, omnes tamen dicuntur electi, cum non sint electi, nisi *conformes imaginis filii Dei*. Ceteri vero putantur electi a nescientibus, quid futuri sunt, ac per hoc non electi, sed reprobi sunt.

VARIAE LECTIONES.

[1] al. *autem*. [2] *ergo elegit* om. cod., add. M. [3] Cod. *optinendum*, sic ubique. [4] al. *quae intercurrerat*. [5] *et non in eis, de quibus dictum est* om. cod., add. M. [6] al. *plane dic.* [7] al. *sint*. [8] *ita* om. cod., add. M. [9] al. *praesciret*. [10] Sic cod., al. *qui vere sunt filii promissioni*. *Nam* isti. [11] Cod. *Johannis*, sic ubique. [12] *qui* om. cod., add. M. [13] Sic cod., M. *addunt*. [14] Sic cod., M. *dicunt*.

NOTAE.

[a] Id veritati non congruit. Nam omnino praescientiam Dei inter et praedestinationem probe distinguendum est.

[b] Prudentius : *Nunquam et Patres ita sensisse*, ut *electos* pro *non electis*, *filios Dei* pro *non filiis* posuerint.

[c] Cf. Matth. XX, 16.

[d] Joan. VI, 71.

[e] II Tim. II, 19.

[f] Gal. V, 6.

[g] Matth. XX, 16.

[h] Augustin. *de Corrept. et Grat.* c. 7.

[i] Joan. XI, 51, 52.

[j] I Joan. II, 19.

[k] Augustin. *ibid.* c. 9.

[l] Joan. VI, 71.

Dicuntur filii Dei, cum sint filii perditionis, quos omnes in proditore ¹ suo Dominus signavit. Orans quippe Patrem pro electis suis: *Quos*, ait, *dedisti mihi, custodivi, et nemo ex his periit, nisi filius perditionis* ᵃ. Electus igitur dicebatur Judas, quia vocatus est inter electos; filius dicebatur, quia inter fratres Christi a nescientibus connumerabatur. Sicut autem nullus ambigit, e contrario vocari filios praeter eos, quibus haereditas paterna destinatur; ita e contrario vocari electos, nisi quia consortio aliorum, quos juste massa damnata in miseria detinet, ad beatitudinis gaudium segregantur. Et quemadmodum non sunt filii, si non sint haeredes, sic electi non sunt, si non sint dilecti. Quomodo ergo nisi e contrario diceretur Judas electus, dum non esset dilectus? Si enim diligeretur, utique non repelleretur. Aut quomodo electus ad judicium ignis aeterni, qui, si esset electus, procul dubio ad vitam pertineret aeternam?

II. Quod si ad haec impudenter resistitur, debemus accipere per Judae proditoris abusivam electionem, justam ejus reprobationem; per ejus vero, qua ad tempus vocatus, filiolitatem, justam ejus meritoque aeternam abdicationem, quia nunquam electus fuit, sicut nunquam reprobus non fuit ²: similiter amicus, qui semper erat inimicus. Proinde non video, cur sancti Patres dubitarent, pulchro locutionis modo fiducialiter enuntiare praedestinatos ad poenam, vel interitum, ceteraque hujusmodi, quoties eis in librorum suorum serie placuit ponere, cum ipsam veritatem non dubitarint eodem modo locutam fuisse, quatenus et summae sapientiae, quae in eis loquebatur, vestigia non desererent, et suam eloquentiam lecturis exemplo futuram pretiosissimis figuratae pronuntiationis lapidibus ornarent. Si ergo Dominus proditorem suum non erubuit appellare electum, cur ejus imitator sanctus Augustinus erubesceret, eumdem, scilicet proditorem, vocare praedestinatum? Similiterque Judaicum populum, invidae perfidiae ³ refertum, Domini nostri Jesu Christi traditorem, ac per hoc interemptorem, cur haesitaret praedestinatum dicere ad interitum? Cur non deinde generaliter omnes impii ad supplicium praedestinati enuntiarentur, cum et verissima ratio suadeat, et apertissima comprobet auctoritas, non esse Filios Dei praeter electos ejus, neque electos ejus praeter ab eo praedestinatos; et conversim non esse praedestinatos praeter electos, neque electos praeter filios.

III. Hinc conficitur incommutabili conclusione, si omnes Filii Dei electi sunt, quod impium est negare, omnes autem electi procul dubio praedestinati, omnes igitur Filii Dei praedestinati sunt. Quae connexio conversione sui vitium non recipit, nec ullo modo vacillat: si omnes praedestinati sunt electi, unde nemo fidelium dubitat; omnes autem electi omnino Filii Dei sunt; omnes igitur praedestinati Filii Dei sunt. Quae connexio stare nullo modo posset, si hi tres termini aequales non essent, id est filiolitas, electio, praedestinatio. Quantum enim comprehendit filiolitas, tantum electio, et tantum electio, quantum praedestinatio. Ideoque tres pares termini sine ullo vitio currunt, atque recurrunt. Sicut ergo frustra quaeruntur Filii Dei praeter ejus electos, ita frustra putantur ejus electi praeter ab eo praedestinatos. Et reciprocatim: Sicut impie putantur praedestinati a Deo praeter ejus electos, ita supervacuo aestimantur electi Dei praeter ejus filios. Non sunt igitur praedestinati, si non sunt Dei Filii. Ut enim simul non potest esse, ut et Filii Dei electi sint, et praedestinati non sint, ita simul non potest esse, ut et praedestinati a Deo sint, et electi filii ejus non sint. Proinde quemadmodum Judaei perfidi, quibus Salvator ait: *vos ex patre diabolo estis* ᵇ, a Deo praedestinati sunt ad interitum, cum omnis a Deo praedestinatus necesse est, ut sit ejus electus, ac per hoc ejus filius, invenire quis potest, si non in illum, quem saepe diximus, oppositorum locum respiciatur, quo sumitur talis a contrario forma dicendi?

IV. Jaceat ergo haereticorum garrula procacitas, teneat sana fides praedestinatorum, electorum, Filiorum Dei hanc inconcusse regulam, ut quotiescunque vel audierint, vel legerint praedestinatos ad malum, ad poenas, ad interitum, seu supplicium, nihil aliud sentiant nisi non praedestinatos, sed a massa damnabili merito peccati originalis atque proprii non esse separatos, ideoque impie vivere permissos relictos, subinde aeterno igni plectendos.

CAPITULUM XIV.

Testimonia sancti Augustini simul collecta, quibus aperte conficitur, non esse nisi unam praedestinationem, eamque solummodo ad sanctos pertinere.

I. Et ne quis forte nos aestimet nostro sensu proprio talia dixisse, nullius auctoritatis gravitate suffulti, placuit nobis, testimonia ⁴ sancti patris Augustini simul colligere, ut prudens quisque cognoscat, nullo modo eum duas praedestinationes docuisse, nec unam bipertitam, nec duplam, ut Gotescalcus edocet, et illam unam videlicet divinam ⁵ non nisi ad sanctos pertinere, impiorum vero nullo modo posse esse. In libro de Corrept. et Gratia: « Sanctis », inquit, « in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis donum perseverantiae datur non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint ⁶ ᶜ »,

VARIAE LECTIONES.

¹ Sic cod., M. *perditore*. ² Corr., cod. *nunquam non reprobus non fuit*, M. *nunquam non reprobus fuit.* ³ Sic cod., M. *invidiae perfidia*. ⁴ Cod. *testimoni*. ⁵ Sic cod., M. *et* divinam. ⁶ al. *Non tantum tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur.*

NOTAE.

ᵃ Joan. XVII, 12.
ᵇ Joan. III, 44.
ᶜ Augustin. *de Corrept. et Grat.* c. 12.

et post aliquanta: « Ipse igitur eos facit perseverare in bono, qui fecit [1] bonos; qui autem cadunt, et pereunt, in praedestinatorum numero non fuerunt [a] ». Attende, quam absolute dixit, qui cadunt et pereunt, in praedestinatorum numero non fuerunt. Quomodo haec diceret, si vel duas praedestinationes vellet asserere, vel unam in duas partes divisam, vel duplam, unam quidem sanctorum, alteram vero impiis deputatam. Si [2] enim duae essent, necesse esset, unam eis, quibus datur donum perseverantiae, alteram, quibus cadentibus et pereuntibus non datur, distribui, nullus tamen hominum excluderetur numero praedestinatorum. Nam si expelleretur numero praedestinatorum, qui stando vivunt, reciperetur numero illorum praedestinatorum, qui cadendo pereunt. Similiter si una esset partita in duas partes, vel dupla, necessario in una sui parte perditos, in altera liberatos concluderet. Quis ergo hominum, seu angelorum bonorum vel malorum, non sit in numero praedestinatorum? An forte haereticus docet tertium genus et hominum et angelorum, quod, quia nec bonum nec malum sit, praedestinatorum numerum excedit. Quod si mendosissimum est, relinquuntur duo tantum genera esse et hominum et angelorum. Sic enim ratio dividit, omnis homo aut bonus aut malus est; similiter de angelo.

II. Si igitur praedestinatio, ut dictum est, divideretur in duas species aut partes, quarum una bonos, altera malos includeret, quis extra praedestinatorum numerum reperiri posset? Et si sic esset, quomodo praedictus auctor pronuntiaret, qui cadunt et pereunt, in praedestinatorum numero non fuerunt. Non enim ait, in praedestinatorum ad vitam numero non fuerunt, sed absolute, « in praedestinatorum numero non fuerunt ». Si ergo in numero praedestinatorum non fuerunt, extra eorum numerum fuerunt. Quo conficitur, cadentes et pereuntes non esse ullomodo praedestinatos. Quod apertissime in sequentibus aperitur, ubi ait: « Pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim, quis pertineat ad praedestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici [debemus] [3] caritatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri [b] ». « Proinde quantum ad nos pertinet, qui praedestinatos a non praedestinatis discernere non valemus, et ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem, illis eam facere utilem, quia [4] ipse praescivit et praedestinavit conformes imaginis filii sui [c] ».

III. Ubi datur intelligi totius rationalis creaturae bipertita divisio, in eos procul dubio, qui in numero praedestinatorum sunt, et in eos, qui extra numerum praedestinatorum sunt. « Nescientes enim », inquit, « quis pertineat ad praedestinatorum numerum, quis non pertineat ». Et iterum: « Qui praedestinatos a praedestinatis discernere non valemus ». Hinc texitur quadrifariam inquisitio veritatis per tetragonum: Omnis homo aut justus est, aut injustus est. Item, omnis homo aut praedestinatus est, aut praedestinatus non est. Si verum est, omnis homo justus praedestinatus est, falsum est, omnis homo justus praedestinatus non est. Item, si verum est. omnis homo injustus praedestinatus non est, falsum est, omnis homo injustus praedestinatus est. Vide [5] vim rationis. Duo affirmativa universalia sibi invicem respondent. Sicut enim omnis homo justus praedestinatus est, ita omnis homo praedestinatus justus est. Simili modo duo universalia negativa sibi invicem consentiunt. Quemadmodum enim omnis homo injustus praedestinatus non est, ita omnis homo non praedestinatus injustus est. Item, ut verbis utamur ipsius Augustini, omnis homo aut ad numerum praedestinatorum pertinet, aut non pertinet. Omnium autem hominum duo genera esse, quis sapientium dubitat, dum veritas sine caligine clamet, non esse humani generis nisi duos fines, unum quidem pertinentium ad supplicium aeternum, alterum vero fruentium vita aeterna? Duo itaque sunt sibi adversantia, vita aeterna, et supplicium aeternum. Proinde pertinentium ad numerum praedestinatorum finis est vita aeterna, non pertinentium vero ad numerum praedestinatorum finis est supplicium aeternum. Sed quoniam promisimus, nos testimonia sancti Augustini collecturos, placuit ea tantum assumere, quibus luce clarius perhibetur divina praedestinatio non nisi ad praeparationem donorum Dei, quae suis electis largiturus, pertinere, ac per hoc ad ea, quae non ad ejus dona misericordissima, sed ad ejus judicia justissima occultissimaque, nullo modo respicere. Quamvis, ut saepe dictum, inveniantur auctores tropo illo solito contrarietatis enuntiare praedestinatos ad poenas. In libro de Dono perseverantiae: « Ex duobus parvulis », inquit, « originali peccato pariter obstrictis, cur iste adsumatur, ille relinquatur, et ex duobus aetate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, [ut vocantem sequatur] [6], inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non detur [7], inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinatis, illum non esse [d] ». In eodem: « An quisquam dicere aude-

VARIAE LECTIONES.

[1] al. *facit*. [2] Cod., M. *sive*. [3] *debemus* om. cod., add. M. [4] Sic cod., M. *quos*. [5] Sic M., cod. *Und* [6] *ut vocantem sequatur* om. cod., add. M. [7] al. *illi autem non donetur*.

NOTAE.

[a] Augustin. *de Corrept. et Grat.* c. 12.
[b] Augustin. *ibid.* c. 15.
[c] Augustin. *ibid.* c. 16.
[d] Augustin. *de Dono perseverantiae* c. 8.

bit, Deum non praescisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quae utique si praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, praescivit. Haec est praedestinatio sanctorum, et nihil aliud [1]; praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Ceteri autem, ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur, ubi Tyrii relicti sunt et Sydonii, qui etiam credere potuerant [2], si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam, ut crederent, non eis [3] erat datum, etiam unde crederent, est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, et tamen si Dei altiore [4] judicio a perditionis massa non sunt gratiae praedestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quae possint credere [a] ». Et paulo ante finem ejusdem: « Nullum est », inquam, « illustrius [5] praedestinationis exemplum, quam ipse mediator. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat et seipsum [b] », praeclare concludens omnes praedestinatos in Christo, extra quem, quisquis est, praedestinatus non est.

IV. Quod autem Deus neminem praedestinavit ad poenam, poenam vero praeparasse, hoc est, praedestinasse merito damnandis, talibus ejus dictis lucidissime declaratur. Ait enim, « quia justus et misericors Deus, praesciusque futurorum, ex hac damnabili massa non personarum acceptione, sed judicio aequitatis suae irreprehensibili, quos praescit, misericordia gratuita praeparat, id est, praedestinat ad aeternam vitam, ceteros autem poena, ut praedixi, debita punit. Quos ideo punit, quia, quid essent futuri, praescivit, non tamen puniendos ipse fecit, vel praedestinavit, sed tantum, ut dixi, in damnabili massa praescivit [c] ». « Diximus namque de damnabili humani generis massa Deum praescire misericordia, non meritis, quos electionis gratia [6] praedestinavit ad vitam, ceteros vero, qui judicio justitiae ejus gratiae [7] efficiuntur expertes, praesciisse tantum vitio proprio perituros, non ut perirent praedestinasse: his vero [8], qui salutis fidem aut praedicatam sibi accipere nolunt, aut Deo judice non possunt, vel accepta male utuntur, et ob hoc traduntur in reprobum sensum, ut non faciant ea, quae conveniunt [9], poenam praedestinatam esse rite fatemur [d] ». « Tenenda est igitur inconcussae [10] hujus disputationis regula, quae divinis testimoniis claruit, peccatores in malis propriis esse [11] in mundo praescitos tantum, non praedestinatos; poenam autem [12] praedestinatam, secundum quod praesciti sunt [e] ».

V. His et hujusmodi sanctissimi patris Augustini dictionibus satis, ut opinor, pie credentibus persuaderi potest, quod vera ratio commendat, Deum videlicet ad [13] poenam nullo modo peccantes praedestinasse, sed suis meritis supplicia condigna praedestinata eis ab eo esse. Quod etiam legibus humanis possumus conjicere. Nulla enim temporalia jura hominem definiunt ad peccandum; poenas autem peccaturis definiendo nihil aliud videntur appetere, quam pronos ad peccandum suppliciorum atrocitate territos cohibere, ac per hoc non minus misericordiae, quam vindictae transgressoribus suis efficere. Nunquam enim respublica homines decrevit peccare; decrevit autem reos justa poena corrigere. Quod si ita est in legibus mutabilitate temporum transitoriis, quid putandum fieri in aeternis pietatis justitiaeque immutabili vigore refertis?

CAPITULUM XV.

Quo genere locutionum dicitur praescire Deus peccata, cum nihil sunt, aut praedestinare eorum supplicia, quae similiter nihil sunt.

I. Majore autem consideratione indiget, quod divina humanaque doctrina saepissime nobis inculcat, Deum videlicet et praescire creaturae suae illicita peccata, et eorum justa praedestinare supplicia, cum ratio pronuntiare non dubitet, peccata eorumque supplicia nihil esse, ac per hoc nec praesciri, nec praedestinari posse. Quomodo enim vel praesciuntur, vel praedestinantur, quae non sunt? Quibus igitur locutionum tropis talia proferri possunt, edicendum esse arbitror. Siquidem, ut opinor, in prioribus, prout suadere potui, rationibus aperui, et exemplo similium roboravi, nullo alio meliori modo nos posse intelligere, quotiescunque invenire possimus talem dicendi formam, qualem maxime in libris sancti Augustini solemus legere, Deum scilicet praedestinasse impios ad peccata, et eorum merita supplicia, quam eo, qui sumitur a contrario, ut saepe dictum est.

II. Cujus formae apertissimum in traditore impiissimo Domini nostri invenitur exemplum. Eodem quippe loquendi modo idem dicitur praedestinatus, quo a Domino dicebatur electus [f]. Ubi recte debemus accipere per electum, non electum, sed merito per-

VARIAE LECTIONES.

[1] al. *Haec praedestinatio sanctorum nihil aliud est quam praesc.* [2] al. *potuerunt.* [3] Sic cod., M. *erat eis.* [4] Sic M., cod. *alteriore.* [5] Cod. *inlustrius*, sic ubique. [6] al. *et electione gratiae.* [7] al. *ab hac gratia.* [8] al. *Multa inversa.* [9] al. *ut faciant ea quae non conveniunt.* [10] Sic cod. [11] al. *antequam essent.* [12] al. *eis esse.* [13] Sic cod., M *et* ad.

NOTAE.

[a] Augustin. *de Dono perseverantiae* c. 14.
[b] Augustin. *ibid.* cap. ultimo.
[c] Hypognosticon VI, 2.
[d] *Ibid.* c. 2.
[e] *Ibid.*
[f] Joan. VI, 71.

filiae suae neglectum atque expulsum, non aliter eundem praedestinatum, nisi non praedestinatum, in massa irae relictum, munere divinae gratiae privatum, inimicum, non amicum. Et tamen ex ore illius, quem tradidit, audivit: *Amice ad quid*[a]*?* Item alibi tanquam consors divinae electionis inter veros praedestinatos, electos, amicos abusive collectus audierat: *Non dico vos servos, sed amicos*[b]. Simili modo ab omni caelesti paternitate abdicato quasi filio inter filios Dominus dicebat: *Nolite vocare vobis patrem in terra, unus est enim pater vester, qui in caelis est*[c]. Ac si sapienti inter sapientes donum intelligentiae concessum videtur, dum Apostolis dicitur: *Vobis datum est nosse mysteria Regni*. Si haec et ejusmodi de impiissimo homine intelligenda sunt e contrario, quid mirum, et ipsum consortesque malitiae suae jure simili praedestinati dicantur. Sicut enim nullus impiorum eligitur ad gloriam, ita nullus eorum praedestinatur ad poenam. Quemadmodum quippe nullo modo excedit electio numerum praedestinatorum, ita praedestinatio nullomodo excedit numerum electorum.

III. Haec eadem dicendi species, qua dicitur Deus praedestinasse injustos ad poenas vel eorum peccata, videretur recte accipi posse, ac si diceretur, praesciisse Deus injustos peccatores esse futuros, poenasque passuros, ut quemadmodum scientia semper, dum agitur de electis, loco praedestinationis apte accipitur, ita praedestinatio, quotiescunque de reprobis tractatur, pro praescientia compensative accipiatur, si vera non objiceret ratio, praescientiam eorum, quae non sunt, fieri non posse. Ac per hoc eodem modo dicitur Deus praedestinare quemquam ad supplicia poenarum, quo etiam asseritur praescius esse peccatorum: in tantum, ut paene uno eodemque tropo praedicetur de eo peccatorum praescientia, quo et praedestinatio eorum ad tormenta; excepto quod usitatius atque frequentius in sacris lectionibus inveniatur praesciisse, quam praedestinasse et peccata et poenas. Hinc ipse Augustinus, acutissimus quidem veritatis et inquisitor et assertor, talium nobis exempla locutionum in suis exemplaribus relinquere procuravit, uti nos accipere non pigeat in praedestinatione atque praescientia divina eundem omnimodo intellectum, quamvis non aequaliter omnimodo eas inveniamus in Scripturis usitatas.

IV. Ac per hoc saluberrimo verissimoque sensu debemus sentire, quod ipse tanquam nos admonens ait: « Omnis praedestinatio praescientia, sed non omnis praescientia praedestinatio[d] ». Ac si aperte diceret, quanquam praescientia non transcendat fines praedestinationis, quippe cum sint unius ejusdemque, divinae videlicet, naturae, in qua aliud alio plus minusve non est, merito, ubi est naturae simplicitas, non est ulla diversitas, quoniam in ea omnia unum sunt. Tantum ergo in Deo valet praescientia, quantum praedestinatio, plane, quia unum sunt. Non tamen tantum late atque frequenter Scriptura utitur praedestinatione, quantum praescientia. In divinis siquidem operationibus condendis administrandisque praescientiam et praedestinationem et simul et semper inseparabili jugo connexas reperimus; in malis autem, quae, cum a Deo non sint, penitus nihil sunt, praescientiam saepissime, raro autem praedestinationem nominari. Quod consulto utilitatis nostrae contigisse credendum. Probe quidem, ut eo modo dicendi admoneremur, non aliud esse praescientiam, aliud praedestinationem, sed unum, quando simul semper in his, quae ab eis vel creata, vel donata sunt, intelliguntur, in his vero, quae nec substantialiter ab eis operata, nec largitatis earum thesauro donata, eas vero deesse, quamvis abusive dicantur adesse passim[1] quidem praescientia, per loca autem praedestinatio, in tantum, ut tanquam species in genere una videatur in altera, praedestinatio in praescientia.

V. Sed si quem moveat, quod veritas suadere mentibus sanis non cessat, Deum videlicet praescium praeque[2] destinatorem omnium, quae ab eo sunt, esse, eorum vero, quae ab eo non sunt, ideoque nihil sint, non esse, in se ipsum redeat, altius intendat, ipsam veritatem consulat[3]. In ea namque luciflue absque caligine refulget praesciens praedestinatio, et praescientia praedestinans essentialiter; sane quidem, quando de Deo nihil accidentaliter praedicatur. Quomodo ergo summa essentia in his, quae nihil sunt, esse[4] credenda? Age jam! Si Dei praescientia Deus est, necessario[5] et veritas. Hoc dixerim de praedestinatione. Si et ipsa Deus, procul dubio veritas. « Veritas autem, ut ait Augustinus, necesse est ut in aliquo sit, hoc est, in veris atque manentibus rebus[e] ». Proinde si praescientia et praedestinatio veritas sunt: veritas autem verorum est veritas, quae ideo vera sunt, quia ab eo facta sunt: praescientia igitur et praedestinatio non sunt nisi eorum, quae a veritate facta sunt. Si peccatorum, ut opinor, non est veritas, quomodo potest eorum esse praescientia vel praedestinatio? Item si necessario in veris rebus est veritas, in eis igitur sunt praescientia et praedestinatio. Si omne, quod naturaliter est, ex veritate esse necesse est; quidquid vero secundum naturam non sit, quis dubitarit ex veritate non esse: peccatum contra naturam est.

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *pasim*, sic saepe. [2] Sic cod. (p̄q), M. *priusquam*. [3] Sic M., cod. *consulet*. [4] Sic cod., M. *est*. [5] Sic cod., M. Deus est, *est* necessario.

NOTAE.

[a] Matth. XXVI, 50.
[b] Joan. XV, 14, 15.
[c] Matth. XXIII, 9.
[d] Augustin. *de Praedest. sanct.* c. 10.
[e] Augustin. *de vera Relig.* c. 36.

non igitur ex veritate, ac per hoc nec ex ejus praescientia, nec praedestinatione. Colligamus breviter de peccatis. Si veritas verorum est, vera autem plane non nisi quae sunt, praescientia et praedestinatio divina procul dubio veritas verorum. Igitur peccata quis ambigat falsa esse, nisi qui ambigit, a veritate non esse. Conficitur eorum neque praescientiam, neque praedestinationem fieri posse.

VI. De peccato conclusum. Videamus de poena, vel supplicio interituve, vel qualicunque modo vocari possit universitas miseriae, quae juste sequitur peccatum. Praediximus siquidem, auctoritate patris Augustini utentes, divinae praedestinationis clementia nullum praeparari ad tormenta, quamquam, ut saepe jam repetitum, ea dicatur praedestinare impios ad ipsa. Ubi [1], ut docuimus, aut per similitudinem praedestinatio pro praescientia ponitur, aut per illum tropum, qui dicitur ὑπαλλαγή, quem possumus nominare subalternationem; congrue quidem, quoniam non eodem ordine verba proferuntur, quo et sensus. Cujus exemplum poeta posuit: « dare classibus [2] austros », quod e diverso accipitur, dare classes austris. Non ab re igitur per hunc tropum possent authores dicere, praedestinatos esse impios ad poenam, ac si dixissent poenam impiis praedestinatam. Possent, inquam, si ratio sineret proprie pronuntiari, poenam impiis esse praedestinatam. Si autem eodem loquendi genere, ut sequentia monstrabunt, dicuntur impii praedestinati ad supplicia, quo etiam supplicia praedestinata impiis, relinquitur unus ille saepe praefatus modus, qui dicitur enthymema [3], quoniam illa mentis conceptio a contrario semper assumitur.

VII. Hinc apte [4] a Grammaticis, ut praediximus, vocatur καταντίφρασις. Cujus exemplum in secularibus litteris Parcae, quod nulli parcant, item lucus, quod non luceat, et hujusmodi, quae Grammatici in singulis ponunt verbis. In dictionibus vero rhetorum Marcus Tullius pro Ligario: « Novum crimen, Caï [5] Caesar »! In divinis quoque apicibus multoties [6] haec species luce clarior arridet. Apostolus: *Donate mihi hanc injuriam* [a], et quod supra posuimus: *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo* [b]. Et Dominus in Evangelio de Joanne Baptista Judaeis ait: *Ut quid existis in desertum videre? Arundinem ventis agitatam* [c]? Item proditori suo: *Amice, ad quid venisti* [d], et cetera, quae ei, ut praediximus, quasi Apostolicae gratiae consorti dicta sunt. Exemplo [7] haec sufficiunt. Redeamus ad propositum.

VIII. Hoc est considerandum, utrum omnia, quae de peccato diximus, de poena similiter ejus dicere debeamus. Diximus autem, omnia peccata non esse a Deo, recte videlicet, quia non secundum naturam, sed contra eam sunt. Audiamus Apostolum: *Aculeus autem mortis peccatum* [e]. Si ergo ex peccati vulnere mors necessario evenit, ex peccato plane erit mors, quae profecto poena peccati est. Ac per hoc, unde peccatum, inde mors. Mortem sequitur miseria. Unde igitur mors, inde miseria, quae est poena, vel supplicium. Proinde malorum omnium quaedam quasi inseparabilis catena connexa est. Ex liberi siquidem arbitrii perverso culpabilique motu, deserentis videlicet summum bonum, hoc est, Deum suum, quo frui posset, factum est peccatum inobedientis superbiae. Peccatum subinde subsecuta est mors, mortem poenarum miseria, de quibus omnibus quis nos liberare potest? *Gratia Dei per Jesum Christum* [f]. Illa pro certo ab illo non sunt, qui nos ab eis liberat. Si enim ab illo essent, nullo dubitante non mala, sed bona essent. Atqui [8] mala sunt. Ab ipso igitur fieri non possunt. Aut cui non facile pateat, ab una origine nasci non posse invicem sibi adversantia? Profecto quidem unde bonum sit, inde malum non erit; unde humilitas, non inde superbia; ex fonte justitiae nunquam manat iniquitas; ex vitae principio nunquam procedit mors; beatitudo non est causa miseriae; postremo summa essentia nullo modo efficit, quae non sunt: peccatum, mors, poena, justitiae, vitae, beatitudinis defectus sunt: ab eo igitur, qui est, non sunt; ac per hoc, si ab eo non sunt, quis audeat dicere, in eis aliquid esse?

IX. Peractum, ni fallor, et peccata, et poenas, nec a Deo fieri nec ab eo praesciri, vel praedestinari [g]. *Delicta enim quis intelligit* [h]! Sed sicut dicimus, nos praescire tenebras post solis occasum esse futuras, et silentium post acclamationem, et dolorem post sanitatis abscessum [9], et tristitiam, postquam transierit gaudium, et laborem pereunte quiete, stultitiam perdita sapientia, ceteraque id genus, quae omnia, ut ait Augustinus, « nesciendo sciuntur », « quorum inscitia eorum est scientia [i] ». Sic nimirum sancta auctoritas Deum asserit vel praesciisse, vel praedestinasse peccata, vel poenas, quae nec praesciri, nec praedestinari possunt. Non enim in definitionibus formarum sciri, sed in defectibus earum nesciri noscuntur. Quid enim? Nunquid aliud significat nihil, nisi notionem cogitantis defectum essentiae. Quid significant tenebrae, vel silentium, nisi notionem

VARIAE LECTIONES.

[1] *Ubi* om. M. [2] Cod. *clasibus*, sic semper. [3] Cod. *entimema*. [4] Sic M., cod. *aperte*. [5] Cod. *gai*. [6] Cod. *multotiens*. [7] Sic cod. [8] Sic M., cod. *aut qui*. [9] Cod. *abscesum*.

NOTAE.

[a] II. Cor. XII, 13.
[b] I Cor. I, 19.
[c] Matth. XI, 7.
[d] Matth. XXVI, 50.
[e] I Cor. XV, 52.
[f] Rom. VII, 25.
[g] Falsissimum id quidem. Nam peccata praesciuntur, sed non praedestinantur, poenae vero et praesciuntur, et justissimo Dei judicio peccatori praeparantur.
[h] Psal. XVIII, 13.
[i] Augustin. *de Civit. Dei*, XII, 7.

cogitantis, defectum essentiae? Quid significant tenebrae vel silentium, nisi notionem cogitantis [1], vel lucem, vel vocem deesse? Cum dico, sole super terras rutilante scio tenebras esse sub terris, non aliud significare volo, nisi lucem super terras adesse [2], sub terris vero abesse. Quidquid horum dixero in animo meo, de sole imaginatur notio. Sive enim sol sit praesens, sive absens, semper erit ejus imaginatio praesens in memoria; quae quidem sole praesente nomen lucis, absente tenebrarum recipit. Hoc dico, notio praesentis lux nominatur, notio absentis tenebrae.

X. Haec ergo et hujusmodi signa non nisi rerum, quae sunt [3], notionem absentiae aut defectus ostendunt. Proinde qui dolet, quid scit, nisi abesse sanitatem? Dolendo igitur non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem novit, quam profecto non nosset, si B de illa notionem quandam non haberet. Recordatio quippe sanitatis in sensibus remanet, ipsa vero in illa substantia, quam Deus creavit, residet. Non enim Creator punit, quae fecit [a], nec ab eis naturalia munera tollit. Nam si in ipsa natura dolentis quodammodo sanitas non inesset, eam penitus ignoraret, neque ab ejus occulta scientia memoria patientis ipsius absentiam [4] formaretur, neque amore praesentiae ejus torqueretur. Nulla siquidem rationalis natura est, quae non velit fugere miseriam, et pervenire ad beatitudinem, aut gustata beatitudine velit recedere miseraque [5] esse.

CAPITULUM XVI.

De eo quod nulla natura naturam punit, et nihil aliud esse poenas peccatorum, nisi peccata eorum [b].

I. In magno itaque aeterni ignis ardore nihil aliud sit poenalis miseria, quam beatae felicitatis absentia [c]. In qua tamen nullus erit, qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem ejusque desiderium, ut eo maxime torqueatur, quo ardenter appetat, quod justum Dei judicium comprehendere non sinat. Qui proculdubio appetitus in misero non esset, si penitus, quod appetit, non haberet. Occultissimo itaque verissimoque modo in profundissima suppliciorum miseria damnati habebunt felicitatem, et non habebunt eam. Habebunt quidem quandam notionem ad ejus memoriam, vultum vero ejus in fructum contemplationis non habebunt. Quam profecto felicitatis notionem miseri, ut

A diximus, non haberent in sua memoria, si non aliqua ejus scientia fieret in sua natura. Sicut autem nullus extra se veritatis habet notionem, ita et ejus scientiam. Veritas est felicitas. Nullus ergo extra naturam suam felicitatis et notionem et scientiam habiturus sit. In miserorum itaque natura erit veritas. Erit igitur felicitas. Ast quomodo illa natura misera erit, cui felicitas inerit, quae est veritas? Quid? Si nulla natura fuerit punita, nunquid erit misera? Non video. Qua enim causa aliqua natura erit misera, nisi fuerit punita? Itaque si nulla natura puniri potest, nulla natura misera erit. Quis autem non crediderit, omnem naturam aut Deum esse, aut ab eo factam? Naturam creatricem miseriae esse capacem, dementissimum est suspicari. Creatrix autem natura quali justitia punitura sit naturas, quas ipsa creavit, non invenio. Nulla dehinc natura punietur, non punita non erit misera.

II. Sed si quis forte huic rationi concedere noluerit, auctoritatem patris Augustini, ut opinor, non refutabit, qui in undecimo Exemeron libro his verbis pronuntiare non dubitat: « Cuilibet occurrit, et verum est atque manifestum, justitiae ipsi esse contrarium, ut nullo praecedente merito hoc ipsum in quoque [6] Deus damnet, quod in eo ipse creaverit, certaque et evidens damnatio diaboli et angelorum ejus ex Evangelio recitetur, ubi se dicturum Dominus pronuntiavit [7] eis, qui a sinistris sunt: *Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus* [d]. Nullo modo in eo naturam, quam Deus creavit, C sed malam propriam voluntatem poena ignis aeterni plectendam esse credendum est; nec ejus naturam esse significatam, quod dictum est: *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit, ut illudatur ab angelis ejus* [e], sed vel corpus aereum, quod tali voluntati congruenter aptavit, vel ipsam ordinationem, in qua eum fecit etiam nolentem utilem bonis, vel quod praesciens eum propria voluntate malum futurum, fecit eum tamen, non abstinens bonitatem suam in praebenda vita atque substantia, futurae etiam noxiae voluntati simul praevidens, quanto de illo bona esset [8] sua mirabili bonitate ac potestate facturus ». [f] Si ergo angelica natura in diabolo juste non sinitur puniri, quid mirum, si humanam substantiam in hominibus etiam impiissimis eadem di-

VARIAE LECTIONES.

[1] *defectum essentiae — cogitantis* om. M, in codice infra ad marg. adscr. ead. man. [2] Sic cod., M *esse*. [3] Sic cod., M. *sicut*. [4] Sic cod., M. *absentia*. [5] Sic M, cod. *miserumque*. [6] Sic cod., al. *in quoquam*. [7] Sic cod., al. *praenuntiavit*. [8] Sic cod., M *quanta* de illo bona *esse*.

NOTAE.

[a] Prudentius: *Nihil aliud Deum punire, id est, poenis addicere, nisi quod fecit, sed merito peccati, quod ipse non fecit. Non enim,* inquit, *in beato Job peccatum aliquod puniebatur, sed tantum caro, quam Deus fecit. Et quod omnibus majus est, in Domino nostro Jesu Christo nihil aliud punitum est, nisi quod ipse fecerat, id est, caro ejus.*

[b] Prudentius observat: *Nullam naturam nisi ab alia natura puniri, videlicet creatam naturam a creatrice natura, ut ipse, qui factor est naturarum creaturarum, ipse sit judex, ipse punitor, vel creatas* D *naturas a creatis naturis.* Ad aliud vero enuntiatum: « Nihil aliud esse poenas peccatorum nisi poenas eorum », Prudentius bene animadvertit: *Multa esse genera suppliciorum, vel praesentium vel futurorum, justissimi judicis praeter peccata.*

[c] Prudentius: *Et hanc esse poenam, et ignis ardorem nimium, et vermium consumptionem.*

[d] Matth. XXV, 41.

[e] Psalm. CV, 26.

[f] Augustin. *de Genes.* XI, 21, 22.

vina justitia prohibeat torqueri [a]? Non enim juste punitur, nisi quod delinquere convincitur. Nullius hominis invenitur iniquitas, nisi suae propriae voluntatis culpabilis perversitas. Quae verissime natura non est, quia [1] ex Deo omnium creatore in nulla substantia [2] est creata. Juste igitur punita [3] misera. Hinc Augustinus : « Nimis impius et indoctus est, qui vitium naturae non discernit ab auctore naturae, a quo prorsus alienum est, quidquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines, ut sint homines, nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonae voluntatis suae reparaturus in multis, quod ipse fecit, puniturus in multis, quod ipse non fecit [b] ».

III. Cum itaque omnium hominum universam naturam in primo homine Deus condiderit, « adhuc enim, ut ait Augustinus, ille unus omnes fuit [c] », quod in ipso naturaliter creatum est, nullomodo potuit naturalem legem Creatoris transire. Non igitur in illo peccavit, quod in illo Deus creavit : *in quo* tamen *omnes peccaverunt* [d], ac per hoc in ipso omnes moriuntur, et consequenter omnes puniuntur. Proinde rectissime [4] creditur, quemadmodum in illo Deus generalem humani generis creare voluit substantiam, ita et omnium hominum propriam substituit voluntatem. Si enim in uno communis omnium, et corporalis, et spiritualis naturae humanae plenitudo sit constituta, necessario ei inerat singulorum voluntas propria. Non itaque in eo peccavit naturae generalitas, sed uniuscujusque individua voluntas [5]. [e] Siquidem si ea natura delinqueret, cum una sit, tota profecto periret [6]. [f] Sed non periit, quando medicamentum vulneris, hoc est substantia Redemptoris, in ea remansit incorruptum, praeter quod omnes peccaverunt simul in uno homine. Non enim ille peccavit in omnibus, sed omnes in illo [7]. Sicut enim ille habebat propriam voluntatem, ita et proprium peccatum ; et quemadmodum in illo unusquisque voluntatis suae individuum possederat numerum, ita in illo per se ipsum singulus quisque potuit proprium committere delictum. In nullo quippe vindicatur juste alterius peccatum. Proinde in nullo natura punitur, quia ex Deo est, et non peccat. Motus autem voluntarius, libidinose utens naturae bono, merito punitur [8], quia naturae legem transgreditur, quam procul dubio non transgrederetur, si substantialiter a Deo crearetur.

IV. Hinc aperte colligitur, in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose invenit. Libido siquidem perversae voluntatis cruciatur, dum ea, quae male aut indigne appetit, habere non sinitur : hoc enim nomine, videlicet libidinis, generalitas omnium vitiorum comprehenditur. Quod si nullam naturam puniri ratio suasit, necessario nullam naturam punire suadebit [9]. Neque enim creatrix, neque creata punit creatam, quia nulla substantia alterius substantiae contraria esse potest. Alioquin injustissime puniretur aliqua natura, cujus malum meritum non praecederet tormentum. Quod aperte Augustinus in sua praedicta sententia voluit declarare dicens : « Justitiae ipsi esse contrarium, ut nullo praecedente merito hoc ipsum in quoque Deus damnet, quod in eo ipse creavit [10] ». Quae ratio hinc maxime probatur, quod nullius peccati auctoritas, nisi mendosissime impiissimeque, ad Deum refertur [11]. At si peccatum ex natura, natura autem ex Deo, profecto peccatum ex Deo esse sequeretur. Quod absit nos credere, aut falsissimum illum paralogismum accipere, qui sic falso colligitur : Omnis natura ex Deo est [12]; omne autem peccatum ex natura ; ex Deo est igitur omne peccatum. Quod si hoc absurdissimum est concedere, relinquitur verissimus ille atque piissimus syllogismus, et caritatis et catholicae fidei plenissimus, qui sic proponitur : Omne bonum aut Deus est, aut ex Deo factum est ; omne quod ex Deo

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., cod. *qui*, M. *quae*. [2] Sic cod., M. nulla *substantiam*. [3] Sic cod., M. *sit*. [4] Sic M, cod. *rectissimo*. [5] Ad marg. alia man. forte sec. XIII scripsit : *Dicit in primo homine non generaliter omnes homines, sed singulos peccasse, quod est repugnans.* [6] Eadem alia man. ad marg. adscr. *Dicit, naturam Adae non deliquisse.* [7] Ead. alia man. ad marg. adscr. *Naturalia docet esse peccata.* [8] Ead. al. m. ad marg. adscr. *motum mentis voluntarium dicit ad Deo non ....cari.* [9] Ead. al. m. ad marg. adscr. *Naturam dicit nec puniri nec punire, non est ergo passibilis.* [10] Ead. al. m. ad marg. adscr. *Testimonium, quod assumit, perverse intellexit.* [11] Ead. al. m. ad marg. adscr. *Nec paganus hoc dicit.* [12] Ead. al. m. ad marg. adscr. *Non ex Deo, sed a Deo natura. Non item pars Dei est, sed opus.*

NOTAE.

[a] Augustin. *l. l.*
[b] Augustin. *De peccat. meritis* III, 7.
[c] Rom. V, 12.
[d] Prudentius : *Puniri in diabolo et impiis hominibus naturam depravatam et vitiatam propria voluntate.* Ad ea vero, quae sequuntur : « Non peccasse naturam sed voluntatem », Prudentius respondet : *Naturam peccasse quidem, sed non fuisse vitium naturae, sicut a Deo bono condita est, sed sicut per propriam voluntatem corrupta est ; ipsum tamen peccatum non solummodo voluntate, sed ejus naturae, deputandum, cujus voluntas sit, ideoque naturam peccatricem jure punitam. Natura quippe, id est anima, suasionem serpentis admisit, et eadem per naturam, id est, corpus suum ligni inhibiti pomum comedit.*

[e] Prudentius : *Peccasse in eo naturae generalitatem, quam massam damnationis Scripturae vocitent, ideoque totam a justo judice damnatam, non solam voluntatem, nec reparari posse penitus, nisi per mediatoris humilitatem.*

[f] Ad haec Prudentius respondet, totam naturam deliquisse, perindeque totam *quodammodo* perisse. Ac per hoc liberatore eam indigere. Non enim in parvulis voluntas peccati, quae nulla est, sed natura damnatae originis punitur.

factum est, nullum vitium boni efficit; omne igitur bonum nullum vitium boni efficere potest; et reflexim: nullum igitur vitium boni ex bono est. Omne peccatum, quia malum est, vitium boni est: omne vitium boni ex bono non est: omne peccatum, quia malum est, ex bono esse non potest. Omnis creatura rationis particeps magnum bonum est: ex nullo bono malum [a]: ex nulla igitur creatura rationis participe peccatum est [1].

V. Hinc ipsa Veritas ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* [b]. Ac si diceret: omne bonum, quod ex cogitatione sua bonus homo profert, ex bono thesauro donatur, id est ex eo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* [c]. Omne malum, quod cogitatione sua mala malus homo profert, ex malo thesauro est, ex superbia scilicet, *quae est initium omnis peccati* [d]. De quo thesauro malitiae Augustinus in libro de vera Religione loquens ait: « Est autem vitium primum animae rationalis voluntas ea faciendi, quae vetat summa et intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc seculum expulsus est, id est, ab aeternis ad temporalia, a copiosis ad egena, a firmitate ad infirma. Non ergo a bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est, sed a bono aeterno ad bonum temporale, a bono spirituali ad bonum carnale, a bono intelligibili ad bonum sensibile, a bono summo ad bonum infimum. Est igitur quoddam bonum, quod si diligat [2] anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum est. Quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia, quae peccando diligitur. Non ergo arbor illa malum [3] est, quae in medio paradiso [4] plantata [esse] [5] scribitur, sed divini praecepti transgressio, quae cum consequentem habet justam damnationem, contingit ex illa arbore, quae contra vetitum tacta est, dignoscentia [6] boni et mali, quia cum suo peccato anima fuerit implicata, luendo poenas discit, quid intersit inter praeceptum, quod custodire noluit, et peccatum, quod fecit; atque hoc modo malum, quod cavendo non didicit, discit sentiendo, et bonum, quod non obtemperando minus diligebat, ardentius diligit comparando. Vitium ergo animae est, quod fecit, et difficultas ex vitio poena est, quam patitur [7]. Et hoc est totum malum. Facere autem et pati non substantia est. Quapropter substantia non est malum. Sic enim nec aqua malum est, nec animal, quod vivit in aere; nam istae substantiae sunt: sed malum est voluntaria praecipitatio in aquam, et suffocatio, quam mersus patitur. Stilus ferreus alia parte, qua scribamus, alia, qua deleamus, a fabro factus est, et in suo genere pulcher, et ad usum nostrum accommodatus: at si quispiam ea parte scribere, qua deletur, et ea velit delere, qua scribitur, nullo modo stilum malum fecerit, cum ipsum factum jure vituperetur. Quod si corrigat, ubi erit malum? Si quis repente meridianum solem intueatur, repercussi oculi turbabuntur. Num [8] ideo aut sol malum erit, aut oculi? Nullo modo, sunt enim substantiae. Sed malum est inordinatus aspectus, et ipsa, quae consequitur, perturbatio, quod malum non erit, cum oculi fuerint recreati, et lucem suam congruenter aspexerint [e] ». Et paulo ante in eodem: « Si quaeritur, quis instituerit corpus, ille quaeratur, qui est omnium speciosissimus: omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi unus Deus, una veritas, una salus omnium, et prima atque summa essentia, ex qua est omne, quidquid est, in quantum est, quia, in quantum est, quidquid est, bonum est. Et ideo ex Deo non est mors; *non enim Deus mortem fecit, nec laetatur in perditione vivorum* [f], quoniam summa essentia facit esse omne, quod est, unde et essentia dicitur. Mors autem non esse cogit, quidquid moritur, [in quantum moritur [9]]. Nam si ea, quae moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio pervenirent. Sed tantum moriuntur, quantum minus essentiae participant. Quod brevius ita dici potest: tanto magis [10] moriuntur, quanto minus sunt. Corpus autem minus est, quam vita quaelibet, quoniam, quantulumcunque manet in specie, per vitam manet, sive qua unumquodque animal, sive qua universa natura mundi administratur. Corpus ergo magis subjacet morti, et ideo vicinius est nihilo. Quapropter vita, quae fructu corporis delectata negligit [11] Deum, inclinatur ad nihilum, et ista est nequitia. Hoc facto autem [12] vita carnalis et terrena efficitur, et ob hoc etiam caro et terra nominatur, et quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit [g], et eripitur ei, quod amat. Id enim amat, quod et minus est, quam vita, quia corpus est, et propter ipsum peccatum, quo amatur, fit corruptibile, ut fluendo deserat amatorem suum, quia et ille hoc amando deseruit Deum. Praecepta enim ejus negligit [13] dicentis: Hoc manduca, et hoc noli. Trahitur ergo ad poenas, quia diligendo inferiora in egestate [14] voluptatum suarum, et in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor, qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei, quam

VARIAE LECTIONES.

1 Ead. al. m. ad marg. adscr. *Peccatum a creatura non esse.* 2 al. *diligit.* 3 al. *mala.* 4 al. *paradisi.* 5 *esse* om. cod., add. M. 6 Cod. *dinoscentia*, sic ubique. 7 Ead. al. m. ad marg. adscr. *vitium animae confitetur, quod ante negavit.* 8 Sic cod., M. *non.* 9 *in quantum moritur* om. cod., add. M. 10 Conj., cod. et M. *minus.* 11 Cod. *neglegit.* 12 Sic cod., M. *Hoc autem pacto.* 13 Cod. *neglegit*, M. *neglexit.* 14 Cod. *aegestate.*

NOTAE.

a *Nullum malum nisi ex bono.* PRUD.
b Matth. XII, 35.
c Coloss. II, 3.
d Eccli. X, 15.
e Augustin. *de vera Relig.* c. 20.
f Sap. I, 11.
g I Cor. XV, 50.

nale utendo anima corruptionibus noxiavit? Quid A autem [1] dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse sperabat? Hoc [2] est totum, quod dicitur malum, id est peccatum et poena peccati » [a]. Quocirca divina aequitas non punit, quod sua bonitas creare voluit.

VI. Procul dubio igitur tenendum, nullam naturam ab alia natura puniri, ac per hoc nullam poenam a Deo esse factam, subindeque nec ab eo praescitam, nec praedestinatam [3]; quamvis saepe dicatur et fecisse, et praescisse, vel praedestinasse. Ad exercitium quippe nostrae intelligentiae Deus procuravit, et in Scripturis suis, et in tractatoribus ejus, ut audientes tales locutionum modos evigilaret nostra intentio ad intelligendum, quid [4] in eis mysticum lateat, non quid verborum simplex superficies ostendat. B Quae cum ita sint, merito quaeritur, quid punitur in miseris suppliciorum cruciatibus plectendis, et quid punit. Cui inquisitioni beatus pater Augustinus respondeat, qui in expositione psalmi septimi [5] sic ait: « Intelligamus, unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in poenam converti, nec putemus, illam tranquillitatem et ineffabile lumen Dei de se proferre, unde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare, ut, quae fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti » [b], pulchre quidem atque praeclare definiens, non esse alia instrumenta torquendae impietatis, praeter illam ipsam impietatem. Omne siquidem peccatum, quod in hac vita inchoatur ab homine delectabiliter, perficitur in futuro poenaliter C [6], nisi ab eo gratia divina per Jesum Christum Dominum et salvatorem mundi liberaverit, priusquam de hoc seculo transeatur. Nullum autem peccatum est, quod non peccantem puniat. In omni enim peccatore simul incipiunt oriri et peccatum, et poena ejus, quia nullum peccatum est, quod non se ipsum puniat, occulte tamen in hac vita, aperte vero in altera, quae est futura.

VII. Quod manifestissime probatur virtutis argumento. Omnis quippe virtus necesse est in hac vita incipi, et in futuro perpetrari, ita ut, si vera sit, simul cum ea beatitudo sua initium sortiatur occulte, aperte vero laborem propter adversantia sibi, eamque penitus auferre volentia. Et hoc in hujus vitae spatio fieri semper inevitabile est. In ea vero vita, D in qua omnis pietas perficitur, consumpto omni labore defendendae virtutis, ipsa sibimetipsi erit pax et beatitudo [7]. Sic igitur e contrario omne peccatum, de quo hominem divina non absolvit clementia, in praesentis temporis studio libidinose forinsecus miserum peccantem in eoque perseverantem delectatur [8], intrinsecus vero se ipsum punit. In futuro autem, cum plenitudo impietatis peracta fuerit, omnia illa, quae hic fuerant, delectamenta peccati committendi illic vertentur in instrumenta peccati cruciandi. Peccatum itaque omnino peccato et hic occulte incipitur puniri, et illic aperte perficietur torqueri; hic initium dolorum, illic finis suppliciorum; hic falsa laetitia de voluntaria libidine, illic vera tristitia de necessaria passione. Merito quippe perniciosa hic dulcedo libidinis illic vertetur in amaritudinem ultionis, ut, quia hic donum divinae largitatis, hoc est, liberum voluntatis arbitrium, quod est naturalis intelligentiae munus [9], id est mentis acies, quam conditor omnibus generaliter donavit ad se quaerendum, diligendum, fruendum, in usus turpitudinis mutare superbiendo nequissime voluerat, illic, ne omnino veritatis honestate fruatur, justitia [10] perdat, et eo carcere iniquitatis propriae, in quo hic se ipsum incluserat, tenebras aeternae ignorantiae inextricabiliter poenaliterque non evitet.

VIII. Hinc Augustinus in libro de vera Religione: « Qui ergo », inquit, « male utuntur tanto mentis bono, ut extra eam visibilia magis appetant, quibus ad conspicienda et diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebrae, harum quippe initium est carnis prudentia et sensuum corporeorum imbecillitas [11], et qui certaminibus delectantur, alienabuntur a pace, et summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summae difficultatis est bellum atque contentio, et hoc significare arbitror, quod *ligantur eis manus et pedes* [c], id est, facilitas omnis aufertur operandi, et qui sitire et esurire volunt, et in libidinem ardescere et defatigari, ut libenter edant, et bibant, et concumbant, et dormiant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod amant, *ut ibi eis sit ploratus et stridor dentium* [d]. Plures enim sunt, qui haec omnia initia simul diligunt, et quorum vita est spectare, contendere, manducare, bibere, concumbere, dormire, et in cogitatione sua nihil aliud, quam phantasmata, quae de tali vita colligunt, amplexari, et ex eorum fallacia superstitionis vel impietatis regulas figere [12], quibus decipiuntur, et quibus inhaerent, etiamsi ab illecebris carnis conentur [abstinere] [13], quia non bene utuntur talento sibi commisso, id est, mentis acie, qua videntur

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., al. *corruptioni fecit obnoxiam. Quid est autem.* [2] Sic cod., al. *speraverat. Ut hoc.* [3]. Illa al. m. ad marg. adscr. *Nullam poenam a Deo praescitam nec praedestinatam.* [4] Sic cod., M. *quod.* [5] Cod. VII. [6] Illa al. m. ad marg. adscr. *Quod in hac vita inchoatur peccatum, in futuro perficietur.* [7] Ead. al. m. ad marg. adscr. *beatitudinem hominis virtutes dicit esse.* [8] cod. *dilectatur*, M. *delectat.* [9] Illa al. m. ad marg. adscr. *donum gratiae naturalem dicit intelligentiam.* [10] Sic M., cod. *justitiae.* [11] Cod. *imbicilitas.* [12] Sic cod., al. *fingere.* [13] *abstiuere* om. cod., add. M

NOTAE.

[a] Augustin. *ibid.* c. 11, 12.
[b] Aug. *in psal.* VI sub finem.
[c] Matth. XXII, 13.
[d] Matth. XIII, 50.

animas, qui docti, aut urbani, aut faceti nominantur, excellere; sed habent eam *in sudario obligatam*[1] [a], aut *in terra obrutam* [b], id est, delicatis et superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus involutam et oppressam. *Ligabuntur ergo his manus et pedes, et mittentur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus et stridor dentium* [c], non quia ipsa dilexerunt, quis enim haec diligat, sed quia illa, quae dilexerunt, initia istorum sunt, et necessario dilectores[2] suos ad ista perducunt. Qui enim magis amant[3] ire, quam redire, aut pervenire, in longinqua[4] mittendi sunt, quoniam *caro sunt, et spiritus ambulans, et non revertens* [d] ».

IX. Cui consentit sanctissimus veracissimusque Papa Gregorius in XI libro in Job, exponens, quod scriptum est : *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat* [e], « quia omnis homo per id, quod male agit, quid sibi aliud, quam conscientiae suae carcerem facit, ut hunc animae[5] reatus premat, etiam si nemo exterius accusat[6]. Qui cum judicante Deo in malitiae suae caecitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam saepe nonnulli exire a pravis actibus cupiunt; sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malae consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Et quidem[7] culpas proprias punire cupientes hoc, quod recte se agere aestimant, in gravioribus peccatis[8] vertunt, fitque modo miserabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas, cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad aeternae mortis supplicia pervenit, et pejus de peccato poenituit, quam peccavit. Dicatur ergo : *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat*, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiae relinquentis. Includere itaque dicitur[9], clausis non aperire. Unde et ad Mosen dicitur de Pharaone[10] : *Ego obdurabo cor ejus* [f]. Obdurare quippe per justitiam dicitur [Deus][11], quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit » [g]. Idem in eodem : « *Regum* itaque *balteum dissolvit* [h], quando in his, qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam castitatis cingulum destruit. Quid vero in fune[12] accipitur nisi peccatum, sicut per Salomonem dicitur : *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur* » [i].

CAPITULUM XVII.

Cur Deus dicitur praedestinasse poenas, cum eas non faciat, nec praedestinet.

I. Proinde ratione atque auctoritate conficitur, firmissime tenendum, Deum prorsus suppliciorum, quibus superba impietas aeterno torquebitur cruciatu, nullomodo esse auctorem, nullomodo eorum esse factorem, nullomodo praedestinatorem. Ea tamen ratione auctor eorum esse dicitur, et factor, et praedestinator, qua verissime creditur totius universitatis, in qua sunt, factor et ordinator. Ita enim universae creaturae suae, antequam ipsam crearet, statum pulchritudinis praedestinavit esse futurum, ut malorum turpitudo, quam non praedestinavit, quia non eam facturus esset, in universo turpis non esset, malitia nocentium non noceret, error errantium non erraret, miseria torquendorum felicitatem non turbaret electorum. Nullius enim turpitudo vel malitia vel error seu miseria praedestinatum ante secula naturalem ordinem dehonestare permittitur.

II. Cum ergo audimus, praedestinavit Deus illos vel illos ad interitum, vel supplicium, vel poenas, seu cruciatum, seu quoquo modo vocari solet miseria, qua torquetur iniquitas a se ipsa, in se ipsa, per se ipsam, non aliud intelligere jubemur, quam ipsum ante tempora praesciisse[13] et praedestinasse, quo ordine universitatis futuri sunt illi, quos occultissimo, justissimo tamen judicio amaritudinem peccatorum suorum sentire permisit[14], quia eos in damnabili origine reliquit, servata illa notissima differentia inter praescientiam et praedestinationem, ut, cum tantum late pateat praedestinatio, quantum praescientia, unum quippe atque idem, divinam profecto substantiam, significantes, praedestinatio ad ea tantum, quae in bono sunt, pertineat, praescientia vero ad bona malaque. Quae tamen differentia non est ex natura, sed ex usu locutionum.

III. Quemadmodum enim dicitur de Deo, ubique est praesentia potestatis, sed non ubique est gratia habitationis, ita de eo dici possit, ubique praescientia, sed non ubique praedestinatione. Cum apertissime veritas clamet de Deo, ubicunque Deus fuerit praesentia, ibi profecto erit habitatione : similiter ubicunque fuerit praescientia, necessario erit praedestinatione. Proinde quemadmodum praesentia et habitatio Dei non est, nisi in his, quae ab eo facta sunt, ita ejus praescientia et praedestinatio non nisi eorum, quae ipse facturus esset, credenda sunt. Ac per hoc quemadmodum praesentia ejus et habitatio

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., al. *ligatam*. [2] Cod., *delectores*. [3] Sic M., cod. *amat*. [4] Sic cod., al. *in longinquiora*. [5] Sic cod., al. *animi*. [6] Sic cod., al. *accuset*. [7] Sic cod., al. *quidam*. [8] Sic cod., al. *in graviores culpas*. [9] Sic cod., al. *Dei est*. [10] Cod. *Faraone*. [11] *Deus* om. cod., add. M. [12] Sic cod., M. *fine*. [13] Cod. *prescisse*. [14] Sic M., cod. *promisit*.

NOTAE.

[a] Luc. XIX, 20.
[b] Matth. XXV, 18.
[c] Matth. XXII, 13.
[d] Psal. LXXVII. Augustin. *de vera Relig.* c. 51.
[e] Job. XII, 14.
[f] Exod. IV, 1.
[g] Greg. *Moral. in Job.* XI, 5.
[h] Job. XII, 18.
[i] Ibid. XI, 8.

in his, quae nec ab eo sunt, nec ea fecit, e contrario esse dicuntur, cum in eis non sint, ita praescientia ejus et praedestinatio e contrario pronuntiantur in illis, quae nec fecit, nec donavit, quia nihil sunt [a]. Non incongrue tamen aestimantur esse in his, quae vitio creaturae orta sunt, cum non solum ipsam creaturam sapienter ordinet, sed etiam vitium ejus suas leges excedere non sinat.

IV. Quod autem latebrae poenarum hominum, et tenebrosissimae contritiones filiorum Adam, in hac mortali vita etiam bene volentes vivere non desinunt occulte punire, beatus Augustinus [b] in libro Confessionum suarum octavo, humanae miseriae impetum in se ipso deplorans, aperte voluit ostendere : « Ego », inquit, « cum deliberabam, ut jam servirem Domino [1] meo, sicut diu disposueram, ego eram, qui volebam, ego, qui nolebam, ego [2] eram, nec plene volebam, nec plene nolebam, et ideo mecum contendebam, et dissipabar a me ipso, et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienae, sed poenam meae [3], et ideo non jam ego operabar illam, sed quod habitat [4] in me peccatum de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam ». Non itaque ille punit, qui semetipsos laedentes amaritudinemque suorum criminum in semetipsis patientes in illis universitatis sedibus honestissime ordinat, quibus eos laborare rectissime decet.

V. Ut enim quadam similitudine fungamur. Quid si pater multarum familiarum, qui per artem suam voluit amplissimam sibi domum construere, longitudine, latitudine, profunditatisque capacitate spatiosam, laterum, angulorum, absidarum [5], diversorumque schematum [6] varietate numerosam, altitudine fundamentorum stabilitam, basium, stilorum, capitellorumque tramitibus ordinatam, arcuum, tectorumque multiformium elata proceritate eminentissimam, excellentissimo turrium acumine consummatam, exterius interiusque innumerabilium colorum formarumque pulchritudine in tanta picturarum varietate decoram, omnium metallorum, pretiosissimorumque lapidum honestate refertam, per varias multimodasque fenestrarum species copiosa luminis effusione illustratam, ceteraque ad perfectissimam pulchritudinis gloriam pertinentia, quae numerare longum est, ita ut nullum in ea inveniatur spatium, quod non omnes habitatores ejus amplitudine sui capiat, nulla pars, quae non omnium aspicientium oculos pulchritudine sui pascat, nullus locus, quem praeclarissima lux ubique diffusa, auri gemmarumque honor a superficie resultans, eorumque mirabiles colores trahens non profundat, nulla in ea sedes, quae non sit regia, honoribus quietique apta; in tanta deinde ac tam mirabili aede, ut diximus, pater ipse, auctor videlicet ejus et ordinator, aliter in ea filios suos disponeret, aliter servos, aliter gratia perpetuae sanitatis muneratos, aliter inopia malarum cupiditatum, quas intemperantia suae libidinis traxerant, cruciatos, dentibus stridentes [7], vermibus scatentes, diversis perennis tristitiae generibus laborantes : nunquid recte aestimaretur durissimus punitor, qui laudaretur justissimus ordinator? Neque enim honestatem domus suae debuit confundere, ne videretur perverse intuentibus eos, quos ordinat, punire. Aut quam formam poenarum fecisse convinceretur, qui [8] omnia, quae fecit, non in usus miseriarum, sed in universitatis plenitudinem, pulchritudinisque ejus [9] gratiam fieri voluit [c]?

VI. Hinc Augustinus in libro de vera Religione : « Animae vitium », inquit, « non natura ejus, sed contra naturam ejus est, nihilque aliud est, quam peccatum et poena peccati. Unde [10] intelligitur, nullam naturam, vel, si melius ita dicitur [11], nullam substantiam sive essentiam malum esse, neque de peccatis poenisque animae [12] efficitur, ut universitas ulla deformitate turpetur, quia rationalis substantia, quae ab omni peccato munda est, Deo subjecta, subjectis sibi ceteris dominatur. Ea [13] vero, quae peccavit, ibi ordinata est, ubi esse tales decet, ut Deo conditore atque rectore universitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo universae creaturae per haec tria inculpabilis, damnatione peccatorum, exercitatione justorum, perfectione beatorum » [d]. Et post aliquanta de anima loquens ait : « Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est, poenarum ordinem praecipitatur. Nec miremur, quod adhuc pulchritudines nomino. Nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum. Et sicut ait Apostolus : *Omnis ordo a Deo est* [e] ».

VII. Quid ergo mirum est, si hominis anima, quae, ubicunque sit, et qualiscunque sit, omni corpore est melior, dicam pulchre ordinari, et de poenis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit, quando misera est, ubi esse beatos decet, sed ibi sit, ubi esse miseros decet. Proinde nulla universitatis parte punitur impius, sed sua propria impietate in se ipso,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *Domino Deo meo.* [2] Sic cod., M. *ergo* ego. [3] Sic cod., M. *meam*, al. *meae.* [4] Sic. cod. [5] Sic cod., M. *absidum.* [6] Cod. *scematum.* [7] Sic cod., M. *frendentes.* [8] Sic cod., M. *quoniam qui.* [9] Sic cod., M. *ei.* [10] Sic cod., al. *inde.* [11] Sic cod. M., *dicatur.* [12] Sic cod., al. *ejus animae.* [13] Sic cod., M. *Et.*

NOTAE.

[a] Prudentius : *In divinis eloquiis nusquam Dei habitationem in his, quae non sunt, positam esse, praescientiam vero Dei etiam malitiae et peccatis nostris non abesse.*

[b] Augustin. *Confess.* VIII, 10.

[c] Prudentius respondet : *Malos in inferno igni perpetuo mancipari, bonos vero supra omne hoc visibile caelum, quod firmamentum sanctae Scripturae nuncupant, sempiterna beatitudine glorificari.*

[d] Augustin. *de vera Relig.* c. 23.

[e] Rom. XIII, 71. — Augustin. *ibid.* c. 41.

ut praedictae sanctorum Patrum sententiae testantur. Ut enim Deus non ideo fecit solem, ut ejus radiis inordinate eum aspicientis oculorum visus refringat, eosque in tenebras repercutiat, quas profecto non ipse, sed ipsa inordinata visio efficit, neque ut patientem oculorum gravissimam passionem torqueat [1], cum illi in sua passione nihil tantum noceat, quantum splendor solaris, dum ipsa passio non extrinsecus natura rerum contingat, sed intrinsecus aliqua corporalis sanitatis corruptione dolentem torqueat: sic nimirum ignis ille aeternus, *qui praeparatus est diabolo et angelis ejus* [a], nullomodo ad hoc creatus, praesertim si quartum mundi elementum [2] sit; probabilius creditur ad universitatis integritatem, quam Deus faciendam praevidit, esse conditus, quam ad urendum apostatam, cui sua superbia sufficeret ad tormentum. Huic rationi additur, quod cum in aethereo corpore primum a Deo creatus sit, in quo nihil pati potuit, corpus ejus aethereum, postquam superbia intumuit, a supernis sedibus, videlicet aethereis, in hunc aerem humiditate crassum [3], caligine tenebrosum, perturbationibus passibilem detrusus est, ut ei inde corpus meritis suis condignum ipso nolente copularetur, ac per hoc in eo iniquitate sua torqueretur [b].

VIII. Sive itaque ignis ille corporeus, ut ait Augustinus, sive incorporeus, ut Gregorio placet, pro sui, ut opinor, subtilitate propterea praedestinatus vel praeparatus dicitur diabolo, quoniam in eo fuerat ordinandus, cum omnibus malitiae consortibus puniendus. Et quemadmodum idem ignis bonus profecto, quoniam a bono factus, non aliam ob causam malum dicatur, nisi quod in eo mali ordinatissime disponantur, ita etiam poena non incongrue asseritur, quoniam iidem mali in eodem criminibus suis libidinose commissis laboriose miserabiliterque cruciantur. Non ergo ille ignis est poena, neque ad eam praeparatus vel praedestinatus, sed qui fuerat praedestinatus, ut esset in universitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum [c]. In quo procul dubio non minus habitabunt beati, quam miseri [d]; sed sicut una eademque lux sanis, ut diximus, oculis convenit, impedit dolentibus; unus idemque cibus, vel potus faucibus languentium amarus, sanitate fruentium dulcis, illis quippe suae salutis placet integra laetitia, istis suae corruptionis displicet poenalis tristitia; una eademque aqua natantem elevat, cadentem suffocat; duorum in aula regali uno eodemque loco positorum unus febricitat, alter gaudet; gaudenti omnia totius aulae ornamenta delectabiliter placent, laudabiliter apparent, honorabiliter concordant, febricitanti vero intra se ipsum, doloribusque suis ardenti omnium, quae extrinsecus videt, nihil eum delectat, nihil laudabile, quia omnia vituperat, nihil consentiens, quia omnium abhorret merito. Quid enim bonorum illi non noceret, quando ei auctor omnium placere non poterat? Aut ubi nullum bonum non nocebit, cui summo bono frui non placuit?

IX. Proinde si nulla beatitudo est, nisi vita aeterna, vita autem aeterna est veritatis cognitio, nulla igitur beatitudo est, nisi veritatis cognitio. Sed ne ista collectio nullomodo in mentibus nostris nutet, audiamus illam ipsam Veritatem aperte clamantem: *Qui diligit me, diligetur* [4] *a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi* [e]. Item alibi: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* [f]. Quidquid autem de beatitudine creditur, de ejus defectu, id est miseria, necesse est e contrario credatur. Ita si nulla miseria est, nisi mors aeterna, aeterna autem mors est veritatis ignorantia, nulla igitur miseria est nisi veritatis ignorantia. Ubi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita. Ubi autem nulla vita, ibi necesse est continuam mortem adesse. Quae si ita sint, quis audeat dicere, Deum esse praedestinatorem poenae, nisi qui audet eum asserere auctorem ignorantiae, dum ab eo sit omnis intelligentia. Unumquemque igitur sua punit contumacia, quae nullo modo a Deo est; ac per hoc ejus auctor nullomodo credendus est [g].

CAPITULUM XVIII.

Quod error eorum, qui aliter, quam Patres sancti sentiunt de praedestinatione, ex liberalium disciplinarum ignorantia inoleverit.

I. Errorem itaque saevissimum eorum, qui venerabilium Patrum, maximeque sancti Augustini sententias confuse, ac per hoc mortifere ad suum pravissimum sensum redigunt, ex utilium disciplinarum, quas ipsa sapientia suas comites investigatricesque fieri voluit, [ignorantia] [5] crediderim sumpsisse primordia. Insuper etiam ex graecarum literarum inscitia [h]. In quibus praedestinationis interpretatio

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M. *retorqueat.* [2] Cod. *elimentum.* [3] Cod. *crasum.* [4] Sic cod., *M diligitur.* [5] *ignorantia* om. cod., add. M.

NOTAE.

[a] Matth. XXV, 41.

[b] Recte Prudentius: *Id auctoritate Scripturae propheticae eique apostolicae minime posse probari.*

[c] Dominus cum parabolam piscium bonorum atque malorum pronuntiasset: *Exibunt*, inquit, *angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus et stridor dentium. Illa* igitur, quae Joannes Scotus disputat, veritati non satis congruunt.

[d] Erat. Non sedem suavitatis et dignitatis, sed aeternum tormentum veritas docet esse illum ignem, dicente Domino: *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Nusquam sacrarum litterarum ille ignis vita aeterna nuncupatur.

[e] Joan. XIV, 21.

[f] Joan. XVII, 3.

[g] Prudentius observat: *Si impii in illo igne sedem tantum habituri, non et poenam passuri sunt, quomodo nullam vitam habebunt? Sed veritas clamat, habituros illic impios vitam, sed poenalem.*

[h] Prudentius: *Patres perfectam earundem scientiam habuisse nullatenus dubitari posse, Scotumque potius.*

nullam ambiguitatis caliginem gignit. Quae si diligentius ab inquisitoribus veritatis, non ab assertoribus falsitatis attendantur, quotiescunque sive de bonis usitate, sive de malis abusive praedestinatio frontis suae, sapientibus quidem notissimae, inflatis vero superbiae typho abstrusissimae, primas partes aperuerit, tota nimirum, nulla interstante mora, pie intelligentibus eam patebit.

II. Est igitur verbum apud Graecos ὁρῶ [1], quod apud Latinos tribus excipitur verbis; ὁρῶ quippe et video, et definio, et destino interpretatur. Similiter compositum προορῶ, praevideo, praedefinio, praedestino. Quod ex contextu sacrae Scripturae facillime colligitur: in epistola ad Romanos: τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει [2], *destinati filii Dei in virtute* [a]; ad Ephesios [3]. *ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς* [4], *in caritate praedestinans nos* [b]; et paulo post: *προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν Θεοῦ* [5], *praedestinati secundum propositum Dei* [c]. In his omnibus interpres verbo praedestinationis usus est, cum posset et aliis uti, id est, et praevisionis, et praedefinitionis, quoniam haec tria verba, ut diximus, unius graeci verbi sensum exprimunt. Hinc illud nomen ὅρασις [5'] vel προόρασις [6], quod apud illos a verbo ὁρῶ vel προορῶ, derivatur, apud nos dicitur visio, vel definitio, vel destinatio, et eorum composita praevisio, praedefinitio, a composito Graeco veniunt, quod προόρασις [7]. Dehinc aperte conficitur, in his tribus verbis aut eundem sensum esse, aut tantam intelligentiae viciniam, ut unumquodque alterius loco poni possit.

III. Quae ratio ab Augustini dictionibus firmissime comprobatur. Cum enim ipse in libro, qui vocatur Enchiridion [8], Psalmographi exponeret versum: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, inter cetera dixit: « Quos juste praedestinavit ad poenam », et continuo, « quos benigne praedestinavit ad gratiam [d] ». Eundem versum in XI Exemeron [9] libro exponens eodem modo: « *Magna* », inquit, « *opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* » Praevidet bonos futuros et creat, praevidet malos futuros et creat: se ipsum ad fruendum praebens bonis, multa munerum suorum largiens et malis, misericorditer ignoscens, juste ulciscens; item misericorditer ulciscens, juste ignoscens, nihil metuens de cujusquam malitia, nihil indigens de cujusquam justitia, nihil sibi consulens, nec de operibus

A bonorum, et bonis consulens etiam de poenis malorum » [e]. Ubi profecto intelligendum, non aliud voluisse in verbo praedestinationis, quam quod voluit in verbo praevisionis.

IV. Quis ergo nisi insaniens non videat, non esse aliud Deo praedestinare, quam praedefinire, nec aliud esse praedefinire, quam praevidere [f]. Non aliud igitur praedestinare, quam praevidere. Proinde, sicut dicimus, Deum praevidisse, quae facturus et quae non facturus, cum procul dubio, quae ipse non facturus, nihil sunt; *omnia* quippe *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [g], nihil autem videri non potest: ita saepe auctores dicere invenimus, Deum praedestinasse, quae facturus, et quae non facturus, similiter praedefinisse [10]. Si enim in graecis codicibus B invenientes προώρισεν, non dubitamus intelligere praevidit, vel praedefinivit, vel praedestinavit: quid nos prohibet, audientes praedestinavit [11], accipere praevidit vel praedefinivit, servata illa incommutabili ratione, qua haec et hujusmodi verba in his tantum, quae Deus fecit, intelligantur inesse, in illis vero, quae Deus non fecit, e contrario dici posse, cum non sint? O aeterna veritas, et vera caritas, ostende temetipsam quaerentibus te in omnibus, in quibus es. Ostende, creatrix sapientissima, nihil esse extra te, et omnia, quae sunt intra te, ea [12] tantum a te praevisa et praedestinata, praedefinita et praescita esse, illa vero, quae dicuntur esse, cum non sint, nec a te esse, nec in te esse, ideoque nec a te praedestinata, nec praedefinita, nec praescita, nec praevisa. O Domine C misericordissime! peccatum non fecisti, neque mortem, neque interitum, neque supplicium, et ideo non sunt, nec a te potest esse, quod tu fieri [13] noluisti: *Non vis mortem peccatoris, sed vis ut convertatur et vivat* [h]. O aeterna sapientia! da, qui videat vitam creatricem nullomodo fecisse mortem vitae creatae, quando, si moreretur, poenas non pateretur [i]. Quod si anima peccatrix poenas patitur, vivere convincitur.

V. Mors igitur animae peccatum est: Deus non fecit peccatum animae, quandoquidem de eo liberat eam: non itaque mortem vitae fecit vita [14]. Poena peccati mors est: Deus mortem non fecit [j]: non fecit igitur poenam. Supplicium poena est: Deus non fecit poenam: non igitur fecit supplicium. Poena

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. ωρω προωρω, sic ubique. [2] Cod. του ορισθεντος υιου θῖ ενδιναμει. [3] Cod. *efesios*. [4] Cod. εναγαπε προωρισας ημας. [5] Cod. προωριστεντες κατα προσδησιν θῖ. [5'] Conc., cod. ὁροσια, M ὡρόσια. [6] Conj., cod. προωσια, M προωρόσια. [7] Conj., cod. προωροσια, M προωροσις. [8] Cod. ενχειριδον. [9] Cod. εξημερων. [10] Sic cod., M. *praefinisse*. [11] Sic cod., *vel praedestinavit—praedestinavit* om. M. [12] Sic cod., M *et*. [13] Sic cod., *fieri* om. M. [14] Sic cod., *vita* om. M.

NOTAE.

tantillula earum scientiola ultra vires suas tumuisse, atque in blasphemias impie prorupisse.

[a] Rom. I, 4.

[b] Ephes. I, 4. 5.

[c] Ibid. V. 11.

[d] Augustin. *Enchirid.* c. 110.

[e] Augustin. *de Genes. ad litt.* XI, 11.

[f] Praedestinationem nihil aliud esse quam praevisionem falsum est. Multa enim praevidentur quae nec D praedestinantur nec praedefiniuntur.

[g] Joan. I, 3.

[h] Ezech. XXXIII, 11.

[i] Prudentius: *Deum et praevidisse et praedestinasse mortem et poenas, qui peccaturum hominem praevidens, ei, ne peccaret, interdixerit, et, si peccaret, moriturum illum praedixerit.*

[j] Sap. I, 13.

peccati mors est : mors vitae peccatum est : poena itaque peccati est peccatum. Poena est supplicium : supplicium igitur peccati peccatum est. Vita aeterna Jesus Christus est : Jesus Christus mors mortis aeternae est : vita itaque aeterna mors mortis aeternae est, sicut ipse dixit : *Ero*[1] *mors tua, o mors, et morsus tuus, o inferne* [a]. Proinde vita non est mors vitae, quam fecit, sed est mors mortis, quam destruxit in his, quos praedestinavit ad se fruendum. In his vero, quos praedestinavit ad interitum, non destruxit, quia eos in massa originalis peccati remotissimo a nobis suo judicio reliquit, relictos deseruit, desertos lumine tenebrae torquent[2], desertos vita mors interimit. Non quod in eis ipse fecit, relinquit vel deferit, alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in eis non esset ; sed quod in eis non fecit, id est superbiam, sprevit. Deus enim in ea natura, quam ad se creavit, semper habitat, ac per hoc semper ea manet, in qua, qui semper est, residet[3].

VI. Quod vero dixi *quos praedestinavit ad interitum*, propterea dixi, quoniam beatum Augustinum talia dixisse saepe reperio, demonstraturus adjuvante Domino, Quid tali locutionum genere insinuare voluit piissimus doctrinae pater, pulcherrimum exemplar eloquentiae, acutissimus veritatis inquisitor, studiosissimus liberalium artium magister, providentissimus animorum exercitator, humillimus persuasor, ne in suis dictionibus quis aestimet eum voluisse, quod videatur veritati resistere. Non itaque eodem modo voluit intelligi, quod dixit : « Quos juste praedestinavit ad poenam », quo voluit, quod dixit : « quos benigne praedestinavit ad gratiam [b] ». Attende in haec, quae sequuntur. Omnis creatura, priusquam fieret, ita est a Creatore praedestinata, id est, praedefinita et praevisa, ut terminos naturae suae, intra quos fuerat condenda, omnino impleret, nullo modo excederet. Termini autem omnium naturarum constituti in arte omnipotentis artificis, quae est Patris sapientia, in qua et per quam cuncta sunt condita. Naturarum deinde creatarum quaedam sunt, quae ordinem legis aeterni transgredi nec volunt, nec possunt, ut[4] sunt omnia ratione et intellectu carentia ; quaedam vero sunt, quibus ratio et intellectus substantialiter insitus. Quarum quidem pars una conditoris sui gratia liberata aeternis legibus volendo servit, adhaerendo beata fit ; altera[5] vero, merito relicta superbiae atque inobedientiae, intra ordinem praedictae legis, videlicet aeternae, coartari noluit, sed eam transcendere non potuit. Quoquo modo enim se moveat turpiter rationalis voluntas, in aeterna inveniet[6] arte terminum, in quo turpitudo sua ordinabitur honeste, ita ut de ipsius detestabili

A nequitia honestetur laudanda sapientiae disciplina, et unius partis inordinata deformitas totius universitatis ordinatissimam pulchritudinem non minuat.

VII. Proinde summa et ineffabilis divina sapientia praedestinavit in suis legibus modos, ultra quos impiorum malitia progredi non potest. Non enim sinitur alicujus malitia in infinitum, prout velit, extendi, divinis legibus progrediendi modum imponentibus. Quid enim appetit impiorum omnium, et sui capitis, quod est diabolus, nequitia, nisi ab eo, qui est summa essentia, recedere, in tantum, ut eorum natura, si lex divina sineret, in nihilum rediret ? Hinc namque nequitia est dicta, quod nequicquam[7], id est nihilum esse contendit. Sed quoniam ei difficultas ex aeternis legibus obsistit, ne in tan-
B tum cadat, quantum vellet, ex ea difficultate laborat, laborando torquetur, punitur, cruciatur. Et unde fit misera ? Inanium voluptatum egestate. Praedestinavit itaque Deus impios ad poenam, vel interitum, hoc est, circumscripsit eos legibus suis incommutabilibus, quas eorum impietas evadere non permittitur : ad poenam profecto suam ; ea quippe difficultas, ut est dictum, qua prohibentur pervenire ad ea, quae libidinose appetunt, efficitur eis poenalis interitus, et suae miserrimae cupidinis justissimus cruciatus. Sicut enim Deus electorum, quos praedestinavit ad gratiam, liberavit voluntatem, eamque caritatis suae affectibus implevit, ut non solum intra fines aeternae legis gaudeant contineri, sed
C etiam ipsos transire nec velle, nec posse maximum suae gloriae munus esse non dubitent : ita reproborum, quos praedestinavit ad poenam turpissimam, coercet voluntatem, ut e contrario, quicquid illis pertinet ad gaudium beatae vitae, istis vertatur in supplicium miseriae.

VIII. Itaque utriusque partis praedestinatus est numerus ; in utraque quippe Deus substantialem naturae numerum substituit, substitutam[8] praedefinivit. Una enim eademque natura numerose multiplicatur in omnibus, ita ut una in singulis, et singuli in una sint, neque est aliud ipsa nisi unusquisque, neque aliud unusquisque nisi ipsa. Omnium igitur, quos Deus creavit, praedestinatus est numerus ; sed quoniam conditor praevidit, ipsum nume-
D rum in primo homine generaliter periturum, excepto vulneris medicamento, quod est Christus, praedestinavit, hoc est, antequam fierent, definivit et eorum numerum, quos sua gratia liberaturus, et eorum, quos sua justitia relicturus, in istis[9] clementiae suae dona daturus, in illis[10] naturae numerum, quo universitas perficeretur, impleturus, in utrisque divitias bonitatis suae demonstraturus, omnibus tribuens leges suas servandi potestatem, si

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod. M, *caro*. [2] Corr., cod. et M *torquent*. [3] Sic M, cod. *possidet*. [4] Sic cod., M *uti*. [5] Sic M, cod. *alter*. [6] Sic M, cod. *inveniat*. [7] Cod. *nequiquam*. [8] Sic cod., M *substantiam*. [9] Sic cod., *missis*. [10] Sic cod., M *illis*.

NOTAE.

[a] Ose. XIII, 14.

[b] August. in *Enchirid*. c. 100.

vellent, antequam omnes in uno peccarent, sed non omnibus tribuens, ut velint, post peccatum praeparans electos ad beatitudinem, disponens reprobos, ut suis, quamvis inviti, legibus serviant, cum non, ut sic sibi servirent, praedestinavit eos faciendos, sed ut ei voluntate perfecta adhaererent; inviti autem ei serviunt, non illorum natura, quam in eis fecit, et in eis non punit, sed mala voluntate [1], quam in eis non fecit, et in eis punit. [a] In eo enim, quod ei inviti serviunt, puniuntur in seipsis sua poena, de qua quos juste Deus non liberat, ad eam illos quodammodo praeparat, dum eos ad eam se ipsos praeparare permittat [b], cum veritas doceat, et nullum praedestinasse ad interitum, et nulli interitum praeparasse.

IX. Praedestinavit itaque, impios aeternis suis justissimisque legibus inviti [2] serrituros, easque nullo impetu impietatis suae in profundum malitiae tendentis transituros, eoque modo puniendi interituros. Nulla quippe gravior poena infligitur servo iniquo, quam ut cogatur servire invitus justo Domino. Plus etenim in se ipso interius superbae voluntatis patitur incitamenta, quam exterius in corpore durissima flagella, quia, cum Domini sui voluntatem spernere non sinitur [3], intra semetipsum a se ipso cruciatur. Quis autem recte judicantium talis poenae auctoritatem justo Domino, et non potius referat injusto servo, quandoquidem intra seipsum inobedientiae suae facibus incenditur, priusquam a Domino extrinsecus ad cumulum poenae tormentum aliquod addatur. Eo igitur loquendi modo Deus dicitur impios ad interitum praedestinasse, quo diceretur eorum impietatem, qua intereunt, legibus suis circumscripsisse, impetumque libidinosae eorum superbiae justissimo sui moderaminis temperamento refrenasse, ut miro atque ineffabili modo divinarum legum pulcherrima moderatio eorum nequitiae esset deterrima damnatio. Una eademque lex aequissimo rempublicam ordine disponens, sicut bene vivere volentibus adhibet vitam, ita male vivere cupientibus interitum. Intra eadem septa regalis aulae febricitans sua miseria torquetur, sanitate pollens laetatur. Duorum solem simul adspicientium unus ordinato visu illuminatur, alter inordinato tenebris percutitur. Unus idemque cibus amarus infirmo, dulcis sano; una eademque spiritualis doctrina aliis odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem.

X. Proinde divina praedestinatio, quae procul dubio nihil aliud est, quam divina praevisio, *omnia* A *quae voluit fecit*, omnia substantialiter constituit, omnia legibus suis pulcherrimis, justissimis, misericordissimisque ordinavit, ut liberati per unigenitum Dei filium Dominum nostrum Jesum Christum libere beateque in eis regnarent, ab eo autem [4] relicti inviti eis servirent, ac per hoc sub eis perirent, non ut de eorum natura, quam ipse fecit, aliquid pereat, sed ut in eis, quod ipse non fecit, puniri cogat. Cum itaque audio « quos juste praedestinavit ad poenam », intelligo, quorum malitiam, qua puniuntur legibus suis, refrenandam praedestinavit. Sicut enim nullo modo malos praedestinavit ad malitiam, ita nullo modo praedestinavit malitiam ad puniendos malos. Et sicut praedestinavit malos invitos legibus suis servituros, ita leges suas praedestinavit B malos malitia sua punitos non evasuros. Ubi subtiliter intelligendum, quod praedestinatio ipsa sit lex, et lex ipsa sit praedestinatio. Si enim omnis praedestinatio definitio est, et omnis lex definitio, omnis igitur praedestinatio lex est, et omnis lex praedestinatio. Divina itaque praedestinatio est lex omnium naturarum aeterna, et incommutabilis disciplina, ruinas mutabilis creaturae in his, quos gratia sua elegit, misericorditer renovans, in his vero, quos juste repulit, potenter ordinans, ita ut ipsa disciplina, dum sit eadem in se semper aequaliter manens, diligentibus eam sit beatitudinis gloria, odientibus eam sit suppliciorum contumelia, dum diligentium nihil aliud sit beatitudo, nisi gaudium de veritate, odientium nulla sit miseria, nisi dolor de veritatis aequitate. C Illos sua invidia torquet invitos, istos sua caritas coronat benevolos [5].

CAPITULUM XIX.

De igne aeterno.

I. De aeterno vero igne, de quo Dominus in Evangelio ait: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus* [c], nulli dubitandum, corporeum esse, quamvis pro subtilitate naturae incorporeus esse dicatur, quemadmodum solemus dicere aethereum spiritum, cum quarta pars sit corporalis creaturae. Nec facile crediderim, alium ignem praeparatum ad puniendum diabolum cum omnibus suis membris, praeter istum ipsum, qui est quartum mundi elementum [d]. Quid enim? Numquid D mirum, si illa impiorum corpora, quae profecto de his quattuor corporalibus elementis sunt compacta, in eadem resolvenda tempore quoque praedefinito, ab eisdem iterum resurrectionis momento revocanda, in illo igne, quo resurrectura

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic M, cod. *malam voluntatem*. [2] Sic cod., M *invite*. [3] Sic cod., M *sinatur*. [4] Sic cod., M *tamen*
[5] Cod. *benivolos*.

NOTAE.

[a] Prudentius observat, *utrumque, et naturam scilicet, et voluntatem impiorum Deo invite servire, justeque puniri, non a se ipsis sua poena, sed ab illo, cujus est potestas justa.*

[b] Prudentius: *Id Patres nunquam tali locutione dictum sensisse, quin imo istos et praeparare se ipsos ad poenam inique vivendo, et in iniquitate perseverando, et Deum praeparare eos justissime judicando.*

[c] Matth. XXV, 41.

[d] De hac re nihil constat. Prudentio alius omnino ignis esse videtur, quoniam diversae qualitatis sint.

omnium, corpora maxime substantialiter constabunt, merito impietatis suae tormenta patientur aeterna?

II. Ubi non incongrue credendum, quod corpora sanctorum in aetheream mutabuntur qualitatem, quae ab alia qualitate consumi non potest, cum inferiorum corporum qualitates in se mutare possit [1], impiorum vero corpora in aeream qualitatem transitura, ut a superiore igne patiantur [a]. Hinc est, quod diabolus post lapsum detrusus ab aethereo spatio, adjunctum est ei invito aereum corpus, in quo poenas suae superbiae luat. Miro atque ineffabili naturarum modo peragitur, occulto tamen justoque judicio, ut, quod elementa mundi inter se quasi quodam naturalis amoris vinculo complexa inseparabiliterque conjuncta ordinatissimo motu appetunt, veritatem odientibus vertatur in supplicium. Ignea quippe qualitas superior naturali vi inferiorum elementorum qualitates in se transfundere semper appetit naturali motu, quasi quoddam sui alimentum.

III. Cum ergo, ut diximus, suprema omnium corporum qualitas, quae est aetherea, inferiores qualitates et intra se ambiendo coartat, et in se, prout lex naturarum sinit, commovere non desinat, naturarum intra se mirabile perficitur gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum [b]. Proinde impiorum omnium, angelorum videlicet hominumque perversorum, corpora ita sunt supplicia ignis aeterni perpessura, ut integritate eorum substantiae nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturae bonis ad universitatis ornamentum mirabili ordine refulsuris [c], excepta beatitudine, qua privabuntur, quae non est ex natura, sed ex gratia, superioris ignis corporei cum inferioris aeris corporibus qualitate colluctante, naturali vi servata, infelicium animarum intentio de corporibus suis aeternas patiatur [2] aerumnas [d]: ita videlicet, ut idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria [e], quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur poena.

IV. Quod si alicui incredibile videtur, corpora quidem semper arsura, et de ipsorum nihil perituram natura, videat illum lapidem, qui in Arcadia sub monte nascitur Erimanthi [3]; qui cum sit ferrei nitoris, tacto accensus, ab igni [4] extingui nequit [5], quem Graii [6] nomine vero asbestum, id est, inextinguibilem memorant, ita, ut et color ei praebeatur ignea natura, et nihil minuatur de ejus substantia: videat salamandram [7] in igne viventem. Hinc potest conjici, non substantiam, neque [8] ejus qualitates gehennali flamma torquendas, sed sensum patientis et animum reluctantis aeterna miseria luctaturos.

EPILOGUS.

De divina praedestinatione.

I. Quae cum ita sint, ecce, unum Deum colo, unum omnium principium et sapientiam, qua sapiens est, quaecunque anima sapiens est, et ipsum munus, quo beata sunt, quaecunque beata sunt, et ejus unam et solam et veram praedestinationem profiteor, quae est, quod ipse est, quia lex ejus aeterna et incommutabilis est, quae sicut neminem praedestinavit ad interitum, quia vita est, et reflexim, sicut nulli malo praedestinavit malitiam, quae interitus est, ita nulli malo praedestinavit interitum, quia malitia est. Nulli namque catholico licet credere, summam bonitatem, ex qua est omne bonum, praedestinasse alicui aliquam malitiam, et summam vitam, ex qua, et in qua, et per quam omnia vivunt, alicui praedestinasse interitum vel poenam, quando ne [9] id quidem, quod se invicem perdit, perire permittat.

II. Proinde cum audio praedicatores tuos, o beatissima veritas, vita omnium communis, dicentes, te praedestinasse impios ad interitum, aut interitum impiis, continuo, lux clarissima, te illuminante tenebras meas, in te video te praedestinasse, id est, ante secula definiisse [10] intra leges tuas incommutabiles certum numerum eorum, qui in sua impietate, quam nunquam et nusquam praedestinasti, interituri essent. Quod alio modo dici potest: praedestinasti, Domine, in tua praescientia, quae falli mutarique non potest, numerum illorum, quae suae impietatis et poenam et interitum praeparaturi essent, non in eis, quod fecisti, puniturus, sed in eis, quod non fecisti, puniri relicturus. Haec est fides mea, o aeterna lux mentium, de tua praedestinatione, quae tu es.

III. Ac per hoc cum omnibus orthodoxis fidelibus anathematizo eos, qui dicunt, duas praedestinationes esse, aut unam geminam, bipertitam, aut duplam. Si enim duae sunt, non est una divina substantia. Si gemina, non est individua. Si bipertita, non est simplex, sed partibus composita. Si dupla est, complicata est. Quod si prohibemur divinam unitatem dicere triplam, qua dementia audet haereticus eam asserere duplam? Tali igitur monstroso, venenoso,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., M *posset.* [2] Sic cod. et M. [3] Cod. *erimanti.* [4] Sic cod., M *igne.* [5] Cod. *extingui nequitur.* [6] Cod. *Grai.* [7] Sic M, cod. *salamandra.* [8] Sic cod., M *atque.* [9] Sic cod., M *nec.* [10] Cod. *diffinisse.*

NOTAE.

[a] Prudentius: *Sanctorum corpora nequaquam vel in illo igne, vel absque ipso in aetheream mutari qualitatem, sed in veritate propriae carnis atque membrorum, quamlibet glorificata, mansura, atque in aeternum victura, praeter immortalitatem, qua jam corrumpi per mortem atque deficere nunquam possint.*

[b] Prudentius: *Nullum illic fieri gaudium naturarum, ubi, testante Domino, fletus erit et stridor dentium.*

[c] Prudentius: *Dicere Scripturam: « Ubi nullus ordo et sempiternus horror inhabitat ».*

[d] Prudentius: *Eos et animarum et corporum aeternos perpeti cruciatus.*

[e] Prudentius: *Nullam prorsus fieri gloriam, verum interminabile tormentum.*

mortifero dogmate a cordibus nostris radicitus explosο credamus, unam aeternam praedestinationem Dei Domini esse, et non nisi in his, quae sunt, ad A ea vero, quae non sunt, nullo modo pertinere. *Explicit* [1].

VARIAE LECTIONES.

[1] *Explicit* recens alia manus addidisse videtur.

JOANNIS SCOTI

ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ ΜΕΡΙΣΜΟΥ

ID EST

DE DIVISIONE NATURAE

LIBRI QUINQUE

Editio princeps. . . . . A
Cod. ms. Parisiensis S. Germani in editione principe adhibitus . . . . B
Cod. ms. S. Germani 309 bibl. Reg. Paris, membran., sec. XI C
Cod. ms. lat. 1764 bibl. Reg. Paris, membran., sec. XII (mutilus). . . . . . D
Cod. ms. S. Germani 280 bibl. Reg. Paris., membran., sec. XII (mutilus) . . E
Cod. ms. S. Germani 830 bibl. Reg. Paris., membran., sec. XI (lib. IV et V). F

MONITUM AD LECTOREM.

Joannis Scoti « de divisione Naturae » libri satis ampli omnino duplicem speciem prae se ferunt. Modo enim fidem Ecclesiae non migrant, et « sanctorum Patrum intellectus pie ac venerabiliter suscipiendos esse » nos edocent, modo philosophicas referunt theorias a veritate plurimum recedentes. Unde fit, ut, cum his theoriis primae partes tribuantur, pessimi saepenumero nascantur errores. Quos excusare ideo, quod Joannes Scotus aliis locis saniorem doctrinam protulit, vel interdum ipsam veritatem ingeniose ac praeclare exposuit, non licet.

Haec igitur quum illorum librorum indoles sit, ut in iis veritas cum erroribus, quos Joannes Scotus e philosophia sua petivit, artificiose misceatur, quid mirum, quod Ecclesiae antistites tale opus, ubi, eousque neglectum, a medii aevi haereticis e bibliothecis protrahi et pro apice scientiae ac veritatis venditari coepit, respuerunt, damnarunt, atque Honorius Papa III id igni adjudicandum esse censuit? Cujus bullam integram ut in medium afferamus, res postulare videtur. Est enim talis :

Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis et episcopis etc.

Inimicus homo zizania bono semini seminare non cessat etc. Nuper siquidem, sicut nobis significavit venerabilis frater noster Parisiensis episcopus, est quidam liber, Periphysis titulatus, inventus, tot scatens vermibus haereticae pravitatis, unde a venerabili fratre nostro archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus, in provinciali concilio congregatis, justo est Dei judicio reprobatus. Quia igitur liber, sicut recepimus, in nonnullis monasteriis et aliis locis habetur, et claustrales nonnulli et viri scholastici, novi tamen forte plus quam expediat amatores, se studiosius lectione occupant dicti libri, gloriosum reputantes, ignotas proferre sententias, cum Apostolus profanas novitates doceat vitare, nos juxta pastoralis sollicitudinis debitum corruptelae, quam posset ingerere liber hujusmodi, occurrere satagentes, vobis universis et singulis in virtute sancti Spiritus districte praecipiendo mandamus, quatenus libellum istum sollicite perquiratis, et ubicunque ipsum vel partem ejus inveniri contigerit, ad nos, si secure fieri possit, sine dilatione mittatis solemniter comburendum; alioquin vos ipsi publice comburatis eundem, subditis vestris expresse injungentes, ut, quicunque ipsorum habent vel habere possunt in toto vel in parte exemplaria dicti libri, ea nobis differant resignare, in omnes, qui ultra quindecim dies, postquam hujusmodi mandatum seu denuntiatio ad notitiam eorum pervenerit, librum ipsum totum aut partem scienter retinere praesumpserint, excommunicationis sententiam incurrisse notamque pravitatis haereticae non evadent. Datum Laterani decimo Kalendas Februarii etc. (a).

(a) Chronicon Alberici ad a. 1225, ed. Leibnitz. Lipsiae MDCIIC p. 514.

Lata hac sententia acerbissima, nulla medio aevo illorum librorum amplius mentio fit. Anno demum 1681 prodierunt typis excusi cura Thomae Galei, Angli. Statim repetitur censura Ecclesiae. Nam in indice librorum prohibitorum haec reperis : *Erigena Joannes Scotus de Divisione naturae libri V. Accedit Appendix ex Ambiguis S. Maximi graece et latine. Decretum III April. MDCLXXXV.*

Haec igitur quum ita se habeant, quid de indole ac natura horum librorum statuendum sit, inter catholicos dubium esse nequit. Cur ii hic typis repetantur, in Prooemio aperuimus. Systema autem eorum exponere, singulosque errores perstringere, quod hoc loco supersedere possumus, scriptori Commentationis de Joanne Scoto supra impressae debetur : cujus ad partem alteram, quae in hoc argumento integra versatur, ne acta agere videamur, delegamus.

Guilelmus Malmesburiensis opus illud praedicat *propter perplexitatem quarundam quaestionum solvendam bene utile;* sed addit : *si tamen ignoscatur ei* (Joanni Scoto) *in quibusdam, quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Graecos acriter oculos intendit. Quapropter et haereticus putatus est... Sunt enim revera in libro Peri physion perplurima, quae, nisi diligenter discutiantur, a fide catholica abhorrentia videantur.* Anglus cum Scoto leniter agere videtur. Libros vero περὶ φύσεως μερισμοῦ si attente perlegeris, tibi facile persuadebis, errores, quos in libro de Praedestinatione cognovimus, ex illorum systemate quasi sponte procedere.

ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ ΜΕΡΙΣΜΟΥ

ID EST

DE DIVISIONE NATURAE.

LIBER PRIMUS[1]

MAGISTER. Saepe mihi cogitanti, diligentiusque quantum vires suppetunt inquirenti, rerum omnium, quae vel animo percipi possunt, vel intentionem ejus superant, primam summamque divisionem esse in ea quae sunt, et in ea quae non sunt, horum omnium generale vocabulum occurrit, quod graece φύσις, latine vero *natura* vocitatur[2]. An tibi aliter videtur? DISCIPULUS. Imo, consentio; nam et ego dum ratiocinandi viam ingredior, haec ita fieri reperio. MAG. Est igitur natura generale nomen, ut diximus, omnium quae sunt et quae non sunt. DISC. Est quidem; nihil enim in universo cogitationibus nostris potest occurrere, quod tali vocabulo valeat carere[3]. MAG. Quoniam igitur inter nos convenit de hoc vocabulo generale esse, velim dicas divisionis ejus per differentias in species rationem : aut sicubi[4] libet, prius conabor dividere, tuum vero erit, divisa judicare. DISC. Ingredere, quaeso; impatiens enim sum, de his veram rationem a te audire volens.

1. MAG. Videtur mihi divisio naturae per quattuor differentias quattuor species recipere : quarum prima est in eam[5], quae creat et non creatur; secunda in eam, quae creatur et creat; tertia in eam, quae creatur et non creat; quarta, quae nec creat nec creatur. Harum vero[6] A quattuor binae sibi invicem opponuntur; nam tertia opponitur primae, quarta vero secundae; sed quarta inter impossibilia ponitur, cujus differentia est[7] non posse esse. Rectane tibi talis divisio videtur, an non? DISC. Recta quidem : sed velim repetas, ut praedictarum formarum oppositio clarius elucescat. MAG. Vides, ni fallor, tertiae speciei primae oppositionem. Prima namque creat et non creatur; cui e contrario opponitur illa, quae creatur et non creat. Secunda vero quartae; siquidem secunda et creatur et creat[8], cui universaliter quarta contradicit, quae nec creat neque creatur. DISC. Clare video. Sed multum me movet quarta species, quae a te addita est. Nam de aliis tribus nullo modo haesitare ausim, cum prima, ut arbitror, in causa omnium, quae sunt B et quae non sunt, intelligatur; secunda vero in primordialibus causis; tertia in his, quae in generatione temporibusque et locis cognoscuntur. Atque ideo de singulis disputari subtilius necessarium[9], ut video. MAG. Recte aestimas. Sed quo ordine ratiocinationis via tenenda sit, hoc est, de qua specie naturae primo discutiendum, tuo arbitrio committo. DISC. Ratum mihi videtur, ante alias de prima, quicquid lux mentium largita fuerit, dicere.

2. MAG. Ita fiat. Sed prius de summa ac principali

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic A; C *incipit primus* περὶ φύσεων; D titulum omittit. [2] *A vocatur*, D *vociletur*. [3] *Mag. est igitur natura—carere* om. A. [4] A *si*. [5] *in eam* om. A. [6] *vero* om. A. [7] *est* om. D. [8] A *creat et creatur*. [9] A *necessarium est*.

omnium, ut diximus, divisione in ea, quae sunt et quae non sunt, breviter dicendum existimo [1]. Disc. Jure provideque. Non enim ex alio primordio ratiocinationem inchoari oportere video; nec solum, quia prima omnium [2] differentia, sed quia obscurior ceteris videtur esse, et est. Mag. Ipsa itaque primordialis omnium discretiva differentia certos suae interpretationis modos inquirit.

3. Quorum primus videtur esse ipse, per quem ratio suadet, omnia, quae corporeo sensui, vel intelligentiae perceptioni succumbunt, posse rationabiliter dici esse; ea vero, quae per excellentiam suae naturae non solum ὕλιον, id est [3] omnem sensum, sed etiam intellectum rationemque fugiunt, jure videri non esse. Quae non nisi in solo Deo, materiaque, et in omnium rerum, quae ab eo conditae sunt, rationibus atque essentiis recte intelliguntur. Nec immerito; ipse namque omnium essentia est [4], qui solus vere est, ut ait Dionysius Areopagita: *Esse*, inquit, *omnium est, superesse Divinitas* [5]. Gregorius etiam [6] Theologus multis rationibus, nullam substantiam seu essentiam [7], sive visibilis sive invisibilis creaturae, intellectu vel ratione comprehendi posse confirmat, quid sit. Nam sicut ipse Deus in seipso ultra omnem creaturam [8] nullo intellectu comprehenditur, ita etiam in secretissimis sinibus [9] creaturae ab eo factae et in eo existentis [10] considerata οὐσία incomprehensibilis est. Quicquid autem in omni creatura vel sensu corporeo percipitur, seu intellectu consideratur, nihil aliud est, nisi quoddam accidens incomprehensibile per se, ut dictum est, uniuscujusque essentiae; quae aut [11] per qualitatem, aut quantitatem, aut formam, aut materiem [12], aut differentiam quandam, aut locum, aut tempus cognoscitur [13], non quid est, sed quia est. Iste igitur modus primus ac summus est divisionis eorum, quae dicuntur [14] esse et non esse; quia vero [15] modus iste, qui videtur quodam modo introduci posse, qui in privationibus circa substantias habitudinum, ut circa oculos visus et [16] orbitas [17], constituitur, nullo modo recipiendus est, ut arbitror. Nam quod penitus non est, nec esse potest, nec prae eminentiae suae existentiae intellectum exuperat, quomodo in rerum divisionibus recipi valeat, non video, nisi forte quis dixerit, rerum, quae sunt, absentias et privationes non omnino nihil esse, sed earum, quarum privationes seu absentiae seu oppositiones sunt, mirabili quadam naturali [18] virtute contineri, ut quodam modo sint.

4. Fiat [19] secundus modus essendi et non essendi, qui in naturarum creatarum [20] ordinibus atque differentiis consideratur, qui ab excelsissima et circa Deum proxime constituta intellectuali virtute inchoans, usque ad extremitatem rationalis irrationalisque creaturae descendit [21]; hoc est, ut apertius dicamus, a sublimissimo angelo usque ad extremam rationabilis irrationabilisque animae partem, nutritivam dico et auctivam [22] vitam [23]. Quae pars generalis animae ultima est, quae [24] corpus nutrit et auget. Ubi mirabili intelligentiae modo unusquisque ordo cum ipso deorsum versus novissimo, qui est corporum, et in quo omnis divisio terminatur, potest dici esse et non esse. Inferioris enim affirmatio, superioris est negatio. Itemque inferioris negatio, superioris est affirmatio. Eodemque modo superioris affirmatio, inferioris est negatio. Negatio vero superioris erit affirmatio inferioris. Affirmatio quippe hominis, (mortalis adhuc dico) negatio est angeli. Negatio vero hominis affirmatio est angeli: et vicissim. Si enim homo est animal [a] rationale, mortale, visibile, profecto angelus neque animal rationale est, neque mortale, neque visibile [25]. Item si angelus est essentialis motus intellectualis circa Deum rerumque [26] causas, profecto homo non est essentialis motus intellectualis circa Deum et rerum causas. Eademque regula in omnibus caelestibus essentiis, usque dum ad supremum [27] omnium perveniatur [28] ordinem, observari potest; ipse vero in suprema sursum negatione terminatur. Ejus namque negatio nullam creaturam superiorem se confirmat. Tres autem ordines sunt, quos ὁμοταγεῖς [29] vocant; quorum primus Cherubim, Seraphim, Throni; secundus Virtutes, Potestates, Dominationes; tertius Principatus, Archangeli, Angeli. Deorsum vero corporum novissimus solummodo superiorem se aut negat aut affirmat [30], quia infra se nihil habet, quod vel auferat vel constituat, quia [31] ab omnibus superioribus se praeceditur, nullum vero inferiorem se praecedit. Hac item ratione omnis ordo rationalis et intellectualis creaturae esse dicitur et non esse. *Est* enim, quantum a superioribus vel a se ipso cognoscitur; *non est* autem, quantum ab inferioribus se comprehendi non sinit.

5. Tertius modus non incongrue inspicitur in his, quibus hujus mundi visibilis plenitudo perficitur, et in suis causis praecedentibus in secretissimis naturae sinibus. Quicquid enim ipsarum causarum in materia formata, in temporibus et [32] locis per generationem cognoscitur, quadam humana consuetudine dicitur esse. Quicquid vero adhuc in ipsis naturae

VARIAE LECTIONES.

[1] A *aestimo*. [2] A prima *est* omnium. [3] ὕλιον *id est* om. CD non solum *in graeco primam matheriarum a domino nullo modo prorsus formatam*, omnem sensum (illa verba pessime dilacerata sola conjectura assecutus sum). [4] *est* om. D. [5] Sic CD; A *divinitatis*. [6] *etiam* om. D. [7] *seu essentiam* om. A. [8] A *creaturam omnem*. [9] *sinibus* om. D. [10] A *consistentis*. [11] *aut* om. D. [12] A *materiam*. [13] A *agnoscitur*. [14] C *dicunt*. [15] *vero* om. A. [16] *visus et* om. AC *et visus et*. [17] CD *orbatus*. [18] *naturali* om. D. [19] A *Fiat igitur*. [20] A creatarum *et creaturarum*. [21] A *descendat*. [22] AC *activam*. [23] C *nutritivam vitam dico et activam*. [24] D *quoniam*. [25] Corr., ACD *risibile*. [26] A *et rerum*. [27] D supra adscr. *summum*. [28] A *perveniant*. [29] CDE ὁμοταγις [30] CE *firmat*, D *confirmat*. [31] C *qui*. [32] *et* om. D.

NOTAE.

[a] Verbis *animal rationale* incipit cod. E.

sinibus continetur, aeque in formata materia, vel A loco vel tempore, ceterisque accidentibus apparet, eadem praedicta consuetudine dicitur non esse. Hujusmodi exempla late patent, et maxime in humana natura. Cum enim Deus omnes homines in illo primo atque uno, quem ad imaginem suam fecit, simul constituerit, sed non simul in hunc mundum visibilem produxit [1], certis vero temporibus locisque naturam, quam simul condiderat, quadam, ut ipse novit, serie ad visibilem essentiam adducit [2], hi, qui jam in mundo visibiliter apparent, et apparuerunt, dicuntur esse; qui vero adhuc latent, futuri tamen sunt, dicuntur non esse. Inter primum et tertium [4] hoc distat. Primus generaliter in omnibus, quae [5] simul et semel in causis et effectibus facta sunt. Tertius [6] specialiter in his, quae partim [7] B adhuc in causis suis latent, partim in effectibus patent, quibus proprie mundus iste contexitur. Ad hunc modum pertinet ratio illa, quae virtutem seminum considerat, sive in animalibus, sive in [8] arboribus, sive in herbis. Virtus [9] enim seminum eo tempore, quo in secretis naturae silet, quia nondum apparet, dicitur non esse; dum vero in nascentibus crescentibusque animalibus, seu floribus fructibusve lignorum et herbarum apparuerit, dicitur esse.

6. Quartus modus est, qui secundum philosophos non improbabiliter ea solummodo, quae solo comprehenduntur intellectu, dicit [10] vere esse; quae vero per generationem, materiae distentionibus [11], seu detractionibus, locorum quoque spatiis temporumque motibus variantur, colliguntur, solvuntur, C vere dicuntur non esse, ut sunt omnia corpora, quae nasci et corrumpi possunt.

7. Quintus modus est [12], quem in sola humana natura ratio intuetur. Quae cum divinae imaginis dignitatem, in qua proprie substitit [13], peccando deseruit, merito esse suum perdidit, et ideo dicitur non esse. Dum vero unigeniti Dei filii gratia restaurata ad pristinum suae substantiae [14] statum, in qua secundum imaginem Dei condita est, reducitur, incipit esse, et [15] in eo, qui secundum imaginem Dei conditus est, inchoat vivere. Ad hunc modum videtur [16] pertinere, quod Apostolus dicit : *Et vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt;* hoc est, qui in primo homine perditi sunt, et ad quandam insubsistentiam ceciderunt, Deus Pater per fidem in D Filium suum vocat, ut sint, sicut hi [17], qui jam in Christo renati sunt. Quanquam et [18] hoc ita intelligi possit et de his, quos quotidie [19] Deus ex secretis naturae sinibus, in quibus aestimantur non esse, vocat, ut appareant visibiliter in forma, et materia, ceterisque, in quibus occulta apparere possunt, et si quid praeter hos modos indagatior ratio invenire potest. Sed praesentialiter, ut arbitror, de his [20] satis dictum est, si tibi aliter non videtur. Disc. Satis plane, ni [21] me paulisper perturbaret [22], quod a sancto Augustino in Exemero [22*] suo dictum videtur [23]; hoc est: *angelicam naturam ante omnem creaturam dignitate, non tempore conditam fuisse;* ac per hoc et aliorum omnium praeter suimet primordiales causas, hoc est, principalia exempla, quae Graeci πρωτότυπα nominant, prius in Deo considerasse, deinde in seipsa, deinde ipsas creaturas in effectibus suis. Nam suimet causam, priusquam in speciem propriam procederet, cognoscere non valuit. Mag. Nec illud te movere oportet. Sed intentius ea [24], quae dicta sunt, considera. Si enim angelos principales rerum causas in Deo constitutas cognovisse dixerimus, Apostolo resistere videbimur, qui *super omne, quod dicitur et intelligitur,* ipsum Deum et causas omnium in eo, sive aliud sive non aliud sint [25] praeter id, quod ipse est, affirma esse. Ac per hoc necessarium est, rectam mediamque viam tenere, ne vel Apostolo videamur resistere, vel sententiam summae ac sanctae autoritatis magistri non obtinere. Utrumque igitur verum dixisse non dubitandum, imo firmiter tenendum. Causam igitur omnium rerum [26], quae omnem intellectum exuperat, nulli creatae naturae secundum Apostolum [27] cognitam fieri, ratio sinit. *Quis enim,* inquit, *intellectum Domini cognovit?* et alibi : *Pax Christi, quae exuperat omnem intellectum.* At si causa omnium ab omnibus, quae ab ea creata sunt [28], remota est, absque ulla dubitatione rationes omnium rerum, quae aeternaliter et incommutabiliter in ea sunt, ab omnibus, quorum rationes sunt, penitus remotae sunt. In angelicis vero intellectibus earum rationum theophanias quasdam esse, hoc est, comprehensibiles intellectuali [29] naturae quasdam divinas apparitiones, non autem ipsas rationes, id est principalia exempla, quisquis dixerit, non, ut arbitror, a veritate errabit. Quas theophanias in angelica creatura sanctum Augustinum ante omnium generationem inferiorum se visas non incongrue dixisse credimus. Non ergo nos moveat, quod [30] diximus, quia angeli et primum in Deo, deinde in seipsis inferioris creaturae causas vident. Non enim essentia divina Deus solummodo dicitur, sed etiam [31] modus ille [32], quo se quodammodo intellectuali et rationali creaturae, prout est capacitas uniuscujusque, ostendit, Deus saepe a sacra Scriptura vocitatur. Qui modus a Graecis theophania, hoc est, Dei apparitio solet appellari. Cujus exemplum : *Vidi Dominum sedentem,* et cetera hujusmodi; cum non ipsius essentiam, sed aliquid ab eo factum viderit. Non est ergo mirum, si trina

VARIAE LECTIONES.

[1] A *nec.* [2] Sic CDE, A *produxerit.* [3] Sic CDE, A *adduxit.* [4] A tertium *modum.* [5] C *qui.* [6] Sic ADE; BC *secundus.* [7] C *partem.* [8] *in* om. C. [9] C *virtutis.* [10] D *dicitur.* [11] A *distensionibus.* [12] A *est modus.* [13] CE *substetit,* D *subsistit.* [14] A *substantiae suae.* [15] A *cum.* [16] *videtur* om. D. [17] *hi* om. A. [18] C *ex.* [19] CDE *cotidie,* sic ubique. [20] A *de his, ut arbitror.* [21] A *nisi.* [22] A *turbaret.* [22*] Corr., ACDEF *Examero,* sic ubique *Exameron,* AF nonnunquam *Exaemeron* [23] A *dictum est* [24] *ea* om. A. [25] Sic CD. [26] A *rerum omnium.* [27] *rerum — Apostolum* om. D. [28] A *creata sunt ab ea..* [29] A *intellectualis.* [30] D *quae.* [31] A *et.* [32] *ille* om. A.

quaepiam cognitio in angelo intelligatur. Una quidem superior, quae de aeternis rerum rationibus juxta praedictum modum primo in eo exprimitur. Deinde quod ex superioribus excipit, veluti in mirabili atque ineffabili quadam memoria sibi ipsi committit, quasi quaedam imago imaginis expressa. Ac per hoc, si superiora se tali modo potest cognoscere, quis audeat dicere [1], inferiorum quandam cognitionem in se non habere? Recte igitur dicuntur esse, quae ratione atque intellectu comprehendi possunt. Quae vero omnem rationem ac intellectum exuperant, recte similiter dicuntur non esse.

8. Disc. Quid ergo dicemus de illa futura felicitate, quae promittitur sanctis, quam nihil aliud putamus esse [2], praeter ipsius divinae essentiae puram contemplationem atque immediatam, sicut ait sanctus evangelista Joannes: *Scimus, quia filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus; cum autem apparuerit, similes ei erimus; videbimus enim eum, sicuti est*. Item apostolus Paulus [3]: *Nunc videmus per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*. Item S. Augustinus in libro de Civitate Dei XXII de futura contemplatione divinae, ut arbitror, essentiae dicit: *Per corpora, quae gestabimus, in omni corpore, quodcunque videbimus, quaquaversum oculos nostri corporis duxerimus* [4], *ipsum Dominum perspicua claritate contemplabimur*. Nam si angelicae contemplationis purissimam virtutem [5] divinae essentiae superat altitudo; praedictis enim rationibus confectum est, divinam essentiam nulli intellectuali creaturae comprehensibilem esse, quae [6] maxime in angelis consistere dubium non est; nobis quoque nulla alia felicitas promittitur, quam ad angelicam naturam aequalitas: quomodo humanae naturae felicitas divinae essentiae altitudinem contemplari valebit? Mag. Acute ac vigilanter; non enim sine causa in hoc moveris. Sed tibi sufficere aestimarim, quod prius generaliter de omni suasimus creatura [7]. Disc. Quid illud? Repetas, peto. Mag. Nonne universaliter definivimus [8], divinam essentiam nulli corporeo sensui, nulli rationi, nulli seu humano seu angelico intellectui per se ipsam comprehensibilem [9] esse? [10] Disc. Recordor, ac me sic sumpsisse negare non possum. Sed, ut mihi videtur, aut illa praedicta conclusio penitus solvetur, et intellectuali creaturae divinae essentiae per seipsam contemplationem dabimus; aut, si solvi non potest, quoniam certissimis rationibus stabilita est, necessarium erit [11], ut modum divinae contemplationis, quae sanctis in futuro promittitur, et in qua semper angeli subsistunt, veris rationibus probabilibusque exemplis absolvas. Mag. Quem modum quaeras, ignoro, praeter illum, de quo paulo ante breviter

A discussimus.. Disc. Quis ille sit, velim repetas; non enim ipsius [12] recolo. Mag. Recordarisne, quid inter nos convenerat, dum de Exemero sancti patris Augustini quaedam dicebamus? Disc. Recordor quidem; sed te iterum de hoc [13] audire volo. Mag. Movebat te, ut arbitror, quomodo praedictus pater dixerit [14], causas rerum creandarum, quae aeternaliter in Deo sunt, et Deus sunt, angelos primum in Deo considerasse, deinde in seipsis, deinde ipsarum creaturarum proprias species differentiasque cognovisse, si ulli [15] creaturae divina essentia cum rationibus, quae in ea sunt, essentialiter nequeat comprehensibilis esse. Disc. Totum teneo. Mag. Recordarisne, quid ad haec [16] respondebamus [17]? Disc. Utique recordor, si me memoria non fallit. Dicebas enim, B non ipsas causas rerum, quae in divina essentia subsistunt, angelos vidisse, sed quasdam apparitiones divinas, quas, ut ais, theophanias Graeci appellant, causarumque aeternarum, quarum imagines sunt, nomine [18] appellatas. Addidisti etiam, non solum ipsam [19] divinam essentiam incommutabiliter in seipsa existentem Deum vocari, sed etiam ipsas [20] theophanias, quae ex ea, et de ea, in natura intellectuali exprimuntur, Dei nomine praedicari. Mag. Bene tenes; ita enim diximus. Disc. Sed quid ad negotium praesens pertinet? Mag. Non parum, ut video; eo enim modo et angelos Deum semper vidore arbitror [21], justos quoque et in hac vita, dum mentis excessum patiuntur, et in futuro sicut angeli visuros esse. Non ergo ipsum Deum per semetipsum videbi- C mus, quia neque angeli vident; hoc enim omni creaturae impossibile est; *solus* namque, ut ait Apostolus, *habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem*: sed quasdam factas ab eo in nobis theophanias contemplabimur. Non [22] unusquisque enim secundum suae sanctitatis atque sapientiae celsitudinem ab una eademque forma, quam omnia appetunt, Dei Verbum dico, formabitur? Ipsa namque de seipsa loquitur in Evangelio: *In domo Patris mei mansiones multae* [23] *sunt*; seipsam domum Patris appellans, quae cum sit una eademque, incommutabilisque permaneat, multiplex tamen videbitur [24] his, quibus in se [25] habitare largietur. Nam unusquisque, ut diximus, unigeniti Dei Verbi [26] notitiam in seipso possidebit, quantum ei gratia donabitur. Quot enim D numerus est [27] electorum, tot erit numerus mansionum; quanta fuerit sanctarum animarum [28] multiplicatio, tanta erit divinarum theophaniarum possessio. Disc. Verisimile videtur. Mag. Recte dicis, verisimile. Quis enim de talibus firmarit [29] ita aeternaliter esse, dum vires humanae adhuc in hac fragili carne intentionis videantur [30] excedere?

VARIAE LECTIONES.

[1] *dicere* om. D. [2] A *esse putamus*. [3] *Paulus* om. ADE. [4] A *direxerimus*. [5] *virtutem* om. D. [6] A *quam*. [7] A *creatura suasimus*. [8] CDE *diffinivimus*, sic ubique, A saepe. [9] D *incomprehensibilem*. [10] Sic CDE; A addit: *Recordaris quod superius proposuimus?* [11] A. *est*. [12] Sic CDE, A *ipsum*. [13] A *de te iterum* hoc. [14] A *praedixerit*. [15] Sic DE; C *nulli* [16] Sic CDE; A *hoc*. [17] Sic CD, E *responderimus*. [18] Sic CDE; A *hoc* nomine. [19] Sic CDE; *ipsam* om. A. [20] om. D. *divinam ipsas* om. D [21] AC *ut* arbitror. [22] *Non* om. A. [23] A *multae mansiones*. [24] A *videtur*. [25] Sic CDE; pro *in se* A *ipse*. [26] A *Verbi Dei*. [27] Sic CDE; *est* om. A. [28] D *animarum sanctarum*. [29] A *firmaret*. [30] A *videntur*

9. Disc. Sed velim, quid de hac theophania conjicere possis, breviter aperias; hoc est, quid [1] sit, unde sit, ubi sit, utrum extra nos, an intra nos [2] formatur [3]. Mag. Altum quaeris, et nescio quid altius humanis inquisitionibus fieri possit. Dicam tamen, quod super hac re in libris sanctorum Patrum, qui talia ausi sunt dicere, potui invenire. Disc. Dic quaeso. Mag. Quaeris itaque, quid sit, et [4] unde, et ubi. Disc. Etiam. Mag. Maximum monachum, divinum philosophum, in expositione Sermonum Gregorii Theologi de hac theophania altissime atque subtilissime [5] disputasse reperimus. Ait enim, *theophaniam effici non aliunde [6] nisi ex Deo, fieri vero ex condescensione divini Verbi, hoc est, unigeniti Filii, qui est sapientia Patris, veluti deorsum versus ad humanam naturam a se conditam atque purgatam, et exaltatione sursum versus humanae [7] naturae ad praedictum Verbum per divinum amorem.* Condescensionem hic dico [8] non eam, quae jam facta est per incarnationem, sed eam, quae fit per theosin, id est per deificationem creaturae. Ex ipsa igitur sapientiae [9] Dei condescensione ad humanam naturam per gratiam, et exaltatione ejusdem naturae ad ipsam sapientiam per dilectionem, fit theophania. Cui sensui sanctus pater Augustinus astipulari videtur, exponens illud Apostoli: *Qui factus est nobis justitia et sapientia.* Ita enim exponit: *Sapientia Patris [10], in qua et per quam omnia facta sunt, quae non est creata, sed creans, fit in animabus nostris quadam ineffabili suae misericordiae condescensione, ac sibi adjungit nostrum intellectum, ut ineffabili quodam modo quaedam quasi composita fiat sapientia ex ipso descendente ad nos, et in nobis habitante, et ex nostra intelligentia ab eo [11] per amorem ad se assumpta, et in se formata.* Similiter de justitia ceterisque virtutibus exponit, non aliter fieri, nisi *ex divinae sapientiae nostraeque intelligentiae quadam mirabili atque ineffabili conformatione. In quantum enim*, ut ait Maximus, *humanus intellectus ascendit per caritatem, in tantum divina sapientia descendit per misericordiam.* Et haec est causa [12] omnium virtutum et substantia. Igitur omnis theophania, id est omnis virtus, et in hac vita, in qua adhuc incipit in his, qui digni sunt, formari, et in futura vita perfectionem divinae beatitudinis accepturi, non extra se, sed in se, et ex Deo, et ex seipsis efficitur [13]. Disc. Ex Deo itaque theophaniae in natura angelica atque humana illuminata, purgata, perfecta per gratiam, fiunt ex descensione [14] divinae sapientiae, et ascensione humanae angelicaeque intelligentiae. Mag. Sane; nam huic rationi convenit, quod idem Maximus ait: *Quodcunque intellectus comprehendere potuerit, id ipsum fit.* In quantum ergo animus virtutem comprehendit, in tantum ipse virtus fit.

10. Horum autem exempla si quaeris, ab eodem Maximo evidentissime posita sunt [15]: *Sicut enim [16] aer a sole illuminatus nihil aliud videtur esse nisi lux, non quia sui naturam perdat, sed quia lux in eo praevaleat [17], ut id ipsum lucis [18] esse aestimetur; sic humana natura Deo adjuncta, Deus per omnia dicitur esse, non quod desinat esse [humana] [19] natura, sed quod Divinitatis participationem accipiat, ut solus in ea Deus esse videatur.* Item: *Absente luce aer est obscurus, solis autem lumen per se subsistens nullo sensu corporeo comprehenditur. Cum vero solare lumen aeri misceatur, tunc incipit apparere, ita [20], ut in seipso sensibus sit incomprehensibile [21], mixtum vero aeri sensibus possit comprehendi.* Ac per hoc intellige, divinam essentiam per se incomprehensibilem esse, adjunctam vero intellectuali creaturae mirabili modo apparere, ita ut ipsa, divina dico essentia, sola in ea [22] creatura, intellectuali videlicet, appareat. Ipsius enim ineffabilis excellentia omnem naturam sui participem superat, ut nil aliud in omnibus praeter ipsam intelligentibus occurrat, dum per seipsam, ut diximus, nullo modo [23] appareat. Disc. Video admodum, quid suadere vis; sed utrum sancti patris [24] Augustini verbis convenire possint, non satis [25] clare [26] perspicio. Mag. Attentior igitur [27] esto, et ad ejus verba, quae primo posuimus, redeamus. Sunt autem haec, ut aestimo, in libro vicesimo secundo de urbe [28] Dei: *Per corpora quae gestabimus, in omni corpore quodcunque videbimus, quaquaversum oculos nostri corporis duxerimus [29], ipsum Deum perspicua claritate contemplabimur.* Vim verborum intuere. Non enim dixit [30]: per corpora, quae gestabimus, ipsum Deum [31] contemplabimur, quia ipse per se videri non potest; sed dixit: *per corpora, quae gestabimus, in omni corpore quodcunque videbimus, ipsum Deum contemplabimur.* Per corpora ergo in corporibus, non per seipsum videbitur. Similiter per intellectum in intellectibus, per rationem in rationibus, non per seipsam divina essentia apparebit. Tanta enim divinae virtutis excellentia in futura vita omnibus, qui contemplatione ipsius digni futuri sunt, manifestabitur, ut nihil aliud praeter eam sive in corporibus sive in intellectibus eis eluceat [32]: erit enim *Deus omnia in omnibus.* Ac si aperte Scriptura [33] diceret: *Solus Deus apparebit in omnibus.* Hinc ait sanctus Job: *Et in carne mea videbo Deum.* Ac si dixisset: in hac carne mea, quae multis tentationibus affligitur, tanta

VARIAE LECTIONES.

[1] E *qui*. [2] A ubi sit, utrum *est*, *utrum intra nos an extra nos*. [3] E *firmatur*. [4] *et* om. A. [5] B *sublimissime*. [6] C *non effici aliunde*. [7] *naturam a se — humanae* om. D. [8] A *dico hic*. [9] *sapientiae* om. A; B *sapientia*. [10] A sapientia *enim* Patris. [11] si ABDE; C *a Deo*. [12] A *causa est*; *causa* om. D. [13] D addit Ανακεφαλωσις. [14] C *et descensionem*. [15] Sic CDE; A addit *haec dicente*. [16] *enim* om. A. [17] D *praevalet*. [18] C *luci*; D *ut ipsum id lucis*. [19] *humana* om. CD. [20] A *ita vero*. [21] C *incomprehensibilis*. [22] Sic CDE; A *in sola*. [23] *aliud in omnibus — modo* om. D. [24] *patris* om. A. [25] *satis* om. A. [26] *clare* om. E. [27] A *ergo*. [28] Sic CDE; A *civitate*. [29] A *direxerimus*. [30] D *dixi*. [31] A *Deum ipsum*. [32] D *eliceat*. [33] D *scriptura aperte*.

gloria futura erit [1], ut, quemadmodum nihil in ea nunc [2] apparet nisi mors et corruptio, ita in futura vita nihil mihi in ea [3] apparebit nisi solus Deus, qui vere vita est, et immortalitas, et incorruptio. At si de sui corporis felicitate talem gloriam promisit, quid de sui animi [4] dignitate existimandum est, praesertim cum, ut ait magnus Gregorius Theologus, *corpora sanctorum in rationem, ratio in intellectum, intellectus in Deum,* ac per hoc tota illorum natura in ipsum Deum, *mutabitur?* Cujus rei pulcherrima paradigmata a praedicto Maximo in expositione Gregorii posita sunt, quorum unum praemisimus, cum de aere loquebamur; alterum vero nunc subjungemus, quod est in igne et ferro. *Nam cum ferrum conflatum in igne in liquorem solvitur, nihil de natura ejus remanere sensibus videtur, sed totum in igneam qualitatem vertitur. Sola vero ratione suam naturam quamvis liquefactam servare cognoscitur.* Sicut ergo totus aer lux, totumque ferrum liquefactum, ut diximus, igneum, imo etiam [5] ignis apparet, manentibus tamen eorum substantiis: ita sano intellectu accipiendum, quia post finem hujus mundi omnis natura, sive corporea sive incorporea, solus Deus esse videbitur, naturae integritate permanente, ut et Deus, qui per seipsum incomprehensibilis est, in creatura quodammodo comprehendatur, ipsa vero creatura ineffabili miraculo in Deum vertatur. Sed sufficiant ista, si tibi [6] clare lucescant. Disc. Lucescunt sane, quantum talia nostris mentibus [7] lucere sinuntur. De re enim ineffabili quis in hac vita luculenter potest fari, ut nihil amplius inquirentium appetat desiderium, praesertim cum nulla alia promittitur nobis gloria praeter eorum, quae hic per fidem creduntur, et ratione quaeruntur, et quantum licet suadentur, in futura vita per experimentum cognitionem! Mag. Caute ac rationabiliter existimas [8]. Proinde ad ea, quae proposita sunt, hoc est, ad divisionem Naturae redeundum esse [9] censeo. Disc. Redeundum sane, quoniam modus observandus est in his, quae dicenda sunt, ut ad finem quendam possint pervenire.

11. Mag. Praedictarum itaque Naturae divisionum [10] prima differentia nobis visa est in eam, quae creat et non creatur. Nec immerito, quia talis Naturae species de Deo solo recte praedicatur, qui solus omnia [11] creans ἄναρχος, hoc est, sine principio intelligitur, quia principalis causa omnium, quae ex ipso et per ipsum facta sunt, solus est, ac per hoc et omnium, quae ex se sunt, finis est. Ipsum enim omnia appetunt. Est igitur principium, medium et finis. Principium, quia ex se sunt omnia, quae essentiam participant; medium autem, quia in ipso, et per ipsum [12] subsistunt atque moventur [13]; finis vero, quia ad ipsum moventur quietem motus sui suaeque perfectionis stabilitatem quaerentia. Disc. Firmissime credo, et, quantum datur, intelligo, de divina solummodo omnium causa recte hoc praedicari, quia sola omnia, quae a se sunt, creat, et a nulla superiori ac se praecedente creatur. Ipsa enim est summa ac sola causa omnium, quae ex se et in se [14] subsistunt.

12. Velim tamen scire, quid de hac re sentias. Non enim parum me [15] movet, dum saepissime in libris sanctorum Patrum, qui de divina natura disputare conati sunt, invenio, eam non solum omnia, quae sunt, creare, sed etiam creari. Ea siquidem, ut aiunt, facit, et fit, et creat, et creatur. Si igitur ita est, quomodo nostra ratiocinatio [16] steterit, non facile [17] invenio. Dicimus enim, eam solummodo creare, a nullo autem creari. Mag. Merito moveris; nam et ego de hoc multum admiror, et quomodo haec, quae videntur esse contraria, sibi invicem adversari nequeant, quomodoque vera ratio de hoc consulenda est, optarim per te nosse. Disc. Ingredere, precor; nam de talibus non meam, sed tuam sententiam ratiocinandique viam expecto. Mag. Primum itaque, si videtur [18], de ipso nomine, quod in sacra Scriptura usitatissimum est, quod [19] est Deus, considerandum arbitror. Quamvis enim multis nominibus divina natura denominetur, ut est Bonitas, Essentia, Veritas, ceteraque hujusmodi, frequentissime tamen eo nomine divina utitur Scriptura. Disc. Plane videtur. Mag. Hujus itaque nominis etymologia a Graecis assumpta est. Aut enim a verbo, quod est θεωρῶ, hoc est, video, derivatur; aut ex verbo θέω, hoc est, curro; aut, quod probabilius est, quia unus idemque intellectus inest [20], ab utroque derivari recte dicitur [21]. Nam cum a verbo θεωρῶ deducitur θεός, videns interpretatur. Ipse enim omnia [22], quae sunt, in seipso videt, dum nihil extra seipsum aspiciat, quia nihil extra seipsum est. Cum vero [23] a verbo θέω, θεός currens recte intelligitur. Ipse enim in omnia currit, et nullo modo stat, sed omnia currendo implet, sicut scriptum est: *Velociter currit sermo ejus.* Attamen nullo modo movetur: de Deo siquidem verissime dicitur motus stabilis, et status mobilis. Stat enim in seipso incommutabiliter, nunquam naturalem suam stabilitatem deserens. Movet autem seipsum per omnia, ut sint ea, quae a se essentialiter subsistunt; motu enim ipsius omnia fiunt. Ac per hoc unus idemque intellectus est in duabus interpretationibus ejusdem nominis, quod est Deus. Non enim aliud est Deo currere per omnia, quam videre omnia; sed sicut videndo, ita et currendo [per eum] [24] fiunt omnia. Disc. De etymologia nominis satis ac probabiliter suasum est. Sed non satis video, quo se moveat, qui ubique est, sine

VARIAE LECTIONES.

[1] CDE *sit*. [2] A *nunc nihil in ea*. [3] *in ea* om. A. [4] Sic CDE; A *spiritus*. [5] A *et*. [6] Pro *si tibi* C *sibi*. [7] D *mentibus nostris*. [8] Sic CDE; A *aestimas*. [9] *esse* om. A. [10] A *divisionum Naturae*. [11] Sic CDE; D *omnium*. [12] Sic CDE; D in *seipso* et per *seipsum*. [13] Sic CDE; A moventur *omnia*. [14] Sic CDE; A *in se et ex se*. [15] C *me parum*. [16] A *rationatio nostra; nostra* om. C. [17] A *facile non*. [18] Pro *si videtur* A *fundetur*. [19] A *quid*. [20] A *est*. [21] CE *accipitur*. [22] *omnia* om. A. [23] A *autem*. [24] *per eum* om. CDE.

quo nihil esse potest, et extra quem nihil extenditur; est enim locus omnium atque circumscriptio. MAG. Deum moveri non extra se dixi, sed a seipso, in seipso, ad seipsum. Non enim alium motum in eo oportet credi, praeter suae voluntatis appetitum, quo vult omnia fieri; sicut status ejus, non quasi post motum stet, sed ejusdem suae voluntatis incommutabile propositum intelligitur, quo omnia incommutabili rationum suarum stabilitate permanere definit. Non enim in ipso proprie status aut motus dicitur. Haec enim duo opposita sibi invicem esse videntur: opposita autem in eo cogitari vel intelligi vera ratio prohibet, praesertim cum status proprie finis motionis sit. Non autem [1] Deus moveri inchoat, ut ad statum quendam perveniat. Haec igitur nomina, sicut et multa similia, ex creatura per quandam divinam metaphoram ad Creatorem referuntur. Nec irrationabiliter, quoniam omnium, quae in statu et motu sunt, causa est. Ab eo enim incipiunt currere ut sint, quoniam principium est [2] omnium, et per eum ad eum naturali motu feruntur, ut in eo incommutabiliter atque aeternaliter stent, quoniam finis quiesque omnium est. Nam ultra eum [3] nil appetunt. In eo enim sui motus principium finemque inveniunt. Deus ergo [4] currens dicitur, non quia extra se currat, qui semper in seipso immutabiliter stat [5], qui [6] omnia implet; sed quia omnia currere facit ex non-existentibus in existentia. DISC. Redi ad propositum; haec enim non irrationabiliter dicta videntur. MAG. Quale propositum quaeras, admoneas peto. Nam cum de incidentibus quaestionibus quaedam dicere conamur, principalium quaestionum saepissime obliviscimur. DISC. Nunquid hoc proposuimus, ut [7] pro viribus investigaremus, qua ratione ab his, qui de divina natura disputant, eadem [8] creare et creari dicitur? Creare enim [eam] [9] omnia, nullus sane intelligentium ambigit; quo modo vero [10] creari dicitur, non transitorie praetereundum nobis visum est [11].

MAG. Ita profecto. Sed, ut arbitror, ex his, quae praedicta sunt, ad hanc quaestionem solvendam non exiguus introitus reseratus est. Confectum est enim [12] inter nos, quod motu [13] divinae naturae nihil aliud intelligendum [14], praeter divinae voluntatis propositum ad ea condenda, quae facienda sunt. Fieri ergo dicitur in omnibus divina natura, quae nihil aliud est, nisi divina voluntas. Non enim aliud in ea [15] est esse et velle, sed unum idemque velle et esse in condendis omnibus, quae facienda visa sunt. Verbi gratia, si quis dixerit, ad hoc divinae voluntatis motus adducitur, ut sint ea, quae sunt: creat igitur omnia, quae de nihilo adducit, ut

A sint ex non-esse in esse; creatur autem, quia nihil essentialiter est praeter ipsam; est enim omnium [16] essentia. Nam sicut nullum bonum naturale est praeter ipsum, sed omne, quod dicitur bonum esse, ex participatione unius summi boni est bonum: ita omne, quod dicitur existere [17], non in seipso existit, sed participatione vere existentis naturae existit. Non solum itaque, ut in his, quae ante dicta sunt [18], consideratum est, divina natura fieri dicitur, dum in iis, qui fide, et spe, et caritate, ceterisque virtutibus reformantur, Dei Verbum mirabili atque [19] ineffabili modo innascitur, sicut ait Apostolus de Christo loquens: *Qui factus est in nobis sapientia a Deo, et justificatio, et redemptio;* sed etiam [20], quia [21] in omnibus, quae sunt, apparet, quae per seipsam invisi-
B bilis est, non incongrue dicitur facta. Nam et noster intellectus, priusquam veniat in cogitationem atque memoriam, non irrationabiliter dicitur esse [22]; est enim per se invisibilis, et nulli nisi Deo nobisque ipsis cognitus est. Dum vero in cogitationes venerit, et ex quibusdam phantasiis formam accipit, non immerito dicitur fieri. Fit enim in memoria, formas quasdam accipiens rerum, seu vocum, seu colorum, ceterorumque sensibilium, qui informis erat, priusquam in memoriam veniret; deinde veluti secundam formationem recipit, dum quibusdam formarum seu vocum signis, literas dico, quae sunt signa vocum, et figuras, quae sunt signa formarum, matheseos seu aliis sensibilibus indiciis formatur, per quae sentientium sensibus insinuari possit. Hac similitudine, quamvis a
C divina natura remota sit, suaderi tamen posse [23] arbitror, quomodo ipsa, dum omnia creat, et ab ullo creari nesciat [24], in omnibus, quae ab ea sunt, mirabili modo creatur; ut, quemadmodum mentis intelligentia, seu propositum, seu consilium, seu quoquo modo motus ille noster intimus et primus dici possit, dum in cogitationem, ut diximus, venerit, quasdamque phantasiarum formas acceperit, deindeque in signa vocum seu sensibilium motuum indicia processerit, non incongrue dicitur fieri; fit enim in phantasiis formatus, qui per se omni sensibili caret forma: ita divina essentia, quae per se subsistens omnem superat intellectum, in his, quae a se, et per se, et in se, et ad se facta sunt, recte dicitur creari, ut in iis sive intellectu, si solummodo intel-
D ligibilia sunt, sive sensu, si sensibilia sunt [25], ab his, qui eam recto studio inquirunt, cognoscatur. DISC. De his sat est dictum, ut censeo.

13. MAG. Sat plane, ni fallor. DISC. Sed adhuc necessarium edisseras, quare divina natura creatrix solummodo dicitur esse, et non creata, si, ut [26] praedictis rationibus suasum est, et creat et creatur.

VARIAE LECTIONES.

[1] A *enim*. [2] A *est principium; est* om. C. [3] *eum* om. A. [4] A *enim*. [5] D *perstat*. [6] A *quia*. [7] Sic CDE; A *Nunquid hoc? Proposuimus enim, ut*. [8] A *eandem*. [9] *eam* om. CDE. [10] *vero* om. A. [11] D *est visum*. [12] A *enim est*. [13] Sic CDE; A *per motum*. [14] Sic CDE; A intelligendum *est*. [15] D Non *aliud enim* in ea; E Non enim *in ea aliud*. [16] *omnium* om. D. [17] Sic CDE; A *quod existit*. [18] A *sint*. [19] A *et*. [20] A *et*. [21] Sic AE; CD *qui*, [22] Sic CDE; A *non* esse. [23] A *posse tamen*. [24] Conj., CDE et *a nullo* creari *nesciat*; A et a nullo creari *sciat*. [25] C sint. [26] Sic CE; A *quae sicut*, D *sicut praedicti*.

Haec enim sibimet videntur contradicere. Mag. Caute vigilas; nam et hoc inquisitione dignum esse video. Disc. Dignum profecto. Mag. Attende itaque in ea, quae sequuntur [1], mentisque contuitum huic brevi responsioni accommoda. Disc. Praecede, intentus subsequar. Mag. Divinam naturam universitatis conditricem esse non dubitas. Disc. Perge ad cetera; hinc enim haesitare nefas est. Mag. Similiter [eam] [2] a nullo creari, fide atque intellectu percipis. Disc. Nihil [3] eo firmius. Mag. Non ergo ambigis, dum ipsam creari audis, non ab alia, sed a seipsa [4] creari. Disc. Non ambigo. Mag. Quid igitur? Nonne semper [est] [5] creans, sive seipsam, sive a se creatas essentias creaverit? Nam cum dicitur seipsam creare, nil [6] aliud recte intelligitur, nisi naturas rerum condere. Ipsius namque creatio, B hoc est, in aliquo manifestatio, omnium existentium profecto est substitutio. Disc. Hactenus quae dicta sunt, videntur esse probabilia. Sed velim audire, quid de hac ineffabili atque incomprehensibili creatrice omnium causalique natura Theologia edocet, id est, utrum sit, quid sit, vel qualis [7], et quomodo definitur. Mag. Nonne ab ipsa, quam nunc [8] nominasti, Theologia, quae aut solummodo aut maxime erga divinam naturam versatur, satis ac plane veritatem intuentibus suasum est, ex his, quae ab ipsa creata sunt, solummodo ipsam essentialiter subsistere, non autem, quid sit ipsa essentia, intelligi? Nam non solum, ut saepe diximus, humanae ratiocinationis [9] conatus, verum etiam essentiarum caelestium purissimos superat intellectus. Ipsam C tamen esse, ex his quae sunt; et sapientem esse, ex divisionibus eorum in essentias, in genera, in species, differentiasque, numerosque; vivereque eam ex motu omnium stabili et ex statu mobili, rectae [10] mentis contuitu Theologi scrutati sunt. Hac etiam ratione causam omnium ter substantem verissime invenerunt. Nam, ut diximus, ex essentia eorum, quae sunt, intelligitur esse; ex mirabili rerum ordine, sapientem esse; ex motu, vitam esse repertum est. Est igitur causa omnium creatrixque natura, et sapit, et vivit. Ac per hoc per essentiam Patrem, per sapientiam Filium, per vitam Spiritum Sanctum intelligi, inquisitores veritatis tradiderunt. Disc. Haec mihi satis planeque suasa sunt, eaque verissima esse conspicio. Omnino siquidem, quid vel D qualis [11], definiri non potest. Nam quod intelligi omnino non sinitur, definiri omnino nequit [12]. Velim tamen audire, qua ratione Theologi unitatem et trinitatem de causa omnium praedicare ausi sunt. Mag. In hac ultima tua propositione non magnopere nobis [13] laborandum, praesertim S. Dionysio Areopa-A gita Theologo nobis verissime atque [14] probatissime suadente divinae unitatis atque trinitatis mysteria. Ait enim, *nulla verborum, seu nominum, seu quacunque articulatae vocis significatione, summam omnium atque causalem essentiam posse significari.* Non enim est unitas neque trinitas talis, qualis ab humano quamvis purissimo cogitari, aut angelico intellectu etsi serenissimo considerari potest. Sed ut de re ineffabili atque incomprehensibili religiosi piorum animorum motus aliquid cogitare ac praedicare possent, maxime propter eos, qui Christianae Religionis rationem a Catholicis viris exigunt, sive discendae veritatis gratia, si boni sint, sive tentandae et reprehendendae [15] occasione, si mali, haec religiosa [16] fidei symbolica verba a sanctis Theologis et reperta B et tradita sunt, ut corde credamus, et ore confiteamur, divinam bonitatem in unius essentiae tribus substantiis esse constitutam. Et nec [17] hoc absque spiritualis intelligentiae rationabilisque investigationis contuitu inventum est [18]. Unam enim ineffabilem omnium causam, unumque principium, simplex atque individuum, universaleque, quantum divino spiritu illuminati sunt, contemplantes, unitatem dixerunt. Iterum [19] ipsam unitatem non in [20] singularitate quadam et sterilitate, sed mirabili fertilique multiplicitate contuentes, tres substantias unitatis intellexerunt; ingenitam scilicet, genitamque, et procedentem. [21] Habitum autem substantiae ingenitae ad substantiam genitam, Patrem; habitum vero substantiae genitae ad substantiam ingenitam, Filium; C habitum vero procedentis substantiae ad ingenitam genitamque substantiam, Spiritum sanctum nominaverunt. Sed quoniam in hac re fere omnis sanctorum expositorum sacrae Scripturae versatur intentio, satis, ut arbitror, praesentialiter dictum est. Disc. Satis plane. Veruntamen planius velim [22] audire de habitu trium divinarum substantiarum. *Poterit* enim quis haec mystica sanctae Trinitatis nomina, Patrem videlicet et Filium et Spiritum sanctum, non secundum habitudinem, sed secundum naturam accipere. Pater enim substantiae Patris nomen esse videtur. Similiter et Filius nomen substantiae Filii, Spiritus quoque sancti [23] nominatio non aliud praeter substantiam ipsius significare [24]. Mag. Fortassis et nos idipsum credere atque fateri non negaverimus, si S. Gregorii Theologi summa venerabilisque D autoritas, veraque [25] rationis approbatio talia credere non prohiberet. Nam cum ab Eunomianis venenosissimis catholicae fidei adversantibus interrogatus esset de hoc nomine, quod est Pater, utrum naturae sit an operationis significativum, divina gratia illuminatus mirabiliter respondit, dicens : *Neque*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *sequentur.* [2] *eam* om. CDE. [3] CE nil. [4] Sic CDE; A *ab ipsa.* [5] *est* om. CDE. [6] Sic CE; AD *nihil.* [7] C qualis *sit.* [8] *nunc* om. A. [9] Sic CDE, A *rationis.* [10] Sic CE, AD *recte.* [11] Sic CDE; A *quale sit.* [12] DE *nequitur.* [13] A *est* nobis. [14] A *ac.* [15] Sic CDE; A *tentandi — reprehendendi.* [16] Sic CE; A *religiose*; D *religiosae.* [17] C *ne.* [18] Sic CDE; A *bonitatem unius essentiae pro personis tribus in tribus substantiis constitutam* et *neque* hoc cet. [19] Sic CE; DA *Item.* [20] *In* om. A. [21] A *procedentemque.* [22] Sic CDE; A *audire velim.* [23] Sic ADE; C *Spiritus sancti quoque.* [24] Sic CDE; A *significat.* [25] Sic CDE; A *veraeque.*

naturae esse, neque operationis, sed solius ad Filium habitudinis. Si enim responderet, naturae esse nomen [1] Patrem, illi continuo sequerentur, dicerentque, similiter et [2] Filium nomen esse naturae. Si autem hoc daretur, necessario sequeretur, alterius naturae Pater esse nomen, alterius Filius; in una enim eademque natura duo nomina a se invicem differentia fieri non possunt. Ac per hoc conficerent, Patrem et Filium ἑτερουσίους [3], hoc est, diversae essentiae seu naturae esse. Similiter de operatione responsum est. Nam si daretur eis, operationis nomen Pater esse, confestim concluderent, Filium esse creaturam, quando [4] Pater operationis, hoc est, creationis suae nomen esse conceditur. Disc. Hoc responsum laudabile esse certissimum est, et ex [5] veritate inspiratum: sed paulo luculentius [6] considerare debemus. Nam, ut mihi videtur, non continuo eum reprehendere possent, etsi diceret, Patrem nomen naturae esse. Quid enim? Nunquid duo nomina, a se invicem sono, non sensu discrepantia, in una eademque natura intelligi non valent, cum et [7] Abraham et Isaac, patrem videlicet et filium, unam naturam significare videamus? Non enim alterius naturae nomen est Abraham, alterius Isaac, sed unius atque ejusdem. Mag. Recte diceres, si similiter in hoc tuo exemplo de Abraham et Isaac affirmare valeres, quod non aliud significat Abraham seu Isaac, et aliud significat in eis pater et filius. Nam Abraham et nomen est ipsius Abraham, et pater nomen est eidem Abraham. Similiter et Isaac et nomen est Isaac, et filius nomen est eidem Isaac. Sed non de eadem re Abraham et pater, seu Isaac et filius praedicantur. Nam de substantia Abraham, id est, de speciali ejus persona Abraham dicitur; de relatione vero ejus ad suum filium [8] Isaac patrem vocari, nemo bene intelligentium dubitarit [9]. Eodem modo de Isaac intelligendum; hoc enim nomine Isaac propria individuaque substantia ipsius significatur; habitus autem ad patrem suum per filium cognoscitur. Non enim potes negare, talia nomina, id est, patrem et filium, relativa esse, non substantiva. Si ergo apud nos, hoc [10] est in nostra natura, non substantialiter, sed relative tales voces praedicantur, quid de summa ac sancta dicturi sumus essentia, in qua substantiarum inter se invicem relationis vel habitudinis talia nomina, Pater videlicet et Filius et Spiritus sanctus, sacra Scriptura constituit? Disc. Jam video praedicti sancti Theologi responsum omnino veritate suffultum. Non enim potest, ut suasum est, sive in divina, sive in humana natura, relationis nomen in substantia seu essentia recipi. Nosse tamen aperte et breviter per te velim, utrum omnes categoriae, cum sint numero decem, de summa divinae bonitatis una essentia in tribus sub-

A stantiis, et de tribus substantiis in eadem una essentia, vere proprieque possint praedicari. Mag. De hoc negotio nescio quis breviter atque aperte potest dicere. Aut enim de hujusmodi causa per omnia tacendum est, et simplicitati orthodoxae fidei committendum; nam exsuperat omnem intellectum, sicut scriptum est: *Qui solus habes immortalitatem, et lucem habitas* [11] *inaccessibilem;* aut si quis de ea disputare coeperit, necessario multis modis multisque argumentationibus verisimile [12] suadebit, duabus principalibus Theologiae partibus utens [13], affirmativa quidem, quae a Graecis καταφατική, et abnegativa, quae [14] ἀποφατική vocatur [15]. Una quidem, ἀποφατική, divinam essentiam seu substantiam esse aliquid eorum quae sunt, id est, quae dici aut intelligi possunt, negat; altera vero, καταφατική, omnia quae

B sunt, de ea praedicat, et ideo affirmativa dicitur, non ut confirmet [16] aliquid esse [17] eorum quae sunt, sed omnia, quae ab ea sunt, de ea posse praedicari suadeat. Rationabiliter enim per causativa causale potest significari. Dicit enim esse veritatem, bonitatem, essentiam, lucem, justitiam, solem, stellam, spiritum, aquam, leonem, urbem, vermem, et cetera innumerabilia. Et non solum ex his, quae sunt secundum naturam, eam edocet, sed ex his, quae contra naturam, quando eam inebriari, stultamque [18] esse, et insanire dicit. Sed de his nunc non est nostri propositi disserere; satis enim de talibus a sancto Dionysio Areopagita in symbolica Theologia dictum est. Ideoque ad id, quod a te quaesitum est,

C redeundum. Quaesieras enim, utrum omnes categoriae de Deo praedicandae sint proprie, an quaedam ipsarum. Disc. Redeundum sane. Sed prius considerandum, ut arbitror, cur praedicta nomina, essentiam dico, bonitatem, veritatem, justitiam, sapientiam, ceteraque id genus, quae videntur non solum divina, sed etiam divinissima, et nihil aliud praeter illam ipsam divinam substantiam seu essentiam significare, metaphorica fieri, id est, a creatura ad Creatorem translata, praedictus sanctissimus pater atque Theologus pronunciarit. Non enim sine quadam mystica atque secreta ratione talia dixisse aestimandum. Mag. Bene vigilas; non enim hoc quoque inconsiderate transeundum [esse] [19] video. Ac per hoc respondeas velim, utrum Deo aliquid

D oppositum aut sibi cointellectum intelligas. Oppositum dico, aut per privationem, aut per contrarietatem, aut per relationem, aut per absentiam: cointellectum vero, hoc est, simul cum eo aeternaliter intellectum, non tamen ei coessentiale. Disc. Clare video quod [20] velis, ac per hoc, neque aliquid ei oppositum, neque sibi cointellectum ἑτέρουσιον, hoc est, quod sit alterius essentiae, quam ipse est, di-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *nomen esse.* [2] Sic CDE; *et* om. A. [3] CDE ἑτερουσιας. [4] A *cum.* [5] *ex* om. D. [6] Sic CDE; A *locupletius.* [7] *et* om. AD. [8] Sic CDE; A *filium suum.* [9] C *dubitaret*; E *dubitat.* [10] Sic CDE; A *id.* [11] Sic CD E; A *inhabitas.* [12] A *verissime.* [13] Sic CDE; A *utendum.* [14] *quae* om. C. [15] Sic DE; *vocatur* om. C; A *dicitur.* [16] C *firmet.* [17] *esse* om. A. [18] BC *stultitiamque.* [19] *esse* om. CDE. [20] A *quid.*

cere ausim. Nam opposita per relationem ita sibi semper opposita sunt, ut simul et inchoare incipiant, et simul esse [1] desinant, dum [2] ejusdem naturae sint, ut simplum ad [3] duplum, subsesqualterum ad sesqualterum; aut per negationem, ut est, non est; aut per qualitates naturales; per absentiam, ut lux atque tenebrae; aut secundum privationem, ut mors et vita; aut per contrarium, ut sanitas et imbecillitas, [vox et silentium] [4]. Haec autem [5] his, quae intellectui succumbunt atque sensui, recta ratione attribuuntur, ac per hoc in Deo non sunt. Ea quippe, quae a seipsis discrepant, aeterna esse non possunt. Si enim aeterna essent, a se invicem non discreparent. Aeternitas enim sui similis est, et tota per totum, in seipsa una simplex individuaque subsistit. Est siquidem omnium unum principium unusque finis, in nullo a seipso discrepans.

14. Eadem ratione coaeternum Deo esse, quod sibi coessentiale non sit, nescio quis audeat affirmare. Nam si hoc cogitari aut inveniri potest, necessario sequitur, non esse unum omnium principium, sed duo quaedam seu plura, longe a se invicem differentia. Quod vera ratio sine ulla haesitatione respuere consuevit. Merito ab uno omnia, a duobus autem vel pluribus nihil esse inchoat. MAG. Recte disceptas, ut aestimo. Si igitur praedicta divina nomina opposita e regione sibi alia nomina respiciunt, necessario etiam res, quae proprie eis significantur, oppositas sibi contrarietates obtinere intelliguntur, ac per hoc de Deo, cui nihil [6] oppositum [7], aut cum quo coaeternaliter natura differens nihil [8] inspicitur, proprie praedicari non possunt. Praedictorum enim nominum aliorumque sibi similium nullum vera ratio reperire potest, cui non ex adversa parte, aut secum in eodem genere, differens aliud, ab ipso discedens nomen non reperiatur. Et quod in nominibus cognoscimus, necessarium, ut in [9] his rebus, quae ab eis significantur, cognoscamus. Sed quoniam divinae significationes, quae in sacra Scriptura a creatura ad Creatorem translatae [10] de Deo praedicantur, si tamen recte dicitur aliquid de Deo posse praedicari, quod alio loco considerandum est, innumerabiles sunt, et parvitate nostrae ratiocinationis nec inveniri, nec in simul colligi possunt, pauca tamen exempli gratia divina vocabula ponenda sunt. Essentia ergo dicitur Deus, sed proprie essentia non est, cui opponitur nihil; ὑπερούσιος igitur est, id est, superessentialis. Item bonitas dicitur, sed proprie bonitas non est; bonitati enim malitia opponitur; ὑπεράγαθος igitur, plusquam bonus, et ὑπεραγαθότης [11], id est, plusquam bonitas. Deus dicitur, sed [12] non proprie Deus est; visioni enim caecitas opponitur, A et videnti non videns: igitur [13] ὑπέρθεός, plusquam videns, si θεός videns interpretatur. Sed si [14] ad aliam originem hujus nominis recurras, ita ut non a verbo θεωρῶ, video, sed a verbo θέω, id est curro, θεόν, Deum, derivari intelligas, adest tibi similiter eadem ratio. Nam currenti non currens opponitur, sicut tarditas celeritati. Erit igitur ὑπέρθεός, id est, plusquam currens, sicut scriptum est: *Velociter currit sermo ejus.* Nam hoc de Deo Verbo, quod ineffabiliter per omnia, quae sunt, ut sint, currit, intelligimus. Eodem modo de veritate accipere debemus. Veritati etenim falsitas opponitur, ac per hoc proprie veritas non est; ὑπεραληθής igitur est, et ὑπεραλήθεια [15], plusquam verus, et plusquam veritas. Eadem ratio in omnibus divinis nominibus obser- B vanda est. Non enim proprie dicitur aeternitas, quoniam aeternitati temporalitas opponitur; ὑπεραιώνιος igitur est, et ὑπεραιωνία [16], plusquam aeternus, et plusquam aeternitas. De sapientia quoque nulla alia occurrit ratio, ideoque proprie de Deo praedicari non est arbitrandum, quoniam sapientiae [17] et sapienti insipiens et insipientia [18] oppugnant; proinde ὑπερσόφος, id est, plusquam sapiens, et ὑπερσοφία, plusquam sapientia, recte vereque dicitur. Similiter plusquam vita est, siquidem vitae mors opponitur. Eodem modo de luce intelligendum est; nam luci tenebrae obstant. Hactenus, ut arbitror, de his sufficienter dictum est. DISC. Atqui fatendum, satis esse dictum. Nam de talibus quaecunque necessaria sunt C proferri propter ea, quae praesenti negotio [19] disputanda sunt, nunc nostrae disceptationis propositum non admittit. Redi igitur, si placet, ad denariae quantitatis categoriarum considerationem. MAG. Intentionis tuae acumen, quae adhuc admodum pervigil videbatur, admiror. DISC. Unde, quaeso, dicas? MAG. Nonne diximus, quod ineffabilis natura nullo verbo, nullo nomine, seu aliquo sensibili sono, nulla re significata proprie possit significari? Et hoc dedisti. Non enim proprie, sed translative dicitur essentia, veritas, sapientia, ceteraque hujusmodi; sed superessentialis, plusquam veritas, plusquam sapientia, et similia dicitur. Sed nonne et haec quasi quaedam propria nomina videntur esse, si essentia proprie non dicitur, superessentialis autem proprie? D Similiter si veritas seu sapientia proprie non vocatur, plus vero quam veritas [20], et plusquam sapientia proprie dicitur [21]? Non ergo propriis nominibus caret; haec enim nomina, quamvis apud Latinos sub uno accentu, subque una [22] compositionis harmonia usitate non proferantur, excepto eo nomine quod est superessentialis, a Graecis tamen sub uno tenore composita pronunciantur. Nunquam enim, aut vix

VARIAE LECTIONES.

[1] A *esse simul.* [2] Sic CDE; A *sive.* [3] Sic CDE; A *et.* [4] *Vox et silentium* om. CDE. [5] A *enim.* [6] E *nil.* [7] A *est* oppositum. [8] DE *nil.* [9] Sic CDE; A *de.* [10] sic CDE; A *relatae.* [11] CDE ὑπεραγαθοτητα. [12] *sed* om. A. [13] *Igitur* om. A. [14] sic CDE; ; *si* om. A. [15] Sic D; C ὑπεραληθες *i. e. e.* ὑπεραληθια, E υπεραληθης... υπεραληθια. A addit *id est* plusquam cet. [16] Sic CDE; A addit *id est* plusquam cet. [17] Sic CDE; A quoniam *et* sapienti. [18] A *insapientia.* [19] Sic ADE; C *negotio praesenti.* [20] Sic CE; A. *plusquam veritas vero.* [21] *dicitur* om. C; *Similiter si—dicitur* om. D. [22] Sic CE; A *sub una*; D *sub unaque.*

invenies, superbonum seu [1] superaeternum ceteraque similia composite proferri. Disc. Et [2] ego ipse valde admiror, quo intendebam, quando [3] hanc non spernendam inquisitionem intactam praetermiseram. Atque ideo eam a te aperiri obnixe postulo. Quoquo modo enim divina substantia seu simplicibus orationis partibus, seu compositis, seu solutis, graece seu latine, tantum ut proprie proferatur, non ineffabilis esse videbitur. Non enim ineffabile est, quod quodammodo fari potest. Mag. Nunc vigilas, ut [4] video. Disc. Vigilo quidem, sed de hac interposita quaestione nil adhuc video. Mag. Redi igitur ad ea, quae paulo superius inter nos confecta sunt. Duas namque, ni fallor, sublimissimas theologiae partes esse diximus; et hoc non ex nobis, sed auctoritate S. Dionysii Areopagitae accipientes, qui apertissime, ut dictum est, bipertitam Theologiam asserit esse, id est, καταφατικὴν [5] et ἀποφατικήν, quas Cicero in *intentionem* [6] *et repulsionem* transfert, nos autem, ut apertius vis nominum clarescat, in affirmationem et negationem maluimus tranferre. Disc. Talium, ut arbitror, recordari me video. Sed quid ad haec, quae nunc considerare volumus, prosint, nondum agnosco [7]. Mag. Nonne vides, haec duo, affirmationem videlicet et negationem, sibi invicem opposita esse? Disc. Satis video, et nil plus contrarium posset [8] esse, arbitror. Mag. Intende igitur diligentius. Nam cum ad perfectae ratiocinationis contuitum perveneris, satis clare [9] considerabis, haec duo, quae videntur inter se esse contraria, nullo modo sibimet opponi, dum circa divinam naturam versantur, sed per omnia in omnibus sibi invicem consentiunt [10]. Et ut hoc apertius fiat, paucis utamur exemplis. Verbi gratia, καταφατικὴ dicit, veritas est; ἀποφατικὴ contradicit, veritas non est. Hic videtur quaedam forma contradictionis; sed dum intentius inspicitur [11], nulla controversia reperitur. Nam quae dicit, veritas est, non affirmat, proprie divinam substantiam veritatem esse, sed tali nomine per metaphoram a creatura ad Creatorem vocari posse; nudam siquidem omnique propria significatione relictam divinam essentiam talibus vocabulis vestit. Ea vero, quae dicit, veritas non est, merito divinam naturam incomprehensibilem ineffabilemque [12] clare cognoscens [13], non eam negat esse, sed veritatem nec vocari proprie, nec esse. Omnibus enim significationibus, quas [14] καταφατικὴ Divinitatem induit [15], ἀποφατικὴ eam spoliare non nescit. Una enim [16] dicit, sapientia est, verbi gratia, eam induens; altera dicit, sapientia non est, eandem exuens. Una igitur dicit, hoc vocari potest, sed non dicit, hoc proprie est; altera dicit, hoc non est, quamvis ex hoc appellari potest. Disc. Haec, ni fallor, apertissime video, et ea [17] quae adhuc mihi a se invicem discrepantia

A videbantur, nunc inter se invicem convenire, et in nullo a seipsis dissentire, dum circa Deum considerantur, luce clarius patescunt. Sed quomodo ad praesentis quaestionis solutionem attineant, nondum nosse me fateor.

Mag. Attende igitur vigilantius, atque ipsas significationes, quae prius adjectae sunt, superessentialem dico, plusquam veritatem, plusquam sapientiam, ceterasque similes, ad quam partem Theologiae pertineant, utrum affirmativae an negativae applicandae sunt, quantum tibi possibile [18], edissere. Disc. Hoc per meipsum discernere non satis audeo. Nam cum praedictas significationes negativa carere particula considero, quae est *non*, negativae parti Theologiae adjungere eas [19] pertimesco. Si vero B affirmativae parti easdem adjunxero, intellectum earum mihi non consentire cognosco. Cum enim dicitur, superessentialis est, nil aliud mihi [20] datur intelligi, quam negatio essentiae. Qui enim dicit, superessentialis est, aperte negat essentialem esse. Ac per hoc, quamvis in pronunciatione vocum negatio non appareat, occulte tamen ipsius intellectus bene considerantes non latet. Proinde, ut arbitror, fateri cogor, has praedictas significationes, quae negatione videntur carere, quantum datur intelligere, plus negativae Theologiae parti quam affirmativae convenire. Mag. Cautissime et vigilantissime respondisse te video, multumque approbo, quomodo in pronunciatione affirmativae partis intellectum negativae subtilissime perspexisti. Fiat igitur, si C placet, praesentis hujus quaestionis solutio hoc modo, ut haec omnia [21], quae adjectione *super* vel *plusquam* particularum de Deo praedicantur, ut est superessentialis, plusquam veritas, plusquam sapientia, et similia, duarum praedictarum Theologiae partium in se plenissime sint comprehensiva; ita ut in pronunciatione formam affirmativae, in [22] intellectu vero virtutem abdicativae [23] obtineant. Et hoc brevi concludamus exemplo. Essentia est, affirmatio; essentia non est, abdicatio; superessentialis est, affirmatio simul et abdicatio [24]. In superficie etenim negatione caret; in [25] intellectu negatione pollet. Nam qui dicit, superessentialis est, non, quid est, dicit, sed, D quid non est; dicit enim essentiam non esse, sed plusquam essentiam. Quid autem illud est, quod plusquam essentia est, non exprimit, asserens, Deum non esse aliquid eorum quae sunt, sed plus quam ea quae sunt esse: illud autem esse quid sit, nullo modo definit. Disc. In hac quaestione non diutius demorandum, ut aestimo, et nunc, si videtur, categoriarum natura consideranda est. Mag. Aristoteles acutissimus apud Graecos, ut aiunt, natura-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *aut.* [2] *Et* om. A. [3] A *quum.* [4] *ut* om. A. [5] CDE id est *in καταφατικήν.* [6] Sic CDE; A *intensionem.* [7] Sic CDE; A *cognosco.* [8] Sic CDE; A *posse.* [9] C *clarum.* [10] Sic CDE; A *consentire.* [11] A *aspicitur.* [12] A *atque ineffabilem.* [13] Sic CDE; A *agnoscens.* [14] Sic CDE; A *quibus.* [15] Sic CDE; A *vestit.* [16] *enim* om. A. [17] Sic CDE; *et ea* om. A. [18] A possibile *est.* [19] A *eas adiungere.* [20] *mihi* om. A. [21] Sic CDE; A *omnia.* [22] *in* om. CD. [23] *in intellectu — abdicativae* om. E. [24] Sic CDE; A *negatio* [25] *in* om. CDE.

lium rerum discretionis repertor, omnium rerum, quae post Deum sunt, et ab eo creatae, [1] innumerabiles varietates in decem universalibus generibus conclusit, quae decem categorias, id est, praedicamenta vocavit. Nihil enim, ut ei visum [2], in multitudine creatarum rerum, variisque animorum motibus inveniri potest, quod in aliquo praedictorum generum includi non possit. Haec autem a Graecis vocantur *οὐσία, ποσότης, ποιότης* [3], *πρός τι, κεῖσθαι, ἕξις, τόπος, χρόνος, πράττειν, παθεῖν*. Quae latialiter dicuntur *essentia, quantitas, qualitas, ad aliquid, situs, habitus, locus, tempus, agere, pati*. Horum autem decem generum innumerabiles subdivisiones sunt, de quibus nunc disputare praesens negotium non admittit, ne longius a proposito recedamus, praesertim cum illa pars philosophiae, quae dicitur dialectica, circa horum generum divisiones a generalissimis ad specialissima, iterumque collectiones [4] a specialissimis ad generalissima versetur [5].

15. Sed, ut ait sanctus pater Augustinus in libris de Trinitate, dum ad [6] theologiam, hoc est, ad divinae essentiae investigationem pervenitur, categoriarum virtus omnino extinguitur. Nam in ipsis naturis a Deo conditis, motibusque earum, categoriae qualiscunque sit potentia, praevalet. In ea vero natura, quae nec dici, nec intelligi potest, per omnia in omnibus deficit. Attamen, ut praediximus, quemadmodum fere omnia, quae de natura conditarum rerum proprie praedicantur, de conditore rerum per metaphoram, significandi gratia, dicuntur: ita etiam categoriarum significationes, quae proprie in rebus conditis dignoscuntur, de causa omnium non absurde possunt proferri, non ut proprie significent, quid ipsa sit, sed ut translative, quid de ea nobis quodammodo eam inquirentibus probabiliter cogitandum est, suadeant [7]. Disc. Clare conspicio, nulla [8] ratione categorias de natura ineffabili proprie posse praedicari. Nam si [9] aliqua categoriarum de Deo proprie praedicaretur, necessario genus esse Deus sequeretur. Deus autem nec genus, nec species, nec accidens est. Nulla igitur categoria proprie Deum significare potest. Mag. Recte intueris. Non [10] in vanum, ut arbitror, in praedictis rationibus duarum partium theologiae sudare voluimus. Non enim tam facile ac fere absque ullo labore ad hanc categoriarum disputationem pervenire valuissemus, non posse scilicet proprie de Deo praedicari, nisi prius de primordialibus causis ab una omnium causa praeconditis, essentiam dico, bonitatem, virtutem, veritatem, sapientiam ceterasque hujusmodi, ad purum conficeremus, non aliter nisi translative Deum A significare. Nam si sublimissimae naturarum omnium post eam ordinatarum creatae causae, solisque purae mentis aspectibus perspicuae, ab una omnium ineffabili causa excellentia essentiae deseruntur, ut nullo modo earum vocabulis ea proprie possit significari: quid dicendum est de his decem generibus praedictis, quae non solum in rebus intelligibilibus, verum etiam in rebus sensibilibus dignoscuntur? Numquid credibile est, ut vere ac proprie de divina atque ineffabili natura praedicentur? [11] Disc. Ita arbitror incredibile esse. Non est igitur *οὐσία*, quia plus est quam *οὐσία*; et tamen dicitur *οὐσία*, quia omnium *οὐσιῶν*, id est [12] essentiarum, creatrix est. Non est quantitas [13], quia plus quam quantitas est. Omnis enim quantitas tribus spatiis extenditur, longitudine B quidem, latitudine, altitudine. Quae iterum [14] tria spatia senario protenduntur numero. Nam longitudo sursum et deorsum; latitudo dextrorsum et sinistrorsum; altitudo ante et retro protenditur [15]. Deus autem omni spatio caret. Caret igitur quantitate. Item quantitas [est] [16] in numero partium, aut naturaliter conjunctarum, ut est linea aut [17] tempus, aut naturaliter disjunctarum, ut sunt numeri, seu corporales, seu intelligibiles. Divina [18] substantia nec continuis partibus componitur, nec dividuis distinguitur. Non est igitur quantitas. Quantitas tamen non incongrue denominatur duobus modis, aut quia quantitas saepe pro magnitudine virtutis ponitur, aut quia totius quantitatis principium est et causa. De qualitate quoque non aliter intelligen- C dum. Nulla enim Deus qualitas est, nulla ei accidit, nullius est [19] particeps. At vero saepissime qualitas de eo praedicatur, aut quia totius qualitatis conditor est, aut quod qualitas frequentissime in significatione virtutum ponitur. Nam et [20] bonitas et justitia ceteraque virtutes qualitates esse dicuntur, Deus autem virtus est, et plusquam virtus.

16. Relationis autem ratio non tam aperte patescit, quemadmodum aliarum categoriarum definitiones apparent. Videtur enim ista sola categoria veluti proprie in Deo praedicari. Atque ideo cum summa diligentia investigandum esse video, utrum proprie in summa ac sancta Trinitate trium maximarum substantiarum Pater relative ad Filium dicitur, [21] D similiter Filius ad Patrem, Spiritus quoque sanctus ad Patrem et Filium, quia Spiritus amborum est; haec enim nomina habitudinum [22] esse sanctus pater Gregorius Theologus indubitanter asserit: an etiam, quemadmodum ceterae categoriae, ita et [23] ista, quae dicitur relationis sive habitudinis, metaphorice de Deo praedicari, [24] credendum et intelligendum

VARIAE LECTIONES.

[1] CDE *creata*. [2] A visum *est*. [3] A *ποιοτης, ποσοτης*; CDE *ποσοτητα, ποιοτητα*. [4] Sic CDE; A *collectione*. [5] C *veretur*. [6] *ad* om. A. [7] Sic ADE; C *suadent*. [8] Sic ACE; D *non aliqua*. [9] A *et* si. [10] A Non *autem*. [11] A *praedicerentur*. [12] A *idem*. [13] *quantitas* om. D. [14] A *item*. [15] Sic CDE; A *altitudo ante et retro, latitudo dextrorsum et sinistrorsum porrigitur*. [16] *est* om. CDE. [17] Sic CE; AD *et*. [18] Sic CDE; A Divina *autem* subst. [19] Sic AE; C *nullus est*; D *nulli esse*. [20] *et* om. D. [21] Sic CE; A *praedicetur Pater relative ad Filium*. — *dicitur* om. D. [22] D *habitudinem*. [23] *et* om. A. [24] Sic CDE; A metaphorice de Deo *an proprie* praedicari *sed ita utrum ita sit nec ne*, credendum cet.

sit. **Mag.** Rationabiliter, ut aestimo, ad investigandum veritatis mysterium procedis. Nulla enim categoriarum praeter istam solam de Deo proprie praedicari videtur. Sed utrum ita sit nec ne, piissime cautissimeque inquirendum. Nam si proprie de Deo dicitur, omnis ferme praedicta nostra ratiocinatio evacuabitur. Universaliter enim diximus, nil proprie de Deo aut dici aut intelligi posse. Praesertim categoria relationis non inter decem genera categoriarum reputabitur, si proprie de Deo pronunciatur. Si autem hoc confectum fuerit, categoriarum numerus non denario, sed novenario concludetur. Restat igitur, ut intelligamus, hanc etiam categoriam, sicut et [1] ceteras, translative de Deo praedicari. Vera siquidem ratiocinatio ad hoc invitat atque coartat, ne ea, quae praedicta sunt, incipiant vacillare. Quid enim? Numquid veris ratiocinationibus obsistit, si dicamus, Patrem et Filium ipsius habitudinis, quae *dicitur ad aliquid*, nomina esse, et plusquam habitudinis? Non enim credendum est, eandem habitudinem in excelsissimis [2] divinae essentiae substantiis, et in his, quae post eam ab ea condita sunt[3]. Ut enim, ni fallor, quemadmodum superat omnem essentiam, sapientiam, virtutem, ita etiam et omnem habitudinem [4] ineffabiliter supergreditur. Quis enim crediderit, talem habitudinem inter Patrem et Verbum suum [5] esse, qualem inter Abraham et Isaac potest cogitare? Hic [6] enim habitus carnalis ex divisione naturae post [7] peccatum primi hominis in [8] multiplicatione per generationem inquiritur: illic ineffabilis ingenitae genitaeque substantiae sibimet copula creditur, prout*que* datur, divini luminis radio cognoscitur; hic quod quaeritur, non ex natura processit, ut diximus, sed ex vitio: illic quod cogitatur, ex ineffabili divinae bonitatis fecunditate procedere cognoscitur. Sed ad ceteras categorias transeamus. **Disc.** Sex restant, ni fallor, quarum prima κεῖσθαι, id est jacere, quam alii situm appellant. Situs autem intelligitur in positione cujusdam creaturae, sive visibilis sive invisibilis. Verbi gratia, de aliquo corpore dicitur, aut jacet aut stat. Similiter de animo dicitur, si quietus, jacet; si pervigil, stat. Status namque [9] huic categoriae [10] applicari solet; nam motus ad tempus refertur. Sed quia Deus nec stat, nec jacet, praedicta categoria nulla ratione proprie de eo praedicari potest [11]. At vero quoniam standi et jacendi causa est; in ipso enim omnia et stant, hoc est, immutabiliter secundum suas rationes subsistunt, et jacent, hoc est quiescunt; finis enim [12] omnium est, ultra quem nihil appetunt: potest de eo translative jacere vel situs praedicari. Nam si vere proprieque Deus jacet, aut sedet, aut stat, positione non caret. Si non caret positione localis est. Non A est autem localis. Nullo igitur situ continetur.

17. **Mag.** Clare, quid velis, perspicio. Ac per hoc ad habitudinis categoriam transeundum esse video. Quae omnium categoriarum propter nimiam sui amplitudinem obscurissima esse videtur. Non enim est ulla categoria fere, in qua habitus quidam inveniri non possit; nam et essentiae seu substantiae habitu quodam ad se invicem respiciunt. Dicimus enim, rationabilis essentia irrationabilisque qua proportione, id est [13] quo habitu, ad se invicem respiciunt. Non enim irrationabilis diceretur, nisi ab habitu absentiae rationis; quomodo non aliunde rationabilis vocatur, nisi habitu praesentiae rationis. Omnis enim [14] proportio habitus est, quamvis non omnis habitus proportio. Proprie namque proportio B non minus quam in duobus potest inveniri; habitus vero etiam [15] in singulis rebus perspicitur [16]. Verbi gratia, habitus rationabilis animae virtus est. Est igitur proportio species quaedam habitudinis. Si autem exemplo vis declarari, quomodo habitus proportionalis in essentia invenitur, ex numeris elige exemplar. Numeri enim, ut aestimo, essentialiter in omnibus intelliguntur; in numeris namque omnium rerum subsistit essentia. Vides igitur, qualis proportio est in duobus et tribus. **Disc.** Video plane, sesqualteram [17] esse arbitror, et hoc uno exemplo aliorum omnium substantialium numerorum, inter se invicem collatorum [18], varias proportionis species possum cognoscere. **Mag.** Intende itaque [19] ad reliqua, et cognosce, nullas quantitatis species esse, seu C qualitatis, seu ipsius, quae dicitur ad aliquid, seu situs, locive, temporisve, agendi, vel patiendi, in quibus quaedam species habitudinis non reperiatur. **Disc.** Saepe talia quaesivi, et ita reperi. Nam, ut paucis [20] exemplis utar, in quantitatibus magna et parva et media inter se comparata, multa [21] pollent habitudine. Item in quantitatibus numerorum, linearum, temporum, aliorumque similium habitudines proportionum [22] perspicue reperies.

18. Similiter in qualitate. Verbi gratia, in coloribus album, et nigrum, mediusque [23], qualiscunque sit, color habitu sibimet junguntur [24]. Album siquidem et nigrum, quae extremos colorum locos obtinent, habitu extremitatis ad se invicem respiciunt. Color autem ad extrema sui, album dico nigrumque, haD bitu medietatis respicit. In ea quoque categoria, quae dicitur πρός τι, id est ad aliquid, clare apparet, qualis habitus sit [25] patris ad filium, seu filii ad patrem, amici amico, dupli ad simplum, ceteraque hujusmodi.

19. De situ quoque facile patet, quomodo stare et jacere habitudinem quandam inter se invicem possideant. Haec enim ex diametro sibi e [26] regione

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. D. [2] Sic CDE; A *excellentissimis*. [3] Sic ABCDE; supple *esse*. [4] A *habitudinem omnem; et* om. A. [5] *suum* om. A. [6] C *Hinc*. [7] A per. [8] *in* om. A. [9] Sic ACE; D *autem*. [10] A *categoriae huic*. [11] A *proprie praedicari potest de eo*. [12] *enim* om. A. [13] Sic ADE; pro *id est* C *vel*. [14] *enim* om. D. [15] A *et*. [16] Sic A; CDE *inspicitur*. [17] A *et* sesqualteram. [18] A *collocatorum*. [19] A *igitur*. [20] A *talibus*. [21] A *multaque*. [22] Sic CDE; A *proportionis*. [23] A *mediumque*. [24] A *jungitur*. [25] *sit* om. C. [26] Sic ADE; C *ex*.

respondent. Nequaquam enim [1] intellectum standi absolutum ab intellectu jacendi cogitabis; sed semper simul occurrunt, quamvis in re aliqua non simul appareant [2].

20. Quid dicendum est de loco? Quando superiora, inferiora et media considerantur, nunquid habitudine carent? Nullo modo. Non enim haec omnia ex natura rerum proveniunt, sed ex [3] respectu quodam intuentis eas per partes. Sursum siquidem et deorsum in universo non est, atque ideo neque superiora, neque inferiora, neque media in universo sunt; nam universitatis consideratio haec respuit, partium vero introducit intentio. Eadem ratio est de majori et minori. Nullum enim in suo genere parvum aut magnum esse potest, ex cogitatione tamen comparantium diversas quantitates talia inventa sunt. Ideoque locorum seu partium contemplatio habitum in talibus gignit. Nulla enim natura major aut minor alia natura sit [4], sicut neque superior neque inferior, cum una omnium subsistat natura, ex uno Deo condita. Disc. Quid de tempore? Nonne in ipsis, dum inter se invicem conferuntur, luculenter habitus arridet? Verbi gratia, diei [5] ad horas, horae ad punctos, puncti ad momentum, momenti ad atoma. Similiter in superioribus temporum commensurationibus, si quis ascenderit, reperiet. In his enim omnibus habitus totius ad partes, partiumque [6] ad totum perspicitur. Mag. Profecto non aliter. Disc. Quid in diversis [7] agendi et [8] patiendi motibus? Nonne habitus ubique relucet? Nam amare et amari habitudines sunt amantis et amati, siquidem inter se invicem [9] respiciunt; sive in una persona sint, quod a Graecis dicitur *αὐτοπάθεια*, id est, cum actio et passio in una eademque inspicitur persona, ut meipsum amo; sive inter duas personas, quod a Graecis dicitur *ἑτεροπάθεια*, id est, cum alia persona amantis, et alia amati [10] sit, ut amo te. Mag. Et haec vera esse decerno [11]. Disc. Quaero igitur a te, quare ista categoria habitudinis, cum ceteris categoriis naturaliter inesse videatur, per [12] se specialiter, veluti suis propriis rationibus subnixa, suum in denaria categoriarum quantitate locum obtineat. Mag. An forte, quia in omnibus invenitur, propterea in seipsa subsistit? Nam quod omnium est, nullius proprie est, sed ita est in omnibus, ut in seipsa subsistat. Eadem enim ratio etiam [13] in categoria essentiae inspicienda est. Quid enim? Nunquid, cum decem categoriae sint, una earum essentia seu substantia dicitur, novem vero accidentia sunt, et in subsistentia subsistunt? Per se enim subsistere non possunt. Essentia in omnibus esse videtur, sine qua esse non possunt, et tamen per se locum suum obtinet. Quod enim omnium est, nullius proprie est, sed omnium commune; et dum in omnibus subsistat,

A per seipsum propria sua ratione esse non desinit. De quantitate similiter dicendum. Dicimus enim quanta essentia, quanta qualitas, quanta relatio, quantus situs, quantus habitus, quam magnus locus, quam parvum vel spatiosum tempus, quanta actio, quanta passio? Videsne, quam late patet per ceteras categorias quantitas? Non [14] tamen suum proprium deserit statum. Quid de qualitate? Nonne et ipsa de omnibus aliis [15] categoriis frequenter praedicari solet? Dicimus enim, qualis *οὐσία*, qualis magnitudo, qualis relatio, situs, habitus, locus, tempus, agere, pati? Haec enim omnia, qualia sunt, interrogamus; non tamen qualitas sui proprii generis rationem deserit. Quid ergo mirum, si categoria habitudinis, dum in omnibus inspicitur,

B propriam suam rationem possidere dicatur? Disc. Nullo modo mirandum; nam vera ratio suadet, non aliter esse [16] posse. Mag. Nonne igitur vides, divinam essentiam nullius habitudinis participem esse, de ea tamen non incongrue, quoniam ipsius est causa, praedicari posse? Si enim proprie de ipsa habitus praedicaretur, nequaquam suimet, sed alterius esset. Omnis quippe [17] habitus in aliquo subjecto intelligitur, et alicujus accidens est, quod de Deo, cui nullum accidit, et qui [18] accidit nulli, in nulloque intelligitur, et nullum in ipso, impium est credere [19]. Disc. Satis de hac categoria disputatum est, ut arbitror.

21. Mag. Quid igitur? Nonne ex his, quae praedicta sunt, de ceteris categoriis breviter possumus colligere? Non enim Deus locus, neque tempus

C est; attamen locus omnium translative dicitur, et tempus, quia omnium locorum temporumque causa est. Omnium quippe definitiones, quasi quidam loci, in ipso subsistunt, et ab ipso quasi a quodam tempore, per ipsum veluti per quoddam tempus, et in ipsum veluti in finem quendam temporum, motus omnium et incipit, et movetur, et desinit, dum ipse nec se moveat per tempus, nec ab alio moveatur. Quid enim? Num [20] si proprie locus diceretur et tempus, videretur non extra omnia per excellentiam essentiae, sed in numero omnium, quae sunt, includi? Locus siquidem et tempus inter omnia, quae creata sunt, computantur. In his namque duobus totus mundus, qui nunc est, consistit, et sine quibus esse non potest. Ideoque a Graecis dicuntur

D *ὧν ἄνευ τὸ πᾶν*, id est, quibus sine [21] universitas esse non valet. Omne enim, quod in mundo est, moveri tempore, loco [22] definiri [23] necesse est; et locus ipse definitur, et tempus movetur; Deus autem nec movetur, nec definitur. Nam locus, quo definiuntur omnia loca, locus locorum est. Et quia ille a nullo locatur, sed omnia intra se collocat, non locus, sed plusquam locus est. A nullo namque definitur, sed omnia definit. Causa igitur est omnium [24]. Eodem

VARIAE LECTIONES.

[1] A *et nequaquam*; D *nequaquam* (*enim* om.) [2] A *apparent.* [3] *ex* om. A. [4] Sic CDE; A *fit.* [5] Sic A; CDE *dies.* [6] A *partium quoque.* [7] sic ACE; D *universis.* [8] A *vel.* [9] *invicem* om. A. [10] Sic CE; AD *amata.* [11] Sic CDE, A *discerno.* [12] Sic CDE; A *et* per se. [13] Pro *etiam* A *esse.* [14] A *et* non. [15] *aliis* om. AD. [16] *esse* om. D. [17] A *proprie.* [18] *qui* om. CDE. [19] A *credere est.* [20] AD *Nam.* [21] Sic CDE; A *sine quibus.* [22] Sic CDE; A *locoque.* [23] CE *diffinire.* [24] D *omnium est.*

modo causa temporum tempora movet, ipsa vero a nullo, in nullo tempore movetur. Est enim plusquam tempus, et plusquam motus. Neque locus igitur, neque tempus est. Disc. Ita quidem etiam luce clarius apparent, quae dicta sunt, in tantum, ut jam nunc de natura categoriarum, deque earum translatione in divinae essentiae significationem satis dictum videatur propter cetera, quae ad praesens negotium necessario pertinent.

22. Mag. Horum decem generum quattuor in statu sunt, id est οὐσία, quantitas, situs, locus; sex vero in motu, qualitas, relatio, habitus, tempus, agere, pati. Nec te latere hoc aestimo. Disc. Imo mihi clare patet, ac de his nil amplius quaesierim. Sed quorsum istuc? Mag. Ut scias plane, decem genera praedicta aliis duobus superioribus generalioribusque comprehendi, motu scilicet atque statu, quae iterum generalissimo colliguntur genere, quod a Graecis τὸ πᾶν, a nostris vero universitas appellari consuevit. Disc. Hoc valde libet propter eos, qui putant, in natura rerum nullum genus generalius praeter [1] decem praedicta genera, quae ab Aristotele et inventa et nominata sunt, posse reperiri. Mag. Ratane itaque [1*] tibi videtur haec divisio categoriarum in motum atque statum, id est, quattuor in statu, sex in motu?

23. Disc. Rata quidem. Sed adhuc de duabus non satis mihi patet, de habitu dico et relatione. Hae namque duae categoriae magis mihi videntur esse in statu, quam in motu. Quod enim cunque [2] ad perfectum pervenerit [3] habitum, immutabiliter manet. Nam si quodammodo moveatur [4], jam non esse habitum manifestum est. Virtus enim in anima tum vere habitus animi [5] est, cum ei immutabiliter adhaeret, ut ab eo separari non possit. Ideoque corporum *nulla* vera habitudo invenitur; nam armatus vel indutus potest armis seu indumentis carere. In relatione item status praevalere aestimatur. Relatio siquidem patris ad filium, seu dupli ad simplum, et e contrario, immobilis est. Nam pater semper pater est filii; similiter filius semper filius est patris, et cetera. Mag. Fortassis non magnopere [6] haesitasses, si diligentius intueréris, quia omne, quod non simul connaturaliter perfectae [7] inest creaturae, sed per incrementa quaedam ad inseparabilem incommutabilemque perfectionem procedit [8], in motu esse necesse est. Omnis autem habitus motu quodam ad perfectionem ascendit in eo, cujus habitus est. De qua perfectione, quis firmus fieri [9] in hac vita praesumat! Habitus igitur in motu est. De relatione item miror, cur dubitas, cum videas, eam in uno eodemque esse non posse; in duobus namque semper videtur [10]. Duorum autem ad se invicem appetitus motu quodam fieri, quis dubitarit? Est item alia ratio, quae apertissime ea, quae in motu, ab his, quae in statu sunt, discernit. Ut enim de ipsa generalissima ratione nunc plura non dicam, quae omnia, quae a Deo post Deum condita sunt, in motu esse manifestat — omnia namque ex non existentibus in existentia per generationem moventur, ex non esse in esse divina bonitate omnia vocante, ut sint, de nihilo; ut unumquodque eorum, quae sunt, ad essentiam suam, genusque, speciemque, numerumque suum naturali appetitu movetur [11] — ea proprie dicimus in statu esse, quae per se subsistunt, nulliusque indigent subjecti, ut sint; quae vero in aliquo existunt, quia per se subsistere [12] non possunt, in motu esse non incongrue judicamus. Habitus itaque atque [13] relatio in aliquo subjecto sunt, in quo semper esse naturali motu appetunt, quia sine eo esse non possunt. In motu igitur sunt.

24. Disc. Quid ergo dicemus de loco, de quantitate, de situ, quae in his, quae in statu sunt [14], posuisti? Nam de οὐσία, id est [15] essentia, nemo dubitat, quod nullius indiget ad subsistendum. Ab ipsa enim cetera fulciri creduntur. Haec vero, locum dico et quantitatem, situmque, inter accidentia essentiae connumerantur. Ac per hoc illud subjectum, in quo sunt, et sine quo esse non possunt, appetendo moventur. Et si ita est, omnia in motu sunt praeter οὐσίαν, quae sola motu caret, eo solo excepto, quo omnia appetunt esse, quoniam sola per se subsistit. Mag. Non usquequaque absurda est inquisitio tua, quia opinionem communem sequeris. Sed si diligentius intuearis, invenies, locum a nullo contineri, continere vero omnia, quae in eo locantur. Si [16] enim nil [17] aliud locus sit, nisi terminus atque definitio uniuscujusque [18] finitae naturae, profecto locus non appetit, ut in aliquo sit, sed omnia, quae in eo sunt, ipsum merito terminum finemque suum semper desiderant, in quo naturaliter continentur, et sine quo in infinitum fluere videntur. Locus itaque in motu non est, cum omnia, quae in eo sunt, ad se moveantur, ipse vero stat. Eadem de quantitate atque situ ratio edocet. Quid enim? Unumquodque quantitatis seu positionis sensibilis intelligibilisve particeps, nisi ut ad perfectam suam [19] quantitatem positionemve perveniat, appetit, ut in ea quiescat. Non ergo appetunt, sed appetuntur. In motu itaque non sunt. Stant igitur. Disc. Num itaque [20] accidentia οὐσίας haec tria dicenda sunt, quantitas, situs, locus, an per se subsistentiae [21]?

25. Mag. Et hoc dignum quaesitu video. Nam juxta Dialecticorum opinionem omne, quod est, aut subjectum [22], aut de subjecto, aut in subjecto est [23].

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic E; ACD *praecedere*. [1*] *itaque* om. A. [2] Sic CDE; A *Quodcunque enim*. [3] A *venerit*. [4] A *movetur*. [5] A *vero animi habitus*. [6] D *magno opere*. [7] A *perfecte*. [8] A *processit*. [9] A *fuerit*. [10] A *videtur semper*. [11] Sic CDE: A *moveatur*. [12] A *existere*. [13] A *et*. [14] Sic CE; *in his quae* om. AD; *sunt* om. A. [15] A *idem*. [16] C *Sed*. [17] CDE; A *nihil*. [18] A *cuiusque*. [19] *suam* om A. [20] A *ergo*. [21] Sic CE; D *substantiae*. [22] A subiectum *est*. [23] C *aut subiectum aut de subiecto aut in subiecto est aut in subiecto aut de subiecto*.

Vera tamen ratio consulta respondet, subjectum et A de subjecto unum esse, et in nullo distare. Nam si, ut illi aiunt, Cicero subjectum est [1] et prima substantia, homo vero de subjecto secundaque [2] substantia, quae differentia est juxta naturam, nisi quia unum in numero, alterum in specie, cum nil aliud sit species, nisi numerorum unitas, et nil aliud numerus, nisi speciei pluralitas? Si ergo species tota et una est individuaque in numeris, et numeri unum individuum sunt in specie, quae, quantum ad naturam, distantia est inter subjectum et de subjecto, non video. Similiter de accidentibus primae substantiae intelligendum. Non aliud est enim [3], quod in subjecto dicitur, et aliud, quod in subjecto simul et de subjecto. Nam disciplina, ut exemplo utar, una eademque est in seipsa, et in suis specie- B bus numerisque. Non aliud igitur uniuscujusque propria disciplina, quae a Dialecticis in subjecto dicitur [4] solummodo, et aliud generalis disciplina, quae ab iisdem in subjecto et de subjecto vocatur, veluti in subjecto, prima scilicet substantia, subsistens de subjecto, id est, propria alicujus disciplina praedicitur: sed una eademque est in toto et in partibus. Ac per hoc relinquitur subjectum et in subjecto. Si autem acutius vestigia sancti Gregorii Theologi, expositorisque sui Maximi sapientissimi sequens inspexeris, invenies, οὐσίαν omnino in omnibus, quae sunt, per se ipsam incomprehensibilem non solum sensui, sed etiam intellectui esse. Atque ideo ex his veluti circumstantiis suis intelligitur existere, loco dico, quantitate, situ; additur etiam his tempus. C Intra haec siquidem, veluti intra quosdam fines circumpositos, essentia cognoscitur circumcludi, ita ut neque accidentia ei quasi in ea subsistentia videantur esse, quia extrinsecus sunt; neque sine ea existere posse, quia centrum eorum est, circa quod volvuntur tempora, loca vero et quantitates et situs undique collocantur. Categoriarum igitur quaedam circa οὐσίαν praedicantur, quae veluti περιοχαί, id est, circumstantes dicuntur, quia circa [5] eam inspiciuntur esse; quaedam vero in ipsa sunt, quae a Graecis συμβάματα, id est accidentia vocantur, qualitas, relatio, habitus, agere, pati. Quae etiam extra eam in aliis categoriis intelliguntur, verbi gratia, qualitas in quantitate, ut color in corpore. Item D qualitas in οὐσίᾳ, ut in [6] generibus invisibilitas incomprehensibilitasque. Item [7] relatio extra οὐσίαν, pater ad filium, filius ad patrem. Non enim sunt ex natura, sed accidente corporum corruptibili generatione. Siquidem pater non naturae [8] filii pater est, neque filius naturae [9] patris filius est. Unius enim ejusdemque naturae sunt pater et filius; nulla autem natura seipsam gignit, aut a seipsa gignitur. In ipsa vero [10] οὐσίᾳ relatio est, cum genus ad speciem refertur, et species ad genus. Genus enim speciei est [11] genus, et species generis est species. Habitus quoque et extra οὐσίαν et intra reperitur, ut armatum, indutum secundum corpus dicimus. Habitus vero οὐσίας, generis, aut speciei, est virtus ipsa immobilis, per quam genus, dum per species dividitur, in seipso semper unum individuumque permanet, et totum in speciebus singulis, et singulae species in ipso unum sunt. Eadem virtus et in specie perspicitur, quae, dum per numeros dividatur [12], suae individuae unitatis inexhaustam vim custodit. Omnesque numeri, in quos dividi videtur in infinitum, in ipsa finiti, unumque individuum sunt. De agendo autem et patiendo nemo dubitat, cum videamus corpora, dum ad quantitatem pertineant, et agere et pati. Genera quoque et species ipsius οὐσίας, cum se in diversas species numerosque [13] multiplicant, agere videntur. Si quis vero [14] rationis virtute juxta illam disciplinam, quae ἀναλυτική vocatur, et numeros in species, et species in genera, generaque in οὐσίαν colligendo adunaverit, pati dicuntur, non quod ipse colligat; natura enim collecta sunt, sicut etiam divisa; sed quia colligere actu rationis ea videtur. Nam cum et [15] eadem dividit, similiter agere dicitur, ea vero pati.

26. Disc. Haec quamvis videantur esse obscura, non tamen sic animum meum effugiunt, ut nil in eis purum atque discretum ei reluceat. Et quoniam video, omnes fere categorias inter se invicem concatenatas [16], ut vix a se invicem certa ratione discerni possint; omnes enim omnibus, ut video, insertae sunt: in qua proprietate singula quaeque inveniri valeant, aperias flagito. Mag. Quid tibi videtur? Num οὐσία in generibus generalissimis et in generibus generalioribus, in ipsis quoque generibus eorumque speciebus, atque iterum specialissimis speciebus, quae atoma, id est individua dicuntur, universaliter proprieque continetur? Disc. Nil aliud esse video [17], in quo naturaliter inesse οὐσία possit, nisi in generibus et speciebus, a summo usque deorsum descendentibus, hoc est, a generalissimis usque ad specialissima, id est, individua; seu reciprocatim sursum versus ab individuis ad generalissima. In his enim veluti naturalibus partibus universalis οὐσία subsistit. Mag. Ingredere ergo ad cetera. Num alibi videtur tibi esse quantitatis proprietas, nisi in numero partium, spatiisque [18], atque mensuris, sive illae partes continuae sint, ut sunt linearum, temporum, ceterorumque, quae continua quantitate continentur; sive segregatae sint, certis naturalibusque finibus discretae, ut sunt numeri, atque omnis multitudo, in quibus discreta quantitas constare manifestum est? Disc. Et hoc luculenter apparet. Mag. Num et ea, quae vocatur qualitas,

VARIAE LECTIONES.

[1] *est* om. D. [2] A *et secunda.* [3] Sic CDE; A *Non enim aliud est.* [4] A *dicuntur.* [5] A *circum.* [6] *in* om. D. [7] Sic CDE; A *itemque.* [8] Sic CDE; A *natura,* [9] Sic CDE; A *natura.* [10] A *ergo.* [11] *est* om. D. [12] Sic CDE; A *dividitur.* [13] A *et numeros.* [14] Sic CDE; A *verae.* [15] CE Nam *et cum.* [16] Sic CDE; A *catenatas.* [17] C *video esse.* [18] Sic CDE; A *spatiis.*

propriam sedem obtinet, nisi in figuris et superficiebus, sive in naturalibus corporibus, seu in geometricis, ut sunt planae, triangulae, quadratae, multigonae, rotundae, solida etiam in superficie, ut sunt cubica, conica, spherica? Nam solida corpora, sive naturalia, sive geometrica, quantum interius considerantur, propter tria spatia, in quibus sunt, longitudinem dico, latitudinem et [1] altitudinem [2], ad quantitatem applicantur : dum vero [3] superficies eorum perspicitur, qualitati junguntur. Item in rebus incorporalibus, nonne maximum obtinet locum, cum omnes disciplinae, omnes virtutes, sive rationabiles sint, seu irrationabiles, nondum tamen ad immutabilem mentis statum pervenientes, ad eam referantur? Disc. Ingredere ad ea, quae restant; haec enim plane video, et sic se habere assero. Mag. Num et ea, quae a Graecis dicitur πρός τι, a nobis vero ad aliquid, vel relatio, alium locum proprie in natura rerum possidet, nisi in proportionibus rerum seu numerorum, inque [4] reciprocis eorum, quae ad se invicem respiciunt, conversionibus inseparabilibus, ita ut [5], quod unum dicitur, non a seipso, sed ab altero, quod ei opponitur, accipere intelligatur? Cujus inconcussae amicitiae inseparabilisque copulae exempla sunt multiplices numeri inter se invicem copulati, dupli, tripli, quadrupli, ceterique id genus in infinitum; item particulares, ut sunt [6] sesqualteri, sesquitertii, sesquiquarti [7], ceterique hujusmodi. In quibus omnibus non solum integri numeri ad se invicem comparati proportionibus diversis pollent, sed etiam singulorum numerorum partes sibi invicem conjunctae proportionum rationibus inseparabiliter copulantur. Et non solum hoc in ipsis terminis numerorum, verum etiam in proportionibus proportionum, quas arithmetici proportionalitates appellant, reperies. Disc. Illud quoque non ignoro. Haec enim artium peritis notissima sunt.

Mag. Quid de situ dicendum est? Nonne in ordinibus rerum naturalibus, seu artificialibus corporalium seu spiritualium positionibus, proprium locum obtinet? Cum enim dico, primum, secundum, tertium, ac deinde, sive in totis, sive in partibus, sive in generibus, sive in speciebus, nonne situm quendam singulorum considero? Item si dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum, ante, retro dixero, quid aliud praeter positionem quandam, sive generaliter totius mundi, seu partium ejus demonstro? Nam qui dicit de aliquo corpore, jacet, seu sedet, seu stat, nil aliud insinuat, nisi aut [8] deorsum accumbit, aut sursum versus [9] erigitur, aut veluti [10] quodam libramine inter sursum atque deorsum pendet. Item si quis de animo talia dixerit, nil aliud videbitur intelligere, nisi quod aut adhuc in passionibus delictorum jaceat, aut quodammodo eas deserere conetur [11], aut perfecte in virtutes erigatur. Disc. Et hoc ad intelligendum non adeo difficile videtur. Sequere, quae restant. Mag. Habitus restat, ut aestimo. Qui apertissime in virtutum seu vitiorum certis possessionibus inspicitur. Omnis enim disciplina, hoc est, omnis rationabilis animi motus aut irrationabilis, dum ad certum statum pervenerit, ita ut nullo modo ab eo ulla occasione moveri possit, sed semper animo adhaereat [12], ut unum id ipsumque ei esse [13] videatur [14], habitus dicitur. Ac per hoc omnis perfecta virtus animo inseparabiliter adhaerens, vere ac proprie habitus appellatur. Proinde in corporibus, in quibus nil stabile videtur esse [15], aut vix aut nunquam proprie habitus [16] invenitur. Quod enim semper non habetur, quamvis ad tempus haberi videatur, abusive habitus nominatur [17]. Disc. Tende ad cetera; hoc enim verisimile esse nullus [18] denegat.

27. Mag. Locus sequitur, qui, ut paulo ante diximus, in definitionibus rerum, quae definiri possunt, constituitur. Nil enim aliud est locus, nisi ambitus, quo unumquodque certis terminis concluditur [19]. Locorum autem multae species sunt; tot enim loca sunt, quot res, quae circumscribi possunt, sive corporales, sive incorporales sint. Verbi gratia, corpus est compositio quaedam quattuor elementorum qualitatibus [20], sub una quadam specie conglobata. Hac enim definitione, generali quadam descriptione, omnia corpora, quae materie [21] ac forma consistunt, concluduntur. Item spiritus est natura incorporea, forma per se atque [22] materie [23] carens. Omnis enim spiritus, sive rationabilis sive intellectualis sit, per se ipsum informis est. Si vero conversus fuerit ad causam suam, hoc est, ad Verbum, per quod facta sunt omnia, tunc formatur. Est igitur una forma omnium spirituum, rationabilium et intellectualium, Dei Verbum. Si vero irrationabilis spiritus sit, similiter informis est per seipsum, formatur tamen rerum sensibilium phantasiis. Est iterum forma omnium spirituum irrationabilium phantasia corporalium rerum, in memoria eorum per corporales sensus infixa. Item in disciplinis liberalibus plurima loca reperiuntur. Nulla enim ars est, quae suis locis careat, ut sunt loci [24] dialectici, a genere, a specie, a nomine, ab antecedentibus, a consequentibus, a contrariis, ceterique [25] hujusmodi, de quibus nunc disserere [26] longum est. Nam tam late patent dialectici loci, ut, undecunque dialecticus animus in [27] natura rerum argumentum, quod rei dubiae facit fidem, repererit, locum argumenti esse

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A. [2] *et altitudinem* om. D. [3] A *autem*. [4] A *atque*. [5] *ut* om. A. [6] Sic CDE; A *sint*. [7] *sesquiquarti* om. D. [8] *aut* om. A. [9] *versus* om. A. [10] *veluti* om. A [11] D *ponetur*. [12] CDE *adhaeret*. [13] *esse* om. C. [14] A *ei videtur*. [15] AD *esse videtur*. [16] A *habitus proprie*. [17] C *nominabitur*. [18] A verisimile *esse* nullus *esse* denegat. [19] Sic ADE; C *includitur*. [20] Sic CDE; A *cum* qualitatibus. [21] A *ex materia*. [22] *materie ac forma — atque* om. D. [23] A *materia*, D *materiae*. [24] *loci* om. D. [25] Sic CDE; A *ceterisque*. [26] D *dicere*. [27] A *a*

describat, seu argumenti sedem. Similiter in aliis artibus reperies; quae suis locis, id est, propriis definitionibus ambiuntur. Quarum exempla sunt haec. GRAMMATICA est articulatae vocis custos et moderatrix disciplina [1]. RHETORICA est finitam causam persona, materia [2], occasione, qualitate, loco, tempore, facultate discutiens copiose atque ornate [3] disciplina; breviterque [4] definiri potest, RHETORICA est finitae causae septem periochis sagax et copiosa disciplina. DIALECTICA est communium animi conceptionum rationabilium diligens investigatrixque disciplina. ARITHMETICA est numerorum contemplationibus animi [5] succumbentium rata intemerataque disciplina. GEOMETRIA est planarum figurarum solidarumque spatia superficiesque sagaci mentis intuitu considerans disciplina. MUSICA est omnium, quae sunt [6] sive [7] in motu sive in statu [8] scibili, naturalibusque proportionibus, harmoniam rationis lumine dignoscens [9] disciplina. ASTROLOGIA est caelestium corporum spatia motusque reditusque certis temporibus investigans disciplina. Hi sunt generales loci artium liberalium; his terminis continentur, intra quos aliae innumerabiles sunt [10].

28. DISC.[11] His rationibus cogor fateri, non esse locum nisi in animo. Si enim definitio omnis in disciplina est, et omnis disciplina in animo, necessario locus omnis, quia definitio est, non alibi nisi in animo erit.

29. MAG. Recte intueris. DISC. Quid igitur dicendum est de his, qui dicunt, habitationes hominum ceterorumque animalium locos esse? similiter istum communem aera [12], terram quoque, omnium habitantium in eis locos [13] aestimant? aquam locum piscium dicunt, planetarum aethera, spheram caelestem astrorum locum esse putant? MAG. Nihil aliud, nisi ut aut suadeatur eis, si disciplinabiles sint et doceri voluerint [14], aut penitus dimittantur, si contentiosi sint. [15] Eos enim, qui talia dicunt, vera deridet ratio. Nam si aliud est corpus et aliud est locus [16], sequitur, ut locus non sit corpus. Aer autem istius corporalis atque visibilis mundi quarta pars est. Locus igitur non est. Constat etenim, hunc mundum visibilem quattuor elementis, veluti quattuor generalibus quibusdam partibus compositum esse. Et est quasi quoddam corpus, suis partibus compactum. Ex quibus videlicet partibus catholicis omnium animalium, arborum, herbarum propria specialissimaque corpora mirabili ineffabilique mixtura

A coeuntia, componuntur, inque eas iterum resolutionis tempore redeunt.

30. Ut enim [17] totus iste mundus sensibus apparens assiduo motu circa suum cardinem volvitur, circa terram dico, circa quam veluti quoddam centrum cetera tria elementa, aqua videlicet, aer, ignis, incessabili rotatu volvuntur, ita invisibili motu [18] sine ulla intermissione universalia corpora, quattuor elementa dico [19], in se invicem coeuntia, singularum rerum [20] propria corpora conficiunt. Quae resoluta iterum ex proprietatibus in universalitates recurrunt, manente semper immutabiliter quasi quodam centro [21] singularum rerum propria naturalique essentia, quae nec moveri, nec augeri, nec minui potest. Accidentia enim in motu sunt [22], non essentiae. Nec

B etiam ipsa accidentia in motu sunt, seu in [23] incrementis, detrimentisve, sed participatio eorum ab essentia tales patitur mutabilitates. Aliter enim vera ratio non sinit esse. Omnis siquidem natura seu essentiarum, seu eis accidentium immutabilis est; participatio vero, ut diximus, essentiarum ab accidentibus, seu accidentium ab essentiis, semper in motu est. Participatio siquidem et inchoari et augeri minuique potest, donec mundus iste ad finem suae stabilitatis in omnibus perveniat, post quem nec essentia, nec accidens, nec eorum inter se invicem participatio ullum motum patietur: omnia enim unum et idipsum immobile erunt, quando in suas immutabiles rationes omnia reversura sunt. De quo reditu alibi disserendum arbitror.

C 31. Qua autem ratione solummodo mundi centrum, id est terra, semper stat, cetera vero elementa circa eam aeterno motu volvuntur, non parva indiget consideratione. Nam et secularium Philosophorum, et catholicorum Patrum de hac quaestione sententias cognovimus [24]. Plato siquidem, philosophantium de mundo maximus, in Timaeo suo multis rationibus asserit, *hunc mundum visibilem*, *quasi magnum quoddam animal*, *corpore animaque componi*; *cujus animalis corpus quidem est quattuor elementis notissimis generalibusque*, *diversisque corporibus ex eisdem compositis compactum*; *anima vero ipsius est generalis vita*, *quae* [25] *omnia*, *quae in motu atque in statu sunt*, *vegetat atque movet*. Hinc Poeta:

D
> Principio caelum ac [26] terram camposque liquentes,
> Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
> Spiritus intus alit [a].

Sed quia ipsa *anima*, ut ait ipse, *aeternaliter move-*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; AD *disciplinarum*. [2] D *materiae*. [3] D *ordinate*. [4] A *Haec disciplina sic breviter*. [5] *animi* om. D. [6] *quae sunt* om. D. [7] *sive* om. CDE. [8] *sive in statu* om. CD. [9] E *cum dinoscens*. [10] A addit: *Septem περιοχαί, id est, circumstantiae sunt, quis, qnid, cur, quomodo, quando, ubi, quibus facultatibus*; in codicibus DE omnino desunt. [11] C ad marg. adscr. illa verba: *Septem περιοχαί, id est, circumstantiae sunt, quis, quid, cur, quomodo, quando, ubi, quibus facultatibus*. [12] Sic CE; AD *aerem* [13] Sic CDE; A *locum*. [14] AD *valuerint*. [15] *sint* om. A. [16] Sic CDE; A aliud est *locus et aliud corpus*. [17] A *Etenim*. [18] Sic CDE; A *et ita invisibili* (*motu* om. A). [19] A *quattuor dico elementa*. [20] *rerum* om. D. [21] C *contra*; DE *quoddam centrum*. [22] *sunt* om. D. [23] *in* om. AD. [24] AD *agnovimus*. [25] A *quia*. [26] A *et*.

NOTAE.

[a] Virgil. Aen. VI, 724 sqq.

tur ad corpus suum, id est, mundum totum vivificandum, regendum, diversisque rationibus variorum corporum singulorum conjunctionibus resolutionibusque movendum, *manet etiam in suo naturali immobilique statu.* Movetur ergo semper [1] et stat, ac per hoc et corpus ejus, id est universitas rerum visibilium, partim quidem stat aeterna stabilitate, ut est terra, partim vero aeterna velocitate movetur [2], ut spatium aethereum [3], partim nec stat nec velociter movetur, ut aqua, partim velociter, sed non velocissime, ut est aer. Et haec ratio summi philosophi [4] non est omnino spernenda, ut aestimo; acuta enim atque naturalis esse videtur. Sed quoniam de hac eadem causa [5] magnus Gregorius Nyssaeus Episcopus subtilissime disputat in Sermone de imagine, magis video ipsius sententiam esse sequendam. Dicit enim, *conditorem Universitatis hunc mundum visibilem inter duas sibi invicem contrarias extremitates constituisse, inter gravitatem dico et levitatem, quae sibi omnino opponuntur. Atque ideo quoniam in gravitate terra est constituta, semper immobilis manet. Nam gravitas moveri nescit, et est in medio mundi constituta, extremumque ac medium obtinet terminum. Aetherea vero spatia propterea ineffabili velocitate semper circa media volvuntur, quoniam in natura levitatis constituta sunt, quae stare ignorat, et extremum mundi visibilis obtinent finem. Duo vero in medio elementa constituta [6], aqua videlicet et aer, proportionali moderamine inter gravitatem et levitatem assidue moventur, ita ut proximum sibi extremum terminum utraque magis sequantur, quam ab eis longe remotum. Aqua namque tardius movetur aere, quoniam gravitati [7] telluris adhaeret; aer vero velocius aqua concitatur, quoniam aethereae levitati conjungitur. Sed quamvis videantur extremae mundi partes a se invicem discrepare propter diversas earum qualitates, non tamen per omnia a se invicem dissentiunt. Nam aetherea spatia quamvis semper celerrima velocitate volvantur, chorus tamen astrorum suam immutabilem observat sedem, ita ut [8] et cum aethere volvatur, et naturalem locum ad similitudinem terrenae stabilitatis non deserat. Terra vero e contrario cum aeternaliter in statu sit, omnia tamen, quae ex ea oriuntur, ad similitudinem levitatis aethereae semper in motu sunt, nascendo per generationem, crescendo in numerum [9] locorum ac temporum, iterumque decrescendo, et ad solutionem formae atque materiae perveniendo.*

32. Disc. Videris mihi paulo longius a principali quaestione ad incidentem [10] transitum fecisse. Nam cum de loco disputare nostri propositi fuerat [11], loco relicto, ad mundi tractatum transisti, et quorsum haec tendant [12], adhuc ignoro.

33. Mag. Non aliorsum, nisi ut corporum naturam a locorum natura diligenti ratiocinatione segregemus. Horum namque confusio aut maxima, aut sola est erroris causa multis ac paene omnibus, aestimantibus, hunc mundum visibilem, partesque ejus universales atque speciales loca esse. Si enim recta ratione rerum omnium genera acute ac sine ullo errore discernerent, nullo modo corpus atque locum in uno eodemque genere concluderent. Nemo enim naturas rerum recte considerantium atque discernentium loca et corpora in uno genere miscet, sed rationabili discretione segregat. Nam corpora in categoria quantitatis continentur. Categoria autem quantitatis a categoria loci longe naturaliter distat. Non est igitur corpus locus, quia localitas non est quantitas. Siquidem, ut praediximus, nil aliud est quantitas, nisi partium, quae [13] seu sola ratione, seu naturali differentia separantur, certa dimensio, eorumque, quae naturalibus spatiis extenduntur, longitudine dico, latitudine, et altitudine, ad certos terminos rationabilis progressio. Locus vero nil aliud est nisi rerum, quae certo fine terminantur, ambitus atque conclusio. Si ergo mundus iste visibilis corpus est, sequitur necessario, ut et partes ejus corpora sint. At si corpora sunt, quantitatis, non localitatis generi subiugantur [14]. Sunt autem corpora. Loca igitur [15] non sunt. Videsne itaque, quomodo praedictis rationibus confectum est, hunc mundum cum partibus suis non esse locum, sed loco contineri, hoc est, certo [16] definitionis suae ambitu? Aliud est enim, quod continet, et aliud, quod continetur. Corpora [17] continentur locis suis. Aliud igitur est [18] corpus, et aliud locus, sicut aliud est quantitas partium, aliud definitio earum. Non igitur quattuor ista notissima elementa loca sunt, sed in loco circumscripta, quia [19] sunt principales partes, quibus universalitas sensibilis [20] mundi completur. Disc. Haec, quae a te dicta sunt de differentia locorum et corporum, verisimilia esse videntur. Sed subtilius eadem velim repetas. Non enim video, quare mundus iste locus non sit [21], cum multa in eo locentur. Mag. Non te latet, ut arbitror, nullam praedictarum categoriarum, quas decem esse Aristoteles definivit, dum per seipsam [22], hoc est, in sua natura rationis contuitu consideratur, sensibus corporeis succumbere. Nam οὐσία incorporalis est, nullique corporeo sensui subjacet; circa quam, aut in qua [23] aliae novem categoriae versantur. At si illa incorporea est [24], num [25] tibi aliter videtur, nisi ut omnia, quae aut ei adhaerent, aut in ea subsistunt, et sine ea esse non possunt, incorporea sint?

34. Omnes igitur [26] categoriae incorporales sunt per

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; *semper* om. A. [2] *movetur* om. CE. [3] CE *ut est aethereum spatium.* [4] D *summi ratio philosophi.* [5] A de *eadem causa hac.* [6] Sic CDE; A constituta *sunt.* [7] C *gravitate.* [8] *ut* om. C. [9] Sic CDE; A *numero.* [10] A *incedentem.* [11] Sic CDE; A *fuerit.* [12] Sic CDE; A *tendunt.* [13] A *qua.* [14] Sic CE; A *subiunguntur;* D *subiungantur.* [15] A *ergo.* [16] C *certe.* [17] Sic CDE; A Corpus *autem.* [18] A *Aliud est ergo.* [19] A *quae.* [20] Sic AC; D *visibilis; sensibilis* om. E. [21] Sic ADE; C *non sit locus.* [22] D per *ipsam.* [23] *in qua* om. D. [24] A *est incorporea.* [25] A *non.* [26] A *ergo.*

se intenectae. Earum tamen quaedam inter se mirabili quodam coitu, ut ait Gregorius, materiem visibilem conficiunt; quaedam vero in nullo apparent, semperque incorporales fiunt. Nam οὐσία, et relatio, locus, tempus, agere, pati, nullo sensu corporeo attinguntur. Quantitas vero, qualitasque, situs, et habitus, dum inter se coeuntes materiem, ut praediximus [1], jungunt, corporeo sensu percipi solent. Si igitur [2] locus inter ea, quae nullo modo corporeis sensibus succumbunt, connumeratur; corpora vero, si sensibus non percipiantur [3], corpora non sunt : nonne datur, quod locus non sit corpus? Corpora nunc [4] dico, quae ex coitu quattuor mundi elementorum conficiuntur. Nam quattuor mundi elementa, dum corpora sint per se ipsa discreta, ineffabili sua naturali subtilitate atque puritate omnem sensum mortalem superant. Aliud est igitur [5] locus, et aliud corpus. An tibi aliter videtur? DISC. Nullo modo. Et haec postrema ratiocinationis nostrae conclusio nequaquam sinit concedere, locum et corpus unius generis esse. Sed quod interpositum a te video, nil aliud esse materiem visibilem formae adjunctam — quicquid enim apparet, per formam apparet — nisi accidentium quorumdam concursum, non parvum [6] me movet MAG. Non te moveat. Nam, ut dixi, magnus Gregorius Nyssaeus in Sermone de imagine certis rationibus ita esse suadet, *nil aliud* dicens *materiam esse, nisi accidentium quandam compositionem, ex invisibilibus causis ad visibilem materiem procedentem.* Nec immerito. Si enim corporalis huius materiae solubilisque [7] quaedam simplex atque immutabilis essentia et nullo modo solubilis inesset, nulla ratione nullaque actione penitus solveretur. Jam vero solvitur. Nil igitur ei insolubile subest. Nam genera et species et atoma propterea semper sunt ac permanent, quia inest eis aliquod [8] unum individuum, quod solvi nequit, neque destrui. Ipsa quoque accidentia propterea in sua natura immutabiliter permanent, quia omnibus eis unum quoddam [9] individuum subest, in quo naturaliter omnia unum subsistunt.

35. DISC. Nil verius, ut arbitror; atque ideo [10] praesentem inquisitionem concludas, specto [11]. MAG. Quid restat, nisi ut dicamus, verbi gratia, dum videmus corpora nostra in hac terra constituta, vel hoc aere circumfusa, nil aliud nisi corpora in corporibus esse? Eadem ratione pisces in fluctibus, planetae in aethere, astra in firmamento, corpora in corporibus sunt, minora in majoribus [12], crassiora in subtilioribus, levia in levioribus, pura in purioribus. Haec enim omnia sensibilia, sicut etiam intelligibilia, suis propriis locis, id est, naturalibus definitionibus contineri vera ratio edocet.

36. DISC. Nec huic conclusioni resisto, dum eam veram esse video. Sed valde miror, cur in communem usum humanae vitae pervenit, ut omnia haec corpora, sive caelestia, sive aeria, sive aquatica, sive terrena, minorum intra se corporum loca esse dicere consuescat; quemadmodum nil aliud esse aestimat οὐσίαν praeter hoc corpus visibile atque tangibile. Ideoque obnixe flagito, ne sit tibi morosum, diutius de hac praesenti difficultate disputare. MAG. Quid igitur [13]? Nempe jamdudum inter nos est confectum, omnia, quae vel sensu corporeo, vel ratione, vel intellectu cognoscuntur, de Deo merito creatore omnium [14] posse praedicari, dum nihil eorum, quae de se predicantur, pura veritatis contemplatio eum approbat [15] esse. DISC. Id ipsum inconcussum esse, luceque clarius ratio edocet.

37. MAG. Si ergo de Deo omnia, quae sunt, non quidem proprie, sed modo quodam translationis, quoniam ab ipso sunt, rite praedicantur : quid mirum, si cuncta, quae in loco sunt, dum majoribus se undique videantur circumfundi, loca [16] possint nominari, cum nullum illorum proprie locus sit, sed loco suae propriae [17] naturae continetur [18], cumque videamus, per metonymiam, id est transnominationem, ab his, quae continent, nominari ea, quae continentur, non tamen ita continentur ab eis, ut sine eis intra naturales suos terminos subsistere non possint. Usus siquidem mortalium domum, uxorem, seu familiam solet appellare, cum haec naturaliter distent. Non enim domus praestat uxori seu familiae substantialiter esse, sed naturae locus. Quoniam vero in ea possident [19], ab ea denominari solent. Similiterque ea, quae continent, ab his, quae continentur. Verbi [20] gratia, aer continet lucem; ideoque illuminatus aer [21] lux dicitur. Oculus visus vocatur, seu visio, dum neque visus, neque visio sit juxta naturae proprietatem. Quis enim nesciat, oculum partem quandam corporalem capitis, humidamque esse, per quam visus [22] radiorum instar ex menica, hoc est membranula cerebri, foras funditur? Menica vero luminis naturam ex corde, ignis videlicet sede, recipit [23]. Est enim visus naturalis luminis in sensu videndi possidentis radiatim foras prosiliens emissio, quae cum coloribus formisque exteriorum sensibilium corporum circumfunditur, mirabili celeritate ipsis coloratis visibilibus formis conformatur. Est enim visio formarum colorumque corporalium in radiis oculorum quaedam imago conformata, quae nulla mora interstante sensu recipitur, memoriaeque sen-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A *prius diximus.* [2] A *ergo.* [3] Sic CDE; A *percipiuntur.* [4] Sic CDE; A *enim.* [5] Sic CDE A *Aliud enim ergo.* [6] Sic CDE; A *parum.* [7] Sic CDE; A *corporali huic materiae solubilique.* [8] Sic CE; A *aliquid.* [9] Sic CDE; A *quiddam.* [10] A *ut.* [11] Sic CDE; A *exspecto.* [12] D *minoribus.* [13] A *ergo.* [14] Sic CDE; A *de Deo creatore omnium merito.* [15] Sic CDE; A *approbet.* [16] Sic CDE; A *locus.* [17] Sic CDE; A *proprie suae.* [18] Sic CDE; C *continentur.* [19] Sic CDE; A *possidentur* [20] Sic CE; AD *Idec.* [21] *Aer* om. D. [22] A *visus fucus.* [23] D *recepit.*

tientis infigitur. Eadem ratio est et [1] in sensu aurium. Nam et particula capitis [2], quae proprie auris dicitur, ex auditu denominatur, quoniam instrumentum auditus est. Atque id genus mille.

38. DISC. Et hoc plane perspicio. MAG. Videsne itaque, qua consuetudine, rerumque significandarum necessitate, inops verarum rerum discretionis humanitas has abusivas rerum denominationes repererit, imam mediamque mundi visibilis partem, terram dico, animalium gressibilium nominans locum? Cui [3] similiter coadunatam inseparabilemque partem, qualitateque frigiditatis proximam, aquam videlicet, locum natantium [4] evocat [5]. Deinde naturali ordine tertiam mundi partem pennati generis locum esse aestimat. Eodemque modo amplissima aetheris spatia caelestium corporum circulariter in B eo revolutorum loca nominare consuevit. Quae omnia, vera ratione discretionis naturarum consulta, non loca, sed partes mundi suis locis circumscripta conspiciuntur.

39. Ut autem perspicue cognoscas, has praedictas mundi generales partes, earumque partium partes, usque ad minutissimas pervenientes partitiones, non esse loca, sed locis circumscriptas, ipsius loci natura paulo diligentius, si tibi placet, consideranda est. DISC. Placet equidem; et ad hoc audiendum ardenter insisto. MAG. Accipe igitur [6] tale ratiocinationis hujusmodi exordium, quam a sanctis Patribus, Gregorio videlicet theologo, Sermonumque ejus egregio expositore Maximo sumpsimus. Omne, quodcunque est praeter Deum, qui solus super C ipsum esse proprie subsistit, intelligitur in loco. Cum quo, videlicet loco, semper [7] et omnino cointelligitur tempus. Non enim possibile est [8], locum subtracto tempore intelligi; sicut neque tempus sine loci cointelligentia definiri potest. Haec enim inter ea, quae simul et semper sunt, inseparabiliter ponuntur; ac sine his nulla essentia, quae per generationem accepit esse, ullo modo valet consistere vel cognosci. Omnium itaque existentium essentia localis atque temporalis est; atque ideo, nisi in loco et tempore, et sub loco et sub tempore, nullo modo cognoscitur. Non enim omnium rerum universitas sub se ipsa et intra seipsam est. Hoc enim statuere, irrationabile est et impossibile, ipsam videlicet universitatem super suimet [9] universitatem esse, [10] D dum circumscriptionem habeat post omnia; circumscribentem omnia sub se ipsa, in se ipsa cautalissimam virtutem. Ipse itaque finis exterior locus universitatis est, sicut quidam definiunt locum, dicentes: locus est ipse extra universitatem ambitus, vel ipsa extra universitatem positio, vel finis comprehendens, in quo comprehenditur comprehensum. Sub tempore etiam [11] universa comprobantur [12], A quoniam non simpliciter, sed aliquo modo esse habent universa, quaecumque post Deum esse habent, ac per hoc non carent principio. Omne enim, quodcumque rationem recipit, alicujusmodi essentiae, etsi est, non erat. Itaque aliquo modo esse, hoc est localiter esse, et aliquo modo inchoasse esse, hoc est temporaliter esse. Ideoque omne, quod est praeter Deum, quoniam aliquo modo subsistit, et per generationem subsistere inchoavit, necessario loco ac tempore concluditur. Unde Deum esse dicentes, non aliquo modo esse [13] dicimus. Ac per hoc et est et erat, simpliciter et infinite et absolute in ipso dicimus. Incomprehensibile enim omni rationi et intellectui divinum est, atque ideo praedicantes ipsius esse, non dicimus ipsum esse. Ex ipso enim B esse, sed non ipsum esse. Est enim super ipsum esse aliquo modo, super esse et universaliter super quod dicitur et intelligitur. Si autem aliquo modo, sed [14] non universaliter ea, quae sunt, habent esse, quemadmodum sub loco esse, per positionem et finem [15] rationum, in quibus secundum naturam sunt, et sub tempore esse, omnino per principium, non ostendentur [16]? Videsne igitur [17], locum tempusque ante omnia, quae sunt, intelligi? Numerus enim locorum et temporum, ut ait sanctus Augustinus in sexto de Musica, praecedit omnia, quae in eis sunt. Modus siquidem, id est, mensura omnium rerum, quae creatae sunt, naturaliter conditionem earum ratione praecedit. Qui modus atque mensura uniuscujusque locus dicitur et est. Similiter principium nascendi C atque inchoatio ante omne, quod nascitur atque incheat, ratione praecedere perspicitur. Ideoque omne, quod non erat et est, a principio temporis coepit esse [18]. Solus itaque Deus infinitus est; cetera ubi et quando terminantur, id est, loco et tempore, non quod locus et tempus in numero eorum, quae a Deo [19] creata sunt, non sint, sed quod omnia, quae in universitate sunt, non spatiis temporum, sed sola ratione conditionis praecesserint. Necessario enim ea, quae continent, prius intelliguntur, quam ea, quae continentur; sicut causa praecedit effectum, ignis incendium, vox verbum, ceteraque similia. Ac per hoc non aliam beatitudinem his, qui digni sunt, aestimamus esse promissam [20], nec alium hujus mundi finem fore, quam ut omnes, qui gloriam D theoseos, id est, deificationis accepturi sunt, ultra loca et tempora ascendant. Nam, qui loco et tempore [21] coartantur, finiti sunt. Aeterna autem beatitudo infinita est. Aeternae igitur [22] beatitudinis atque infinitae participes neque loco circumscribentur, neque tempore.

40. Quod enim de solo Melchisedech scriptum est, patre ac matre caruisse, nullumque dierum principium per generationem in essentiam, neque finem

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A. [2] *capitis* om. A. [3] A *Qui*. [4] A *natantium locum*. [5] Sic CDE; A *vocat*. [6] A *ergo*. [7] A *quia*. [8] Sic CE; A *impossibile* est, D *non possibile* (*est* om.) [9] A *semet*. [10] *esse* om. D. [11] A *esse*. [12] A *comprobabitur*. [13] *esse* om. D. [14] *sed* om. D. [15] D et *in* finem. [16] Sic ACE; D *ostenduntur*. [17] A *ergo*. [18] Sic CE; A *accepit esse*, D *esse accepit*. [19] A *adeo*. [20] A *permissam*. [21] Sic ADE; *et tempore* om. A. [22] A *ergo*.

temporis habuisse, universaliter de omnibus, qui [1] A futurae beatitudinis participes erunt, intelligendum arbitror. Omnes siquidem, qui ad aeternas suas [2] rationes, quae neque initium temporis per generationem in loco temporeve, neque finem per resolutionem habent, neque ulla locali positione circumscribuntur, reversuri sunt, ut solae [3] in eis, et nil aliud sint, profecto omni [4] locali temporalique termino carebunt. Causae enim omnium rerum, quae omni caret circumscriptione, quoniam infinita est, infiniti in infinitum adhaerebunt. Solus namque Deus in ipsis apparebit, quando terminos suae naturae transcendent; non ut in eis natura pereat, sed ut in eis solus appareat, qui solus vere est. Et hoc est naturam transcendere: naturam non apparere; sicut aer, ut saepe diximus, luce plenus non apparet, B quoniam sola lux regnat. Quod igitur [5] de generali loco, generalique tempore universalis creaturae intelligitur, necessario de partium ejus locis temporibusque specialibus et propriis a summo usque deorsum intelligetur [6]. Praecedit autem locus generalis tempusque generale secundum intelligentiam omnia, quae in eis sunt. Praecedit igitur [7] specialium propriorumque [8] locorum temporumque cognitio ea, quae in eis specialiter proprieque intelliguntur. Ac per hoc concluditur, nil aliud esse locum, nisi naturalem definitionem, modumque [9], positionemque uniuscujusque sive generalis sive specialis creaturae; quemadmodum nil aliud est [10] tempus, nisi rerum per generationem motiones [11] ex non esse in esse inchoatione [12], C ipsiusque motus rerum mutabilium certae dimensiones, donec veniat stabilis finis, in quo immutabiliter omnia stabunt. Disc. Clarescit paululum, ut reor, hujus ratiocinationis intentio. Nam nil aliud appetit, quantum mihi datur intelligere, quam ut nihil [13] esse locum suadeat [14], nisi naturalem uniuscujusque creaturae definitionem, intra quam tota continetur, et extra quam nullo modo extenditur. Ac per hoc datur intelligi, sive locum quis dixerit, sive finem, sive terminum, sive definitionem, sive circumscriptionem, unum idipsumque significare, ambitum videlicet finitae naturae.

41. Quamvisque multae definitionum species quibusdam esse videantur, sola ac vere ipsa dicenda est definitio, quae a Graecis οὐσιώδης, a nostris vero essentialis vocari consuevit. Aliae siquidem aut D connumerationes intelligibilium partium οὐσίας, aut argumentationes quaedam extrinsecus per accidentia, aut qualiscunque [15] sententiarum species sunt. Sola vero οὐσιώδης id solum recipit ad definiendum, quod perfectionem naturae, quam definit, complet ac perficit. *Definitio* enim, ut ait Augustinus, *nihil majus, nihil minus tenet, quam id* [16], *quod susceptum est ad explicandum. Aliter omnino vitiosa est.* Mag. Clare perspicis. Non enim aliud [17], praeter quod dixisti, praedicta ratio appetit suadere. Disc. Sed miror, nec pure perspicio, quomodo definitio cujuscunque essentiae non intra ipsam, sed extra esse [18] dicatur, hoc est, neque totum ipsius, neque pars dici valeat. Mag. Attentior igitur [19] esto, ut et hoc plane cognoscas. Disc. Quantum lux interior admittit. Mag. Dic, quaeso, cum rerum omnium duo genera sint; omne enim, quod dicitur esse, aut visibile est, et [20] sensibus corporeis percipitur, aut percipi potest, aut invisibile, et intelligentiae obtutu consideratur, aut considerari possibile est, aut per se, aut per aliquod sibi adhaerens: in quo praedictorum generum definitiones esse judicas [21]?

42. Disc. Ridiculum istuc. Quis enim locum, seu finem, seu definitionem, seu qualemcunque circumscriptionis speciem, qua uniuscujusque substantia ambitur, inter ea, quae sensibus corporeis succumbunt, recte sapientium posuerit, cum videat, terminos lineae, seu trianguli, seu alicujus planae solidaeve figurae incorporeos esse? Punctum [22] siquidem, ex quo linea incipit, et in quo terminatur, nec linea [23], nec pars ejus est, sed terminus lineae. ~~Ac per hoc~~ locus ejus nec sensu percipitur, sed sola ratione cogitatur. Punctus enim sensibilis pars lineae est, non autem ejus principium, seu finis. Similiter et ipsa linea ratione consulta incorporea est, et est principium superficiei. Item superficies incorporea est, et est finis lineae, principium vero [24] soliditatis. Soliditas quoque incorporea est, et est finis totius perfectionis. Quicquid enim in his, id est, sive punctum, sive lineam, sive superficiem, sive soliditatem visibilem corporeus sensus attigerit [25], profecto figurae incorporalium rerum sunt, non earum ipsa vera substantia, quae incorporea est. Similiterque naturalium corporum, sive sensibilia sint per contemperantiam elementorum, quibus subsistunt, sive subtilitate sui mortales fugitent contuitus, solo intellectu naturae fines perspiciuntur. Forma siquidem, quae omnem materiam corporum [26] continet, incorporea est. Ipsa etiam [27] materies, si quis intentus aspexerit, ex incorporeis qualitatibus copulatur. Mag. Itaque in genere invisibilium [28] definitiones, quas locos rerum circumscriptarum diximus, concludi arbitraris? Disc. Ita quidem arbitror et nil certius video.

43. Mag. Recte aestimas. Sed quia iterum genus invisibilium in multas species dividi patitur; quaedam enim invisibilium sunt, quae intelliguntur et intelligunt, quaedam intelliguntur et non intelligunt, quaedam [29] neque intelliguntur, neque intelligunt:

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AD; C *qua*, E *quia*. [2] *suas* om. A. [3] Sic ACDE. [4] Sic ADE; C *enim*. [5] A *ergo*. [6] Sic ADE; C *intelligitur*. [7] A *ergo*. [8] C *propriorum*. [9] A *modum*. [10] *est* om D. [11] Sic DE; *motiones* om. A; C *motionis*. [12] Sic CDE; A *inchoatio*. [13] Sic CE; AD *nil*. [14] C *suadet*. [15] A *qualescunque*. [16] *id* om. A. [17] D *aliquid*. [18] *esse* om. A. [19] A *ergo*. [20] C *aut*. [21] Sic CDE; A *judices*. [22] Sic CDE; A *Punctu..* [23] A *linea est*. [24] Sic ACDE. [25] DE *attingerit*. [26] Sic CDE; A *corpoream*. [27] Sic CDE; A *enim*. [28] D *visibilium*. [29] Sic CDE; A *sunt, quae intelligant et intelliguntur, quaedam quae*.

in qua specie horum definitiones connumerandas esse censes? Disc. In ea profecto, quae intelligit et intelligitur. Actio siquidem definitionis ratiocinantis intelligentisque naturae actio est. Mag. Nec aliter videtur esse posse. Nulla enim natura, quae seipsam non intelligit esse, aut sui aequalem, aut se inferiorem potest definire. Nam quod supra se est, quomodo potest cognoscere, dum ejus notitiam non valeat superare[1]? Disc. Solius ergo intellectualis naturae, quae in homine angeloque constituitur, definitionis peritia est. Sed utrum angelus aut homo seipsum, aut homo angelum, aut angelus hominem possit definire, non parva quaestio est. De qua, quid tibi videtur, nosse cupio. Mag. Videtur mihi neque seipsos, neque inter se invicem definire posse[2]. Nam si homo seipsum vel angelum definit, major seipso est et angelo. Majus enim est[3] quod definit, quam quod definitur. Eadem de angelo est ratio. Hos itaque ab ipso solo, qui eos ad imaginem suam condidit, definiri posse arbitror. Disc. Videtur mihi hac ratione concludi, non alias naturas rationabili animo definiri, nisi inferiores se[4], sive visibiles sint, sive invisibiles. Mag. Quisquis hoc dixerit, veritate[5] non errat. Ideoque ubi definitiones sunt[6] eorum, quae definiuntur, ibi profecto et loci eorum, quae circumscribuntur. Praedictis enim rationibus confectum est, locum definitionem esse, et definitionem locum. Disc. Confectum scilicet. Mag. Atqui definitiones corporum, rerumque ratione carentium, non alibi nisi in anima rationabili sunt. In ea itaque et loci omnium[7], quae localiter comprehenduntur. At si rationalis anima incorporea est, unde nullus sapiens dubitat, necessario, quicquid in ea intelligitur, incorporeum esse manifestum est. Et locus in animo intelligitur, sicut prius datum est[8]. Incorporalis est igitur[9]. Disc. Et hoc jure conclusum video. Sive enim angelica natura rerum inferiorum se definitiones contineat, ut Augustino videtur placere, nam et angeli inferiora se creduntur administrare, sive ad superiora se semper intendat, id est, ad causas rerum aeternas, huic rationi non obstat. Non enim a veritate distat, ut video, si quis aestimaverit, humanum animum, terrenis adhuc phantasiis depressum, causas creatas inferiorum se naturarum posse comprehendere, si pure vixerit, angelicum vero omnium rerum aeternas appetere rationes, et ad hoc semper caritate motus humanam naturam attrahere. Mag. Recte vides. Videsne itaque, non aliud esse locum, nisi actionem intelligentis atque comprehendentis virtute intelligentiae ea, quae comprehendere potest, sive sensibilia sint, sive intellectu comprehensa? Atqui[10] si ita est, aliud igitur[11] est quod definitur, et aliud ejus definitio. Disc. Aliud esse video. Sed intellectus, qui seipsum intelligit, quoniam seipsum definit, suimet locus esse videtur. Mag. Nec hoc absurde quis dixerit, si ullus intellectus post[12] Deum, qui intellectus omnium dicitur, seipsum potest intelligere. Si autem omnis intellectus praeter Deum non a seipso, sed a superiori se circumscribitur, nullus intellectus suimet locus erit, sed intra superiorem se collocabitur. Et hoc paulo superius nonne convenerat[13], non aliter esse? Disc. De hoc alibi latius disputandum aestimo.

44. Nunc autem[14] velim scire, utrum aliud est natura animi definientis, id est, omne, quod ab eo intelligitur, cognitionis loco comprehendentis, et aliud locus ipse, seu definitio locati vel definiti. Mag. Nec hoc inquisitione indignum esse video. Multi enim de hoc dubitant. Sed quoniam videmus, aliud esse constitutas in anima liberales artes, aliud ipsam animam, quae quasi[15] quoddam[16] subjectum est artium, artes vero veluti inseparabilia naturaliaque animae accidentia videntur esse, quid nos prohibet, definiendi disciplinam inter artes ponere, adjungentes dialecticae, cujus proprietas est, rerum omnium, quae intelligi possunt, naturas dividere, conjungere, discernere, propriosque locos unicuique distribuere? Atque ideo a sapientibus vera rerum contemplatio solet appellari. Nam cum in omni rationabili intellectualique natura tria inseparabilia semperque incorruptibiliterque[17] manentia considerentur[18], οὐσίαν dico, et δύναμιν, ἐνέργειανque, hoc est, essentiam, virtutem, operationem; haec enim teste sancto Dionysio[19] inseparabiliter sibimet adhaerent, ac veluti sunt, et nec augeri nec minui possunt, quoniam immortalia sunt atque immutabilia: num[20] tibi verisimile videtur, certaeque rationi conveniens, omnes liberales disciplinas in ea parte, quae ἐνέργεια, id est, operatio animae dicitur, aestimari? Siquidem a philosophis veraciter quaesitum repertumque est, artes esse aeternas, et semper immutabiliter animae adhaerere, ita ut non quasi accidentia quaedam ipsius esse videantur, sed naturales virtutes actionesque, nullo modo ab ea recedentes, nec recedere valentes, nec aliunde venientes, sed naturaliter ei insitas, ita ut ambiguum sit, utrum ipsae aeternitatem ei praestent[21], quoniam aeternae sint[22], eique semper adhaereant[23], ut aeterna sit, an ratione subjecti, quod est anima, artibus aeternitas administratur; οὐσία enim animae et virtus et actio aeternae sunt; an ita sibi invicem coadhaereant[24], dum omnes aeternae sint, ut a se invicem segregari non possint.

45. Disc. Huic rationi, quoniam vera est, nescio quis audeat reluctari. Nam quodcunque horum quis

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic BCDE; A *sumere*. [2] D *potest*. [3] AD *est enim*. [4] Sic ADE; C *nisi inferior esse*. [5] Sic CDE; A *a veritate*. [6] *sunt* om. A. [7] Sic CDE; A *loci sunt omnium*. [8] *est* om. D. [9] A *ergo*. [10] Sic CE; A *Atque*, D *At*. [11] A *ergo*. [12] A *potest*. [13] Sic CDE; A *nonne inter nos convenerat*. [14] D *vero*. [15] *quasi* om. A. [16] *quoddam* om. D. [17] Sic E; A *incorruptibilia*, C *incorruptibiliter*, D *incorporaliter*. [18] Sic CDE; A *considerantur*. [19] D *sancto Dionysio teste*. [20] A *non*. [21] Sic AE; CD *praestant*. [22] CDE *sunt*. [23] Sic ACDE. [24] Sic CDE; A *cohaereant*.

firmaverit, rationi non resistit. Ultimum tamen, quod a te positum est, verisimilius esse ceteris elucet. Sed ut ad eadem [1] redeamus, non mihi plane patet, quomodo *οὐσία* sive in generibus, sive in speciebus, sive in atomis definiri possit, cum in praedictis rationibus hujus libelli conclusum sit, eam nulli [2] sensui corporeo, nulli [3] intellectui comprehensibilem esse. MAG. *Οὐσίαν* per seipsam definire, et dicere, quid sit, nemo potest. Ex his autem, quae inseparabiliter ei adhaerent, et sine quibus esse non potest, ex loco dico et tempore — omnis enim *οὐσία* de nihilo creata, localis temporalisque est; localis quidem, quia aliquo modo est, quoniam infinita non est; temporalis vero, quoniam inchoat esse, quod non erat — solummodo definiri potest. *Οὐσία* itaque nullo modo definitur quid est, sed definitur, quia est. Ex loco namque, ut diximus, et tempore, accidentibusque aliis, quae sive in ipsa, seu extra intelliguntur esse, tantummodo datur, non quid sit, sed quia est. Et hoc generaliter de omni *οὐσία* sive generalissima, sive specialissima, sive media, non incongrue quis dixerit. Nam et causa omnium [4], quae Deus est, ex his, quae ab ea [5] condita sunt, solummodo cognoscitur esse; nullo vero creaturarum argumento possumus intelligere, quid sit : atque ideo sola haec definitio de Deo praedicatur, quia est, qui plus quam esse est. DISC. Huic quoque rationi nemo sane intelligentium, ut opinor, obstabit.

46. MAG. Nunc igitur sole lucidius perspicis, eos esse deridendos, imo etiam [6] dolendos, ac per hoc ad veram rerum discretionem revocandos, si velint, aut penitus relinquendos, si suam consuetudinem veritati inimicissimam sequi malint, qui partes hujus mundi visibilis ceterorum corporum intra se constitutorum naturalia loca esse opinantur. Nam ut, verbi gratia, de meo corpore dicam; animam quippe corporalibus hujus mundi spatiis putare contineri impudentissimum est; si aer iste locus ejus est, sequitur, ut quarta pars sui locus suus sit. Nam omne corpus visibile quattuor partibus constare omnibus notum est, ex igne videlicet, aere, terra, aqua [7]. Nil autem irrationabilitati propinquius, quam ut totum corpus sui parte locari putetur. Totum siquidem omnes suas partes comprehendere, non autem pars totum recte aestimatur ambire. Item si corpus meum in isto aere veluti in suo loco esse dicam, sequitur, nullum certum locum ibi posse habere. Iste etenim [8] aer semper circa terram volvitur, ac per hoc uno eodemque temporis spatio innumerabiles locos habere corpus in [9] eo constitutum necesse est. Quod nulla ratione conceditur. Praedictis siquidem rationibus suasum est, locum in statu esse, nulloque motu variari. Sicut ergo, qui in flumine stat, sedetve, seu natat, illam partem fluminis non potest retinere [10], ut

A possit dicere, se [11] certum locum fluminis possidere, cum constet [12], sine ulla intermissione illud transire : ita nemo debet dicere locum corporis sui hunc aerem, sine ulla intermissione mobilem, nulloque temporis momento stantem. Si autem quis huic rationi objecerit terram, quoniam semper stat, corporum jure appellari locum, videat similiter, terram materiem corporum esse, non locum. Quis autem materiam corporum eorundem esse locum ratione utens audeat dicere, praesertim cum materia, per seipsam ratione considerata, nec in motu, nec in statu sit ? In motu siquidem non est, quod nondum inchoat certa forma contineri. Nam per formam movetur materia; sine forma [13] immobilis est, ut Graeci volunt. Quo enim movebitur, quod nullo loco,
B nullo tempore certo adhuc coartatur? Nec in statu est, quia nondum finem suae [14] perfectionis possidet. Status siquidem finis motionis est. Quomodo autem potest in statu fieri, quod non coepit jam moveri ? Quomodo igitur [15] materia corporis locus corporis, quod ex ea conficitur, potest esse, cum et ipsa in seipsa nullo certo loco, seu modo, seu forma circumscribatur, nulla certa ratione definitur, nisi per negationem [16] ? Negatur enim, aliquid esse eorum [17], quae sunt, cum ex ea omnia, quae creata sunt, condita esse credantur [18]. Item si partes hujus visibilis mundi nostrorum corporum seu aliorum loca sunt, loca nostra semper esse non possunt. Dum enim corpus cujusdam animalis solutum fuerit, partesque illius ad sedes suas naturales, ex quibus as-
C sumptum est, separatim revertuntur [19], locus ejus, aer verbi gratia, seu aqua, seu terra, seu ignis non erit; sed singulae partes unius corporis singulis connaturalibus sibi elementis ita commiscentur, ut unum cum eis sint, non ut in eis sint veluti aliquid in aliquo. Quod enim reddetur aeri, aer erit, et non quasi in quodam loco aeris statuetur [20]; non, ut confusio quaedam corporum sit, sed mirabili naturae modo unusquisque partem suam propriam in singulis habebit elementis, totum per totum, non in parte partem; ita ut resurrectionis tempore nullus accipiat, nisi quod suum est, sicut multorum luminarium lux simul est conjuncta, ut nulla in ea sit commixtio, nulla segregatio. Dum enim una eademque lux videatur esse, unumquodque tamen luminare suam
D propriam possidet lucem, alterius luci non commixtam, sed mirabiliter totae in totis fiunt, et unum lumen conficiunt. Aliud igitur [21] est aer, et aliud locus ejus. Eodem modo de ceteris elementis, partibusque solutorum corporum sibi redditis, intelligendum esse censeo. Et si ita est, necessario dabitur, aut istas partes mundi generales loca corporum ab eis perfusorum compositorumque non esse, aut corpora ipsa certum locum non habere, aut penitus

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A *eandem*. [2] Corr., ACDE *nullo*. [3] Corr., ACDE *nullo*. [4] *omnium* om. D. [5] Sic CDE; A *eo*. [6] A *et*. [7] Sic CE; AD *aqua, terra*. [8] Sic CE; AD *enim*. [9] *in* om. CDE. [10] C. fluminis *possidere* non potest retinere. [11] *se* om. CDE. [12] D *constat*. [13] *forma* om. D. [14] D *sui*. [15] A *ergo*. [16] CDE generationem. [17] A *ergo. eorum esse*. [18] A *creduntur*. [19] Sic AD; C *revortantur*, E *revertentur*. [20] Sic AE; CD *statuitur*.

omni loco vacare. Quod natura rerum, veraque ipsius contemplatio non sinit concedere. Non enim ulla creatura certo suo loco atque immutabili, certisque temporum spatiis finibusque, sive corporea sit, sive incorporea, potest carere. Ideoque, ut saepe diximus, duo haec, locus profecto et tempus, a philosophis ὧν ἄνευ appellantur, hoc est, quibus sine. Nam sine his nulla creatura generatione [1] inchoans et aliquo modo subsistens potest consistere. Utque proximo rerum utamur argumento, si locus corporis est omne, quodcunque ei circumfunditur, color erit locus corporis. Nullum etenim visibile corpus est, quod luce coloris non circumfundatur. Si autem color colorati corporis locus est, necessario dabitur, qualitas locus corporis esse. Sed quis tam dira stultitia opprimitur, ut qualitatem corporis [2] locum corporis esse fateatur? At si color corporis qualitas est incorporea, et extra corpus undique corpori circumfunditur, non tamen locus ejus esse ulli sapientum [3] videtur. Qua ratione aer iste, seu aliquod aliud mundi elementum, quamvis corporibus intra se positis circumfusa sint, eorum tamen ullo modo esse posse loca, non conceditur.

47. Disc. Satis de his disputatum. Sed adversus eos, qui non aliud esse corpus, et aliud corporis essentiam putant, in tantum seducti, ut ipsam substantiam corpoream esse, visibilemque atque tractabilem non dubitent, quaedam breviter dicenda esse arbitror. Nam multi ac paene omnes tali errore fatigantur, naturales rerum differentias ignorantes. Mag. Adversus stultitiam pugnare nil est laboriosius. Nulla enim auctoritate vinci fatetur, nulla ratione suadetur. Sed quoniam non est aequalis hominum stultitia, nec eadem erroris caligine mentes eorum obscurantur, paucis argumentationibus adversus eos utendum video. Disc. Utendum sane. Si enim eis proderit, lucrum erit; sin [4] vero, nosmetipsos de talibus naturarum discretionibus disputationis studio certiores efficiemus. Mag. Has itaque paucas de pluribus dialecticas collectiones intentus considera. Omne corpus, quod materia formaque componitur, quoniam solvi potest, corruptibile est. Mortale autem corpus materia formaque componitur. Corruptibile est igitur [5]. Item, omnis οὐσία simplex est, nullamque ex materia formaque compositionem recipit, quoniam unum inseparabile est. Nulla igitur [6] οὐσία corpus mortale rationabiliter conceditur esse. Hoc autem dictum est, quia omnis οὐσία [7], quanquam intelligatur ex essentia et essentiali differentia composita esse—hac enim compositione nulla incorporea essentia potest carere, siquidem et ipsa divina οὐσία, quae non solum simplex, sed plusquam simplex cre-

A ditur esse, essentialem differentiam recipit; est enim in ea ingenita, genita, procedens substantia — ipsa tamen compositio, quae sola ratione cognoscitur, nulloque actu et operatione fieri comprobatur, rationabiliter simplicitas esse [8] judicanda est. Ut autem firmius cognoscas, οὐσίαν, id est essentiam [9], incorruptibilem esse, lege librum sancti Dionysii Areopagitae de divinis Nominibus eo loci, quo de natura daemonum deque eorum malitia [10] disputat [11], quod nullam essentiam, neque eorum, neque aliorum corrumpere possit, et reperies, eum disputare subtilissime, nullum eorum, quae sunt, in quantum essentia et natura est, ullo modo corrumpi posse.

48. Haec enim tria in omni creatura, sive corporea sive incorporea, ut ipse certissimis argumenta-
B tionibus edocet, incorruptibilia sunt et inseparabilia, οὐσία, ut saepe diximus, δύναμις, ἐνέργεια, hoc est, essentia, virtus, operatio naturalis. Disc. Horum trium exemplum posco. Mag. Nulla natura, sive rationalis sive intellectualis, est, quae ignoret se esse, quamvis nesciat, quid sit. Disc. Hoc non ambigo. Mag. Dum ergo dico, intelligo me esse, nonne in hoc uno verbo [12], quod est intelligo, tria significo a se inseparabilia? Nam et me esse, et posse intelligere me esse, et intelligere me esse demonstro. Num vides uno verbo [13] et meam οὐσίαν, meamque virtutem, et actionem significari? Non enim intelligerem, si non essem; neque intelligerem, si virtute intelligentiae carerem; nec illa [14] virtus in me silet, sed in operationem intelligendi prorumpit. Disc. Verum et veri-
C simile. Mag. Num igitur necesse est, eos, qui dicunt, corpus materiale οὐσίαν esse, aut corpus suum ex forma materieque compositum non esse fateri, seu οὐσίαν incorruptibilem esse, aut corpus suum corruptibile et materiale [15] esse, ac per hoc οὐσίαν non esse, veritate [16] coactos [17] concedere? Disc. Necesse sane. Sed mihi videris dicere [18], non omne corpus οὐσίαν esse universaliter [19], sed omne corpus materia formaque compactum solummodo negare. Mag. Intentus itaque haec intuere. Nec [20] me aestimes, non de specie quadam corporum, sed universaliter de omni corpore dixisse, quamvis specialiter de corpore composito ex forma materiaque dixerim, pro praesentis quaestionis utilitate, adversus eos, qui mortalia sua corpora transitoriaque non aliud
D esse, nisi suam οὐσίαν, suamque οὐσίαν nihil aliud esse, nisi corpus materiale suum diversisque speciebus [21] compositum, forma videlicet atque materia variisque accidentibus, dicunt [22].

49. Ut autem plane cognoscas, universaliter οὐσίαν nullum corpus esse, hanc argumentationis accipe speciem. Disc. Accipiam; sed prius quandam formu-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *generationem*, E *generationes*. [2] Sic CDE; *corporis* om. A. [3] Sic ACE; D *sapientium*. [4] A *si non*. [5-6] A *ergo*. [7] Sic ACDE; anacolutice, ut videtur; f. οὐσίας? [8] *esse* om. AD. [9] *id est essentiam* om. A. [10] C *militia*. [11] Sic ACE; D *disputant*. [12] CDE *verbo uno*. [13] Sic CDE; A *verbo uno*. [14] A *ulla*. [15] *et materiale* om D. [16] D *veritatem*. [17] CDE *coacti*. [18] *dicere* om. C. [19] Sic CDE; A *universaliter esse*. [20] C *ne*. [21] *speciebus* om. C. [22] *dicunt* om. CDE.

lam praedictae argumentationis fieri necessarimm video. Nam praedicta ratiocinatio plus argumentum e contrario videtur esse, quam dialectici syllogismi imago. MAG. Fiat igitur maxima propositio sic : utrum οὐσία corpus corruptibile est? Omnis οὐσία incorruptibilis [1] est. Omne incorruptibile corpus materiale non est. Omnis igitur οὐσία corpus materiale non est. Et reflexim : Omne igitur corpus materiale οὐσία non est. Item : Omne corpus [2], quod ex forma atque materia componitur, simplex non est. Omnis autem οὐσία simplex est. Nullum igitur corpus forma materiaque compositum οὐσία est. Item : Omnium hominum una eademque οὐσία est. Omnes enim unam participant essentiam, ac per hoc, quia omnibus communis est, nullius proprie est. Corpus autem commune omnium hominum non est. Nam unusquisque suum proprium possidet corpus, non et οὐσίαν. Igitur communis est, et corpus commune non [3] est. Est autem οὐσία [4] communis. Non est igitur [5] corpus. Eadem ratio in ceteris animalibus inanimalibusque [6] perspicue splendet. DISC. Haec formula idonea est. Redi, precor, ad promissam [7] argumenti universalem speciem, qua concluditur, nullum corpus οὐσίαν esse. MAG. Omne quod longitudine, latitudine, altitudine comprehenditur, quoniam diversis spatiis concluditur, corpus est. Quod autem nullum praedictorum spatiorum recipit, quoniam unum est atque simplex, nullumque motum naturae suae per spatia potest recipere, necessario incorporale est. Οὐσία autem nec longitudine, nec latitudine, nec altitudine protenditur, et quoniam in suae naturae simplicitate individua permanet, incorporalis est. Nulla itaque οὐσία, quoniam caret spatio, corporalis est; sicut nullum corpus, quoniam spatiis extenditur, οὐσία est. DISC. Hoc etiam [8] certa dialectica formula imaginari volo. MAG. Fiat itaque formula syllogismi conditionalis. Ita maxima propositio [9] : utrum οὐσία corpus est? Si οὐσία corpus est, longitudinis, latitudinis [10] altitudinisque spatia recipit. Οὐσία autem longitudinem, latitudinem, altitudinemque [11] non recipit. Corpus igitur non est. Si autem ἐνθυμήματος, hoc est, conceptionis communis animi syllogismum, qui omnium conclusionum principatum obtinet, quia ex his, quae simul esse non possunt, assumitur, audire desideras, accipe hujusmodi formulam : Non [12] et οὐσία est, et incorporalis non est. Est autem οὐσία. Incorporalis igitur. Non enim simul esse potest, ut et οὐσία sit, et incorporea non sit. Item : Non [13] et οὐσία est [14], et corpus est. Est autem οὐσία. Non est igitur corpus. Item : Non [15] et οὐσία est, et incorporalis [16] est. Est autem οὐσία. Incorporalis igitur. Maximum itaque argumentum est, ex quo dignoscitur, aliud esse corpus, aliud οὐσίαν. Nam οὐσία in genera et species dividitur; corpus vero veluti totum quoddam in partes separatur. Item [17] corpus in partibus suis totum non est. In capite enim, seu manibus, pedibusve, totum corpus non comprehenditur. Et est majus in omnibus suis partibus simul; minus vero in singulis non simul. E contrario autem οὐσία tota in singulis suis formis speciebusque est; nec major in omnibus simul collectis, nec minor in singulis a se invicem divisis. Non enim amplior est in generalissimo genere, quam in specialissima specie; nec minor in specialissima specie, quam in generalissimo genere. Et ut exemplis utamur : οὐσία non est major in omnibus hominibus, quam in uno homine, nec minor in uno homine, quam in omnibus hominibus. Non est major in genere, in quo omnes species animalium unum sunt, quam in homine solo, vel bove, vel equo. Nec minor in his singulis speciebus, quam simul in omnibus. Item corpus in partes potest secari, ut totum suum pereat. Verbi gratia, dum solvitur in ipsa elementa, ex quibus coeuntibus superaddita forma conficitur, totum perit. Ubi enim partes simul non sunt, neque propria forma continentur, totum simul esse non potest in aliqua re actu et opere; quamvis simul videantur esse naturas rerum considerantis cogitatione. Sed aliud est, simul esse rationabili naturae consideratione [18], quae omnia simul semper intellectu colligit, et inseparabiliter comprehendit universitatem [19]; aliud, quod operatione agentis, aut passione patientis, visibiliter in separatione seu collectione sensibilium partium peragitur. Ratio siquidem omnium numerorum [20] in unitate inconcussa est, nec augeri potest, nec minui. Corporales vero numeri seu phantastici et augeri in infinitum possunt, et minui, ita ut penitus non sint. At vero οὐσία, quamvis sola ratione in genera sua speciesque et numeros [21] dividatur, sua tamen naturali virtute individua permanet, ac nullo actu seu operatione visibili segregatur. Tota enim simul et semper in suis subdivisionibus aeternaliter et incommutabiliter subsistit, omnesque subdivisiones sui simul ac semper in seipsa unum inseparabile sunt. Atque ideo, etsi corpus, quod nihil aliud est [22] quam οὐσίας [23] quantitas, et ut verius dicam, non quantitas, sed quantum, actu et operatione, vel certae suae fragilitatis passione, in diversas segregetur partes, ipsa per se, id est οὐσία, cujus est quantum corpus, immortalis inseparabilisque sua propria naturalique virtute perdurat.

50. Ideo autem addidi, rectius corpus quantum vocari quam quantitas, quoniam illa accidentia, quae naturalia dicuntur, dum in seipsis naturaliter perspiciuntur, incorporalia sunt et invisibilia, et circa ipsam οὐσίαν, seu in ipsa sola [24] rationis con-

VARIAE LECTIONES.

[1] D *incorruptibile.* [2] D *corpus omne.* [3] *commune non* om. CDE. [4] οὐσία om. CDE [5] A *ergo.* [6] Sic CDE; *inanimalibusque* om. A. [7] Sic CDE; A *praemissam.* [8] *A in.* [9] Sic CDE; A propositio *est.* [10] A *ac* latitudinis. [11] AD *altitudinem.* [12] Sic CDE; A *num.* [13] A *num.* [14] *est* om. D. [15] A *num.* [16] Sic *CDE*; A *non corporalis.* [17] Sic CDE; A *Itemque.* [18] A *consideratione naturae.* [19] Sic CDE; A *in* universitatem. [20] D *numerorum omnium.* [21] Sic AD; CE *numerosque.* [22] A *est aliud.* [23] D *usiae.* [24] Sic CDE; A *solo.*

tuitu considerantur, et veluti quaedam causae suorum effectuum sunt, ut est ipsa quantitas et qualitas causa quanti et qualis, ceteraque accidentium genera, de quibus satis, ut arbitror, diximus, quoniam invisibiles sunt, suos visibiles effectus gignunt. Corpus igitur non est οὐσίας quantitas, sed quantum; sicut color visibilis, qui circa corpus sentitur, non est οὐσίας qualitas, sed quale in quanto constitutum, ceteraque id genus. Placuit etiam [1] sententiam sancti patris Augustini ex libro, quem de categoriis Aristotelis scripsit, nostris disceptatiunculis inserere.

51. *Descripta igitur*, inquit, οὐσία, *quoniam definiri non potuit propter eas causas, quas superius memoravi, accidentium definitionem necessarius ordo poscebat. Quorum primum est quantum. Nec sine causa. Nam cum aliquid viderimus, id necesse est, quantum sit, aestimare. Quantum vero sit, inveniri non potest, nisi fuerit adhibita mensura collectum. Si ergo omissa latitudine solam quis longitudinem voluerit emetiri* [2], *longitudo sine latitudine mensurae subjecta* γραμμή *dicitur; non quod sit longitudo aliqua, quae careat latitudine, sed quod solam quis metiens longitudinem* γραμμή [3] *metiri dicitur. Emensa vero cum longitudine latitudo dicitur* ἐπιφάνεια [4]. *Sin autem et altitudo fuerit mensurae sociata, corpus cuncta perficiunt. Quod tamen non ita accipimus* [5], *quemadmodum solemus accipere naturale, ne ad* οὐσίαν *reverti videamur.* Hoc ideo dictum est, ut has singulas regulas in geometricis corporibus sciamus esse constitutas, in quibus haec tria separatim discreta esse possunt. In naturalibus autem inseparabiliter [6] cohaerent, in quibus solo intellectu quantitas ab οὐσία separatur. Nam cum videtur quis de quantitate disputare, tanquam de οὐσία quid diceret, putatur confundere. Videsne quid summae auctoritatis magister edicat? Cum videtur, inquit, quis [7] de quantitate, hoc est, de spatiis, quibus corpus conficitur, disputare, ab his, qui nihil aliud esse οὐσίαν [8] aestimant nisi corpus quod vident, de ipsa οὐσία putatur quid [9] dicere. Si igitur geometrica corpora, quae sola [10] animi contuitu contemplamur [11], solisque memoriae imaginationibus fingere procuramus, in aliqua οὐσία subsistunt, profecto naturalia sunt, nullaque inter geometrica et naturalia corpora differentia est. Nunc vero, quoniam geometrica corpora solo animo consideramus, in nullaque οὐσία subsistunt, atque ideo phantastica jure vocantur, naturalia vero corpora propterea naturalia sunt, quoniam in naturalibus suis *ousiis*, id est essentiis, subsistunt, et sine quibus esse non possunt, ideoque vera sunt; alioquin non in rebus naturalibus, sed sola ratione cogitarentur: profecto datur intelligi, aliud esse

A corpus, aliud οὐσίαν, quoniam corpus aliquando caret οὐσία, aliquando adhaeret *ousiae*, ut verum sit, sine qua verum fieri non potest, sed quadam imaginatione figuratum; οὐσία vero nullo modo corporis indiget, ut sit, quoniam per se ipsam subsistit. Satis de his dictum esse reor. D. Satis plane: sed restat, sicuti video, ut de ipsa materia formaque, quibus materialia componi asseris, pauca edisseras. Non enim praetereundum est, ut arbitror; siquidem non mihi satis elucet, utrum eadem forma est et quae generi [12] subditur, et quae materiae, ut corpus sit, copulatur.

52. M. Formarum aliae in οὐσία, aliae in qualitate intelliguntur; sed quae in οὐσία sunt, substantiales species generis sunt. Nam de ipsis genus praedicatur, quia in ipsis subsistit. Genus namque, B ut saepe diximus, totum in singulis suis [13] formis est, quemadmodum et singulae formae unum in suo genere sunt. Et haec omnia, id est, genera et formae [14] ex uno fonte *ousiae* manant, inque eam naturali ambitu redeunt. Formae vero, quae qualitati attribuuntur, in naturalibus corporibus proprie formae, in geometricis autem figurae vocantur. Omne enim geometricum corpus spatiis solummodo atque figura, nulla vero substantia continetur. Omne siquidem phantasticum corpus [15] universalibus tribus spatiis perficitur, longitudine videlicet, latitudine, altitudineque. Non autem universaliter omnia corpora geometrica una figura circumscribuntur. Eorum namque alia ex triangula surgunt figura, alia ex tetragona, alia ex pentagona, ceterisque in infinitum C polygonis, alia ex circulari crescunt superficie. Atque ideo, in quantum numerus linearum ex ternario inchoans progreditur, in tantum et figurarum et superficierum multiplex ordo variatur. Numerus itaque spatiorum et linearum in geometricis corporibus quantitati deputatur. Laterum vero angulorumque ordo atque positio, superficierumque habitudines, qualitatis proprium est, et dicitur forma geometrica, seu proprie figura [16]. Dum vero in naturalibus corporibus numerus membrorum, atque distinctio, sive naturalibus discretionibus segregentur, sive naturaliter sibi invicem conjuncta sint, perspicitur, quantitatis proprium esse nemo denegat [17], ordinem vero atque positionem naturalium partium seu membrorum ad qualitatem referri, formamque proprie vo- D cari. Dicimus enim [18] formam hominis sursum versus erectam, ceterorum vero animalium deorsum versus pronam. Unde deformes dicuntur, qui congrua membrorum harmonia carent, seu coloris pulchritudine privantur, quae ex qualitate ignea, quae est calor [19], corporibus innascitur. Nam color dicitur quasi calor mutatione unius litterae. Et forma voca-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *enim*. [2] Sic ADE; C *metiri*. [3] Sic CDE; A *gramme*. [4] CDE ἐφιπανία, A *epiphania*. [5] D *accipiemus*. [6] *seperabiliter*. [7] Sic ACE; D *cum videtur quis, inquit*. [8] Sic CDE; A ουσιαν *esse*. [9] Sic CDE; A *quidem*. [10] Sic CDE; A *solo*. [11] D *contemplantur*. [12] Sic AE; CD *generis*. [13] *suis* om. D. [14] *unum — formae* om. E; A *forma*. [15] D *corpus phantasticum*. [16] Sic AD; C *figurae*, E *figuret* [17] Sic CDE; A *deneget*. [18] *enim* om. D. [19] Sic A; CDE *color*.

tur a formo, hoc est calido, conversa *mum* syllaba in *ma*. Antiqui siquidem formum dicebant calidum [a]. Unde et forcipes formum capientes appellantur. Innormes quoque eos, qui naturalem membrorum regulam excedunt, quasi sine norma, id est regula, solemus nominare. Nonne vides, hoc non in numero, nec magnitudine membrorum, sed in positione partium corporis, luceque coloris consistere? An tibi aliter videtur? Disc. Non ut opinor. Sed quid ad propositam quaestionem talis attineat [1] differentia, nosse specto. Mag. Num praedictis rationibus inter nos est concessum, aliud esse corpus, aliud οὐσίαν? Disc. Satis, plurimumque [2].

53. Mag. Si [3] itaque naturali discretione quantitas corporis ab intellectu *ousiae* separatur, quamvis sibimet adhaereant, ita ut οὐσία subjectum quantitatis sit et quanti, ipsa vero quantitas seu quantum accidentia sint *ousiae*: nonne luce clarius est, aliam esse formam, quae in ipsa οὐσία, non ut accidens, sed ut idipsum [4] ei, prospicitur, aliam, quae ex qualitate quantitati adjuncta corpus efficit perfectum? Disc. Jam video, quo tendis. Mag. Putasne, me velle formam essentialem materiae adjunctam naturale corpus efficere? Disc. Ne id quidem; immo vero nolle te video. Mag. Dic, quaeso, quomodo? Disc. Ex praedicta formarum differentia, *ousiadum* scilicet qualitativarumque, videris mihi non aliud suadere, nisi eam formam, quae species qualitatis est, materiae superadditam corpus, cui οὐσία subsistit, perficere. Haec etenim tria in omnibus naturalibus inspiciuntur corporibus: οὐσία, quantitas, qualitas. Sed οὐσία solo semper intellectu cernitur; in nullo enim visibiliter apparet. Quantitas vero et qualitas ita invisibiliter sunt in οὐσίᾳ, ut in quantum et quale visibiliter erumpant, dum corpus sensibile inter se conjunctae componunt. Si enim geometricum corpus, cui nulla subest οὐσία, sola quantitate spatiorum, linearumque, qualitatisque forma, quae figura dicitur, rationabiliter constare probatur: quid impedimenti est, ut naturale [5] corpus, cui virtus *ousiae* ad permanendum substat, quantum manere valet, ea forma, quae ex qualitate est, adjecta quantitati, quae ex materia assumitur, perfici non [6] dicamus? Non enim aliud te suadere aestimo, quam ut cognoscamus, quattuor mundi hujus elementorum in se invicem concursu contemperantiaque materiam corporum fieri, cui adjecta qualicunque ex qualitate forma perfectum corpus efficitur. Non enim mihi obstat [7], quod multis. Videmur namque eis contra nosmet agere, contrariaque et nobis adversantia firmare, dicentes, aliquando

A quattuor elementorum coitum materiam gignere, aliquando quantitatis atque qualitatis *ousiae* conventum causam materiae esse. Nec mirum, quoniam illos latet, non aliunde mundi hujus elementa, nisi praedictorum *ousiae* accidentium concursu componi. Ignem siquidem caliditas [8] ariditati, aera caliditas humiditati, aquam humiditas frigiditati, terram frigiditas ariditati copulata conficiunt. Et quoniam praedictae qualitates sibimet coeuntes per se apparere non possunt, quantitas subministrat eis quantum, in quo sensibiliter eluceant. Quantitas siquidem veluti secundum subjectum est post οὐσίαν, ideoque [9] in ordine categoriarum prima post eam ponitur, quoniam sine quantitate qualitas nescit manifesta fieri. Si itaque elementa quantitate qualitateque fiunt, et

B corpora ex elementis, ex quantitate igitur et qualitate [10] corpora sunt. Mag. Quoniam igitur video, te intentionis nostrae finem acute perspexisse, dic, oro, num tibi haec divisio formarum in duas species diversi generis, *ousiae* videlicet atque qualitatis, rata esse videtur, necne? Disc. Rata quidem, verique similis, licet non sine animi mei scrupulo hanc rationabilem esse [11] concesserim. Etenim [12] facilius mihi suaderes, formam substantialem materiae adjectam naturale corpus constituere, quam qualitativam. Causam siquidem constitutionis corporis οὐσίαν esse, non qualitatem, probabilius crediderim. Praedictis namque rationibus collectum opinor, qualitatem non solum materiae, verum etiam [13] formae causam esse; excepto, quod materiam mixta quanti-

C tati efficiat, formam vero per se sola materiae superfundat. Non quod nescierim, unam causam multos ex se effectus producere, cum videam, ex uno igne calorem simul et lucem erumpere, ipsamque lucem causam splendoris et umbrarum esse. Quid dicam? Quanta diversa corpora una eademque fiunt materia? Una forma in quot multiplicatur numeros? et cetera hujusmodi. Atque ideo οὐσίαν ipsam formam materiae fieri putarim [14], non autem ejus accidentia.

Mag. Miror valde, cur tam cito, quae paulo ante inter nos ad purum deducta sunt, tua labuntur memoria. Considera itaque diligentius, atque eadem breviter repetamus. Disc. Praesto sum [15]; repete. Mag. Num inconcusse inter nos convenerat, οὐσίαν

D incorpoream esse? Disc. Convenerat. Mag. Atqui nondum oblivioni te dedisse aestimarim, quantitates qualitatesque, quantum in seipsis cogitantur, incorporeas esse, et non in alio subjecto nisi in οὐσίᾳ, cui accidunt, subsistere, et inseparabiliter in ea manere. Disc. Hoc quoque firmiter obtineo. Mag. Num itaque probabiliter dicendum est, omne, quod

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE. A *obtineat*. [2] D *plurimum*. [3] AD *Sicut*. [4] Sic CE; A *ad ipsum*; *id* om. D. [5] Sic CE; D *naturae*. [6] Sic CDE; *non* om. A. [7] Sic ACE; D *obstat mihi*. [8] Sic AD; CE *caliditatis*. [9] D *ideo*. [10] D *ex quantitate et qualitate igitur*. [11] *esse* om. D. [12] D *Et* (*enim* om.). [13] A *et* [14] Sic CDE; A *putarem*. [15] *sum* om. D.

NOTAE.

[a] Joannes Scotus recte observat. Cf. Festus v. *forma* et *formucales* · Varro apud Non. c. 1, n. 94.

quantitate et qualitate conficitur, hoc est quantum et quale, non aliunde constitutionis suae causam accipere, nisi ab ipsa οὐσία, cui naturaliter ipsa quantitas et qualitas veluti prima accidentia maximaque probantur accidere, et sine qua non possunt [1] esse? Quicquid enim ex his, quae in fonte sunt, progreditur, cur non ad ipsum fontem referatur, non habeo; praesertim cum ipsa οὐσία, in quantum οὐσία est, nullo modo visibiliter tractabiliterque ac spatiose valeat apparere. Concursus vero accidentium, quae ei insunt [2], vel circa eam intelliguntur, sensibile quoddam spatiosumque per generationem potest creare. Quantitas siquidem et qualitas quantum et quale inter se conjungunt. Quae duo sibi invicem conjuncta, modo quodam temporeque generationem accipientia, corpus integrum ostendunt. Cetera enim accidentia his superaddita esse videntur. Haec enim quattuor in corporibus nostris ceterorumque animalium inanimaliumque principaliter inquirimus, quantum sit, quibus partibus constet, num spatiis longitudinis protenditur [3], latitudinisque, altitudinisque, quale sit, rectaene formae atque humanae, pronaeve atque bestialis, quo tempore genitum, quove modo definitur [4]. Itaque in se locatur, ne infinitum sit, sed unum aliquid in suo genere terminatum. Haec, ut diximus, in corporibus nostris primordialiter inspiciuntur. Extra vero haec altiori consideratione οὐσίαν, quae est formarum substantialium origo, contemplamur. Dicimus enim, hoc corpus vel hoc, cujus *ousiadis*, id est, substantialis formae est? Utrum humanae, an equinae, alicujusve irrationabilis animalis intra οὐσίαν comprehensi? His enim nominibus non animalium corpora, sed substantiales eorum formae appellantur.

54. Tria siquidem discrete debemus cognoscere, sive de nobismetipsis cogitantes [5], sive de aliis animalibus: *Quid* sumus? Quid nostrum est? Quid circa nos? Nos sumus substantia nostra, quae vitalis atque intelligibilis est, supra corpus omnesque ejus sensus visibilemque formam. Nostrum est, non autem nos, corpus, quod nobis adhaeret, quanto, et quali, ceterisque [6] accidentibus compositum, atque sensibile, mutabile, solubile, corruptibile; nihilque aliud esse verissimum est dicere, quam sensuum instrumenta vel sedes, quae a Graecis vocantur [7] αἰσθητήρια, id est [8] αἰσθήσεων τηρία, sensuum custodiae [9]. Dum enim anima incorporea sit, suasque operationes per seipsam sine sensibus aperire non possit, sensusque ipsi non nisi in sedibus quibusdam custodiri valeant, naturae conditor corpus ad usus animae condidit, in quo sua quasi quaedam vehicula, id est, sensus custodiret. Circa nos sunt omnia sensi-A bilia, quibus utimur; ut sunt quattuor mundi hujus [10] elementa, corporaque ex eis composita. Non enim mortalia nostra corpora sine his possunt permanere. Terra siquidem pascuntur, humore potantur, aere inspirantur, igne calefiantur. Duobus crescunt [11] et nutriuntur, terra et aqua: duobus ut vivant administrantur, aere et igne: duo patiuntur in corpus transeuntia, terra et aqua; duo operantur officinam corporis conflantia, aer et ignis. Ignea siquidem virtus, cujus sedes in corde est, cibi potusque subtilem per occultos poros in diversas corporis partes vaporem distribuit, faeculentum in secessum discernit. Sed ipse ignis, nisi aerio spiritu insuffletur, ciboque ac potu [12] veluti quibusdam fomentis nutriatur, cito extinguitur, ac sine mora totum corporis aedi-B ficium solutum collapsumque rigescit, frigore vim caloris superante. Sed de his alius disserendi locus est.

55. Disc. Haec probabiliter accipio [13]. Sed mecum tractare non desino, qualiter haec sibimet possunt convenire, quomodo incorporales res per se atque invisibiles suo concursu inter se invicem visibilia corpora efficiunt, ita ut nihil aliud sit materia, nullamque aliam causam constitutionis habeat, nisi eorum, quae solo sapientiae contuitu considerantur, inter se ipsa, in seipsis, et non in aliquo contemperatum contuitum [14]; praesertim magnifico Boethio, summo utriusque linguae philosopho, in libris suis de Arithmetica talia asserente: *Sapientia est rerum quae sunt, suique immutabilem substantiam sortiuntur, comprehensio veritatis. Esse autem illa dicimus,* C *quae nec intentione crescunt, nec retractione [15] minuuntur, nec variationibus permutantur, sed in propria semper vi suae se [16] naturae subsidiis nixa custodiunt. Haec autem sunt qualitates, quantitates, formae, magnitudines, parvitates, aequalitates, habitudines, actus, dispositiones, loca, tempora [17], et quicquid adunatum quodam modo corporibus invenitur; quae ipsa quidem natura incorporea sunt, et immutabilis substantiae ratione vigentia, participatione vero corporis permutantur, et tactu variabilis rei in vertibilem inconstantiam transeunt. Haec igitur, quoniam, ut dictum est, natura immutabilem substantiam vimque sortita sunt, vere proprieque esse dicuntur.*

56. Num ex hac sententia aperte [18] datur intelligi, aliud esse materiam corpusque ex ea factum, aliud D quantitatem et qualitatem, ceteraque, quae sola contemplantur sapientia, immutabilemque naturae suae virtutem semper custodiunt? Materia vero corpusque, quibus accidunt, variabili permutatione diversa inconstantiaque sunt. Quid enim? Numquid verisimile videtur, si ex quantitate et qualitate ceterisque naturalibus accidentibus sibi invicem copulatis materia

VARIAE LECTIONES.

[1] A *possit.* [2] Sic ACE; D *quae in eis sunt.* [3] Sic CDE; A *protendatur.* [4] Sic CDE; A *definiatur.* [5] *cogitantes* om. D. [6] Sic ADE; C *ceteris* (*que* om.). [7] A *vocatur.* [8] Sic CDE; A *vel.* [9] Sic CDE; A *id est* sensuum *custodia.* [10] Sic CDE; A *hujus mundi.* [11] *crescunt et* om. D. [12] Sic ACE; D *ac potu ciboque.* [13] Sic CDE; A *Probabiliter accipio haec.* [14] Sic BCDE; A *contemperato contuitu.* [15] Sic D; C *retractatione* (punct. a. m. subj.), E *retractatione.* [16] Sic AC, *se* om. DE. [17] A *corpora* [18] A *a parte.*

subsisteret, necessario et ipsa immutabilis esset? Nam quod [1] de causis intelligitur, cur non etiam de effectibus [2] earum intelligatur, ut, quemadmodum quantitates et qualitates ceteraque similia solo animi contuitu aspiciuntur, ita et materia et corpus non sensibus corporeis, sed intellectui succumbant? Nunc vero formatam materiam, qua [3] corpus efficitur—nam informis omnino intelligibilis est—sensu corporeo percipimus; quantitatem vero et qualitatem solo intellectu videmus. Quomodo igitur quantitas et qualitas materiam longe ab eis distantem possunt [4] conficere? MAG. Acute admodum falso argumento falleris, aut alios fallere vis. Sed utrum tu ipse de his dubitas, an aliorum de his dubitantium personas arripis, adhuc ignoro. DISC. Utrumque in meipso perspicio. Nam et ex aliorum persona, qui non immerito de talibus aut haesitant, aut penitus ignorant, haec proponere curavi; et meipsum non adhuc tantae puritatis in his esse video, ut jam nil [5] amplius de eis inquiram. MAG. Utendum igitur est [6], ut opinor, ratione et auctoritate, ut haec ad purum dignoscere valeas. His enim duobus tota virtus inveniendae rerum veritatis constituitur. DISC. Utendum sane. Haec enim a multis quaesita sunt, paucis [7] vero [8] reperta. MAG. Dic itaque, quid tibi videtur de ipsa materia, ex qua formata corpora fiunt, num [9] per se, dum sit informis, sensu an ratione consideratur? DISC. Ratione [10] profecto; non enim audeo dicere sensu. Nam materia forma carens nullo sensu corporeo potest attingi. MAG. Recte respondisti. Sed vide, ne diutius de his, quae nunc assumpseris, iterum nos interroges. Nam in talibus nimium moramur [11], cum altiora ad considerationem sui nos invitent. DISC. De his, quae nunc inter nos puro mentis intuitu fuerint definita, non, ut arbitror, ulterius sollicitum te faciam. De eo autem quod dixisti, altiora ad considerandum nos invitant, mirari non desino. Quid enim altius sit ratione considerandum post Deum, quam [12] informis materia, non video, dum quaeritur, quid sit materia, quid forma, quid ex materia formaque conficitur, unde materia, num inter primordiales causas, quae primitus a Deo [13] conditae sunt, connumeranda sit, an etiam [14] inter sequentes causas, quae ex primordialibus nascuntur; num in his, quae sensibus incumbunt [15], an in his, quae intellectui [16], computanda; et utrum definiri possit, dum adhuc infinita est; an etiam infinita definiri potest; quod rationi videtur resistere, cum a sanctis Patribus ad purum deductum sit, duo solummodo esse, quae nullo modo possint definiri, Deum videlicet atque materiam. Deus siquidem infinitus informisque, quoniam a nullo formatur, dum sit forma omnium. Materia

A similiter informis infinita [17]; aliunde enim formari indiget finirique, dum per se non forma [18], sed formabilis sit. Et haec similitudo causae omnium, ex qua, et in qua, et per quam, et ad quam omnia sunt, et ipsius causae informis, dico autem materiae, quae ad hoc creata est, ut ea, quae per se sensibus attingi non possent [19], quodam modo in ea sensibiliter appareant [20], e contrario intelligitur. Nam summa omnium causa per excellentiam omnium formarum finiumque informis est atque infinita. Non enim solummodo forma omnium est principalis, sed plusquam forma, omnem formam superans, omneque formabile et informabile formans. Nam et eorum, quae formari possunt [21], forma est, quoniam eam aut appetunt, aut ad eam convertuntur. Et eorum, quae B formari nequeunt, propter suae excellentiam naturae, proximamque ei, videlicet causae, similitudinem informitas est. Siquidem ipsa informitas eorum, quae informabilia sunt, non ideo dicitur informitas, ut omni forma careat, sed quia omnem formam sensibilem intelligibilemque superascendat. Atque ideo ipsa omnium causa et firmari et negari solet, uti de ea sic dicatur, forma est, forma non est, informitas est, informitas non est. Quicquid enim de ipsa praedicatur, et firmari et negari potest, quia super omne, quod dicitur et intelligitur et non intelligitur, est. Materia vero informis vocatur per privationem [22] omnium formarum. Ab ea siquidem nihil formatur, sed diversas innumerabilesque recipit formas. MAG. Non longe distas a vero. Num igitur materia infor- C mis, quoniam solo mentis oculo, ratione dico, perspicitur, necessario eam incorpoream esse sequetur? DISC. Ne hoc quidem negare ausim. MAG. Igitur incorporea est. DISC. Est quidem; meoque judicio conclusum me esse video. MAG. Visne, hoc auctoritate roborari? DISC. Valde; et, ut fiat, posco.

57. MAG. Multos de materia disputasse reperimus et mundanae, et divinae sophiae peritorum; sed paucorum testimonio uti sat est. Sanctus Augustinus in libris Confessionum *informem materiem* [23] *esse* asserit *mutabilitatem* [24] *rerum mutabilium, omnium formarum capacem.* Cui assentit Plato in Timeo, similiter *informem materiam esse* dicens *formarum capacitatem.* His ambobus sibimet consentientibus D potest sic dici et definiri: *Mutabilitas rerum mutabilium capax omnium formarum informis materia est.* Sanctus Dionysius Areopagita in libro [25] de divinis Nominibus materiam dicit esse *ornatus et formae et speciei participationem, quibus sine* [26] *per se informis est* [27] *materia, et in nullo intelligi potest.* Ac sic secundum Dionysium potest colligi. Si materia

VARIAE LECTIONES.

[1] Pro *quod* A *si.* [2] Sic CDE; A *effectu.* [3] Sic DE; A *quae*, C *quam.* [4] Sic CDE: A *possit.* [5] Sic DE; A *nil jam*, C *jam nihil.* [6] A *esse.* [7] Sic CDE; A *a* paucis. [8] *vero* om. D. [9] *num* om. A. [10] C *Ratio.* [11] Sic CE; A *ne i. t. n. moremur.* D *nam. i. t. n. moremur.* [12] C *quoniam.* [13] A *adeo.* [14] A *et.* [15] Sic ACDE. [16] A *intellectibus.* [17] A *et* infinita. [18] Sic CDE; A *formata.* [19] Sic CDE; A *possunt.* [20] A *apparerent.* [21] Sic CDE; A formari *et formare* possunt. [22] D *praevaricationem.* [23] A *materiam.* [24] Sic AD; CE *mutabilem.* [25] A *libris.* [26] Sic CE; A *sine quibus;* D *quibus per se sine informis.* [27] *est* om. A.

est ornatus et formae et speciei participatio, quod ornatus et formae et speciei participatione caret, materia non est, sed quaedam informitas. Sive itaque informis materia mutabilitas sit formarum capax secundum Augustinum atque Platonem, sive informitas quaedam, speciei, formae, ornatusque participatione carens secundum Dionysium, non negabis, ut arbitror, si quodam modo intelligi potest, non [1] nisi solo intellectu percipi. Disc. Jam dudum hoc inconcusse dedi. Mag. Quid? Ipsam speciem, formamque, ornatumque, quorum participatione informitas illa praedicta seu mutabilitas in materiam vertitur, putasne aliter nisi mentis contuitu considerari? Disc. Nullo modo; nam de forma et specie, sine quibus nullus ornatus fieri potest, omnino incorporea esse praedictis rationibus, satis est actum. Mag. Nunc itaque vides, ex incorporeis, mutabili videlicet informitate formarum quidem capaci, ex ipsaque forma quoddam corporeum, materiam dico corpusque, creari. Disc. Plane video. Mag. Concedis itaque, ex incorporalium coitu corpora posse fieri. Disc. Concedo ratione coactus.

58. Mag. Atqui dum haec ita sint, necessario fateberis, corpora in [2] incorporea posse resolvi, ita ut corporea [3] non sint, sed penitus soluta. Incorporea vero naturali suo concursu mirabilique harmonia ita corpora conficiunt, ut naturalem suum statum immobilemque vigorem nullo modo desinant habere; quemadmodum, ut quadam similitudine utamur, ex luce et corpore umbra nascitur, neque tamen lux neque corpus in umbram movetur; umbra vero dum solvitur, in causas suas, corpus videlicet atque lucem, intelligitur redire. Umbrarum siquidem causam corpus lucemque esse vera ratio edocet, in quibus naturaliter silent, dum in nullo loco apparere valeant propter undique circa corpora circumfusam luminis claritatem. Errant enim, qui putant, umbram perire, dum sensibus non apparet [4]. Non enim umbra nihil est, sed aliquid. Alioquin non diceret Scriptura : Et *vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem*. Deus namque non nominat, nisi quod ex ipso est; neque eo loci altitudo theoriae aufert veritatem historiae. Ibi siquidem secundum rerum factarum considerationem non aliud tenebras noctemque accipimus, nisi umbram terrae solarium radiorum circumfusione factam instar coni, semperque globo luminis oppositam. Eademque ratio est in minoribus umbris, qualicunque lumine corporibusque projectis, seu finitae seu infinitae sint, et qualiscunque formae sint. Non mireris itaque, ex incorporalibus causis corpora creari, inque easdem iterum resolvi, ipsas vero causas ab una eademque rerum omnium creatrice creatas procedere.

59. Ex forma enim omnium, unigenito videlicet Patris Verbo, omnis forma, sive substantialis, sive quae ex qualitate assumitur, materiaeque adjuncta corpus generat, creata est. Ab ipsa quoque omnis informitas. Nec mirum, ex informi forma per excellentiam informitatem, quae est formarum omnium privatio, conditam fieri, quando quidem non solum monogena, sed etiam [5] heterogena, hoc est, non solum quae sunt unius, sed etiam [6] quae sunt diversi generis, et non solum quae per excellentiam, sed etiam [7] quae per privationem dicuntur esse vel non esse, ab eodem fonte omnium manant. Quid igitur? Num jam tibi clare lucet, non sine [8] ratione a nobis dictum esse, ex accidentium concursu corpora fieri, auctoritatem sancti Gregorii Nyssaei sequentibus [9], cum videas alios, sive graecos, sive latinos auctores, ex incorporalibus asserere corpora fieri? Ideoque praedicti patris Gregorii sententiam disputationi nostrae placuit inseri. Ait enim in libro de Imagine, adversus eos, qui dicunt, materiam Deo esse coaeternam, agens : *Neque extra ea, quae consequenter inventa sunt, de materia susceptio illa fertur, quae ex intellectuali et immateriali eam subsistere profert. Omnem siquidem materiam ex quibusdam qualitatibus consistere invenimus; quibus si nudata fuerit, per seipsam nulla ratione comprehendetur. Atqui unaquaeque qualitatis species [10] ratione subjecto [11] separatur. Ratio autem intellectualis est quaedam et incorporalis theoria; utputa proposito quopiam animali seu ligno in theoria, seu aliquo alio materialium constitutionem habentium, multa circa subjectum secundum intelligentiam divisione intelligimus, quorum uniuscujusque ad id, quod consideratur, inconfuse habetur ratio. Alia siquidem coloris, et alia gravitatis ratio; alia iterum quantitatis, et alia intelligentiae, quae est secundum tactum proprietatis. Mollities enim et bicubitale [12], cetera etiam eorum, quae dicta sunt, neque sibi invicem, neque corpori secundum rationem commiscentur. Nam in unoquoque horum specialis, juxta quam est interpretata, intelligitur causa; nullaque earum, quae circa subjectum theorizantur, alteri qualitati permiscetur. Si ergo intelligibilis color, intelligibilis etiam soliditas et quantitas, et cetera talium specialitatum. Horum autem unumquodque si sublatum fuerit subjecto, omnis ratio corporis simul solvetur. Consequens erit, quorum absentiam solutionis corporis causam invenimus, horum concursum materialem naturam creare assumere [13]. Ut enim non est corpus, cui res, id est οὐσία, et figura, et soliditas, et distantia, et gravitas, ceteraque specialitatum non adsunt, horum autem unumquodque corpus non est, sed alterum quid praeter corpus seorsum invenitur : sic conversim, ubicunque, quae dicta sunt, concurrerint, corporalem substantiam perficiunt. At si intelligibilis est specialitatum intelligentia, intelligibilis quoque na-*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AD; *non* om. CE. [2] *in* om. C. [3] D *corpora*. [4] Sic CE; AD *appareat*. [5] Sic CE; *etiam* om. A. [6] Sic CDE; A *et*. [7] Sic CDE; A *et*. [8] Sic ACE; D non *nisi*, [9] Sic A; CDE *sequentes*. [10] Sic CDE; A *species qualitatis*. [11] Sic CDE; A *a* subjecto. [12] Sic CE; D et *subitale*. [13] Sic CDE; et creare *et* assumere.

tura Deus dicitur[1], *nil inconsequens, ex incorporali natura has intellectuales occasiones ad corporum generationem*[2] *substitutas esse ab intellectuali quidem natura intelligibiles substituente virtutes, harum vero ad se invicem concursu materialem naturam in generationem adducente.*

60. Num itaque vides, maximum fortissimumque praedicti magistri argumentum sufficere? Si enim aliud esset corpus praeter accidentium οὐσίας concursum, subtractis eisdem in seipso per seipsum subsisteret. Siquidem omne subjectum per se subsistens accidentium non indiget, ut sit, sicut ipsa οὐσία. Sive enim accidant ei, sive non accidant; sive in ea sint, quae sine ea esse non possunt, sive ab ea recedant, quae ab ea segregari possunt, seu sola cogitatione, seu actu et opere : suis naturalibus subsidiis semper immutabiliterque subsistit. Corpus autem subtractis accidentibus nullo modo per se subsistere potest, quoniam nulla substantia fulcitur. Nam si quantitatem a corpore subtraxeris, corpus non erit; spatiis enim membrorum numeroque continetur. Similiter si qualitatem ab eo dempseris, deforme[3] remanebit, et nihil. Eadem ratio in ceteris accidentibus, quibus corpus contineri videtur, contemplanda est. Quod igitur sine accidentibus per se non potest subsistere, nihil aliud intelligendum est praeter eorundem[4] accidentium concursum esse.

61. Quid ergo mirum, aut rationi contrarium, si similiter accipiamus, magnificum Boëthium non aliud aliquid[5] *variabilem rem* intellexisse, nisi corpus materiale, quod *ex concursu earum rerum, quae vere sunt*, ut ait ipse, *constituitur?* Et dum in ipso considerantur, mutabilitatem quandam pati necesse est. Nec hoc[6] mirum, si[7] aliter res per se immutabiles puro mentis contuitu perspicientur[8] in sua simplicitate, aliter sensu corporeo in aliqua materia ex concursu earum facta compositae, (cum videamus ea, quae per se simplicia sunt et incorruptibilia, compositum quoddam atque corruptibile inter se coeuntia perpetrare. Cui[9] enim incognitum sit, hanc molem terreni globi ex quattuor simplicibus elementis esse compactam, quae quidem corruptibilis solubilisque dum sit, ea[10] tamen elementa, ex quibus conficitur, in sua simplicitate insolubili permanent? Et haec in omnibus fere corporibus communiter speculatur ratio. Ac de his satis dictum aestimo. Disc. Satis profecto; et jam ad reliquarum categoriarum theoriam redeundum esse video. Nam de his diutius dubitare, minus considerantium rerum naturas esse, dubium non est. Ac per[11] hoc meae tarditatis in multis me pudet et poenitet. Mag. Non te pudeat, nec poeniteat. Quamvis enim haec[12], de quibus disputamus, tam praeclara sapientibus sint, ut eorum nullus in eis

A haesitet, rudibus tamen, et ex[13] inferioribus ad superiora rationis iter carpentibus, utilia esse non ambigo. Disc. Nullo modo ambigendum, et hoc in meipso perspicio; perge[14] ad cetera.

62. Mag. Duae categoriae contemplationi restant, ni fallor : agendi videlicet et patiendi. Nam disputantes de loco, quaedam de tempore, quantum praesentis disputationis necessitas exigebat, discussimus. Disc. Nil nunc amplius de tempore deque loco a te quaero. Sufficiunt enim, quae de his dicta sunt. Nam si de singulis omnia, quae ratio considerari appetit, quis dixerit, aut vix, aut nullum finem disputatio habebit. Mag. Considera itaque, num actio passioque proprie de Deo praedicantur, an, sicut ceterae categoriae, per metaphoram dici aestimandum est. Disc. Per metaB phoram sane. Quid enim? Nunquid arbitrandum est, has duas aliarum regulas excedere, cum minoris virtutis videantur esse? Mag. Dic, quaeso, quid tibi videtur, movere et moveri, nonne agere est et pati? Disc. Aliter esse non[15] video. Mag. Similiter, ut opinor, amare et amari. Disc. Eadem regula colliguntur. Haec enim verba, suique similia, activa et passiva esse, nemo artium liberalium peritus ignorat. Mag. Si igitur haec[16] verba, sive activae, sive passivae significationis sint, non jam proprie, sed translate de Deo praedicantur, et omnia, quae translate *praedicantur*, non revera, sed quodammodo de eo dicuntur, revera neque Deus agit, neque patitur, neque movet, neque movetur, neque amat, neque amatur. Disc. Haec postrema conclusio non parvae indiget considerationis. C Nam huic, ut opinor, totius sacrae Scripturae sanctorumque Patrum reluctari videtur auctoritas. Quoties enim, ut nosti, sacra Scriptura Deum manifeste pronuntiat agere et pati, amare et amari, diligere et diligi, videre et videri, movere et moveri, ceteraque id genus? Quorum exempla quoniam innumerabilia sunt, passimque quaerenti occurrunt, ne nunc prolixitatem gignerent[17], placuit praeterire. Satisque hoc uno evangelico utendum est exemplo : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi*[18]. Sanctus item[19] Augustinus in Exemero suo de divino motu disserens, haec verba protulit : *Spiritus quidem creator movet seipsum sine tempore et loco, movet conditum spiritum per tempus sine loco, movet corpus per tempus et* D *locum.* Si itaque agere et pati de Deo, ut praediximus[20], non revera, id est, non proprie praedicantur, sequitur, nec movere, nec moveri. Movere enim agere est, moveri vero pati. Item si nec agit nec patitur, quomodo dicitur amare omnia[21], et amari ab omnibus, quae ab eo facta sunt? Amare enim motus quidam[22] agentis est, amari vero patientis; et causa et finis est[23] motus. Sed hoc dico usum publicum

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic D; *dicitur* om. CE; *natura Deus* om. D. [2] Sic CDE; A *generationes*. [3] Sic CDE; A *deformis*. [4] *eorundem* om. D. [5] Sic ADE; C *aliquid aliud* [6] *hoc* om. D. [7] Sic CDE; A *sed*. [8] Sic CDE; A *perspiciuntur*. [9] CD *Cum*. [10] Sic ADE; C *et* [11] Sic CDE; A *propter*. [12] *haec* om. A. [13] Sic CE; pro *et ex* A *atque*; *et* om. D. [14] Sic ADE; A *sed* perge. [15] Sic AD; AE *non esse*. [16] *haec* om. A. [17] Sic EDE; C *generent*. [18] Sic CDE; A *manifesto illi meipsum*. [19] AD *iterum*; E *igitur*. [20] Sic CDE; A *prius diximus*. [21] Sic ADE; *omnia* om. C [22] Sic CDE; *quidam* om. A. [23] *est* om. D.

sequens. Nam si quis diligentius rerum inspexerit A naturam, reperiet, quod multa verba, quae cum sola vocis superficie activa esse videantur, intellectu tamen passivam habent significationem, et e contrario passiva superficies actum significat. Nam qui amat vel diligit, ipse patitur; qui vero amatur vel diligitur, agit. At si amat Deus quae fecit, profecto videtur moveri; suo enim amore movetur. Et si amatur ab his, quae amare possunt, sive sciant, quid amant, sive nesciant, nonne apertum est, quia movet? Amor siquidem pulchritudinis ipsius ea movet. Quomodo ergo dicitur neque movere, neque moveri, ne videatur agere et pati, per meipsum considerare nequeo. Ac per hoc hujus quaestionis nodum solvas, obnixius postulo. MAG. Putasne, in his, qui agunt, aliud esse agentem, aliud posse agere, aliud agere, B an unum idemque? DISC. Non unum esse opinor, sed tria quaedam a se differentia. Amans enim, hoc est, qui amat, substantia quaedam certae ac definitae est personae [1], cui accidit quaedam potentia, per quam potest agere, sive agat, sive non. Si vero ipsa substantia per ipsam potentiam se moverit, ut [2] aliquid agat, agere dicitur. Ac per hoc tria quaedam videntur esse, substantia videlicet, cui inest agere posse: cujus possibilitatis veluti cujusdam causae effectus est in aliqua re agere, sive ipsa actio reciproca sit, id est, in eandem redeat, seu in alteram transeat personam.

MAG. Recte discernis. Quid tibi videtur? Nonne eadem discretio est observanda in eo qui patitur, ut aliud sit patiens, aliud posse pati, aliud ipsum pati, C sive a seipso quis patiatur, sive ab alio? DISC. Eadem profecto. MAG. Haec igitur tria et in his qui amant, et in his qui amantur, ejusdem naturae non sunt. DISC. Non sunt, ut opinor. Alia siquidem natura est substantiarum, alia accidentium. Nam qui agit vel patitur, substantia est. Posse autem agere vel pati, et ipsum agere et [3] pati accidentia sunt. MAG. Miror, quomodo eorum, quae in praedictis ratiocinationibus et quaesita et inventa, ut arbitror, et definita sunt, oblitus es. DISC. Admone, precor, et, quae sunt illa, in memoriam revoca. Nam me vitio memoriae, quod est oblivio, negligentem obliviosumque esse non denego. MAG. Recordarisne, collectum conclusumque a nobis fuisse, οὐσίαν, δύναμιν, ἐνέργειαν, id est, essentiam, D ut saepe diximus, virtutem et operationem, trinitatem quandam inseparabilem incorruptibilemque nostrae naturae esse, quae sibi invicem mirabili naturae harmonia conjuncta sunt, ut et tria unum sint, et unum tria, neque veluti diversae naturae sunt, sed unius atque ejusdem, non ut substantia ejusque accidentia, sed quaedam essentialis unitas substantialisque differentia trium in uno? DISC. Recordor, ac deinceps nunquam oblivioni tradam. Apertissimam namque conditoris imaginem oblivioni tradere, stultissimum est atque miserrimum. Sed quorsum isthaec [4], nondum video, nisi forte, quia tria quaedam a se invicem discrepantia, dum a te interrogatus responderim, unum quidem secundum subjectum, duo vero secundum accidens esse, quae tria prioribus tribus longe videntur abesse. Ac per hoc aut [5] illa tria, quae diximus unius ejusdemque substantiae esse, sola vereque [6] sunt, id est essentia, virtus, et operatio; quae vero nunc a me addita sunt, id est substantia cum accidentibus, possibilitate videlicet agendi, ipsiusque possibilitatis effectu, quod est agere, superflua esse [7] nullaque ratione reperta arbitrandum; aut e contrario; aut etiam, quod rectius dicendum mihi videtur, et haec et illa [7*] in natura rerum sunt, suisque [8] naturalibus differentiis discernuntur. Sed utrum ita [9] concedendum, necne, tuo judicio decernendum committo. MAG. Quod novissime posuisti, rectae [10] rationi videtur convenire. Quisquis enim dixerit, essentialem trinitatem, essentiam scilicet, virtutem, operationem, inconcussam incorruptibilemque omnibus inesse, et [11] maxime rationabilibus intellectualibusque naturis, a veritate, ut opinor, non recedit. Quae trinitas in omnibus, quibus inest, nec augeri nec minui potest. Sequens vero trinitas veluti praecedentis trinitatis effectus quidam intelligitur esse. Non enim veritati obstrepat [12], ut aestimo, si dicamus, ex ipsa essentia, quae una et universalis in omnibus creata est, omnibusque communis, atque ideo, quia omnium se participantium est, nullius propria dicitur esse, singulorum se participantium quandam propriam substantiam, quae nullius alicujus est, nisi ipsius solummodo, cujus est, naturali progressione emanare. Cui etiam substantiae propria possibilitas inest, quae aliunde non assumitur, nisi ex ipsa universali virtute ipsius praedictae universalis et essentiae et virtutis. Similiter de propria operatione specialissimae et substantiae et potestatis dicendum, non aliunde descendere, nisi ab ipsa universali operatione ejusdem universalis et essentiae et virtutis. Nec mirum, si haec tria, quae in singulis considerantur, quasi [13] quaedam accidentia praedictae universalis trinitatis dicantur esse, primaeque apparitiones; quandoquidem ipsa per se unum sit [14], et in omnibus, quae ex ea et in ea existunt [15], incommutabiliter permanet, nec augeri nec minui, nec corrumpi, nec perire potest. Haec vero, quae specialissime in singulis considerantur, augeri possunt et minui, multipliciterque variari. Non enim omnes similiter participes sunt universalis essentiae et virtutis et operationis. Alii enim plus, alii minus. Nullus tamen participatione ipsius penitus privatur. Ipsa quoque in omnibus participantibus se una atque eadem permanet, nullique ad participandum se plus

VARIAE LECTIONES.

[1] CE *personae est*; *est* om. D. [2] Sic CD; AE *aut*. [3] Sic AD; CE *vel*. [4] Corr.; ACE *isthac*; D *istic* [5] Sic CDE; A *ut*. [6] Sic CDE; A *vere, quae*. [7] Sic CDE; A superflua *non* esse. [7*] Sic CE; A et illa, *quae* in. D et *illaque* in. [8] Sic CE; AD *suis*. [9] A *itaque*. [10] Sic C; ADE *recte*. [11] Sic CDE; *et* om. A. [12] Sic CDE; A *obstrepit*. [13] Sic CE; *quasi* om. AD. [14] Sic CE; AD *sint*. [15] Sic CE; AD *consistunt*.

aut minus adest. Sicut lux oculis. Tota enim in singulis est, et in seipsa. Augeri autem, vel minui, quidam defectus seu profectus est participationis; ideoque non irrationabiliter accidens esse judicatur.

63. Nam quod semper id ipsum est, vera substantia recte dicitur; quod vero variatur, aut ex mutabilitate instabilis substantiae, aut ex participatione accidentium, sive naturalium sive non naturalium, procedit. Et ne mireris, quaedam accidentia substantias dici, quoniam aliis accidentibus subsistunt, dum vides, quantitati, quae sine dubio accidens substantiae est, alia accidentia accidere, ut est color, qui circa quantitatem apparet, et tempora, quae in morosis rerum motibus intelliguntur. Est enim tempus mutabilium rerum moraemotusque certa rationabilisque dimensio. Disc. In hoc nostrae intentionis non discrepat finis, ut arbitror. Sed breviter lucideque de hac rerum postrema consideratione definias vellem. Mag. Trinam rerum intelligentiam, hoc est essentiae, virtutis, operationis immutabilem subsistentiam [1] firmumque fundamentum rerum a conditore omnium constitutum ponamus, si placet. Disc. Ponendum arbitror. Mag. Deinde illa trinitas, quae in singulis considerari potest, et a prima trinitate essentiali procedens, veluti praecedentis causae effectus, ejusque primordiales motus, quaedamque primordialia accidentia pensanda est, ut video. Disc. Hoc [2] quoque fatendum. Mag. Quicquid autem illis tribus sequentibus, sive interius sive exterius, sive naturaliter, sive quibusdam evenientibus [3] acciderit, veluti accidens accidentium fieri videtur. Disc. Huic etiam conclusioni non resisto. Nam cum sint secundum Aristotelem decem genera rerum, quae categoriae, id est, praedicamenta dicuntur, et huic divisioni rerum in genera nullum Graecorum vel [4] Latinorum obstare reperimus [5], sed [6] sub uno genere omnes primas essentias, quas Graeci οὐσίας appellant merito, quia per se sunt, et nullius indigent ut sint, sic enim a conditore omnium veluti quaedam immutabilia fundamenta stabilitae sunt [7], conclusas esse videmus: et ad similitudinem principalis omnium causae mirabili incommutabilique sua trinitate subsistunt, hoc est, ut saepe jam dictum, essentia, virtute, operatione, cetera vero novem genera accidentia esse dicuntur. Nec sine ratione. Non enim per se, sed in praedicta essentiali trinitate subsistunt. Nam quod a Graecis locus et tempus appellantur, ὧν ἄνευ, hoc est, sine quibus cetera esse non possunt, non ita [8] intelligendum, ut inter ea, quae sine loco et tempore non valent subsistere [9], substantialis illa trinitas praedicta rerum computetur. Ea

A namque loci temporisque auxilio, ut subsistat, non eget, dum per seipsam ante supraque tempus et locum conditionis suae dignitate existat. Sed novem genera, quae solis accidentibus attribuuntur, ita ab auctoribus divisa sunt, ut ipsa accidentia, quae primordialiter in essentiis conspiciuntur, mox vertantur in substantias, quoniam aliis accidentibus subsistunt. Prima siquidem rerum omnium divisio est in essentias et accidentia, secunda accidentium in substantias. Quae fere in infinitum protenditur, dum, quod nunc accidens est prioris se, mox sequentis se substantia efficitur. Sed de his alibi disputandum; nunc vero si tibi videtur, quod nobis propositum est, sequamur. Mag. Quid igitur? Putasne accidentia non nisi cujuspiam essentiae aut accidentis esse? B Disc. Nullus artium peritus aliter dixerit. Non enim aliam ob [10] causam accidens vocari meruit, nisi quia aut essentiae, aut substantiae, aut alicui accidenti contingit. Mag. Agere et pati accidentium numero continentur? Disc. Etiam. Mag. Cujuspiam igitur substantiae sunt? Haec etenim propriis accidunt substantiis; nam generalibus essentiis nihil accidit. Disc. Nec hoc negarim. Mag. Dic, quaeso, num summae ac simplici divinaeque naturae aliquid accidit [11]? Disc. Absit. Mag. Num ipsa accidit alicui? Disc. Nec hoc quidem dixerim; alioquin passibilis, mutabilisque, alteriusque naturae capax esse videretur. Mag. Nullum ergo accidens recipit, nullique accidit. Disc. Nullum profecto, nullique. Mag. Agere et pati accidentia sunt? Disc. C Et hoc datum est. Mag. Summa igitur omnium causa summumque principium, quod Deus est, agere et pati non recipit. Disc. Hujus ratiocinationis [12] violentia nimium coartor. Nam si dixero, falsum esse [13], fortassis ipsa ratio me [14] deridebit, omneque, quod hactenus dedi, vacillare non sinet [15]. Si verum, necessario sequetur, ut, quod de agere et pati concesserim, id ipsum etiam de ceteris activis passivisque verbis, cujuscunque generis verborum sint, concedam, hoc est, neque Deus amare, neque amari, neque movere, neque moveri, similiaque mille; eoque magis neque esse, neque subsistere. At [16] si hoc, videsne, quot et quantis frequentibus Scripturae sacrae obruar telis? Undique enim videntur obstrepere, atque hoc falsum esse conclamare. Nec te latet, ut D opinor, quam arduum difficileque simplicibus animis talia suadere; quandoquidem eorum, qui videntur esse sapientes, dum haec audiunt, aures horrescunt. Mag. Noli [17] expavescere. Nunc enim [18] nobis ratio sequenda est, quae [19], rerum veritatem investigat, nullaque auctoritate opprimitur, nullo [20] modo impeditur, ne ea, quae et studiose ratiocinantium am-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic BDE; C *substantiam*, sed corr. *subsistentiam*. A *substantiam*. [2] Sic CDE; A *Et hoc*. [3] Sic C; D *eventibus*, E *euntibus*. [4] Sic CDE; A *et*. [5] Sic CDE; A *reperiamus*. [6] Sic AD; *sed* om. CE. [7] Sic CDE; A *stabiliter*. [8] Sic ADE; C *itaque*. [9] D *consistere*. [10] Sic CDE; A *ob aliam*. [11] D. *Nec hoc negarim—accidit* om. D. [12] Sic CDE; A *rationis*. [13] D *est*. [14] Sic CDE; *me* om. A. [15] Sic CDE; *non* om. A; C ad marg. adscr. literis miniatis haecce: *Dedi enim, nullam catagoriam proprie et secundum accidens posse de se praedicari, quod non sinit ratio vacillare.* [16] *At* om. D. [17] Sic CDE; A Noli *nunc*. [18] Sic CDE; *enim* om. A. [19] Sic CDE; A quae *etsi*. [20] Sic CDE; A nullo *tamen*.

bitus inquirit, et laboriose invenit, publice aperiat atque pronuntiet.

64. Sacrae siquidem Scripturae in omnibus sequenda est auctoritas, quoniam in ea veluti quibusdam suis secretis sedibus veritas possidet [1]. Non tamen ita credendum est, ut ipsa semper propriis verborum seu nominum signis fruatur [2], divinam nobis naturam insinuans; sed quibusdam similitudinibus, variisque translatorum verborum seu nominum modis utitur, infirmitati nostrae condescendens, nostrosque adhuc rudes infantilesque sensus simplici doctrina erigens. Audi Apostolum dicentem : *Lac vobis potum dedi, non escam.* In hoc enim divina student eloquia, ut de re ineffabili, incomprehensibili, invisibilique aliquid nobis ad nutriendam nostram fidem [3] cogitandum tradant atque suadeant. Siquidem de Deo nil aliud caste pieque viventibus, studioseque veritatem quaerentibus dicendum vel cogitandum, nisi quae in sacra Scriptura reperiuntur, neque aliis nisi ipsius significationibus translationibusque utendum [4] his, qui de Deo sive quid credant, sive disputent. Quis enim de natura ineffabili quippiam a seipso repertum dicere praesumat, praeter quod illa ipsa [5] de seipsa in suis sanctis organis, Theologis [6] dico, modulata est? Sed ut hoc firmius et credas et teneas, sancti Dionysii Theologi testimonium huic loco inserendum, si tibi videtur, arbitror. Disc. Videtur plane, et nil libentius accipio, quam rationem firmissima auctoritate roboratam. Mag. Capitulo primo de divinis Nominibus auctoritatem sacrae Scripturae praedictus Theologus magnis laudibus commendat. Ast [7] quia more suo perplexe hyperbaticeque disputat, ideoque valde abstrusus, difficilisque ad intelligendum multis videtur, placuit mihi de hac re sententiam ipsius faciliori verborum ordine ad intelligendum, quam [8] suo loco scripta est, depromere. *Universaliter*, inquit, *non audendum dicere, neque intelligere quid de superessentiali Divinitate, praeter divinitus nobis ex sacris eloquiis expressa. Ipsius enim super rationem et intellectum et essentiam superessentialitatis scientia referenda est ad superiores claritates, circa divina temperantia et sanctitate* [9] *coartatas, in tantum sursum respicientes, quantum se infert divinorum eloquiorum radius.*

65. Videsne, quemadmodum universaliter prohibet, ne quis de occulta Divinitate, praeter quae in sacris eloquiis dicta sunt [10], dicere audeat? Quae videlicet eloquia gloriosissimo verissimoque nomine appellat superiores claritates, in sanctitate [11] et temperantia circa divina coartatas. Idem in eodem paulo post : *Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt sensibilibus invisibilia, et his* [12], A *quae sunt in figmento et similitudine simpla, et similitudine carentia, et secundum corporum figuras formatis incorporalium intacta, et non figurata informitas; juxta eandem veritatis rationem superat essentias superessentialis magnitudo, et animos super animum unitas. Et omnibus virtutibus impossibile est, quod super sensum est, arcanumque rationi omni superrationabile bonum, unitas unifica* [13] *omnis unitatis, et superessentialis essentia, et intellectus invisibilis, et verbum arcanum, irrationabilitas, et invisibilitas, et innominabilitas, secundum nullum eorum quae sunt existens. Et causale quidem essendi omnibus, ipsum autem non ὢν* [14], *quippe omnis essentiae summitas, et utcunque ipsa de seipsa proprie et scienter manifestat. De hac igitur, ut dictum est, superessen*-B *tiali et occulta Divinitate non audendum dicere, neque intelligere quid praeter divinitus nobis expressa. Etenim sic ipsa de semetipsa in eloquiis optime tradidit. Ejus quidem, qualis est, scientia et contemplatio omnibus, quae sunt, invia est, tanquam omnibus* [15] *essentialiter separata.* Haec de sequenda auctoritate solummodo sacrae Scripturae in divinis maxime disputationibus sufficiunt.

66. Ratio vero in hoc universaliter studet, ut suadeat, certisque veritatis investigationibus [16] approbet, nil de Deo proprie [17] posse dici, quoniam superat omnem intellectum, omnesque sensibiles intelligibilesque significationes; qui melius nesciendo scitur; cujus ignorantia vera est sapientia; qui verius fideliusque negatur in omnibus, quam affirmatur [18]. Quod-C cunque enim de ipso negaveris, vere negabis : non autem omne, quodcunque firmaveris, vere firmabis. Siquidem si approbaveris, hoc vel hoc illum [19] esse, falsitatis redargueris, quia omnium, quae sunt, quae dici vel intelligi possunt, nihil est [20]. Si vero pronuntiaveris, nec hoc, nec illud, nec ullum ille est, verax esse videberis, quia nihil horum, quae sunt et quae non sunt, est; ad quem nemo potest accedere, nisi prius corroborato mentis itinere sensus omnes deserat, et intellectuales operationes, et sensibilia, et omne, quod est et quod non est, et ad unitatem, ut possibile est, inscius restituatur ipsius, qui est super omnem essentiam et intelligentiam; cujus neque ratio est, neque intelligentia, neque dicitur, neque intelligitur, neque nomen ejus est, neque ver-D bum. Non autem irrationabiliter, ut saepe diximus, omnia, quae a summo usque deorsum sunt, de eo dici possunt quadam similitudine, aut dissimilitudine, aut contrarietate, aut oppositione, quoniam ab ipso omnia sunt [21], quae de eo praedicari possunt. Non autem similia sibi solummodo condidit, sed et jam dissimilia, quoniam ipse similis est [22] et dissi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A *possidetur.* [2] Sic ACDE. [3] Sic CDE; A *fidem nostram.* [4] Sic CDE; A utendum *est.* [5] D *ipsa illa.* [6] Sic CDE; A *theologicis.* [7] Sic CE; AD *Et.* [8] Sic CE; D *quo.* [9] Sic CDE; A *simplicitate.* [10] Sic CDE; A *sint.* [11] Sic CDE; A *simplicitate.* [12] Sic CDE; A *in* his. [13] Sic CE; AD *unifica unitas.* [14] CE ὢν, DE *non.* [15] Sic CDE; A *omnibus tanquam.* [16] Sic CE; AD *indagationibus.* [17] Sic CDE; A *proprie de Deo.* [18] Sic A; C *firmatur,* D formatur; E *qui verius fideliusque cum negatur in omnibus, tunc firmatur.* [19] Sic CE; A *ipsum,* D *illud.* [20] Sic CDE; A *quae dici possunt et intelligi nihil horum est.* [21] Sic CDE; A *fiunt.* [22] *est* om. D.

milis. Contrariorum quoque causa est. Virtute siquidem eorum, quae vere ab eo condita sunt, ea[1] etiam, quae contraria videntur esse, et per privationem[2] essentiae non sunt, vera ratio[3] contineri approbat. Nullum enim vitium invenitur, quod non sit alicujus virtutis umbra, aut quadam fallaci similitudine, aut aperta contrarietate. Similitudine quidem, ut superbia verae potentiae umbram gerit, luxuria quietis, furor fortitudinis, ira correctionis justitiaeque, et[4] similia. Contrarietate vero, ut malitia bonitatis. Quemadmodum enim bonitas ex non existentibus existentia ducit, ut sint; ita malitia appetit corrumpere omnia quae sunt, et penitus solvere, ut non[5] sint. Et si hoc esset, id est, si omnia perirent, simul et ipsa periret. Nam si periret natura, periret simul et vitium. Sed virtute bonitatis omnis natura continetur, ne pereat. Adhuc tamen malitia permittitur in ea, videlicet natura, ad laudem bonitatis ex contrario[6] comparatione et exercitatione[6*] virtutum rationabili operatione, et purgationem ipsius naturae, quando absorbebitur mors in victoria, et sola bonitas in omnibus et[7] apparebit, et regnabit, et universaliter est[8] peritura malitia. Sed de his in quinto latius[9] disputabitur[10]. Nulla itaque auctoritas te terreat ab his, quae rectae contemplationis rationabilis suasio edocet. Vera enim auctoritas rectae rationi non obsistit, neque recta ratio verae auctoritati. Ambo siquidem ex uno fonte, divina videlicet sapientia, manare dubium non est.

67. Una quidem[11] de natura incomprehensibili ineffabilique pie quaerentibus multa concessit ac tradidit et cogitare et dicere, ne verae religionis studium in omnibus sileat, ut et rudes adhuc in fidei simplicitate doctrina[12] nutriat, et catholicae fidei aemulis instructa armataque, divinis propugnaculis munita respondeat. Altera vero, ut simplices adhuc in cunabulis Ecclesiae nutritos[13], pie casteque corrigat, ne quid indignum[14] de Deo vel credant, vel aestiment, nec omnia, quae sacrae Scripturae auctoritas de causa omnium praedicat, proprie praedicari examinent[15], sive gloriosissima et summa omnium sint, ut vita, virtus, ceterarumque virtutum nomina; sive media, ut sol, lux, stella, cunctaque[16], quae ex partibus sublimioribus[17] hujus mundi visibilis[18] de Deo praedicantur; sive ex inferioribus visibilis creaturae motibus, ut spiritus, nubis splendor, ortus, tonitrus, ros, imber, pluvia; item aqua, flumen, terra, petra, lignum, vinea, oliva, cedrus, ysopum[19], lilium, homo, leo, bos, equus, ursus, pardalis[20], vermis; item aquila, co-

A lumba, piscis, κήτη[21], ceteraque innumerabilia, quae ex natura condita ad naturam conditricem transformatione quadam figurataque significatione transferuntur. Eoque mirabilius non solum ex creatura ad Creatorem artificiosa Scriptura translationes fecit, verum etiam ex naturae contrariis, ex insania videlicet, ebrietate, crapula, oblivione, ira, furore, odio, concupiscentia, ceterisque similibus, quibus minus simplicium animi falluntur, quam superioribus transfigurationibus, quae ex natura fiunt. Rationabilis siquidem anima, quamvis admodum simplex, naturalium rerum nomina de Deo praedicari audiens, proprieque de ipso dici aestimans, fallatur, non tamen omnino decipitur, ut eorum, quae contra naturam sunt, nomina de conditore rerum praedicari
B auscultans, aut omnino falsa esse judicet et respuat, aut figurate dicta et concedat et credat. *Disc.* Non ita sum territus auctoritate, aut minus capacium animorum expavesco impetum, ut ea, quae vera ratio clare colligit, indubitanterque definit, aperta fronte pronuntiare confundar; praesertim cum de talibus non nisi inter sapientes tractandum sit, quibus nil suavius est ad audiendum vera ratione, nil delectabilius ad investigandum, quando quaeritur, nil pulchrius ad contemplandum, quando invenitur. Sed quid praedicta ratiocinatione moliris, nosse expeto.

68. *M.* Quid tibi viderer his argumentationibus machinari, nisi ut intelligas, quemadmodum significativa rerum vocabula, sive substantiarum sint,
C sive accidentium, sive essentiarum, translative, non autem proprie, ita etiam significativa naturalium seu non naturalium naturae conditae motuum verba de natura conditrice translative, non autem proprie posse praedicari? Si enim[22] essentiarum vocabula, seu substantiarum, seu accidentium, non revera, sed quadam necessitate ineffabilis naturae significandae in Deo ponuntur, num necessario sequitur, ut et verba, quae essentiarum, substantiarum, accidentium significant motus, proprie de Deo dici non possint, qui[23] omnem essentiam, substantiam, omneque accidens, omnemque motum, actionemque et passionem, et quodcunque de talibus dicitur et intelligitur, et quodcunque nec dicitur nec intelligitur, et tamen eis inest, incom-
D prehensibili ineffabilique suae naturae excellentia superascendit? Quid enim? Si Deus per metaphoram amor dicitur, dum sit plusquam amor, omnemque superat amorem, cur non eodem modo amare diceretur, dum omnem[24] motum amoris exsuperat, quia nihil praeter seipsum appetit, dum solus om-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; *ea* om. A. [2] Sic CDE; A *privationes* (*per* om.). [3] Sic CDE; A *ratio vera.* [4] Sic CDE; A *atque* (*justitiaeque* om. A). [5] Sic AD; pro *ut non* CE *ne.* [6] Sic CE; AD *contraria.* [6*] Sic ACD; E *exhortatione.* [7] Sic CE; *et* om. AD. [8] *est* om. CDE. [9] D *latius in quinto.* [10] Sic AE; CD *disputatur* A addit *libro.* [11] D *siquidem.* [12] Sic C; ADE *doctrinae.* [13] Corr., ACE *nutriti*; D *nutri.* [14] Sic ACE; D *indigne.* [15] Sic CDE; A *aestiment*; f. *existiment?* [16] CDE; A *et cuncta.* [17] Sic CDE; A *superioribus.* [18] Sic ADE; *visibilis* om. C. [19] Sic CDE; A *hyssopus.* [20] Sic CD; A *pardus*, E *pardatus.* [21] Sic CDE; A *cete.* [22] Sic ACE; D *autem.* [23] Sic ADE; C *quia.* [24] *omnem* om D.

nia in omnibus sit? Similiter si [1] agens et actor, facjens et factor, non jam proprie, sed modo quodam translationis nominatur: cur non et agere et facere, vel agi vel pati eodem locutionis genere praedicaretur? De ceteris item [2] verbis, quae omnes totius mutabilis creaturae motus, seu naturales, seu non naturales, seu intellectuales, seu rationabiles, seu irrationabiles, seu corporales, seu incorporeos, seu locales, seu temporales, rectos, obliquos, angulares, circulares, sphaericos significant, similiter intelligendum esse arbitror. Disc. Admodum urges, me talia rationabiliter fateri; sed auctoritate sanctorum Patrum aliquod munimen ad haec roboranda vellem [3] inseras.

69. Mag. Non ignoras, ut opinor, majoris dignitatis esse, quod prius est natura, quam quod prius est tempore. Disc. Hoc paene omnibus notum est. Mag. Rationem priorem esse natura, auctoritatem vero tempore didicimus [4]. Quamvis enim natura simul cum tempore creata sit, non tamen ab initio temporis atque naturae coepit esse auctoritas. Ratio vero cum natura ac tempore ex principio rerum [5] orta est. Disc. Et hoc ipsa ratio edocet. Auctoritas siquidem ex vera ratione processit, ratio vero nequaquam ex auctoritate. Omnis enim [6] auctoritas, quae vera ratione non approbatur, infirma videtur esse. Vera autem ratio, quoniam suis virtutibus [7] rata atque immutabilis munitur, nullius auctoritatis astipulatione roborari indiget. Nil enim aliud mihi videtur [8] esse vera auctoritas, nisi rationis virtute reperta [9] veritas, et a sanctis Patribus ad posteritatis utilitatem literis commendata. Sed forte tibi aliter videtur. Mag. Nullo modo. Ideoque prius ratione utendum est in his, quae nunc instant, ac deinde auctoritate.

70. Disc. Ingredere, quo vis [10], ordine; tui etenim [11] pedisequus sum. Mag. Num tibi videtur facere et pati sine aliquo motu facientis vel patientis posse esse? Disc. De faciente non dubito. Facere enim facientem sine aliquo suo motu posse non video. Quod vero patitur, quomodo moveatur in seipso, non iam [12] clare cognosco. Mag. Nonne vides, quia omne, quod facit, ad hoc se movet aut movetur, ut id, quod appetit facere, ab eo quod non erat, in id quod est, moveat [13]? Nil enim ab eo, quod non erat, in id, quod est, sine suo et alieno motu potest transire, sive illos motus sciat sive nesciat. Non jam dico motum illum generalem communemque naturaliter omnibus creaturis, quo omnia de nihilo in esse moventur, sed usitatum temporibus motum, quo quotidie mutabilis materia, sive natura movente, sive arte, formas quasdam qualitativas accipit. Disc.

A Jam perspicio; et meipsum nimiae tarditatis accuso, qui non videbam, omne, quod patitur, motus suos, seu alienos, seu utrosque pati. Mag. Faciens igitur et factum motus suos patiuntur. Nam quod facit, suum motum ad faciendum patitur. Quod vero fit, suum motum [14] et alienum sustinet. Suum quidem, ex eo, quod non erat, in id, quod est, transeundo, alienum vero, quia non est sui motus causa per seipsum, sed facientis se aut naturalis motus, aut libera voluntas, aut quaedam necessitas. Quod ergo [15] fit, ut diximus, et motum proprium et alienum, quod vero facit, proprium solummodo patitur. Quamvis saepe contingat, ut ab alia causa moveatur ad faciendum, qui facit, ut et faciens et patiens unus atque idem videatur esse. Sed ipse B facientis [16] motus, quamvis ex variis causis, sive naturalibus, sive libentibus, sive non libentibus nascatur, propterea proprius dicitur, quoniam non extra ipsum, sed in ipso intelligitur. Disc. Istuc mihi a te suasum esse non denego. Ideoque quae restant expecto. Mag. Nullum motum principio ac fine carere posse arbitror. Non enim aliter ratio sinit, nisi ut omnis motus ex quodam principio inchoet, et ad quendam finem tendat, in quo, dum pervenerit, quiescat. Quod apertissime venerabilis Maximus in tertio capitulo de Ambiguis asserit dicens: *Si Deus immutabilis* [17] *est, utputa omnium plenitudo, omne autem, quod ex* [18] *non existentibus esse accipit, movetur, merito ad quandam omnino fertur causam.* Nam, ut alibi docet idem Maximus, *causa omnium* C *eadem et* [19] *finis omnium est.* Deus enim principium, id est [20] causa, omnium creaturarum est [21] et finis, quoniam ab ipso et accipiunt, et incipiunt esse, et ad eum moventur, ut in eo quiescant. Idem in eodem Capitulo paulo post: *Eorum, quae facta sunt, est motus, sive intelligibilium intelligibilis, sive sensibilium sensibilis. Nullum enim* [22] *eorum, quae facta sunt, omnino est immobile.* Et paulo post: *Talem autem motum virtutem vocant naturalem, ad suum finem festinantem, qui sacram divinorum nobis* [23] *mysteriorum scientiam sacre introduxerunt; aut passionem, id est, motum ex altero venientem ad alterum, cujus finis est impassibilitas; aut operationem activam, cujus finis est per se ipsam* [24] *perfectio. Nullum vero eorum, quae facta sunt, suimet finis est, quo-* D *niam neque sui causa est; alioquin et ingenitum, et carens principio, et* [25] *incommutabile esset, merito ad nullum quoquomodo habens moveri; transcenderet enim eorum, quae sunt, naturam, utpote pro nullo esset, siquidem vera de ipso definitio est, quamvis aliena, quae dicit, finis est, pro quo omnia, ipse vero pro nullo: neque per se perfectio; alioquin non effi-*

VARIAE LECTIONES.

[1] *si* om. D. [2] Sic CE; AD *autem.* [3] Sic CDE; A *velim.* [4] Sic ADE; C *dicimus.* [5] Sic CDE; A *rerum principio.* [6] Sic CE; AD *autem.* [7] Sic CDE; A *virtutibus suis.* [8] Sic CDE; A *videtur mihi.* [9] Sic BCDE; A *cooperta*; cod. Galei *coperta,* [10] ACDE *quovis.* [11] Sic CDE; A *enim.* [12] A *tam.* [13] Sic CDE; A *moveatur.* [14] Sic CDE; *motum* om. A. [15] Sic CDE; *ergo* om. A. [16] Sic ADE; C *faciens.* [17] Sic ADE; C *mutabilis.* [18] *ex* om. CDE. [19] Sic CDE; *et* om. A. [20] Sic CDE; pro *id est* A *et.* [21] Sic CDE; *est* om. A. [22] *enim* om. D. [23] Sic CE; *nobis* om. AD. [24] Sic CDE; A *ipsa.* [25] Sic CDE; A *atque.*

ceretur jure plenum, et similiter et a nullo esse haberet; per se enim perfectum, quemadmodum et incausate: neque impassibilitas; alioquin et manens, et infinitum, et incircumscriptum esset. Non enim pati naturaliter inest, quod naturaliter [1] *impassibile est, quod neque amatur ab alio, aut movetur ad aliud quid per amorem. Solius enim Dei est* [2] *finis esse et perfectio et impassibilitas, merito incommutabilis, et pleni, et impassibilis: eorum vero, quae facta sunt, ad finem principio carentem moveri. Omnia enim, quaecunque facta sunt, patiuntur moveri, sicut ea, quae non sunt, per se ipsum motus, aut per se ipsam* [3] *virtus sunt. Si ergo ea, quae genita sunt, rationabilia subsistunt, omnino etiam moventur, utpote ex principio secundum naturam per esse ad finem, secundum cognitionem per bene esse mota. Finis enim eorum, quae moventur, motus ipsum in eo, quod semper est, bene esse est. Sicut et principium est ipsum esse, quod quidem est Deus, qui et esse dat, et bene esse donat, jure principium et finis. Ex ipso enim et absolute moveri nos, ut a principio, et quoquo modo moveri ad se, ut ad finem, est. Si autem movetur conrationabiliter sibimet intellectualiter* [4] *intellectuale, omnino etiam intelligit. Si autem intelligit, omnino amat, quod intelligit. Si amat, patitur omnino ad ipsum, ut amabile, excessum. Si autem patitur, profecto etiam festinat. Si festinat, omnino intendit validum motum. Si autem intendit validum motum, non stat, quousque fiat totum in toto amato, et a toto comprehendatur, libenter totum secundum voluntatem, salutarem accipiens circumscriptionem, ut totum toto afficiatur circumscribente, ut nihil omnino restet velle ex seipso seipsum totum cognoscere valendo circumscriptum, sed ex circumscribente, sicut aer per totum illuminatur lumine, et igne ferrum totum toto liquefactum.* Videsne, quomodo praedictus venerabilis magister omnem motum [5] non nisi his, quae a principio inchoant, et per naturalem motum ad finem suum tendunt, edocet inesse, ipsumque naturalem motum tripliciter definiat sic: *Motus est virtus naturalis ad suum finem festinans* [6], vel sic: *Motus est passio ex altero veniens ad alterum, cujus finis est impassibilitas*, aut sic: *Motus est operatio activa, cujus finis est per seipsam perfectio?* Quod autem dixit, *motus est passio ab altero veniens ad alterum*, dum de [7] naturali motu intelligitur, non ita est intelligendum, ut aliud sit principium, ex quo passibilis motus, id est, motum suum patiens inchoat, et aliud finis, quem appetit, dum omnium, quae naturaliter moventur [8], principium et finis unum sit; est enim Deus, a quo, et per quem, et ad quem moventur omnia: sed quia alius intellectus est [9] principii, et alius intellectus finis, ideo-A que quasi alterum et alterum ipsi duo intellectus dicuntur, dum circa unum omnium principium et finem versantur, verbi gratia, veluti si quis dixerit ab intellectu principii ad intellectum finis in Deo.

71. Deinde considera, quia omne, quod principio caret et fine, omni quoque motu carere necesse est. Deus autem ἄναρχος, hoc est, sine principio est, quia nil eum praecedit, nec eum efficit, ut sit. Nec finem habet, quoniam infinitus est. Nil enim post eum intelligitur, dum terminus omnium sit, ultra quem nihil progreditur. Nullum igitur motum recipit. Non enim habet, quo [10] se moveat, dum plenitudo, et locus, et perfectio, et statio, et totum omnium sit: immo etiam [11] plusquam plenitudo et perfectio, plusquam locus et statio, B plusquam totum omnium est. Plus enim est [12], quam quod de se dicitur et intelligitur, quovis modo et dicatur quid de eo et intelligatur. DISC. Haec mihi clare lucescunt, ut opinor. MAG. Si igitur omnem motum creaturae distribuis, Deum vero liberum omni motu facis, tantaene tarditatis es, ut ei, a quo omnem motum abstrahis, facere vel pati tribuas, cum ista duo indubitanter non nisi in his, quibus motus inest, fieri posse prioribus rationabilibus conclusionibus, ut arbitror, non incaute dederis? DISC. De pati nullo modo dubitarim, impassibilem namque Deum esse omnino et credo et intelligo: passionem dico, quae opponitur facere, id est fieri. Quis enim dixerit aut crediderit, quanto magis intellexerit, Deum pati fieri, dum Creator sit, non C creatura? Dum enim, ut jamdudum inter nos confectum est, fieri Deus dicitur, figurata quadam locutione dici manifestum est. Fieri siquidem aestimatur in creaturis suis universaliter, dum *in eis* non solum intelligitur esse, sine quo esse non possunt, sed etiam [13] eorum essentia sit. *Esse enim omnium est, superesse Divinitas* [14], ut sanctus ait Dionysius. Dicitur etiam [15] in animabus fidelium fieri, dum aut per fidem et virtutem in eis concipitur, aut per fidem quodam modo inchoat intelligi. Nil enim aliud est fides, ut opinor, nisi principium quoddam, ex quo cognitio Creatoris in natura rationabili fieri incipit. De facere vero [16] nondum clare video, totam sacram Scripturam, catholicamque fidem factorem omnium Deum fateri audiens. MAG. Facere D sine motu facientis esse non posse jam dedisti. DISC. Dedi. MAG. Aut igitur motum Deo dabis, sine *quo* facere non intelligitur, aut simul et motum et facere ab eo auferes.

72. Haec enim duo inter ea, quae simul sunt, computantur, simulque oriuntur et occidunt. DISC. Motum Deo dare non possum, qui solus immutabilis est, nec habet, quo, vel ad quid se moveat, cum in

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A *universaliter*. [2] Sic ADE; *est* om. C. [3] Sic ACDE. [4] Sic CDE; A *intellectualiliter*. [5] Sic ADE; C *in totum*. [6] Sic CDE; A *festinans finem*; (*est* om. D.) [7] Sic ADE; *de* om. C. [8] Sic CDE; A *movent*. [9] Sic CDE; *est* om. A. [10] Sic CE; A *qua*; D *quod*. [11] Sic CDE; A *et*. [12] Sic ADE; C *Plus est enim*; (*est* om. D.) [13] A *et* [14] Sic CE; A superesse *autem Divinitatis*; D *semper esse Divinitas*; [15] D *enim*; C *etiam et*. [16] D *enim*.

ipso omnia sint [1], immo cum sit ipse omnia. Facere A vero ab eo auferre non possum, cum sit factor omnium. MAG. Segregabis ergo motum et facere. DISC. Ne id quidem, dum inseparabilia esse a se invicem video. MAG. Quid ergo facturus eris? DISC. Nescio; atque ideo viam [2] quandam mihi aperias, summaque hac difficultate me liberes, obnixe supplico. MAG. Accipe igitur hunc ratiocinandi progressum. Quid tibi videtur? Num Deus erat, priusquam omnia faceret? DISC. Videtur mihi fuisse. MAG. Accidens ergo ei [3] erat facere. Nam quod ei coaeternum non est atque coessentiale, aut aliud extra eum est, aut ei accidens. DISC. Aliud praeter eum et extra eum esse non crediderim; in ipso enim omnia sunt, et [4] extra ipsum nihil est, nullumque [5] ei accidens temere dederim. Alioquin simplex non B est, sed ex essentia et accidentibus quaedam compositio. Nam si aliud cum ipso intelligitur, quod ipse non est, aut si quippiam ei accidit, profecto neque infinitus est, neque simplex; quod fides catholica, veraque ratio firmissime denegat. Fatetur enim Deum infinitum esse, plusquequam [6] infinitum; infinitas enim infinitorum est: et simplicem, et plusquam simplicem; omnium enim simplicium simplicitas est. Et cum ipso [7] nihil esse credit vel intelligit, quoniam ipse est ambitus omnium, quae sunt, et quae non sunt, et quae esse possunt, et quae esse non possunt, et quae ei seu [8] contraria seu opposita videntur esse, ut non dicam similia et dissimilia. Est enim ipse similium similitudo, et dissimilitudo dissimilium, oppositorum [9] C oppositio, et contrariorum contrarietas. Haec enim omnia pulchra ineffabilique harmonia in unam concordiam [10] colligit atque componit. Nam quae in partibus universitatis opposita sibimet videntur atque contraria et a se invicem dissona, dum [11] in generalissima ipsius universitatis harmonia considerantur [12], convenientia consonaque sunt. MAG. Recte intelligis, et vide, ne quid de his, quae nunc dederis, de cetero te dedisse poeniteat. DISC. Ingredere, quo vis, ordine; te sequar, et quodcunque jam concessero, non repetam. MAG. Deus ergo non erat, priusquam omnia faceret. DISC. Non erat. Si enim esset, facere omnia ei [13] accideret. Et si ei accideret omnia facere, motus et tempus in eo intelligerentur [14]. Moveret enim se ad ea facienda, quae jam D non [15] fecerat, temporeque praecederet actionem suam, quae nec sibi coessentialis erat, nec coaeterna. MAG. Coaeternum igitur est Deo suum facere et coessentiale. DISC. Ita credo et intelligo. MAG. Duone quaedam sunt Deus et suum facere, hoc est sua actio, an unum simplex atque individuum? DISC. Unum esse video. Deus enim numerum in se non recipit, quoniam solus innumerabilis est, et numerus sine numero, et supra omnem numerum causa omnium numerorum. MAG. Non ergo aliud est Deo esse, et aliud facere, sed ei esse id ipsum est [16] et facere. DISC. Huic conclusioni resistere non audeo. MAG. Cum ergo audimus, Deum omnia facere, nil aliud debemus intelligere, quam Deum in omnibus esse, hoc est, essentiam omnium subsistere. Ipse enim solus per se vere est, et omne, quod vere in his, quae sunt, dicitur esse, ipse solus est. Nihil enim eorum, quae sunt, per se ipsum vere est. Quodcunque autem in eo vere intelligitur, participatione B ipsius, unius qui solus per seipsum vere [17] est, accipit. DISC. Nec hoc negare velim. MAG. Videsne ergo, quemadmodum vera ratio categoriam faciendi [a] ex natura divina penitus segregat, mutabilibusque ac temporalibus, principioque ac fine carere non valentibus distribuit? DISC. Hoc quoque clare perspicio; et jam [18] nunc nullam categoriam in Deum cadere, incunctanter intelligo.

73. Quid igitur? Num eadem ratione debemus inspicere omnium verborum, quae sacra Scriptura de divina natura praedicat, virtutem, ut nil aliud per ea aestimemus significari, praeter ipsam simplicem, incommutabilem, incomprehensibilemque omni intellectu ac significatione divinam essentiam C et plusquam essentiam? Verbi gratia, dum audimus Deum velle, et amare, aut diligere, videre, audire, ceteraque verba, quae de eo praedicari possunt, nil aliud oportet nos cogitare, nisi ineffabilem ipsius essentiam atque virtutem connaturalibus nobis significationibus suaderi, ne in tantum vera ac pia Christiana religio de Creatore omnium sileat, ut nil de eo fari audeat, ad simplicium animorum instructionem, haereticorumque semper veritati insidiantium, eamque eruere laborantium, minusque in ea eruditos fallere appetentium, refellendas astutias. Non aliud itaque Deo esse, et velle, et facere, et amare, et diligere, et videre, ceteraque hujusmodi, quae de eo, ut diximus, possunt praedicari, sed D haec omnia in ipso unum idipsumque [19] accipiendum, suamque ineffabilem essentiam eo modo, quo se significari sinit, insinuant. DISC. Non aliud quidem. Ubi enim est vera et aeterna et insolubilis per se ipsam

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; AD *sint omnia*. [2] Sic CDE; A ideo, *ut* viam cet. [3] Sic ADE; *ei* om. C. [4] Sic CDE; *et* om. A. [5] Sic CDE; A *nullum*. [6] Sic CD; A *et plusquam*; E *plusquam*. [7] Sic AC; D *sine ipso*; E *cum illo*. [8] Sic CD; *seu* om. AE; [9] Sic CDE; A *oppositorumque*. [10] Sic CDE; A in *una concordia*. [11] Sic CDE; *dum* om. A. [12] Sic CDE; A *et* considerantur. [13] Sic CDE; A *ei omnia*. [14] Sic CDE; A *intelligeretur*. [15] Sic ACE; D *non jam*. [16] *est* om. D. [17] Sic BCDE; *vere* om. A. [18] A *etiam*. [19] A *id ipsumque*.

NOTAE.

[a] Verbis *catagoriam faci-* textus codicis E praeciditur fol. 222, b, et desideratur usque ad verba: *Hactenus de divisionibus deque adunationibus substantiarum venerabilem magistrum, Maximum dico*, (lib. II, c. 13 sub fin.). Iis enim folium 223, a codicis incipit.

simplicitas, ibi aliud, et [1] multum, diversumque fieri impossibile est.

74. Vellem tamen apertius mihi suadeas, ut clare videam, dum audio Deum amare vel amari, nil aliud nisi ipsius naturam sine ullo motu amantis vel amati intelligam. Cum enim hoc mihi fuerit suasum, nullo modo haesitabo, ubicunque legero seu audiero, ipsum velle, vel desiderare et desiderari, diligere et diligi, videre et videri, appetere et appeti, movere similiter et moveri. Haec enim [2] omnia uno eodemque accipienda sunt intellectu. Ut enim voluntas, et amor, et dilectio, visio, desiderium quoque et motus, dum de eo praedicantur, unum idipsumque nobis insinuant; ita verba, seu activa, seu passiva, seu neutralia sint, et cujuscunque modi significatione proferantur, nulla intelligentiae differentia intelliguntur discrepare, ut opinor. MAG. Nec in talibus deceptum te reor; ita enim sunt [3], ut arbitraris. Primum igitur hanc amoris definitionem accipe: Amor est connexio ac [4] vinculum, quo omnium rerum universitas [5] ineffabili amicitia insolubilique unitate copulatur. Potest et [6] sic definiri: Amor est naturalis motus omnium rerum, quae in motu sunt, finis quietaque statio, ultra quam nullus creaturae progreditur motus. His definitionibus aperte sanctus Dionysius astipulatur in amatoriis hymnis, sic dicens: *Amorem sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem* [7], *sive naturalem dicamus, unitivam quandam et continuativam intelligamus virtutem, superiora quidem moventem in providentiam inferiorum, et aequiformia iterum in sociabilem vicissitudinem, et novissima subjecta ad meliorum et superpositorum conversionem.* Idem in eisdem: *Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, nunc iterum omnes in unum et complicitum amorem, et omnium ipsorum patrem convolvamus simul et congregemus* [8] *ex multis, primo in duas comprehendentes eum amatorias universaliter virtutes, quarum potentatur et principatur omnino ex omnium summitate omnis amoris immensurabilis causa, et ad quam extenditur connaturaliter unicuique existentium et existentibus omnibus universalis amor.* Idem [9] in eisdem: *Age nunc, et has iterum, hoc est, amoris virtutes in unum congregantes dicamus, quia una quaedam est simplex virtus, seipsam movens ad unitivam quandam temperantiam ex optimo usque existentium novissimum, et ab illo iterum consequenter per omnia usque ad optimum; ex se ipsa, et per se ipsam, et ad seipsam seipsam reducens, et in seipsam semper eodem modo revoluta.* Merito ergo amor Deus dicitur, quia omnis amoris causa est, et per omnia diffunditur, et in unum colligit omnia, et ad seipsum ineffabili re-

A gressu revolvitur, totiusque creaturae amatorios motus in seipso terminat. Ipsa quoque divinae naturae in omnia, quae in ea et ab ea sunt, diffusio omnia amare dicitur, non quia ullo [10] modo diffundatur, quod omni motu caret, omniaque simul implet, sed quia rationabilis mentis contuitum per omnia diffundit et movet, dum diffusionis et motus animi causa sit, ad eum inquirendum et inveniendum et, quantum possibile est, intelligendum, quia omnia implet, ut sint, et universalis veluti amoris pacifica copulatione in unitatem inseparabilem, quae est, quod ipse est, universa colligit et inseparabiliter [11] comprehendit. Amari item dicitur ab omnibus, quae ab eo sunt, non quod ab eis aliquid patiatur, qui solus impassibilis est, sed quia eum

B omnia appetunt, ipsiusque pulchritudo omnia ad se attrahit [12]. Ipse enim solus vere amabilis est, quia solus summa ac [13] vera bonitas et pulchritudo est: omne siquidem, quodcunque in creaturis vere bonum, vereque pulchrum amabileque [14] intelligitur, ipse est. Sicut enim nullum bonum essentiale est, ita nullum pulchrum seu amabile essentiale, praeter ipsum solum.

75. Sicut ergo lapis ille, qui dicitur magnes [15], quamvis naturali sua virtute ferrum sibimet [16] propinquans ad se attrahat, nullo modo tamen, ut hoc faciat, se ipsum movet, aut a ferro aliquid patitur, quod ad se attrahit: ita rerum omnium causa omnia, quae ex se sunt, ad seipsam reducit, sine ullo sui motu, sed sola suae pulchritudinis virtute. Hinc idem sanctus Dionysius inter cetera ait: *Quare autem*

C *Theologi Deum aliquando quidem amorem, aliquando vero dilectionem, aliquando amabile et dilectabile vocant* [17]? Conclusit sermonem sic dicens: *quia eo quidem movetur, eo vero movet.* Quam conclusionem apertius [18] venerabilis Maximus exponens ait: *ut amor quidem subsistens Deus et dilectio movetur* [19], *ut vero amabile et dilectum movet ad seipsum omnia amoris et delectationis* [19*] *acceptiva.* Et planius iterum proferendum: *Movetur quidem, quasi conjunctionem ingerens inseparabilem amoris et dilectionis eorum acceptivis; movet autem, quasi attrahens per naturam eorum, quae in ipsum* [20] *moventur, desiderium, et iterum movet et movetur* [21], *quasi sitiens sitiri, et amans amari, et diligens diligi.* Nam et lux ista sensibilis, quae totum visibilem mundum implet [22], dum sit semper immo-

D bilis, quamvis vehiculum ejus, quod solare corpus dicimus, per media aetheris spatia circa terram aeterno motu volvatur, ipsa vero lux ab ipso vehiculo, veluti quodam fonte inexhausto, manans, ita totum mundum radiorum suorum immensurabili diffusione perfundit, ut nullum locum relinquat, quo se moveat [23], manetque semper immobilis. Ubique enim in [24]

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; *et* om. A. [2] Sic CD; *enim* om. A. [3] Sic CD; pro *sunt* A *possunt.* [4] Sic CD; A *aut.* [5] Sic CD; A *universalitas.* [6] Sic C; A *etiam*, D *ac.* [7] D *animalium.* [8] D *congerimus.* [9] Sic CD; A *Item.* [10] C *nullo;* D *iullo.* [11] Sic CD; A *inseparabiliterque* [12] Sic CD; A *trahit.* [13] Sic CD; A *et.* [14] Sic CD; A *et amabile.* [15] Sic A; CD *magnetes.* [16] Sic CD; A *sibi.* [17] Sic AD; C *evocant.* [18] A *aptius.* [19] *eo vero movet — movetur* om. D. [19*] Sic C; D *dilectionis.* [20] Sic CD; A in *se* ipsum. [21] Sic CD; A *moveturque.* [22] Sic C; A *implet mundum* (*implet* om. D.) [23] Sic CD; A *movet* [24] Sic CD; *in* om. A.

mundo est plena semper et integra, nullum locum deserens vel appetens praeter portiunculam quandam inferioris hujus aëris circa terram, quam ad capiendam umbram telluris, quae nox dicitur, relinquit; omnium tamen animalium lumen sentire valentium obtutus movet, et ad seipsam attrahit, ut per eam aspiciant, quantum aspicere [1] possunt [2], quod aspicere possunt [3], ideoque moveri putatur, quia radios oculorum, ut ad se moveantur, permovet [4], hoc est, oculorum motionis ad videndum causa est. Et ne mireris audiens, naturam lucis, quae est ignis, totum mundum sensibilem implere, immutabiliterque [5] ubique esse; nam et sanctus Dionysius hoc docet in libro de caelesti [6] Ierarchia: sanctus item Basilius in Exemero eadem affirmat: *substantiam quidem luminis ubique esse, in vero mundi [7] luminaribus, sive magnis, sive parvis, naturali quadam operatione prorumpere, non ut solum illuminet, sed ut motibus caelestium corporum omne [8] tempus distinguat.* Quid dicam de artibus, quas sapientes liberales appellant disciplinas, quae, dum in semetipsis per semetipsas plenae, integrae, immutabilesque permanent, moveri tamen dicuntur, quando [9] rationabilis animi contuitum ad se quaerendas inveniendasque permovent [10], et ad se considerandas attrahunt, ita ut et [11] ipsae, dum per se, ut diximus, immutabiles sunt [12], moveri tamen in mentibus sapientum videantur, cum eas moveant? Et multa alia, in quibus divinae virtutis obscura conspicitur similitudo. Ipsa enim est super omnem similitudinem, omneque excellit exemplum. Quae dum per se et in se immutabiliter aeternaliterque stat, movere tamen omnia dicitur, quoniam per eam et in ea omnia subsistunt, et ex non esse in esse adducta sunt. Essendo enim est [13]: omnia vero [14] de nihilo ad esse procedunt [15]. Et ad se omnia attrahit: moveri quoque dicitur, quoniam seipsam ad seipsam movet, ac per hoc seipsam movet, ac veluti a seipsa movetur. Deus itaque per seipsum amor est, per seipsum visio, per seipsum motus: et tamen neque motus est, neque visio, neque amor, sed plus quam amor, plus quam visio, plus quam motus. Et est per seipsum amare, videre, movere: nec tamen est per seipsum amare, videre, movere [16], quia est [17] plus quam amare, videre, movere. Item per seipsum amari est, viderique, moverique: non tamen per seipsum moveri est, nec videri, neque amari, quoniam plus est, quam ut possit amari, et videri, et moveri. Amat igitur seipsum et amatur a seipso, in nobis et in seipso: nec tamen amat seipsum nec amatur a seipso, in nobis et in seipso, sed plus quam amat et amatur in nobis et in seipso. Videt seipsum et videtur a seipso, in seipso et in nobis: nec tamen videt seipsum, nec videtur a seipso, in seipso et in nobis, sed [18] plus quam videt, et videtur in seipso, et in nobis. Movet seipsum et movetur a seipso, in seipso et in nobis: non [19] tamen movet seipsum, nec movetur a seipso, in seipso, et in nobis, quia plus quam movet et movetur in seipso et in nobis.

76. Et haec est cauta et salutaris et catholica de Deo praedicanda professio, ut prius de eo juxta catafaticam, id est affirmationem [20], omnia sive nominaliter [21], sive verbaliter praedicemus, non [22] tamen proprie, sed translative; deinde ut omnia, quae de eo [23] praedicantur per catafaticam, eum esse negemus per apofaticam, id est negationem, non [24] tamen translative, sed proprie [25]. Verius enim negatur Deus quid [26] eorum, quae de eo praedicantur esse, quam affirmatur esse: deinde super omne, quod de eo [27] praedicatur, superessentialis natura, quae omnia creat et non creatur, superessentialiter superlaudanda est. Quod ergo Deus verbum caro factum suis dicipulis ait: *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, vera ratio cogit nos de [28] aliis similibus similiter credere, dicere [29], intelligere. Non vos estis, qui amatis, qui videtis, qui movetis, sed spiritus Patris vestri [30], qui loquitur in vobis veritatem de me et Patre meo et seipso, ipse amat et videt me, et Patrem meum et seipsum in vobis, et movet seipsum in vobis [31], ut diligatis me et Patrem meum. Si ergo seipsam sancta Trinitas in nobis et in seipsa amat, seipsam [32] et videt et movet: pro certo a seipsa amatur, videtur, movetur, secundum excellentissimum modum, nulli creaturae cognitum, quo seipsam et amat et videt et movet, et a seipsa, in seipsa, et in creaturis suis amatur, videtur, movetur, cum sit super omnia, quae de se dicuntur. De ineffabili enim quis et quid potest fari, cujus nec nomen proprium, nec verbum, nec ulla vox propria invenitur, nec est, nec fieri potest, *qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem? Quis enim cognovit intellectum Domini?* Sed priusquam praesentem disputationem terminemus, sancti Dionysii de divino statu motuque capitulum [33] visum est mihi huic loco inserendum [34], si tibi videtur.

77. Disc. Videtur plane, atque hac novissima ratiocinatione ab omni ambiguitate purgatum me esse [35] video. Mag. In libro de divinis nominibus: *Reliquum*

VARIAE LECTIONES.

[1] *aspicere* om. D. [2]—[3] Sic CD; A *possint.* [4] Sic CD; A *promovet.* [5] Sic AC; D *immutabilemque* [6] D *ecclesiastica* [7] AD *mundi vero.* [8] Sic CD; A *omnium.* [9] Sic CD; A *quoniam.* [10] Sic CD; A *promovent* [11] Sic CD; *et* om. A [12] Sic CD; A *sint.* [13] Sic A; pro *est* CD *eam.* [14] Sic A; *vero* om. CD. [15] Sic C; D *producunt.* [16] Sic AD; C *movere, videre, amare.* [17] Pro *quia est* D *sed.* [18] Sic C; pro *sed* AD *quia.* [19] A *nec* (*non* om. D.) [20] Sic C; AD *affirmativam.* [21] Sic CD; A *nominabiliter.* [22] D *nec.* [23] Sic CD; A de *Deo.* [24] D *nec.* [25] A *non tamen proprie sed translative.* [26] Sic CD; pro *Deus quid* A *aliquid.* [27] Sic CD; A *ea.* [28] Sic CD; *de* om. A. [29] Sic AD; C *et* dicere. [30] Sic AD; *vestri* om. C. [31] Sic CD; A *in vobis seipsum.* [32] Sic CD; A *seipsum.* [33] Sic A; *capitulum* om. CD. [34] Corr.; ACD *inferendum.* [35] Sic CD; *esse* om. A.

autem, inquit, *ut*[1] *de divino statu sive sede*[2] *dicamus.* A *Quid autem aliud praeter manere ipsum in seipso Deum, et immobili naturali immutabilitate animo defixum*[3] *esse, et supercollocari secundum eadem et circa idipsum, et similiter operari, et secundum stabilissimum ipsum ex seipso*[3*] *omni modo subsistere, et secundum idipsum intransmutabilem et universaliter immutabilem, et haec superessentialiter? Etenim ipse est omnium stationis et aedificationis causalis, qui est super omnem aedificationem et stationem, et in seipso omnia constituit, et propriorum bonorum statione immobilia*[4] *et custodita. Quid autem? Et cum iterum Theologi et in omnia provenientem et mutabilem dicunt immutabilem, nonne divinitus et hoc intelligendum? Moveri enim ipsum pie arbitrandum, non secundum delationem, aut alienationem, aut alternationem, aut conversionem, aut localem motum, non rectum, non circulariter ferentem, non ex ambobus, non intelligibilem, non amabilem, non naturalem, sed in essentiam ducere Deum et continere omnia, et universaliter omnibus providere*[5]*, et adesse omnibus omnium immensurabili circumstantia, et in existentia omnia providis processionibus et operationibus. Sed et motum Dei immutabili divinitus ratione concedendum laudare, et rectus quidem inflexibilis intelligendus, et irrevocabilis processio operationum, et ex ipso omnium generatio: elicoeides vero, id est, obliquus stateralis*[a] *processio, et fertilis status: quod autem secundum cyclum, id ipsum, et media, et extrema* B *continens et continenda continere, et in ipsum ab ipso provenientium conversio.* DISC. Ordo exigit, ut video, brevem[6] complexionem de eo, quod agere et pati, seu facere et fieri de Deo proprie praedicare nemo valeat, colligas, ac sic[7] terminum libello imponas. MAG. Jamdudum dedisti, ni fallor, non aliud Deo esse et agere seu facere, sed unum atque idipsum ei est et esse, et agere, et facere. Non enim recipit simplex natura intellectum substantiae et accidentium.

78. DISC. Inconcusse quidem[8] dedi. MAG. Ut igitur de eo praedicatur esse, dum non sit proprie esse, quoniam plus est quam esse, et causa omnis esse et essentiae et substantiae[9], ita etiam de eo dicitur agere et facere, dum sit plus quam agere et facere, et causa omnium faciendi et agendi, sine ullo motu, qui secundum accidens possit intelligi, super omnem motum. Omnium namque motuum, omniumque accidentium, sicut et omnium essentiarum, causa est atque principium. DISC. Et hoc indubitanter concesserim. MAG. Quid igitur aliud restat, nisi ut intelligas, omnino necesse esse, ut, quemadmodum ab ipso et esse, et agere, et facere proprie aufertur, ita et pati et fieri auferatur. Quod enim agere et facere non recipit, quomodo pati et fieri recipere possit, non video. DISC. Fige limitem libri. Sat enim est in eo complexum. *Explicit liber primus* ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΝ[10].

INCIPIT LIBER SECUNDUS[b].

1. MAG. Quoniam in superiori libro de universalis Naturae universali divisione, non quasi generis in formas, seu totius in partes — non enim Deus genus est creaturae, nec creatura species Dei, sicut creatura non est genus Dei, neque Deus species creaturae[11]: eadem ratio est in toto et partibus: Deus siquidem non est totum creaturae, neque creatura pars Dei, quomodo nec creatura est totum Dei, neque Deus pars creaturae: quamvis altiori theoria juxta Gregorium Theologum *pars Dei simus*, qui humanam participamus naturam, *quoniam in ipso vivimus, et movemur, et sumus*, metaphoriceque Deus D dicatur et genus, et totum, et species, et pars; omne enim, quod in ipso et ex ipso est, pie ac rationabiliter de eo praedicari potest — sed intelligibili quadam universitatis contemplatione — universitatem dico Deum et creaturam — breviter diximus, nunc eandem naturae divisionem latius, si videtur, repetamus. DISC. Videtur quidem, ac[12] valde necessarium. Nam si latiori rationis inquisitione non aperiatur, tacta solummodo, non autem[13] discussa resedisse videbitur. MAG. Talis itaque erat, ut opinor, supradicta universalis naturae quadriformis divisio in eam, scilicet formam vel[14] speciem, si rite forma vel

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic A; CD *et*. [2] Sic AC; D *de sede*. [3] Sic CD; A *immo defixum*. [3*] C ex *ipso*. [4] Sic AC; D *immutabilia*. [5] Sic A; CD *praevidere*. [6] Sic CD; A *ut* brevem. [7] A *et sic*; CD *ac si*. [8] D inconcusse *enim*. [9] Sic CD; et *substantiae* om. A. [10] *explicit* — φυσεων om. C. [11] Sic CD; A creaturae *est*. [12] Sic CD; A *et*. [13] Sic CD; A *et non*. [14] Sic AC; D *et*.

NOTAE.

[a] C ad marg. adscr. *i. e. ponderalis*, et ad marg. infra adscr.: *Glosa. statheralem ac fertilem processionem dicit obliquum motum, quia partim rectis lineis, partim curvis, quas fertiles vocat, componitur. Curva autem linea propterea fertilis dicitur, quoniam in se ipsam fertur, nec in infinitam progreditur.*

[b] C litteris miniatis: *Incipit secundus* περι φυσεων, *in quo multa de reditu disputantur.* D titulum om.

species dicenda est prima omnium causa, quae superat omnem formam et speciem, dum sit formarum et specierum omnium informe principium, quae creat et non creatur. Informe autem principium propterea Deum dicimus, ne quis eum formarum numero aestimet censeri, dum sit formarum omnium causa; ipsum etenim omne formatum appetit, cum sit per se ipsum infinitus et plus quam infinitus; est enim infinitas omnium infinitatum. Quod igitur nulla forma coartatur vel definitur, quia nullo intellectu cognoscitur, rationabilius dicitur informe quam forma [1], quia, ut saepe dictum est, verius per negationem de Deo aliquid praedicare possumus, quam per affirmationem. Secunda in eam, quae et [2] creatur et creat. Sequitur tertia, quae creatur et non creat. Dehinc quarta, quae nec [3] creat nec creatur. Disc. Ita sane divisum est. Mag. Quoniam igitur de oppositionibus praedictarum naturae formarum breviter in priori disputatione jam dictum est — consideravimus enim, quomodo resultat tertia: primae ambae siquidem veluti quodam diametro ad se invicem e regione opposita respiciunt; creata enim, ut diximus, et non creans opponitur creanti et non creatae: similiter secunda forma e diverso respicit quartam; opponitur enim creata et creans neque creatae neque creanti: universalem vero naturam formas habere propterea dicimus, quoniam ex ea nostra intelligentia quodammodo formatur [4], dum de hac ipsa [5] tractare nititur; nam per se ipsam universa natura non ubique formas recipit; eam siquidem Deo et creatura contineri non incongrue dicimus, ac per hoc, in quantum creatrix est, nullam formam accipit in seipsa, formatae vero a se naturae multiformitatem praestat — jam nunc de similitudine earum deque differentia considerandum esse arbitror. Disc. Non aliter ordo rerum exigit.

Mag. Secunda forma primae similis est [6] in eo quod creat, ab ea vero distat in eo quod creatur. Nam prima creat et non creatur, secunda vero [7] et creat et creatur. Tertia secundae similitudinem attrahit eo quod creatur, ab ea tamen [8] differt eo quod nil creat. Nam secunda et creatur et creat, tertia vero creatur et non creat. Tertia quartae similis est in eo quod non creat, dissimilis vero in eo quod creatur. Tertia enim creatur et non creat, quarta vero neque creatur neque creat [9]. Item quarta similis est primae, quia non creatur, ab ea vero distare videtur, quia non creat. Prima siquidem creat et non creatur, quarta vero neque creat neque creatur. Et quia de oppositionibus et similitudinibus

A deque [10] differentiis est dictum, de earundem reditu atque [11] collectione ea disciplina, quam ἀναλυτικήν [12] Philosophi vocant, breviter dicendum video. Disc. Hoc quoque ordo poscit. Nulla enim rationabilis divisio est, sive essentiae in genera, sive generis in formas et numeros, sive totius in partes, quae proprie partitio nominatur, sive universitatis in ea, quae vera ratio in ipsa contemplatur, quae non iterum possit redigi per eosdem gradus, per quos divisio prius fuerat multiplicata, donec perveniatur ad illud [13] unum inseparabiliter in seipso manens, ex quo ipsa divisio primordium [14] sumpsit. Sed prius de [15] etymologia ipsius nominis, quod est ἀναλυτική, pauca edisseras, non enim mihi plane patet, necessarium esse video. Mag. Ἀναλυτική a verbo
B ἀναλύω [16] derivatur, id est resolvo vel redeo; ἀνά [17] enim re, λύω [18] vero solvo interpretatur. Inde etiam [19] nomen nascitur ἀνάλυσις, quod in resolutionem vel reditum similiter vertitur. Sed ἀνάλυσις proprie de solutione [20] propositarum quaestionum dicitur; ἀναλυτική vero [21] de reditu divisionis formarum ad principium ejusdem divisionis. Omnis enim divisio, quae a Graecis μερισμός dicitur, quasi deorsum descendens ab uno quodam definito ad infinitos numeros videtur, hoc est, a generalissimo usque ad specialissimum. Omnis vero recollectio veluti quidam reditus iterum a specialissimo inchoans, et usque ad generalissimum ascendens, ἀναλυτική vocatur. Est igitur reditus et resolutio individuorum in
C formas, formarum in genera, generum in οὐσίας, ousiarum in sapientiam et prudentiam, ex quibus omnis divisio oritur, in easdemque [22] finitur. Disc. Satis dictum est [23] de ἀναλυτικῆς etymologia; perge ad cetera.

2. Mag. Quaternarum itaque praedictarum formarum binis in unum coeuntibus fiat analytica, id est, reditiva collectio. Prima namque et quarta unum sunt, quoniam de Deo solummodo intelliguntur; est enim principium omnium, quae a se condita sunt, et finis omnium, quae eum appetunt, ut [24] in eo aeternaliter immutabiliterque quiescant. Causa siquidem omnium propterea dicitur creare, quoniam ab ea universitas eorum, quae post eam (ab ea) creata sunt, in genera et species et numeros, dif-
D ferentias quoque, ceteraque, quae in natura condita considerantur, mirabili quadam divinaque multiplicatione procedit. Quoniam vero ad eandem causam omnia, quae ab ea procedunt, dum ad finem pervenient, reversura sunt, propterea finis omnium dicitur, et neque creare neque creari perhibetur. Nam postquam in eam reversura [25] sunt omnia, nil ulte-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *formatum*. [2] Sic C; *et* om. AD. [3] D *non*. [4] Sic CD; A *informatur*. [5] Sic D; A *de ipsa*, C *de seipsa*. [6] Sic CD; *est* om. A. [7] Sic CD; *vero* om A. [8] Sic CD; A *vero*. [9] Sic CD; A *creat neque creatur*. [10] Pro *deque* D *neque*. [11] Sic CD; A *et*. [12] Sic CD; A *analyticam*. [13] D *illum*. [14] Sic CD; A *primordia*. [15] Sic CD; A *ut* de. [16] A *analyo*. [17] A ana. [18] A lyo. [19] Sic CD; A *et*. [20] Sic C; A *pro dissilutione*; D *dissolutionem*. [21] Sic CD; *vero* om. A. [22] Sic CD; A in *easdem*. [23] Sic D; *est* om. AC. [24] Sic AD; C *et*. [25] Sic CD; A *reversa*.

rius ab ea per generationem loco et tempore generibus et formis procedet, quoniam in ea omnia quieta erunt, et unum individuum atque immutabile manebunt. Nam quae in processionibus naturarum multipliciter divisa atque partita esse videntur, in primordialibus causis unita atque unum sunt. Ad quam unitatem reversura, in ea aeternaliter atque immutabiliter manebunt. Sed de hac quarta universitatis consideratione, quae in solo Deo intelligitur, quemadmodum et prima, suo loco latius disputabitur, quantum lux mentium donaverit. Quod autem de prima et de quarta dicitur, hoc est, nec illa nec ista creatur, cum et [1] illa et ista unum sint [2], utraeque enim de Deo praedicantur, nulli recte intelligentium obscurum esse arbitror; a nullo enim creatur, quod causa superiori se vel sibi coaequali caret [a]. Est enim prima omnium causa Deus, quem nihil praecedit; nil ei cointelligitur, quod sibi coessentiale non sit. Videsne itaque, primam et quartam naturae formam in unum [3] esse revocatas? DISC. Satis video, pureque intelligo. Non enim in Deo prima forma a quarta discernitur. In ipso siquidem non duo quaedam, sed unum sunt. In nostra vero theoria dum aliam rationem de Deo concipimus secundum considerationem principii, aliam vero juxta finis contemplationem, duae veluti quaedam formae esse videntur, ex una eademque simplicitate divinae naturae propter duplicem nostrae contemplationis intentionem formatae.

MAG. Recte vides. Quid igitur? Num et secundam et tertiam in unum similiter debemus redigere? Non enim te latet, ut aestimo, quod, sicut prima et quarta in Creatore, ita secunda et tertia in creatura rationabiliter cognoscuntur. Secunda enim, ut praedictum est, et creatur et creat, et in primordialibus causis conditarum rerum intelligitur; tertia vero forma creatur et non creat, atque in effectibus primordialium causarum reperitur. Secunda itaque et tertia uno eodemque genere, creatae videlicet naturae, continentur, atque in ea unum sunt. Formae siquidem in genere unum sunt. Num itaque vides, quattuor formarum praedictarum duas quidem, primam videlicet et quartam, in Creatorem, duas, secundam dico et tertiam, in creaturam recollectas? DISC. Plane video, admodumque admiror rerum subtilitatem. Nam duae praedictae formae non in Deo, sed in nostra contemplatione discernuntur, et non Dei, sed rationis nostrae formae sunt, propter duplicem principii atque finis considerationem; neque in Deo in unam formam rediguntur, sed in nostra theoria, quae dum principium et finem considerat, duas quasdam formas contemplationis in seipsa

A creat, quas iterum in unam formam theoriae videtur redigere, dum de simplici divinae naturae unitate incipit tractare. Principium enim et finis divinae naturae propria nomina non sunt, sed habitudinis ejus ad ea, quae condita sunt. Ab ipsa enim incipiunt, atque ideo principium dicitur, et quoniam in eam [4] terminantur, ut in ea [5] desinant, finis vocabulo meruit appellari; aliae vero duae formae, secundam dico et tertiam, non solum in nostra contemplatione gignuntur, sed etiam in ipsa rerum creatarum natura reperiuntur, in qua causae ab effectibus separantur, et effectus causis adunantur, quoniam in uno genere, in creatura dico, unum sunt. MAG. De quattuor igitur fiunt duae. DISC. Non resisto. MAG. Quid, si creaturam Creatori adjunxeris, B ita ut nil aliud in ea intelligas, nisi ipsum, qui solus vere est; nil enim extra ipsum vere essentiale dicitur, quia omnia, quae ab eo sunt, nil aliud sunt, in quantum sunt, nisi participatio ipsius, qui a seipso solus per seipsum subsistit: num negabis, Creatorem et creaturam unum esse? DISC. Non facile negarim; huic enim collectioni resistere videtur mihi ridiculosum esse.

MAG. Universitas itaque, quae Deo et creatura continetur, prius in quattuor veluti formas divisa, iterum ad unum individuum, principium quippe causamque finemque, revocatur. DISC. De universali universalis naturae divisione et adunatione interim satis dictum video. Nam de subdivisionibus singularum formarum suis locis considerabimus, secundae dico C et tertiae; primam quippe et quartam subdivisiones recipere non facile dixerim. Ideoque ad alia, quae jam dicenda sunt, transeundum arbitror. MAG. *Quid* tibi videtur? Num alia tenenda est semita ad investigationem propositarum quaestionum, quam ut nunc secundam naturae formam quaeramus, quoniam *de* prima in priori libro, quantum facultas *suppetebat*, consideravimus, in quo magis de decem rerum omnium generibus, quod proprie de creatrice omnium causa dici non possunt [6], disputatum est, quam de ipsa omnium causa? Nam quae de ea dicenda sunt, ad quartae formae considerationem reservanda esse judicavimus, non quod et ibi de divina natura proprie quid aut digne nos dicturos esse promittamus, sed quod de reditu omnium in eam per D primordiales causas, quantum ipsa dederit, dicturi sumus. Sicut [7] in hac secunda inquisitione [8] maxime intentionis nostrae propositum, Deo largiente, constitutum est, quaedam dicere de processione creaturarum ab una et [9] prima omnium causa [10] per primordiales essentias [11], ante omnia ab ea, in ea, per eam conditas, in diversa rerum genera diverhumanus animus ad Deum perveniet, tum divinam

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C; *et* om. AD. [2] Sic CD; A *sunt*. [3] Sic CD; A *unam*. [4] Sic C et corr. A; D in *eo*. [5] Sic AD; C in *eam*. [6] Sic CD, A *possint*. [7] Sic CD; A *sed*. [8] Sic CD; A *quaestione*. [9] D *ac*. [10] Sic CD; *causa* om. A. [11] Sic CD; A primordiales *causarum* essentias.

NOTAE.

[a] C ad marg. adscr. *Glosa. Hoc dictum est, propter divinae bonitatis tres coessentiales substantias.*

sasque formas numerosque in infinitum. Et ne mireris, si quaedam in hoc libro [1] de reditu creaturarum ad principium sui finemque dicta videris. Processio namque creaturarum earumdemque reditus ita [2] simul rationi occurrunt eas inquirenti, ut a se invicem inseparabiles esse videantur, et nemo de una absolute sine alterius insertione, hoc est, de processione sine reditu et collectione, et conversim, dignum quid ratumque potest explanare. Disc. Disputationis series nil aliud exigit, quam ut post primae quaestionis considerationem ad secundam transeamus. Mag. Universalis itaque naturae, ut jam dictum est, ea forma secunda emicat, quae creatur et creat, et non nisi in primordialibus causis rerum, ut aestimo, intelligenda est. Ipsae autem [3] primordiales rerum causae a Graecis πρωτότυπα, hoc est primordialia exempla, vel προορίσματα, hoc est, praedestinationes vel definitiones vocantur; item ab eisdem θεῖα θελήματα, hoc est, divinae voluntates dicuntur; ἰδέαι quoque, id est, species vel formae, in quibus omnium rerum [4] faciendarum, priusquam essent, incommutabiles [5] rationes conditae sunt, solent vocari. De quibus latius in processu [6] operis dicemus, testimoniisque sanctorum Patrum roborabimus. Et nec immerito sic appellantur, quoniam Pater, hoc est principium omnium, in Verbo suo, unigenito videlicet Filio, omnium rerum rationes, quas faciendas esse voluit, prius quam in genera et species numerosque atque differentias, ceteraque, quae in condita creatura aut considerari possunt et considerantur, aut considerari non possunt prae sui altitudine, et non considerantur et tamen sunt, praeformavit.

3. Sed priusquam ad primordialium causarum theoriam perveniamus, visum est mihi, sententiam venerabilis Maximi de divisione omnium, quae facta sunt, huic disputationi nostrae, si tibi placet [7], inserere. Si enim multiplex rerum omnium divisio, iterumque adunatio, multipliciter demonstrata fuerit, ad cognitionem principalium causarum, quae principaliter a Deo conditae sunt, patefacta via facilius apparebit; praesertim cum ipsius divisio a nostra praedicta [8] divisione in nullo discrepare videatur, excepto quod ille sensibilem creaturam, quam tertiam formam naturae posuimus, quoniam in ea maxime causarum effectus apparent, in tres species subdividit, quartamque nostram a prima non discernit, sicut sequentia demonstrabunt. Quam [9] subdivisionem sensibilis creaturae ad materiem nostrae quaestionis tertiae, prout Deus dederit, reservabimus. Tricesimo et septimo capitulo de Ambiguis: *Sancti*, inquit, *qui multa divinorum mysteriorum ex his, qui pedisequi et ministri fuerunt Verbi, et inde* [10] *immediate eorum, quae sunt, eruditi scien-*

A *tiam per successionem per eos, qui ante se erant, in se ipsos distributam accipiunt, dicunt omnium, quae facta sunt, quinque divisionibus segregari substantiam.* Videsne, quanta autoritate divisionis quae originem commendat? Ab ipso enim verbo, hoc est, Dei Filio, qui est fons totius perfectae doctrinae — merito, quia ipse est sapientia, quam omnes sapientes participant per pediseqnos suos, hoc est, discipulos, qui eum et [11] in carne viventem viderunt, et docentem audierunt — inchoasse commemorat, et per apostolorum successores in doctrina et sapientia immediate, hoc est, nulla alia autoritate interposita, usque ad sua tempora traditam fuisse. *Quarum primam*, inquit, *esse aiunt eam, quae a non creata natura creatam* [12] *universaliter naturam, et per genera-* B *tionem esse accipientem dividit* [13]; *dicunt namque, Deum per bonitatem fecisse existentium simul omnium claram dispositionem.* Et paulo post: *Secundam vero, per quam ipsa simul omnis natura, a Deo per creationem esse accipiens, dividitur in intelligibilia et sensibilia; tertiam deinceps, per quam ipsa sensibilis natura dividitur in caelum ac terram; quartam itidem, per quam terra dividitur in Paradisum et orbem terrarum; et quintam, per quam ipse in omnibus veluti quaedam cunctorum continuatissima officina, omnibusque per omnem differentiam extremitatibus per seipsum naturaliter medietatem faciens bene ac* [14] *pulchre secundum generationem. His, quae sunt, superadditus homo in masculum feminamque dividitur, omnem habens profecto naturaliter extremorum om-* C *nium medietatibus per ipsam ad extrema omnia copulativam propriarum partium proprietatem adunationis virtutem. Partem siquidem sui*, ut idem magister alibi ait, *cum sensibilibus possidet, in quantum corpus est; partem cum intelligibilibus, in quantum anima: ideoque universam creaturam in se continet.* Et paulo post: *Hujus rei gratia novissimus introducitur in his, quae sunt, homo, veluti conjunctio quaedam naturalis universaliter per proprias partes medietatem faciens extremitatibus, et in unum ducens in seipso, multo secundum naturam a seinvicem distantia spatio.* Extremitates hic vocat invisibilem sensibilemque creaturam, quae a se invicem veluti longissimo spatio naturali differentia discrepant. Sunt enim naturarum conditarum duo extremi termini sibimet oppo- D siti, sed humana natura medietatem eis praestat; in ea enim sibi invicem copulantur, et de multis unum fiunt.

4. *Nulla enim creatura est, a summo usque deorsum, quae in homine non reperiatur. Ideoque officina omnium jure nominatur; in ea siquidem omnia confluunt, quae a Deo condita sunt, unamque harmoniam ex diversis naturis, veluti quibusdam distantibus sonis, componunt. Ut ad Deum, utpote causalem*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *loco*. [2] *ita* om. A. [3] Sic C; *autem* om. AD. [4] Sic CD; A *rerum omnium*. [5] Sic CD; A *immutabiles*. [6] Sic CD; A *progressu*. [7] Sic CD; *si tibi placet* om. A. [8] Sic CD; *praedicta* om. A. [9] Sic CD; A *quoniam*. [10] Sic CD; A *unde*. [11] Sic CD; *et* om. A. [12] Sic CD; A *in* creatam. [13] Sic CD; A *dividitur*. [14] Sic CD; A *et*.

omnia unitate congregante[1] *ex propria prius divisione inchoans, ac deinde per media connexione ordineque progrediens, in Deum acciperet finem ipsius ex omnibus factae per unitatem ascensionis excelsae, in quo non est divisio*. Hucusque praedicti venerabilis magistri non continuatim[2], sed quibusdam intermissis, verba introduximus, incipientis quidem eorum, quae facta sunt, substantiae divisionem a summa omnium causa, et in homine, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est, universalis substantiae differentias terminantis. Homo siquidem, ut diximus, iterumque saepissime repetemus[3], in tanta naturae conditae dignitate creatus est, ut nulla creatura, sive visibilis sive invisibilis[4] sit, quae in eo reperiri non possit[5].

5. Est enim ex duabus conditae naturae universalibus partibus mirabili quadam adunatione compositus, ex sensibili namque et intelligibili, hoc est, ex totius creaturae extremitatibus conjunctus. Nil quidem inferius est in natura rerum, quam corpus, et nil superius, quam intellectus, teste sancto Augustino in libro de Vera religione, sic dicente[6]: *Inter mentem nostram, qua ipsum intelligimus Patrem, et veritatem, per quam ipsum intelligimus, nulla interposita creatura est*. Quibus verbis sanctissimi Patris datur intelligi, humanam naturam etiam post praevaricationem dignitatem suam non penitus perdidisse, sed adhuc obtinere. Non enim dixit magister, nulla interposita creatura erat, sed *nulla interposita est*. Non ergo etiam in languoribus nostris Deum penitus deserimus[7], nec ab ipso deserti sumus, dum inter mentem nostram et illum nulla interposita natura est. Lepra siquidem animae vel corporis non aufert aciem mentis, qua illum intelligimus, et in qua maxime imago Creatoris condita est. Videsne igitur, quomodo omnium substantiarum divisio in humana natura terminatur? Disc. Plane video, multumque nostrae naturae inter omnia, quae facta sunt, dignitatem admiror, dum in ea veluti quandam omnium creaturarum substantiarum[8] mirabilem compositionem, praedictis rationibus suasus, perspicio. Mag. Itaque quoniam clare vides divisionem naturalem omnium, a Creatore et creatura inchoantem, et in homine, qui in summitate divinae operationis veluti in senaria quadam perfectione conditus est[9], desinentem; jam nunc substantiarum omnium adunatam collectionem ab homine inchoantem, et per hominem ascendentem usque ad ipsum Deum, qui est totius divisionis

A principium, totiusque adunationis finis, praedicti patris Maximi verba considerantes videamus.

6. Non enim, ut praediximus, recta ratio de divisione permittit absolute tractare, et analyticam intermittere, sed de[10] ambobus connexim veritatem jubet consulere. Ait ergo ex propria divisione inchoans, ac si aperte diceret: quoniam substantiarum divisio, quae a Deo sumpsit exordium, et gradatim descendens, in divisione hominis in masculum et feminam finem constituit; iterum earundem substantiarum adunatio ab homine debuit inchoare, et per eosdem gradus usque ad ipsum Deum ascendere; in quo, ut ipse ait, non est divisio, quoniam in eo omnia unum sunt. Incipiet ergo ab homine naturarum adunatio, per Salvatoris gratiam, in quo, ut

B ait Apostolus[11], *non est masculus neque femina*, quando humana natura in pristinum restaurabitur[12] statum. Nam si primus homo non peccaret, naturae suae partitionem in duplicem sexum non pateretur, sed in primordialibus suis rationibus, in quibus *ad imaginem* Dei conditus est, immutabiliter permaneret[a]. Quod his verbis praedictus Magister aperit; dicit enim: *Hujus rei gratia novissimus introducitur in his, quae sunt, homo, veluti conjunctio quaedam naturalis universaliter per proprias partes medietatem faciens extremitatibus, et in unum ducens in seipso, multo secundum naturam a se invicem distantia spatio; ut ad Deum, utpote causalem omnia unitatem congregante, ex propria prius divisione inchoans, ac deinde per media connexione ordineque progrediens in*

C *Deum acciperet finem ipsius ex omnibus factae per unitatem ascensionis excelsae, in quo non est divisio*[13]. *Ipsam nullo modo pendentem videlicet*[14] *adversus primordialem rationem ipsius circa generationem hominis divini propositi secundum masculum feminamque proprietatem. In ipsa circa divinam virtutem impassibilissima copula ubique naturae extenturus, ita ut ostenderet*[15], *futurum hominem secundum divinum propositum solummodo secundum masculum et feminam*[16] *appellationem*[17] *non dividendum; per quam rationem primitus etiam factus est; in ipsis nunc existentibus circa eum sectionibus non divisus propter ipsam perfectam adunationem ad propriam rationem, per quam subsistit*. In his verbis apertissime insinuat divini consilii propositum erga hominis conditionem,

D si eum peccaturum non praenosceret. Homo namque solummodo esset in simplicitate suae naturae creatus, eoque modo, quo sancti Angeli multiplicati sunt, intellectualibus numeris multiplicatus[18]. Sed

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *congregantem*. [2] Sic CD; A *continuitatem*. [3] Sic AC; D *repetamus*. [4] Sic AD; C *sive visibilis sive intelligibilis*. [5] Sic CD; A *posset*. [6] Sic A; CD *dicens*. [7] Sic CD; A *deseruimus*. [8] Sic C; A *creaturarum substantialium*; D *creaturarum substantiarum*. [9] Sic CD; A *est conditus* [10] Sic CD; *de* om. A. [11] Sic CD; A ut ait *amplius*. [12] Sic CD; A *restauratur*. [13] *Veluti conjunctio— divisio* om. ABCD; addidi ex Joannis Scoti versione Ambiguorum S. Maximi. [14] Pro *pendentem videlicet* C *pendet quippe*, D *pendit quippe*. [15] Sic CD; A corr. *ostenderetur*. [16] Sic D; et versio C *feminam masculumque*. [17] Sic D; C *appellatione*. [18] Sic CD; A *multiplicaretur*.

NOTAE.

[a] Ea, quae jam de *divisione sexuum* cet., Maximo duce, disputantur, a veritate recedere, jam supra col. 309 sqq., ubi J. Scotus eandem doctrinam exposuit, monuimus. Cf. de Joanne Scoto commentatio supra typis excus. § 50 col. 75.

reatu suae praevaricationis obrutus, naturae suae divisionem in masculum et feminam est passus. Et quoniam ille divinum modum multiplicationis suae observare noluit, in pecorinam corruptibilemque ex masculo et femina numerositatem justo judicio redactus est. Quae divisio in Christo Jesu [1] adunationis sumpsit exordium, qui in se ipso humanae naturae restaurationis exemplum veraciter ostendit, et futurae resurrectionis similitudinem praestitit.

7. *In ipsis*, inquit, *quae nunc circa eum, sectionibus non divisus*. Sectiones dicit circa hominem post peccatum non solum divisionem in masculum et feminam verum etiam in multiplices varietates qualitatum et quantitatum differentiarumque unius formae. Siquidem diversitas hominum a seipsis, qua uniuscujusque species ab aliis discernitur, et staturae modus variatur, non ex natura provenit [2], sed ex vitio, et diversitate locorum et temporum terrarum, aquarum, aërum, escarum, ceterarumque similium, in quibus nascuntur et nutriuntur. De diversitate morum cogitationumque superfluum est dicere, cum omnibus manifestum sit, ex divisione Naturae post peccatum initium sumpsisse. *Propter ipsam*, inquit, *perfectam adunationem ad propriam rationem, per quam subsistit*. Ac si diceret: ideo homo naturae suae divisionem non pateretur, si non peccaret, quia perfectis [3] rationibus suis, in quibus secundum imaginem Dei conditus est, primordialibus videlicet causis [4], in quibus subsistit, inseparabiliter adhaereret, si sponte sua ab eis se ipsum non evelleret. Non enim in his, in quibus nunc videtur esse homo, subsistit, sed in occultis naturae causis, secundum quas primitus conditus est, et ad quas reversurus est, continetur, in quantum est.

8. Et quoniam post adunationem hominis, hoc est, duplicis sexus in pristinam naturae unitatem, in qua neque masculus neque femina, sed simpliciter homo erat, confestim orbis terrarum adunatio ad Paradisum sequetur [5]: *deinde*, inquit, *Paradisum orbemque terrarum per propriam sanctam conversationem adjungens, unam faceret terram non divisam in eo secundum partium ejus differentiam, sed magis congregatam, ut nulla partium ejus ullam patiatur subductionem*. Quae sententia valde obscura videtur. Non enim facile patet, quid suadere velit, utrum orbis terrarum, dum omnes substantiae adunabuntur, paradiso copulabitur, ut nulla diversitas partium

A in eis fiat, sed totus paradisus erit [a] —nam in ratione adunationis hoc semper observari necessarium est, ut quod inferius esse videtur, in id, quod superius, hoc est, melius moveatur, non autem quod melius est, in deterius transire, hoc est, redire in renovatione naturarum, alioquin adunatio non erit sed divisio, vera sinit ratio, sicut [6] humanae naturae adunatio duplicis sexus divisionem in simplicitatem hominis revocat, quia homo melior est quam sexus; masculus siquidem et femina non sunt nomina naturae, sed partitionis ejus per praevaricationem; homo vero specialis ipsius naturae appellatio est —an sic orbis terrarum et paradisus in unam illam terram, quae altera species est sensibilis creaturae, in caelum et terram divisae, applicabuntur, ut ipsa

B terra non solum varietate partium careat, sed etiam in simplicitatem quandam naturae revocabitur, ut plus spiritualis quam corporalis esse credatur, qualis futura esset, si homo non peccaret? Et intelligamus quod dixit: *non segregatam in eo*, id est, homine. Nam in homine omnia adunantur secundum partium suarum, terrae videlicet [7], differentiam; ut [8], quemadmodum nulla partium diversitas in homine erit, quoniam nulla compositio in eo permanebit, ita etiam terrena natura sibi copulabitur, ut unum in eo et cum eo esse videatur. Ait enim: *sed magis congregatam*, quatenus nullam ulla [9] partium ejus subductionem, hoc est, separationem patiatur. Ubi quippe vera est simplicitas, ibi nullius subductionis, id est [10] segregationis, reperitur varietas. Cui sensui sequentia favere apertissime [11] videntur; sequi-

C tur enim: *inde caelum et terram adjungens per ipsam angelis vitae omnino secundum [12] virtutem [13], quantum hominibus possibile est, similitudinem, unam faceret [14] inseparabilem ubique [15] a seipsa sensibilem creaturam, non separatam in eo*, videlicet homine; *localiter omnino in spatiis, levi facto spiritu et nulla gravitate corporali detento, neque ad caelos ascensione prohibito [16], per ipsam ad haec perfectam animi ἀορασίαν* [b], hoc est, exorbitatem vel caecitatem, *sincere ad Deum pervenientis sapienter ad eum intentione*. Ubi datur intelligi, quod homo, quando revocabitur in pristinam naturae suae gratiam, quam praevaricando deseruit, omnem sensibilem inferiorem se [17] creaturam in unitatem sibi recolliget,

D mirabili quadam divinae virtutis potentia, in restitutione [18] hominis. Dum enim sincere, ut ipse ait,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; *Jesu* om. A. [2] Sic AD; C *pervenit*. [3] Sic CD; A *perfecte*. [4] A *causis videlicet; causis* om. D. [5] Sic CD; A *sequitur*. [6] Sic CD; A *sic enim*. [7] A *videlicet terrae*. [8] Sic ACD. [9] *ulla* om. A. [10] Pro *id est* A *videlicet*. [11] Sic CD; A *aptissime*. [12] Sic CD; pro *secundum* A *et*. [13] A *virtutum*. [14] Sic CD; A *facere et*. [15] Sic CD; A corr. *et quae*. [16] Sic CD; A *prohibita*. [17] Sic CD; A *et se inferiorem*. [18] Sic AC; D *resurrectione*.

NOTAE.

[a] C ad marg. adscr. *Glosa. Hic ambiguum ponit, utrum mutabitur orbis terrarum omnino in paradisum, sicut sexus in hominem, ea ratione, qua inferiora melioribus absorbentur, an orbis terrarum et paradisus in eandam veluti spiritualis terrae qualitatem adunabuntur, ea ratione, qua sibimet similia coaptantur.*

[b] C ad marg. adscr. *aorosia interpretatur caecitas, sed non illa quaeque privatio visionis dicitur, sed illa caligo, quae rebus visibilibus circumvolvitur ut intuentibus se apparere non possint.*

ἀορασίαν, hoc est, omnium creaturarum, quas omnino superascendet, ignorantiam patietur, ad ipsum Deum perveniens, ipsumque in omnibus contemplans. Totus namque homo, ut ait ipse, levis spiritus futurus est, et nulla gravitate corporali in terra detinebitur, neque ad caelos ascensione prohibebitur. *Deinde*, inquit, *intelligibilia et sensibilia cum his copulans*, hoc est, cum praedictis naturarum adunationibus, *per ipsam ad angelos scientiae aequalitatem unificabit creaturam, simul omnem creaturam non separatam in eo secundum scientiam et ignorantiam, aequali sibi ad angelos indifferenter futura, rationum in his, quae sunt, gnostica scientia, per quam ipsa verae sophiae infinita donorum effusio superveniens, quantum fas est, pure de cetero ipsam circa Deum et immediate dignis praestat incognitam et ininterpretabilem* [1] *notitiam*. Hujus sententiae altitudo incomprehensibilis mihi videtur, et maxime ubi ait, *secundum scientiam et ignorantiam aequali sibi ad angelos gnostica scientia*. Et merito. In prioribus enim nil aliud videbatur suasisse, nisi omnium rerum sensibilium et intelligibilium in unitatem quandam adunationem, ita ut nil separabile, nil corporeum, nil varium in eis remaneat, sed ut mirabili quadam regressione inferiora semper in superiora transeant. Nunc vero dicere videtur, adunationem naturalium substantiarum [3] in intellectu solummodo, non autem in ipsis rebus [4] esse, hoc est, non eas res, quae per generationem in diversa genera, diversasque formas, infinitosque numeros juxta Creatoris providentiam, intelligibilem sensibilemve acceperunt varietatem. Non enim aliter adunationem creatarum substantiarum in angelis esse intelligimus, nisi sola gnostica scientia, non autem ipsarum rerum collectione in unum. Naturarum quippe omnium conditarum rationes in semetipsis sub uno quodam intelligentiae tenore cognoscunt, quemadmodum in quadam humana sapientissima [5] anima diversarum artium una eademque et [6] inseparabilis cognitio est, ita ut ignorantia, sive in angelis — nam et eorum quosdam nondum omni purgatos ignorantia legimus — sive in hominibus, nullam segregationem rerum faciat, scientia vero gnostica adunationis causa fiat. Intellectus enim rerum veraciter ipsae res sunt, dicente sancto Dionysio: *Cognitio eorum, quae sunt, ea quae sunt, est;* sed ipsas primordiales suas causas rationesque in adunationem quandam actione intelligentiae, non autem re ipsa colligi. Verum priusquam ad hujus quaestionis theoriam perveniamus, si de ea quid dicendum, praedictae adunationis rerum secundum Maximum residua dicenda esse arbitror. *Et finis*, inquit, *in omnibus his creatam naturam non creatae per dilectionem unificans. O miraculum erga nos divinae clementiae; unum id ipsumque ostendet* [7] *secundum habitum gratiae totus homo toto universaliter ambitus Deo, et factus. Omne siquidem Deus* [8], *praeter similitudinem secundum essentiam, et totum ipsum accipiens; ab ipso* [9], videlicet Deo, *Deum veluti ascensionis praemium ipsum singularissimum possessurus Deum, utpote finem eorum, quae moventur, motionis, et statum firmum immutabilemque eorum, quae feruntur in ipsum, et omnis finis, et statuti, et legis, rationisque intellectusque, et naturae finem ac terminum infinitum et interminatum existentem.*

9. Ad hoc igitur, quantum ex praedicti magistri sermonibus datur intelligi, inter primordiales rerum causas homo ad imaginem Dei factus est, ut in omnis creatura et intelligibilis et sensibilis, ex quibus veluti diversis [10] extremitatibus compositus unum inseparabile fieret, et ut esset medietas atque [11] adunatio omnium creaturarum. Non enim ulla creatura est, quae in homine intelligi non possit; unde etiam in sacris Scripturis omnis creatura nominari solet. In Evangelio siquidem scriptum est: *Praedicate Evangelium omni creaturae;* item in Apostolo: *Omnis creatura congemiscit et dolet* [12] *usque adhuc*. Et si non peccaret, non esset in eo divisio sexuum, sed solummodo homo esset; non separaretur in eo orbis terrarum a Paradiso, sed omnis terrena natura in eo esset paradisus, hoc est, spiritualis terra atque [13] conversatio; caelum et terra in eo non segregarentur, totus enim caelestis esset, et nil terrenum, nil grave, nil corporeum in eo appareret; esset enim et multiplicaretur in numerum, a conditore sui praefinitum, sicut angeli et sunt, et multiplicati sunt; sensibilis natura ab intelligibili in eo non discreparet, totus enim esset intellectus, Creatori suo semper et immutabiliter adhaerens, et nullo modo a primordialibus suis causis, in quibus conditus est, recederet; omnis creatura, quae in eo condita est, nullam divisionem in eo pateretur. Sed quoniam primus homo in tali felicitate permanere neglexerat, et ab ea superbiendo cecidit, et in infinitas partitiones varietatesque naturae humanae unitas dispersa est, divina clementia assumpsit [14] novum hominem, in quo ipsa natura, quae in veteri homine dispertita est, ad pristinam unitatem revocaretur: in mundo de mundo, hoc est, homo ex hominibus propter homines nasci constituit. Hinc idem Maximus: *Quoniam itaque*, inquit, *naturaliter, ut creatus est, circa immutabile proprium principium, dico autem Deum, homo non est motus; circa vero ea, quae sub*

VARIAE LECTIONES.

[1] D *interpretabilemque*; D *et interpretabilem*. [2] Sic CD; A *et* secundum. [3] Sic CD; A *naturarum substantialium*. [4] Sic CD; A *rebus ipsis*. [5] Sic CD; A *sapientissima humana*. [6] *et* om. D. [7] Sic CD; A *ostendetur*. [8] Sic CD; pro *Deus* A *dicitur*. [9] Sic CD; A corr. *a seipso*. [10] Sic CD; A *divisis*. [11] Sic CD; A *et*. [12] Sic AC; D *ingemiscit et parturit*. [13] Sic CD; *terra atque* om. A. [14] Sic A; *assumpsit* om. CD.

NOTAE.

[a] A. ad marg. adscr. *Hic approbare adunationem omnium non solum intelligentia, sed et reipsa futuram incipit.*

ipso sunt, quorum ipse divinitus principari ordinatus est, contra naturam volens insipienter est motus; ea in adunationem separatorum data sibi naturali potentia, per generationem in ipsam adunandorum magis abusus est separationem. Novantur naturae, et Deus homo fit, ut hominem perditum salvet; et in toto universaliter naturae per seipsum, quae contra naturam sunt, fissuras adjungens, et universaliter eorum, quae partita sunt, praemonstratas rationes, quibus ipsa segregatorum fieri consuevit adunatio, ostendens magnum consilium implere Dei, et Patris in seipsum recapitulans omnia, id est, recolligens, quae in caelo sunt, et quae in terra; in quo etiam creata sunt. Ipsa itaque [1] *universaliter omnium ad seipsum adunatione, ex nostra inchoans divisione* [2], *fit perfectus homo; ex nobis, propter nos, secundum nos omnia nostra perfecta habens; non ex nuptiali consequentia; per hoc ostendens, ut arbitror, quomodo erat et alius modus propagationis hominum in multitudinem Deo praecognitus, si mandatum primus homo custodiret, inque pecudalitatem seipsum eo modo, qui est per abusionem, propriis potentiis non dejiceret, in ipsam secundum* [3] *masculum et feminam differentiam et divisionem* [4] *naturae retrusus. Cujus ut fieret, sicut dixi, homo non omnino indigebat, sine quibus autem esse fortassis est possibile, haec in perpetuum non necesse manere; in Christo enim Jesu, inquit divinus Apostolus, neque masculus est neque femina.*

10. Videsne, quantum divisionis humanae naturae causam ad peccatum primi hominis referendam esse inculcat? *Sine quibus enim*, inquit, *esse fortassis est possibile* [5], *haec in perpetuum non necesse manere.* Ac si aperte diceret, quoniam, si homo non peccaret, absque divisione suae naturae permanere poterat. Non enim hoc ei ex natura accessit, sed ex delicto contigit. Quae igitur necessitas cogit, ut post adunationem naturae in pristinam sui dignitatem illa divisio permaneat? Ut enim ante peccatum potuit ea carere, ita poterit post ejus redintegrationem aeternaliter permanere. Sed ne per singula ipsius persequar [6] sermones, in quibus apertissime edocet adunationem totius creaturae, quae in primo homine fieret, si non peccaret, in Christo resurgente ante omnes per omnia factam, pauca de pluribus praesentis disputationis gratia introducam. Primo igitur Dominum Jesum divisionem naturae, id est, masculum et feminam in seipso adunasse edocet; non enim in sexu corporeo, sed in homine tantum surrexit ex mortuis, *in ipso enim nec masculus nec femina est*, quamvis in ipso sexu virili, in quo natus est ex virgine, et in quo passus est, apparuit discipulis suis post resurrectionem, ad confirmandam resurrectionis suae fidem. Non enim aliter eum cognoscerent, si notam eis formam non viderent; nondum siquidem [7] Spiritum sanctum pleniter [8] acceperunt [9], qui eos docuit omnia Deinde post resurrectionem nostrum orbem terrarum paradiso in seipso copulavit [10]. Nam ex mortuis in paradisum rediens, in hoc orbe cum discipulis suis conversatus est, ostendens eis manifeste, non aliud esse paradisum praeter resurrectionis gloriam, quae primum in eo apparuit, et quam omnibus fidelibus suis daturus est, docensque, nostrum orbem terrarum differentiam a [11] paradiso juxta rationem naturae non habere [a]; non enim natura separantur, sed qualitatibus et [12] quantitatibus, ceterisque varietatibus, quae propter peccatum generale generalis humanae naturae ad poenam ejus, immo etiam [13] ad correctionem et exercitationem huic terrae habitabili superaddita sunt : et quoniam una terra, dum ad seipsam constituitur, inseparabilis est, ipsam naturae rationem, in qua est, liberam divisione [14] secundum differentiam salvans; non enim mole [15] vel spatiis discernitur paradisus ab isto habitabili orbe terrarum, sed diversitate conversationis, differentiaque beatitudinis. Nam et primus homo, si non peccaret, feliciter in orbe terrarum vivere posset, quoniam una eademque ratio est in principalibus causis orbis terrarum et paradisi [16]. Quod apertissime [17] in seipso Dominus [18] noster post resurrectionem manifestavit; simul enim et in paradiso erat, et in hac terra et cum discipulis suis [19] moratus est.

11. Non enim credendum est, aliunde venisse localiter, ut suis discipulis appareret, et aliorsum recessisse, quando [20] non apparebat, qui post resurrectionem naturam locorum ac [21] temporum non solum divinitate, verum etiam humanitate fuerat supergressus. Spiritualia siquidem corpora loco temporeve [22] coartari non facile crediderim, quemadmodum neque qualitatibus, quantitatibusve, seu alicujus formae descriptionibus variari; simplicissimae enim naturae sunt. Quod maxime argumento puri ignis colligitur, qui, dum per omnia sensibilis mundi corpora diffunditur, tantae subtilitatis est, ut nullo loco detineatur, et tamen in omnibus operationem suam manifestare dignoscitur. Sed uno eodemque tempore, uno eodemque loco ad tempus eis [23]

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *namque*. [2] Sic CD; A *diversione*. [3] A ipsam *et* secundum. [4] Sic CD; A *divisione*. [5] Sic CD; A *fortassis est possibile esse*. [6] Sic CD; A *persequamur*. [7] Sic C; A nondum *enim*; D nondum *enim siquidem*. [8] Sic CD; A *plenum*. [9] Sic ACD. [10] Sic CD ; A colligant. [11] Sic AD; *a* om. C. [12] Sic AD; *et* om. A. [13] Sic AD; *etiam* om. A. [14] Sic C; AD *divisionem*. [15] Sic CD; A *vel* mole vel. [16] Sic CD; A *paradiso*. [17] Sic CD; A *aptissime*. [18] Sic CD; A *Deus*. [19] *suis* om. AD. [20] Sic C; A *quum*, D *quoniam*. [21] Sic CD; A *et*. [22] Sic CD; A *temporeque*. [23] Sic C; *eis* om. AD.

NOTAE

[a] Cad marg. adscr. : *Hic datur intelligi, aliud esse paradisum praeter humanam naturam ante peccatum et condignam sibi sensibilem, si non peccaret, creaturam.*

apparebat in ea forma, in qua passus fuerat, ut fi- A dem illorum nutriret, donec verae cognitionis virtutem [1], qua postmodum perfusi [2] sunt, illuminarentur. Et peracto momentaneae apparitionis spatio, mox in [3] intellectualem invisibilemque spiritualis corporis ἀορασίαν, id est invisibilitatem, quae omne tempus, ut praediximus, omnemque locum superat, redibat : vel quod credibilius esse videtur, nullo modo ex resurrectionis gloria loco, vel tempore, vel quantitate, qualitateve recedens, his siquidem omnibus spiritualia corpora carere, nemo qui dubitat [4], in ea forma, qua mundo apparuit in mundo vivens, pro mundi salute post resurrectionem discipulis suis seipsum manifestabat. Non enim humana ratiocinatio praevalet, ubi divina potentia solummodo pollet. Nam quod ipse ait : *Ecce ego vobis-* B *cum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, satis ac plane indicat, ipsum non solum secundum verbum, quo omnia implet, et super omnia est, verum etiam secundum carnem, quam in unitatem suae substantiae vel personae accepit, et ex mortuis suscitavit, et in Deum transmutavit, semper et ubique esse, non tamen localiter seu temporaliter, nec ullo modo circumscriptum. Mirabili siquidem et ineffabili modo et super omnes caelestes essentias, et cum Patre est secundum humanitatem, quae Verbo Patris adunata est, et Deus est, et ubique regit mundum, et diligentibus se, sive invisibiliter, sive visibiliter apparet, caelum non deserit et mundum regit, ad dextram Patris sedet, in summis omnia gubernans, humanae naturae salutem in imis ministrans. Noli C ergo in loco fingere Christi humanitatem, quae post resurrectionem translata est in divinitatem. Divinitas Christi in loco non est; igitur neque ejus humanitas. Eodem modo sane intellige [5] de tempore, de qualitate, de quantitate [6], de forma circumscripta. His enim omnibus tota Christi humanitas, hoc est, corpus et anima et intellectus carere piissime creditur purissimeque intelligitur post resurrectionis palmam; et ad eamdem gloriam electos suos post catholicam resurrectionem ducturus, qui [7] unum in eo et cum eo futuri sunt. Christus igitur et in paradiso erat simul et in mundo, ostendens et mundi et paradisi unam rationem naturalem esse, in seipso mundum et paradisum adunans. Non enim in mundo moles corporeas, spatiisque distentas, multiplicesque D diversarum partium ejus varietates vera ratio considerat et honorificat, sed naturales et primordiales illius causas, in seipsis unitas atque pulcherrimas, in quas dum finis suus venerit, reversurus erit, et in eis aeternaliter mansurus. Non autem alium finem mundi hujus sensibilis [8] credimus esse futurum, nisi in Deum et in primordiales causas suas [9], in quibus naturaliter subsistit, reditum.

12. Etenim, ut ratio edocet [10], mundus iste in varias sensibilesque species, diversasque partium suarum multiplicitates non erumperet, si Deus casum et interitum primi hominis, unitatem suae naturae deserentis, non praevideret, ut saltem post ruinam suam de spiritualibus ad corporalia, de aeternis ad temporalia, de incorruptibilibus ad caduca, de summis ad ima, a spirituali homine in animalem, a simplici natura ad sexuum divisionem, ex angelica dignitate et multiplicatione ad pecorinam contumeliosamque corruptibilemque secundum corpus generationem, suum miserabilem interitum tali poena admonitus cognosceret, et ad suae dignitatis pristinum statum poenitendo, superbiamque suam deponendo, divinasque leges, quas transgressus fuerat, implendo redire postularet. Non enim credendum est, divinissimam conditoris clementiam peccantem hominem in hunc mundum retrusisse quasi quadam indignatione commotam [11], aut quodam vindicandi motu cupidam [12]; his enim accidentibus divinam bonitatem carere vera ratio indicat: sed modo quodam ineffabilis doctrinae incomprehensibilisque misericordiae, ut homo, qui liberae voluntatis arbitrio in suae naturae dignitate se custodire noluerat, conditoris sui gratiam suis poenis eruditus quaereret, et per eam divinis praeceptis obediens, quae prius superbiendo neglexerat, ad suum pristinum statum cautus providusque [13] pristinae suae negligentiae superbique casus humilis atque memor rediret, unde iterum gratia ac libero suae voluntatis arbitrio custoditus [14] non caderet, nec cadere vellet, nec posset. Sed redeamus in adunationem naturarum in Christo. *Deinde*, inquit praedictus magister, *per assumptionem in caelum, profecto caelum unificavit* [15] *et terram, et cum terreno hoc corpore nobis connaturali, in spiritualem substantiam videlicet mutato, rediens in caelum, unam existentem omnem sensibilem naturam manifestavit; deinde sensibilia et intelligibilia consequenter* [16] *per omnes caelestes, divinosque, intellectuales ordines transiens, cum anima et corpore, hoc est, perfecta nostra natura adunavit totius creaturae secundum principalissimam ejus rationem concursum in se ipso perfecte inseparabilem atque immobilem ostendens; et finis in omnibus his secundum intelligentiam humanitatis, hoc est, secundum ipsam humanitatem, apud ipsum fit* [17] *Deum, apparens pro nobis, sicut scriptum est, vultui Dei et Patris, quantum homo, qui numquam ullo modo a Patre, quantum verbum, potest recedere. Ac primum adunavit nos* [18] *nobismet in seipso per ablationem secundum masculum et feminam*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *virtute.* [2] Sic CD; A *profusi.* [3] *in* om. A. [4] Sic ACD. [5] Sic C; A sane *intelligitur;* D *intellige sane.* [6] Sic CD; A *de quantitate, de qualitate.* [7] Sic A; *qui* om. CD. [8] Sic CD; A *hujus sensibilis mundi.* [9] Sic AD; C *suas causas.* [10] A *docet.* [11] Sic A; CD *commotus.* [12] Sic A; CD *cupidus.* [13] Sic CD; A *et providus.* [14] Sic BC; A *per gratiam* lib. s. vol. arb. *custodito;* D *gratiam* (*per* om.) *l. s. v. a. custodito.* [15] Sic CD; A *vivificavit.* [16] Sic CD; A intelligibilia *constituit*, consequenter cet. [17] Sic CD; A *sit.* [18] Sic CD; A *nos adunavit.*

differentiae, et pro viris et pro[1] *mulieribus, quibus* A *divisionis maxime inspicitur modus, homines solummodo proprieque vereque ostendit, mundam ferentes imaginem, quam nullo modo corruptionis notamina tangunt.* Videsne, quantum aperte denuntiat, hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum sexus differentia omnino caruisse, et adhuc, quantum in eo imago et similitudo conditoris permanet, carere, ipsamque divisionem propter peccatum secundum corpus solummodo accidisse. Quamquam enim in anima spiritales sexus intelligantur[2], νοῦς siquidem intellectus veluti quidam masculus in anima est, αἴσθησις vero, id est sensus, veluti quaedam femina, non tamen ibi cognoscimus naturae divortium, sed Christi et ecclesiae mysterium, uniusque intellectus ad Creatorem et ad creaturam contuitum. B *Et nobiscum*, inquit, *et propter nos simul omnem creaturam per medietates veluti propriarum partium extrema comprehendens, et circa se ipsum insolubiliter paradisum orbemque terrarum conjunxit, caelum et terram, sensibilia et intelligibilia; corpus quippe, et sensum, et animam secundum nos habens et intellectum, quibus quasi partibus per singula unicuique universaliter cognatum associans extremum, juxta prius redditum modum divinitas omnia in se ipsum*[3] *recapitulavit.*

13. Vim verborum intentus[4] perspice; non enim vacant virtute. *Corpus quippe*, inquit, *et*[5] *sensum et animam secundum nos habens*, Christus videlicet, *et intellectum.* His enim veluti quattuor partibus humana natura constituitur[6]. Quas partes verus C quippe homo Christus et assumpsit, et in seipso adunavit; homo siquidem perfectus factus est[7]. Nil enim hominis reliquit praeter peccatum, quod in unitatem substantiae suae non acciperet, inque semetipso non adunaret, hoc est, unum non faceret. Non enim in illo post resurrectionem quattuor sunt, sed unum; et non compositum unum, sed simpliciter unum corpus et sensus anima et intellectus. *Quibus*, inquit, *quasi partibus, per singula unicuique universaliter cognatum associans extremum.* Ac si aperte diceret: quoniam Christus quattuor humanae naturae partes accepit et in seipso adunavit, universam creaturam, hoc est, intellectualem et sensibilem assumpsisse, et in seipso adunasse manifestum est. Etenim in homine, quem totum accepit, universa D creatura condita est. *Singulis enim partibus*, ut ipse ait, *cognatum associans extremum;* cognata vocans extrema corpora omniaque visibilia. Haec enim extremitatem universae creaturae deorsum versus obtinent, sibique invicem cognata sunt; sursum vero versus alteram creaturae obtinent extremitatem omnes intellectuales essentiae, quae inter se invicem similiter cognatae sunt. Singulis ergo partibus humanae naturae cognata extrema, hoc est, connaturales naturae in Christo sociatae sunt. Corpus siquidem accipiens, quartam veluti hominis partem, omnem corporalem creaturam sibi adjunxit. Sensum vero assumens, universam[8] sensibilem sensuque utentem sibimet copulavit. Quid de anima dicendum? Nonne in ea, quam accepit, non solum rationabilem animam, verum etiam[9] omnem vitam nutritivam et auctivam[10] in se ipso associavit? De intellectu nemo sapientum[11] dubitat; humano enim intellectui, quem Christus assumpsit, omnes intellectuales essentiae inseparabiliter adhaerent. Nonne plane vides, omnem creaturam, intelligibiles dico sensibilesque mediasque naturas, in Christo adunatam? Quod breviter conclusit[12] magister dicens: *Unam subsistentem simul omnem creaturam, quasi aliquem hominem, partium suarum ad se invicem coitu completam*[13] *ostendens, et ad seipsam intuentem per universitatis substantiam*[14]; *juxta unam et simplam*[15] *et indefinibilem ex eo*[16], *quod non est deductionis, et indifferentem notitiam; per quam unam eandemque omnis creatura recipere potest causam penitus indiscretam.* Hactenus[a] de divisionibus, deque adunationibus substantiarum venerabilem magistrum, Maximum dico, secuti, quantum ad praesentis quaestionis attinet negotium, diximus. Et jam ad propositum, id est, ad eam formam universalis naturae, quae et creatur et creat, et in primordialibus causis constituta est, discutiendam, de hac enim in hoc[17] libro dicere proposuimus, si tibi videtur, redeundum. Disc. Videretur plane, si de quibusdam, quae in praedictis rationibus dicta sunt, quoniam multum me movent, clarius explanares. Mag. Dic mihi, quae sunt illa, quae inter ea, quae a me dicta sunt, valde te movent, quorumque explanationem luculentiorem poscere videris.

14. Disc. In divisionibus creatarum substantiarum secundum Maximum nihil me movet, vel[18] valde mihi obscurum videtur seu ambiguum, praeter hominis divisionem in[19] masculum et feminam, eamque non ex prima hominis conditione ad imaginem Dei, sed ex poena peccati processisse, iterumque post catholicam omnium corporum resurrectionem[20], quae in fine mundi futura est, ipsam divisionem non amplius permansuram, sed in unitatem primordialis conditionis[21] naturae[22] reversuram. Quis

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AD; *pro* om. C. [2] Sic C; AD *intelliguntur.* [3] Sic CD; A *ipse.* [4] Sic C; AD *intentius.* [5] Sic C; *et* om. A; D et *sensus.* [6] Sic AD; C *constituitur natura.* [7] Sic CD; *factus est* om. A. [8] D *universalem.* [9] Sic CD; A *et.* [10] Coni., ACD *activam.* [11] Sic AC; D *sapientium.* [12] Sic CD; A *conclusit breviter.* [13] Sic CD et Ambig. Maximi; AB *complexam.* [14] Sic C et Ambig. Maximi; ABD *substantiam.* [15] Sic CD et Ambig. Max.; AB *simplicem.* [16] Sic BCD et Ambigua Maximi; A et indiffinibilem *substantiam* ex eo cet. [17] Pro *hoc* A *primo.* [18] Sic CDE; A *nec.* [19] Sic CDE; A *inter.* [20] Sic CDE; A *resurrectionem omnium corporum.* [21] *conditionis* om. A. [22] Sic. ADE; C *terrae.*

NOTAE.

[a] Verbis *Hactenus de divisionibus* cet. textus codicis E denuo incipit.

rius ab ea per generationem loco et tempore generibus et formis procedet, quoniam in ea omnia quieta erunt, et unum individuum atque immutabile manebunt. Nam quae in processionibus naturarum multipliciter divisa atque partita esse videntur, in primordialibus causis unita atque unum sunt. Ad quam unitatem reversura, in ea aeternaliter atque immutabiliter manebunt. Sed de hac quarta universitatis consideratione, quae in solo Deo intelligitur, quemadmodum et prima, suo loco latius disputabitur, quantum lux mentium donaverit. Quod autem de prima et de quarta dicitur, hoc est, nec illa nec ista creatur, cum et [1] illa et ista unum sint [2], utraeque enim de Deo praedicantur, nulli recte intelligentium obscurum esse arbitror; a nullo enim creatur, quod causa superiori se vel sibi coaequali caret [a]. Est enim prima omnium causa Deus, quem nihil praecedit; nil ei cointelligitur, quod sibi coessentiale non sit. Videsne itaque, primam et quartam naturae formam in unum [3] esse revocatas? Disc. Satis video, pureque intelligo. Non enim in Deo prima forma a quarta discernitur. In ipso siquidem non duo quaedam, sed unum sunt. In nostra vero theoria dum aliam rationem de Deo concipimus secundum considerationem principii, aliam vero juxta finis contemplationem, duae veluti quaedam formae esse videntur, ex una eademque simplicitate divinae naturae propter duplicem nostrae contemplationis intentionem formatae.

Mag. Recte vides. Quid igitur? Num et secundam et tertiam in unum similiter debemus redigere? Non enim te latet, ut aestimo, quod, sicut prima et quarta in Creatore, ita secunda et tertia in creatura rationabiliter cognoscuntur. Secunda enim, ut praedictum est, et creatur et creat, et in primordialibus causis conditarum rerum intelligitur; tertia vero forma creatur et non creat, atque in effectibus primordialium causarum reperitur. Secunda itaque et tertia uno eodemque genere, creatae videlicet naturae, continentur, atque in ea unum sunt. Formae siquidem in genere unum sunt. Num itaque vides, quattuor formarum praedictarum duas quidem, primam videlicet et quartam, in Creatorem, duas, secundam dico et tertiam, in creaturam recollectas? Disc. Plane video, admodumque admiror rerum subtilitatem. Nam duae praedictae formae non in Deo, sed in nostra contemplatione discernuntur, et non Dei, sed rationis nostrae formae sunt, propter duplicem principii atque finis considerationem; neque in Deo in unam formam rediguntur, sed in nostra theoria, quae dum principium et finem considerat, duas quasdam formas contemplationis in seipsa

A creat, quas iterum in unam formam theoriae videtur redigere, dum de simplici divinae naturae unitate incipit tractare. Principium enim et finis divinae naturae propria nomina non sunt, sed habitudinis ejus ad ea, quae condita sunt. Ab ipsa enim incipiunt, atque ideo principium dicitur, et quoniam in eam [4] terminantur, ut in ea [5] desinant, finis vocabulo meruit appellari; aliae vero duae formae, secundam dico et tertiam, non solum in nostra contemplatione gignuntur, sed etiam in ipsa rerum creatarum natura reperiuntur, in qua causae ab effectibus separantur, et effectus causis adunantur, quoniam in uno genere, in creatura dico, unum sunt. Mag. De quattuor igitur fiunt duae. Disc. Non resisto. Mag. Quid, si creaturam Creatori adjunxeris, B ita ut nil aliud in ea intelligas, nisi ipsum, qui solus vere est; nil enim extra ipsum vere essentiale dicitur, quia omnia, quae ab eo sunt, nil aliud sunt, in quantum sunt, nisi participatio ipsius, qui a seipso solus per seipsum subsistit: num negabis, Creatorem et creaturam unum esse? Disc. Non facile negarim; huic enim collectioni resistere videtur mihi ridiculosum esse.

Mag. Universitas itaque, quae Deo et creatura continetur, prius in quattuor veluti formas divisa, iterum ad unum individuum, principium quippe causamque finemque, revocatur. Disc. De universali universalis naturae divisione et adunatione interim satis dictum video. Nam de subdivisionibus singularum formarum suis locis considerabimus, secundae dico C et tertiae; primam quippe et quartam subdivisiones recipere non facile dixerim. Ideoque ad alia, quae jam dicenda sunt, transeundum arbitror. Mag. Quid tibi videtur? Num alia tenenda est semita ad investigationem propositarum quaestionum, quam ut nunc secundam naturae formam quaeramus, quoniam de prima in priori libro, quantum facultas *suppetebat*, consideravimus, in quo magis de decem rerum omnium generibus, quod proprie de creatrice omnium causa dici non possunt [6], disputatum est, quam de ipsa omnium causa? Nam quae de ea dicenda sunt, ad quartae formae considerationem reservanda esse judicavimus, non quod et ibi de divina natura proprie quid aut digne nos dicturos esse promittamus, sed quod de reditu omnium in eam per D primordiales causas, quantum ipsa dederit, dicturi sumus. Sicut [7] in hac secunda inquisitione [8] maxime intentionis nostrae propositum, Deo largiente, constitutum est, quaedam dicere de processione creaturarum ab una et [9] prima omnium causa [10] per primordiales essentias [11], ante omnia ab ea, in ea, per eam conditas, in diversa rerum genera diver-
humanus animus ad Deum perveniet, tum divinam

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C; *et* om. AD. [2] Sic CD; A *sunt*. [3] Sic CD; A *unam*. [4] Sic C et corr. A; D in *eo*. [5] Sic AD; C in *eam*. [6] Sic CD, A *possint*. [7] Sic CD; A *sed*. [8] Sic CD; A *quaestione*. [9] D *ac*. [10] Sic CD; *causa* om. A. [11] Sic CD; A primordiales *causarum* essentias.

NOTAE.

[a] C ad marg. adscr. *Glosa. Hoc dictum est, propter divinae bonitatis tres coessentiales substantias.*

sasque formas numerosque in infinitum. Et ne mireris, si quaedam in hoc libro [1] de reditu creaturarum ad principium sui finemque dicta videris. Processio namque creaturarum earumdemque reditus ita [2] simul rationi occurrunt eas inquirenti, ut a se invicem inseparabiles esse videantur, et nemo de una absolute sine alterius insertione, hoc est, de processione sine reditu et collectione, et conversim, dignum quid ratumque potest explanare. DISC. Disputationis series nil aliud exigit, quam ut post primae quaestionis considerationem ad secundam transeamus. MAG. Universalis itaque naturae, ut jam dictum est, ea forma secunda emitet, quae creatur et creat, et non nisi in primordialibus causis rerum, ut aestimo, intelligenda est. Ipsae autem [3] primordiales rerum causae a Graecis πρωτότυπα, hoc est primordialia exempla, vel προορίσματα, hoc est, praedestinationes vel definitiones vocantur; item ab eisdem θεῖα θελήματα, hoc est, divinae voluntates dicuntur; ἰδέαι quoque, id est, species vel formae, in quibus omnium rerum [4] faciendarum, priusquam essent, incommutabiles [5] rationes conditae sunt, solent vocari. De quibus latius in processu [6] operis dicemus, testimoniisque sanctorum Patrum roborabimus. Et nec immerito sic appellantur, quoniam Pater, hoc est principium omnium, in Verbo suo, unigenito videlicet Filio, omnium rerum rationes, quas faciendas esse voluit, prius quam in genera et species numerosque atque differentias, ceteraque, quae in condita creatura aut considerari possunt et considerantur, aut considerari non possunt prae sui altitudine, et non considerantur et tamen sunt, praeformavit.

3. Sed priusquam ad primordialium causarum theoriam perveniamus, visum est mihi, sententiam venerabilis Maximi de divisione omnium, quae facta sunt, huic disputationi nostrae, si tibi placet [7], inserere. Si enim multiplex rerum omnium divisio, iterumque adunatio, multipliciter demonstrata fuerit, ad cognitionem principalium causarum, quae principaliter a Deo conditae sunt, patefacta via facilius apparebit; praesertim cum ipsius divisio a nostra praedicta [8] divisione in nullo discrepare videatur, excepto quod ille sensibilem creaturam, quam tertiam formam naturae posuimus, quoniam in ea maxime causarum effectus apparent, in tres species subdividit, quartamque nostram a prima non discernit, sicut sequentia demonstrabunt. Quam [9] subdivisionem sensibilis creaturae ad materiem nostrae quaestionis tertiae, prout Deus dederit, reservabimus. Tricesimo et septimo capitulo de Ambiguis: *Sancti*, inquit, *qui multa divinorum mysteriorum ex his, qui pedisequi et ministri fuerunt Verbi, et inde* [10] *immediate eorum, quae sunt, eruditi scientiam per successionem per eos, qui ante se erant, in se ipsos distributam accipiunt, dicunt omnium, quae facta sunt, quinque divisionibus segregari substantiam.* Videsne, quanta autoritate divisionis suae originem commendat? Ab ipso enim verbo, hoc est, Dei Filio, qui est fons totius perfectae doctrinae — merito, quia ipse est sapientia, quam omnes sapientes participant per pedisequos suos, hoc est, discipulos, qui eum et [11] in carne viventem viderunt, et docentem audierunt — inchoasse commemorat, et per apostolorum successores in doctrina et sapientia immediate, hoc est, nulla alia autoritate interposita, usque ad sua tempora traditam fuisse. *Quarum primam*, inquit, *esse aiunt eam, quae a non creata natura creatam* [12] *universaliter naturam, et per generationem esse accipientem dividit* [13]; *dicunt namque, Deum per bonitatem fecisse existentium simul omnium claram dispositionem.* Et paulo post: *Secundam vero, per quam ipsa simul omnis natura, a Deo per creationem esse accipiens, dividitur in intelligibilia et sensibilia; tertiam deinceps, per quam ipsa sensibilis natura dividitur in caelum ac terram; quartam itidem, per quam terra dividitur in Paradisum et orbem terrarum; et quintam, per quam ipse in omnibus veluti quaedam cunctorum continuatissima officina, omnibusque per omnem differentiam extremitatibus per seipsum naturaliter medietatem faciens bene ac* [14] *pulchre secundum generationem. His, quae sunt, superadditus homo in masculum feminamque dividitur, omnem habens profecto naturaliter extremorum omnium medietatibus per ipsam ad extrema omnia copulativam propriarum partium proprietatem adunationis virtutem. Partem siquidem sui*, ut idem magister alibi ait, *cum sensibilibus possidet, in quantum corpus est; partem cum intelligibilibus, in quantum anima: ideoque universam creaturam in se continet.* Et paulo post: *Hujus rei gratia novissimus introducitur in his, quae sunt, homo, veluti conjunctio quaedam naturalis universaliter per proprias partes medietatem faciens extremitatibus, et in unum ducens in seipso, multo secundum naturam a seinvicem distantia spatio.* Extremitates hic vocat invisibilem sensibilemque creaturam, quae a se invicem veluti longissimo spatio naturali differentia discrepant. Sunt enim naturarum conditarum duo extremi termini sibimet oppositi, sed humana natura medietatem eis praestat; in ea enim sibi invicem copulantur, et de multis unum fiunt.

4. *Nulla enim creatura est, a summo usque deorsum, quae in homine non reperiatur. Ideoque officina omnium jure nominatur; in ea siquidem omnia confluunt, quae a Deo condita sunt, unamque harmoniam ex diversis naturis, veluti quibusdam distantibus sonis, componunt. Ut ad Deum, utpote causalem*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *loco*. [2] *ita* om. A. [3] Sic C; *autem* om. AD. [4] Sic CD; A *rerum omnium*. [5] Sic CD; A *immutabiles*. [6] Sic CD; A *progressu*. [7] Sic CD; *si tibi placet* om. A. [8] Sic CD; *praedicta* om. A. [9] Sic CD; A *quoniam*. [10] Sic CD; A *unde*. [11] Sic CD; *et* om. A. [12] Sic CD; A *in creatam*. [13] Sic CD; A *dividitur*. [14] Sic CD; A *et*.

nem essentiae, formae perfectionisque [1] rerum. Causa siquidem, si vere causa est [2], omnia perfectissime, quorum causa est, in seipsa praeambit [3], effectusque suos, priusquam in aliquo appareant, in seipsa perficit; et dum in genera formasque visibiles per generationem erumpunt, perfectionem suam in ea non deserunt, sed plene [4] et immutabiliter permanent, nulliusque alterius perfectionis indigent, nisi ipsius unius, in qua semel et [5] simul et semper subsistunt. Disc. Non parva quidem [6] mihi videtur esse talis differentia; longe siquidem a seipsis distant primordiales causae, quae ab uno summoque omnium principio, quod a nullo est, perfectissime in suis immutabilibus rationibus conditae sunt, et informitates omnium rerum, quae non solum ad perfectionem formae nondum perveniunt, sed vix jam esse incipiunt, nec longe ex non esse recedunt. Quamvis enim videantur rerum informitates medietatis locum obtinere inter esse et non esse, incipientes ex non-esse esse [7] — siquidem ex non esse processionem quandam ad esse inchoant, nondum tamen ad perfectionem formae atque essentiaé intelliguntur pervenisse — plus appropinquare judicantur [8] ad non esse quam ad esse [9]. Nil enim est aliud [10] rerum informitas nisi motus quidam, non esse omnino deserens, et statum suum in eo, quod vere est, appetens. Primordiales vero causae ita in principio, hoc est, Dei Verbo, quod vere dicitur esse et est, conditae sunt, ut nullo motu perfectionem suam in aliquo appetant, nisi in eo, in quo sunt immutabiliter, perfecteque formatae sunt. Semper enim ad unam rerum omnium formam, quam omnia appetunt, Verbum Patris dico, conversae formantur, et formationem suam nusquam [11] nunquam deserunt. Causae quippe locorum et temporum in eis sunt; quae vero sub ipsis sunt in [12] inferioribus rerum ordinibus, ita ab eis creantur, ut ad seipsas ea attrahant, omniumque rerum unum principium [13] appetant; ipsae vero nullo modo ad ea, quae sub eis sunt, respiciunt, sed suam formam superiorem se semper intuentur, ut semper ab ea formari non desinant. Nam per seipsas informes sunt, et in ea universali sua forma, in Verbo dico, semetipsas perfecte conditas cognoscunt. Quis autem rectae intelligentiae haec, quae de primordialibus causis dici possunt, de informitate rerum dicere audebit, praesertim cum et informis rerum materia non aliunde credatur manare, nisi ex primordialibus causis [14]? Si enim primordiales causae ideo [15] primordiales appellantur, quia [16] primitus ab una creatrice omnium causa creantur, et ea, quae sub ipsis sunt, creant; nam primordiales causas et creari et creare praediximus [17]: quid mirum, si quemadmodum in numero eorum, quae post, et per [18] primordiales causas condita sunt, informem materiam esse credimus, certisque rationibus firmamus, eam quoque a primordialibus causis creari fateamur?

16. Mag. Alius igitur intellectus est [19] primordialium causarum, alius informium materiarum. Disc. Praedictis rationibus ita concedere cogimur; cetera considera. Mag. Similiter et, quod sequitur, varie tradunt. *Terra autem erat inanis et vacua*, vel, juxta LXX, *invisibilis et incomposita, et tenebrae* [20] *super faciem abyssi*. Alii namque terrae inanis et vacuae, seu invisibilis et incompositae nominatione visibilis creaturae, abyssi vero tenebrosae vocabulo invisibilis essentiae informitatem figurate significari [21] volunt. Omnis siquidem corporalis sensibilisque creatura ex materia et forma constituitur, atque ideo materia carens forma, informis dicitur, hoc est, carens forma, et invisibilis et incomposita, seu inanis et vacua; accedente vero forma visibilis dicitur et composita, solidaque atque perfecta, naturae suae certis finibus circumscripta. Invisibilis vero creatura, id est intellectualis et rationalis, informis dicitur, priusquam ad formam suam, Creatorem videlicet suum, convertatur. Non enim ei [22] sufficit ad perfectionem ex essentia essentialique differentia subsistere, his enim duobus omnis intellectualis creatura componitur, nisi ad Verbum unigenitum, Dei Filium dico [23], qui est forma omnis intellectualis vitae, conversa perficiatur; alioquin imperfecta informisque remanet. Alii terram inanem vacuamque, seu invisibilem incompositamque, dictam arbitrantur molem hanc terreni corporis primo conditam, *vacuam* quidem *atque* [24] *inanem*, ut illis videtur, *quia nondum diversis generibus formisque germinum, fruticum, animaliumque ornata erat; invisibilis vero, aut quia humidae naturae abundantia undique superfusa erat, aut quia homo, qui eam aspicere posset, nondum ex primordialibus causis per generationem eruperat; tenebras autem* [25] *super abyssum fuisse* [26] aiunt, *quia* [27] *aer, qui abysso undique* [28] *circumfusus fuerat, adhuc lucidus non erat, ideoque constitutam inter se abyssum nondum illuminare poterat*. Cui sensui quamvis sanctus Augustinus refragari videatur, non omnino tamen, quoniam sancti Basilii est, a nobis refellitur. Non enim nostrum est, de intellectibus sanctorum Patrum dijudicare [29], sed eos pie ac venerabiliter suscipere; non tamen prohibemur eligere, quod ma-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; A *formaeque et perfectionis*; D *formae ac perfectionisque*. [2] Sic CDE; A *sit*. [3] Sic CE; AD *perambit*. [4] Sic ACE; D *plane*. [5] Sic ADE; *et* om. C. [6] Sic CE; AD *siquidem*. [7] Sic CDE; A incipientes *esse ex non esse*. [8] Sic AC; D *videantur*. [9] *plus appropinquare — ad esse* om. E. [10] Sic DE; A *aliud est*; *est* om. C. [11] Sic CE; *nusquam* om. AD. [12] Sic CDE; *in* om. A. [13] Sic CDE; A *principium unum*. [14] Sic CDE; A *ex causis primordialibus*. [15] Sic CDE; A *ideae*. [16] Sic CDE; A *quae*. [17] Sic CDE; A *diximus*. [18] Sic DE; *et per* om. A; *per* om. C. [19] Sic CDE; A *est intellectus*. [20] Sic CDE; A tenebrae *erant* super cet. [21] Sic CDE; A *intelligi*. [22] Sic CE; *ei* om. AD. [23] Sic CDE; A *dico Dei filium*. [24] Sic CDE; A *et*. [25] Sic ACE; *autem* om. D. [26] Sic CDE; *fuisse* om. A. [27] Sic CDE; A *quod*. [28] Sic CDE; A *undique abysso*. [29] CDE; A *iudicare*.

gis videtur divinis eloquiis rationis consideratione A convenire. Sed si quis dixerit, praedicta prophetae verba non aliud, quam primordiales rerum causas innuere, non videbitur [1] ex veritate deviare. Quid enim? Num incredibile est, πρωτότυπον, hoc est principale exemplar corporalis naturae, quod significatur terrae nomine, quodque ante hunc mundum sensibilem perpetuo perfectissimeque Deus in principio, hoc est Pater in Filio condiderat, vacuum atque inane posse vocari? Vacuum quidem, quoniam omni sensibili in suis effectibus vacabat, priusquam in genera formasque sensibilis naturae per generationem locis temporibusque prodiret. Inane vero, quia nullam quantitatem, nil corporali mole densum, nil locis dispersum, nil temporibus mobile adhuc in eo [2] intellectus propheticus, qui in divina B mysteria est introductus, aspexerat. Haec enim vocabula, *inane* dico *et vacuum*, plus primordialis naturae ante omnia in Verbo conditae plenissimam immutabilemque significant perfectionem, quam mutabilem imperfectamque hujus mundi sensibilis informem adhuc processionem, locis temporibusque dispersam, perque generationem esse inchoantem, diversisque sensibilis creaturae numeris formari appetentem. Saepe siquidem [3] inane et vacuum etiam [4] in laudibus corporalium rerum [5] solent poni. Totum namque spatium, quod inter globum terrae chorosque siderum extremumque mundi ambitum in medio est constitutum, in duas partes a [6] sapientibus mundi divinaeque Scripturae divisum. Inferior enim pars a terra usque [7] ad lunam aer C dicitur, hoc est spiritus: superior vero a luna usque ad sidera extremae sphaerae aether, id est purus spiritus; ambae autem χῦφος [8] a Graecis, vacuum seu inane a Latinis vocantur. Sed purissimum clarissimumque illud superius spatium constat semper esse [9] serenissimum, aeternoque silentio quietum, exceptis harmonicis consonantiis [10] planetarum, omnem mortalem terrenumque [11] sensum tonorum semitonorumque [12] acumine superans, subtilissimique ignis motibus labens, diuturni [13] luminis plenum, praeter portiunculam, quam umbra terrae obtinet, quae nox appellatur, ideoque dicitur vacuum. Nec immerito, quoniam omni terrena [14] crassaque mole vacat, nulloque corporeo pondere impletur. D Planetarum etenim globi levissimi [15] et spirituales sunt, nulla [16] terrena qualitate gravantur, nullam obscuritatem efficiunt. Lunae siquidem humiditas, sordesque, quae in ea apparent, non ex suae naturae puritate, sed ex terrenae molis vaporibus, quos Graeci ἀτμίδας vocant, humidaeque abyssi vicinitate accidunt [17]. Hujus quoque corpulentioris aeris inferiorisque nebulositas et obscuritas non ex seipso, sed ex aquarum terrarumque propinquitate advenit. Unde enim nascitur lunae humiditas, inde etiam aeris nebulositas, tonitrua quoque [18] fulminaque, imbres, pluviae, nix, gelu, varii ventorum flatus [19]: non aliunde nisi ex terrenis aquaticisque vaporibus occasionem accipiunt.

17 Quid ergo mirum, si primordiales visibilium rerum [20] causae terrae inanis et vacuae vocabulo figurate insinuentur, prae nimia [21] sui [22] subtilitate ineffabilique intellectualis suae naturae simplicitate, priusquam in genera et formas sensibilesque numeros, in quibus veluti quibusdam nebulis corporeis sensibus apparent, per generationem profluerent [23], quando [24] praedicta visibilis mundi [25] spatia, propter sui subtilitatem ac paene incorporalitatem, inania seu vacua non incongrue appellantur, sicut [26] ait quidam poetarum:

Aera per vacuum saltu jaculabere corpus.

Item Virgilius in duodecimo:

Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus.

Eadem ratio est alterius interpretationis, quae dicit, terram invisibilem incompositamque fuisse. Quid enim aliud rationabilius ista invisibilitas mysticae terrae significaret, quam primordialium causarum corporalis creaturae obscuritatem, nullo coloris lumine, nulla formarum discretione adhuc declaratam, insuper etiam purissimos intellectus superantem. Merito quoque causae primordiales incompositae praedicantur; sunt enim simplices omnique compositione omnino carentes. Nam in eis est ineffabilis unitas, inseparabilisque incompositaque harmonia, universaliter differentium seu similium partium copulationem supergrediens. Quid dicam de causis principalibus intellectualis essentiae? Nonne congruentissime tenebrosae abyssi vocabulo a Spiritu sancto appellatae sunt? Abyssus enim dicuntur propter earum incomprehensibilem altitudinem, infinitamque sui per omnia diffusionem, quae nullo percipitur sensu, nullo comprehenditur intellectu, praeque ineffabilis suae puritatis excellentia tenebrarum nomine appellari meruerunt. Siquidem et sol iste sensibilis intuentibus eum saepe ingerit tenebras, non valentibus eximium sui intueri fulgorem. Tenebrae itaque erant super causarum primordialium abyssum. Nam priusquam in spiritualium essentiarum numerositatem procederent, nullus intellectus conditus [27] cognoscere eas [28] potuit, quid essent. Et

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic ACE; D *videtur*. [2] Sic ACE; D in *ea*. [3] Sic CE; AD *quidem*. [4] Sic CDE; A *et*. [5] Sic CDE; A *rerum corporalium*. [6] Sic CDE; A *est* a. [7] Sic ADE; *usque* om. C. [8] Sic CDE; A χοῦφα. [9] Sic CDE; pro *semper esse* A *superioris esse naturae*. [10] Sic CDE; A *cantilenis consonantiisque*. [11] Sic CDE; A *terrenum et mortalem*. [12] Sic A; CDE *emitonoriumque*. [13] Sic CE; A *diurni*; D *divini*. [14] Sic CE; AD *terra*. [15] Sic CDE; A *levissimi globi*. [16] Sic CDE; A *et quia* nulla. [17] Sic CE; AD *accidit*. [18] Sic DE; AC *tonitruaque*. [19] Sic CDE; A *flatus ventorum*. [20] Sic CDE; A *rerum visibilium*. [21] Sic ADE; pro *prae nimia* C *praemia*. [22] Sic CE; *sui* om. AD. [23] Sic CDE; A *defluerent*. [24] Sic CDE; A *quoniam*. [25] Sic CDE; A *visibilis mundi praedicta*. [26] Sic CDE; A *sic*. [27] Sic CDE; A *conditas*. [28] Sic CDE; A *eas cognoscere*.

adhuc tenebrae sunt super hanc abyssum, quia nullo percipitur intellectu, eo excepto, qui eam in principio formavit. Ex effectibus autem, hoc est, processionibus ejus in intelligibiles formas cognoscitur solummodo, quia est, non autem intelligitur, quid est.

18. Sed utrum mystica illa terra invisibilis, ipsaque tenebrosa abyssus et intellectualis primarum causarum perpetuo invisibilis [1] erit, abyssusque tenebrosa aeternaliter permanebit, an quandoque, hoc est, post finem hujus mundi [2] visibilis in notitiam intellectualium rationaliumque essentiarum perventurae sunt, non parva indiget indagine. Disc. Immo maxima, et ne hoc intactum praetermittas, obnixe peto. Mag. Dic, quaeso, quid tibi videtur? Num [3] primordiales rerum causae [4], quas terrae atque abyssi vocabulis significatas esse, praeque incomprehensibili atque excellenti altitudine invisibiles tenebrosasque dictas arbitramur, dum [5] per generationem in genera formasque, in numeros differentiasque rerum seu sensu seu intellectu comprehensibilium procedunt, invisibiles incomprehensibilesque esse desinunt? An semper in excellentia suae naturae, in qua ante omnia in principio conditae sunt, permanent, et sub nullum sensum intellectumve cadunt, ita ut et in rebus, quarum causae sunt, sensibus seu intellectibus quodammodo appareant, et excelsitudinem suae incomprehensibilitatis non deserant, ac veluti in tenebris quibusdam, in secretissimis dico divinae sapientiae sinibus, semper sedeant? Disc. Eas perpetuo invisibiles tenebrosasque [6] esse crediderim. Si enim ipsa sapientia Dei Patris, in qua [7] omnia facta sunt vereque subsistunt, et extra quam nihil esse intelligitur [8], in seipsa incomprehensibilis invisibilisque permanet; *lux* enim est *inaccessibilis*, omnem intellectum superans: quid mirum, si causae omnium, quae in ea, et per eam, et ad eam factae sunt, invisibiles incomprehensibilesque aeternaliter credantur esse, et incommutabiliter permanere? Et exemplo [9] nostrae naturae [10] illud possumus conjicere [11]. Nam quod intellectus noster in seipso primum rationabiliter concipit, et ad habitum purae perfectaeque intelligentiae perducit, semper et in se obtinet, et quibusdam signis extrinsecus profert. Verbi gratia, si veram cognitionem de aliquo sensibili vel intelligibili sapiens animus perceperit [12], ipsa cognitio et in eo [13] fixa permanet [14], et phantasias primo in [15] cognitionem, deinde [16] in sensus, deinde [16] in vocum signa, aliosque nutus, quibus animus secreta sua molimina gradatim descendentia solet aperire, inque aliorum animorum [17] notitiam naturalibus artificialibusque [18] progressionibus proferre non retardat [19].

Mag. Principales itaque causae et in ea, quorum causae sunt, proveniunt, et principium, id est, sapientiam Patris [20], in qua factae sunt, non relinquunt, et, ut sic [21] dicam, in [22] se ipsis permanentes invisibiles, tenebris [23] suae excellentiae semper absconditae, in effectibus suis veluti in quandam lucem [24] cognitionis prolatae, non cessant apparere. Disc. Haec probabiliter suaderi possunt. Sed nosse velim, utrum principia rerum, quae primordialium causarum nominibus appellantur, seipsa intelligunt, priusquam in ipsas res, quarum causae sunt [25], profluant, necne? Mag. Ad hoc breviter respondendum. Si Deus in sapientia sua fecit omnia quae fecit, teste Scriptura, quae dicit, *omnia in sapientia fecisti*, cui dubitare permittitur, omnia, quae in sapientia facta sunt, sicut ipsa sapientia seipsam cognoscit, et quae in ipsa facta sunt, non solum seipsa cognoscere, sed et rerum, quarum principia sunt, notitia non carere? Non enim credendum est, in divina sapientia aliquid insipiens et seipsum ignorans conditum fuisse. Sed de his diligentius alibi considerandum. Disc. Ita fiat. Nam non brevem transitoriamque quaerit indagationem, si primordiales causae seipsas sapiunt, quoniam in sapientia creatae sunt, aeternaliterque in ea subsistunt, quae nullum insipiens in se recipit [26], quomodo ex sapientibus causis multa insipientia procedunt. Non enim omnia, quae ex iis profluunt, sapientia sunt. Duas siquidem naturas sapientiae participes esse credimus, intellectualem in angelis, et [27] in hominibus rationalem: cetera vero, quae a sensibus seu intellectu [28] comprehendi possunt, sapientiae expertia existimamus [29] esse. Quamvis breviter quis respondere valeat, non esse mirum, in sapientibus exemplaribus insipientium causas subsistere, dum videmus, in solaribus radiis tenebrarum occasiones naturaliter inesse, dumque in se ipsis nullas tenebras esse sinunt, eas tamen de causis in se insitis veluti sibi oppositas gignunt.

19. Disc. Quid ergo vult quod sequitur: *Et Spiritus Dei superferebatur super aquas?* An forte hoc additum, ne aestimarentur primordiales causae non solum intellectualis rationalisque creaturae virtutem, verum etiam [30] Creatoris earum intelligibilem cognitionem prae nimia suae naturae excellentia superare? *Et Spiritus*, inquit, *Dei ferebatur super aquas.* Ac si diceret: primordialium causarum infinita incomprehensibilisque abyssus, ac per hoc invisibilis

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A *invisibilis terra perpetuo* erit. [2] Sic CDE; A *mundi huius*. [3] Sic ADE; C *non*. [4] Sic CDE; A *causae rerum*. [5] Sic CDE; A *cum*. [6] Sic CDE; A *tenebrasque*. [7] Sic CD; AE *quo*. [8] Sic CDE; A *intelligitur esse*. [9] Sic CE; AD Mag. *Exemplo*. [10] Sic A; CDE *naturae nostrae*. [11] Sic CDE; A *concipere*. [12] Sic CDE; A *percepit*. [13] Sic CDE; A *ipso*. [14] Sic A; CDE *permaneat*. [15] Sic CDE; A primo *mittit* in. [16] Sic CDE; A *demum*. [17] Sic CDE; A *animorum aliquorum*. [18] Sic CDE; A *artificialibusve*. [19] Sic CDE; A *tardat*. [20] Sic CDE; A *patris sapientiam*. [21] Sic ADE; C *ita*. [22] Sic ADE; C *sicut in*. [23] Sic CDE; A *tenebrisque*. [24] Sic CDE; A *lucem quandam*. [25] Sic ADE; C *quibus clausae sunt*. [26] Sic ADE; C *recepit*. [27] Sic CDE; *et* om. A. [28] Sic CDE; A seu *ab* intellectu. [29] Sic CDE; A *arbitramur*... *ardimus*. [30] Sic CDE; A *et*.

tenebrosaque merito appellata, non ita omnem intellectum rationemque altitudine obscuritatis suae effugit, ut etiam a Spiritu Dei comprehendi et superari non possit. Deus namque ipsas veluti quaedam fundamenta principiaque naturarum omnium, quae ab eo sunt, in principio fecit, supereminentique infinita [1] sua gnostica virtute eas comprehendit, spiritusque ejus non locali vehimine, sed cognitionis eminentia eis superfertur. Potest et sic dici : *Spiritus Dei superferebatur super aquas.* Non enim primordiales omnium causas tantae excellentiae esse credere debemus, ut nulla superior [2] eas causa praecedat [3], quae eas superat. Est enim una eademque omnium causa, ex qua, et per quam, in qua [4], et ad quam rerum omnium causae atque praecedentes occasiones primitus factae sunt. Ideoque omnibus B superferri non immerito Scriptura testatur, quia universae creaturae a se inchoantis esse ordinem praecedit, et in eam desinit. Non quod in ea hoc prius et hoc posterius ratione temporum creatum sit, simul enim et semel [5] omnia aeternaliter in ipsa sunt [6], et ab ipsa facta sunt, sed quod ordine ineffabili incomprehensibilique omni intellectui divina providentia universitatem conditae naturae ex non-existentibus in existentia produxit, quadam essentiali dignitate alia aliis [7] praeferuntur, ita ut ea, quae circa universalem omnium causam, ipsum Deum dico, proxime atque immediate, hoc est [8], nulla superiori creatura [9] interposita creduntur et intelliguntur esse, principalissima conditae universitatis principia jure praedicentur, C ac deinde alia ex aliis a summo usque deorsum, hoc est, ab initio intellectualis creaturae usque ad omnium infimum, quod est corpus, descendunt. Spiritus ergo Dei super tenebrosam abyssum causarum omnium primordialiter factarum superfertur, quia solus conditor spiritus conditas causas cognitionis excellentia supereminet, omniumque causarum, quas [10] creaverat, una ac sola praecedens et superexcellens causa est, et principalissimus fons omnium, quae a se in infinitum profluunt, et in se recurrunt, et a nullo alio, si de Spiritu sancto proprie intelligitur, nisi a Patre manat. Ab ipso enim est Filius per ineffabilem generationem, in quo ut in principio fecit omnia; ab ipso est Spiritus sanctus per [11] processionem, qui fertur super omnia. Pater siquidem vult, Filius facit, Spiritus sanctus perficit. Nec hoc theologiae videtur obsistere, quae dicit, *Patrem in Filio omnia fecisse.* Non enim aliud est Patrem velle omnia fieri, et aliud Patrem in Filio omnia facere, sed unum atque idipsum est [12] Patrem

A velle et Patrem facere; ipsius enim actio suum velle est. Nam et de Filio et Spiritu sancto similiter intelligendum [13]. Eorum siquidem operatio nil aliud est, quam eorum voluntas. Nec alia voluntas est Patris, alia [14] Filii, alia [15] Spiritus sancti, sed una eademque voluntas, unus amor trium substantiarum unius essentialis bonitatis, quo se movet Pater facere omnia [16] in Filio, perficere [17] in Spiritu sancto. Et quod [18] facit Filius, et [19] Spiritus sanctus perficit [20], totum refertur ad Patrem facientem et perficientem, quia ex ipso sunt omnia. Ex ipso enim est Filius per generationem, qui facit omnia; ex ipso est Spiritus [21] sanctus per processionem, qui perficit omnia : summa Trinitas, quae intelligitur esse ex his quae sunt, et sapiens esse cognoscitur ex his quae sapiunt, et vivere ex his, quae moventur, manifestissime approbatur [22]. Est igitur, et sapit, et vivit. Si autem, sicut quidam Syrus transtulisse fertur, qui, ut ait sanctus Basilius, tantum a mundana sapientia recessit, quantum verorum doctrinae appropinquavit, sic legatur : *Et Spiritus Dei* [23] *fovebat aquas,* facilior intellectus occurrit. Spiritus enim sanctus causas primordiales, quas Pater in principio, in Filio videlicet suo fecerat, ut [24] in ea, quorum causae [25] sunt, procederent, fovebat, hoc est, divini amoris fotu nutriebat. Ad hoc namque ova ab alitibus, ex quibus haec metaphora assumpta est, foventur, ut intima invisibilisque vis seminum, quae in eis latet, per numeros locorum temporumque in formas visibiles corporalesque pulchritudines igne aereque in humoribus seminum terrenaque materia operantibus erumpat.

20 Disc. Nec hoc sano intellectui repugnat, sed brevem luculentamque ἀνακεφαλαίωσιν, hoc est, recapitulationem velim a te fieri, quatenus clarius distinctiusque valeam intelligere, quae verba specialiter praedictae sacrae Scripturae primitivas rerum causas, quae causarum [26] omnium causam volunt significare. Mag. Adesto igitur ad haec diligentius intuenda. Disc. Praesto sum. Mag. Primitivas causas, quas sanctus Dionysius *principia rerum omnium* vocat, simpliciter generaliterque significatas esse his verbis intellige : *In principio fecit Deus caelum et terram,* hoc est, Deus in verbo suo intelligibilium D essentiarum sensibiliumque universaliter causas condidit. Sed propheta quae generaliter pronuntiavit, specialiter dividere voluit. Causas itaque sensibilium rerum, quibus mundus iste conficitur, praeque nimia suae naturae subtilitate mentis oculis incontemplabiles, eximiaque sui puritate omni corporea cras-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic DE; *infinita* om. AC. [2] Sic CDE; A *superior nulla.* [3] Sic CDE; A *praecedat causa.* [4] Sic CDE; A *et* in qua. [5] Sic CE; A *cum simul* et semel; D *simul et semel* (*enim* om.) [6] Sic CDE; A *sint.* [7] Sic CDE; A *quorum alia aliis quadam essentiali dignitate.* [8] Sic CE; *hoc est* om. AD. [9] Sic CDE; A *creatura superiori.* [10] Sic ADE; C *quae.* [11] Sic ADE; *per* om. C. [12] Sic CDE; A *esse.* [13] Sic CDE; A intelligendum *est.* [14] Sic CDE; pro *alia* A *et.* [15] Sic CDE; A *aliave.* [16] A Sic CDE; A *in filio omnia.* [17] Sic CDE; A *et* perficere. [18] Sic CDE; A *quidquid.* [19] Sic CDE; *et* om. A. [20] Sic CDE; A *perficit Spiritus sanctus.* [21] Sic CDE; A est *et* Spiritus; [22] Sic CDE; A *comprobatur.* [23] *Dei* om. C. [24] Sic CDE; A *et* ut. [25] Sic CDE; A *causa.* [26] Sic CDE; A *causas causarumque.*

situdine carentes. his verbis insinuatas esse cognosce : *Terra autem erat invisibilis et incomposita ;* sic enim translulerunt Septuaginta [1]; seu secundum hebraicam veritatem : *Terra autem erat inanis et vacua* [2]. Deinde caelestium invisibiliumque [3] essentiarum primitiva principia, tanta altitudine tantaque subtilitate obscuritateque suae conditionis omnem intellectum superantia, his verbis noveris esse introducta utriusque interpretationis consonantia : *Et tenebrae erant super abyssum* [4]. Quoniam [5] vero causarum omnium causa, omniumque principiorum principium singularisque fons, ex quo omnia, quae in caelo et in terra sunt [6], profluunt, inaccessibili incomprehensibilique lucis suae excellentia omnia, quae in primordialibus causis condidit, superexaltat, et supercognoscit, superessentialitatem superexcellentiamque [7] ipsius his verbis inspice esse intimatam : *Et Spiritus Dei superferebatur* [8] *super aquas*. Nam quod specialiter theologia de Spiritu sancto protulit, hoc communiter de summa sanctaque Trinitate sana fides et credit [9] et intelligit. Sancta etenim [10] et inseparabilis Trinitas [11] infinite abysso a se conditae excellentia suae essentiae sapientiaeque superfertur. Si vero illum Syrum, quem sanctus Basilius in Exemero suo magnis laudibus praedicat, qui pro eo, quod alii interpretes posuere, hoc est [12] : *Et Spiritus Dei superferebatur* [13] *super aquas*, interpretatus est e syra lingua, quae hebraicae vicina est : *Et Spiritus Dei fovebat aquas*, vel : *Et Spiritus Dei fecundabat aquas*, sequi volueris, divinam pietatem, altitudine suae clementiae tenebrosam primordialium causarum abyssum superantem, eamque foventem et fecundantem, ut ex occultis ignotisque suae naturae [14] finibus in cognitionis facultatem per generationem, perque in [15] genera ac [16] formas speciesque proprias sensibilium intelligibiliumque substantiarum multiplicem processionem, in suos varios innumerabilesque prodirent effectus, his verbis insinuatum reperies : *Et Spiritus Dei fovebat aquas*, ac per hoc summam ac [17] singularem omnium causam, sanctam dico Trinitatem, aperte declaratam his verbis intellige : *In principio fecit Deus caelum et terram*, Patrem videlicet Dei nomine [18], Verbumque ejus principii appellatione, et paulo post Spiritum sanctum ubi ait : *Spiritus Dei superferebatur* [19]. Non enim de alio spiritu hunc locum sacra Scriptura protulit. Ecce habes et [20] causas primordiales, et causarum causam praedictis theologiae

A verbis aperte distincteque, ni fallor, declaratas. Disc. Habeo plane, libenterque accipio, Dei nomine Patrem, principii Filium [21], Spiritus Dei Spiritum sanctum significatos, terrae vero vocabulo visibilium causas, abyssi intelligibilium indicatas, divinae vero naturae supereminentiam, hoc est, altitudinem causae causarum superlationis seu fotus seu fecunditatis symbolo esse suasam. Mag. Prius itaque quam ad senariae quantitatis primordialium causarum in sex intelligibiles primas dies a theologia distinctarum veniamus considerationem, pauca de prima summaque omnium causa, de sancta dico Trinitate, dicenda arbitror, si tibi videtur.

Disc. Nil avidius quaesierim, nil lubentius audierim [22], nil salubrius crediderim, nil altius intellexerim, B quam quod de universali omnium ineffabili fonte veris probabilibusque dicitur investigationibus. Non enim alia fidelium animarum salus est, quam de uno omnium principio, quae vere praedicantur, credere, et quae vere creduntur, intelligere. Mag. Dic itaque, quaeso, quid intelligis, quando theologiam dicentem audis : *In principio fecit Deus?* Disc. Nil aliud nisi [23] quod inter nos convenerat, Patrem in Verbo suo omnia fecisse. Dum enim Deum audio, Deum Patrem cogito, dum principium, intelligo Deum Verbum. Mag. Quid est [24], quod Theologus ait : *In principio fecit Deus?* Utrum intelligis, Patrem Verbum suum primo genuisse, ac deinde caelum et [25] terram in eo fecisse? An forte suum verbum [26] aeternaliter genuit, et in ipso aeternaliter omnia C fecit, ita ut nullo modo processio Verbi a Patre per generationem praecedat [27] processionem omnium de nihilo in Verbo per creationem [28]? Et ut manifestius dicam, utrum primordiales causae in Verbo Dei, in quo factae sunt, non semper fuerunt, et erat Verbum, quando non erant causae? An coaeternae ei sunt, et nunquam erat Verbum sine causis in se conditis, et nullo alio modo intelligitur Verbum causas in se conditas praecedere, nisi quod Verbum creat causas [29], causae vero creantur a Verbo et in Verbo? Disc. Illud primum non omnino concesserim. Non enim video [30], quomodo possit temporaliter praecedere generatio Verbi ex Patre creationem omnium a Patre in Verbo et per Verbum, sed haec coaeterna sibi esse [31] arbitror, generationem dico Verbi, et D creationem omnium in Verbo; nullum quippe in Deo accidens aut temporales motus aut temporales processiones recte quis existimat [32]. Hoc autem, quod

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CD; A *septuaginta interpretes* [2] *sic enim — vacua* om. C. [3] Sic C et corr. A; DE *intelligibiliumque.* [4] Sic CDE. A super *aquas.* [5] Sic CDE; A *quomodo* [6] Sic AC; *sunt* om. D; E quae in caelo *et* quae in terra sunt. [7] Sic CDE; A *superque excellentiam.* [8] Sic CD; AE *ferebatur.* [9] Sic CDE; A *et credit sana fides* [10] Sic CDE; A *enim.* [11] Sic CDE; A *unitas.* [12] Sic CDE; *hoc est, et* om A. [13] Sic CDE; A *ferebatur.* [14] Sic CDE; A *naturae suae.* [15] Sic CDE; *in* om. A [16] Sic CDE; pro *ac* A *in.* [17] Sic CDE; A *et.* [18] Sic DE; A *in* Dei nomine; C *et* Dei nomine. [19] Sic CDE; A *ferebatur super aquas* (*super aquas* om. CDE). [20] Sic CDE; *et* om. A. [21] Sic CDE; A filium *Dei.* [22] Sic CDE; *nil lubentius audierim* om. A. [23] Sic CDE; A *quam.* [24] Sic CDE; pro *est* A *de hoc.* [25] Sic CDE; A *ac.* [26] Sic CE; AD *verbum suum.* [27] Sic CDE; A *praecedet.* [28] Sic ADE; pro *per creationem* C *procreationem.* [29] Sic CDE, A *causas creat.* [30] Sic CDE; A *dico.* [31] Sic CDE; A *esse sibi.* [32] Sic CDE; A *quis existimat recte.*

posterius propositum [1] est, non incongrue concesserim, hoc est, generationem Verbi a Patre nullo modo creationem omnium in Verbo a Patre temporaliter praecedere, sed coaeternam sibi esse. Nam et Propheta dicit Patrem alloquens : *Omnia in sapientia fecisti.* Simul enim Pater et sapientiam suam genuit, et in ipsa [2] omnia fecit. Et alibi idem Propheta ex persona Patris ait : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico [3] ego opera mea regi.* Ac si aperte diceret, ex secreto substantiae meae Verbo in eo nascente opera mea in eo facio [4], quae ego ipsi [5] regnanti do. Item iterum ad Patrem : *Tecum principium in die virtutis tuae.* Ac si dixisset : Tecum semper est, et in te principium omnium, hoc est, Verbum tuum. Si ergo semper principium est [6] in Patre et cum Patre, nunquam erat et principium non erat, sed semper principium. Et quia [7] non accidit ei principium esse, nunquam sine his, quorum principium est, erat [8]. *In die virtutis tuae. In die*, hoc est, in notitia intellectualis et rationalis creaturae generationis a te [9]. *Virtutis tuae*, hoc est, sapientiae tuae. Dies enim virtutis Patris in hoc loco non incongrue intelligitur cognitio ineffabilis nativitatis Dei Verbi ex Deo Patre, quantum datur creaturae [10] intelligere quod superat omnem intellectum, et ad lucem inaccessibilem conceditur accessus per theophanias, hoc est, divinas apparitiones, quas theologia puris intellectibus ingerit, et ineffabili modo, nullique cognito infigit, ut de [11] omnino per seipsum incognito habitum quendam verae cognitionis in semetipsis possideant. Virtus enim Patris est sapientia Patris, in qua omnia fecit. Sed illa cognitio divinae generationis adhuc in me est per fidem, in angelo est [12] per speciem; immo etiam [13] nec in me est per speciem, nec in angelo [14]. *Generationem enim ejus quis enarrabit?* Nullus quippe hominum, nulla caelestium virtutum generationem Verbi a Patre potest cognoscere, quomodo, vel qualis est; sicut [15] nemo novit hominum vel angelorum, quid est vel quis, qui [16] genuit, et [17] quis est vel quid est, quod genitum est; sed solus novit quid genuit, qui genuit, et quomodo [18] genitum est, quod [19] genitum est [20], et, qui genuit, novit seipsum, quid [21] est, et quomodo, et qualiter genuit, quod [22] de se genuit; similiter quod [23] genitum est, novit seipsum, quid [24] est, et quomodo, et qualiter genitum est, et novit eum, qui se genuit, quis [25], et quid est. Si enim nemo novit Patrem nisi Filius, et cui vult Filius revelare, nonne consequens est [26] dicere, nemo novit Filium nisi Pater, et cui vult Pater revelare? Ita ut intelligamus, revelare [27] per theophanias; nam essentiam Patris et Filii et Spiritus sancti, atque substantias eorum per seipsas immediate [28] creaturae revelari impossibile est. Similiter de modo et qualitate divinae generationis intelligendum, si tamen proprie dicitur de divina natura *quis* et *quid*. Plus enim est quam persona, et [29] plus est quam substantia, similiter, si proprie modus et qualitas de ea natura praedicanda sunt [30], quae superat omnem modum omnemque qualitatem, ceteraque, quae secundum accidens dicuntur. De quibus in priori [31] libro inter nos convenit. Sequitur : *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te* [32]. Ordo verborum : ex utero genui te *in splendoribus sanctorum ante luciferum*. Uterum [33] hic intellige secretos paternae substantiae sinus, ex quibus unigenitus Filius [34], qui est Verbum Patris, natus est, et de quibus semper nascitur, et in quibus, dum semper nascitur, semper manet. De quibus in Evangelio dictum est : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus autem Filius* [34'] *qui est in sinibus* [35] *Patris, ipse narrabit.* Non enim separatur a Patre, quia [36] aeternaliter et incommutabiliter est in Patre, sicut ipse ait : *Ego in Patre et Pater in me.* Pater igitur *ex utero* suo genuit Filium suum *in splendoribus sanctorum.* Nascente enim Filio ex Patre splendores fiunt sanctorum, hoc est, cognitiones electorum, et praedestinationes substantiales in Verbo Dei, qui nos, apostolo teste, ante tempora secularia praedestinavit in regnum. Non dixit ante tempora aeterna; tempora enim aeterna sunt [37] Patris et Filii et Spiritus sancti coessentialis aeternitas, in qua substantiales splendores sanctorum, omniumque rerum primordiales causae aeternaliter conditae sunt, ipsarumque causarum effectus et [38] praesciti et praedestinati fuerunt; sed ante tempora secularia, in quibus causae semel ac [39] simul aeternaliter in principio factae, ordine quodam seculorum similiter praedefinito atque praecognito, in effectus suos sive visibiles sive invisibiles, divina providentia administrante, procedunt. Praedestinationes siquidem et praecognitiones sanctorum, quas Psalmista *fulgores* nominat, rerumque omnium visibilium et invisibilium rationes Patri et Filio coaeternas esse credimus. *In Verbi enim Dei dispensatione*, ait Augustinus, *non facta, sed aeterna sunt.* Non facta dicit, adhuc temporibus et locis per generationem,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A *positum.* [2] Sic AC; DE in *quo.* [3] Sic CDE; A *dedico.* [4] Sic CDE; A *facio in eo.* [5] Sic CD; A *illi*; E *ipse.* [6] Sic CDE; *est* om. A. [7] Sic CDE; A *quare.* [8] Sic CDE; A nunquam *erat sine his, quorum principium est.* [9] Sic DE; A *a te generationis*; C generationis *ait.* [10] Sic CE; AD *naturae.* [11] Sic ADE; C *unde.* [12] Sic CDE; *est* om. A. [13] Sic CDE; A *et.* [14] Sic CE; A *nec in me, nec in angelo est per speciem*; D *nec in me est per speciem nec in angelo.* [15] Sic CDE; A *nam nemo* est. [16] Sic CE; *qui* om. AD. [17] Sic CDE; A *vel.* [18] Sic DE; A *quia.* [19] Sic DE; A *quidquid.* [20] *sed solus — genitum est* om. C. [21] Sic CDE; A *et* quid. [22] Sic CDE; A *quidquid.* [23] Sic CDE; A *quidquid.* [24] Sic ADE; C *quod.* [25] Sic CDE; A quis *est.* [26] Sic CDE; A *erit.* [27] Sic CDE; A *revelari.* [28] Sic C; A *immediatae*; DE *inmedietate.* [29] Sic CDE; *et* om. A. [30] Sic CDE; A *sit.* [31] Sic ACE; D in *primo.* [32] A *ex V. A. L. G. te.* [33] Sic CE; A *Et iterum*; D *Verum.* [34] — [34'] Sic CDE; *Filius* om. A. [35] Sic CDE; A *sinu.* [36] Sic CDE; A *qui.* [37] Sic CDE; A *sunt enim tempora aeterna* Patris et. [38] Sic CDE; *et* om. A. [39] Sic CE; AD *et.*

facta vero aeternaliter in Verbo juxta primordialium causarum conditionem *In principio enim fecit Deus caelum et terram* [1]. Idem alibi : *Verbum Dei*, inquit [2], *per quod facta sunt omnia*, ubi incommutabiliter vivunt omnia, non solum quae fuerunt [3], sed quae futura sunt ; nec tamen in illo fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt, et omnia sunt, et omnia unum sunt, et magis unum est [4]. Item Joannes Theologus in Evangelio : *Quod factum est in ipso, vita erat*. *In splendoribus* itaque *sanctorum Pater ex utero suo* [5] *suum genuit Filium*, hoc est, in Filio suo [6] unigenito cognitionem futurorum sanctorum genuit, immo etiam [7] eos creavit. Sanctorum quippe in sapientia Patris cognitio, eorum est creatio. Intellectus enim omnium in Deo essentia omnium est. Siquidem id ipsum est Deo cognoscere, priusquam fiant, quae facit, et facere quae cognoscit : cognoscere enim [8] et facere Dei unum est. Nam cognoscendo facit, et faciendo cognoscit [9]. Cognitio non praecedit factum, nec factum praecedit cognitionem, quia [10] semel et simul sunt omnia coaeterna praeter [11] rationem creantis et creati. Non enim Deus cognovit omnia, postquam facta sunt, sed antequam facta essent, cognovit omnia, quae facienda erant. Et quod est mirabilius, propterea omnia sunt, quia praecognita sunt. Nihil enim est aliud omnium essentia, nisi omnium in divina sapientia cognitio. *In ipso enim vivimus, et* [12] *movemur, et sumus. Cognitio* enim, ut ait sanctus Dionysius, *eorum quae sunt, ea, quae sunt, est. Splendores* igitur *sanctorum* sunt eorum in sapientia divina, et in primordialibus suis [13] causis clarae cognitaeque Deo substitutiones. Et hoc totum *ante luciferum*, hoc est, et nativitas Verbi ex Patre, et splendor cognitionis sanctorum, immo etiam omnium naturarum [14], in principalibus suis causis praecedit luciferum. Sed quis est iste lucifer, ante cujus ortum praedicta omnia intelliguntur esse, multis variisque modis a sapientibus tractatur, quorum sententias longum est modo introducere. Nam [15] quod per Isaiam prophetam dicitur : *Quomodo cecidit de caelo lucifer mane oriens ?* de diabolo aperte intelligitur, deque ejus corpore, quod maxime in impiis et apostatis et haereticis [16] dignoscitur constitutum [17]. Psalmistae autem lucifer quibusdam videtur in significatione [18] ipsius clarissimae stellae, quae solet ortum solis praecedere ante cujus stellae apparitionem sursum versus horizontem, Christus secundum carnem ex Virgine natus traditur, sicut [19] sanctus pater Augustinus in Decadibus suis scribit. Sed quoniam sacrae Scripturae interpretatio infinita est, quod praesenti disputationi magis convenire videtur, quia non satis video, dic [20], quaeso, atque edissere.

21. Mag. Mihi quidem in hoc loco mea sufficit [21] simplicitas, quia non convenit [22] aliorum sagacitas. Lucifer iste mysticus atque propheticus, ante cujus ortum splendores sanctorum in Verbo Dei unigenito intelliguntur esse, istum mundum visibilem significare videtur verisimile, ea forma locutionis, quae graece dicitur συνεκδοχή, et interpretatur conceptio, qua forma pars a toto, totumque a parte significatur. Prius igitur quam [23] mundus iste visibilis in genera et species omnesque numeros sensibiles per generationem procederet, ante tempora secularia, Deus pater Verbum suum genuit, in quo et per quod [24] omnium naturarum [25] primordiales causas perfectissimas creavit, quae divina providentia administrante mirabili quadam harmonia processionibus suis per generationem, numeris locorum et temporum [26], generum quoque ac specierum multiplicibus differentiis hunc mundum visibilem ab initio, quo coepit, usque ad finem, quo desinet esse, non abolitione essentiae, sed qualitatum et quantitatum mutatione naturali cursu perficiunt. Et ne mireris, totum hunc mundum parte sua significari [27], quae est lucifer, cum videas, per ipsum solem, cui semper lucifer adhaeret [28], non enim longe ab eo recedit, sed aut paulo ante ipsum orientem oritur, aut paulo post occidentem occidit, hunc eundem mundum sensibilem mystice significari, dicente Salomone : *Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est. Quid est quod futurum est ? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum*. Solem [29] siquidem non incongrue hic intelligimus omnem visibilem creaturam. Non enim solummodo de ea parte mundi hujus [30], quae intra solarem circulum comprehenditur [31], terram [32] dico aquarumque naturam, aera quoque cum inferiore [33] aetheris parte, qua lunaris globus volvitur, his verbis theologi significantur, verum etiam [34] supra mundi spatia a solari linea usque ad extremum caelestis sphaerae ambitum. In his enim omnibus sub sole, hoc est, sub mundo non [35] est novum, sive quis intelligat, nil novum esse in praesentis vitae curriculo, quod prius in naturali rerum ordine [36] non appa-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *fecit D. C. et T.* [2] Sic CDE; *inquit* om. A. [3] Sic CDE; A *fuere*. [4] Sic CDE. [5] Quae post verba *ex utero suo* usque ad verba *essentiae sed qualitatum et quantitatum mutatione naturali cursu perficiunt* (cap. 21) leguntur in cod. E desunt. [6] Sic CDE; *filio suo* om. A. [7] Sic CD; A *et*. [8] Sic CD; A *ergo*. [9] Sic CD; A *cognoscit faciendo*. [10] Sic CD; A *quare*. [11] Sic CD; A *propter*. [12] Sic CD; *et* om. A. [13] Sic CD; *suis* om. A. [14] Sic CD; A immo *et naturarum omnium*. [15] Sic CD; A *namque*. [16] Sic CD; A *et haereticis et apostatis*. [17] Sic C; A *constitutum intelligitur;* D *constitutum dignoscitur*. [18] Sic CD; A *significationem*. [19] Sic CD; A *sic*. [20] Sic CD; A videtur, *dicendum arbitror*. Disc. *Dic*, quaeso cet. [21] Sic CD; A *sufficiat*. [22] Sic AD; C *cognovit*. [23] Sic CD; A *priusquam igitur*. [24] CD per *quem*. [25] Sic CD; A *naturarum omnium*. [26] Sic AD; C *corporum*. [27] Sic A; *significari* om. CDE. [28] Sic CDE; A *adhaeret lucifer*. [29] Sic CDE; A *Per* solem. [30] Sic CDE; A *eae partes hujus mundi ;* C *de ea aperte mundi hujus*. [31] Sic CDE; A *comprehenduntur*. [32] Sic CDE; A *terrarum*. [33] Sic CDE; A *inferioris*. [34] Sic CDE; A *et*. [35] Sic CDE; A *nihil*. [36] Sic CDE; A *non appareret in naturali rerum ordine*.

reret; nil enim aliud in temporibus praeter earundem rerum revolutionem sentitur et intelligitur: sive, ut Maximus hunc Scripturae intelligit locum [1], *quod ante hunc mundum fuit, id ipsum futurum est post mundum* [2], id est, ea sola, quae aeterna sunt, ante hunc mundum fuerunt, et post eum [3] futura sunt. Et nihil sub sole novum, hoc est [4], quicquid novum sub hoc mundo est, nihil est; mundus enim iste totus novus dicitur, quia aeternus non est, et in tempore ortus est; ideoque nihil est; peribit enim cum omnibus, quae in eo sunt, teste Psalmista, qui ait: *Opera manuum tuarum sunt caeli, ipsi peribunt*. Si autem maxima pars mundi, quae caelum esse perhibetur atque pulcherrima, ceterasque partes undique ambire non ignoratur, peritura sit, putasne: quod in ceteris suis partibus interioribus [5] vilioribusque permanere praevalebit [6]? In omni enim corpore compacto, dum ea, quae continent, pereunt, quae continentur, remanere [7] non possunt. Sed quia ad nihilum penitus redire non poterit [8], quoniam ex [9] Deo factus est, et omne, quod ex Deo factum est, semper manet: quid in eo peribit et quid [10] non peribit, diligenti indagine quaerendum, et in aliud tempus reservandum. Nunc autem, quod instat, sequere. Disc. Caute ac vigilanter disputas. Mag. Coaeternae igitur sunt [11] principales [12] rerum omnium causae Deo, et principio, in quo factae sunt. Nam si Deus nullo modo praecedit principium, id est Verbum a se ac de se genitum, ipsumque Verbum nullo modo praecedit factas in se rerum causas, sequitur, haec omnia, Deum Patrem dico, et [13] Verbum, rerumque [14] causas in eo factas coaeterna esse. Disc. Non omnino coaeterna sunt. Nam Filium Patri coaeternum esse [15] omnino credimus, ea vero, quae facit Pater in Filio, coaeterna esse Filio dicimus, non autem omnino coaeterna: coaeterna quidem, quia nunquam fuit Filius [16] sine primordialibus naturarum causis [17] in se factis. Quae tamen causae non omnino ei, in quo factae sunt, coaeternae sunt; non enim factori facta coaeterna esse possunt; praecedit enim factor ea quae facit. Nam quae omnino coaeterna sunt, ita sibi invicem coadunantur, ut nullum sine altero possit manere, quia coessentialia sunt. Factor autem et factum, quoniam coessentialia non sunt, non coguntur esse coaeterna, coguntur autem semper esse relativa et simul esse, quia factor sine facto non est factor, et factum sine factore non est factum. Hinc conficitur, quod ideo primordiales rerum causas Deo coaeternas esse [18] dicimus, quia semper in Deo sine ullo temporali

A principio subsistunt, non omnino tamen Deo esse coaeternas, quia [19] non a seipsis, sed a suo Creatore incipiunt esse; ipse vero Creator nullo modo incipit esse [20]; solus enim ipse est vera aeternitas, omni principio omnique fine carens, quia ipse est principium omnium et finis. Non enim vera est aeternitas, quae quodammodo incipit esse, sed vere aeternitatis, quae ἄναρχος est, hoc est, omni caret principio, participatio est. Omnis autem creatura incipit esse, quia erat, quando non erat: erat in causis, quando non erat in effectibus. Non omnino igitur vere aeternitati coaeterna est. Si autem in ipsa causa causarum omnium, in Trinitate dico, quaedam intelligitur praecessio [21]; Deitas enim gignens et mittens praecedit Deitatem genitam et Deitatem proceden- B tem ex gignente et genita, dum sit una et inseparabilis Deitas: num [22] mirum aut incredibile, causarum causam [23] omnium omnia, quorum causa est, praecedere, et in ea commutabiliter aeternaliterque sine temporali initio fuisse? Si ergo Pater occasiones rerum, quas fecit in Filio eo modo, quo factor facta sua, et Verbum ea, quae Pater in se [24] fecit eo modo, quo ars artificis eas rationes, quae in ea ab artifice conduntur, praecedit: quid obstat, si sanctus Spiritus [25], qui super abyssum primordialium causarum, quas Pater in Verbo creavit, superfertur, his, quibus superfertur, praeesse intelligatur? Spiritus ergo sanctus mysticas aquas, quas fovet et fecundat, in seipso aeternaliter aeternitatis suae C virtute et superat et praecedit. Sed si haec rationabiliter responsa sunt de conditione principiorum, quid veluti specialiter Patri, quid Verbo, quid sancto Spiritui attribuendum videtur, plane edisseras flagito.

22. Quanquam enim trium substantiarum divinae bonitatis una atque eadem communisque credatur et intelligatur esse operatio, nulla tamen differentia ac proprietate dicendum est carere; sunt enim, quae singulis personis veluti quadam proprietate a sancta theologia distribuuntur, quorum exempla nota tibi esse non dubito. Sed ut paucis utamur exemplis, proprium Patris audiamus divino ore loquente: *Dum venit plenitudo temporum* [26], *misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum ex lege* [27], proprium D Filii: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* [28], et reliqua. Proprium Spiritus sancti in administratione incarnationis Verbi [29] Evangelium manifestat, dicente angelo de sancta Dei genitrice: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A hunc *locum Scripturae intelligit*. [2] Sic CE; A post *eum* (*mundum* om. D). [3] Sic CDE, *post eum* om. A. [4] Sic CDE; A *id* est. [5] Sic CDE; A *inferioribus*. [6] Sic CDE; A *permanebit*. [7] Sic CDE; A *retinere permanentiam*. [8] Sic CDE; A *potuit*. [9] Sic CDE; A *a*. [10] Sic ADE; A *quid*; C *quod*. [11] Sic CDE; A *sunt igitur*. [12] Sic CDE; A *primordiales*. [13] Sic CDE; *et* om. A. [14] Sic CDE; A *rerum*. [15] Sic CDE; *esse* om. A. [16] Sic CDE; *filius* om. A. [17] Sic CDE; A sine *primordialibus causis Filius naturalibus et* in se factis cet. [18] Sic CDE; *esse* om. A. [19] Sic CDE; A *quae*. [20] *ipse vero Creator — incipit esse* om. C. [21] Sic CDE; A *processio*. [22] Sic CDE; A *non*. [23] Sic CDE; A *causarum omnium causam*. [24] Sic CDE; A in *Filio*. [25] Sic CE; AD *Spiritus sanctus*. [26] Sic CDE; A temporis. [27] Sic CDE; A *factum ex lege f. e. m.* [28] Sic CDE; A *a est esse s. u. d. s. s. e. f. s.a.* [29] Sic CDE; A verbi *Dei*.

est. MAG. Ratiocinationis tuae investigatio rata mihi videtur [1]; non enim a veritate opinor [2] eam [3] deviare. Ideoque, quod [4] a me postulas, conabor inquirere, eo duce, qui ad seipsum inquirendum nos illuminat et invitat. Videtur itaque [5] mihi conditionis naturarum causaliter proprietatem Deo Patri [6] theologiam tribuere : *In principio*, inquit, *fecit Deus caelum et terram;* item alibi : *Omnia in sapientia fecisti;* item : *Qui fecisti mundum de materia informi;* et alibi : *Omnia, quaecunque voluit Dominus* [7], *fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* [8], et cetera mille. In Verbo autem rationes [9] omnium rerum substantivas [10] conditas esse [11] perhibet, praedictis eisdem attestantibus testimoniis [12] : *In principio fecit Deus caelum et terram;* et : *Omnia in sapientia fecisti.* Non enim aliud est principium, aliud sapientia, aliud Verbum, sed his omnibus nominationibus unigenitus Filius Dei, in quo et per quem omnia a Patre facta sunt, proprie significatur. Apostolus item : *In quo vivimus*, inquit, et [13] *movemur et sumus*, id est, ipse est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, in quo creata sunt omnia in caelestibus et in terra, sive visibilia sive invisibilia, sive sedes, sive dominationes, sive principatus, et potestates, omnia [14] per ipsum et in ipso creata sunt. Omnium vero causarum, quas Pater in Verbo suo universaliter et essentialiter creavit, distributionem Spiritui sancto eandem theologiam reperimus applicare. Si enim ipsi divinarum donationum partitio distributioque, teste Apostolo, datur, cur non etiam primordialium causarum substantialiter in Verbo Dei [15] conditarum divisio daretur? *Alii* [16] enim, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo* [17] *scientiae secundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii autem* [18] *donationes sanitatum in eodem Spiritu, alii autem operatio virtutum, alii prophetiae, alii discretio spirituum, alii autem genera linguarum, alii interpretatio* [19] *sermonum : omnia autem haec operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique, prout vult.* Hoc etiam ex Scripturae Geneseos possumus argumentari, ubi scriptum est : *Et Spiritus Dei fovebat aquas.* Ad quid enim aliud aestimandus est [20] Spiritus Dei primordialium causarum aquas fovisse, fecundasse, nutrisse, nisi ut ea, quae uniformiter [21] unitimque ac simpliciter in Verbo facta sunt, per differentias generum, formarum, totorumque ac partium, numerorumque omnium distribueret atque ordinaret? Et, si

A nemo sane credentium recteque intelligentium haesitat affirmare, spiritualia dona, quae propheta Isaias super caput Ecclesiae, quod est Christus, requietura prophetavit, non per alium nisi per Spiritum sanctum Deo verbo incarnato distributa esse, quid mirum, si Ecclesiae, quae est corpus ejus, non solum dona gratiae per Christum, sed etiam [22] dona naturae per eundem Christum idem [23] Spiritus dividat et det? Insuper etiam [24] omni creaturae visibili et invisibili donum essentiae tribuit, ut sint [25] quae solummodo sunt; donum vitae viventibus, quo vivunt [26]; sentientibus donum sensus, quo sentiunt; rationalibus rationis donum, quo [27] naturas rerum ratiocinandi actu vere ac diligenter [28] perquirunt et inveniunt; intellectualibus intelligendi donum, quo

B circa Deum, causam videlicet donationum omnium, incognite ac super omnem creaturam volvuntur ineffabili motu mirabilique reditu. Nam mysticum Zachariae prophetae candelabrum, ut de Mosaico sileam, dum ad ipsum pertinet mysterium, Ecclesiam significat. Lampas [29] vero ejus [30] desuper posita paternum est lumen ac verum, *quod illuminat omnem hominem venientem in mundum* [31]. Dominus noster Jesus [32] Christus, qui, quoniam pro nobis, ex nobis, in nostrae carnis natura, et conceptus [33] et natus est, et apparuit mundo, super candelabrum Ecclesiae lampas dicitur, dum sit secundum naturam ipsa Dei et Patris substantialis [34] *sapientia* et Verbum, super [35] quem primo [36] secundum intelligentiam humanitatis, caput quippe [37] universi *corporis* Eccle-

C siae est, donationes sancti Spiritus, quae septenario [38] numero significari solent, requiescunt. Divina siquidem dona, quae per Spiritum sanctum distribuuntur Ecclesiae, quoniam ab uno spiritu distribuuntur, ab ipsius capite, Christo dico, inchoantia, nomine ipsius Spiritus solent significari. Non enim ipse [39] secundum naturam donum dici potest, sed distributor donorum. Ideoque septiformis dicitur, quia [40] plenitudinem divinorum donorum, quae septenario insinuatur numero, universaliter Ecclesiae dividit ac proprie [41]. Ipse enim Spiritus coessentialis est Patri et Filio secundum divinitatem. Super quem, Filium dico, divinas donationes, quas distribuit, requiescere facit secundum humanitatem : *Et requiescet* [42], inquit Propheta, *super eum Spiritus Dei;* ac si aperte dice-

D ret, et requiescent super eum [43] dona, quae dividit Spiritus Dei : *spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE; A mihi *esse* videtur. [2] Sic ACD; D *ut* opinor. [3] Sic A; *eam* om. CDE; [4] Sic CDE; A *quidquid.* [5] Sic CDE; A *ergo.* [6] Sic A; CDE Deo *et* Patri. [7] Sic CE; AD *Deus.* [8] Sic CDE; A in *omni abysso.* [9] Sic CDE; A *rationis.* [10] Sic DE; AC *substantias.* [11] Sic CDE; A *esse conditas.* [12] Sic CDE; A *testimoniis attestantibus.* [13] Sic CDE; *et* om. A. [14] Sic CE; AD *et* omnia. [15] Sic CDE; *Dei* om. A. [16] Sic CDE; A *aliis;* A sic ubique in hac periodo *aliis.* [17] Sic CDE; *sermo* om. A. [18] Sic CDE; *autem* om. A. [19] Sic ADE; C *interpretationes.* [20] Sic CDE; *est* om. A. [21] Sic CD; AE *informiter.* [22] Sic CDE; A *et.* [23] Sic A; CDE *id est.* [24] Sic CDE; A *et.* [25] Sic CDE; A *sunt.* [26] Sic CDE; C *vivent.* [27] Sic ADE; C *quae.* [28] Sic DE; A *actu ac vera diligentia* A *acuiuere ac diligenter.* [29] Sic CDE; C *Lampades.* [30] Sic CDE; C *eorum.* [31] Sic CDE; A in *hunc* mundum. [32] Sic CDE; pro *Jesus* A *id est.* [33] Sic CDE; A conceptus *est.* [34] Sic CDE; A *supernaturalis.* [35] Sic ADE; C *supra.* [36] Sic CDE; A primo *quod.* [37] Sic CDE; *quippe* om. A. [38] C *supernario.* [39] Sic CDE; A *Spiritus ipse.* [40] Sic CDE; A *qui.* [41] Sic CDE: A *universaliter proprieque dividit ecclesiae.* [42] Sic CD; AE *requiescit.* [43] Sic CDE; A super *ipsum.*

pietatis et [1] *implebit* [1*] *eum spiritus timoris* Domini [2] quos omnes spiritus, hoc [3] est, quas omnes donationes Spiritus, caput Ecclesiae, quod est Christus, primo secundum humanitatem accipiens, corpori suo, Ecclesiae suae, per Spiritum sanctum partitur. Ipse autem Spiritus sanctus, sicut in natura secundum essentiam subsistit Dei et Patris, sic et in Filii natura est secundum essentiam [4], quia ex Patre substantialiter per Filium natum ineffabiliter procedit. Ac per hoc dona, quae distribuit, non sua solummodo sunt, sed et Patris, ex quo procedit, et Filii, a quo et per quem procedit. Et ne aestimes, multiformes donationes Spiritus, quibus multiformia peccati genimina expelluntur ab Ecclesia penitusque extinguuntur, solas per Spiritum distributas. Facit enim sapientia interemptionem insipientiae, intellectus stultitiae ablationem, consilium indiscretionis destructionem, fortitudo infirmitatis solutionem, scientia ignorantiae abolitionem, pietas impietatis et in ipsa operum pravitatis persecutionem, timor contemptus abigit caecitatem. Sed et praeter haec dona gratiae, quibus et purgatur, et aedificatur, et illuminatur, et perficitur Ecclesia, bonorum omnium donationes, quae et secundum essentiam sunt, et secundum naturalia accidentia, non aliunde venire nemo fidelium dubitat [5], nisi ex causa omnium bonorum, ex Patre dico, ex quo omnia, per Filium, in quo sunt omnia, nec eorum [6] per alium nisi per Spiritum sanctum esse distributionem, qui dividit omnia omnibus prout vult. *Omne*, inquit theologus, *datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* [7]. *Quid apertius? Quid clarius? Non aliunde, ait, nisi a Patre luminum*, hoc est, a Patre omnium bonorum, quae sunt secundum naturam, et quae sunt secundum gratiam. Pulchre siquidem lumina dicuntur omnia dona, quae ex ingenito lumine per genitum lumen descendunt, et per procedens lumen, prout est capacitas naturae et largitas gratiae, in uniuscujusque [8] sive generalis sive specialis essentiae individuam substantiam dividuntur. Nam quod apostolus veluti soli homini videtur dicere: *O homo, quid habes, quod non accepisti?* universaliter omni creaturae visibili et invisibili potest dici. Nulla enim natura est creata, quae habeat quid, praeter quod a creatrice acceperit. Si enim est, ut praediximus, inde accepit esse; si vivit, inde vivere; si sensit, inde sentire; si ratione fruitur, inde ratio; si intelligit, inde intellectus, ceteraque id genus mille. Si igitur nil in natura rerum creatarum esse cognoscitur [9], praeter quod a Creatore donatur, sequitur, nil aliud esse creaturam, sive essentialiter, sive secundum accidens, nisi Creatoris data et dona;

A donorum autem distributionem quasi quandam [10] proprietatem [11] Spiritui sancto theologia dedicat. Omnia igitur, quae Pater in Filio facit, Spiritus sanctus distribuit, et unicuique propria, prout vult, dividit. Videsne igitur, quomodo theologia singulis divinae bonitatis substantiis seu personis suas veluti proprietates dare intelligitur? Patri enim dat omnia facere, Verbo dat omnes in ipso universaliter, essentialiter, simpliciter, primordiales rerum causas aeternaliter fieri; Spiritui [12] dat ipsas primordiales causas, in Verbo factas, in effectus suos fecundatas [13] distribuere, hoc est, in genera et species, numeros differentiasque, sive caelestium et spiritualium essentiarum corporibus omnino carentium, seu purissimis spiritualibusque corporibus ex catholicorum B elementorum simplicitate factis adhaerentium, seu sensibilium hujus mundi visibilis [14] universalium vel particularium separatarum locis, temporibus mobilium, qualitate et [15] quantitate differentium. Primordiales siquidem causas, sive visibili sive invisibili corpore, qualitate quoque et quantitate in seipsis omnino carere non irrationabiliter quis approbarit; invisibile autem corpus dicimus simplicem ac per se intellectam singulorum hujus mundi elementorum subsistentiam. Caelestes vero essentias, id est, angelicas virtutes, quamvis ultra hunc mundum sensibilem suae naturae intellectualis excellentia non incongrue existimentur esse, non omnino tamen consultis sanctorum Patrum sententiis spiritualibus corporibus judicandi sunt privari. Non enim in [16] C extraneis, sed suis adhaerentibus sibi semper spiritualibus corporibus, sensibus humanis, quibus saepe apparent, credendi [17] sunt succumbere; non quia operatio inseparabilis unitatis divinarum substantiarum sit segregata; quod enim Pater facit, hoc et Filius facit, hoc [18] et Spiritus sanctus facit; sed quia divina theologia singulis earum proprietates quasdam [19] videtur distribuere, veraciterque intelligitur [20] habere. In sancta siquidem Trinitate et communis operationis cognoscitur unitas, et discretarum operationum non excluditur proprietas. Si enim in ea est essentiae unitas et substantiarum differentia, cur non et communis operatio atque differens in ea crederetur et intelligeretur, non video, ut communi essentiae D communis attribuatur operatio, et substantiali Trinitati trina non auferatur actio.

23. Disc. Video plane, et mihi videtur esse verisimile, ac divinis eloquiis convenire. Sed utinam quadam similitudine ex nostra natura assumpta, quoniam Deo similis esse perhibetur, quae dicta sunt de proprietatibus divinae administrationis, suaderes. Mag. Trinitatem nostrae naturae te latere

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CDE. [1*] Sic CDE; A *replebit*. [2] Sic CDE; A *Dei*. [3] Sic CDE; A *id* est. [4] *subsistit Dei — essentiam* om BC. [5] Sic CE; A venire *quis dubitet fidelium*, D *nullus* fidelium dubitat. [6] Sic ADE; C *nec enim*. [7] Sic CDE; A *datum optimum et d. p. b. e. d. a. p. l.* [8] Sic CDE; A *uniuscujuscunque*. [9] Sic CDE; A *intelligitur*. [10] Sic CDE; A *quandam quasi*. [11] Sic CDE; A *Spiritui sancto proprietatem*. [12] Sic CDE; A *Spiritui sancto*. [13] Sic AD; C *fecunditas*, E *fecundatos*. [14] Sic ADE; C *sensibilis*. [15] Sic A; *et* om. CDE. [16] Sic CDE; *in* om. A. [17] Sic ADE; C *credenda*. [18] Sic ADE; C *ita* et. [19] Sic CDE; A *quasdam proprietates*. [20] Sic CDE; A *intelliguntur*.

non facile crediderim. Disc. Dic, quaeso, quae sit. Mag. Recordarisne, quid in prioris libri disputatione inter nos convenerat? Num [1] nobis visum est, nullam naturam esse, quae non in his tribus terminis intelligatur [2] subsistere, qui a Graecis, ut saepe diximus, οὐσία, δύναμις, ἐνέργεια, appellantur, hoc est, essentia, virtus, operatio? Disc. Recordor sane, firmissimeque teneo. Mag. Nostra itaque natura, quae humana dicitur, eo quod eam omnes homines participant, essentia, virtute, operationeque [3] subsistit. Disc. Neminem peritorum divinae philosophiae de hoc dubitare aestimarim. Mag. Quid tibi videtur? Num nostra natura, teste sacra Scriptura, ad imaginem et similitudinem Dei condita est? Disc. Liberaliter agis; qui de hoc dubitat, homo non est. Mag. Putasne, ipsum Deum, qui ad imaginem suam nostram creavit naturam, corpus esse, an spiritum? Disc. Hinc quoque haesitare ridiculum est. Deus enim spiritus est [4], *et qui adorant eum, in spiritu et veritate adorant* [5]. Mag. Non ergo secundum corpus, sed secundum animam imago Dei nostrae naturae impressa est. Disc. Hoc quoque verissimum est fateri. Mag. Deus est Trinitas et Unitas, hoc est, tres substantiae in una essentia, et una essentia in tribus substantiis vel personis. Sicut enim Graeci μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις vel τρία πρόσωπα dicunt, id est unam essentiam, tres substantias vel tres [6] personas: ita Romani unam essentiam, tres substantias vel personas. In hoc tamen videntur differre, quod Graecos μίαν ὑπόστασιν, id est, unam substantiam dicere non reperimus, Latini vero unam substantiam, tres personas frequentissime solent dicere. Graeci dicunt [7] ὁμοούσιον [8], ὁμοάγαθον [9] ὁμόθεον [10], hoc est, unius essentiae, unius bonitatis, unius Deitatis: vel una essentia, una bonitas, una Deitas. Haec autem nomina, quae apud Graecos inseparabilitatem divinae naturae insinuant, in romanum [11] sermonem non facile vertuntur, et nullo modo ad purum, ut arbitror; ideoque solus eorum intellectus separatis verbis per περίφρασιν transfertur, ut eorum solummodo virtus intelligatur, quorum interpretatio de verbo ad verbum non exprimitur. Disc. Hoc totum fides catholica universalis Ecclesiae fatetur, et, quantum datur, intelligit, sed quorsum tendunt istaec [12]? Mag. Non aliorsum, nisi ut quaeramus pro viribus, quomodo Trinitas nostrae naturae Trinitatis creatricis imaginem et similitudinem in seipsa exprimat, hoc est, quid in ea convenientius Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto adjun-

A gendum. Convenientius dico. Quamvis enim convenienter nostrae naturae Trinitas tota totius divinae Trinitatis [13] imago est, tota enim Patris, tota Filii, tota Spiritus sancti imaginem gerit; in ea tamen est, quod veluti specialibus singulis personis accommodari posse videtur [14], ut arbitror. Nam et in se ipsa nostra Trinitas tota in singulis suis est: sua enim essentia, et virtus, et operatio est; sua virtus, et essentia, et operatio; sua operatio, et essentia est [15] et virtus: sicut et Pater in Filio et in [16] Spiritu sancto, et Filius in Patre et in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus in Patre et Filio [17] est.

Disc. Nil mihi probabilius occurrit, quam ut Patris imaginem, essentia; Filii, virtus, Spiritus sancti, operatio nostrae naturae [18] accommodet. Pa-

B terna siquidem substantia [a], quae de se substantiam filiatam genuit, et procedentem [19] [b] substantiam ex se emisit, non immerito principalis dicitur substantia [20], non quod una essentia sit sanctae Trinitatis [21] separabilis, est enim una atque individua, sed quod substantialibus differentiis, dum sit una, non careat. Est enim Deitas genitrix, et genita Deitas [22], et procedens Deitas; et dum sit una Deitas individua, non tamen substantialibus differentiis indiscreta. Virtus quoque non incongrue Deo Filio adjungitur, quoniam saepe virtus Patris a theologia nominatur. Sed ut unum a pluribus testimoniis accipiamus, audi Apostolum: *Invisibilia enim ejus per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et aeternitas.* In hoc enim loco virtutem

C Patris sapientiam Patris, Filium dico, intelligimus, aeternitatem vero Spiritum sanctum, teste Maximo, venerabili magistro. Nam quod Spiritus sanctus virtutis nomine in Scripturis solet appellari, testatur Evangelium, Domino dicente, mulierem αἱμοῤῥοοῦσαν, hoc est, fluxum sanguinis patientem sanans [23]: *Sensi a me exisse virtutem*, hoc est, Spiritum sanctum, qui dividit dona sanitatum. Quid dicam de operatione essentiali nostrae naturae? Nonne aptissime sancto Spiritui copulatur, cui veluti proprie operatio virtutum divinarumque donationum, et universaliter et proprie unicuique divisio tribuitur? In naturae igitur nostrae essentia paternae substantiae, in virtute vero substantiae filii, in operatione substantiae Spiritus sancti proprietas digno-

D scitur. Mag. Responsionem tuam a veritate non discrepare arbitror. Sed vide, quid tibi videtur de famosissima nostrae naturae trinitate, quae intel-

VARIAE LECTIONES.

Sic CDE; A *nonne*; [2] Sic CDE; A *intelligitur.* [3] Sic CDE; A *et operatione.* [4] Sic CDE; A *est spiritus.* [5] C *adorare.* [6] Sic CDE; *tres* om. A. [7] Sic CDE; A Graeci *vero* dicunt. [8] Corr., A ὁμοούσιον. [9] Corr., A ὁμάγαθον. [10] Sic CE; ὁμόθεον om. AD. [11] Sic CDE; A *Romanorum.* [12] Corr., DE *istac;* C quorsum *condunt istac;* A quorsum tendunt *ista.* [13] Sic CDE; A *Trinitatis divinae.* [14] Sic CDE; A *videtur posse.* [15] Sic CE; *est* om. A; D *et essentia et virtus est.* [16] Sic CDE; *in* om. A. [17] Sic CDE; A *in* filio. [18] Sic CDE; A *naturae nostrae.* [19] Sic CDE; A *processionis.* [20] Sic AE; A *dicitur principalis substantia* [21] Sic CE; A *sacrae Trinitatis sit.* [22] Sic CE; A *Deitas genita.* [23] Sic ACE.

NOTAE.

Verbis: *Paterna siquidem substantia quae de* [*se* om.] *substantiam filiatam genuit et procedentem substantiam* finitur cod. D.

[b] Ad verbum *procedentem* Thomas Gale animadvertit haec: *Hic deficit codex, qui olim fuit Thuni.*

lectu, et ratione, et sensu intelligitur: num dissonat A ab ea, quam praediximus, anima, an una eademque et haec et [1] ipsa, et non duae quaedam unius ejusdemque nostrae naturae? Sensum autem dico non exteriorem sed interiorem. Nam interior coessentialis est rationi atque intellectui, exterior vero, quamvis plus ad animam pertinere, quam ad corpus videatur, non tamen essentiam animae constituit, sed, ut aiunt Graeci, conjunctio quaedam est animae et corporis: soluto enim corpore et recedente vita penitus interimitur. Nam si in anima maneret, et ad substantiam ejus pertineret, eo profecto etiam extra corpus uteretur. At vero, quia sine corpore eo nec utitur, nec uti potest, relinquitur, nec in corpore soluto manere, nec animae regimen corporis deserenti adhaerere. Nam et ipsa definitio, qua sanctus B Augustinus exteriorem sensum voluit definire, intra substantiales animae partes non videtur connumerari: *Sensus est*, inquit, *passio corporis, per se ipsam* [2] *non latens animam*. Item alia, quae dicit: *Sensus est sensibilium rerum phantasia per instrumenta corporis assumpta*. Similiter naturae animae non videtur eum conjungere [3], sed velut internuncium corporis et animae constituere, et si quis intentius graecae linguae proprietatem perspexerit, duorum sensuum in homine proprietatem reperiet. In ea enim *νοῦς* intellectus dicitur, *λόγος* ratio, *διάνοια* sensus, non ille sed interior; et in his tribus essentialis trinitas animae ad imaginem Dei constitutae subsistit. Est enim intellectus, et ratio, et sensus, qui dicitur interior et essentialis; exterior vero, quem C corporis et animae copulam diximus, *αἴσθησις* vocatur; instrumenta autem, in quibus possidet, *αἰσθητήρια*, quasi *αἰσθήσεως τήρια*, hoc est, sensus custodiae [4]. In eis enim sensus custoditur et operatur; et sunt numero quinque, visus, auditus [5], olfactus, gustus, tactus. Nec te movere debet, quod nominibus quinquepertiti sensus quinquepertitum ejus instrumentum appellarim; nam frequentissimus et communis locutionis et sacrae Scripturae usus est, sedes sensuum ipsorum sensuum nominibus appellare. Visus enim vocatur oculus, et auris auditus, ceterique similiter sensus suis instrumentis significationem praestant. Non autem propterea quinquepertitus sensus dicitur, quod in seipso quinario numero dividatur; est enim simplex et uniformis, et in corde D veluti principali sede [6] possidet: sed quod [7] per quinquepertitum corporis instrumentum, veluti per quasdam cujusdam civitatis quinque portas, sensibilium rerum similitudines ex qualitatibus et quantitatibus exterioris mundi venientes, ceterisque, quibus sensus exterior formatur, interius recipiat [8], et veluti ostiarius [9] quidam internunciusque ea, quae extrinsecus introducit, praesidenti interiori sensui annunciet [10]. Disc. Neque me movet, sensuum nominibus eorum [11] instrumenta significari; neque duorum sensuum [12] differentia, quam ad purum discrevisti, me latet, ut opinor. Et quid de praedicta trinitate naturae nostrae sentio, pro ingenioli mei captu edisseram. Duae trinitates videntur esse, quibus nostra natura, quantum ad imaginem Dei facta est, probatur subsistere. Sed consulta veritate non re ipsa, sed solis nominibus a se invicem discrepare reperiuntur. Nam *νοῦς* et *οὐσία*, hoc est, intellectus et essentia excelsissimam nostrae naturae partem significant, immo excelsissimum motum. Siquidem, ut tu ipse intelligis, non aliud est nostrae naturae esse, et aliud moveri; essentia enim ejus est motus circa Deum et creaturam stabilis, et mobilis status. Sed dum movetur circa Deum, qui superat omnia, summus [13] motus ejus datur [14]; dum vero circa primordiales causas versatur, quae proximae immediate post Deum sunt, veluti medio quodam moderamine intelligitur moveri; quando autem primordialium causarum effectus sive visibiles, sive invisibiles perspicere conatur, extremum sui motum pati dignoscitur, non quia idem motus substantialis augeri vel minui in seipso possit, sed quod secundum dignitatem rerum, circa quas volvitur, et minimus, et medius, et maximus esse judicatur [15]. Essentia itaque animae nostrae est intellectus, qui universitati humanae naturae praesidet, quia [16] circa Deum supra omnem naturam incognite circumvehitur. *Λόγος* vero vel *δύναμις*, hoc est, ratio vel [17] virtus secundam veluti partem insinuat; non irrationabiliter, quia circa principia rerum, quae primo post Deum sunt, circumfertur. Tertia vero pars, *διανοίας* et *ἐνεργείας*, id est, sensus et operationis vocabulis denominatur, et veluti extremum humanae animae obtinet locum; nec immerito, quoniam circa effectus causarum primordialium, sive visibiles, sive invisibiles sint, circumvolvitur. Ac per hoc non duas substantiales trinitates, sed unam eandemque ad similitudinem Creatoris sui conditam oportet nos intelligere. Sed miror, qua de causa vitam ipsam, quae a Graecis *θρεπτική* et *αὐξητική* vocatur [18], a nostris vero nutritiva et auctiva — nutrit enim corpora, et incrementa [19] eis praestat — nec veluti quartam substantialem humanae naturae partem, nec intra substantialem trinitatem connumeratam [20] a te video, ac veluti penitus praetermissam, et nullo modo ad naturae nostrae constitutionem pertinentem. Mag. Ne [21] mireris; non enim sine causa hoc fecimus. Siquidem nunc non de universa humana natura sermo est, quae veluti quinque partibus, hoc est, corpore

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; *et* om. A. [2] CE per se *ipsum*. [3] Sic AE; pro *eum conjungere* C *connumerari*. [4] Sic CE; A *custodia*. [5] Sic CE; A *auditus, visus*. [6] Sic CE; A veluti *in loco principalem sedem*. [7] Sic E; *quod* om. A; C sed *per quod* quinquepertitum. [8] Sic CE; A *recipit*. [9] CE *hostiarius*. [10] Sic CE; A *annuntiat*. [11] Sic E; *eorum* om. A. [12] *nominibus* — *sensuum* om. C. [13] Sic CE; A *maximus*. [14] Sic CE; A *dicitur*. [15] Sic CE; A *indicatur*. [16] Sic CE; A *qui*. [17] Sic CE; A *et*. [18] Sic CE; A *αὐξητική, a nostris vero* n. et. a. *vocatur*. [19] Sic A; CE *incrementum*. [20] Sic E; A *enumeratam*, C *et* connumeratam. [21] Sic CE, A *Non*.

non facile crediderim. DISC. Dic, quaeso, quae sit. A MAG. Recordarisne, quid in prioris libri disputatione inter nos convenerat? Num [1] nobis visum est, nullam naturam esse, quae non in his tribus terminis intelligatur [2] subsistere, qui a Graecis, ut saepe diximus, οὐσία, δύναμις, ἐνέργεια, appellantur, hoc est, essentia, virtus, operatio? DISC. Recordor sane, firmissimeque teneo. MAG. Nostra itaque natura, quae humana dicitur, eo quod eam omnes homines participant, essentia, virtute, operationeque [3] subsistit. DISC. Neminem peritorum divinae philosophiae de hoc dubitare aestimarim. MAG. Quid tibi videtur? Num nostra natura, teste sacra Scriptura, ad imaginem et similitudinem Dei condita est? DISC. Liberaliter agis; qui de hoc dubitat, homo non est. B MAG. Putasne, ipsum Deum, qui ad imaginem suam nostram creavit naturam, corpus esse, an spiritum? DISC. Hinc quoque haesitare ridiculum est. Deus enim spiritus est [4], *et qui adorant eum, in spiritu et veritate adorant* [5]. MAG. Non ergo secundum corpus, sed secundum animam imago Dei nostrae naturae impressa est. DISC. Hoc quoque verissimum est fateri. MAG. Deus est Trinitas et Unitas, hoc est, tres substantiae in una essentia, et una essentia in tribus substantiis vel personis. Sicut enim Graeci μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις vel τρία πρόσωπα dicunt, id est unam essentiam, tres substantias vel tres [6] personas: ita Romani unam essentiam, tres substantias vel personas. In hoc tamen videntur differre, quod Graecos μίαν ὑπόστασιν, id est, unam substantiam dicere non reperimus, Latini vero unam substantiam, tres per- C sonas frequentissime solent dicere. Graeci dicunt [7] ὁμοούσιον [8], ὁμοάγαθον [9] ὁμόθεον [10], hoc est, unius essentiae, unius bonitatis, unius Deitatis: vel una essentia, una bonitas, una Deitas. Haec autem nomina, quae apud Graecos inseparabilitatem divinae naturae insinuant, in romanum [11] sermonem non facile vertuntur, et nullo modo ad purum, ut arbitror; ideoque solus eorum intellectus separatis verbis per περίφρασιν transfertur, ut eorum solummodo virtus intelligatur, quorum interpretatio de verbo ad verbum non exprimitur. DISC. Hoc totum fides catholica universalis Ecclesiae fatetur, et, quantum datur, intelligit, sed quorsum tendunt istaec [12]? MAG. Non aliorsum, nisi ut quaeramus pro viribus, quomodo Trinitas nostrae D naturae Trinitatis creatricis imaginem et similitudinem in seipsa exprimat, hoc est, quid in ea convenientius Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto adjungendum. Convenientius dico. Quamvis enim convenienter nostrae naturae Trinitas tota totius divinae Trinitatis [13] imago est, tota enim Patris, tota Filii, tota Spiritus sancti imaginem gerit; in ea tamen est, quod veluti specialibus singulis personis accommodari posse videtur [14], ut arbitror. Nam et in se ipsa nostra Trinitas tota in singulis suis est: sua enim essentia, et virtus, et operatio est; sua virtus, et essentia, et operatio; sua operatio, et essentia est [15] et virtus: sicut et Pater in Filio et in [16] Spiritu sancto, et Filius in Patre et in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus in Patre et Filio [17] est.

DISC. Nil mihi probabilius occurrit, quam ut Patris imaginem, essentia; Filii, virtus, Spiritus sancti, operatio nostrae naturae [18] accommodet. Paterna siquidem substantia [a], quae de se substantiam filiatam genuit, et procedentem [19] [b] substantiam ex se emisit, non immerito principalis dicitur substantia [20], non quod una essentia sit sanctae Trinitatis [21] separabilis, est enim una atque individua, sed quod substantialibus differentiis, dum sit una, non careat. Est enim Deitas genitrix, et genita Deitas [22], et procedens Deitas; et dum sit una Deitas individua, non tamen substantialibus differentiis indiscreta. Virtus quoque non incongrue Deo Filio adjungitur, quoniam saepe virtus Patris a theologia nominatur. Sed ut unum a pluribus testimoniis accipiamus, audi Apostolum: *Invisibilia enim ejus per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et aeternitas.* In hoc enim loco virtutem Patris sapientiam Patris, Filium dico, intelligimus, aeternitatem vero Spiritum sanctum, teste Maximo, venerabili magistro. Nam quod Spiritus sanctus virtutis nomine in Scripturis solet appellari, testatur Evangelium, Domino dicente, mulierem αἱμοῤῥοοῦσαν, hoc est, fluxum sanguinis patientem sanans [23]: *Sensi a me exisse virtutem*, hoc est, Spiritum sanctum, qui dividit dona sanitatum. Quid dicam de operatione essentiali nostrae naturae? Nonne aptissime sancto Spiritui copulatur, cui veluti proprie operatio virtutum divinarumque donationum, et universaliter et proprie unicuique divisio tribuitur? In naturae igitur nostrae essentia paternae substantiae, in virtute vero substantiae filii, in operatione substantiae Spiritus sancti proprietas dignoscitur. MAG. Responsionem tuam a veritate non discrepare arbitror. Sed vide, quid tibi videtur de famosissima nostrae naturae trinitate, quae intel-

VARIAE LECTIONES.

Sic CDE; A *nonne*; [2] Sic CDE; A *intelligitur*. [3] Sic CDE; A *et operatione*. [4] Sic CDE; A *est spiritus*. [5] C *adorare*. [6] Sic CDE; *tres* om. A. [7] Sic CDE; A Graeci *vero* dicunt. [8] Corr., A ὁμούσιον. [9] Corr., A ὁμάγαθον. [10] Sic CE; ὁμόθεον om. AD. [11] Sic CDE; A *Romanorum*. [12] Corr., DE *istac*; C quorsum *condunt istac*; A quorsum tendunt *ista*. [13] Sic CDE; A *Trinitatis divinae*. [14] Sic CDE; A *videtur posse*. [15] Sic CE; *est* om. A; D *et essentia et virtus est*. [16] Sic CDE; *in* om. A. [17] Sic CDE; A *in* filio. [18] Sic CDE; A *naturae nostrae*. [19] Sic CDE; A *processionis*. [20] Sic AE; A *dicitur principalis substantia* [21] Sic CE; A *sacrae Trinitatis sit*. [22] Sic CE; A *Deitas genita*. [23] Sic ACE.

NOTAE.

Verbis: *Paterna siquidem substantia quae de* [*se* om.] *substantiam filiatam genuit et procedentem substantiam* finitur cod. D.

[b] Ad verbum *procedentem* Thomas Gale animadvertit haec: *Hic deficit codex, qui olim fuit Thuni.*

lectu, et ratione, et sensu intelligitur: num dissonat A ab ea, quam praediximus, anima, an una eademque et haec et [1] ipsa, et non duae quaedam unius ejusdemque nostrae naturae? Sensum autem dico non exteriorem sed interiorem. Nam interior coessentialis est rationi atque intellectui, exterior vero, quamvis plus ad animam pertinere, quam ad corpus videatur, non tamen essentiam animae constituit, sed, ut aiunt Graeci, conjunctio quaedam est animae et corporis: soluto enim corpore et recedente vita penitus interimitur. Nam si in anima maneret, et ad substantiam ejus pertineret, eo profecto etiam extra corpus uteretur. At vero, quia sine corpore eo nec utitur, nec uti potest, relinquitur, nec in corpore soluto manere, nec animae regimen corporis deserenti adhaerere. Nam et ipsa definitio, qua sanctus B Augustinus exteriorem sensum voluit definire, intra substantiales animae partes non videtur connumerari: *Sensus est*, inquit, *passio corporis, per se ipsam* [2] *non latens animam*. Item alia, quae dicit: *Sensus est sensibilium rerum phantasia per instrumenta corporis assumpta*. Similiter naturae animae non videtur eum conjungere [3], sed velut internuncium corporis et animae constituere, et si quis intentius graecae linguae proprietatem perspexerit, duorum sensuum in homine proprietatem reperiet. In ea enim νοῦς intellectus dicitur, λόγος ratio, διάνοια sensus, non ille — sed interior; et in his tribus essentialis trinitas animae ad imaginem Dei constitutae subsistit. Est enim intellectus, et ratio, et sensus, qui dicitur interior et essentialis; exterior vero, quem C corporis et animae copulam diximus, αἴσθησις vocatur; instrumenta autem, in quibus possidet, αἰσθητήρια, quasi αἰσθήσεως τήρια, hoc est, sensus custodiae [4]. In eis enim sensus custoditur et operatur; et sunt numero quinque, visus, auditus [5], olfactus, gustus, tactus. Nec te movere debet, quod nominibus quinquepertiti sensus quinquepertitum ejus instrumentum appellarim; nam frequentissimus et communis locutionis et sacrae Scripturae usus est, sedes sensuum ipsorum sensuum nominibus appellare. Visus enim vocatur oculus, et auris auditus, ceterique similiter sensus suis instrumentis significationem praestant. Non autem propterea quinquepertitus sensus dicitur, quod in seipso quinario numero D dividatur; est enim simplex et uniformis, et in corde veluti principali sede [6] possidet: sed quod [7] per quinquepertitum corporis instrumentum, veluti per quasdam cujusdam civitatis quinque portas, sensibilium rerum similitudines ex qualitatibus et quantitatibus exterioris mundi venientes, ceterisque, quibus sensus exterior formatur, interius recipiat [8], et veluti ostiarius [9] quidam internunciusque ea, quae extrinsecus introducit, praesidenti interiori sensui annunciet [10]. Disc. Neque me movet, sensuum nominibus eorum [11] instrumenta significari; neque duorum sensuum [12] differentia, quam ad purum discrevisti, me latet, ut opinor. Et quid de praedicta trinitate naturae nostrae sentio, pro ingenioli mei captu edisseram. Duae trinitates videntur esse, quibus nostra natura, quantum ad imaginem Dei facta est, probatur subsistere. Sed consulta veritate non re ipsa, sed solis nominibus a se invicem discrepare reperiuntur. Nam νοῦς et οὐσία, hoc est, intellectus et essentia excelsissimam nostrae naturae partem significant, immo excelsissimum motum. Siquidem, ut tu ipse intelligis, non aliud est nostrae naturae esse, et aliud moveri; essentia enim ejus est motus circa Deum et creaturam stabilis, et mobilis status. Sed dum movetur circa Deum, qui superat omnia, summus [13] motus ejus datur [14]; dum vero circa primordiales causas versatur, quae proximae immediate post Deum sunt, veluti medio quodam moderamine intelligitur moveri; quando autem primordialium causarum effectus sive visibiles, sive invisibiles perspicere conatur, extremum sui motum pati dignoscitur, non quia idem motus substantialis augeri vel minui in seipso possit, sed quod secundum dignitatem rerum, circa quas volvitur, et minimus, et medius, et maximus esse judicatur [15]. Essentia itaque animae nostrae est intellectus, qui universitati humanae naturae praesidet, quia [16] circa Deum supra omnem naturam incognite circumvehitur. Λόγος vero vel δύναμις, hoc est, ratio vel [17] virtus secundam veluti partem insinuat; non irrationabiliter, quia circa principia rerum, quae primo post Deum sunt, circumfertur. Tertia vero pars, διανοίας et ἐνεργείας, id est, sensus et operationis vocabulis denominatur, et veluti extremum humanae animae obtinet locum; nec immerito, quoniam circa effectus causarum primordialium, sive visibiles, sive invisibiles sint, circumvolvitur. Ac per hoc non duas substantiales trinitates, sed unam eandemque ad similitudinem Creatoris sui conditam oportet nos intelligere. Sed miror, qua de causa vitam ipsam, quae a Graecis θρεπτική et αὐξητική vocatur [18], a nostris vero nutritiva et auctiva — nutrit enim corpora, et incrementa [19] eis praestat — nec veluti quartam substantialem humanae naturae partem, nec intra substantialem trinitatem connumeratam [20] a te video, ac veluti penitus praetermissam, et nullo modo ad naturae nostrae constitutionem pertinentem. Mag. Ne [21] mireris; non enim sine causa hoc fecimus. Siquidem nunc non de universa humana natura sermo est, quae veluti quinque partibus, hoc est, corpore

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; *et* om. A. [2] CE per se *ipsum*. [3] Sic AE; pro *eum conjungere* C *connumerari*. [4] Sic CE; A *custodia*. [5] Sic CE; A *auditus, visus*. [6] Sic CE; A veluti *in loco principalem sedem*. [7] Sic E; *quod* om. A; C sed *per quod* quinquepertitum. [8] Sic CE; A *recipit*. [9] CE *hostiarius*. [10] Sic CE; A *annuntiat*. [11] Sic E; *eorum* om. A. [12] *nominibus* — *sensuum* om. C. [13] Sic CE; A *maximus*. [14] Sic CE; A *dicitur*. [15] Sic CE; A *indicatur*. [16] Sic CE; A *qui*. [17] Sic CE; A *et*. [18] Sic CE; A αὐξητική, *a nostris vero* n. et. a. *vocatur*. [19] Sic A; CE *incrementum*. [20] Sic E; A *enumeratam*, C *et* connumeratam. [21] Sic CE, A *Non*.

vitalique motu, sensu, et ratione constare videtur, A et intellectu; sed de ea solummodo parte, in qua imago et similitudo conditoris perspicitur, hoc est, de intellectu et ratione et sensu interiori, vel, ut ita dicam, essentia, virtute, operatione [1]. In hoc enim ternario summae ac sanctae [2] Trinitatis imago expressa cognoscitur. Nam de vitali motu, quo anima corpus et nutrit, et in unum colligit, et vivificat, et ministrat, eique incrementum dat, deque ipso corpore, quod totius creaturae extremum obtinet locum, alius disserendi locus erit, dum in quarto libro [3] de naturis sensibilibus, Deo duce, disputabitur. Quae pars, quoniam extra proprietatem intelligibilis nostrae essentiae, qua ad imaginem Dei conditi sumus, dignoscitur, propterea a nobis praesentialiter intermissa est, dum sit motus quidam B extra naturam primordialiter conditam, substantiali nostrae operationi, quae sensus interior, ut diximus, vocitatur, subjectus, inque poenam peccati additus; quo videlicet motu ea, quae post peccatum humanae naturae superaddita sunt; administrat: corpus hoc corruptibile dico, atque mortale, locis temporibusque varium, partium suarum numero discretum, spatiis distentum, incrementis decrementisque subditum, qualitatibus quantitatibusque diversis subjectum, ad omnes irrationabiles motus pronum, carnalis adhuc animae, merito suae inobedientiae superbiaeque diversis calamitatibus involutae hospitium, ceteraque, quae de infelicitate in hanc vitam humanae naturae ex felicitate paradisi expulsae et dici et experimento cognosci C possunt. Motus itaque humanae naturae ad ea administranda, quae sibi ad vindictam praevaricationis divini praecepti adjuncta sunt; vindictam autem dico, non irascentis Dei ultionem, sed miserentis exercitationem; non irrationabiliter extra terminos essentialis nostrae trinitatis relinquitur. Et ne aestimes, nos his verbis docere velle, praedictam humanae naturae trinitatem ad imaginem Dei in paradiso conditam, priusquam peccaret, omnino corpore caruisse: absit, absit [4] a nobis hoc dicere [5], aut quodammodo putare; semel enim et simul animas nostras et corpora in paradiso conditor creavit, corpora dico caelestia, spiritualia, qualia post resurrectionem futura sunt. Tumida namque corpora, mortalia, corruptibilia, quibus nunc opprimimur, non ex natura, sed ex delicto occasionem D ducere non est dubitandum. Quod ergo naturae ex peccato adolevit, eo profecto renovata in Christo, et in pristinum statum restituta carebit. Non enim potest naturae esse coaeternum, quod ei adhaeret propter peccatum; et intra substantiales ejus constitutiones non computari [6], non incongruum, ut [7] arbitror, non ut et illud superadditum pereat, sed ut in illud, quod primo est conditum, transeat, et unum cum illo fiat, non quasi duo, sed unum incorruptibile et spirituale per gratiam Dei Verbi, qui non solum in nostra naturalia, verum etiam in superaddita nobis descenderat, ut omnia nostra in seipso restauraret, et desuper adjectis naturaliter insita faceret, qui fecit utraque unum. Disc. Plane non incongruum; sed ratae subtilique investigationi et inventioni rationabilis naturae convenientissimum. Quorsum vero haec, nondum video.

Mag. Patiens esto. Non enim res parva inter nos quaeritur, nec nisi multis diligentissime ratiocinationis ambagibus et investigari et inveniri potest, si tamen ad purum inveniri potest. Nulli enim mortali sensui, quamvis videatur acute inquirere, licet hoc promittere, ne incautus redarguatur [8] esse, quod suas vires superat invenire per se ipsum promittens. Nam si invenitur, non ipse, qui quaerit, sed ipse, qui quaeritur, et qui est lux mentium, invenit [9]. Quaerimus namque, ni fallor, quomodo ex argumento substantialis trinitatis nostrae naturae ad imaginem Dei [10] creatae, summam illam Trinitatem, quae Deus est, ejusque veluti proprias in natura condita operationes singulis personis distributas possumus investigare. Disc. Id ipsum nunc [11], non aliud quaerimus. Et ordo rerum exigit, ut sic veritatem quaeramus; argumento siquidem imaginis ipsa veritas, cujus imago est, quaerenda est, quae quanto studiosius laboriosiusque inquiritur, tanto ardentius diligitur, et apertius invenitur. Quid enim prodest illa velocitas, quam pura veritatis contemplatio effugit, aut quid nocet ipsa tarditas, cui desiderata facies occurrit?

Mag. Itaque ratiocinationis nostrae exordium ex verbis venerabilis Maximi sumamus, non eisdem sermonibus connexim, sed eodem sensu utentes. Disc. Ingredere, quoquo modo vis, ratiocinandi viam. Mag. Tres universales motus animae sunt. Quorum primus est secundum animum, secundus secundum rationem, tertius secundum sensum. Et [12] primus quidem simplex [13] est, et supra ipsius animae naturam, et interpretatione caret, hoc est, cognitione ipsius circa quod movetur; per quem circa Deum incognitum mota, nullo modo ex ullo eorum, quae sunt, ipsum propter sui excellentiam cognoscit secundum quod [14], quid sit, hoc est, in nulla essentia seu substantia, vel in aliquo, quod dici vel intelligi valeat, eum reperire [15] potest. Superat enim omne, quod est et quod non est, et nullo modo definiri potest, quid sit.

Secundus vero motus est, quo incognitum Deum

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; A *et* operatione. [2] Sic CE; A *et sacrae.* [3] Sic CE; *in quarto libro* om. A. [4] Sic CE; *absit* om. A. [5] Sic CE; A *credere.* [6] Sic CE; A *connumerari.* [7] Sic CE; *ut* om. A. [8] Sic AE; C *nec incautus redarguitur.* [9] Sic CE; A *invenitur.* [10] *Dei* om. CE. [11] Sic CE; *nunc* om. A. [12] Sic CE; *Et* om. A. [13] Sic CE; A quidem *motus* simplex. [14] Sic AC; E secundum *id.* [15] CE *reperiri.*

definit[1] secundum quod causa omnium sit. Definit vero[2] Deum causam omnium esse, et est motus iste intra animae naturam, per quem ipsa naturaliter mota omnes naturales rationes omnium formatrices, quae in ipso cognito solummodo per causam — cognoscitur enim, quia causa est — aeternaliter factae subsistunt, operatione scientiae sibi ipsi imponit, hoc est, in se ipsa per earum cognitionem exprimit, ipsaque cognitio a primo motu[3] nascitur in secundo.

Tertius motus est compositus, per quem, quae extra sunt, anima tangens, veluti ex quibusdam signis apud seipsam visibilium rationes reformat, qui compositus dicitur, non quod in seipso simplex non sit, quemadmodum primus et secundus simplices sunt, sed quod non per seipsas sensibilium rerum rationes incipit cognoscere. Primo siquidem phantasias ipsarum rerum per exteriorem sensum quinquepertitum secundum numerum instrumentorum corporalium[4], in quibus et per quae operatur, accipiens, easque secum colligens, dividens, ordinans disponit; deinde per ipsas ad rationes earum, quarum phantasiae sunt, perveniens, intra seipsam eas, rationes dico, tractat atque conformat. Et nec te moveat, quod paulo ante exteriorem sensum phantasiam rerum sensibilium esse definivimus, nunc vero per eum phantasias earundem rerum sensibilium ad interiorem sensum[5] pervenire docemus. Praedictus quippe[6] tertius motus ex phantasiis rerum exteriorum per exteriorem sensum sibi nunciatis moveri incipit. Phantasiarum enim duae species sunt, quarum prima est, quae ex sensibili natura primo in instrumentis sensuum nascitur, et imago in sensibus expressa proprie vocatur, altera vero est ipsa, quae consequenti ordine ex praedicta imagine formatur, et est ipsa phantasia, quae proprie sensus exterior consuevit nominari. Et illa prior corpori semper adhaeret, posterior vero animae; et prior quamvis in sensu sit, seipsam non sentit; posterior vero et seipsam sentit, et priorem suscipit. Dum vero tertius ille motus phantasias rerum visibilium deserit, nudasque omni imaginatione corporea rationes ac per se simplices pure intelligit, ipse quoque simplex simpliciter, hoc est, universales universaliter rationes visibilium, omni phantasia absolutas, inque semetipsis purissime ac verissime perspectas, per medium motum primo motui renunciat. Ipse vero primus motus, quodcunque ex tertio per medium, et ex ipso medio immediate in moderationibus rerum creatarum[7] percipit, per seipsum immediate incognito quidem quid est[8], cognito[9] vero, quod causa omnium est, principiisque omnium rerum, hoc est, principalibus causis, ab eo et in eo factis, et a se distributis refert, hoc est, a Deo per ipsas in omnia, quae post se sunt, procedere, et iterum per ipsas in ipsum intelligit recurrere. Animae igitur purgatae per actionem, illuminatae per scientiam, perfectae per theologiam motus, quo semper circa Deum incognitum aeternaliter volvitur, ultra et suam et omnium rerum naturam ipsum Deum omnino absolutum ab omnibus, quae et dici et intelligi possunt, necnon omnibus, quae nec dici nec intelligi possunt, et tamen quodammodo sunt, intelligens, eumque esse aliquid eorum, quae sunt et quae[10] non sunt, denegans, et omnia, quae de eo[11] praedicantur, non proprie sed translative de eo praedicari approbans, νοῦς a Graecis, a nostris intellectus, vel animus, vel mens dicitur, et substantialiter est, et principalis pars animae esse intelligitur. Non enim aliud est animae essentialiter esse, et substantialiter moveri. Ipsa siquidem in motibus suis subsistit, suique motus in ipsa subsistunt; est enim simplex natura et individua, motuumque suorum substantialibus differentiis solummodo discreta. Nam si caelestes essentias, quas etiam[12] caelestes virtutes angelicasque divina nominant eloquia, nil aliud esse substantialiter a sanctis traditur Patribus[13], nisi intelligibiles, aeternos, incessabilesque motus circa principium omnium, a quo, et per quem[14], et in quo, et ad quem, et moventur et subsistunt — est enim iste circularis motus caelestium virtutum circa suum principium, ab eo videlicet incipiens ut a principio; per ipsum per causas creatas currens[15]; in ipso, ut in legibus naturalibus[16], quae in ipso sunt, extraque quas egredi nec vult, nec potest, nec posse vult[17]; in ipsum[18], ut in finem suum rediens[19]: et in sola intelligentia talis motus est; intelligunt enim se ab ipso esse, et per ipsum, et in ipso intellectum suum moveri[20], et nullum alium finem praeter illum[21] se habere non ignorant — quid obstat, ne similiter intelligamus, humanos intellectus indesinenter circa Deum volvi, quoniam ab ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt? Eodem namque intelligibili circulo volvuntur, praesertim cum divina eloquia hominem ad imaginem Dei factum perhibeant, quod de angelis dixisse aperte non reperitur, subintelligendum tamen propter intellectualem naturam relinquitur[22]. Astantes etiam et ministrantes Deo cae-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; A *cognoscimus.* [2] Conj., A Definit *enim;* C *definitū;* E *definit* (*vero* om. E). [3] Sic CE; A *motus.* [4] Sic AE; C *corporaliter.* [5] Sic CE; A per eum *ad* phantasias earundem *sensibilium rerum* pervenire docemus (*ad interiorem sensum* om. A). [6] Sic CE; A *enim.* [7] Sic A; C *cunctarum,* E *creaturarum.* [8] Sic CE; *quid est* om. A. [9] Sic AE; C *incognito.* [10] Sic CE; *quae* om. A. [11] Sic CE; A de *ipso.* [12] Sic CE; *etiam* om. A. [13] Sic CE; A *patribus traditur.* [14] Sic ACE. [15] Sic CE; A *per ipsum per rationes suas per ipsum conditas.* [16] Sic CE; A legibus *suis* naturalibus. [17] Sic CE; A nec *volunt nec posse volunt.* [18] Sic C; A in ipsum *quippe* ut [19] Sic C; A *redeunt.* E in ipsum *et* in finem suum *redigens.* [20] Sic CE; A *exerceri.* [21] Sic CE; *illum.* om. A. [22] Sic CE; *subintelligendum — relinquitur* om. A.

lestes virtutes legimus, humanam vero naturam in Verbo Dei Deum factam, et sedere ad dextram Dei, et regnare, fides testatur catholica. Quod autem [1] post resurrectionem omnium generaliter omnibus [2] hominibus Dominus promittit [3]: *Erunt sicut angeli Dei in caelo*, de condignitate naturae, deque [4] immortalitatis aequalitate, et quod omni sexu corporeo omnique corruptibili generatione carebunt, intelligendum arbitror. Primam namque hominis conditionem ante peccatum in paradiso, hoc est, in caelesti beatitudine aequalem angelis, ac veluti connaturalem fuisse, non incongruum [5] credere. De his namque ambabus naturis, angelica dico atque humana, theologia pronuntiat, dicens: *Qui fecisti caelos in intellectu*, hoc est, ut essentialiter et substantialiter intellectus essent. Quoniam vero *homo, cum in honore esset, non intellexit, et comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis*, longe ex angelica dignitate recessit, inque mortalis [6] hujus vitae calamitatem cecidit. Postquam autem *Verbum caro factum est*, hoc est, Deus homo factus est, impletur, quod in psalmo scriptum est: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum?* Admirans videlicet primae conditionis humanae naturae altitudinem: *Minorasti eum* [7], inquit, *paulo minus ab angelis*, hoc est minorari eum merito suae superbiae permisisti, et in turpitudinem irrationabilis vitae cadere sua propria voluntate reliquisti. Deus enim facere, quod fieri sinit, modo quodam loquendi dicitur: *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Videsne, quantum humana natura in primo homine post peccatum humiliata, et quantum in secundo homine, in Christo dico, per gratiam exaltata? Siquidem non solum ad pristinum naturae suae [8] statum, de quo cecidit homo, restitutus, verum etiam in capite suo, quod est Christus, super omnes caelestes virtutes exaltatus. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia. Si igitur humana natura non solum ad dignitatem angelicam in Christo renovata pervenit, verum etiam ultra omnem creaturam in Deum assumpta est, et quod factum est in capite, in membris futurum esse impium est negare: quid mirum, si humani intellectus nil aliud sint, nisi ineffabiles incessabilesque motus? In his dico, qui digni sunt circa Deum, *in quo vivunt, et moventur, et sunt*. Sunt quidem per rationes, quibus existunt; moventur per rationes virtutum, quibus bene existere possunt; vivunt per rationes, quibus semper existunt. Sunt itaque [9], et bene sunt, et semper sunt, in Deo [10].

Disc. Non solum concedo, verum etiam intelligo, excellentissimum animae motum circa incognitum Deum ultra omnem creaturam verissime vocari et subsistere intellectum. Sed quo modo, vel qua ratione intellectus, dum intra terminos humanae [a] naturae concluditur, supra seipsum omnemque creaturam potest ascendere, ut circa incognitum Deum, qui longe ab omni creata natura remotus est, suos substantiales motus valeat perficere, quaerendum puto [11].

Mag. In hac parte theoriae, quae de intellectualibus rationalibusque substantiis disputat, dum pervenitur ad considerandum, quomodo natura creata extra seipsam potest ascendere, ut creatrici naturae valeat adhaerere, omnis de potentia naturae ratiocinantium [12] inquisitio deficit. Non enim ibi naturae ratio, sed divinae gratiae ineffabilis et incomprehensibilis altitudo conspicitur. Nulli siquidem conditae substantiae naturaliter inest virtus, per quam possit et terminos naturae suae superare, ipsumque Deum immediate per seipsum attingere; hoc enim solius est gratiae, nullius vero virtutis naturae. Hinc apostolus fatetur se ignorasse, quomodo raptus est in paradisum, dicens: *Scio hominem raptum, sed nescio quomodo* [13], *in corpore, an extra corpus*; ac si diceret [14], non enim in naturalibus animae motibus, in corpore vel extra corpus, video ullam virtutem, per quam rapi possim in tertium caelum; Deus autem [15] solus scit, cujus gratia sola raptum me fuisse non ignoro. Nulla siquidem natura per seipsam potest ascendere in illum locum, de quo Dominus ait: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit* [16]. Ut ergo superat omnem intellectum, quomodo Dei Verbum descendit in hominem; ita superat omnem rationem, quomodo homo ascendit in Deum.

Disc. Quanquam breviter, sat tamen et [17] clare est responsum; ideoque, quod instat, ad secundum animae motum considerandum mentis aciem dirige.

Mag. Motus animae secundus est, ut diximus, qui et intra terminos naturae continetur, ipsumque Deum secundum causam definit; hoc est, illud solummodo de Deo incognito quidem [18] cognoscit, quod omnium, quae sunt, causa sit, et quod primordiales omnium causae ab eo et in eo aeternaliter conditae sint, earumque causarum, quantum datur ei, intellectarum ipsi animae, cujus motus est, cognitionem imprimit. Ut enim ex inferioribus sensibilium rerum imagines, quas Graeci phantasias vocant, anima recipit; ita ex superioribus, hoc est, primordialibus causis cognitiones, quae a Graecis

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CE; A *enim*. [2] Sic CE; A *de* omnibus. [3] Sic CE; A *dicit*. [4] Sic CE; A *non* de condignitate *sed de* immort. [5] Sic CE; A non *est* incongruum. [6] Sic AE; C *mortalitatis*. [7] C *enim*. [8] Sic CE; A *suae naturae*. [9] Sic E; A *ergo*. [10] *sunt itaque—in Deo* om. E [11] Sic C; A *non intelligo*. [12] Sic C; A *ratiocinationum*. [13] *quomodo* om. A. [14] *ac si diceret* om. C. [15] *autem* om. A. [16] *erit* om. C. [17] *et* om. A. [18] Pro *quidem* C *quid est*.

NOTAE.

[a] Verbis *sed quomodo vel qua ratione intellectus dum intra terminos humanae*, cod. E folio 235, b medio finitur.

theophaniae, a Latinis divinae apparitiones solent A appellari, sibi ipsi infigit, et per ipsas quandam de Deo notitiam percipit; per primas causas dico, non ut intelligat, quid substantialiter sunt; hoc enim superat omnem animae motum; sed ut universaliter cognoscat, quia sunt, inque suos effectus ineffabili processione profluunt. Et hic est motus, qui a Graecis λόγος vel δύναμις, a nostris vero ratio seu virtus vocatur, et ex primo motu nascitur, qui est intellectus. Sicut enim quidam sapiens artifex artem suam de seipso in seipso efficit, et in ipsa, quae sibi facienda sunt, praenoscit [1], eorumque causas vi et potestate, priusquam appareant actu et opere, universaliter atque causaliter creat; sic intellectus de se et in se suam rationem genuit, in qua omnia, quae vult facere, praecognoscit, causaliterque prae- B creat. Nam non aliud dicimus esse [2] consilium, praeter artificiosae mentis conceptum. Secundus itaque motus animae est ratio, quae veluti quidam obtutus substantialis in animo intelligitur, ac veluti ars ab ipso de seipso [3] in seipso genita, in qua ea, quae vult facere, praenoscit [4] et praecondit. Ideoque non immerito forma ejus nominatur; siquidem ipse per se ipsum incognitus est, sed in sua forma, quae est ratio, et sibi ipsi et aliis apparere incipit. Nam quemadmodum causa omnium per seipsam, nec a seipsa, nec ab aliquo inveniri potest, quid sit; in suis vero theophaniis quodammodo cognoscitur: ita intellectus, qui semper circa eum volvitur, et ad ejus imaginem omnino similem conditus est, nec a C se ipso, nec ab aliquo intelligi potest, quid sit, in ratione autem, quae de ipso [5] nascitur, incipit apparere. Quod vero dixi, causam omnium et intellectum a seipsis non intelligi, quid sint, qua ratione potest esse, paulo post considerabitur. De secundo motu, quid sit, et unde originem ducat [6], satis dictum, ut opinor. Disc. Sat plane.

Mag. Tertius itaque restat motus, qui circa singulas singularum [7] rerum rationes, quae simpliciter, hoc est, universaliter in primordialibus causis conditae sunt, versatur, et, cum ex sensibilium rerum phantasiis per exteriorem sensum sibi nunciatis motus sui substantialis sumat exordium, ad purissimam rerum omnium discretionem per rationes proprias in essentias generalissimas, inque genera generaliora, D deinde in formas speciesque specialissimas, hoc est, in numeros innumerabiles infinitosque, immutabilibus tamen naturae suae analogiis finitos pervenit. Et ille motus est, qui graece διάνοια vel ἐνέργεια, latine vero sensus vel operatio vocatur; ipsum dico sensum, qui substantialis est, et interior, qui similiter ab intellectu procedit per rationem. Omne siquidem, quod intellectus ex primordialium causarum gnostico contuitu arti suae, hoc est, rationi imprimit per sensum suum ex se procedentem, ejusque operationis nomine appellatum, in proprias rationes singularum rerum, quae primordialiter in causis universaliterque creatae sunt, dividit. Cunctae quidem essentiae in ratione unum sunt, sensu vero in essentias differentes discernuntur. Omnium itaque essentiarum ex suorum principiorum simplicissima unitate per intellectum descendentem simplicissimam [8] cognitionem ratio percipit; sed sensus ipsam simplicitatem per differentias segregat. Similiter rerum genera uniformiter et simpliciter in suis universalibus causis, et [9] in seipsis per intellectum ratio cognoscit, illam vero generalissimam simplicitatem, in [10] se ipsa individuam nullisque differentiis obnoxiam, nullis accidentibus subjectam, nullis spatiis distantem, nullis partibus compositam, nullo locali vel temporali [11] motu variam, in diversa genera differentiasque praedictas, aliasque mille [12], sensus partitur. Id ipsum est in differentibus formis, quae consulta ratione [13] in generibus suis unum sunt, sensu tamen operante per rationales distinctiones a se invicem discernuntur: hoc est, quo modo naturalibus motibus, divina providentia regente, jubente, administrante, in discretas rerum multiformitates dividuntur [14], ipse intellectus mediante ratione per consubstantialem sibi sensum sine errore investigat et persequitur, certisque regulis comprehendit. Quid dicam de infinitis numeris, qui, quanto interioris sensus actione sive in seipso, sive in rerum natura multiplices fiunt, tanto ratione considerata in suis formis universaliter et simpliciter unum sunt? Et ut breviter colligamus, quodcunque anima per primum suum motum, qui est intellectus, de Deo et [15] primordialibus causis uniformiter et universaliter cognoscit, secundo suo motui, qui est ratio, eodem modo uniformiter universaliterque infigit. Quod autem a superioribus per intellectum in ratione formatum accipit, hoc totum in discretas essentias, in discreta genera, in diversas formas, in multiplices numeros per sensum inferioribus effectibus distribuit. Et ut apertius dicam, quodcunque anima humana per intellectum suum in ratione sua de Deo deque rerum principiis uniformiter cognoscit, semper uniformiter custodit; quodcunque vero per rationem in causis unum et uniformiter subsistere perspicit [16], hoc totum per sensum in causarum effectibus multipliciter [17] et uniformiter [18] intelligit; et iterum totum, quod per sensum multipliciter sparsum in effectibus intelligit, per rationem in causis unum uniformiter subsistere perspicit. Omnia vero ex una omnium causa et multiplicationis momentum incipere, et unitatis simplicitatem, qua in ea aeternaliter et incommutabiliter subsistunt, nullo modo deserere, totiusque sui motus finem in eam et in ea terminare, per intellectum purissime cognoscit. De tribus animae motibus, hoc est, de intellectu,

VARIAE LECTIONES

[1] C *praevidet*. [2] Pro *dicimus esse* C *est*. [3] C de *ipso*. [4] A *praecognoscit*. [5] C de *seipso*. [6] A *ducit*. [7] A *singularumque*. [8] C *simplicis simplicissimam*. [9] *et* om. C. [10] *in* om. C. [11] A *corporali*. [12] C differentiasque *atque alia* mille (*praedictas* om. C). [13] pro *consulta ratione* C *consideratione*. [14] C *dividantur*. [15] C *ex*. [16] *semper uniformiter custodit — perspicit* om. A. [17] C *multiplex*. [18] *et uniformiter* om. A.

qui etiam essentia; de [1] ratione, quae virtus; et de sensu, qui operatio dicitur, sufficienter suasum, ut opinor. Disc. Lucidissime ac multipliciter.

24. Mag. Intuere itaque, acieque mentis, tota ambiguitatis caligine depulsa, cognosce, quam clare, quam expresse divinae bonitatis substantialis trinitas in motibus humanae naturae [2] recte eos intuentibus arridet, seque [3] ipsam pie quaerentibus se, veluti in quodam proprio speculo ad imaginem suam facto, limpidissime manifestat, et cum sit ab omni creatura remota, omnique intellectui incognita, per imaginem suam et similitudinem veluti cognitam et comprehensibilem intellectualibus oculis, ac veluti praesentem seipsam depromit, ultroque specillam, in qua relucet, purificat, ut in ea clarissime resplendescat [4] una essentialis bonitas in tribus substantiis, quae unitas et trinitas in seipsa per seipsam non appareret, quia omnem intellectum effugit eximia suae claritatis infinitate, nisi in sua imagine vestigia cognitionis suae imprimeret: Patris siquidem in animo, Filii in ratione, sancti Spiritus in sensu apertissima lucescit similitudo. Nam quemadmodum Filium artem omnipotentis artificis vocitamus, nec immerito, quoniam in ipso, sua quippe sapientia, artifex omnipotens Pater ipse omnia, quaecunque voluit, fecit, aeternaliterque et incommutabiliter custodit: ita etiam humanus intellectus, quodcunque de Deo, deque omnium rerum principiis purissime incunctanterque percipit, veluti in quadam arte sua, in ratione dico, mirabili quadam operatione scientiae creat per cognitionem, inque secretissimis sinibus ipsius [5] recondit per memoriam. Ut autem Pater opifex omnium omnipotens, quaecunque in arte sua, quae est ipsius sapientia et virtus, in Verbo suo, in unigenito Filio, simul et semel, primordialiter, causaliter, uniformiter, universaliter condidit per Spiritum sanctum ex se Filioque procedentem, in primordialium causarum innumerabiles effectus dividit, sive in essentias intelligibiles differentiasque omnem sensum corporeum superantes manarint, sive in hujus mundi sensibilis varium multiplicemque ornatum locorum temporumque discretionibus variabilem profluxerint: ita intellectus, hoc est, principalis animae motus, ex intelligibilium rerum gnostica contemplatione formatus [6], omne, quodcunque in arte rationis creat, et reponit per sensum animae interiorem, in singularum rerum sive intelligibilium sive sensibilium discretam inconfusamque dividit cognitionem. Omnia enim, quae intellectus in ratione universaliter considerat, particulariter per sensum in rerum omnium discretas cognitiones definitionesque partitur. Vides itaque, Patrem in Filio suo omnia, quaecunque voluit, universaliter condidisse, et per Spiritum sanctum suum particulariter distribuisse, et distribuere, et distributurum esse [illegible] similitudinem trium Divinitatis personarum cognosce intellectum nostrum omnia, quaecunque de Deo causisque rerum potest intelligere, universaliter in ratione per cognitionem actu scientiae creare, hoc est formare, et per sensum consubstantialem sibi particulariter in singulas rerum definitiones, quas in ratione colligit, contemplationis virtute inconfusae dividere; hoc est, suam cognitionem unicuique cautissimae [7] discretionis contuitu accommodare. Disc. Haec quodammodo mihi splendescunt. Sed quid distat inter operationem creatricis trinitatis et non creatae, et actum trinitatis creatae et [8] creantis, nondum perspicio. Creantis dico; non enim dubitamus, trinitatem nostrae naturae, quae non imago Dei est, sed ad imaginem Dei condita, sola quippe [9] vera imago invisibilis Dei est, et in nullo dissimilis, unigenitum Dei Verbum, Patri et Spiritui coessentiale, non solum de nihilo esse creatam, verum etiam sub se adhaerentes sibi sensus sensuumque officinas, totumque hoc corpus suum, mortale dico, creare; ex Deo siquidem ad imaginem Dei de [10] nihilo facta est; corpus vero suum ipsa creat, non tamen de nihilo, sed de aliquo. Anima namque incorporales qualitates in unum conglutinante, et quasi quoddam subjectum ipsis qualitatibus ex quantitate sumente et supponente, corpus sibi creat, in quo occultas suas actiones per se invisibiles manifeste aperiat, inque sensibilem notionem producat, ut jam in priori libro disputatum est, et adhuc, dum ad considerationem actionis primordialium causarum perventum fuerit, diligentius investigabitur. Nunc autem, quod instat, aperias flagito.

Mag. Hujus quaestionis solutio facillima ac pene sine ullo labore mihi videtur. Summa siquidem Trinitas, omnium rerum creatrix, et a nullo creata, omnia, quae fecit, de nihilo fecit. Proprium enim divinae bonitatis est, ex non-existentibus in existentia [11], quae vult fieri, vocare. Nam et hoc nomen, quod est bonitas, non aliunde originem ducit, nisi a verbo graeco, quod est βοῶ, hoc est, clamo; βοῶ autem et καλῶ, id est [12], clamo et voco, unum sensum possident; etenim qui vocat, saepissime in clamorem erumpit. Deus ergo non inconvenienter bonus dicitur et bonitas, quia omnia de nihilo in essentiam venire intelligibili clamore clamat, ideoque graece dicitur Deus καλὸς, id est, bonus, διὰ τὸ πάντα καλεῖν εἰς οὐσίαν, hoc est, eo quod omnia vocat in essentiam. Cuncta siquidem, quae naturaliter subsistunt, de nihilo in essentiam a conditore vocata sunt per quinquepertitum universalis creaturae motum. Quaedam namque vocata sunt, ut solummodo essentialiter subsistant [13]; quaedam, ut subsistant et vivant; in quibusdam substantiali vitae sensus est additus; in quibusdam vitali sensui ratio cumulatur; in quibusdam ad praedictorum naturalium motuum perfectionem intellectus superponitur. Et est primus mo-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *et de.* [2] A *animae* [3] C *saepe.* [4] C *resplendescit.* [5] A *ipsius sinibus.* [6] C *formatur.* [7] C *cautissimo.* [8] *et* om. A. [9] A *enim.* [10] A *ex.* [11] A *existentiam.* [12] A *hoc* est. [13] A *subsistant essentialiter.*

tus in corporibus naturalibus; secundus in ea vita, qua ligna herbaeque [1] et vivunt et crescunt; tertius in [2] irrationabilibus animantibus; quartus proprie in humana; quintus in [3] angelica conspicitur natura. Et [4] his quinque gradibus in condendis de nihilo rebus summae ac sanctae Trinitatis bonitas perspicitur [5], ineffabilisque operatio manifestatur. Ea vero trinitas, quae in nostra natura ad imaginem Creatoris condita [6], nihil creat de nihilo. Illud enim solius Dei est, et nullius creaturae. Duplex vero ejus actio videtur: aut enim ea, quae de nihilo suus Creator condidit, rationabilibus intellectualibusque suis motibus investigat, et quae in natura rerum puro intelligentiae contuitu cognoscit, in intimis rationis suae sedibus disponit, omniumque rerum, quas potest cognoscere, cognitiones aut in unum colligit, verbi gratia genera in essentia, formas in genere, numeros individuorum in forma scientiae, aut unum facit, aut multipliciter dividit, singulas cognitiones singulis rebus, quarum cognitiones sunt, distribuens, hoc est, ut eodem exemplo utamur, essentiam in genera, genus in formas, formam in individua gnostica operatione discernens [7]. Et haec est principalis summaque rationalis naturae operatio. Secunda vero est, quae, ut diximus, in creatione sui corporis cognoscitur, inque ejus sollicito regimine aperitur. Primo siquidem materiam ejus ex qualitatibus rerum sensibilium accipit, eique nullo temporali spatio interposito formam vitalemque motum [8] accommodat, quo ipsam materiam et vivificat et nutrit, inque augmenta perfectae staturae per numeros locorum et temporum provehit, sensum quoque exteriorem ei praestat, per quem omnium rerum, quas extrinsecus attingit, phantasias recipit, et cetera, quae de sollicitudine assidua continentique actione animae circa corpus suum resque corporeas, sive sensibus praesens vigilando, sive ab eis remota dormiendo, imaginesque rerum, quas per sensus hauserat, secum tractando, aut imagines imaginum fingendo, aut alimenta corporalia, quae extrinsecus in aedificium corporis accipit, per occultos venarum nervorumque meatus, quos Graeci poros vel arterias appellant, distribuendo, et cogitari et intelligi possunt. Ut enim summa Trinitas universitatem totius creaturae, quam de nihilo condidit, providentiae suae regulis movet, regit, ordinat, et nihil perire, hoc est, penitus ad nihilum redire, ex his, quae condidit, sinit; ita [9] nostrae naturae trinitas universitati corporis sui omniumque sensuum ejus incolumitati [10] providet, ipsumque vivificat et movet, et continet, quantum mortalis fragilitas ipsius permittit.

25. Sed vide, ne ex [11] his rationibus incipias conjicere, animae [12] creationem temporali quodam spatio conditionem corporis spiritualis ante peccatum [13], praecedere. Sola siquidem dignitate excellentiaque naturae praecedit anima corpus, non autem loco vel tempore; simul enim ac semel in illo uno homine, qui ad imaginem Dei factus est, omnium hominum rationes secundum corpus et [14] animam creatae sunt. Nullo enim [15] modo juxta moras temporum essentia animae corporis essentiam, sicut nec corporis essentia animae essentiam praecedit. Et ne me existimes [16], primum illud essentiale corpus in paradiso conditum, sola tamen ratione adhuc factum, sicut et ipsa anima — in ipso quippe generali et universali homine ad imaginem Dei facto omnes homines secundum corpus et animam simul et semel in sola possibilitate condita sunt [17], et in ipso omnes peccaverunt, priusquam in proprias substantias spiritualiter, sicut angeli, prodirent, hoc est, antequam unusquisque secundum angelicam multiplicationem in sua discreta differentia in anima rationali et spirituali corpore appareret; quod videlicet corpus incorruptibile aeternaliter et coaeternaliter animae adhaereret, si non peccaret, in quo omnes homines resurrecturi sunt — ab anima creari dixisse. Illud enim ab uno omnium Creatore immediate simul cum rationali anima in caelesti beatitudine, immo ad caelestem beatitudinem substantialiter conditum est; substantialiter autem dico, quia uniuscujusque creaturae vera est substantia sua in primordialibus causis praecognita, praeconditaque [18] ratio, qua Deus definivit, sic et non aliter erit. Ad caelestem [19] beatitudinem quoque dixi; non enim video, quomodo homo beatitudinem perderet, si eam re ipsa plene perfecteque gustaret. Prius enim, ut arbitror, ad se ipsum, quam ad Deum conversus est, atque [20] ideo lapsus. Hoc vero corpus corruptibile ac materiale, quod ex limo terrae assumptum est, ut superius diximus [21], post peccatum merito peccati ad exercitandam in eo negligentem animam erga mandatorum custodiam, suasque occultas operationes revelandas, veluti quadam propria actione [22] animae et creatum fuisse et quotidie creari, affirmare non haesito. Quod enim Scriptura sacra Deum lutum de terra sumpsisse, deque eo corpus homini formasse perhibeat, non te movere debet. Nam et actio creaturae ad eum, ex quo omnis naturalis actio incipit, non immerito refertur. Siquidem et in caelestibus essentiis a primo ordine, qui [23] im-

VARIAE LECTIONES.

[1] C *herbaque.* [2] *in* om. C. [3] C quintus *adhuc* in. [4] A *Ex.* [5] A *aspicitur.* [6] A *est* condita. [7] A colligit, *hoc est ut eodem exemplo utamur, essentiam in genera, genus in formas, formam in individua gnostica operatione discernens, aut multipliciter dividit, singulas cognitiones singulis rebus, quarum cognitiones sunt, distribuens, verbi gratia, genera in essentia, formas in genere, numeros individuorum in forma scientiae actu unum facit.* [8] A *vitalem modum* (*formam* om.). [9] Pro *ita* C *hoc est.* [10] C *incolumitate.* [11] *ex* om. A. [12] A *ad* animae. [13] *spiritualis ante peccatum* om. A. [14] *et* om. C. [15] *enim.* om. C. [16] A *aestimes.* [17] *condita sunt* om. C. [18] A *conditaque.* [19] *caelestem* om. A. [20] A *ac.* [21] *ut superius diximus* om. A. [22] A *operatione.* [23] A *quod.*

mediate post Deum incipit, usque ad extremum gradatim descendentibus, quodcunque ordo superior in inferiori se ordine propria quadam actione administraverit atque perfecerit, hoc totum ad eum, a quo omnis naturalis motus inchoat, naturalisque actio a summo usque deorsum descendit, refertur. Ipsa enim causa omnium, quamvis non per seipsam, quoniam immutabilis est, sed per subditam sibi creaturam universitatem totius naturae a se conditae creet, moveat, gubernet; tota tamen divinae providentiae dispensatio in eam refunditur, quia causa omnium est. Quid dicam de ordinibus Ecclesiae in hac adhuc mortali vita constitutae, quibus episcoporum ordo praefertur? Nunquid omne, quod ceterae dispositiones, quae posteriores sunt, in distributis sibi officiis peregerint, ad eum [1] reducitur, quoniam ab eo posteri ordines, quae sibi peragenda sunt, accipiunt? Ab eo siquidem singula singulis symbolica ministeria distribuuntur, totiusque ecclesiae spiritualis operatio per ipsum refertur in ipsam causam, Deum dico, omnium bonarum mysticarumque actionum. Cur ergo mirum, si primus homo ad imaginem Dei conditus, divinumque praeceptum transgressus, ac per hoc de beatitudine paradisi expulsus, fragile atque mortale de luto terrae sibimet habitaculum crearet, divina providentia admonitus, ut, quia caeleste corpus ac spirituale ab ipso Deo conditum possidere et custodire superbus neglexerat, congruum sibi suae inobedientiae merito mortale hospitium, ex terrena materia sumptum, humiliatus faceret, in quo punitus poeniteret, et exercitatus ad pristinam dignitatem naturae suae redire seipsum recognoscendo et humiliando peteret? Nec de hoc Scriptura tacet.

26. Nam post praevaricationem continuo de simplici humana natura ante peccatum, in [2] duplicem sexum divisa post casum, ait: *Et consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi περιζώματα*, aperte insinuans foliorum symbolo fragilem atque caducam mortalis hujus corporis conditionem, quam sibi homo post sui ruinam texerat. Nostra siquidem mortalia corpora latis fici foliis simillima sunt. Nam quemadmodum folia illa umbram faciunt, radios solis recludunt [3]; sic nostra corpora et tenebras ignorantiae animabus nostris [4] ingerunt, et veritatis cognitionem repellunt. Quae tamen folia nostra, terrena corpora dico, terrenarum mortiferarumque deliciarum dulcedinem quasi quendam fructum [5] undique vallare et obumbrare, inque eis nos allicere ac fallere [6] consuescunt. Et ut cognoscas, mortalis nostri corporis creationem ad eum, cujus consilio acta sunt, quaecunque erga nostram exercitationem et revocationem [7] et salutem leguntur, apertissime referri, audi eandem Scripturam dicentem: *Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori suae tunicas pelliceas, et induit eos.* Ubi non incongrue intelligimus, non aliud per tunicas pelliceas significari, praeter [8] περιζώματα, mortalia videlicet [9] corpora, quae sibi justo conditoris judicio [10] permittente primi homines post transgressionem fecere. Et num tibi videtur credibilius ducendum [11], mortalem hominem mortalem sibi carnem fecisse, quam [12] ipsum Deum per se creasse, sed tantum permisisse et admonuisse? Deus enim immortalis est, et quodcunque per se ipsum facit, immortale est. Omne siquidem mortale, quodcunque in hoc sensibili mundo esse videtur, et fragile, et transitorium, aut nos ipsi facimus nostris irrationabilibus motibus errantes, aut propter delictum nostrum ad usum mortalis vitae nostrae et exemplum fieri sinitur, sive bonis virtutibus administrantibus et perficientibus [13], sive malis naturali cursui, ne ad suum finem perveniat, certis spatiis constitutum impedientibus. Vitalem namque motum in seminibus agere, ut per generationem in formas visibiles procedant, nullus recte philosophantium [14] dubitat; sed ipse vitalis motus non semper aequaliter in singulis generibus actionis suae virtutem manifestat, sive propter quaedam accidentia, quae seminibus non conveniunt, et ex contrariis qualitatibus nascuntur, sive propter adversas, ut diximus, virtutes, quae naturali motui repugnant. De quibus nunc disserere et longum est et superfluum, quia multis disputatum [15]. Sed fortassis quis dicet, illud primum corpus incorruptibile, quod animae, si non peccaret, adhaereret, ubi nunc est? Perire enim incorruptibile non potest. Huic breviter respondendum, in secretis humanae naturae sinibus [16] adhuc latet, in futuro autem seculo apparebit, *quando mortale hoc in illud mutabitur, et corruptibile hoc induetur incorruptionem.* Audi Apostolum: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur in contumelia, surget in gloria*, immortalitatis videlicet, et incorruptibilitatis, sive in bonis, sive in malis. Hoc autem [17] generaliter de omni humano corpore dictum esse arbitror; in omnibus enim aeternae immortalitatis, non autem beatitudinis aequalis erit gloria. Tota siquidem natura primordialis cum sibi superadditis in unum reparabitur.

27. Disc. De hac interim [18] quaestione satis dictum, ut opinor, et ad considerationem illius trinitatis, in qua ad imaginem et similitudinem Dei conditi sumus, redeundum, diligenterque considerandum, utrum per omnia imago illa similitudinem

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic BC; A *eum episcopum* reducitur. [2] *in* om. C. [3] A *excludunt.* [4] *nostris* om. A. [5] *quasi quendam fructum* om. A. [6] Conj., C *in quietis nos allicere affallare* (sic!) consuescunt; *allicere ac* om. A. [7] A *renovationem.* [8] C praeter *quod περιζώματα.* [9] *videlicet* om. A. [10] Conj; C *conditionis judicio;* A *judicio conditoris.* [11] Sic C; *ducendum* om. A. (f. *dicendum?*). [12] C *nam* ipsum. [13] *et perficientibus* om. A. [14] nullus recte *philosophus philosophantium.* [15] A *de quibus alius disserendi locus est.* [16] A in secretis *naturae suae* finibus. [17] A *enim.* [18] C *iterum.*

lius, cujus Imago est [1], imitatur, an in aliquo dissimilis deficit, ad perfectamque imaginem non omnino pervenit. Nam in quantum imitatur, in tantum imago recte dicitur. Si enim [2] in aliquo vacillaverit, ex perfectae imaginis ratione recedit. Mag. Hominem ad imaginem et similitudinem Dei perfectissime factum, et in nullo defecisse in paradiso ante peccatum credimus, excepta ratione subjecti. Deus enim per se ipsum subsistens, et [3] a nullo praecedente se [4] subsistere accipiens, hominem ad imaginem et similitudinem suam de nihilo in essentiam adduxit. Eo itaque notato [5], quod Deus per se ipsum ἄναρχος, id est, sine principio essentiam suam possidet; homo vero, de nihilo creatus, habet [6] conditionis [7] suae initium, non solum in primordialibus causis, in quibus omnia simul creata sunt, verum etiam in processionibus in diversas essentias formasque sive intellectuales sive sensibiles : cetera omnia, quae de Deo dicuntur et intelliguntur per essentialem excellentiam, omnino in imagine [8] ejus perspiciuntur per naturam et [9] gratiam. Conditor quippe invisibilis, incomprehensibilis, omnem intelligentiam exsuperans, imaginem suam in his omnibus sibi [10] similem creavit. Nam et [11] noster intellectus nec a seipso cognoscitur, quid sit secundum essentiam, nec ab alio praeter Deum, qui solus novit, quae fecit; sed quemadmodum de conditore suo hoc tantum cognoscit, quia est, non autem percipit, quid sit : ita de seipso solummodo definit, quia creatus est; quomodo vero vel in qua substantia substitutus est, intelligere non potest. Si enim, quid sit, aliquo modo intelligeret, necessario a similitudine [12] Creatoris deviaret : Πρωτότυπον quippe, hoc est, principale exemplum Deus est per naturam, imago Deus est per gratiam; Πρωτότυπον diffunditur per omnia, distribuens eis essentiam; imago luce gratiae purgata [13], illuminata, perfecta per omnia discurrit, eorum in seipsa confirmans [14] notitiam. Πρωτότυπον omnia, quae fecit, penetrat, sua [15] singulis secundum propriam uniuscujusque analogiam dividens; imago omnia lustrat, bonorum largitorem ex donis suis innumerabilibus omnibus distributis laudans. Alia siquidem sunt dona substantialia, quae proprie data dicuntur, alia substantiae adjecta. Et quemadmodum πρωτότυπον imaginem suam creavit, in qua notitiam quandam de se ostenderet; ita imago imaginem sibi fecit, in qua motus suos per se occultos manifestaret. Anima namque imago Dei est, corpus vero imago animae, ceteraque, quae de similitudine imaginis intelligenda et pronuncianda sunt. De quibus quisquis plenius scire [16] voluerit, legat librum sancti Gregorii Nyssaei de imagine. Disc. Haec libenter accipio; sed video aliam differentiam praeter substantialem quae imaginem ex principali [17] forma videtur dividere. Mag. Dic, postulo, quae sit illa. Disc. Num [18] tibi videtur parva differentia inter illam naturam, quae cognoscit seipsam et esse, et quid sit; et illam, quae tantum cognoscit se esse, non autem intelligit, quid sit? Siquidem non negabis, ut aestimo, ipsum Deum seipsum intelligere, quid sit; ceteras vero creatas essentias et substantias se ipsas non negamus intelligere non posse, quid sint [19]; ne videamur Nazianzeno Gregorio Theologo Nyssaeoque praedicto [20] impudenter refragari, qui unanimiter certis approbant [21] rationibus, nullam creatam essentiam a se ipsa, vel ab alia, quamvis ratione vel intellectu praedita, posse definiri, quid sit. Videsne ergo dissimilitudinem imaginis principalisque suae formae, hoc est, humani intellectus et conditoris Dei, non solum in ratione subjecti, verum etiam in eo, quod ipsa principalis [22] forma cognoscit, quid sit, imago vero [23] nec se ipsam, quid sit, nec suam formam, quam imitatur, substantialiter definire intelligit?

28. Mag. Similitudine verae ratiocinationis [24] deceptum te esse video. Nec immerito. Nisi enim quis ea, in quibus falli videris, acute ac diligenter circumspexerit, non solum verisimilia, sed etiam vera esse putabuntur. Disc. Explices, posco, ubi fallor. Mag. Num tibi videtur divina essentia infinita esse, an finita? Disc. Hinc dubitare et impium et stultissimum est, praesertim cum non essentia, sed plusquam essentia, et essentiarum omnium infinita causa et credi debeat et intelligi, et non solum infinita, sed omnium essentiarum infinitarum infinitas, et plusquam infinitas. Mag. Recte itaque [25] atque catholice; omnino igitur infinita est. Disc. Hoc dedi, nec me poenitet dedisse, sed firmissime approbo, omnino aliter non esse. Mag. Vide, ne te retrahas. Disc. Nil inde suspicandum. Mag. Itaque, quando interrogamus, quid est hoc vel illud, num tibi videmur aliud quaerere, nisi aut jam definitam substantiam, aut definiri valentem? Disc. Non aliud. Hoc enim nomen, quid, dum sit interrogativum, non quaerit, nisi ut illa substantia, quam quaerit, quodammodo definiatur. Mag. Si ergo nemo sapientum generaliter de omni essentia inquirit, quid sit, quoniam definiri non potest, sed ex circumstantiis suis, intra quas veluti terminos circumscribitur, loco dico et tempore, quanto et quali, relatione, copulatione [26], statu, motu, habitu, ceterisque accidentibus, quibus ipsa ratione subjecti substantia [27] per seipsam incognita indefinibilisque subsistens, esse tantum, non autem quid sit, manifestatur : quis Theolo-

VARIAE LECTIONES.

[1] C cujus *imaginem*. [2] A *vero*. [3] A et *in*. [4] C *per* se. [5] A *Notato itaque*, quod. [6] A *habuit*. [7] C *cognitionis*. [8] C *imaginem*. [9] *naturam et* om. A. [10] *sibi* om. A. [11] *et* om. A. [12] C necessario *similitudinem*. [13] C *purgaret*. [14] C *conformans*. [15] A *dona* sua. [16] A *scire plenius*. [17] C ex *principibus*. [18] C *Non*. [19] *quid sint* om. A. [20] *Nyssaeoque praedicto* om. C. [21] C *approbat*. [22] *principalis* om. A. [23] *vero* om. C. [24] *rationis*. [25] *itaque* om. A. [26] Sic C. [27] A *distantia*.

giae disciplinis [1] eruditus interrogare praesumat de divina substantia, quid sit, cum purissime intelligat, de ipsa nec definiri posse, nec ullum eorum, quae sunt, esse, omniaque, quae definiri possunt, superare? Audi Nazianzenum : *Si nihil omnino est*, inquit, *existentium secundum ipsum esse ipsa cumulatio, quae est* [2], *et dicitur eorum, quae a nobis circa illud, quod quaeritur, et intelliguntur et dicuntur, sed alterum quid praeter illud, circa quod haec sunt; continet namque ea, ipsum vero ab his nullo modo continetur; quiescat omnis anima ab omni ratione eorum, quae circa Deum sunt, temere in definitionem ejus insilire, sed silentio colat* [3] *tantum ineffabilem et super intellectum, omnisque summum scientiae, divinae essentiae veritatem.* Si ergo nemo sapientissimorum potest cognoscere existentium substantiae rationes, secundum quas fundatae sunt, quis audeat Deum in aliquo definire? Disc. Nec hoc quaerere praesumpserim, cognoscens ipsam omnino infinitam esse [4]. Mag. Itaque si Deus cognoscit seipsum, quid sit, nonne se ipsum definit? Omne siquidem, quod intelligitur, quid sit, definiri a se ipso vel ab alio potest [5]. Ac per hoc non universaliter infinitus est, sed particulariter, si ex creatura solummodo definiri non potest, a se vero ipso potest. Vel ut ita dicam, sibi [6] ipsi finitus, creaturae infinitus subsistit. Et si hoc datum fuerit, necessario sequetur, ut aut non universaliter Deus infinitus sit, si a sola creatura, non autem a seipso, non recipit definiri; aut omnino nec a creatura, nec a seipso, ut [7] universaliter infinitus sit, ullo modo definitionem percipit. Disc. Praesentis hujus ratiocinationis caliginem inaccessibilem esse aestimo : et nisi ipse, qui quaeritur, dextram suam quaerentibus se praetendat, nullum in eam introitum facile crediderim. Si enim Deus seipsum non definit, aut se definire non possit, quis ignorantiam et impotentiam in eum cadere negarit? Ignorantiam scilicet, si se [8] non intelligit, quid sit; impotentiam vero, si non potest definire, quid subsistit. Impotens enim videbitur esse, quando seipsum in aliquo non potest definire. Si vero et intelligit et definit, quid ipse sit, non omnino infinitus esse probabitur, dum a sola creatura definiri non potest, quia nullo modo ab ea intelligitur, a se vero ipso et definitur et cognoscitur, quid sit. Mag. Ne turbere, sed magis bono animo esto. Haec enim consideratio nos ad nos ipsos intelligendos attrahit, et ad ea, quae pie de Deo nostro cogitanda et intelligenda et pronuncianda sunt, ipso praeeunte perducit. Quanto namque in introitu inquisitionis caliginosa et laboriosa putabitur, tanto perspicua et fructuosa reperietur. *Fieri enim non potest*, ut ait sanctus Augustinus, *quadam divina providentia* [9], *ut religiosis animis seipsos et Deum suum,*

A *id est, veritatem pie ac studiose quaerentibus inveniendi facultas desit.* Disc. Non perturbor, sed magis et merito de obscuritate praesentis quaestionis moveor, ejusque solutionem facilem fieri non opinor. Mag. Redeamus itaque ad ea, quae in priori libro inter nos discussa, et ad purum, ni fallor, deducta sunt. Disc. Quae sunt illa, admoneas, quaeso. Mag. Recordarisne, inter nos ad liquidum consedisse, nullam categoriarum denario numero conclusarum de divina natura ullo modo proprie praedicari posse? Disc. Illud inconcusse et concessum est et stabilitum [10]. Mag. Non igitur tam laboriose, ut aestimes [11], in hujus quaestionis difficultate solvenda sudabimus, si prioris libri ratas conclusiones acute perspiciamus. Illarum siquidem subtilis ac perspicax B utilitas in hoc loco pulcherrimum fructum utilissimumque ferre manifestabitur. Disc. Valde erit [12] necessarium, si sic fuerit. Mag. Erit plane. Ipsas itaque categorias breviter in memoriam revocare ratiocinationis series videtur exposcere. Disc. Alia inquisitionis non arridet via [13]. Attamen interrogative eas recapitules velim. Mag. Intentus itaque hunc interrogandi ordinem intuere : Quid? quantum? quale? ad quid? quo situ? quo habitu? locine? temporisne? agitne [14]? an patitur? Item si vis graece : Τί; πόσον; ποῖον; πρὸς τί; κεῖσθαι; ἆρα ἔχεσθαι [15]; ἆρα ποῦ; πότε; τί πράττει; ἆρα ἦ πάσχει; Horum itaque nullum de Deo [16] proprie interrogatur, quia nullum horum in ipso, nec a se ipso, nec ab alio intelligitur. Haec etenim in his, quae sub intellectum seu sensum cadere probantur, proprie considerari possunt. Quid C enim? Si interrogaveris de Deo, quid sit, nonne quandam propriam substantiam definitam quaeres [17]? Et si quis responderit, hoc vel illud, nonne certam quandam circumscriptamque videbitur definire substantiam? Quod si quis veraciter de ipso pronunciaverit, vel ipse de se ipso intelligit, primum categoriarum locum jure obtinebit, qui certis definitisque tribuitur subjectis, in quibus, et circa quae omnia versantur et continentur accidentia. Ac per hoc non translative, sed proprie prima de eo praedicabitur categoria. Sive enim ab intellectuali creatura, sive a [18] seipsa in aliqua definita essentia intelligatur divina natura, non omnino est infinita et incircumscripta [19], D omnique accidenti carens. Ideoque non ultra omne, quod dicitur et intelligitur, veraciter remota esse creditur, quoniam intra quosdam terminos definitae naturae intelligitur. Omne enim, de quo potest praedicari vel intelligi, quid sit, eorum, quae sunt, numerum non potest excedere, sed veluti pars in toto, vel totum in partibus, vel forma in genere, vel genus in formis, vel individui numeri in specie, vel species in individuis, vel prae-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *discipulus.* [2] C ipsa *cumulatior ea quae est.* [3] C *celat.* [4] Sic C; verba D *Disc. nec hoc — infinitam esse* A supra post verba : *quae definiri possunt, superare* posuit. [5] C *a seipso vel ab alio definiri a seipso vel ab alio potest.* [6] A *sicuti.* [7] *ut* om. C. [8] *se* om. A. [9] A *providentia divina.* [10] C *stabilitatum.* [11] A *aestimas.* [12] C *est.* [13] A *via non arridet.* [14] A *agit.* [15] *Dei ἔχεσθαι* om. C. [16] A *de Deo nullum.* [17] A *quaeris.* [18] *a* om. C. [19] C *circumscripta.*

dictorum omnium quaedam in [1] quandam unitatem ex multis collectio jure aestimabitur esse. Quod longe distat ex divinae naturae simplici infinitaque veritate, quae nihil horum, quae sunt, subsistit. Non enim totum est, neque pars: totum tamen et pars dicitur, quoniam ab ea omne totum et omnis pars, et omnia tota et omnes partes condita sunt. Similiter neque genus est, neque forma, neque species, neque numerus, neque οὐσία, sive generalissima, sive specialissima subsistit: et tamen haec omnia de ea praedicantur, quoniam ab ea subsistendi facultatem accipiunt. Nec non universitas horum omnium dicitur, dum totius creaturae universitatem infinitate suae excellentiae superat, quoniam ab ea universalis universitas creata est. Quomodo igitur divina natura seipsam potest intelligere, quid sit, cum nihil sit? Superat enim omne, quod est, quando nec ipsa est esse, sed ab ipsa est omne esse, quae omnem essentiam et substantiam virtute suae excellentiae supereminet. Aut quomodo infinitum potest in aliquo definiri a se ipso, vel in aliquo intelligi, cum se cognoscat super omne finitum et infinitum, et finitatem et infinitatem? Deus itaque nescit se, quid est, quia non est quid; incomprehensibilis quippe in aliquo et sibi ipsi et omni intellectui. Et cum [2] ipsa veritas intelligibili voce in puris intellectibus haec de Deo verissime [3] dici proclamat, nemo pie cognoscentium, inque divina mysteria introductorum, audiens de Deo, seipsum intelligere non posse, quid sit, aliud debet existimare, nisi ipsum Deum, qui non est quid, omnino ignorare in se ipso, quod ipse non est, seipsum autem non cognoscit aliquid esse. Nescit igitur, quid ipse est, hoc est, nescit se quid esse, quoniam cognoscit, se nullum eorum, quae in aliquo cognoscuntur, et de quibus potest dici vel intelligi, quid sunt, omnino esse. Nam si in aliquo seipsum cognosceret, non omnino infinitum et incomprehensibilem innominabilemque seipsum indicaret. Ut quid interrogas, inquit, nomen meum? Et hoc est genus [4] mirabile. Aut nonne hoc vere est mirabile nomen, quod est super omne nomen, quod innominabile, quod omni supercollatum nomini nominato, sive in seculo hoc, sive in futuro? Si ergo increpat nomen suum quaerere, quia super omne nomen est, innominabile, quid, si quis quaerat ejus substantiam, quae, si in aliquo finito esset, finito nomine non careret? Quoniam vero in nullo substituitur, quia infinitus omni nominatione caret, innominabilis [5] est. Omne siquidem, quod in aliquo substantialiter intelligitur, ita ut proprie de eo praedicetur quid sit, neque modum neque mensuram excedit: aliquo namque modo, quo finitur, concluditur; aliqua mensura, quam superare non potest, lineatur [6]. Si enim infimum in natura rerum obtinuerit locum, quo om- A nia corpora continentur, inferius naturae suae mensuram non potest extendere, quia nihil inferius est, nec superius potest ascendere. Finitur enim in ipso vitali motu, quo nutritur et augetur, atque ideo ultra ipsam non provehitur. Si vero in sublimitate universae creaturae subsistit, ut intellectualis cognoscatur, suis finibus coartari necesse est. Non enim potest ascendere in altiorem se creaturam, quia altius illo in rebus creatis nil esse videtur. Inferius item non potest remitti propter sequentes se subsistentias. Si vero in medio libramine locum obtineret, nec ad inferiora se relaxaret [7], nec ad superiora se extenderet [8], sed naturalem suum mediumque obtineret statum [9]. Ac per hoc nulla creatura est, sive visibilis sive invisibilis, quae non intra terminos B propriae naturae in aliquo coartetur [10] in mensura et numero et pondere. Deus autem in nullo eorum intelligit se esse, sed cognoscit, se supra omnes esse naturae ordines [11] suae sapientiae excellentia, et infra [12] omnia suae virtutis altitudine, et intra omnia suae providentiae ininvestigabili dispensatione, et omnia ambire, quia in ipso sunt omnia, et extra ipsum nihil est. Solus enim ipse est mensura sine mensura, numerus sine numero, pondus sine pondere. Et merito, quia a nullo, nec a seipso mensuratur, numeratur, ordinatur, nec in ulla mensura, in ullo numero, in ullo ordine intelligit se esse, quoniam in nullo eorum substantialiter continetur, cum solus vere in omnibus supra omnia infinitus existat. Et ne mihi opponas, quare dixerim, ordinem corporum in altiores se C naturas extendi [13] non valere, cum credamus, omnia corpora in incorporeas qualitates atque substantias esse transitura. Quando enim hoc erit, corpora esse cessabunt. Adhuc autem dum corpora sunt, nec [14] inferius neque superius suae naturae terminos possunt transgredi. De qua parte philosophiae, dum de reditu rerum in causas considerabimus, diligentius tractabitur. Nunc autem de eo, quod instat, hoc est, quod Deus, quid sit, non intelligit, intueamur. Et [15] de hoc quod conamur suadere, quid tibi videtur [16], non te pudeat fateri. Disc. De hac mirabili divina ignorantia, qua Deus non intelligit, quid [17] ipse sit, quae a te dicta sunt, quamvis caliginosa, non tamen falsa, sed vera, verique similia mihi videri fateor. Non D enim suades, Deum seipsum ignorare, sed solummodo ignorare, quid sit. Et merito, quia non est quid; infinitus quippe est et sibi ipsi, et omnibus, quae ab eo sunt. Ac per hoc in hac specie ignorantiae apertissime pulcherrimeque summa et ineffabilis arridet sapientia. Stultum enim Dei sapientius est hominibus. Mag. Quid itaque? Si quis de Deo interrogaverit, quantus vel qualis sit, num tibi recte videbitur responderi, tantus et talis? Non illam dico quantitatem et qualitatem, de qua Propheta dicit:

VARIAE LECTIONES.

[1] Pro *in* C *ita*. [2] A *si*. [3] A *verissime de Deo*. [4] *genus* om. C. [5] Conj., AC *quia* innominabilis. [6] C *lineat*. [7] A *relaxaretur*. [8] A *extenderetur*. [9] *sed naturalem — statum* om. C. [10] C *coarcet*. [11] Sic C; A *naturae ordines esse*. [12] Sic AC. [13] C *extendere*. [14] C *non*. [15] *quod Deus — Et* om.. C. [16] Sic C, A *Et utrum tibi probabile videtur, quod conamur de hoc suadere, non te pudeat* cet. [17] C *quod*.

Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Vide, quam alte Theologus loquitur: *Magnus*, inquit, *Dominus*. Sed ne quis finita quantitate eum finiri putaret, continuo addit: *et magnitudinis ejus non est finis*. Item, ne quis qualitatem finitam in eo esse opinaretur, non dixit simpliciter *et laudabilis*, sed subjunxit: *nimis*; nimis autem dicitur, quod omnem modum excedit. Non illam itaque, ut dixi, quantitatem infinitam nomino, nec illam qualitatem, quae est nimis; haec namque non [1] incongrue de Deo cogitantur; sed qualitatem et quantitatem, quae secundum accidens in subjecto dicuntur. Disc. Non recte quidem. Ubi enim non invenitur definita substantia, vel, ut ita dicam, definitum subjectum, ibi quantitatem [2] et qualitatem quaerere et firmare stultum valde risuque dignum mihi videtur. Ac per hoc, dum in Deo nec ipse, nec alius intellectus ullam definitam substantiam, vel, ut ita dicam, definitum subjectum, secundum quod dici vel intelligi valeat quid sit, reperire non potest, nonne limpidissime claret, nullam finitam vel infinitam quantitatem, nullam qualitatem finitam vel infinitam in ipso cognosci a se ipso, vel ab alio valere? Si enim omnem finitam et infinitam substantiam infinita et plusquam infinita propriae virtutis excellentia superexaltat, quis non continuo ac sine ulla dubitatione erumpat, ut aperte fateatur atque exclamet, nullam finitam vel infinitam quantitatem vel qualitatem in eum cadere, aut ullo modo quid omnino esse? Nam ubi invenitur quid, ibi confestim, quantum et quale. Ubi vero non est quid, ibi quantum et quale impossibile est reperiri. Si ergo in rerum generibus neque quid, neque quantum, neque quale, neque ullum accidens intelligitur, quoniam simplicia sunt, haec vero in individuis solummodo quaeruntur, quis, nisi stultus, in Deo quid vel quantum vel quale audeat quaerere?

Mag. Quid igitur? Num in eo aestimas esse relationem, quae a Graecis dicitur πρός τι. Disc. Ne hoc quidem dixerim. Ubi enim [3] definita substantia non potest intelligi, ibi nullam relationem fieri posse non ambigo. Non enim est [4] secundum substantiam [5], sed secundum quandam copulam habitudinemque [6] duorum seu plurium [7] subjectorum. Nam quod in divinae bonitatis Trinitate, sub relativa [8] forma, Pater Filii dicitur [9], et Filius Patris, plus mihi possessionis habitum, quam relationis vicissitudinem videtur significare. Non autem accidens est [10] Patri possidere Filium, nec [11] Filio possidere Patrem. Mag. De ceteris categoriis per singula superfluum videtur dicere, ut aestimo. Nam si Deus ipse seipsum in nulla definita substantia, seu quantitate, seu qualitate, seu relatione intelligit, cui luce clarius non apparebit, nullum situm habitumve, nullum locum seu tempus, nullum agere vel pati omnino ei accidere, ac per hoc nullum eorum nec a seipso, nec ab alio in seipso [12] intelligi posse? Siquidem definita substantia in eo non reperta, neque intellecta, nullum accidentium definitae substantiae ei accidere rectum est dubitare. Ubi enim deficit definitum subjectum, ibi nullum accidens intelligitur adjunctum vel separatum, vel ullo modo natura subjecti discretum. Sed ut breviter de singulis dicamus, de quibus in superiori libro copiose [13] tractavimus: Quis divinae naturae situm dederit, dum et ipsa in seipsa nullum situm cognoscit? Situs enim aut partium in toto [14] est; verbi gratia, situs humani corporis est ordo membrorum, quo [15] omne membrum in suo ordine sinitur [16]. Situs quoque dicitur totius corporis positio, verbi gratia, stat, sedet, jacet, quibus omnibus omnino divinae essentiae virtutem carere nemo recte philosophantium ignorat. Non enim totum est, neque pars, neque sedet veluti fatigata, neque jacet ut prostrata, neque post ullum [17] motum stat. Ad dextram Patris sedere Filius dicitur [18], totus Filius, Verbum et caro. Dextra Patris est potentia Patris, fortitudo Patris. Ipse itaque Filius dextra Patris est. Ubi igitur [19] sedet, in seipso sedet, consubstantialis Patri manens, judicans omnia quietus. Stat [20] Stephano militibus compugnans suis, dans eis virtutem, ut vincant in terris, *dextra Domini fecit virtutem*, largiens eis coronam confessionis sibi [21] in caelis. Vide quomodo sedet, quomodo stat. Situs [22] iste mysticus est, non corporeus, non localis, sed spiritualis [23]. Talem [24] situm divinae naturae cognosce. Quis ei habitum adjunxerit, dum in seipsa nullum percipit habitum? Ipsa siquidem sibi ipsi ad habendum sufficit, nec ulla virtus ei accidit, quoniam in seipsa simplicissima virtus, et plusquam virtus subsistit, et fons omnium virtutum, et quaecunque substantia virtutem possidet, non aliunde habet, nisi ex participatione generalium virtutum, quas omnium causalis virtus in primordialibus suis condidit principiis. Omni loco caret [25] divina natura, quamvis intra seipsam omnia, quae ab ea sunt, collocet; ideoque omnium locus dicitur, seipsam tamen nescit [26] locare, quia infinita est et incircumscripta, et a nullo intellectu, neque a seipsa [27] locari, id est, definiri et circumscribi permittit. Ab ipsa siquidem infinita et plusquam infinita omnia finita et infinita procedunt, inque ipsam [28] infinitam et plusquam infinitam redeunt. Tempore [29] caret ea natura, quae se ignorat principium habere vel finem, et omnem motum, quo movetur omne, quod a principio ad finem et in finem movetur. Nescit in se incrementa, quae fiunt per numeros locorum et temporum, vel detrimenta, quo-

VARIAE LECTIONES.

[1] *non* om. C. [2] Sic C; A *quantitatem et qualitatem*. [3] *enim* om. A. [4] Sic C; A *est enim*. [5] A *naturam*. [6] *habitudinemque* om. A. [7] C *plurimum*. [8] A *relationis*. [9] Pro *dicitur* A *Deus*. [10] A *est accidens*. [11] C *vel*. [12] A in *ipso*. [13] C *copiosa*. [14] A in *loco*. [15] A *quod*. [16] Sic C; A *finitur*. [17] *ignorat—ullum* om. C. [18] Pro *dicitur* C *Dei*. [19] A *itaque*. [20] *Stat* om. C. [21] *sibi* om. A. [22] C *sicut*. [23] C *specialis*. [24] A *tamen*. [25] C caret *et* divina. [26] C tamen *non* nescit. [27] C neque *se ipsi*. [28] *ipsum* om. A. [29] C *Temporum*.

niam in seipsa plena atque perfecta est. Quid de agere et pati dicendum? Num ineptum incongruumque est, si quis putaverit, agere vel pati ipsi naturae accidere, quae in seipsa nullum motum ad agendum, nullum habile ad patiendum percipit? Non enim, sicut in nobis aliud est substantia, aliud [1] accidens substantiae, hoc est actio et passio, ita ipsa in se ipsa cognoscit compositionem [2] quandam substantiae et accidentium. His enim in seipsa caret, nec inesse sibi cognoscit; est enim simplicissima omnique compositione aliena. Voluntas siquidem sua, quae ets ipsa substantialiter, et plusquam substantialiter, et plusquam voluntas, actio et passio ejus est. Agere enim dicitur, quia vult omnia fieri quae sunt, pati autem, quia vult ab omnibus amari, et seipsam amat in omnibus. Ipsa enim est substantialis et verus amor, et plusquam substantialis amor; et eum amant, quaecunque amant, sive sciant quia amant, sive nesciant; hoc est, sive motu intelligibili rationabilive amant [3], ducente gratia, sive simplici appetitu naturae. Nihil enim ab ea est creatum, quod non ejus habeat desiderium. Videsne igitur, quod omnia, quae intra decem categoriarum terminos amplexantur, non immerito Deus dicitur in sua natura subsistere ignorare, quando omnino ea altitudine virtutis suae et infinitate probatur excellere? Quod enim infinitum est omni ratione et modo, infinitum est per essentiam, per virtutem, per operationem, per utrosque fines, sursum dico et deorsum, hoc est, secundum principium et finem; incomprehensibile enim secundum essentiam, et inintelligibile [4] secundum virtutem, et secundum operationem incircumscriptum, et sine principio de sursum, et sine fine deorsum, et [5] infinitum, et simpliciter dicendum ac verius, per omnia infinitum. Disc. Plane video, verumque esse, ac verae ratiocinationis conclusionibus munitum perspicio. Sed valde me movet, qua ratione ignorantia in Deum cadat, quem nihil latet aut in seipso, aut in his quae a se sunt. Mag. Esto itaque intentus, et ea, quae dicta sunt, diligenter inspice. Si enim puro mentis contuitu virtutem rerum atque verborum consideraveris, apertissime reperies, nulla obstante caligine, nullam in Deum ignorantiam cadere. Ipsius enim ignorantia ineffabilis est intelligentia. Et ut ex praedictis hoc conemur approbare, verborum virtutem intuere. Num tibi videmur aliud suadere, dum dicimus, Deum seipsum, quid sit, ignorare, quam in nullo eorum, quae sunt, se esse intelligere? Quomodo enim in seipso potest cognoscere, quod non potest in seipso esse? Si enim rationes rerum, quas ipse in seipso, hoc est, Pater in Filio creavit, in ipso unum individuum sunt, nullamque [6] definitionem propriae substantiae per [7] proprias differentias seu accidentia recipiunt?; haec enim, in effectibus suis, non autem in se ipsis patiuntur: quid [8] de ipsius ineffabili natura incomprehensibilique existimandum? Quis in eo [9] aliquod finitum termino, distentum spatio, partibus discretum, substantiis accidentibusque compositum cogitarit? Ipsa itaque ignorantia summa ac vera est sapientia. Tale autem est, quod dicimus, veluti si quis nostrum de seipso dicat lapidem me esse insensatum, omni vitali motu carentem, omnino non intelligo, hoc est, me lapidem insensatum, vitali motu carentem omnino me non esse intelligo [10]. Item ullum hominem vivum in carne, sensu ac ratione carere non intelligo, quia omnem hominem [11] viventem in carne sensu ac ratione non carere cognosco. Item ullum irrationabilem motum naturaliter in anima mea subsistere non intelligo, id est, nullum irrationabilem motum naturaliter animae meae inesse certissime sapio. Et hoc a sacra Scriptura possumus approbare. Nam et in Evangelio legimus, Dominum in futuro judicio reprobis responsurum: *Non novi vos*, hoc est, non novi vos in rationibus omnium rerum, quas Pater in me condidit, quoniam intelligo, non esse vos [12] in meis [13], non in quantum naturaliter substitui vos, sed quantum ex legibus naturae vestrae [14] cecidistis: novi enim quod in vobis feci; non novi vero quod non feci: ideoque non punio, nec recedere a me jubeo, quod in me novi; sed quod in me non novi illud punio, et a me recedere praecipio. Ignorat itaque Deus in impiis peccatoribusque, quod non fecit, illorum videlicet malignos irrationabilesque motus. Est etiam alia species ignorantiae in Deo, quando ea, quae praescivit et praedestinavit, ignorare dicitur, dum adhuc in rerum factarum cursibus experimento non apparent [15]. Inde ipse in Evangelio: *De die autem illa*, inquit, *et hora illa nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius hominis, nisi Pater solus*. In quibus verbis [16] non est mirum, si futuri judicii scientia humanos animos adhuc mortali carne depressos lateat. Neque etiam omnino de angelis negandum [17] adhuc ignorantiae esse capaces, cum sacra Scriptura eos semper discere perhibeat, teste sancto Dionysio Areopagita in septimo capitulo de caelesti Ierarchia, dicens: *Theologi aperte declarant, suppositas quidem caelestium essentiarum dispositiones ex superformalis* [18] *ornate erudiri deificas scientias, omnium vero altiores ab ipsa Divinitate, quantum fas, doctrinas* [19] *illuminari, et eas ipsum Jesum immediate docentem, praelargiens* [20] *eis manifestam suam humanam benignitatem. Ego enim, inquit, disputo justitiam et judicium salutaris. Item : Miror, inquit, quia et caelestium essentiarum primae, et simul omnes supereminent divinas ordines angelicos illuminationes, et, ut mediatae, quaestiones reverenter petunt. Nonne inde interrogant, quare tua*

VARIAE LECTIONES.

[1] A aliud *est*. [2] *et* positionem. [3] *amant* om. A. [4] Corr., AC *intelligibile*. [5] Pro *et* A *est*. [6] C *nanque*. [7] *per* om. A. [8] A *quod*. [9] A in *ea*. [10] *hoc est, me lapidem — intelligo om. C*. [11] *hominem* om. C. [12] Sic C; A *vos non esse*. [13] C in *eis*. [14] A *vestrae naturae*. [15] Sic C; A *apparuerit*; Gale corr. *appararent*. [16] *verbis* om. A. [17] A *negamus*. [18] A *superfirmatis*. [19] sic C; A *doctrinis*. [20] Sic AC.

rubra vestimenta? apud seipsas[1] *vero deliberant, ante interrogare, ostendentes quidem, quia discunt, et deificam scientiam appetunt.* Si ergo, teste praedicto σόφῳ[2], caelestes virtutes discunt, necessario non omnis ignorantiae expertes sunt. Et si ita est, non mirandum, futuri judicii mysteria adhuc eas ignorare posse. Quod vero de seipso Dominus dicit: *neque Filius hominis, nisi Pater solus,* obscurissimam efficit quaestionem. Quomodo enim Filius ignorat, quod Pater scit, praesertim de die judicii, cum judicium specialiter ad Filium pertineat? *Pater enim,* ut ipse ait, *non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio.* Caliginem tamen hujus quaestionis sanctus Epiphanius, Constantiae Cypri episcopus, in libro, quem de fide scripsit, elegantissime acutissimeque[3] aperuit, dicens: *Patrem solummodo nosse futurum judicium, non solum per praescientiam, sed etiam per experimentum. Pater siquidem per experimentum*[4] *cognoscit judicium, jam enim re ipsa omne judicium dedit Filio; omnino enim Pater peregit judicium*[5], *dum omne illud dedit Filio. Filius vero et scit, et nescit judicium. Praescientia namque scit, nondum tamen experimento, et ideo experimento nescit, quia nondum re ipsa factum est judicium,* hoc est, segregatio reproborum ab electis, siquidem adhuc messis Ecclesiae frumento et zizaniis mixta est. Non ignoramus tamen, sanctum Augustinum tropice hunc locum explanare, ut Filius hominis nescire dicatur diem judicii, quia nos nescire sinit. Audi quoque apostolicam ignorantiam, de qua scriptum est in Actibus apostolorum, Paulo maledicente summo sacerdoti Ananiae, et dicente: *Nesciebam, fratres, quia princeps sacerdotum est; scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Num tibi videtur sapientissimus apostolus et in lege peritissimus, Ananiam summum sacerdotem fuisse, sicut ceteri Judaei, non cognovisse? Quod nullo modo est aestimandum. Sed ideo ipsum ignorasse dixit[6], quoniam a Deo fuisse ordinatum non vidit. *Ignorabam, fratres,* inquit, *quia princeps sacerdotum est,* quia cognosco, quod nec ex Deo, nec secundum legem, sed secundum Judaicam superstitionem constitutus est[7]; ideoque ignoro eum principem sacerdotum esse, quoniam vere cognosco, eum non sic esse. Si enim principem populi verum ac legitimum esse cognoscerem[8], profecto ei non maledicerem. Quoniam vero ignoro, eum principem esse in veritate, propterea non me poenitet ei[9] maledicere. Aliam ejusdem cognosce ignorantiam. *Scio,* inquit, *hominem raptum usque ad tertium caelum, nescio in corpore, an extra corpus nescio*[10], *Deus scit.* Nescio, ait, in corpore, quoniam scio non in corpore, aut extra corpus nescio, quoniam extra corpus me raptum non fuisse cognosco. Non enim operationibus animae per corporeos sensus, neque ejusdem operationibus extra corpus raptus sum in tertium caelum, sed operatione divinae gratiae absque ullius creaturae administratione super omnem creaturam raptum me fuisse apertissime scio. Nescio ergo in corpore an[11] extra corpus, quia scio, quod nec in corpore, nec extra corpus raptus sum. Et ne diutius in eadem re immoremur, prius enim deficiet tempus, quam divinae ignorantiae, sive in Scriptura, sive in rerum natura, exempla: hoc solummodo nosse arbitror sufficere, divinae ignorantiae tres principales species esse. Primam quidem, per quam malum non cognoscit, quia ejus cognitio[12] simplex est, et a solo substantiali bono, hoc est, a seipso formatur[13]. Solus enim ipse est substantiale bonum per se ipsum; cetera vero bona ipsius participatione bona sunt. Deus itaque malum nescit. Nam si malum sciret, necessario in natura rerum malum esset. Divina siquidem scientia omnium, quae sunt, causa est. Non enim ideo Deus scit ea, quae sunt, quia subsistunt; sed ideo subsistunt, quia Deus ea[14] scit. Eorum enim essentiae causa est divina scientia, ac per hoc, si Deus malum sciret, in aliquo substantialiter intelligeretur, et particeps boni malum esset, et ex virtute et bonitate vitium et malitia procederent, quod impossibile esse vera edocet ratio. Secunda species est, per quam dicitur Deus[15] ignorare alia praeter ea, quorum rationes in seipso aeternaliter et fecit et cognoscit. Quorum enim naturaliter habet virtutem, eorum essentialiter possidet scientiam. Tertia est, per quam dicitur Deus[14] ignorare, ut praediximus, ea, quae nondum experimento actionis et operationis in effectibus manifeste apparent; quorum tamen invisibiles rationes in seipso a seipso creatas et sibi ipsi cognitas possidet. His praedictis quarta species additur, de qua nunc tractare ordo disputationis poscebat, qua Deus dicitur ignorare, se esse in numero rerum, quae ab eo factae sunt, quas intra denariam quantitatem praedicamentorum Philosophi conantur concludere. Ac per hoc[16] universaliter dicendum, quod in nullo eorum, quae intra decem genera rerum a philosophis comprehenduntur, neque eorum, quae extra illa diligentior inquisitio invenit, sive secundum substantiam, sive secundum accidens sint, neque eorum, quae in nulla substantia vel accidente possunt inveniri, sive in rationibus occultis, sive in possibilitatibus, sive in impossibilitatibus sint[17], Deus se intelligit[18] subsistere, quoniam se cognoscit nullum eorum esse dum omnia ineffabili essentiali sua virtute et plusquam virtute et incomprehensibili sua infinitate intelligit se excellere.

29. Propterea autem dixi, diligentiorem inquisitionem posse quaedam invenire in rerum natura praeter ea, quae decem praedicamentis comprehenduntur. Nam et illa a philosophis reperta sunt, ne

VARIAE LECTIONES.

[1] A *seipsos.* [2] Sic C praedicto sopho, A *Patre praedicto.* [3] C *accuratissimeque.* [4] *Pater siquidem per experimentum* om. C. [5] *jam enim — peregit judicium* om. C. [6] A *dicitur.* [7] *est* om C. [8] A si enim *cognoscerem principem p. v. a. e.,* profecto cet. [9] *ei* om. C. [10] *nescio* om. A. [11] A *aut.* [12] A *cognitio ejus.* [13] C *ormavit.* [14] C *ea Deus.* [15] A *Deus dicitur.* [16] A *haec.* [17] A *sunt.* [18] A *intelligit se.*

quis minus capacium existimet, rerum diligentem indagationem ultra praedictam categoriarum quantitatem non posse progredi [1]. Generaliora enim genera eorum comprehendit ratio; siquidem in motu et in statu sunt. Item status et motus universali essentia colliguntur, quae in infinitum divisionem sui patitur. Ea namque substantia, quae primum in categoriis obtinet locum, finita est, et accidentibus subjecta; ea vero universalis essentia nullum in se accidens recipit; in suis quippe subdivisionibus usque ad individua pervenientibus accidentium capax est, ipsa vero in seipsa simplex est, nullique [2] accidentium subjecta. Cui motus ille generalissimus nullique [3] catagoriae obnoxius, quo [4] omnia de nihilo in esse procedunt, status quoque, in quem omnia motuum sui terminum constituent, qui etiam nulli categoriae succumbit, subdividuntur. Quod autem addidi, in natura rerum esse quaedam, quae nec in substantia, nec in accidentibus cognoscuntur, hoc est, quae nec substantiae nec accidentia sunt, de rationibus adhuc in nulla re apparentibus sive substantialiter, sive secundum accidens, sensui vel intellectui dictum esse intellige. Possibilia quoque et impossibilia in numero rerum computari nemo recte philosophantium contradicet. Quae nulla alia ratione esse dicuntur, nisi quia possibilia possunt in aliqua re fieri, etsi non sint [5]: impossibilia vero sola virtute impossibilitatis continentur; eorum enim esse est impossibilitas [6] in aliqua re intellectuali seu sensibili apparere. Et possibilium quidem exemplum fiat: quidam homo potest prolem gignere, sed amore virginitatis detentus spernit prolem habere. Impossibilium vero, rationabile animal impossibile est irrationabile esse, aut conversim [7]. De quibus quisquis plene voluerit percipere, legat περὶ ἑρμηνείας, hoc est, de interpretatione Aristotelem; in qua aut de his solis, hoc est possibilibus et impossibilibus, aut maxime a Philosopho disputatum est. Nunc itaque ad ea, quae restant, consideranda transeamus, si tibi [8] de speciebus divinae ignorantiae, quibus dicitur Deus ignorare, satis videtur discussum. DISC. Satis quidem superque, ac diutius in eis immorari non necessarium video. Solari namque radio lucidius patefactum, divina ignorantia nil aliud intelligendum esse, nisi incomprehensibilem infinitamque divinam scientiam. Nam quod sancti Patres, Augustinum dico et Dionysium, de Deo verissime pronuntiant, Augustinus quidem: *Qui melius* inquit *nesciendo scitur*, Dionysius autem: *Cujus ignorantia vera est sapientia*, non solum de intellectibus, qui eum pie studioseque quaerunt, verum etiam de seipso [9] intelligendum opinor. Sicut enim, qui recto [10] ratiocinandi itinere investigant, in nullo eorum, quae in natura rerum continentur, ipsum

A intelligere possunt, sed supra omnia sublimatum cognoscunt, ac per hoc eorum ignorantia vera est sapientia, et nesciendo eum in his quae sunt, melius eum sciunt super omnia, quae sunt et quae non sunt: ita etiam de seipso non irrationabiliter dicitur, in quantum seipsum in his, quae fecit, non intelligit subsistere, in tantum intelligit se super omnia esse, ac per hoc ipsius ignorantia vera est intelligentia. Et in quantum se nescit in his, quae sunt, comprehendi, in tantum se scit ultra omnia exaltari; atque ideo nesciendo seipsum, a seipso melius scitur; melius est enim, se scire ab omnibus remotum esse, quam si sciret, in numero omnium se constitui. MAG. Recte intelligis; et quod de talibus ratio suadet, pure ac indubitanter te perspicere sentio. Nec jam B cernis, ut opinor, ullam differentiam [11] imaginis et principalis formae, praeter rationem subjecti.

Summa siquidem Trinitas substantialiter per seipsam [12] subsistit, et ex nulla causa creata est; trinitas vero nostrae naturae de nihilo facta est ab ipsa, quae per seipsam aeterna est, ad imaginem et similitudinem suam; et si aliqua dissimilitudo praeter hoc imaginis et principalis exempli reperta fuerit, non ex natura hoc processit, sed ex delicto accidit, neque ex creatricis Trinitatis invidia, sed ex creatae imaginis culpa. Totum namque, quod de Deo vel intelligitur secundum essentiae virtutem, de ejus imagine in his, quibus [13] purgatur, illuminatur, perficitur, et dici, et intelligi potest secundum creationis gra- C tiam eo, ut praediximus, excepto, quod divina natura Deus est excellentia essentiae, humana vero Deus est divinae gratiae largitate; et quod illa creatrix sit, et a nullo creata, ista vero ab illa creata est, et ea, quae suae naturae infra se adhaerent, creat, corpus hoc mortale dico, post peccatum animae adjunctum, quod etiam imago imaginis vocatur, ut saepe diximus [14]. Nam quemadmodum animam ad imaginem suam Deus creavit; ita anima corpus veluti instrumentum quoddam quodammodo sui simile efficit [15]. Sed ad divinae trinitatis, quae causa omnium est, theoriam redeundum, si tibi, quae de talibus dicta sunt, sufficiunt. DISC. Sufficiunt sane. MAG. In summa itaque ac singulari universorum causa, ex qua et in qua et sunt et condita sunt totius creaturae princi- D pia, hoc est, primordiales causae, considerandum arbitror, utrum ipsa, dum sit unitas et trinitas — divina siquidem bonitas est una essentia in tribus substantiis, et tres substantiae in una essentia [16], vel [17] secundum usum Romanae linguae dicendum, una substantia in tribus personis, et tres personae in una substantia — in seipsa causas quodammodo differentes sicut substantias [18] a se invicem habeat; hoc est, utrum sicut de ipsa praedicatur una essen-

VARIAE LECTIONES

[1] C *praegredi*. [2] Sic ABC. [3] Sic C; B *illique*. [4] Corr; BC *quae*. [5] A *sunt*. [6] Pro *est impossibilitas* A *impossibilitas vere*. [7] Sic C. [8] Pro *si tibi* A *sicut*. [9] C de *se* (*ipso* om.) [10] C *recte*. [11] A *dissimilitudinem*. [12] A *per seipsam substantialiter*. [13] C *in* quibus. [14] *ut saepe diximus* om. A. [15] A *effecit*. [16] *in tribus — essentia* om. C. [17] C vel *si* secundum. [18] *sicut substantias* om. A.

tia in tribus substantiis, ita etiam una essentialis causa in tribus subsistentibus causis, et tres subsistentes causae in una essentiali causa credenda est, et intelligenda [1]. Et quid de hujusmodi theoriis sana fide cogitandum sit et praedicandum, non incongruum orthodoxae fidei contemplationibus explanare. Disc. Immo congruentissimum, et fidelium animarum saluti necessarium. Mag. Quid igitur? Num debemus hoc de causa omnium et credere, et quantum datur, intelligere et praedicare [2], et essentialem causam unam in tribus substantialibus causis, et tres substantiales causas in una essentiali causa? Disc. Quid hoc [3] prohibet intelligi et praedicari, non mihi occurrit. Si enim Deus causa omnium est, nonne sequitur, ut [4] et causa omnium Deus cognoscatur? At [5] si Deus causa, et causa Deus, nonne consequens est [6], ut et omne, quod de Deo credere debemus, similiter sine ulla discrepantia de causa non dubitemus intelligere? Nam si unum Deum per se existentem in tribus substantiis per se subsistentibus fides fatetur catholica, quid obstat, ne similiter dicamus, unam causam per se existentem in tribus causis per se subsistentibus? Mag. Pie et orthodoxe. Est [7] igitur una causa in tribus causis, et tres in una. Disc. Jam et concessum est et datum.

30. Mag. Nunc itaque ad theologiam redeamus, quae pars prima est et summa sophiae; nec immerito, quia aut sola aut maxime circa divinae naturae versatur speculationem; et dividitur in duas partes, in affirmationem, dico, et negationem, quae graece appellantur [8] κατηφατική et ἀποφατική. Quarum una in [9] primo libro usi sumus, ubi certis rationibus decem categorias omniaque rerum genera et formas numerosque et accidentia de Deo proprie praedicari negavimus; et iterum in praesenti libro eandem, ἀποφατικήν dico, serie quaestionum exigente, repetivimus, dum ipsum [10] Deum nullum eorum, quae sunt, et quae non sunt, in sua essentia intelligere diximus, quia omnem superat essentiam, ipsumque, quid ipse sit, quoniam nullo modo definitur, et quantus et qualis sit, quia nihil ei accidit, et in nullo intelligitur, omnino ignorare, ac per hoc seipsum in his quae sunt, et quae non sunt, comprehendi penitus negare, quae species ignorantiae omnem scientiam superat et intellectum. Jam vero alteram, καταφατικήν dico, conamur inspicere, eo duce, qui quaeritur, et qui quaerit se quaeri, et se quaerentibus occurrit, et inveniri desiderat; et ea pars est, quae contemplatur, quid de divina natura veluti proprie proferendum, cauteque et rationabiliter intelligendum. Disc. De parte negativa in prioribus satis mihi est suasum; nunc vero de affirmativa quid explices, ardens exspecto. Mag. Jam inter nos non temere, ut censeo, ad purum est deductum, omne, quod de Deo catholica fide approbante datur intelligi, de causa omnium similiter pie philosophantes oportere fateri. Disc. Hoc inconcusse stabilitum est. Mag. Num igitur divinitatem ingenitam et gignentem, et deitatem genitam, et deitatem procedentem credimus, et dum sit una et inseparabilis divinitas, differentias tamen substantiales recipit? In Patre enim deitatem ingenitam, in Filio deitatem genitam, in Spiritu sancto deitatem procedentem accipimus et religiose credimus, et sancti Dionysii Areopagitae aliorumque Patrum sanissima auctoritate utentes approbamus. Disc. Quisquis in hoc haesitat, longe a veritate distat. Mag. Est igitur substantialis causa ingenita et gignens; et est substantialis causa genita et non gignens; item substantialis est causa procedens et non ingenita, nec genita, nec gignens; et tres causae substantiales unum sunt, et una causa essentialis. Disc. Ex praedictis rationibus hoc necessario conficitur. Mag. In causa itaque omnium est causa praecedens, et sunt causae sequentes. Pater siquidem praecedit [11] Filium et Spiritum sanctum; ab eo enim Filius est genitus, et Spiritus sanctus est procedens; ac per hoc causa causarum Pater non incongrue creditur. Est enim causa nascentis causae et procedentis causae. Paternitas [12] praecedit filiolitatem, filiolitatem vero [13] paternitatem praecedere nemo recte sapientium dixerit [14]. Hinc et ipse de se ipso Filius ait: *Pater major me est;* major quippe Pater est Filio, non secundum naturam, sed secundum causam. Pater namque causa est Filii, non autem Filius causa est Patris, neque hic reciprocam nominum relationem, vel [15] substantiarum virtutem consideramus. Aliter enim inspicimus in substantiis vel personis relationum [16] habitudinem, aliter ex ingenito [17] generationem vel processionem; illic quidem quomodo a se invicem denominentur [18]; hic vero quomodo inter se invicem differunt [19]. Filius itaque ex Patre est, non autem Pater ex Filio; in Deo etenim non humanarum generationum considerantur relationes, sed ineffabilium substantiarum substantiales habitudines. Major quidem est Pater Filio secundum causam. Prius etenim sacra theologia habitudinem Patris ad Filium considerat, ac deinde Filii ad Patrem. Et ut hoc certius et [20] intelligas et credas, ad Gregorii Theologi auctoritatem recurre, qui in primo sermone de Filio contra Arianos disputans, *majorem esse Patrem Filio juxta causam* sapienter edocet, quippe *ex Patre existere Filium, et non ex Filio subsistere Patrem* definiens. Nec tamen hoc dicimus illorum sensum respuentes, qui Dominum nostrum de seipso secundum humanitatem dixisse asserunt: *Pater major me est.* Uterque siquidem intellectus sana fide recipiendus est. Disc. Etiam; quamvis enim non ejusdem sint subtilitatis

VARIAE LECTIONES.

[1] A. *credendum* est et *intelligendum.* [2] C *praedicere.* [3] A *hic.* [4] A *et ut.* [5] A *aut.* [6] *est* om. A. [7] A *Igitur est.* [8] A *appellatur.* [9] *in* om. A. [10] *ipsum* om. A. [11] A *praecedet.* [12] Sic C; A Paternitas *enim.* [13] C praecedit *filietatem, filietas* vero. [14] A *dixit.* [15] A *sed.* [16] *relationum* om. A. [17] *ex ingenito* om. A. [18] Sic AC. [19] Sic C; A *subsistunt.* [20] *et* om. A.

atque altitudinis, neuter tamen a catholica professione recedit. MAG. Non id ipsum igitur Patri est[1] naturaliter subsistere, et Filii sui causam esse. Non enim natura Patris causa est Filii; una siquidem eademque est Patris et Filii natura, quia una eademque[2] est amborum essentia. Ac per hoc id ipsum est Patri Patrem esse et causam Filii; nam secundum naturam, quae una atque eadem est in Patre et Filio. Non enim juxta naturam haec omnia de Patre praedicantur et Filio[3], sed secundum habitum gignentis ad genitum, et causae praecedentis ad causam consequentem: quemadmodum non secundum naturam de Filio dicitur Filius, aut causa genita, sed secundum habitum Filii ad Patrem, et causae genitae ad causam gignentem. DISC. Haec jam etiam in priori libro suasa sunt, et nunc iterum non irrationabiliter repetita. MAG. Causa itaque Filii Pater est, et Spiritus sancti; Filius vero causa est conditionis principaliter causarum; earundem autem causarum distributionis Spiritus sanctus causa est. DISC. Illud etiam fateri, a veritate non abhorrere perspicio.

31. Sed mihi talia cogitanti atque credenti de trina omnium causa alia caligo occurrit. Non enim clare considero, utrum solus Pater causa est Spiritus sancti, an Pater et Filius, ut[4], quemadmodum fides fatetur catholica, a Patre et Filio eum procedere, ita etiam credamus, duas suae processionis[5] causas possidere. Si enim ex duabus personis, seu, ut Graeci dicunt, ex duabus substantiis Spiritus sanctus procedit, quid mirum, aut verae religioni contrarium, ex duabus causis ipsum procedere fateri? Et hanc caliginem mihi reseras, flagito. MAG. Vere vere[6]. Densissima caligo est, et non solum te, sed et[7] me ipsum involvit. Et nisi ipsa lux mentium nobis revelaverit, nostrae ratiocinationis studium ad eam revelandam nil proficiet. Ad cumulum quoque obscuritatis augetur, quod symbolum catholicae[8] fidei secundum Graecos, a Nicaena synodo traditum, *a Patre solummodo Spiritum sanctum procedere* profiteatur, teste Epiphanio Cypri episcopo in libro suo *de Fide*, iuxta vero Latinos, *a Patre et Filio;* quamvis in quibusdam Graecorum expositionibus eundem Spiritum a Patre per Filium procedere reperiamus. Ideoque praesentis quaestionis difficultate repercussus contrariis cogitationum fluctibus allidor. Delibero enim, quid mihi de hac sit agendum, utrum silentio eam honorificemus, dum vires intentionis nostrae superat, an quodammodo, prout divinus radius in animo refulserit, conabimur quippiam inter nos de ipsa[9] non temere definitum intueri? DISC. Noli expavescere; non enim ille, qui quaeritur, quaerentes se deserit, nec inveniendi se possibilitatem pie ac humiliter investigantibus denegat. Ipse siquidem ait: *Petite, et accipietis*[10]; *quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur.* MAG. Primo igitur de his, quae in hac quaestione sibimet videntur contradicere, dicendum arbitror. DISC. Nec alia via quaerendi est; nemo enim concordantia copulabit, nisi prius discordantia dividi caverit[11]. MAG. Non[12] tibi videtur rectae fidei convenire, ut credamus, Filium ex una causa, Patre videlicet, nasci, sanctum vero Spiritum ex duabus, Patre scilicet ac Filio procedere? Ex duabus namque causis unam causam confluere, rationi non facile occurrit, praesertim in simplici natura, et plusquam simplici, et ut verius dicatur, in ipsa simplicitate omni divisione et numerositate carente; ab una autem causa multas causas erumpere, multis exemplis potest approbari. Omnibus namque recte philosophantibus perspicue patet, ex uno genere multas formas nasci; ex monade multos numeros; ex puncto[13] multas lineas. Formae iterum[14] diversae, quae ex uno genere nascuntur, causae[15] fiunt specierum individuarum, ex quibus et in quibus multitudines, quantitatesque, qualitates[16], differentiaeque nascuntur. Numeri ex monade procedentes diversarum proportionum[17] causae sunt; proportiones vero proportionalitatum, proportionalitates harmoniarum[18]. Lineae ex centro[19] procedentes angulorum et laterum, latitudinis et altitudinis causae dignoscuntur, quae iterum geometricorum corporum occasiones fiunt. Quid dicam de igneo elemento? Quod cum sit unum atque simplex, in seipso et per seipsum consideratum, caloris simul et lucis causa est; calor autem ardentibus ardendi causa est[20]; lux similiter splendentibus causa splendendi[21] constituitur; splendor diversos gignit colores. Aeris elementum diversarum vocum occasio; diversae voces diversorum tonorum origines fiunt. Aquae elementum, cum sit in se simplex et unum, humorum diversorum causa est, qui iterum ex se diversas qualitates odorum, saporum, viriditatum emittunt. Ex una materia[22] diversorum corporum diversae quantitates nascuntur: quantitatem nunc dico non ipsam incorpoream, sed ipsam molem, quam diversarum partium compositionem esse nemo ambigit, et cetera id genus. Eadem ratione in natura rerum sive visibilium sive invisibilium exempla reperiri est facillimum. DISC. Filium ex una causa, id est ex Patre suo[23], nasci nullus fidelium dubitat; Spiritum vero sanctum utrum ex una causa, Patre

VARIAE LECTIONES.

[1] *est* om. C. [2] *est patris et filii — eademque* om. C. [3] Sic C; A *causam Filii. Non enim secundum naturam, quae una atque eadem est in patre et filio haec nomine praedicantur.* [4] A *ita* ut. [5] A ita et eam *duas suae processionis credamus* causas cet. [6] *vere* om. A. [7] *et* om. A. [8] *catholicae* om. A. [9] *de ipsa* om. A. [10] Petite *et dabitur vobis.* [11] *nemo enim — caverit* om. BC. [12] Sic C; A *num.* [13] C ex *centro.* [14] Sic C; A *rerum.* [15] A *causa.* [16] A *qualitatesque.* [17] Sic C; A corr. *proportionalium.* [18] *proportionalitate harmoniarum* om. C. [19] Sic C; A Lineae *ex uno puncto* procedentes. [20] C *est causa.* [21] A *splendendi causa.* [22] A *terra.* [23] *suo* om. A.

videlicet, an ex duabus, hoc est, ex Patre et Filio procedat [1], nec affirmare, nec negare temere ausim. Ac per hoc rectae fidei professionibus non convenire non satis video, cum Spiritum sanctum Patris et Filii Spiritum dici frequentissime invenerim. Est enim Spiritus amborum, quoniam ex Patre per Filium procedit, et [2] est donum utriusque, quoniam ex Patre per Filium donatur, et est amor utriusque, Patrem et Filium jungens [3], ut sanctus edocet [4] Augustinus in libris, quos de summa ac sancta [5] edidit Trinitate [6], ipsius imaginem in humana natura [7] mirabili indagatione quaerens, luculentissimaque inventione ostendens, interioris nostrae naturae, hoc est rationabilis animae, trinitatem ad imaginem Dei conditam approbans esse mentem, principalem scilicet animae partem, et notitiam sui, qua seipsam cognoscit, et amorem, quo seipsam suique notitiam conjungit. Humana siquidem mens notitiam suam, qua seipsam cognoscit, veluti quandam prolem sui de seipsa gignit. Et est sui notitia aequalis sibi, quia [8] seipsam totam novit ad similitudinem Dei et [9] Patris, qui de seipso Filium suum, qui est sapientia sua, gignit, qua seipsum sapit; et aequalis ei est, quia seipsum totum intelligit, et coessentialis ei est, quia de seipso gignit, quem gignit [10]. Ex humana mente procedit appetitus quidam, quo seipsam quaerit, ut suam notitiam pariat. Qui appetitus vel inquisitio, dum ad inventionem notitiae perfectam pervenit, amor efficitur, qui mentem notitiamque sui conjungit. Et est aequalis menti, mentisque notitiae, quoniam totam se amat, totamque notitiam suam. Et est coessentialis menti atque notitiae, quoniam ipse amor, qui mentem notitiamque ejus [11] copulat, non aliunde, nisi de ipsa mente [12] procedit ad imaginem sancti Spiritus, qui, de Patre procedens, Patrem et Filium ineffabili caritatis vinculo conjungit. Quod autem dixisti, ex duabus causis unam causam fluere vel procedere rationi non facile occurrit, non jam plane video. Verbum autem quod est fluere, quare posuisti pro eo, quod est procedere, pure, ni fallor, perspicio. Nam et Spiritus sanctus flumen in sacris appellatur Scripturis [13], et aqua. Unde et ipse Dominus ait: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae, de qua si quis biberit* [14], *non sitiet in aeternum*, sicut Samaritanae mulieri dictum est. Ipse quoque fons Paradisi, qui in quattuor principalia flumina dividitur, dum typice consideratur, Spiritum sanctum significare nemo sapientum denegat. Ex quo veluti principali et unico et [15] inexhausto fonte quattuor principales virtutes in Paradiso rationabilis animae manant, prudentiam dico, temperantiam, fortitudinem, et justitiam. Ex quibus iterum omnia omnium virtutum fluenta profluunt [16], et in eis irrigata et fecundata

A humanae naturae superficie refluunt. Merito ergo Spiritus sanctus seu a Patre solo, seu a Patre et Filio fluere dicitur, quia fons et origo est omnium virtutum, et in ipsum ineffabili meatu per occultos naturae nostrae poros redeunt. MAG. Recte intelligis de spiritualibus fluentis. Sed dicas, quaeso, quid tibi obstat, ne perspicue intelligas, quod a nobis dictum est, hoc est [17], unam causam ex duabus causis fluere rationi non facile occurrit. DISC. Multa exempla mihi obstare video. Nam et exempla, quae ex quattuor mundi elementis introduxisti, satis, ut arbitror, edocent [18], unam causam ex duabus causis fieri posse. Ignis siquidem dum sit caloris et luminis fons, ex duabus causis nasci videtur. Igneum namque elementum ex caliditate et siccitate conficitur, quae B duae qualitates, veluti duae causae, unam ex se gignunt. Similiter et de ceteris elementis est dicendum. Nam dum sint suorum effectuum causae, ex superioribus se causis duplicibus nasci sapientes mundi dixerunt. Sicut enim, ut praediximus, ignis ex calido et sicco; ita aer ex calido et humido, aqua ex humido et frigido, terra quoque ex frigido et sicco componitur. Quid igitur? Non [19] negandum est, unam causam ex duabus causis confluere, dum praedicta exempla, ut de ceteris sileam, ad hoc approbandum sufficiunt? [20] MAG. Satis miror, et admiratione dignum, cur, cum cetera [21] acute et probabiliter videas, in his falleris exemplis. DISC. Dic, deprecor, in quo et quomodo decipior. MAG. Num tibi C a philosophis suasum est, mundum istum visibilem [22] quattuor universalibus atque simplicibus constare elementis, igne videlicet, aere, aqua, et terra, quorum unumquodque propriam et singularem sui qualitatem possidet? Est enim ignis caliditas, aeris humiditas, aquae frigiditas, terrae siccitas. DISC. Haec mihi fere ab infantia notissima sunt. MAG. Dic itaque, quis est ille [23] ignis, ut uno utamur exemplo, qui veluti una causa ex duabus causis manat, ut ais? Illene, qui simplex et invisibilis, et per seipsum incomprehensibilis, omnia visibilia penetrat atque movet, an ille visibilis et corporalis, tangibilisque, et materialiter nutritus? DISC. Illum simplicem et incomprehensibilem, omnia corpora [24] implentem et efficientem, non dixerim. Nam et [25] D primordialis est sensibilium, et quarta omnium corporum causa; iste vero sensibilis et materialis ex caliditate et siccitate procedere, veluti ex duabus causis, mihi videtur. MAG. Num in prioribus dedisti, caliditatem non alterius elementi propriam qualitatem esse, nisi solius ignis, siccitatem vero nullius, nisi terrae solius? Singula enim singulis dantur, id est propriae qualitates suis singulis substantialibus elementis. DISC. Jam dedi; aliter namque [26] philosophi me

VARIAE LECTIONES.

[1] C *procedit*. [2] A *ut*. [3] Sic C; A *conjungens*. [4] C *docet*. [5] C ac *vera*. [6] A *Trinitate edidit*. [7] A *naturae*. [8] C *qua*. [9] *et* om. A. [10] C gignit *et* quem gignit. [11] A *ei*. [12] C de *se* ipsa mente. [13] A *Scripturis appellatur*. [14] A *bibit*. [15] *et* om. A. [16] A *et* profluunt [17] *hoc est* om. C. [18] A *docent*. [19] Sic C; A *num*. [20] A *sufficiunt*. [21] A *in ceteris*. [22] A *sensibilem*. [23] A *iste*. [24] *corpora* om. A. [25] *et* om. A. [26] A *enim*.

non sinunt intelligere. MAG. Dic itaque, utrum aliud est ignis, et aliud caliditas, an unum atque idem? DISC. Duo quaedam [1] esse mihi videntur. Ignis siquidem substantia est, caliditas vero ipsius substantiae qualitas, et propria qualitas. MAG. Quid ergo [2]? Num substantia causa est qualitatis, an qualitas causa substantiae, an neque qualitas causa est substantiae, neque substantia qualitatis, quoniam ex eodem genere non sunt? DISC. Quod ultimum posuisti approbo. Quamvis enim qualitas in substantia contineatur, nulla siquidem qualitas per se subsistit, non tamen causam qualitatis substantiam esse dixerim [3]. Etenim omnis species suum genus sequitur, quomodo [4] a suo genere nascitur, et in eo immutabiliter custoditur. Ac per hoc omnis substantia ex generali essentia defluit, omnis autem qualitas ex generali qualitate. MAG. Ignis itaque, quia substantia est, non ab alia causa descendit nisi a generalissima essentia. Similiter caliditas, quia qualitas est [5], non ab alia causa procedit, nisi a generalissima qualitate. DISC. Quicunque huic conclusioni contendit, rationibus philosophiae videtur resistere. MAG. Cur igitur ignem, sive simplicem sive materialem, veluti unam causam ex duabus causis, id est caliditate et siccitate, confluere ausus es pronuntiare, cum videas, ignis [6] substantiam non solum ab aliena qualitate, quae est siccitas et terrenae substantiae propria, verum etiam a sua, quae est caliditas, nasci non posse? DISC. Nunc video me deceptum in eo, quod dixi, caliditatem et siccitatem veluti duas causas unius causae, id est ignis, subsistere. Multos tamen eodem [7] errore seductos cognovi, qualitatum et substantiarum differentias naturasque non satis discernentes. Et jam nullum locum fugiendi video. Nam si dixero, ignem et caliditatem unum et id ipsum esse, continuo me redargues, dicturus, quare ergo eandem rem suimet esse causam aestimas? Dixi siquidem, ignem ex caliditate et siccitate componi. Si dixero mundum istum visibilem non ex quattuor substantialibus elementis, sed ex quattuor solummodo simplicibus qualitatibus constare, caliditate videlicet, humiditate, frigiditate et siccitate, quoniam et hoc multis visum est, fortassis a me quaeras: si ergo quattuor qualitatibus totus hic mundus cum suis corporibus a summo usque deorsum constat, ipsae qualitates quibus substantiis continentur? Si enim qualitates sunt [8], per se subsistere non posse vera edocet ratio. Et non potero invenire, quid respondeam, hoc est, quibus substantiis ipsae primordiales et generales qualitates, quibus mundus constituitur, fulciuntur; et veris rationibus constrictus fateri compellar [9], quattuor substantialia mundi elementa subsistere, in quibus quattuor principales qualitates consistunt, quarum coitu

A omnia corpora composita efficiuntur. Sed unum adhuc restat, quo in eadem mea sententia, qua dixi, unam causam ex multis fluere, mihi videor posse permanere. MAG. Quid est illud unum, velim detegas. DISC. Num omnes philosophi de mundo isto [10] tractantes unanimiter suadent, et ad purum deducere [11] videntur, omnia corpora composita ex quattuor simplicibus elementis eorumque propriis qualitatibus quattuor componi? Et si ita est, non solum ex duabus, verum etiam ex multis causis singulorum corporum efficitur compositio. MAG. Hunc [12] locum fugiendi fortassis habere potuisses, si moles has corporum compositas et corruptibiles et solutioni habiles aliorum effectuum infra se sequentium causas esse vera ratione assereres. Jam vero, quoniam

B nihil inferius est corpore composito, nullius sequentis se, neque aequalis sibi naturae, causa esse potest. Et nunc de causis agimus sive principalibus, sive sequentibus et concatenatis. Et omnis causa nec vere nec rectè causa dici potest, quoniam vere causa non est, quae in effectus suos erumpere nescit. Omnino enim effectibus propriis caret, quorum causa merito posset [13] vocari. Corpora autem corruptibilia nullius effectus causa sunt, quoniam nullam naturam de se gignunt, cum omnium naturarum extremum atque infimum ac prope nihil obtineant locum. Spiritualia autem corpora simplicia [14] sunt, ac per hoc insolubilia et [15] manentia, donec totus iste mundus cum partibus suis, dum ad suum [16] finem pervenerit, solvatur. Et haec

C corpora adhuc [17] incorruptibilia et insolubilia non nisi in quattuor catholicis principalibus [18] purissimisque in seipsis et simplicibus et dicuntur et intelliguntur elementis; cetera vero corpora, quae videntur ex eorum qualitatibus [19] composita, quoniam et componi et solvi possunt, non inter causas, sed inter extremos effectus, qui de se nihil efficiunt, a sapientibus computantur. Simplicissima etiam et purissima et sensum corporeum fugientia quattuor hujus mundi elementa ad unam simplicem et individuam causam solique intellectui perfectissimorum sapientum cognitam referuntur, hoc est, ad generalissimam, et in seipsa semper manentem substantiarum omnium ad visibiles effectus [20] procedentium essentiam. Similiter et de quattuor eorum primordialibus

D ac propriis qualitatibus non incongrue intelligitur. Cum enim ipsae sibimet contrariae videantur, nam caliditas frigiditati opponitur, humiditati siccitas, ad unam tamen secretissimam ac solummodo rationi subjectam redeunt causam, ad generalissimam dico omnium qualitatum qualitatem, ex qua mirabili naturae opere [21] ad efficienda haec corpora corruptibilia ac solutioni obnoxia procedunt, et in qua ineffabili universalis naturae pacifica concordia sibi

VARIAE LECTIONES.

[1] A *quaenam*. [2] A *igitur*. [3] A *dixerim esse*. [4] C om., A *quum*, *quo*. [5] A *est qualitas*. [6] *ignis* om. C. [7] C *eorum*. [8] A *sint*. [9] A *compellor*. [10] A *illo*. [11] C *ducere*. [12] A *Hic*. [13] A *possit*. [14] C corpora *adhuc* simplicia. [15] *et* om. C. [16]. *suum* om. A. [17] *adhuc* om. C. [18] A *principalibus et catholicis*. [19] A ex *eis* (*eorum qualitatibus* om.). [20] *qui de se nihil efficiunt — effectus* om. B C. [21] A *ope*.

invicem, remota omni contrarietate, consentiunt. Disc. Hac ultima conclusione undique septum me video, nullamque viam evadendi remanere, ac per hoc priori ex te prolatae sententiae consentire cogor, ut et ego dicam, unam causam ex duabus causis fluere non facile rationi occurrit. Mag. Quid igitur[1] dicemus? Num Spiritum sanctum, quem distributionis donorum divinae bonitatis, sive eorum, quae secundum substantiam sunt[2], sive quae secundum gratiam, infinitam et inexhaustam largissimamque et plusquam largissimam causam esse catholice confitemur[3], ex una causa, hoc est, ex Patre, an ex duabus causis, Patre et Filio, procedere profiteri debemus? Disc. Illa exempla, quae ex natura rerum protulimus, hoc dicere omnino prohibent, hoc est, non ex duabus, sed ex una procedere, nisi forte quis dicat, rationem summae atque ineffabilis[4] divinae Trinitatis naturae conditae exempla superare. Mag. Si quis hoc dixerit, confestim interrogandus erit, unde ergo divinae bonitatis[5] Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate quaerere et investigare possumus, ut aliquid de ea, quo eam laudemus, verisimile credamus, et quantum datur, intelligamus, si non[6] prius quasi quibusdam gradibus[7] exemplis naturae ab ea conditae ad eam ascendamus, ea duce atque praecipiente: *Quaerite et invenietis?* Praesertim Divino Paulo testante: *Invisibilia enim ejus*, inquit, *id est Patris, a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus*, hoc est Filius, *et aeternitas*, hoc est Spiritus sanctus. Ita enim hunc locum sacrae Scripturae beatus Maximus exponit. Disc. Quid, si quis dixerit, Patrem et Filium non duas causas esse, sed unam et inseparabilem causam, ipso Filio dicente: *Ego et Pater unum sumus?* Mag. Huic quoque respondendum est. Tres causae divinae bonitatis, de quibus nunc agimus, non in ipsa essentia, quae una atque eadem est, sed in ipsa ipsius essentiae substantiarum vel[8] personarum Trinitate quaeruntur. Non enim confundit dualitatem[9] personarum, dum dicit: *Ego et Pater unum sumus*. Nam non ait: *Ego et Pater unum sum*, sed *sumus*, ostendens et essentiae unitatem et substantiarum differentiam[10]. Et siquidem diceret: *Ego et Pater et Spiritus sanctus*[11] *unum sumus*, non aliter intelligeremus, nisi trium substantiarum trinitatem in ejusdem essentiae unitate subsistentem. Et quamvis sic dictum esse non reperiamus, verissime tamen ita esse intelligamus[12]. Pater enim et Filius et Spiritus sanctus unum sunt et tres unum. A Patre siquidem Filius est genitus, et ab eodem Patre[13] Spiritus est procedens. Ac per hoc dum sacra Scriptura praedicante et suadente audio gignentem et genitum et procedentem, tres substantias seu personas
A unius essentiae, quantum mihi conceditur, intelligo. Siquidem impossibile est, ut et gignens et genitus et procedens una substantia sit. Tres autem esse naturalis admonet ratio secundum substantias, dum sunt[14] unum secundum essentiam. Nam et Abraham et Isaac et Jacob unum sunt juxta[15] naturalem essentialitatem, tres vero secundum substantialem differentiam. Et hoc exemplum in omnibus generibus et[16] formis et individuis facillime veritatis inquisitor inveniet. Disc. Quid itaque de hac praesenti quaestione multumque difficili conceptu in animo habeas, detege, si placet, ne tam diu in eisdem locis demoremur, dum ad cetera, quae restant, exponenda debeamus accelerare.

32. Mag. Dicas, peto. Num tibi videtur ex igne
B radium nasci, et ex radio splendorem procedere? Disc. Quisquis hoc dixerit, ex naturae rerum diligenti consideratione non discrepat, ut arbitror. Ignis enim, cum sit per se invisibilis, visibilem[17] de se radium gignit, qui etiam per se invisibilis esset naturae suae simplicitate subsistens, si corpulentis crassisque naturis non immisceretur. Aiunt[18] enim philosophi, radium Solis animalium sensibus incomprehensibilem esse, naturae ipsius subtilitatem non valentium[19] sentire; dum autem gradatim a solari corpore ad inferiora elementa descendit, paulatim incipit apparere. Primum quidem in aethere purissimo vix lucere inchoat, quoniam ipsius aetheris natura ipsi simillima est; progrediens vero longius ad superioris hujus aeris partes, paulatim clarescit; ac
C deinde, in quantum crassiores naturas penetrat deorsum versus, in tantum lucidius elucet, sensibusque corporeis comprehensibilem se praestat. Verum ex ipso radio splendor luculentissimus totum mundum implens, et ex omnium corporum superficie resiliens, diversasque colorum species detegens emittitur. Ipse quoque naturali sua tenuitate corporales sensus effugeret, si non se corporalibus[20] elementis temperaret. Mag. Ita est, et naturarum inquisitio non aliter fieri posse perdocet. Numquid ergo cogemur[21], ut ipsum splendorem, qui per nascentem radium ab igne procedit, duas causas habere dicamus? Quamvis enim ab igne per radium procedat[22], ignis tamen solummodo causa ipsius est, non radius. Sicut[23] enim ipse radius per se non subsisteret, si de causa sua,
D quae est ignis, non nasceretur, ita splendor per radium non esset, nisi prius ex ipsius radii causa procederet. Vides itaque, nullam rationem exigere, ut splendor ex duabus causis procedat, quamvis ex igne per radium manare intelligatur, verum ex una eademque causa et radium nasci, et splendorem procedere, ac per hoc et splendorem ex igne radioque procedere[24], natura ipsa[25] magistra non tacet. Et

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ergo*. [2] *sunt* om. A. [3] A *confitemur*. [4] C atque *confestim* ineffabilis. [5] Pro *ergo divinae bonitatis* A *divinam*. [6] Sic C; A *nisi*. [7] A *grandibus*. [8] A *aut*. [9] C *qualitatem*. [10] C *differentiae*. [11] *sanctus* om. A. [12] A *intelligimus*. [13] A et ab *eo* (*Patre* om.) [14] A *sint*. [15] A *secundum*. [16] *et* om. A. [17] Sic C; A *invisibilem*. [18] A *Dicunt*. [19] C *valentes*. [20] Sic C; A *corporalioribus*. [21] A *cogimur*. [22] *duas causas habere — procedit* om. C. [23] A *Sic*. [24] *ac per hoc — procedere* om. A. [25] C *ista*.

adhuc virtutem ejusdem exempli intentus perspice. Radius ipse ex igne nascens non ita nascitur, ut gignentem se ignem deserat aut aliquo modo relinquat; sed ita gignitur, ut virtus ignea, quae eum gignit, semper et ubique inseparabiliter et immutabiliter in eo permaneat, tota in toto, et totus in tota, et unum duo, et duo unum. Et quamvis videatur splendor de radio exire, non tamen ex ipso radio, in quantum radius est, sed ex [1] ipsa virtute procedit, ex qua radius nascitur, et quae tota et totum radium et totum splendorem penetrat atque implet. Ac per hoc naturale exemplum ad causam omnium, quae trina et una est, quoniam trinitas in unitate et creditur et intelligitur esse, possumus ascendere, ut cognoscamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres causas et unam causam; tres enim unum sunt: Patrem B autem causam gignentem nascentis de se Filii sui unigeniti, qui causa est omnium primordialium causarum in seipso a Patre conditarum; eundem vero Patrem causam procedentis a se per Filium [2] sancti Spiritus, qui Spiritus causa est divisionis et multiplicationis distributionisque causarum omnium, quae in Filio a Patre factae sunt, in effectus suos et generales et speciales et proprios secundum naturam et gratiam. Et quamvis sanctum Spiritum [3] a Patre per Filium credamus et intelligamus procedere, non tamen duas causas eundem Spiritum habere debemus accipere, sed unam eandemque causam [4], Patrem scilicet, et nascentis de se Filii, et procedentis ex se per Filium [5] Spiritus sancti. Ut enim propterea splendorem ex igne per radium procedere dicimus, quoniam C ignis ipse totus in toto radio subsistit, ex quo per radium splendor emittitur; ita et Spiritum sanctum a Patre per Filium procedere catholica fides praedicat, quoniam ipse Pater, qui principalis causa est et sola processionis sancti Spiritus, totus in toto Filio est, sicut et totus Filius in toto Patre, ex quo [6] per Filium Spiritus sanctus procedit. Et quemadmodum tota virtus ignea in toto radio de se genito permanet, et ipse radius totus et tota virtus ignea, de qua gignitur, in toto splendore, et totus splendor ex virtute ignea per radium procedens in toto ipso radio totaque ipsa virtute, ex qua procedit, existit: ita totus Pater gignens in toto Filio genito, et totus Filius genitus in toto Patre gignente, et totus Pater gignens et totus Filius genitus in toto Spiritu sancto a Patre D per Filium procedente, et totus Spiritus sanctus a Patre per Filium procedens in Patre, a quo procedit, et Filio, per quem procedit, et tres unum sunt per intellectam trinitatem in unitate. Et hoc totum ipse Filius homo factus et incarnatus apertissime insinuat dicens: *Ego in Patre, et Pater in me.* Ubi subintelligendum reliquit, ac si aperte diceret: Et

A sicut ego in Patre, et Pater in me [7]; ita et ego et Pater in Spiritu sancto sumus, et Spiritus sanctus in nobis est, quia nobis coessentialis, et coaequalis, et tres unum sumus, tres videlicet substantialiter, essentialiter unum. Et vide, quomodo ipse Filius Spiritum sanctum ad solum Patrem, unicam quippe sui causam refert, dum dicit: *Paracletus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Non enim dixit, quem mitto in nomine meo, sed quem mittit Pater in nomine meo, quamquam et alibi seipsum mittere Spiritum dicat, dum ait: *Si ego abiero* [8], *mittam eum ad vos.* Missio ejus processio ejus est; processio autem ejus a Patre [9] solummodo est substantialiter, non localiter, non temporaliter [10]; verumtamen [11] in nomine Filii, quoniam Spiritus Patris et B Filii est. Item alibi ad discipulos ait: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris, qui loquitur in vobis.* Item Psalmista Spiritum sanctum a Patre petit, dicens: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* His et hujusmodi testimoniis sacra Scriptura referta est. Disc. Haec omnia plane et pleniter perspicio, fideliterque accipio, quoniam [12] omnino veritati conveniant. Valdeque miror, quomodo illa quaestio, quae primum veluti insolubilis nobis videbatur, tandem apertissimis rationibus exemplorum et testimoniorum argumentatione introducta, soluta est, et ad purum, quod non facile sperabamus [13], revelata. Et, ut mihi videtur, interioris nostrae naturae trinitatis similitudine hoc ipsum possumus approbare. Mens etenim et notitiam sui gignit, et a seipsa amor C sui et notitiae suae procedit, quo et ipsa et notitia sui conjunguntur, et quamvis ipse amor ex mente per notitiam sui procedat, non tamen ipsa notitia causa amoris est, sed ipsa mens, ex qua amor inchoat esse, et antequam ad perfectam notitiam sui mens ipsa perveniat. Nam et mens amat seipsam cognoscere, priusquam cognitionem suam de seipsa [14] pariat, veluti prolem suam. Non quod mens humana unquam se vel non nosset vel non amaret, dum haec tria unum sunt secundum naturam vel essentiam, et unum tria secundum rationis considerationem; tria siquidem ratio considerat in una et simplici natura animae: esse, nosse, amare. Etenim mens et seipsam novit, et amat seipsam, et sui notitiam; sed quia merito praevaricationis naturae humanae in primo D homine accidit, ut mens nesciat seipsam nosse, dum naturaliter seipsam novit, et nesciat seipsam amare, dum naturaliter [15] seipsam et notitiam sui amat [16], ac per hoc rationis viribus nil aliud appetit, nisi ut cognoscat, qualiter et quantum seipsam novit, et seipsam et notitiam sui amat [17]. Et dum hoc totum ad cognitionem et amorem Creatoris sui convertit [18], perfectissima imago ejus efficitur. Et hic [19] maximus et

VARIAE LECTIONES.

[1] *ex* om. C. [2] *Per Filium* om. A [3] A *Spiritum sanctum.* [4] A *esse* causam. [5] *per Filium*, om. A. [6] A ex quo *patre.* [7] *Ubi subintelligendum — Pater in me* om. C. [8] C *exiero.* [9] *a Patre* om. C. [10] *non temporaliter* om. A. [11] C *verum autem.* [12] Corr., A *quum.* [13] C *spectabamus.* [14] A de *ipsa.* [15] *seipsam novit — naturaliter* om. C. [16] A *amet.* [17] A *amet.* [18] A *convertitur.* [19] C *hinc est.*

pene solus gradus est [1] ad cognitionem veritatis, id est humanam naturam, seipsam prius cognoscere et amare, ac deinde totam cognitionem suam, totumque amorem ad laudem Creatoris et cognitionem et dilectionem referre [2]. Si enim, quod in seipsa agitur, nescit, quomodo ea, quae supra se sunt, nosse desiderat? Sed dum de hac quaestione tractamus, alia mihi non spernenda, ut opinor, in mente supervenit. MAG. Quae est illa?

33. DISC. Utrum, quemadmodum Spiritum sanctum a Patre per Filium procedere credimus, symbolum Romanae linguae sequentes, ita Filium ex Patre nasci per Spiritum profiteri valeamus, quamvis hoc in ipso symbolo nec secundum Graecos, nec [3] secundum Latinos scriptum reperiamus, nec in divina Scriptura aperte promulgatum, ut aestimo? MAG. In ipsa ineffabili ac [4] supernaturali divinae bonitatis fecunditate, qua ex corde, hoc est, ex secretis sinibus Dei et [5] Patris Filius nascitur et Spiritus sanctus procedit, eumdem Spiritum sanctum [6] ex Patre et Filio, vel ex Patre per Filium procedere fides catholica nos praecipit confiteri; Filium vero a Patre per Spiritum nasci, nec in illo symbolo utriusque linguae, nec in alia scriptura reperi. Et cur hoc, nec per me ipsum adhuc quaesivi, nec ab alio [7] quaesitum et [8] inventum legi. Dum autem de inhumanatione Filii Dei, hoc est, de incarnatione Verbi, et Scriptura sacra et symbolum a sacra Niceae urbis Bithyniae synodo traditum, et contra omnes haereses munitum consulitur, manifestissime nobis aperitur, ac sine ulla ambiguitate docetur, quia Verbum de Spiritu sancto est conceptum. Angelus quoque ad Mariam: *Spiritus sanctus*, inquit [9], *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Idem ad Joseph: *Joseph, fili David, noli dimittere conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex his atque similibus testimoniis nonne credere et intelligere datur, Filium secundum carnem de Spiritu sancto fuisse conceptum et natum? Itaque [10] secundum fecunditatem divinam Spiritum sanctum a Patre per Filium procedere, secundum vero carnis assumptionem Filium de Spiritu sancto conceptum fuisse et natum, non dubitamus. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto natum est* [11]. Sed et juxta aliam theoriam Filium de Spiritu sancto et per Spiritum sanctum concipi et nasci invenies [12]. Dum enim unusquisque fidelium baptismatis subit sacramentum, quid aliud ibi peragitur, nisi Dei Verbi in eorum cordibus de Spiritu sancto et per Spiritum sanctum conceptio atque nativitas. Quotidie igitur Christus [13] in utero fidei veluti castissimae matris visceribus et concipitur et nascitur et nutritur. Et fortassis ideo a Nicena synodo Spiritus sanctus ex Patre solummodo procedere traditur, ne talis quaestio ventilaretur. Inquisitor siquidem sollicitus sacrae theologiae Spiritum sanctum a Patre per Filium audiens procedere, mox divino studio admonitus, quaerit et dicit: Si ergo Spiritus sanctus a Patre per Filium procedit, cur non similiter Filius a Patre per Spiritum sanctum [14] nascitur? Si autem Filius a Patre per Spiritum sanctum non nascitur, cur Spiritus sanctus a Patre per Filium procedere diceretur? Nam quod de Spiritu sancto catholice creditur, cur non etiam de Filio similiter crederetur? Nisi forte quis dixerit, praedictarum naturalium similitudinum virtutem considerans, ab igne per radium splendorem procedere videmus, non autem ab igne per splendorem radium nasci. Similiter ab animo per rationem sensum interiorem mitti, non autem per ipsum sensum rationem ab animo gigni, naturalis theoriae edocet [15] ordo. Sed de divinarum substantiarum generatione et processione suadenda seu affirmanda fortassis exempla naturae non sunt idonea. Ac per hoc, quod in sancto symbolo [16] secundum Graecos canitur, hac quaestione liberum omnino est atque absolutum. Dicit enim Filium *ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα*, hoc est, ex Patre genitum, Spiritum vero *ἐκ τοῦ πατρὸς πορευόμενον*, id est, ex Patre procedentem. Sed si quis sanctos Patres, qui in latino symbolo addiderunt de Spiritu: « qui ex Patre *Filioque* procedit », consuleret, rationabiliter, ut credo, responderent, et causam ipsius additionis non tacerent. Et fortassis consulti sunt et responderunt; sed quid eis [17] visum est de hac re, nondum in manus nostras pervenit. Atque ideo de hujusmodi quaestione nil temere conamur definire, nisi forte quis dicat, non immerito hoc additum est, quoniam multis sacrae Scripturae locis approbatur. Nam et ipse Dominus [18] dicit: *Quem Pater mittit in nomine meo.* Videtur enim Filius mittere Spiritum, quem Pater mittit in nomine ejus; ipse quoque Filius Spiritum veritatis Spiritum [19] sanctum vocat; Filius autem veritas est, ipso testante: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Si ergo Spiritus veritatis est, profecto Spiritus sanctus spiritus Filii est. Mulierem quoque *αἱμοῤῥοοῦσαν*, hoc est fluxum sanguinis patientem, sanans: *Sensi*, inquit, *exisse de me* [20] *virtutem.* Et quod paulo ante diximus: *Si ego abiero, mittam eum ad vos.* Item Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, in quo clamamus, Abba pater.* Item Psalmista: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* His itaque atque hujusmodi testimoniis quis catholicorum non possit approbare, Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere?

34. DISC. De hac quaestione non nimium haesito. Quoquo enim modo quis ecclesiasticum symbolum pronunciaverit, sine naufragio sanae fidei recipio, hoc est, sive Spiritum sanctum a Patre solummodo procedere dixerit, sive a Patre et Filio, salva illa

VARIAE LECTIONES.

[1] *est* om. C. [2] C *referret.* [3] C *non.* [4] *ac* om. A. [5] *et* om. A. [6] *sanctum* om. A. [7] A *aliquo.* [8] *et* om. C. [9] *inquit* om. A. [10] Sic C. [11] Sic BC. *Ex his atque similibus — natum est* om. A. [12] Sic C; A *inveniet.* [13] Conj., A *a piis*, C *Christi.* [14] *sanctum* om. C. [15] Sic C; A *docet.* [16] C *synodo.* [17] C *ei.* [18] A *Deus.* [19] *veritatis spiritum* om. A. [20] A de *me exisse*

ratione, qua et credimus et intelligimus, eundem Spiritum ex una causa, id est, ex Patre substantialiter procedere. Est enim Pater causa nascentis de se Filii, et procedentis ex se Spiritus. Sed adhuc velim a te quaerere, ex essentiane [1] Patris, an substantia [2] et Filius natus et Spiritus sanctus procedens est [3]? MAG. De hoc ambiguo facile purgaberis, si prius pure cognoscas, quid sit inter essentiam et substantiam divinae bonitatis. DISC. De differentia divinae essentiae atque substantiae docuit me theologia ex sanctis Patribus utriusque linguae, graecae videlicet atque latinae, tradita. Siquidem sanctus [4] Dionysius Areopagita, et Gregorius Theologus, eorumque elegantissimus expositor Maximus, differentiam esse dicunt inter οὐσίαν, id est essentiam, et ὑπόστασιν, id est substantiam; οὐσίαν quidem intelligentes unicam illam ac simplicem divinae bonitatis naturam, ὑπόστασιν vero singularum personarum propriam et individuam substantiam. Dicunt [5] enim μίαν οὐσίαν ἐν τρίσιν ὑποστάσεσιν, hoc est, unam essentiam in tribus substantiis. Sanctus quoque Augustinus, ceterique sancti Patres latialiter scribentes, fidem sanctae Trinitatis exprimunt, dicentes unam substantiam in tribus personis, significantes unitatem divinae naturae eo nomine, quod est substantia, trinam vero substantiarum proprietatem trium personarum vocabulis. Quod etiam moderni Graecorum recipiunt; dicunt enim μίαν ὑπόστασιν [6], id est unam substantiam, et τρία πρόσωπα, id est tres personas. Una eademque fides est in omnibus, quamvis significationum diversitas videatur. Itaque secundum Graecos dicimus, una eademque est οὐσία Patris et Filii et Spiritus sancti, sed non una eademque est ὑπόστασις. Habet enim Pater suam propriam ὑπόστασιν, quae neque Filii neque Spiritus sancti est, sed solius Patris; similiter Filius suam propriam ὑπόστασιν, quae neque Patris neque Spiritus sancti est, sed solius Filii. Eodem modo de Spiritu sancto dicendum, propriam ὑπόστασιν habere, quae neque Patris est, neque Filii, sed solius Spiritus sancti. Neque aliud praeter hoc latina vox edocet, tres personas in una substantia pronuntians. Substat [7] ergo Pater per se [8], substat Filius, substat Spiritus sanctus, et tres substantiae in una essentia substant, quoniam tres unum sunt. MAG. Inter orthodoxae fidei participes hanc fidem computandam arbitror. Jam igitur luculenter potes dignoscere propositam quaestionem. Dixisti enim, te dubitare, ex essentiane an ex substantia Patris et natus Filius et procedens Spiritus sanctus. Ac si aperte diceres, utrum ex una atque communi essentia vel natura trium substantiarum vel personarum nascitur Filius, et procedit Spiritus sanctus, an ex propria substan-

A tia Patris vel persona. Essentia siquidem divinae bonitatis neque propria substantia est Patris, neque Filii, neque Spiritus sancti, sed una atque communis substantiarum trium natura; Pater autem suam propriam habet substantiam, similiter et Filius, similiter et Spiritus sanctus suas possident substantias. Si igitur divina essentia, quia una est atque eadem, neque Pater est, neque Filius, neque Spiritus sanctus, sed communis eorum natura, sequitur, non ab ea nasci Filium, neque Spiritum sanctum procedere. Nam si ex ea Filius nascitur, non ex Patre nascitur; ipsa enim, ut diximus, Pater non est: similiter si ex eadem Spiritus sanctus procedit, non ex Patre procedit. Si autem catholica fides firmissime atque sanissime et credit et docet Filium ex B Patre natum, Spiritum vero sanctum ex eodem Patre procedentem, nonne consequens est, ut credamus et intelligamus, ex substantia Patris et nasci Filium, et procedere Spiritum sanctum? Non igitur ex essentia, sed ex substantia Patris et [9] Filius nascitur, et Spiritus sanctus procedit. Nam et apud homines non dicimus ex communi natura, sed ex propria natura nasci filios [10]; propriam autem naturam dico uniuscujusque personae individuam substantiam. Nam si ex communi natura homines nascerentur, nullus pater proprium filium, sic nullus filius proprium patrem possideret.

35. Sed haec altius ac verius cogitantur, quam sermone proferuntur, et altius ac verius intelliguntur [11], quam cogitantur, altius autem ac verius sunt, C quam intelliguntur; omnem siquidem intellectum superant. Nam quaecunque de simplicissimae bonitatis trinitate dicuntur, seu cogitantur, seu intelliguntur, vestigia quaedam sunt atque theophaniae veritatis, non autem ipsa veritas, quae superat omnem theoriam non solum rationalis, verum etiam intellectualis creaturae. Neque enim talis unitas est seu trinitas [12], qualis ab ulla creatura potest excogitari seu intelligi, seu aliqua phantasia, quamvis lucidissima et verisimillima, formari. Haec enim omnia fallunt, dum in eis finis contemplationis ponitur. Siquidem plusquam unitas est, et plusquam trinitas, habens [13] tamen aliquid de ea dicere et cogitare et intelligere, quantum intellectus eam attingit, sacra theologia duce atque magistra, ut quodam modo materiam habeamus lau- D dandi eam atque benedicendi. Nam et summos angelos proximasque ei virtutes veluti pedes et facies alis suis velare, sacra confirmat [14] theologia, nobis insinuans [15] caelestes virtutes, summae trinitati atque unitati semper et immutabiliter adhaerentes, timere ea, quae supra se sunt, ac reverenter contemplari. Alae siquidem earum [16] theoriae sunt, quibus pedes suos velare affirmantur [17], et facies timentes intueri,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C; A *an ex essentia*. [2] A an *ex* substantia. [3] *est* om. C. [4] C *Sanctus quidem*. [5] A *dicit*. [6] Sic C; A οὐσίαν. [7] Sic C; A *subsistit*. [8] Sic C; A *ipse*. [9] *nasci filium et procedere — et* om. C. [10] *natura filios nasci, sed ex propria natura*. [11] *et altius ac verius intelliguntur — intelliguntur* om. C. [12] Pro *seu trinitas* A *sacrae trinitatis*. [13] A *lubet*. [14] A *conforme*. [15] Sic C; A *insinuant*. [16] *earum* om. C. [17] C *formantur*.

quomodo sancta trinitas et inseparabilis unitas a summo usque deorsum per omnia diffunditur [1], et quo modo omnem superat intellectum, et ab omni sit [2] creatura visibili et invisibili in infinitam [3] naturae suae altitudinem remota. Verumtamen et homines puri et angeli semper et incessanter eam conspicere appetunt, quod [4] contemplari per seipsum [5] nequeunt, et hoc per mediarum alarum volatum significatur. Hinc Scriptura dicit : *In quem concupiscunt* [6] *angeli prospicere*. Est enim infinitum, quod quaerunt[7], et incomprehensibile, quod appetunt[8], et super [9] omnem intellectum, quod concupiscunt [10], et ab omni creatura exaltatum. Attamen ad hoc summa atque divina unitas movet seipsam in [11] intellectibus angelicis seu humanis, ut de ea materiam laudis suae et intelligentiae suae, quantum creaturae conceditur, inveniant, trinitatem in unitate percipientes. Sicut ait sanctus theologus Gregorius in primo sermone de Filio : *Propterea*, inquit, *monas a principio in dyada mota usque in triade* [12] *stat.* Quam sententiam beatus Maximus exponit, dicens : *Movetur* [13] *namque in acceptivo sui intellectu sive* [14] *angelico sive humano, per ipsam, et in ipsa inquisitiones de ipsa faciente. Et clarius dicendum : docet ipsam in prima acie impartire de monade rationem, ut non separatio in prima* [15] *causali introducatur ; promovet* [16] *vero ipsum rationem etiam divinam et ineffabilem ipsius causalis fecunditatem accipere, dicens mystice atque occulte ipsi intellectui, non oportere infecundum esse, unquam supere*[17] *illud optimum Verbi ac sapientiae vel sanctificativae* [18] *virtutis coessentiaeque* [19] *in substantiis, non ut compositum ex his suscipiatur divinum, quasi accidentibus et non in eis subsistens credatur. Moveri itaque Divinitas dicitur, causa quippe est, per quem modum subsistit inquisitionis ; nam sine illuminatione intueri Divinitatem impossibilium est. Item dicitur moveri per manifestationem particulariter perfectioris de ipsa rationis secundum sacram Scripturam ab inchoante Patrem confiteri et promovente ad* [20] *confitendum cum Patre Filium, et cum Patre et Filio Spiritum sanctum accipiendum, et coadorare eruditos pulsante, trinitatem perfectam in unitate perfecta, id est, unam essentiam et deitatem et potentiam et operationem in tribus substantiis.* His itaque de summa omnium causa causarum secundum parvitatem nostrae intentionis, quoquo modo sint [21], investigatis, non autem temere definitis, ad primordiales causas, circa quas nostra disputatio versatur, redeundum. DISC. Redeundum sane ; satis enim [22] de his est actum.

36. MAG. Causae itaque primordiales sunt, quod et in praecedentibus dixeram, quas Graeci ideas vocant, hoc est, species vel formas aeternas [23] et incommutabiles rationes, secundum quas, et in quibus visibilis et invisibilis mundus formatur et regitur. Ideoque a Graecorum sapientibus πρωτότυπα appellari meruerunt, hoc est, principalia exempla, quae Pater in Filio fecit, et per Spiritum sanctum in effectus suos dividit atque multiplicat. Προορίσματα quoque vocantur [24], id est praedestinationes ; in ipsis [25] enim, quaecunque divina prudentia et fiunt et facta sunt et futura sunt, simul et semel et [26] incommutabiliter praedestinata sunt [27]. Nil enim naturaliter in creatura visibili et invisibili oritur, praeter quod in eis ante omnia tempora et loca praedefinitum et praeordinatum est. Item a philosophis θεῖα θελήματα, id est, divinae voluntates nominari solent, quoniam omnia, quaecunque voluit Deus facere, in ipsis primordialiter et causaliter fecit, et quae futura sunt, in eis ante saecula facta sunt. Ac per hoc principia omnium dicuntur esse, quoniam omnia, quaecunque in creatura sive visibili sive invisibili sentiuntur vel intelliguntur, eorum participatione subsistunt. Ipsa vero unius universorum causae, summae videlicet ac sanctae Trinitatis, participationes sunt, atque ideo per se dicuntur esse, quia nulla creatura inter ipsa et unam omnium causam interposita est. Et in ipsa dum immutabiliter subsistunt, primordiales causae aliarum causarum sequentium se sunt [28] usque ad extremos totius naturae conditae et in infinitum multiplicatae terminos, in [29] infinitum dico, non Creatori, sed creaturae ; finis enim multiplicationis creaturarum soli Creatori cognitus est, quia ipse et non alius est. Sunt igitur primordiales causae, quas rerum omnium principia divini sapientes appellant, per seipsam bonitas, per seipsam essentia, per seipsam vita, per seipsam sapientia, per seipsam veritas, per seipsam intellectus, per seipsam ratio, per seipsam virtus, per seipsam justitia, per seipsam salus, per seipsam magnitudo, per seipsam omnipotentia, per seipsam aeternitas, per seipsam pax, et omnes virtutes et rationes, quas semel et simul Pater fecit in Filio, et secundum quas ordo omnium rerum a summo usque deorsum texitur, hoc est, ab intellectuali creatura, quae Deo post Deum proxima est, usque ad extremum rerum omnium ordinem, quo corpora continentur. Quaecunque enim bona sunt, participatione per se boni [30] bona sunt ; et quaecunque essentialiter et substantialiter subsistunt, participatione ipsius per seipsam essentiae subsistunt ; quaecunque vivunt, participatione per seipsam vitae vitam possident. Similiter quaecunque sapiunt et intelligunt et rationabilia sunt, participatione per seipsam sapientiae, et per seipsam intelligentiae, et per seipsam rationis participatione sapiunt, et intelligunt, et ratiocinantur. Eodem modo de ceteris dicendum. Nulla siquidem virtus, sive generalis, sive specialis,

VARIAE LECTIONES.

[1] C *deffunditur*. [2] *sit* om. C. [3] A *infinitae*. [4] A *quum*. [5] A *per seipsam*. [6] A *concupiscent*. [7] A *quaeritur*. [8] A *appetitur*. [9] A *supra*. [10] A *concupiscitur*. [11] A *in* om. C. [12] A usque *triada* stat. [13] Sic A *movetur*. [14] *sive* om. A. [15] A *primo*. [16] A *permovet*. [17] A *sapere unquam*. [18] A *significativae*. [19] A *coessentiatumque*. [20] C *in*. [21] A *sic*. [22] Sic A ; C *sat num*. [23] A *aeternae*. [24] A *vocant*. [25] Sic A ; C *in his*. [26] *et* om. A. [27] *sunt* om. A. [28] *sunt* om. A. [29] *in* om. A. [30] A *boni, per se*.

in natura rerum invenitur, quae a primordialibus causis ineffabili participatione non procedat. Sed ne quis existimet, quae de primordialibus causis diximus, nullius auctoritatis munimine fulciri, quaedam ex libro sancti patris [1] Dionysii de divinis Nominibus huic operi inserere non incongruum duximus. DISC. Nil aptius, nil veris rationibus convenientius subjungitur, quam sanctorum Patrum inconcussa probabilisque auctoritas. MAG. Ait ergo in undecimo praedicti sui libri capitulo : *Quid autem omnino, inquis, quod per seipsum esse dictum est, aut* [2] *per seipsum vita, aut quaecunque absolute et principaliter esse exposuimus. Hoc dicimus non est pravum, sed rectum, et simplicem declarationem habet. Non enim essentium quandam divinam vel angelicam esse dicimus* [3] *per seipsam existendo existendi, quae sunt, causam. Solummodo enim existendi omnia, quae sunt, et subsistendi* [4] *ipsum esse superessentiale principium et essentiae* [5] *causale, neque vitae parentem aliam deitatem praeter superdivinam omnium, quaecunque vivunt et editae vitae causam vitam. Sed per seipsum esse et per seipsam vitam et per seipsam deitatem dicimus principaliter quidem et deiformiter et causaliter unum omnium superprincipale et superessentiale principium et causam, participaliter autem editas ex Deo non participante providas virtutes, per seipsam deificationem, quas existentia proprie sibimet participant, et existentia, et viventia, et divina sunt, et dicuntur, et alia similiter. Proinde* [6] *et primarum ipsarum optimus substitutor dicitur esse, deinde particularium ipsarum, deinde totarum ipsas participantium, deinde particulariter eas participantium. Et quid oportet de his dicere, quando quidam divinorum nostrorum sacrorum magistrorum per seipsam bonitatis et deitatis substitutricem* [7] *aiunt plusquam optimam et plusquam divinam per seipsam bonitatem et divinitatem, dicentes esse beneficam et deificam ex Deo procedentem donationem, et per se ipsam formam per se, ipsam formificam fusionem, et totam formam, et particularem formam, et universaliter bona, et quaecunque alia secundum eundem dicta sunt et dicentur modum, declarantia providentiam et bonitatem participatas ab existentibus, ex Deo non participante provenientes, et* [8] *copiosa fusione et superscatentes, ut diligens omnium causalis summitas omnium et superessentiale et supernaturale omnino superexcellit ea, quae sunt secundum qualemcunque essentiam et naturam.* Item ex eodem libro capitulo quinto : *Principia existentium omnia* [9] *ipsius esse participantia, et sunt, et principia sunt, et primo sunt, deinde principia sunt. Et si quis* [10] *vult viventium ut viventium principium dicere per se ipsam vitam, et similium ut similium per se ipsam similitudinem, et unitorum ut unitorum per se ipsam*

A *unitatem, et ordinatorum ut ordinatorum per se ipsam ordinationem, et aliorum, quaecunque* [11] *hujus sive hujus sive* [12] *amborum multorumve* [13] *participantia, hoc aut hoc aut ambo aut multa sunt, per se ipsa participantia invenies, ipsius esse primum ea participantia, et ab eo esse primum quidem existentia; deinde hujus aut hujus principia existentia, et participando eo* [14] *esse existentia participata. Si autem haec participatione esse sunt, multo magis eorum participantia.* Et paulo post : *Etenim in monade omnis numerus ante subsistit, et habet omnem numerum monas in se ipsa singulariter, et omnis numerus unitur quidem in monade. Quantum autem a* [15] *monade provenit, tantum discernitur et multiplicatur. Et in centro omnes* [16] *circuli lineae secundum primam unitatem consubstitutae sunt;*
B *et omnes habet signum in semetipso simplas lineas uniformiter unitas ad se invicem et ad unum principium, ex quo procedunt, et in ipso quidem centro universaliter adunantur. Paulisper* [17] *autem eo distantes paulisper* [18] *discernuntur, magis autem recedentes magis et simpliciter, quantum centro proximiores sunt, tantum et ipsi et sibi invicem adunantur, et quantum eo, tantum et a se invicem distant. Sed et in tota omnium natura omnes secundum singulas naturae rationes convolutae sunt per unam inconfusam unitatem, et in anima* [19] *uniformiter secundum partes omnium providae totius corporis virtutes. Nil ergo inconsequens, ex obscuris imaginibus in omnium causale ascendentes, super mundanis oculis contemplari omnia in omnium causali, et sibi invicem apposita uni-*
C *formiter et unita* [20]*; principium enim est existentium, ex quo et ipsum esse, et omnia utcunque* [21] *existentia, omne principium, omnis finis, ac* [22] *omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia, omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio* [23]*, omnis distributio, omnis intellectus, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus, omnis status, omnis motus, omnis unitas, omne judicium, omnis amicitia, omnis compactio, omnis discretio, omnis terminus, et alia nominatim* [24]*, quaecunque ab esse existentia omnia characterizant.* Et post aliquanta : *Si enim juxta nos sol sensibilium essentias et qualitates, et quidem multas et discretas existentes, tamen ipse unus existens et uniformis illuminans lux renovat, et nutrit, et custodit, et perficit, et discernit, et unit, et refovet, et fecunda*
D *esse facit, et auget, et mutat, et collocat, et plantat* [25]*, et renovat* [26]*, et vivificat omnia, et omnium unumquodque proprie sibi eundem et unum solem participat, et multorum participantium unus sol causas in seipso uniformiter praeambit* [27]*, multo magis super terrae et ipsius et omnia* [28] *causalis praetexisse* [29] *ipse* [30] *omnium existentium paradigmata secundum unam superessentialem unitatem concedendum. Deinde et essen-*

VARIAE LECTIONES.

[1] *patris* om. A. [2] A *atque.* [3] C *dicamus.* [4] *subsistendi* om. A. [5] A *essentiam.* [6] A *Perinde.* [7] C *substantiam.* [8] *et* om. A. [9] A *omnium.* [10] C *que.* [11] A *quicunque.* [12] *sive hujus* om. A. [13] A *multorum.* [14] *ea* om. A. [15] *a* om. C. [16] A *omnes.* [17] A *Breviter.* [18] A *breviter.* [19] A *alia.* [20] C *unitate.* [21] Sic C; A *utrumque.* [22] *ac* om. A. [23] A *collatio.* [24] *nominatim* om. A [25] *et plantat* om. A. [26] C *removet.* [27] A *perambit.* [28] A *omnium.* [29] A *praeterisse.* [30] A *in se.*

tias adducit juxta ab essentia egressionem. Paradigmata autem dicimus esse ipsas in Deo existentium substantificas et uniformiter praetextas rationes, quas theologia praedestinationes vocat et divinas et optimas voluntates existentium discretivas et factivas, secundum quas ipsa superessentialis existentia omnia et praedestinavit et adduxit. Et jam [1] huic libro terminus est imponendus ut arbitror. Disc. Ita fiat. Explicit liber secundus ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΝ.

INCIPIT LIBER TERTIUS [2].

Mag. In secundo libro tota fere nostrae ratiocinationis intentio est constituta de secunda universalis naturae consideratione, et, ut ita dicam, forma sive specie, quaecunque verisimilia nobis visa sunt, et ad liquidum, ut arbitror, deducta, veraeque rationis conclusionibus inconcusse munita, literis mandare. Universalis autem naturae secunda [3] consideratio est in ea ipsius parte, quae et creatur et creat, et in qua rerum omnium principia, hoc est, primordiales causae, seu, ut saepe dictum est, praedestinationes rerum creandarum, seu divinae voluntates, et [4] sanctorum Patrum auctoritas, et ipsa recta ratione consulta veritas edocet esse consideranda. Ubi etiam ipsa [5] disputationis necessitas exigebat, quaedam de incidentibus quaestionibus principalis quaestionis revelandae gratia introducere. Nulla siquidem principalis quaestio est, ut opinor, quae non incidentes quaestiones, dum diligenti mentis contuitu investigatur, recipiat. Enodari enim aliter impossibile est, praesertim cum necessarium atque [6] inevitabile fieret, dum de principiis rerum disputabamus, hoc est, de primordialibus causis, de uno etiam omnium principio, Deo videlicet, qui solus est sola ac prima causarum omnium causa, et supercausalis causa, et superessentialis bonitas, cujus participatione omnia principia, et omnes causae omnium rerum subsistunt, ipse vero nullum participat, quia omni principio superiori se vel secum existenti, non tamen [7] coessentiali sibi, omnino caret, quod animo occurrebat, inseri [8]. Quis enim de creatis causis recte quid dicet, nisi prius unicam omnium causam per se subsistentem, et a nulla praecedenti se creatam pure perspiciat, in quantum de ineffabili datur fari, deque incomprehensibili comprehendi, de superante omnem intellectum intelligi? Cum his etiam quaedam de reditu rerum mutabilium atque segregatarum per diversas naturae divisiones et partes, quibus mundus iste [9] perficitur, iterum in principia sua, ex quibus procedunt, et in quibus immutabiliter subsistunt, dum finis omnium venerit, eorumque, quae in motu sunt, status apparuerit, post [10] quem nihil movebitur, breviter praelibavimus [11]. His itaque aliisque, ut diximus, secundi sermonis ordo texitur. Deinde consequentia quaestionum, ni fallor, exigit, tertium librum, Deo duce, de tertia universalis naturae consideratione, hoc est, de ea parte creaturae, quae creatur et non creat, quicquid nobis in mente [12] lux aeterna patefecerit, texi. Disc. Non aliter disputandi viam ingredi oportet, ut aestimo. Nam si primus liber de natura [13] cuncta creante et a nullo [14] creata, deque solo Deo intellecta, secundus vero de ea, quae et creatur et creat, et in primordiis rerum cognoscitur, rationabili tractat progressione: num sequens [15] est, ut et tertius de tertia, quae creatur et non creat, constitutionis suae materiam suscipiat? Sed priusquam ad enodandam hanc naturae partem transeamus, nosse velim, qua ratione eam naturam, quae ab omnium naturarum universitate per excellentiam sui atque infinitatem removetur, veluti primam partem ipsius universitatis ponere voluisti. Universitas siquidem formarum suarum partiumque numeris impletur, ac per hoc in infinitum non progreditur; suis enim finibus sursum versus atque deorsum terminatur. Ab intellectuali siquidem creatura, quae in angelis est constituta, et ut altius ascendamus, a primordialibus causis, supra quas vera ratio nil superius praeter solum Deum reperit, inchoans, per naturales ordines intelligibilium caelestiumque essentiarum et visibilium mundum istum constituentium, usque ad extremum totius creaturae ordinem, qui corporibus corporumque incrementis ac detrimentis [16] impletur, variis quoque decessionibus et successionibus [17] per catholicorum elementorum in propria coitum, eorumque iterum [18] in catholica solutionem peragitur, descendit. Creatrix vero [19] totius universitatis natura, quoniam infinita est, nullis finibus sursum vel deorsum concluditur; ipsa siquidem ambit omnia, et a nullo ambitur. Nec mirum, dum nec a seipsa ambiri sinitur [20], quia universaliter nescit ambiri; quemadmodum universaliter a seipsa, quanto magis ab alio, comprehendi, seu in aliquo definito vel definibili supernaturaliter effugit intelligi. Nisi forte quis dicat, in hoc solo se ambit, dum se sapit ambiri non posse; in hoc se comprehendit, dum se sapit comprehensibilem [21] non esse; in hoc se intelligit, dum sapit, in ullo se intelligi impossibile esse, quia omne quod est, et potest esse, superat. Et cum ita sit, nullusque recte philosophantium his rationibus temere resistat, cur intra universitatis divisiones a

VARIAE LECTIONES.

[1] C *Item* huic. [2] C litteris miniatis : *Incipit tertius liber περὶ φυσεῶν. Ανακεφαλαίωσις secundi libri.* [3] A *secundae.* [4] A *sicut* et. [5] *ipsa* om. C. [6] A *et.* [7] Pro *non tamen* C *et non.* [8] A *inferri.* [9] A *iste mundus.* [10] A *per.* [11] A *perlibavimus.* [12] Sic C; A in *mentem.* [13] A de *ea*, natura. [14] A *nulla.* [15] A *nunc consequens.* [16] A *detrimentis que.* [17] *et successionibus* om. A. [18] *iterum* om. A. [19] *vero* om. A. [20] A *non* sinitur. [21] A *comprehensibile.*

te constituatur [1], non plane video. MAG. In divisionibus universitatis conditae nullo modo eam posuerim. In divisionibus autem ipsius universitatis, quae uno naturae universalis vocabulo comprehenditur, non uno, sed multiplici rationis intuitu ponendam judicavi. Eo namque nomine, quod est natura, non solum creata universitas, verum etiam ipsius creatrix solet significari. Prima siquidem et maxima divisio est universalis naturae in creatricem universitatis conditae, et creatam in ipsa condita universitate, nimirum cum naturalis ista divisio in omnibus universitatibus in infinitum uniformiter servetur. Nam universalis boni prima sectio est in illud unum ac [2] summum incommutabile per se et substantiale bonum, ex quo omne bonum manat, et in illud bonum, quod participatione summi et incommutabilis boni B bonum est. Similiter universalis essentiae, universalis vitae, universalis sapientiae, universalis virtutis eadem principalis divisio est. In his enim ceterisque similibus primo discernitur ea natura, quae per seipsam, a seipsa, in seipsa vere et immutabiliter essentia est, et vita, et sapientia, et virtus, ab ea natura, quae [3] participatione summi boni aut tantum est; aut et est, et vivit; aut et est, et vivit, et sentit et ratiocinatur [4]; aut et [5] est, et vivit, et sentit et ratiocinatur et sapit [6]. Videsne, quemadmodum totius universitatis conditor primum in divisionibus obtinet locum? Nec immerito, dum sit principium omnium, et inseparabilis ab omni diversitate, quam condidit, et sine quo subsistere conditor [7] non potest. In ipso enim immutabiliter et essentialiter sunt C omnia, et ipse est divisio et collectio universalis creaturae, et genus, et species, et totum, et pars, dum nullius sit vel genus, vel species, seu totum, seu pars, sed haec omnia ex ipso, et in ipso, et ad ipsum sunt. Nam et monas principium numerorum est, primaque progressio, et ab ea omnium numerorum pluralitas inchoat, eorundemque reditus atque collectio in ea consummatur. Siquidem omnes numeri universaliter et incommutabiliter in monade subsistunt, et in omnibus eis totum et pars est, et totius divisionis primordium, dum sit ipsa in seipsa neque numerus neque pars ejus. Eadem ratio est centri in circulo seu sphaera, signi in figura, puncti in linea. Cum igitur totius universitatis divisio ab D ipsius causa et creatrice incipiat, non eam veluti primam partem vel speciem debemus intelligere, sed ab ea omnem divisionem et partitionem inchoare, quoniam omnis universitatis principium est, et medium, et finis. Et dum haec de ea et praedicantur et intelliguntur, hoc est, dum in divisionibus universitatum primum locum obtineat, nemo tamen est pie credentium et veritatem intelligentium, qui non continuo, absque ulla cunctatione exclamet, totius

A causam [8] universitatis conditae creatricem supernaturalem esse, et superessentialem, et supra omnem vitam, et sapientiam, et virtutem, et supra omnia, quae dicuntur, et intelliguntur, et omni sensu percipiuntur, dum sit horum omnium principium causale, et medium implens essentiale, et finis consummans, omnemque motum stabilitans, quietumque [9] faciens, et ambitus, omnia, quae sunt et quae non sunt, circumscribens. DISC. His altae cautaeque ratiocinationis collationibus [10] libenter cedo, ac verisimiles eas approbo. Sed priusquam ad considerandos effectus primordialium causarum, ex quibus maxime prima omnium et una [11] creatrix causa solet denominari, accedas, ordinem naturalem earum nosse convenit: adhuc enim mixtim indistincteque introductas B esse arbitror. Nam, ni fallor, ad earum effectuumque suorum perfectam notitiam non mediocre auxilium quaerentibus praestabit, si prius naturalis ordo, quo a creatore conditae sunt, luculenter patefactus fuerit. MAG. Primordialium causarum seriem divinae providentiae solers investigator sanctus Dionysius Areopagita in libro de divinis Nominibus apertissime [12] disposuit. Summae siquidem bonitatis, quae nullius particeps, quoniam per se ipsam bonitas est, primam donationem et participationem [13] asserit esse per se ipsam bonitatem, cujus participatione, quaecunque, bona [14] sunt. Ideoque per seipsam bonitas dicitur, quia per seipsam summum bonum participat. Cetera enim bona non per seipsa summum et substantiale bonum participant, sed per eam, quae est per seC ipsam summi boni prima participatio. Et [15] haec regula in omnibus primordialibus causis uniformiter observatur, hoc est, quod per se ipsas participationes principales sunt unius omnium causae, quae Deus est. Quoniam vero summae ac verae naturae prima consideratio est, qua intelligitur summa ac vera bonitas, secunda vero, qua intelligitur summa ac vera essentia, nec [16] immerito primordialium causarum secundum locum obtinet per seipsam essentia, quae cum summae ac verae essentiae prima participatio sit, omnia, quae post se sunt, sua participatione accipiunt esse, ac per hoc non solum bona, verum etiam existentia sunt, tertia divinae naturae intentio est, qua intelligitur summa veraque vita, ideoque tertia in primordialibus causis per seipsam vita connumeratur, D quae summae ac verae vitae prima per se participatio subsistens, ut omnia post eam viventia participatione ejus viverent, creata est: hinc conficitur et bona, et [17] existentia, et viventia esse. Ejusdem naturae quarta theoria, qua summa ac vera ratio cognoscitur. Hinc perspicitur quartam [18] inter primordiales per se ipsam ratio sessionem, primamque summae ac verae rationis participationem, omniumque post se rationabilium, hoc est, rationis participantium.

VARIAE LECTIONES

[1] C *constituatur.* [2] A *et.* [3] C *qua.* [4] pro *sentit e. r.* A *sapit.* [5] *et* om. A. [6] Pro *sentit* et *ratiocinatur et savit* A *sapit* et *virtutem participat.* [7] *conditor* om. A. [8] A *causam totius.* [9] A *quaecumque.* [10] A *collocationibus.* [11] *et una* om. A. [12] A *aptissime.* [13] A *partitionem.* [14] A *varia.* [15] *Et* om. A. [16] C *Non* immerito. [17] *et* om. C. [18] C *Hinc est quod quartam* (A *quarta.*)

possidere [1] primordia. Divinae naturae quinta theoria in summa ac vera intelligentia versatur; intellectus enim est intelligens omnia, priusquam fiant. Ac per hoc quinta in ordine primordialium cognoscitur per seipsam intelligentia [2], cujus [3] participatione intelligunt, quaecunque intelligunt [4], et intellectus sunt; ipsa vero prima participatio summae ac verae intelligentiae condita est. Sexta contemplatio divinae naturae in vera summaque sapientia constituitur. Hinc non immerito inter primordiales causas sexto loco per seipsam sapientia collocatur, quae prima participatio est summae ac verae sapientiae, participatione vero sui omnibus post se sapientibus sapiendi causa creata est. Verae ac summae naturae [6] septima contemplatio est, quae considerat summam ipsius ac veram virtutem. Ac per hoc per seipsam virtus inter primordiales septimam sedem occupat, et est prima participatio summae ac verae virtutis; ceterae vero post eam virtutum species participationes ipsius [7] sunt. Octavus theoriae gradus est, in quo mens pura summa veraque [8] divinae naturae beatitudinem intuetur. Cujus prima participatio est [9] per se beatitudo, quam veluti octavam primordialium participant, beataque sunt [10], quaecunque post se beata sunt, omnia. Nona in ordine theoria divinae ac summae veritatis, cujus prima participatio est [11] per seipsam veritas, post quam et per quam quasi primordialium nonam [12] vera sunt, quaecunque vera sunt, omnia. Decima ponitur per seipsam aeternitas, quae prima participatio est summae ac verae aeternitatis, et post quam et per quam aeterna sunt, quaecunque aeterna sunt [13], omnia. Eadem ratio est de magnitudine, de amore et pace, de unitate et perfectione; per has enim primordiales causas a summa omnium causa descendunt, quaecunque magnitudinis, amoris, pacis, unitatis, perfectionis participantia sunt. Sufficiunt haec, ut arbitror, ad ea, quae volumus, manifestanda. Praedicta siquidem theoria uniformiter in omnibus rerum omnium principiis, in infinitum progredientibus, mentis obtutibus deiformiter arridet ubique, sive in his, quae et [14] intelligi et nominari possunt, sive in his, quae solo intellectu percipiuntur, significationibus tamen deficiunt, sive in his, quae nec intellectu comprehenduntur, nec nominationibus exprimuntur; fugiunt enim omnem sensum omnemque mentis contuitum; nimia siquidem altitudinis suae [15] claritate obscurantur. In ipso enim sunt, de quo Apostolus dixit: *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.* Nec mirum, si causae primordiales in infinitum protendantur. Ut enim prima omnium causa, ex qua, et in qua, et per quam, et ad quam conditae sunt, infinita est, ita et ipsae finem nesciunt, quo claudantur, praeter Creatoris sui voluntatem. Et notandum, quod ordo iste primordialium causarum, quem a me exigis, ad certum progrediendi modum inconfuse discerni non in ipsis, sed in theoria, hoc est, in animae [16] contuitu quaerentis eas [17], earumque, quantum datur, notitiam in seipso concipientis, eamque quodammodo ordinantis constitutus sit, ut de eis certum aliquid puraque intelligentia definitum pronuntiare possit. Ipsae siquidem primae causae in seipsis unum sunt, et simplices, nullique cognito ordine definitae, aut a se invicem segregatae; hoc enim in effectibus suis patiuntur [18]. Et sicut in monade, dum omnes numeri sola ratione subsistunt, nullus tamen numerus ab alio numero discernitur; unum enim sunt, et simplex unum, et non ex multis compositum unum, siquidem ex monade omnis numerorum multiplicatio progreditur in infinitum, non autem monas ex multiplicibus et a se progredientibus numeris veluti in unum collectis conficitur: similiter primordiales causae, dum in principio omnium, in Verbo videlicet Dei unigenito [19], substitutae intelliguntur, unum simplex atque individuum sunt, dum vero in effectus suos in infinitum multiplicatos procedunt, numerosam ordinatamque sui pluralitatem recipiunt, non quia causa omnium ordo non sit vel ordinatio, vel [20] per seipsam ordinatio in principiis rerum non numeretur, cum omne ordinatum participatione ipsius sit ordinatum; sed quia omnis ordo in summa omnium causa, et in ipsius prima participatione unus ac simplex est, nullisque differentiis discernitur, ubi omnes ordines a seipsis non discrepant, quoniam unum inseparabile sunt, unde rerum omnium multiplex ordo descendit. Ordo itaque primordialium causarum juxta contemplantis animi arbitrium constituitur, in quantum earum cognitio de divinis causis disputantibus datur. Licet enim pie ac pure philosophantibus ab unaquaque earum, prout vult, inchoare, et per ceteras mentis oculum, qui est vera ratio, ordine quodam contemplationis convolvere, omnes, quascunque potest, percipiens, et in qualicunque earum terminum suae theoriae constituere. Sicut nunc intentionis nostrae humilis capacitas ex bonitate primordialium causarum, veluti quodam ordine constitutarum, numerum coepit computare, et in ea, quae dicitur per seipsam perfectio, veluti quinto decimo loco constituta finem exemplo dedit, quoniam exempli gratia has principales causas pro viribus intentionis suae elegit, et, ut ei visum est, ordinavit; non quod ita natura sua [21] sint constitutae, ubi omnia unum sunt, et simul et simpliciter sunt, sed quod quaerentibus eas, deque eis quiddam exempli gratia proferre volentibus, sic vel sic, et multipliciter, et infinite, divino radio illuminante, in theophaniis suis solent [22] apparere. Et ut hoc exemplo

VARIAE LECTIONES.

[1] C *possidet.* [2] *versatur — intelligentia* om. C. [3] C *unius.* [4] *quaecunque intelligunt* om. C. [5] A *edita.* [6] A *naturae* om. A. [7] *ipsius* om. A. [8] A *veramque.* [9] *est* om. C. [10] Pro *beataque sunt* C *beata* (*que sunt* om. C). [11] *est* om. A. [12] *nonam* om A. [13] *quaecunque aeterna sunt* om. C. [14] *et* om. A. [15] *altitudine sive.* [16] C *animi.* [17] *eas* om. A. [18] C *parciuntur.* [19] A *ingenito.* [20] C vel *non* per. [21] *sua* om. A. [22] A *soleant.*

rerum sensibilium clarius elucescat [1], centrum et circumscriptum ei circulum diligenter intuere, rectasque lineas a centro inchoatas, et ad circulum porrectas [2], ibique terminatas. Disc. Saepe hoc aspexi, seu in animo per phantasiam interius, seu in figura visibili corporeaque exterius sensui [3] subjecta. Mag. Non intuitus es, quomodo omnes lineae in centro adunantur, ut [4] nulla illarum ab aliis discerni possit, nimirum, quia omnes in eo unum sunt, et nullo modo a seipsis discrepant, ita ut rationabiliter non junctura linearum in unum, sed fons atque principium simplex et individuum, ex quo sive naturaliter, sive arte, multiplex linearum numerus procedit, centrum definiatur; est enim centrum [5] universale linearum initium, in quo omnes unum sunt. Disc. Hoc quoque in geometricis rationibus mihi apertissime suasum. Sed haec omnia plus animo quam sensu percipiuntur, sive interius per phantasiam [6], sive exterius per sensum [7] de talibus velit quis disputare [8]. Mag. Recte dicis; haec enim et hujusmodi pura mentis acie dijudicantur. Vides, ni fallor, in prima linearum progressione ab ipsa unitate, quae in centro est, quantum sibi invicem lineae conjunguntur, ut vix discerni a se invicem possint. Dum vero longius a centro protenduntur, latius paululum spatia, quibus a se invicem segregantur, crescere incipiunt, donec ad extremum circulum, quo finiuntur, perveniant; ubi latissima sua diastemata mensurantur, hoc est, spatia inter lineas constituta, quae sibi invicem aequalia sunt, ut nulla eorum latiora aut angustiora aliis reperiantur. Quemadmodum et in ipsis lineis una eademque longitudo est in tantum, ut earum nullae longiores aliis aut breviores sint, naturali rationabilique aequalitate in utrisque servata, in latitudine spatiorum dico et in longitudine linearum. Disc. Ita est, et [9] plane intelligo. Mag. Quid, si velis spatiorum et linearum numerum dignoscere, et in ordinem quendam redigere? Num potes speciale spatium, lineamve specialiter invenire, ex quo, vel ex [10] qua naturaliter ac proprie incipias? Disc. Mihi quaerenti non occurrit. Tanta siquidem aequalitas in his praevalet, ut nullum spatium ab alio, nulla linea ab alia per differentiam quandam seu proprietatem possit discerni. Nam et ille circulus, intra cujus ambitum omnia colliguntur, ita sibimet in seipso similis est, ut nulla pars ejus ab alia discernatur, seu natura, seu arte. Continua namque quantitate pollet, ac per hoc nullo certo principio inchoat, nullo constituto fine concluditur, sed totus sibimet in toto et principium est, et finis subsistit. Hinc est, quod circularis motus ἄναρχος a Graecis, hoc est, principio carens recte nominatur, aliorumque motuum, id est, recti et obliqui, obtinet principatum. Mag. In his omnibus

A non falleris, ut opinor; non enim aliter vera edocet ratio. Num itaque cernis, quod nulla lex figurarum tibi obstat [11], vel te cohibet [12], ut [13] ab omni spatio seu linea incipias totam figuram et ordinare [14] et numerare? Sic enim imperat ratio. Ac per hoc quot spatia lineaeque sunt, tot principia lineasque numerandi et ordinandi fieri possunt. Disc. Huic etiam conclusioni non resisto; sed, quorsum tendat [15], expecto nosse. Mag. Non allorsum, nisi ut luce clarius cognoscamus, summos theologos eorumque pedisequos omnino posse, nulla ratione obstante, et ab omnibus primordialibus causis contemplationis eorum initium sumere, et in omnibus, prout cuique visum fuerit, ipsius contemplationis finem constituere, ita ut, quot primordiales causae sint, et, ut cautius eloquar, quot in

B contemplantium intellectibus quoquo modo formantur, seu formari possunt, tot earum ordines numerosaque pluralitas recte philosophantibus juxta capacitatem singulorum theoriae, prout quisque voluerit, mirabili divinae providentiae dispositione ultro sese offerunt [16]; et dum haec in mentibus theorizantium divinae disciplinae divinarumque theophaniarum modis diversis [17] mirabilibusque [18] peraguntur, ipsae per seipsas omnium, quae sunt, primordiales rationes uniformiter et incommutabiliter in Verbo Dei, in quo factae sunt, unum et id ipsum ultra omnes ordines omnemque numerum aeternaliter subsistunt [19]. Disc. Clare jam video tuae intentionis ratiocinationisque finem, siquidem, ut arbitror, nil aliud suadere contendis, nisi ut in ipsis [20]

C principiis rerum nullus ordo naturaliter specialis quaeratur. Et merito. Quis enim in [21] his, quae supra omnem numerum omnemque ordinem excelsitudine suae naturae a conditore omnium creata sunt, ordinem vel numerum rationabiliter quaesierit, dum sint omnis numeri omnisque ordinis initia in semetipsis sibi invicem unita, et a nullo inferioris naturae contuitu discreta? Sola siquidem gnostica conditoris earum virtus eas numerare, discernere, multiplicare, ordinare, dividere non incongrue creditur posse. Quoniam vero modo quodam incognito, ultraque naturam reperto, in theophaniis suis mentibus contemplantium conformantur, in eis etiam et multiplicari, et dividi, et numerari posse dignoscuntur [22], in intellectibus dico, prout datur eis contem-

D plantium [23]. Ac per hoc conficitur, eas, id est primordiales causas, nullum ordinem intellectui, vel sensui cognitum in semetipsis recipere; in earum vero theorico, hoc est, contemplativo animo quosdam ordines diversos [24] atque multiplices conceptione quadam intelligentiae procedente in ratione per quasdam imaginationes verisimiles nasci. Sed cum haec ita se habeant, non te crediderim sine aliqua speciali ratione principalium causarum con-

VARIAE LECTIONES.

[1] C *lucescant.* [2] A *portatas.* [3] A *sensibus exterius.* [4] A *et.* [5] *centrum* om. A. *per phantasiam* om. A. [7] *per sensum* om. A. [8] C *disputari.* [9] A *ut.* [10] A *ex* om. A. [11] A *obsistat.* [12] A *cohibeat.* [13] A *ne.* [14] pro *et ordinare* A *exordinare.* [15] C *tendit.* [16] A *afferunt.* [17] A *divisis.* [18] A *mirabilibus.* [19] A *subsistit.* [20] A *his.* [21] A *ex.* [22] *dignoscuntur* om. A. [23] Sic C; A *contemplantibus.* [24] A *divisos.*

numerationem ab ipsa per seipsam bonitate inchoasse. Non enim est rite disputantium, otiosum quid, causa carens dicere. Mag. Hoc fortassis non temere diceres, si de numero pie ac perfecte disputantium, et nullo modo de verae ratiocinationis semita declinantium, unum me esse cognosceres. Quoniam vero inter magnorum philosophorum extremos pedisequos vix locum invenio habere [1], non incaute de processionibus meis per altissimos theoriae ascensus promittendum. Saepe namque melioris ingenii puriorisque sine comparatione in ipsis ascensionibus inchoantes ingredi, aut errantes [2] deviaverunt, aut altius ascendere non valentes, ad inferiora reversi sunt, aut eas silentio honorificantes, altiora se attingere caute ac rationabiliter non praesumentes siluerunt. Perfectissimorum namque est [3] divinique radii splendoribus illuminatorum, ac per hoc ad sacratissima caelestium mysteriorum abdita manu ductorum, altissima divinae [4] theoriae βόματα [5], hoc est [6] gradus [7] superare, ac sine ullo errore apertissimae veritatis speciem nulla caligine obstante [8] intueri. Quae quoniam ultra vires intentionis nostrae constituta sunt, nec adhuc possumus attingere carnalium sensuum pondere oppressi, ne pigri videamur in divinis negotiis, talentum Dominicum in terra fodientes, ac sine ulla usura [9] pecuniam domini negligentes, malique servi sententiam promerentes, de his, quae nunc inter nos conferimus, quantum intima lux capacitati quaerentium se donaverit, quicquid verisimilius visum fuerit dicemus, humilitatis regula ubique observata, ne nosmet esse aestimemus, quod nos non sumus. Scriptum est enim : *Noli altum sapere, sed time.*

2. Hac igitur ratione specialiter principia rerum ab ipsa per seipsam bonitate incipere introductus sum. Perspexi siquidem, nec absque sanctorum Patrum auctoritate, et maxime Areopagitae Dionysii, generalissimam divinarum donationum esse per seipsam bonitatem, aliasque quodammodo praecedere. Causa namque omnium creatrix bonitas, quae Deus est, ad hoc ipsam causam, quae per seipsam bonitas dicitur, primo omnium creavit, ut per eam omnia, quae sunt, in essentias ex non existentibus adduceret. Divinae siquidem bonitatis proprium est, quae non erant, in essentiam vocare. Universitatis etenim [10] conditae in essentiamque adductae divina bonitas et plusquam bonitas et essentialis et superessentialis causa est. Si igitur Creator per suam bonitatem omnia de nihilo, ut essent, derivavit, necessario intellectus per seipsum bonitatis, intellectum per seipsam [11] essentiae praecedit. Non enim per essentiam introducta est bonitas, sed per bonitatem introducta est essentia. Nam et hoc apertissime Scriptura pronuntiat, quae dicit : *Et vidit Deus omnia, et ecce bona valde* [12]. Non enim dicit : et vidit. Deus omnia, et ecce valde sunt. Quid enim valeret solummodo esse, adempto bene esse? Omnia siquidem, quae sunt, in tantum sunt, in quantum bona sunt; in quantum autem bona non sunt, aut, ut ita dicam, in quantum minus bona sunt, in tantum non sunt. Ac per hoc adempta penitus bonitate, nulla remanet essentia. Simpliciter enim esse, vel aeternaliter esse, sublato bene esse, et bene aeternaliter [13] esse, abusive dicitur et esse et aeternaliter esse. Subtracta itaque bonitate proprie non dicitur essentia, aut aeterna essentia. Ac ne forte ad haec dicas, nunquid similiter possumus pronuntiare, subtracta penitus essentia [14] nulla bonitas remanebit, pereunte vero [15] existentia nullum bonum subsistet, accipe majoris virtutis argumentum. Non solum, quae sunt, bona sunt; verum etiam, quae non sunt, bona dicuntur. Eoque amplius meliora dicuntur quae non sunt, quam quae sunt; nam [16] in quantum per excellentiam superant essentiam, in tantum superessentiali bono, Deo videlicet, appropinquant; in quantum autem [17] essentiam participant, in tantum a superessentiali bono elongantur. Non esse autem, ut arbitror, dicuntur, quae nec sensu, nec intellectu, prae nimia sui excellentia, inseparabilique unitate, ac simplicitate percipi possunt; esse vero aestimantur, quae intellectibus sensibusve succumbunt, et in quadam certa definitaque substantia differentiis [18] proprietatibusque circumscribuntur, accidentibusque [19] subjecta, locis temporibusque varia atque dispersa semel et simul esse non valentia. Videsne igitur, quantum generalior est bonitas, quam essentia? Bonorum siquidem una species bonitatis [20] est in his quae sunt, altera in his quae non sunt. Ac per hoc a [21] generalioribus divinae largitatis donationibus inchoans, et per specialiores progrediens, ordinem quendam primordialium causarum theologia duce constitui.

3. Disc. Jam intelligo, non irrationabiliter te inchoasse principiorum considerationem. Quicunque enim recte dividit, a generalissimis debet incipere, et per generaliora progredi, ac sic, prout virtus contemplationis succurrit, ad specialissima pervenire. Quod etiam in ipsis rerum principiis, quae primo posuisti, interius perspiciens, ni fallor, intelligo. Ut enim bonitas veluti quoddam genus est essentiae, essentia vero species quaedam bonitatis esse creditur; ita essentia genus est vitae. Siquidem omnia, quae sunt, dividuntur in ea, quae per se [22] vivunt, et ea [23], quae per se [24] non vivunt. Non enim omnis [25] essentia per se vivit, aut vita est. Ac per hoc eorum, quae sunt, una species est in his, quae per se [26]

VARIAE LECTIONES.

[1] *habere* om. A, [2] C *errando.* [3] *est* om. A. [4] *divinae* om. A. [5] Corr., A *climata*, B *bimata.* [6] *hoc est* om. A. [7] A *gradu.* [8] C *distenta.* [9] C sine *ullo usufructu.* [10] A *enim.* [11] A p. *seipsum.* [12] C *valde bona.* [13] A *essentialiter.* [14] C *existenti* [15] *vero* om. C.. [16] pro *nam* C *non.* [17] *autem* om. A. [18] A om. *differentiisque.* [19] A *accidentibus quoque.* [20] *bonitatis* om. A [21] *a* om. C. [22] *per se* om. A. [23] *ea* om. A. [24] *per se* om. A. [25] *omnis* om. C. [26] *per se* om. A.

vivunt vel vita sunt, altera in his, quae nec per se [1] vitam participant, nec vita sunt. Hoc quoque in sequentibus potest inspici. Nam vita quoddam genus rationis est. Omnia siquidem, quae vivunt, aut rationabilia sunt, aut irrationabilia. Ac per hoc una species vitae est rationalis, altera irrationalis [2]. Rationis item duplex species arridet, una sapientia, altera scientia. Sapientia namque proprie dicitur virtus illa, qua contemplativus animus, sive humanus, sive angelicus, divina, aeterna et incommutabilia considerat; sive circa primam omnium causam versetur, sive circa primordiales rerum causas, quas Pater in Verbo suo semel simulque condidit, quae species rationis a sapientibus theologia vocitatur. Scientia vero est virtus, qua theoreticus animus, sive humanus, sive angelicus, de natura rerum, ex primordialibus causis procedentium per generationem, inque genera ac species divisarum, per differentias, et proprietates tractat, sive accidentibus succumbat, sive eis careat, sive corporibus adjuncta, sive penitus ab eis libera, sive locis et temporibus distributa, sive ultra loca et tempora sui simplicitate unita atque inseparabilis. Quae species rationis Physica dicitur. Est enim Physica naturarum sensibus intellectibusque succumbentium naturalis scientia, quam semper sequitur morum disciplina. Et si quis intentus fuerit, eandem regulam aut in omnibus, aut in multis primordialibus causis reperiet; non quod, ut arbitror, primordialium causarum quaedam quidem generaliora sint, quaedam vero [3] specialiora; talis enim inaequalitas [4] in his, in quibus summa unitas, et summa aequalitas pollet, impossibilis [5], ut arbitror, est [6]; sed quia in effectibus earum plures participationes aliarum, aliarum vero pauciores contemplantis animus, rerumque multiplex divisio invenit. Multipliciores siquidem sunt participationes per seipsam bonitatis, quam per seipsam essentiae: unam quidem participant quae sunt, et quae non sunt; alteram vero solummodo quae sunt. Eodem modo de ceteris principiis intelligere non alienum est a veritate. Essentiam quoque [7] participant quae vivunt, et quae non vivunt; vitam vero solummodo quae vivunt. Vitam participant rationabilia et irrationabilia; rationem vero sola rationabilia. Rationem participant sapientia et scientia; sapientiam vero soli illi intellectus, qui circa Deum ultra omnem naturam visibilium et invisibilium, et extra seipsas aeterno et ineffabili motu, et circa rerum principia volvuntur [8]. Ac per hoc non in ipsis rerum principiis genera vel species, pluralitas paucitasque [9] intuenda sunt, sed non [10] in eorum participationibus, hoc est, non in ipsis causis in verbo Dei uniformiter et incommutabiliter et aequaliter factis, verum in earum effectibus, quibus mundus visibilis et invisibilis impletur. In ipsis quidem summa est aequalitas ac nulla diversitas, in his vero multiplex et infinita differentiarum varietas. Sed quid sit participatio, nondum intelligo, sine cujus intelligentia nemo potest praedicta ad purum dignoscere, ut arbitror. MAG. Omne quod est, aut participans, aut participatum, aut participatio est, aut participatum simul et [11] participans. Participatum solummodo est, quod nullum superius se participat, quod de summo ac solo omnium principio, quod Deus est, recte intelligitur. Ipsum siquidem omnia, quae ab eo sunt, participant, quaedam quidem immediate per seipsa, quaedam vero per medietates interpositas. Participans vero solummodo est, quod supra se naturaliter constitutum participat, a nullo vero infra se posito participatur, quoniam infra se nullus ordo naturalis invenitur; sicut sunt corpora, quorum participatione nulla rerum subsistit; non enim umbras inter subsistentes res connumeramus. Corpora nunc [12] dico, non illa simplicia, invisibilia, et universalia, sed illa, quae ex ipsis sunt composita, sensibusque et corruptioni, hoc est, solutioni obnoxia: cetera vero, quaecunque ab uno omnium principio per naturales descensiones gradusque divina sapientia ordinatos, usque ad extremitatem totius naturae, qua corpora continentur, in medio sunt constituta, et participantia, et participata sunt et vocantur. Excellentissima namque, inter quae et summum bonum superius nulla creatura interposita est, immediate Deum participant, et sunt principia omnium rerum, hoc est, primordiales causae, circa et post unum principium universale constitutae, post quas sequentes essentiae earum participatione subsistunt. Videsne, quemadmodum primus ordo universitatis conditae et particeps est unius omnium principii, et participatus ex subsequentibus se creaturis? Simili ratione de ceteris ordinibus intelligendum. Omnis enim ordo a summo usque deorsum in medio constitutus, hoc est, a Deo usque ad corpora visibilia, et superiorem se ordinem participat, et ab inferiori se participatur, ac per hoc et participans est, et participatus; participatio vero in omnibus intelligitur. Ut enim inter numerorum terminos, hoc est, inter ipsos numeros, sub una ratione constitutos, similes proportiones; ita inter omnes ordines naturales, a summo usque deorsum, participationes similes sunt, quibus junguntur. Et quemadmodum in proportionibus numerorum proportionalitates sunt, hoc est, proportionum similes rationes, eodem modo in naturalium [13] ordinationum participationibus mirabiles atque ineffabiles harmonias constituit creatrix omnium sapientia, quibus omnia in unam quandam concordiam, seu amicitiam, seu pacem, seu amorem, seu quocunque modo rerum omnium adunatio significari possit, conveniunt. Sicut [14] enim numerorum concordia, proportionis; propor-

VARIAE LECTIONES

[1] *per se* om. A. [2] C *irrationabilis*. [3] *vero* om. A. [4] A *aequalitas*. [5] C *impossibile*. [6] Corr., AC *esse*. [7] A *namque*. [8] A *revolvuntur*. [9] A *paucitasve*. [10] *non* om. A. [11] *simul et* om. A. [12] A *enim*. [13] *naturalium* om. A. [14] A *Ut*.

tionum vero collatio, proportionalitatis : sic ordinum naturalium distributio, participationis nomen, distributionum vero copulatio, amoris generalis accepit, qui omnia ineffabili quadam amicitia in unum colligit. Est igitur participatior non cujusdam partis assumptio, sed divinarum dationum et donationum a summo usque deorsum per superiores ordines inferioribus distributio. Primum siquidem primo ordini immediate a summo omnium bono et datur, et donatur; verbi gratia, datur esse, donatur [1] bene esse : ipse vero primus ordo sequenti se distribuit esse et bene esse; ac sic distributio essendi, et bene essendi, a summo omnium bonorum datorum vel donationum fonte gradatim per superiores in inferiores usque ad extremos ordines defluit. Ubi notandum, duobus modis bene esse intelligi, uno, quo omnia, quae sunt, bona dicuntur esse, quoniam a summo bono facta sunt, et in tantum sunt, in quantum participant bonitatem [2]; altero autem [3], quo omnia, quae naturaliter bona subsistunt, virtutum donationibus, ut eorum naturalis bonitas plus appareat, exornantur. Quamvis enim maxime ac principaliter rationali et intellectuali creaturae dona gratiae, quae virtutis vocabulo solent significari, distribuantur, nulla tamen naturarum etiam extremarum secundum suam proportionem divinae gratiae participationis expers esse arbitranda est. Ut enim omnia participant bonitatem, ita participant et gratiam [4]; bonitatem quidem ut sint, gratiam vero ut et [5] bona et pulchra sint. Similiter de vita, de sensu, de ratione, de sapientia, ceterisque divinis dationibus et donationibus accipiendum; eodem enim modo per superiora inferioribus distribuuntur, in quantum perveniunt. Non enim omnes dationes usque ad extrema descendunt; esse siquidem et bene esse secundum naturam usque ad extremum universitatis conditae distribuitur, vita vero extremum ordinem non attingit. Non enim corpora per seipsa vivunt, vel vita sunt, sed per superiorem se ordi em vivere recipiunt; qui ordo in nutritiva et activa vita constitutus est, inque seminibus viget. Quid dicam de sensu, et ratione, et intellectu? Nempe omnibus patet, quia sensus usque ad irrationabilia descendit animantia, ratio et intellectus rationabilia et intellectualia non excedunt. Inter dationes autem et donationes talis differentia est : dationes quidem sunt et dicuntur propriae distributiones, quibus omnis natura subsistit; donationes vero gratiae distributiones, quibus omnis natura subsistens ornatur. Itaque natura datur, donatur gratia [6]; siquidem omnis creatura perfecta ex natura constat et gratia [7]. Hinc conficitur, omnem essentiam datum, omnem virtutem donum proprie vocari. Hinc theologia dicit : *Omne datum optimum, et omne donum perfe-* A *ctum desursum est, descendens a Patre luminum.* Saepe tamen sacra Scriptura et datum pro dono, et donum pro dato solet ponere. Sciendum quoque, virtutem tripliciter intelligendam. Est enim virtus substantialis ; omne namque quod subsistit naturali quadam trinitate subsistit, essentia, virtute, et operatione, de quibus in primo libro satis disputatum est. Secunda species virtutis est [8], quae pugnat adversus corruptionem naturae, ut sanitas adversus aegritudinem, scientia et sapientia adversus ignorantiam et stultitiam. Tertia est, quae opponitur malitiae, ut humilitas superbiae, castitas libidini. Quae species in tantum patet, in quantum liberae voluntatis irrationabilis motus intellectuali [9] naturae porrigitur. In quantum enim malitia vitiorum B species multiplicat, in tantum bonitas virtutum oppugnacula opponit. Et notandum, quod participatio significantius expressiusque, et ad intelligendum facilius a Graecis dicatur, in quorum lingua μετοχὴ vel μετουσία participationem significat, μετοχὴ autem quasi μεταέχουσα, hoc est, post habens vel secundo habens, μετουσία quoque quasi μεταουσία, hoc est, post-essentia vel secunda essentia. Hinc facillime datur intelligi, nihil aliud esse participationem, nisi ex superiori essentia secundae post eam essentiae derivationem, et ab ea, quae primum habet esse, secundae, ut sit, distributio. Et hoc exemplis naturae possumus argumentari.

4. Siquidem ex fonte totum flumen principaliter manat, et per ejus alveum aqua, quae primo surgit C in fonte, in quantamcunque longitudinem protendatur, semper ac sine ulla intermissione defunditur. Sic divina bonitas, et essentia, et vita, et sapientia, et omnia, quae in fonte omnium sunt, primo in primordiales causas defluunt, et eas esse faciunt, deinde per primordiales causas [10] in earum effectus ineffabili modo per convenientes sibi universitatis ordines decurrunt, per superiora semper ad inferiora defluentia [11], iterumque per secretissimos naturae poros occultissimo meatu ad fontem suum redeunt. Inde enim [12] est omne bonum, omnis essentia, omnis vita, omnis sensus, omnis ratio, omnis sapientia, omne genus, omnis species, omnis pulchritudo [13], omnis ordo, omnis unitas, omnis aequalitas, omnis differentia, omnis locus, omne D tempus, et omne quod est, et omne quod non est, et omne quod intelligitur, et omne quod sentitur, et omne quod superat sensum et intellectum. Summae siquidem ac trinae soliusque verae bonitatis in seipsa immutabilis motus et simplex multiplicatio et inexhausta a seipsa, in seipsa, ad seipsam diffusio causa omnium, immo omnia est. Si enim intellectus omnium est omnia, et ipsa sola intelligit omnia; ipsa igitur sola est omnia, quoniam sola

VARIAE LECTIONES.

[1] A *et* datur esse *et* donatur. [2] A *bona.* [3] A *vero.* [4] *et gratiam* om. C. [5] *et* om. A. [6] A natura *datur, gratia donatur,* B *natura dat, gratia donat,* C *natura dat,* donat gratia. [7] A *siquidem omnis — gratia* om. A. [8] *est* om. C. [9] C *intellectualis.* [10] *defluunt — causas* om. C. [11] C *profluentia.* [12] *enim* om. A. [13] A *plenitudo.*

gnostica virtus est ipsa, quae, priusquam essent omnia, cognovit omnia, et extra se non cognovit omnia, quia extra eam nihil est, sed intra se habet omnia. Ambit enim omnia, et nihil intra se est, in quantum vere est, nisi ipsa, quia sola vere est. Cetera [1], quae dicuntur esse, ipsius theophaniae sunt, quae etiam in ipsa vere subsistunt. Deus itaque est [2] omne, quod vere est, quoniam ipse facit omnia, et fit in omnibus, ut ait sanctus Dionysius Areopagita. Omne namque [3], quod intelligitur et sentitur, nihil aliud est, nisi non apparentis apparitio, occulti manifestatio, negati affirmatio, incomprehensibilis comprehensio, ineffabilis fatus, inaccessibilis accessus, inintelligibilis intellectus, incorporalis corpus, superessentialis essentia, informis forma, immensurabilis mensura, innumerabilis numerus, carentis pondere pondus, spiritualis incrassatio, invisibilis visibilitas, illocalis localitas, carentis tempore temporalitas, infiniti definitio, incircumscripti circumscriptio, et cetera, quae puro intellectu et cogitantur, et perspiciuntur, et quae memoriae finibus capi nesciunt, et mentis aciem fugiunt. Et hoc exemplis nostrae naturae possumus conficere. Nam et noster intellectus, cum per se sit invisibilis et incomprehensibilis, signis tamen quibusdam et manifestatur et comprehenditur, dum vocibus vel literis vel aliis nutibus, veluti quibusdam corporibus incrassatur, et dum sic extrinsecus apparet [4], semper intrinsecus invisibilis permanet, dumque in varias figuras sensibus comprehensibiles prosilit, semper statum suae naturae incomprehensibilem non deserit, et priusquam exterius patefactus fiat, intra [5] seipsum seipsum movet. Ac per hoc et silet, et clamat; et dum silet, clamat; et dum clamat, silet; et invisibilis videtur, et dum videtur, invisibilis est; et incircumscriptus circumscribitur, et dum circumscribitur, incircumscriptus perseverat; et dum vult, vocibus et literis incorporatur; et dum incorporatur, incorporeus in seipso subsistit; et dum sibi veluti quaedam vehicula, quibus ad aliorum sensus possit provehi [6], de aeris materia, vel sensibilibus figuris efficit, mox, ut ad sensus exteriores eorum pervenerit, ipsa vehicula deserens, solus per seipsum absolutus, intima corda penetrat, aliisque intellectibus se miscet, et fit unum cum his, quibus copulatur. Et cum hoc [7] peragat, semper in seipso manet; et dum movetur, stat; et dum stat, movetur; est enim status mobilis, et motus stabilis; et dum aliis adjungitur, suam simplicitatem non relinquit; et multa alia, quae mirabiliter et ineffabiliter de natura, quae ad imaginem Dei facta est, excogitari possunt [8]. Sed haec exemplo sufficiunt ad insinuandam divinae bonitatis ineffabilem diffusionem per omnia a summo usque deorsum, A hoc est, per universitatem ab ipsa conditam, quae ineffabilis diffusio,[9] et facit omnia, et fit in omnibus, et omnia est. Disc. Sufficiunt sane, et copiose affluunt, in quantum res ineffabilis quibusdam similitudinibus fari potest, dum omni [10] similitudine remota sit. Praedicta siquidem similitudo, quam exempli gratia ab intellectu nostro [11] suscepisti, in hoc deficit, ut opinor, ab ea, cujus similitudo est, quod intellectus, ut dicis, vehicula illa, in quibus ad aliorum sensus invehitur, de materia extra se creata et facit, et suscipit; divina vero bonitas, extra quam nihil est, non de aliquo apparitionis suae materiam sumpsit, sed de nihilo.

5. Sed cum audio, vel dico, divinam bonitatem omnia de nihilo creasse, non intelligo, quid eo noB mine, quod est nihil de nihilo [12], significatur, utrum privatio totius essentiae, vel substantiae, vel accidentis, an divinae superessentialitatis excellentia. Mag. Non facile concesserim, divinam superessentialitatem nihil esse [13], vel tali nomine privationis posse vocari. Quamvis enim a theologis dicatur non esse, non eam tamen nihil esse suadent, sed plusquam esse. Quomodo enim causa omnium, quae sunt, nulla essentia intelligeretur esse, cum omnia, quae sunt, eam vere esse doceant, nullo vero argumento eorum, quae sunt, intelligitur, quid sit? Si igitur propter ineffabilem excellentiam et incomprehensibilem infinitatem divina natura dicitur non esse, nunquid [14] sequitur, omnino nihil esse, dum non aliam ob causam praedicetur non esse, sed suC peressentialis [15], nisi quod in numero eorum, quae sunt, numerari eam [16] vera non sinit ratio, dum super omnia, quae sunt et quae non sunt, esse intelligatur. Disc. Quid ergo intelligam, quaeso, te audiens, Deum de nihilo omnia, quae sunt, fecisse? Mag. Intellige ex non existentibus existentia per virtutem [17] bonitatis divinae facta fuisse. Ea enim, quae non erant, acceperunt esse de nihilo. Namque facta sunt, quia non erant, priusquam fierent. Eo namque vocabulo, quod est nihilum, non aliqua materies existimatur [18], non causa quaedam existentium, non ulla processio seu occasio, quam sequeretur eorum, quae sunt, conditio, non aliquid Deo coessentiale et coaeternum, neque extra Deum D per se subsistens, seu ab aliquo, unde Deus veluti materiem quandam fabricationis mundi susceperit, significari; sed omnino totius essentiae privationis nomen erat, et, ut verius dicam, vocabulum est absentia totius essentiae [19]. Privatio enim habitudinis est ablatio. Quomodo autem, fortassis quis dixerit [20], poterat fieri [21] privatio, priusquam fieret habitus? Nullus enim habitus erat, antequam omnia, quae sunt, habitudinem subsistentiae acciperent. Disc. Eo igitur nomine, quod est nihilum, negatio

VARIAE LECTIONES

[1] A cetera *enim* [2] A *est itaque.* [3] A *enim.* [4] *apparet* om. A. [5] Sic C; A *extra.* [6] A *pervehi.* [7] A *haec.* [8] Sic AC. [9] C *divisio.* [10] A *ab* omni. [11] *nostro* om. A. [12] *de nihilo* om. C. [13] *nihil esse* om. C. [14] pro *numquid* C *nihil.* [15] Corr.; ABC *superior essentialis.* [16] *eam* om. A. [17] Pro *per virtutem* C *virtute.* [18] *existimatur* om. A. [19] *nomen erat — essentiae* om. C. [20] *fortassis quis dixerit* om. A. [21] A *fieri poterat.*

atque absentia totius essentiae vel substantiae, immo etiam cunctorum, quae in natura rerum creata sunt, insinuantur [1]. MAG. Ita est, ut arbitror. Nam paene [2] omnes sacrae Scripturae expositores in hoc consentiunt, quod conditor universae creaturae non de aliquo, sed de omnino nihilo, quaecunque voluit fieri, fecit. DISC. Nebulis valde tenebrosis cogitationum mearum undique cinctum me esse sentio. In talibus [3] equidem nil mihi remanet, nisi sola fides, quam sanctorum Patrum tradit auctoritas. Dum vero de his, quae sola fide retineo, aliquid conor ad purum intelligentiae habitum perspicere, fugientium me subtilissimarum rationum nimia obscuritate, immo etiam nimia claritate, aciem mentis reperculsus [4] repellor. MAG. Dicas, quaeso, ubi nunc haesitas, et quid te tantum perturbat, ut ad nullum purae intelligentiae habitum valeas, ut ais, pervenire, aut ubi nostra ratiocinatio vacillat, quando te ad nullam certam definitionem rerumque cognitionem potest adducere. DISC. Magnanimum te esse, meaeque tarditatis morulas patienter sustinere postulo. Crediderim namque, has rerum tenuissimas inquisitiones etiam perfectiorum me interioribus oculis non tam facile lucescere, ut confestim ad firmum animi habitum possint adhaerere, praesertim dum ex his, quae hactenus inter nos [5] jam dudum [6] veluti ad liquidum perducta [7] sunt, haec mihi nunc obscura videntur ingeri. Confectum est enim inter nos de primordialibus rerum omnium causis, quod [8] a Patre in verbo suo ingenito, hoc est, in sua sapientia et [9] simul et semel sunt aeternaliter facta, ita ut, quemadmodum ipsa sapientia Patris aeterna [10] est, suoque Patri coaeterna, sic [11] etiam cuncta, quae in ea [12] facta sunt, aeterna sint, eo excepto, quod in ipso omnia facta sunt; quae non est facta, sed genita, et factrix. Siquidem in condenda universali creatura sicut una eademque est [13] Patris et Filii voluntas, ita una eademque est operatio. In primordialibus itaque suis causis omnia in sapientia Patris aeterna sunt, non tamen ei [14] coaeterna. Praecedit enim causa effectus suos. Ut enim intellectus artificis artis intellectum praecedit, intellectus autem artis praecedit intellectum eorum, quae in ea et per eam fiunt [15], ita intellectus Patris artificis intellectum suae artis, hoc est, suae sapientiae, in qua condidit omnia, antecedit. Deinde intellectum ipsius artis omnium, quae in ea et per eam facta sunt, sequitur cognitio [16]. Omne siquidem, quod vera ratio quoquo modo praecessionis praecedere [17] invenit, juxta naturalem consequentiam praecedere necesse est. Ac per hoc artifex omnium Deus Pater secundum causam artem suam praecedit; artifex siquidem causa suae artis est, ars autem sui artificis non est causa; ipsa vero ars

A praecedit omnia, quae in ea, et per eam, et ab ea subsistunt; eorum namque causa est. Hinc conficitur, in Patris sapientia omnia aeterna esse, non tamen ei coaeterna. MAG. Haec [18] jamdudum inter nos discussa, et ad inconcussum mentis habitum deducta sunt [19] vera ratione, sacrorumque Patrum testimoniis in hoc consentientibus. DISC. [20] Num itaque vides, quod non immerito moveor, et adversantibus sibi invicem diversarum cogitationum fluctibus allidor? Nam quomodo haec sibi invicem convenire possunt? Si omnia, quae sunt, in sapientia creatrice aeterna sunt, quomodo de nihilo sunt facta? Quomodo enim potest aeternum esse, quod priusquam fieret, non erat? Et [21] quod incipit esse in tempore et cum tempore, quomodo potest esse in aeternitate? Omne

B siquidem aeternitatis particeps nec incipit esse, nec desinit. Quod autem non erat, et incipit esse, necessario desinet esse, quod est. Omne namque, quod initio non caret, fine carere non potest. Non invenio itaque, quomodo haec sibi invicem non oppugnant, qua ratione et omnia in sapientia Dei aeterna sunt, et de nihilo facta, hoc est, priusquam fierent, non erant. Nisi forte quis dicat, primordiales rerum omnium causas in sapientia Patris semper esse aeternas, informem vero materiem, in qua et per quam in effectos suos per generationem proveniunt in genera et species, quibus mundus impletur, aeternam non esse. Sed quisquis hoc dixerit, cogetur fateri, materiam de nihilo factam causaliter intra aeternas rerum causas non connumerandam.

C Et si hoc concesserit, necessario concludetur et cogetur dare, non omnia, sed quaedam in sapientia Patris aeterna esse. Materiem autem informem in numero omnium, quae a Deo facta sunt in sapientia sua, connumerari, nemo recte philosophantium abnegarit. Quomodo enim rerum omnium causas in Verbo Dei aeternaliter conditas esse, informem vero materiem sua causa carere quis potest dicere [22], omnino non reperio. Proinde [23], si in numero universitatis conditae materia concluditur, necessario sequitur, ut ipsius causa ex numero causarum aeternaliter in sapientia Dei creatarum non excludatur. MAG. De informi materia, quam Graeci ὕλην vocant, nullus in sacra Scriptura exercitatorum, naturarum conditionem recta ratione considerans, ambigit, quod

D a conditore omnium et causaliter inter causales, et inter causarum effectus secundum suas proportiones condita sit. Qui enim fecit mundum de materia informi, ipse fecit informem materiem de omnino nihilo, siquidem non alius est auctor mundi de informi materia facti, et alius ipsius materiae de omnino nihilo prius creatae, sed unus atque idem utriusque est conditor, quoniam ab uno principio omnia quae sunt, sive informia, sive formata, procedunt.

VARIAE LECTIONES.

[1] A *insinuatur*. [2] A *et*. [3] In *talibus* om. A. [4] C *perculsus*. [5] *inter nos* om. C. [6] *jam dudum* om. A. [7] A *producta*. [8] *quod* om. A. [9] *et* om. A. [10] C *essentia* est. [11] A *ita*. [12] A in *eo*. [13] *est* om. C. [14] *si* om. C. [15] A *fiant*. [16] *sequitur cognitio* om. C. [17] A *processiones procedere*. [18] pro MAG. haec A *Nec*. [19] *sunt* om. A. [20] DISC. om. A [21] A *aut*. [22] A *dicere potest*. [23] A *Perinde*.

Ab uno enim universitas creata est, sicut a monade omnes numeri, et a centro omnes lineae erumpunt. Nam et in hoc maxime secularium philosophorum, qui de mundi hujus factura tractare ausi sunt, error convincitur, quoniam informem materiem coaeternam Deo esse dixerunt, de qua Deus veluti extra se subsistente et coaeterna sibi suorum operum sumpsit [1] auspicium. Indignum namque eis visum est, materiem informem a Deo fieri creatam. Quomodo enim, inquiunt, ex forma omnium informe fieret, ab immobili et in nullo in seipso variabili varium ac mutabile, ab eo, cui nihil accidit, variis accidentibus subjectum, a non [2] distento per spatia locorum et temporum, quod recipit locorum temporumque intervalla, et quantitatum? Similiter ab eo, quod nulli qualitati subditum, diversarum qualitatum figurarumque receptivum, ab incorruptibili corruptibile, a simplici compositum et cetera id genus, suae falsae ratiocinationis nebulis obcaecati? Nos autem sacrae Scripturae veritatem inspicientes, divinorumque ipsius interpretum vestigia sequentes, et informitatem rerum omnium, et formas, et omne, quod in eis, sive secundum essentiam, sive secundum accidens est, ab una omnium causa condita esse, et per fidem credimus, et quantum datur per intellectum consideramus.

6. Non enim universitatis conditor omnipotens, et in nullo deficiens, et in infinitum tendens, similia sibi solummodo, verum etiam dissimilia creare potuit [3] et creavit. Nam si solummodo sui similia, hoc est vere existentia, aeterna, incommutabilia, simplicia, inseparabiliter unita, incorruptibilia, immortalia, rationalia, intellectualia, scientia, sapientia, ceterasque virtutes condiderit, in dissimilium et oppositorum creatione defecisse videretur, et non omnino cunctorum, quae ratio posse fieri docet [4], opifex judicaretur. Dissimilia autem sui et opposita dicuntur esse [5] et sunt omnia, quae praedictis virtutibus opponuntur, non ut negativa seu privativa, sed naturae dissimilitudine et oppositione. Siquidem perfectae essentiae similiter in genera formasque per differentias et proprietates, uniformiterque ordinatae per singulas species, omni confusione subtracta, imperfectio [6] informis adhuc materiae [7] et mobilitas opponitur [8], aeternis temporalia, immutabilibus mutabilia, simplicibus composita, et cetera [9], quae veluti ex diametro sibi invicem e contrario respondent. Horum itaque omnium, similium dico et dissimilium, unus atque idem artifex est, cujus omnipotentia in nullius naturae deficit operatione. Proinde [10] pulchritudo totius universitatis conditae, similium et dissimilium, mirabili quadam harmonia constituta est, ex diversis generibus variisque formis, differentibus quoque substantiarum et accidentium ordinibus, in unitatem quandam ineffabilem compacta. Ut enim organicum melos ex diversis vocum qualitatibus et quantitatibus [11] conficitur, dum viritim separatimque sentiuntur, longe a se discrepantibus intentionis et remissionis proportionibus segregatae, dum vero sibi invicem coaptantur secundum certas rationabilesque artis musicae regulas per singulos tropos, naturalem quamdam dulcedinem reddentibus: ita universitatis concordia, ex diversis naturae unius subdivisionibus a se invicem, dum singulariter inspiciuntur, dissonantibus, juxta conditoris uniformem voluntatem coadunata est. His itaque definitis non immerito, ut inquis, diversis cogitationum fluctibus sibi invicem adversantibus allideris [12]. Confectum est enim et inconcusse definitum, omnia, quae sunt et quae non sunt, ab uno omnium principio confluere, sive in primordialibus causis semel et simul in Verbo Dei unigenito aeternaliter factis, sive in materia informi, ex qua primordiales causae visibilis creaturae apparitionis suae [13] per generationem occasiones [14] acceperunt, sive in effectibus earum, quibus mundus iste ab initio usque ad finem naturali ordine divina providentia [15] ministrante peragitur. Sicut [16] ait Dominus: *Pater meus usque in me* [17] *operatur et ego operor*. Sed quemadmodum haec veluti sibimet adversantia in unam quandam intelligentiae copulam conveniunt, hoc est, quomodo omnia simul et aeterna et facta sunt, non solum tibi, verum etiam et mihi diligentissima rationis inquisitione dignum esse videtur.

7. Disc. Dignum quidem. Hac enim quaestione nullam altiorem inquisitoribus veritatis quaerendam esse arbitror. Etenim, ut praediximus, facta aeternis opponuntur. Ac per hoc, si facta, non sunt aeterna; si aeterna, non sunt [18] facta. Nam ut eadem et [19] aeterna simul et facta sint, qua ratione doceri valeat, non mihi occurrit. Proinde [20] nil aliud restat, ut aestimo, nisi ut aut ista penitus prae nimia sui altitudine silentio honorificetur, aut, si quid tibi de ea videtur investigandum, investigare incipias. Mag. Utrumque mihi videtur, ut et [21] eandem, quantum acies contemplationis nostrae Deo illuminante ex nimio subtilitatis suae fulgore non repellitur, investigare non pigeat, ne desidiae seu inertiae culpam incurramus; ubi vero intentionis nostrae virtutem exsuperat, et non patitur mentibus adhuc terrena habitatione depressis perspici, et ad purum dignosci, silentio cordis et oris honorificanda est, ne quid temere de ea definiamus. Disc. Ita fiat, ac sine mora hujus inquisitionis viam arripe.

8. Mag. De eo, quod omnia in Verbo Dei unige-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AC; f. sumpserit? [2] Pro *a non* C *an*. [3] C *poterit*. [4] A *invenit posse fieri*. [5] A *esse dicuntur*. [6] A *imperfecto*. [7] C *materie*. [8] C *opponit*. [9] A *aeterna*. [10] A *Perinde*. [11] et *quantitatibus* om. C. [12] A *allidens*. [13] A *sive*. [14] C per *generationes occasionem*. [15] A *prudentia*. [16] A *Sic*. [17] Pro *in me* C *modo*. [18] *sunt* om A. [19] *et* om C. [20] A *Perinde*. [21] C *ut ad*.

nito aeterna sunt [1], primo dicendum judico. Disc. Nec aliter volo. Ab eo enim, quod praecedit, ratiocinatio est inchoanda. Praecedit autem [2] aeternitas facturam. Ab ea [3] igitur est inchoandum. Mag. Esto igitur [4] intentus, et vide, ne quid incaute concedas, ne iterum te concessisse poeniteat. Disc. Ingredere; intentus sum, ne quid temere concedam. Mag. Quid tibi videtur? Num Deus accidentium capax est? Disc. Absit ab his, qui de veritate sanum sentiunt, hoc dicere vel cogitare. Natura enim ipsius simplex est, et plusquam simplex, omnibusque accidentibus absoluta, et plusquam absoluta. Mag. Nihil ergo Deo accidit? Disc. Omnino nihil. Mag. Itaque non est ei accidens, universitatem condere. Eam tamen condidisse Scriptura sacra non tacet, sed aperte clamat, dicens: *In principio fecit Deus caelum, et terram*, et cetera, quae de operibus primorum sex dierum leguntur. Disc. Deus [5] et universitatem creaturarum condidit, eamque condidisse non est ei accidens. Mag. Non ergo erat subsistens, antequam universitatem conderet. Nam si esset, conditio sibi rerum accideret. Disc. Deum praecedere universitatem credimus, non tempore, sed ea sola ratione, qua causa omnium ipse intelligitur. Si enim tempore praecederet, accidens ei secundum tempus facere universitatem foret. Quoniam vero ea sola ratione, qua causa est, universitatem ab eo conditam praecedit, sequitur, universitatis conditionem non esse Deo secundum accidens, sed secundum quandam ineffabilem rationem, qua causativa in causa sua semper subsistunt. Mag. Si igitur nulla alia ratione Deus universitatem a se conditam praecedit, praeter illam solam, qua ipse causa est; ea vero causativa, et omne causativum semper in causa subsistit, aliter enim nec causa causa est, nec causativum causativum; Deoque non accidit causalis esse, semper enim causa et [6] est, et erat, et erit; semper igitur causativa in sua causa subsistunt, et subsliterunt, et substitura sunt: proinde universitas in sua causa, quoniam causativa est, hoc est, suae causae particeps, aeterna est. Totius ergo [7] creaturae universitatem aeternam esse in Verbo Dei manifestum est. Disc. Huic conclusioni contradicere non valeo, dum sine ulla ambiguitate considero, omnes numeros in monade, et omnes lineas in centro aeternaliter et uniformiter subsistere. Et quamvis actu et opere numerantis et lineantis in varias numerorum species figurasque formentur, semper tamen in principiis suis, in monade dico et centro, uniformiter permanent, nec unquam sine eis principia intelliguntur fuisse, nec in ipsis principiis fieri inchoasse, et dum ab eis multipliciter profluunt, uniformi tamen ratione aeterno atque incommutabili statu in eis esse non desinunt. Mag. Simillimo verissimoque usus es exemplo. Testimonia quoque et sacrae Scripturae et sanctorum Patrum omnia in Deo esse aeterna perhibent [8]. Apostolus: *In quo vivimus*, inquit, et [9] *movemur, et sumus.* In Deo enim sumus per excellentem et ante existentem in ipso nostrae essentiae rationem; movemur autem in Deo secundum praecedentem in ipso bene essendi rationem per virtutes bonae actionis. Porro in Deo vivimus secundum praecedentem in ipso [10] semper vivendi et existendi rationem. Et ne quis aestimaret, aliud nos esse, et aliud nostras rationes, non dixit, in quo nostrae rationes vivunt, et moventur, et sunt, sed dixit, in quo vivimus, et movemur, et sumus. Nihil enim aliud nos sumus, in quantum sumus, nisi ipsae rationes nostrae aeternaliter in Deo substitutae. Sanctus item Augustinus in opusculis suis operationis divinae quadriformem rationem exponens, secunda in Verbi Dei dispensatione non facta, sed aeterna esse affirmat; ubi non solum secula, verum etiam omnia, uibus qsecula et peraguntur et implentur, voluit intelligi. *Operatio*, inquit, *divina, quae secula creavit et gubernat, quadriformi ratione distinguitur. Primo, quod in Verbi Dei dispensatione non facta, sed aeterna sunt, qui nos Apostolo teste ante tempora secularia praedestinavit in regnum.* Item alibi de Trinitate scribens: *Verbum Dei*, inquit, *per quod facta sunt omnia, ubi incommutabiliter vivunt omnia, non solum, quae fuerunt, verum etiam, quae futura sunt; nec tum in ipso fuerunt, nec futura sunt* [11], *sed tantummodo sunt; et omnia unum sunt, et magis unum est.* Item in Exemero de Deo Verbo: *Aliter*, inquit, *sub ipso sunt ea, quae per ipsum facta sunt, aliter in ipso sunt ea, quae ipse est.* Tanquam aperte diceret: Aliter sub illo sunt, dum per generationem facta in generibus, et formis, locis quoque, temporibusque [12] visibiliter per materiem apparent; aliter in ipso sunt, dum in primordialibus rerum causis, quae non solum in Deo. verum etiam Deus sunt, aeternaliter intelliguntur. Et ideo ait [13]: ea, quae ipse est; non quod alia sint, quae in Deo sunt, et Deus esse discuntur propter unitatem naturae, et alia, quae per generationem in mundum veniunt, sed quia una eademque rerum natura aliter consideratur in aeternitate Verbi Dei, aliter in temporalitate constituta [14] mundi. Sanctus [15] quoque Dionysius Aeropagita in capitulo de perfecto et uno Deo loquens: *Unum*, inquit, *dicitur, quia omnia universaliter est; nullum enim existentium est non participans unius.* Et paulo post: *Itaque et hoc cognoscendum, quia secundum unum uniuscujusque praecogitata* [16] *est species, unire dicitur unita; et omnium est unum exemplar, et si interimas unum, neque universitas, neque aliud aliquod* [17] *existentium*

VARIAE LECTIONES

[1] C *sint.* [2] A *enim.* [3] A *eo.* [4] A *itaque.* [5] A *Dominus.* [6] A *et causa.* [7] A *igitur.* [8] *aeterna perhibent* om C. [9] *et* om. A. [10] *bene essendi — in ipso* om. C. [11] *nec tum in ipso — sunt* om. C. [12] A *et temporibus.* [13] Pro *et ideo ait* C *Qui deus nisi* ea. [14] Conj., A *constituta* C *constitut̃.* [15] A *sicut.* [16] A *percogitata.* [17] A *aliquod.*

A *erit; omnia enim in seipso unum uniformiter praeambit, et circumprendit.* His atque hujusmodi exemplis atque [1] testimoniis in unum collectis, apertissime datur intelligi, omnia in Verbo Dei non solum aeterna, verum etiam [2] ipsum Verbum esse. Quoniam vero et facta simul omnia, et aeterna esse [3] in Verbo Dei sacrae Scripturae testimoniis planissime declaratur, Joannes Evangelista : *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ecce, apertissime facta esse omnia in Verbo dicit. Sed, ne quis existimaret [4], facta esse solummodo, et non aeterna, sequitur : *Quod factum est in ipso, vita erat.* Ac si dixisset, quod factum est, sive in principalibus causis, sive in earum effectibus, in ipso Verbo, in quo rationes omnium aeternae sunt, vita erat. Item [5] Apostolus : *In quo creata sunt omnia,* B *quae sunt in caelis et quae in terra, sive visibilia sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; omnia ex ipso et per ipsum et in ipso creata sunt.* Causas enim, ut ait beatus Maximus, eorum, quae facta sunt, habens [6] ante secula praesubstitutas voluntate bona, secundum eas visibilem et invisibilem ex non existente [7] substituit creaturam ; ratione et sapientia secundum opportunum tempus et fecit, et facit, et quae universaliter sunt, et quae per singula — causam quidem angelorum creans produxisse credimus causam uniuscujusque complentium mundum, qui super nos est, essentiarum et virtutum, rationem hominum, rationem [8] uniuscujusque ex Deo esse accipientium — in se ipsum omnia recapitulans, hoc est consum- C mans, per quem et esse, et permanere, et [9] ex quo, quae genita sunt, quantum genita sunt, et ad quem genita sunt, manentia et mota participant Deum. Omnia enim participant, quod [10] ex Deo facta sunt, proportionaliter Dominum, sive per intellectum, sive rationem, sive sensum, sive motum vitalem, sive essentialem et habitam opportunitatem, ut magno et divino manifestatori Dionysio videtur Areopagitae. Neminem itaque fidelium pieque sacram Scripturam investigantium dubitare oportet de eo [11], quod omnia in Deo Verbo et [12] aeterna simul et facta sunt. Nam et vera ratio et sacrae Scripturae auctoritas in hoc unanimiter consentiunt, et non alia esse, quae aeterna sunt, et alia, quae facta, sed eadem sunt [13] simul et aeterna et facta. Qua vero [14] ratione aeterna D sunt [15] facta, et facta aeterna [16] possimus [17] intelligere, exigis a me non immerito explanare. Siquidem id ipsum aeternum et factum subsistere, videtur tibi [18] verae rationi non convenire, et fortassis nondum ego ipse, quomodo hoc conveniat, ad purum dignosco. Disc. Incipe itaque de hac quaestione, si quid dicendum, et inquirere et aperire.

9. Mag. Rationes omnium rerum, dum in ipsa natura Verbi, quae superessentialis est, intelliguntur, aeternas esse arbitror. Quicquid enim in Deo Verbo substantialiter est, quoniam non aliud praeter ipsum Verbum est, aeternum esse necesse est. Ac per hoc conficitur, et ipsum Verbum, et multiplicem totius universitatis conditae principalissimamque rationem id ipsum esse. Possumus etiam sic dicere : Simplex et multiplex rerum omnium principalissima ratio Deus Verbum est. Nam a Graecis λόγος vocatur, hoc est, verbum, vel ratio, vel causa. Inde, quod in graeco Evangelio scribitur [19] : Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος potest interpretari : *In principio erat Verbum*, vel in principio erat ratio, vel in principio erat causa. Quodcunque enim [20] horum quis dixerit, a [21] veritate non deviabit. Nam unigenitus Dei Filius et Verbum est, et ratio, et causa. Verbum quidem, quia per ipsum Deus Pater dixit fieri omnia, immo etiam ipse est [22] Patris dicere, et dictio, et sermo [23] ; sicut ipse ait in Evangelio : *Et sermo, quem locutus sum vobis, non est meus, sed ipsius, qui misit me.* Tanquam diceret aperte : Ego, qui sum sermo Patris, qui locutus sum vobis, non sum meus, sed loquentis in me Patris, et ex [24] secretis substantiae suae sinibus me gignentis, et omnia per me, hoc est, gignendo me facientis. Ratio vero, quoniam ipse est omnium visibilium et invisibilium principale exemplar, ideoque a Graecis ἰδέα, id est species vel forma dicitur. In ipso enim Pater omnia, quae voluit fieri, priusquam fierent, vidit facienda. Causa quoque est, quoniam occasiones omnium aeternaliter et incommutabiliter in ipso subsistunt. Quoniam igitur Dei Filius et verbum, et ratio, et causa est, non incongruum dicere, simplex et in se infinite multiplex creatrix universitatis conditae ratio et causa Dei Verbum [25] est. Ac sic recurreret, Dei verbum est simplex, et in se infinite multiplex creatrix universitatis conditae, et ratio, et causa [26]. Simplex quidem, quia rerum omnium universitas in ipso unum individuum et inseparabile est; vel certe individua et inseparabilis unitas omnium Dei Verbum est, quoniam ipsum omnia est. Multiplex vero non immerito intelligitur esse, quoniam per omnia in infinitum diffunditur [27], et ipsa diffusio subsistentia omnium est. Attingit enim a fine usque [28] ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Item in Psalmo : *Velociter currit sermo ejus.* Sermonem dicit [29] Propheta verbum Patris, quod velociter currit per omnia, ut omnia sint. Ipsius enim cursus per omnia multiplex et infinita omnium subsistentia est. Hinc sanctus Dionysius in capitulo

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ac.* *etiam* om. A. [3] C *sunt.* [4] A *aestimaret.* [5] C *Et* apostolus. [6] Pro *habens* A *hominis.* [7] A *et non subsistentem.* [8] Pro *rationem* A *et.* [9] *et* om A. [10] A *eo* quod. [11] *de eo* om. A [12] *et* om. A. [13] *sunt* om. A. [14] A *vera.* [15] pro *sunt* A *et.* [16] A et facta *et* aeterna. [17] C *possumus.* [18] A *sibi.* [19] A *scriptum est.* [20] *enim* om. C. [21] C *ex.* [22] *est* om. A. [23] A sermo *est.* [24] *ex* om. A. [25] *Dei verbum* om. C. [26] *ac si recurreret — et causa* om. C. [27] A *definitur,* [28] *usque* om. A. [29] A *dixit.*

de perfecto et uno : *Perfectum quidem est*, inquit, *non solum, ut per se ipsum perfectum secundum seipsum a seipso uniformiter segregatum, et totum per totum et* [1] *perfectissimum, sed et plusquam perfectum, secundum omnium excellentiam, et omnem quidem multitudinem terminans* [2]*; omni vero summitati superexpansum, et a nullo locatum aut comprehensum, sed extentum in omnia simul, et super omnia non deficientibus augmentis et infinitis operationibus. Perfectum iterum dicitur et velut non auctum et semper perfectum et ut indiminutum, ut omnia in se ipso superans et supermanans secundum unam et incessabilem per se superplenam et non minoratam largitatem.* Manet ergo in se ipso universaliter et simpliciter, quoniam in ipso unum sunt omnia. Attingit autem [3] a fine usque ad finem, et velociter currit per omnia, hoc est, sine mora facit [4] omnia, et fit [5] in omnibus omnia, et dum in seipso unum perfectum et plusquam perfectum et ab omnibus segregatum subsistit, extendit se in omnia, et ipsa extensio est omnia. Hoc etiam nomine ipsius caelestis essentiae, quod est Cherubim, significari videtur. Siquidem Cherubim *fusio sapientiae* interpretatur, ut sapientes Hebraeorum tradiderunt. Ubi subtilissime intelligendum, quod fusio sapientiae, vel extensio, vel cursus, vel quoquo alio modo infinita verbi multiplicatio dicatur, non quasi in ea, quae prius erant, quam funderetur vel extenderetur vel curreret verbum Patris et sapientia, sed ipsius fusio, vel extensio, vel cursus praecedit omnia, et causa existentiae omnium est, et omnia. Quis enim veritatem consulens crediderit, vel cogitaverit, Deum praeparasse sibi locos, per quos sese diffunderet, qui nullo loco continetur, dum locus omnium communis sit? Ac per hoc locus locorum nullo loco capitur. Aut sibi praeparasse spatia localia seu temporalia, per quae sese extenderet, cursuve suo curreret, qui [6] omni spatio caret, et omnia tempora sua aeternitate superat? Aut quis dixerit, quod incredibilius [7] est, ipsi, Deo dico, ab alio veluti principio praeparata fuisse locorum temporumque spatia, seu qualiumcunque quantitatum intervalla, quae sua diffusione impleret, vel suo cursu perageret, vel sua extensione solidaret? Nec enim de natura ineffabili et [8] superessentiali non solum dicere, verum etiam cogitare, falsisque imaginationibus fingere, et ridiculosissimum est et perniciosissimum [9]. Non enim [10] alia mors rationalis animae turpior pejorque est, quam talia monstra abominandaque idola de Creatore omnium cogitare, cum veritas ipsa in intellectibus pie quaerentium ac [11] diligentium Creatorem suum intelligibili voce proclamet generaliter de omnibus, quae sunt et quae non sunt, hoc est, quae sensu aut [12] intellectu comprehendi possunt, et quae sensum vel intellectum superant, quorum esse est omni comprehensibili essentia [13] carere, nihil aliud subsistere, praeter unius solius omnium causae participationem. Omne autem, quod participatur, et [14] participationem sui et participantia se praecedit. Deus igitur praecedit omnia, quaecunque se participant, et quorum essentia participatio ejus est. Hinc magnus Dionysius Areopagita in libro de caelesti Ierarchia, hoc est, episcopatu, quarto capitulo : *Primum*, inquit, *omnium illud dicere verum est, ut bonitate universali superessentialis divinitas eorum, quae sunt, essentias substituens ad esse adduxit. Est enim hoc omnium causae et super omnia bonitatis proprium, ad communionem suam ea, quae sunt, vocare, ut unicuique eorum, quae sunt, ex propria definitur analogia. Omnia igitur participant providentiam ex superessentiali et causalissima divinitate manantem. Non enim fortassis essent, nisi eorum, quae sunt, essentiae et principii assumptione. Existentia igitur omnia esse participant. Esse enim omnium est, superesse divinitas* [15]. *Viventia autem eandem super omnem vitam vivificam virtutem, rationabilia* [16] *et intellectualia eandem super omnem et rationem et intellectum per se perfectam et ante perfectam sapientiam.* Audisti summi theologi Areopagitae Dionysii, praeclarissimi Athenarum episcopi, de participatione divinae essentiae sententiam, qua apertissime manifestat, omnia quae sunt et quae non sunt, nihil aliud intelligenda, praeter divinae essentiae participationem ; ipsam vero participationem nihil aliud esse, praeter ejusdem essentiae assumptionem [17]. Non enim, inquit, fortassis essent, nisi eorum, quae sunt, essentiae et principii assumptione. Est igitur participatio divinae essentiae assumptio. Assumptio vero ejus [18] sapientiae divinae fusio, quae est omnium substantia et essentia, et quaecunque in eis naturaliter intelliguntur. Audi etiam ejusdem de processione Dei per omnia, et mansione in seipso, in epistola, quam rescripsit Tito pontifici interroganti, quae sapientiae domus, quis crater, et qui cibi ejus et potus : *Duplicem*, inquit, *escam divina sapientia proponit : unam quidem solidam et manducabilem, alteram vero humidam et profusam. Et in cratere porrigit providens suas bonitates. Ipse* [19] *igitur crater rotundus dum sit et repandus, symbolum est expansae simul et in omnia circumeuntis sine principio et infinitae horum* [20] *omnium providentiae. Veruntamen quoniam in omnia proveniens manet in se ipsa, et stat immutabili naturae similitudine, et perfectissima inremeabiliter se ipsa collocata uniformiter et fixe, sic* [21] *crater stat. Aedificans autem sapientia domum sibi dicitur, et in ipsa solidas escas, et potus et cratera proponens : sic esse divina divinitus symbola facientibus clarum, quia et providentia perfectissima est ipse essendi et bene essendi omnia causalis, et in omnia procedit,*

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A. [2] A *determinans.* [3] A *ergo.* [4] C *fecit.* [5] C *fecit.* [6] A *quia.* [7] A *vel credibilius.* [8] A *atque.* [9] A *periculosissimum* [10] *enim* om. A. [11] A *et.* [12] A *vel.* [13] A *essentia comprehensibili.* [14] *participationem — et* om. C. [15] Sic C; A *divinitatis.* [16] C *rationalia.* [17] *ipsam vero participationem — assumptionem* om. A. [18] *est* sapientiae. [19] A *Ipsius.* [20] *horum* om. C. [21] C *ut.*

et in omni fit et continet omnia : et iterum [1] *ipse in* A *sese per excellentiam nullum in nullo per nullum est, sed exaltatur omnibus ipse in se ipso similiter et aeternaliter existens et stans et manens, et semper secundum eadem et sic se habens, et nullo modo extra se ipsum factus, neque propria gravitate et incommutabili mansione et bonitate relictus* [2], *sed et in se ipso totas et perfectissimas providentias optime operans, et proveniens in omnia, et manens in se ipso, et stans semper motus*. Animadverte, quod ait, in omnia procedit, et in omni fit. Quod etiam alibi declarat dicens : *Audendum vero et hoc de veritate dicere, quia et ipse omnium causalis bono et optimo omnium amore per excellentiam amatoriae bonitatis extra se ipsum fit in omnia, quae sunt, providentiis, et veluti in bonitate, et dilectione, et amore fovet et exuperat omnia*, B *ab omnibus remotus* [3], *ad hoc* [4] *in omnibus deducitur* [5] *secundum mente excedentem superessentialem potentiam inconversibilemque suam*. His etiam favet ejusdem Dionysii sententia, quam ex theologicis commentariis [6] sanctissimi [7] Jerothei sumpsit : *Omnium*, inquit, *causa et repletiva Jesu deitas partes universitati consonas salvans ; et* [8] *neque pars neque totum est, et totum et pars, ut omne et partem et totum in semet ipsa coambiens et supereminens et excellens. Perfecta quidem est in imperfectis ut perfectio principalis: imperfecta vero in perfectis tanquam superperfecta* [9], *et anteperfecta forma formificans in informibus tanquam forma principalis. Informis in ipsis formis tanquam superformis, essentia totius essentiae incontaminata supergrediens, et superessentialiter omni* C *essentia remota, tota principia et ordines destinans, et omni principio et ordini supercollocata* [10], *et mansura est eorum, quae sunt, et seculorum, et super secula, et ante secula plena in indigentibus, superplena in multitudinibus, arcana, ineffabilis super animum, super vitam, super essentiam, supernaturaliter habet supernaturale, superessentialiter superessentiale*. Sufficiunt haec, ut arbitror, bene intelligentibus ad cognoscendum, quod divinae bonitatis in se ipsa [11] permansio causa omnium incommutabilis sit. Processio vero ejus et ineffabilis motus effectus omnium [12] peragit; porro ejus participatio et assumptio nil aliud est nisi omnium essentia. Et intentus perspice, quod ait, quia et providentia perfectissima est omnium [13] essendi et bene essendi omnia causalis. Non ergo D alia est providentia omnium [14], et alia causa omnium, sed unus atque idem Deus et providentia perfectissima est omnium, et essendi et bene essendi omnia causalis. Quod autem sequitur, et in omnia procedit, et in omni fit, hoc est, in universitate quam facit, et continet omnia, ad solvendam praesentis quaestionis, de qua nunc agitur, nodositatem in tantum valet, ut nullo alio modo consulta rationis virtute possit solvi, ut arbitror. Si enim ipse, qui causalis est essendi [15] et bene essendi omnia, et in omnia procedit, et in omni creatura fit, et continet omnia : quid aliud restat, nisi ut intelligamus, sapientiam Dei Patris, de qua talia praedicantur, et causam creatricem omnium esse, et in omnibus, quae creat, creari et fieri, et omnia, in quibus creatur et fit, continere? In omnibus enim, quodcunque vere intelligitur esse, nil aliud est nisi sapientiae creatricis multiplex virtus, quae in omnibus subsistit. Si enim intellectu creatricem sapientiam ab omnibus, quae creat, substraxeris, in nihilum omnino redigentur, nullaque essentia, nulla vita, nullus sensus, nulla ratio, nullus intellectus, et omnino nullum bonum remanebit. Quod etiam sanctus pater [16] Augustinus in libris [17] Confessionum suarum videtur intelligere, sermonem dirigens ad ipsam veritatem, divinam videlicet [18] sapientiam : *Et inspexi*, inquit, *cetera intra te, et vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse* [19]. *Nec omnino esse, quia non sunt, quod tu es, nec omnino non esse, quia a te sunt*. Quibus verbis insinuat, omnem creaturam omnino per se consideratam nihil esse. Quicquid autem in ea intelligitur subsistere, ex participatione creatricis veritatis subsistit. Si enim omne verum ex veritate verum [20], et sola veritas permanet, cetera autem moventur, sola igitur veritas in omnibus veris subsistit. Moventur autem, dixi, quia per se ipsa non subsistunt, sed ad nihilum vergunt; virtute vero veritatis providae, quae in iis subsistit, ne ad nihilum ruant, prohibentur et stant [21]. Si ergo ipsum Verbum Dei et omnia facit, et in omnibus fit, et hoc ex verbis praedicti patris Dionysii aliorumque potest approbari : quid mirum, si cuncta, quae in ipso Verbo intelliguntur subsistere, aeterna simul et facta credantur et cognoscantur esse? Quod enim de causa praedicatur, qua ratione non etiam de causativis praedicari possunt [22], non invenio. Omnia igitur, quae sunt, et aeterna simul et facta non incongrue dicuntur, dum in eis fit ipsa sapientia, quae ea facit, et causa, in qua et per quam et aeterna et facta sunt, in eis aeterna et facta est. Disc. Valde miror, et stupefactus veluti exanimis haereo. His enim rationibus attrahor, quoniam verisimiles sunt, et sanctorum Patrum testimoniis sacraeque Scripturae corroboratae. Sed iterum nutans retrahor, ac mox in tenebras densissimas cogitationum [23] mearum relabor. Non est [24] enim acies mentis meae ad praesentis quaestionis altitudinem intuendam penitusque penetrandam idonea. Audiens quippe [25] illud : *Qui fecisti mundum de materia informi*, non aliter cogitabam, nisi quia mundus visibilis et invisibilis de

VARIAE LECTIONES

[1] Pro *et iterum* C *erit enim*. [2] A *restrictus*. [3] A *remoto*. [4] A *adhuc*. [5] *deducitur* om. A [6] C *commentis*. [7] A *scientissimi*. [8] *et* om. A. [9] *super* om. A. [10] C *supercollata*. [11] *in se ipsa* om. A. [12] A *omnium effectus*. [13] Pro *omnium* A *ipse est*. [14] *omnium* om. C. [15] A *et* essendi. [16] *pater* om. A. [17] A *libro*. [18] A *scilicet*. [19] *nec omnino non esse* om. A. [20] *verum* om. A. [21] *et stant* om. A. [22] Sic C ; A *possit*. [23] A *cognitionum*. [24] *est* om. C. [25] Pro *quippe* C *inquit*.

A materia informi, quam Deus de omnino nihilo veluti auspicium quoddam suae operationis creavit, factus narratur, et erat, quando totius mundi universitas non erat. Ac per hoc in primordiis conditionis suae de omnino nihilo in informem processit materiem, et consequenter per genera et formas ceterosque numeros naturales ad perfectionem quandam Creatori soli cognitam pervenit [1]. Nec hoc per morulas temporum factum fuisse a sancto patre Augustino in Exemero suo suasum est. Non enim in tempore, praecedit informitas formam, sed naturali ordine, quo causa praevenit effectum. Nempe vox et verbum simul ex ore loquentis prodeunt; et tamen antevenit vox verbum, non quidem tempore [2], sed causa. De voce enim efficitur verbum, de verbo autem nullo modo vox. Ita rerum omnium informitas B et formatio atque [3] perfectio naturali quadam praecessione [4] et sequentia, non autem temporum [5] intervallis, distincte simul et semel de nihilo in essentiam voluntate Creatoris adductae sunt. Et haec erat mea fides, meaque quantulacunque intelligentia. At nunc aliter a te audio, quae multum me movent, et ab his, quae hactenus tenebam, firmiter, uti mihi visum est, invitum revocant. Praesens enim ratiocinatio, ut reor, nil aliud videtur velle suadere, nisi ea, quae de nihilo putabam esse facta, et nullo modo aeterna — erat enim, quando non erant, ut arbitrabar, ac per hoc acceperant, quod non habuerant — aeterna simul et facta esse. Quod valde contrarium opinor. Et merito; nam haec [6] sibimet videntur opponi, aeterna factis, et facta aeternis. C Quae enim aeterna sunt, nunquam incipiunt esse [7], nunquam desinunt subsistere, et non erat, quando non erant, quia semper erant; quae autem [8] facta sunt, principium facturae suae acceperunt. Inchoaverunt enim esse, quia erat, quando non erant; et desinent esse, quia [9] inchoaverunt habere. Vera siquidem ratione consulta omne, quod incipit temporaliter esse, non sinitur semper permanere. Necesse quidem est ad finem vergere, in quo cogitur, quod tempore incipit esse, perire. Et nemo aestimet, me velle suadere reditum ad nihilum eorum, quae temporaliter ex materia per generationem in mundo fiunt; hoc enim summum fieret malum. Solutionem vero eorum in ea, ex quibus componuntur, et in quibus subsistunt, dico. Nam et humana corpora D ceterorumque animalium, dum solvuntur, perire dicuntur; non tamen ad nihilum rediguntur, sed in catholica elementa revertuntur [10]. Et hoc generaliter de universitate hujus mundi visibilis intelligitur. Nec incongrue. Nam quoniam principium essendi accepit, essentiae suae terminum inevitabiliter accepturus est. Sicut enim [11] erat, quando non erat, ita erit, quando non erit, Psalmista testante aeternum rerum conditorem proclamante [12]: *Opera manuum tuarum sunt caeli; ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertoriorum mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Ipse etiam conditor omnium: *Caelum*, inquit [13], *et terra transibunt, verba autem mea non transient.* Si autem maxima spatio, pulcherrimaque sublimitate siderum, et [14] purissima subtilitate naturae, statu astrorum consita, cursu planetarum harmonica [15], luminis semper plena pars mundi peritura sit, teste Scriptura, nunquid putandum, interiores partes, ac multo inferiores permansuras? Melioribus enim intereuntibus inferiora non interire impossibile est, et dum aufertur, quod continet, quod continetur, manere vera non sinit ratio. Hoc autem dicimus ad differentiam eorum, quae aeterna sunt, ab his, quae sunt facta [16]. Non enim parva distantia est inter ea, quae nec incipiunt esse, nec desinunt, et ea, quae inchoant esse, et non possunt semper manere [17]. Non igitur sine causa acies mentis minus talia intelligentium repercutitur, quando ei aeterna esse facta, et facta aeterna suadetur. Nam non facile crediderim, te consentire his, qui volunt intelligere, multa ex his, quae facta sunt, imo paene omnia semper mansura [18], ac per hoc futura esse aeterna. Verbi gratia, universitas ista, quae constat ex caelo et terra, quatuor elementis in speciem orbis absoluti conglobata, mundique nomine vocitata, et de nihilo facta est, ut aiunt, et aeternaliter mansura, praeter quasdam suas particulas, hoc est, corruptibilia corpora, generationi et corruptioni subjecta, quae negare [19] non possunt peritura; caelum vero cum suis sideribus semper fore, sive volubile sit, sive moveri desinat. In hoc namque sensus eorum variatur, quibusdam affirmantibus statum mutabilium futurum, quibusdam vero naturalem motum elementorum semper non cessaturum. Illi quidem sequentes quod scriptum est: *Erunt omnia quieta*, et hoc de statu mutabilium intelligentes; illi vero: *Concentum caeli quis dormire faciet?* de aeterno mutabilium motu dictum esse accipientes. Harmonia siquidem caelestis sine motu aethereae sphaerae omniumque siderum quomodo poterit concinere, cum musica semper in motu sit, quemadmodum geometria in statu? Terrenam quoque molem suam propriam quantitatem semper habituram indubitanter affirmant, sequentes quod scriptum est: *Generatio venit, generatio vadit, terra vero in aeternum stat*, eo excepto [20], quod superficies ejus undique planabitur, ut pulchrior, quam nunc est, efficiatur, ac veluti nova quadam partium aequalitate renovata, non ut intereat, quod nunc est, sed ut mutata in melius quantitas ejus et aequalitas permaneat. Quod etiam de caelo volunt intelligi, hoc est, quod ejus

VARIAE LECTIONES.

[1] C *pervenire.* [2] C *temporum.* [3] A *et.* [4] A *processione.* [5] A *tempore et.* [6] C *haec nam.* [7] A *et.* [8] A *vero.* [9] C *quod.* [10] A *revertuntur elementa.* [11] *enim* om. C. [12] Corr., A *aeternoque rerum conditore proclamante*; C *aeternum rerum conditorem proclamans.* [13] *inquit* om. C. [14] *et* om. C. [15] A *harmonici.* [16] A *facta sunt.* [17] A *permanere.* [18] A *permansura.* [19] Sic AC. [20] A *exemplo.*

pulchritudo, in qua nunc sensibus corporeis arridet, in fine mundi cumulabitur [1] absque ullo globatae suae figurae stellataeque picturae interitu, quoniam scriptum est, ut aiunt: *Erit caelum novum et terra nova.* Caelos autem perituros non de superioribus mundi partibus, verum de spatiis hujus aeris infra lunam intelligunt, ut quemadmodum in diluvio versa sunt in aquam, ita in [2] mundi fine vertantur [3] in flammam; omnium vero animalium et fruticum arborumque generationem [4] et incrementa et decrementa cunctorum, quae intra circulum lunae continentur, vicissitudinem cessaturam non solum non denegant, verum etiam affirmant. Spatia item aeris et aetheris distribuenda fore arbitrantur: aetheris quidem in aeternam possessionem beatorum angelorum hominumque sibi similium, aeris vero inferioris circa terram undique diffusi in aeternum carcerem aeternasque flammas, localiter visibiliterque arsuras, torquendo diabolo cum membris suis, hoc est, apostatis angelis, similibusque sibi hominibus impiis. Ac per hoc quoniam [5] omnem creaturam localem et temporalem et esse et futuram esse cogitant, loca et tempora, hoc est, mundi spatia motumque ejus morularum intervallis distinctum semper esse mansura non dubitant. His atque hujusmodi falsis opinionibus conantur asserere, ea, quae non erant, et inchoaverunt esse, et facta simul et aeterna dici posse, quia semper in eodem statu, in quo temporaliter creata sunt, manebunt, et quae principio non carent, fine carere arbitrantur, ita ut et facta sint, quia esse inchoavere, et aeterna, quia non desinent subsistere. Veruntamen neque talibus opinionibus, quas vera deridet ratio, te assentire aestimarim, neque talem aeternitatem, vel ut verius dicam, semiaeternitatem praedictis tuis rationibus suasisse, neque sic et facta simul et aeterna docuisse; sed altiori naturarum contuitu ultra humanas opiniones, modo quodam adhuc nobis incognito, divinorum arcanorum adyta penetrare te sentio, vestigia Patrum, qui talia scrutati sunt, altius sequendo.

10. Aiunt enim, naturam hujus mundi semper mansuram, quia incorporea est et incorruptibilis, cetera vero, quibus constat, peritura, hoc est, omne, quod in eo est compositum. Et quia in eo nullum corpus est, quod non sit [6] compositum, et omne compositum solvetur in ea, ex quibus componitur; totus igitur mundus iste visibilis corporeus compositus solvetur, sola simplici natura manente. MAG. Falsis ratiocinationibus humanarum opinionum longe a veritate distantium quondam me deceptum esse negare non possum, quia deceptus sum. His enim omnibus, aut pene omnibus rudis jam assensum praebui, quadam similitudine veri, carnalibusque sensibus, ut multis evenit, seductus. Nunc vero, A sanctorum Patrum vestigia sequens, divini luminis radio ab erroribus meis et aliorum me revocante, inque viam rectam ducente, paululum pedem retraho. Divina siquidem clementia veritatem pie atque humiliter quaerentes in tenebris ignorantiae non sinit errare, inque foveas falsarum opinionum cadere, et in eis perire. Nulla enim pejor mors est, quam veritatis ignorantia, nulla vorago profundior, quam falsa pro veris approbare, quod proprium est erroris. Ex his enim turpissima et abominabilia monstra in humanis cogitationibus solent fingi [7], quae [8] dum carnalis anima veluti vera et amat et sequitur, dorsum convertens vero [9] lumini, umbrasque fugaces comprehendere volens, et non valens, in barathrum miseriae consuevit ruere. Hinc B assidue debemus orare ac [10] dicere: Deus, nostra salus atque redemptio, qui dedisti naturam, largire et gratiam, praetende lumen tuum in umbris ignorantiae palpitantibus [11] quaerentibusque te; revoca nos ab erroribus; porrige dexteram tuam infirmis, non valentibus sine te [12] pervenire ad te; ostende te ipsum his, qui nil petunt praeter te; rumpe nubes vanarum phantasiarum, quae mentis aciem non sinunt intueri te eo modo, quo te invisibilem videri permittis desiderantibus videre faciem tuam, quietem suam, finem suum, ultra quem nil appetunt, quia ultra nihil est summum bonum superessentiale. Sed ad residuum sententiae tuae gressus dirige. DISC. Quid restat, nisi quod me valde movet proferre, hoc est, quomodo omnia aeterna et facta sunt, quo- C modo principio ac fine carentia principio ac fine circumscribuntur. Haec enim inter se invicem luctantur, et quomodo sibi conveniant, nisi a te mihi fuerit suasum, ignoro. Siquidem solum [13] Deum ἄναρχον, hoc est, carentem principio aestimabam esse; ipse enim principium omnium et finis est, nullo principio inchoans, nullo fine conclusus; cetera vero inchoare [14], et ad finem suum proprium unumquodque tendere, ac per hoc non esse [15] aeterna, sed facta. Et his omnibus incomparabiliter altius et mirabilius mihi videtur, quod sancti Dionysii Areopagitae [16] auctoritate utens asseris, ipsum videlicet Deum et omnium factorem esse, et in omnibus factum; hoc enim adhuc inauditum et incognitum non solum mihi, sed et multis ac paene omni- D bus. Nam si sic est, quis non confestim erumpat in hanc vocem et proclamet: Deus itaque omnia est, et omnia Deus! Quod monstrosum aestimabitur etiam his, qui putantur esse sapientes, multiplici rerum visibilium et invisibilium varietate considerata; Deus autem unum est. Et nisi haec exemplis rerum animo comprehensibilium suaseris, nil aliud relinquitur, nisi ut vel mota solummodo, non autem discussa praetermittantur [17], quod sine mentis meae

VARIAE LECTIONES.

[1] C mundi *ut* cumulabitur. [2] *in* om. A. [3] A *vertentur.* [4] *omnium vero — generationem* om. A. [5] *quoniam* om. C. [6] *compositum. Et — sit* om. C. [7] A *fingi solent.* [8] A *quas.* [9] A *vero convertens.* [10] C *et.* [11] A *palpantibus.* [12] C *te sine.* [13] *solum* om. A. [14] A *inchoari.* [15] *esse* om. AC, add. ex conj. [16] *Areopagitae* om. A. [17] A *praetermutantur.*

dolore fieri non poterit. Qui enim in tenebris A spississimis constituti ortum lucis futurae [1] sperant, non omnino tristitia opprimuntur; sin autem lux, quam sperant, ab eis [2] auferatur, non solum in tenebris, verum etiam in multa poena resident, ablato ab eis bono, quod speraverant, vel ut omnia, quae a te de talibus dicta sunt, ab his, qui minus intelligunt, omnino falsa esse judicentur, et in pristinas opiniones, quas nec adhuc volunt deserere, veluti veras his contemptis relabantur. Proinde naturalibus exemplis, quibus nisi nimia stultitia excaecatus nemo resistit, primo ratiocinationis via incipienda est.

11. MAG. Num peritus es artis arithmeticae? DISC. Peritus, ni fallor; eam namque ab infantia mea [3] didici. MAG. Defini igitur eam aperte ac breviter. DISC. Arithmetica est numerorum scientia, non quos, B sed secundum quos numeramus. MAG. Caute ac vigilanter arithmeticam [4] definisti. Nam si simpliciter definires arithmeticam numerorum scientiam, omnes numeros generaliter comprehenderes, ac per hoc definitio non staret. Non enim disputat ars illa de omni genere numerorum, sed eos tantum numeros considerat, quos in sola scientia et intellectu novit esse, et secundum quos cetera numerorum genera numerantur. Nam non [5] numeros animalium, fruticum [6], herbarum, aliorumque corporum seu rerum ad scientiam arithmeticae artis pertinere sapientes dicunt; sed solos intellectuales, invisibiles, incorporales, in sola scientia constitutos, in nullo vero subjecto praeterea [7] substantialiter positos, arithmeticae attribuunt. Siquidem [8] non ita in C scientia vel intellectu, vel ratione, vel memoria, vel sensibus, vel figuris perspiciuntur, ut substantialiter unum sint ipsi cum his, in quibus videntur. Propriam namque substantiam possident seipsos [9]. Nam si ejusdem substantiae essent, non secundum eos, sed de eis scientia et intellectus et ratio judicarent. Ars autem et judex id ipsum esse non possunt. Hoc enim de solo Deo Verbo recte dicitur, qui et judex est et ars sui Patris. Vigilanter itaque, ut dixi, a te additum est, non quos, sed secundum quos numeramus. Eos siquidem in nullo subjecto corporeo vel incorporeo inspicimus; sed ultra omne subjectum solo intellectu in sapientia et scientia cernuntur, suae divinae naturae excellentia ab omni- D bus, quae secundum eos numerantur, absoluti. DISC. Haec saepe cogitavi, et ad purum, ut arbitror, perspexi. MAG. Estne igitur ars illa naturalis? DISC. Etiam, et nulla naturalior, siquidem non solum aliarum trium matheseos sequentium se partium, hoc est, geometriae, musicae, astrologiae immobile subsistit fundamentum, primordialisque causa atque principium, verum etiam omnium rerum visibilium et invisibilium infinita multitudo juxta regulas numerorum, quas [10] arithmetica contemplatur, substantiam accipit, teste primo ipsius artis repertore Pythagora, summo philosopho, qui intellectuales numeros substantias rerum omnium visibilium et invisibilium esse certis rationibus affirmat. Nec hoc Scriptura sacra denegat, quae ait, omnia in mensura, et numero, et pondere [11] facta esse. MAG. Itaque si naturalia quaeris exempla praedictae artis, immo etiam numerorum, quos ipsa comprehendit, naturam regulasque diligenter inspice, ut ad eorum, quae tibi luctantia inter se, sibique oppugnantia putantur [12], notitiam Deo duce pervenias. DISC. Exempla arithmeticae libenter accipio. Ea namque nec fallit nec fallitur. Quamvis enim saepe minus intelligentes in ipsa fallantur [13], non artis culpa, sed incaute de ea tractantium judicanda est hebetudo. Numerorum itaque, quorum scientia arithmetica est, monada esse principium non dubitas, ut opinor. DISC. Quisquis in hoc haesitat, arithmeticus non est. Est enim principium, et medium, et finis omnium numerorum monas, id est unitas, omniumque terminorum totum, et pars, et omnis quantitas. MAG. Dic itaque. Num omnes numeri, quos ratio, quantum vult, multiplicare potest, causaliter in monade sunt et aeternaliter? DISC. Non aliter vera docet ratio; in ea enim causa, in ea enim causaliter sunt, quia omnium numerorum subsistit principium, et ibi omnes unum [14] sunt individuum simpliciter, hoc est, universaliter, et multipliciter sola ratione, non autem actu et operatione, neque unum ex multis cumulatum, sed unum sua simplici [15] et multiplici singularitate praeditum, ita ut et omnes numeri in ea sint simul et simpliciter secundum causam, et ipsa in omnibus multipliciter ineffabili distributione intelligatur secundum substantiam. Ipsa est enim omnium numerorum causa et substantia, et dum statum immutabilem suae naturae non deserit, se ipsam in omnes multipliciter diffundit; aeternaliter vero in ea subsistunt, quoniam in ea esse temporaliter non [16] incipiunt. Nam non erat unitas multiplicibus omnium numerorum rationibus, in quibus subsistunt, carens [17]. Quis autem pure intelligentium monada dixerit inchoasse, cognoscens eam in infinitum tendere? Quomodo enim potest fieri infinita progressio a finito principio? Infinitum enim ab infinito procedit, a finito vero nil infinitum. Et si quis dixerit, quomodo hoc stare potest, cum etiam in ipsis numeris multa infinita a finitis inchoantia videamus? ex binario siquidem, qui finitus numerus est, omnes duplices nascuntur, et in infinitum protenduntur; similiter a [18] ternario finito omnes triplices initium sumunt, et finem multiplicationis suaé nesciunt; et ut breviter dicam, nullus numerus est suis quantitatibus finitus, seu solis monadibus, a quo multiplex

VARIAE LECTIONES.

[1] *futurae* om. A. [2] A *ab eis, quam sperant.* [3] *mea* om. A. [4] Sic C; A arithmeticam *numerorum* definisti. [5] A *Non enim.* [6] C *fructuum.* [7] *praeterea* om. A. [8] A *Num.* [9] *seipsos* om. A. [10] A *quos.* [11] A *et pondere et numero.* [12] Sic AC; f. videbantur? [13] A *falluntur.* [14] *unum* om. A. [15] A sua *et simplici.* [16] *non* om. A. [17] A *carens, in quibus subsistunt.* [18] A *ex.*

quidam in infinitum non profluat: huic respondendum est [1], omnes [2] isti numeri partibus suis finiti, ex quibus multiplices procedunt in infinitum, in ipsa monade, ubi omnes unum sunt, infiniti sunt. Proinde aut in monade esse negabit omnes numeros, et in suis multiplicationibus extra eam finitos esse affirmabit; aut si hoc affirmare non poterit, vera ratione resistente, necessario fatebitur, omnes numeros partibus suis finitos, in monade infinitos subsistere et [3] uniformiter aeternos. Siquidem non ubi fons apparet, ibi [4] aqua incipit esse, sed aliunde per occultos poros sensibusque infinitos longe ante manat, priusquam in fonte appareat. Ac per hoc, quemadmodum abusive dicitur fons, ubi primo visibiliter surgit; longe enim ante erat in secretis terrae, sive oceani, sive alibi [5], ubi invisibiliter latebat; latex enim a latendo in venis terrae dicitur: ita et numeri, quorum multiplicatio sicut [6] aliae proportiones in infinitum profluunt, non ab ipsis finitis numeris, qui primum contemplanti animo apparent, sed ab ipsis rationibus aeternis et infinitis, in quibus causaliter subsistunt, originem ducunt. In monade autem sunt; in monade ergo infiniti sunt; ex qua infinitus omnis numerorum cursus procedit, et in quam desinit. Et ut majori argumento utamur, unitatem nunquam inchoasse affirmantes, diligenter animadverte [7]. Si unitas, quae [8] a Graecis dicitur monas, omnium numerorum principium est, et medium et finis; ab ipsa siquidem procedunt, per ipsam moventur, ipsam petunt, in ipsam desinunt; et nemo sapientum ambigit, quod ita sit: non alia erit unitas, ex qua numeri profluunt, et per quam moventur [9], et alia, quam petunt, et in quam finiuntur, sed una atque eadem, quia est et [10] principium, medium, et finis. Proinde numeri a suo progredientes principio, non aliunde nisi a suo fine progrediuntur. Non enim [11] aliud est eorum principium et [12] aliud finis, sed una atque eadem unitas. Ac per hoc necessario conficitur, ut, si in infinitum protendantur [13] finem, ab infinito principio protendi incipiant; finis autem infinitus est omnium numerorum unitas eadem; igitur est omnium numerorum infinitum principium. Et si omnes numeri aeternaliter et incommunicabiliter in [14] principio suo subsistunt, in fine suo aeternaliter et incommunicabiliter subsistere necessarium est [15]. Et quemadmodum non erit finis sine desinentibus in eum, ita non erat [16] principium sine inchoantibus ab eo actu et operatione intelligentiae [17]. Aeternaliter ergo in monade omnes numeri subsistunt, et dum ab ea profluunt, in ea esse non desinunt, quoniam statum suum naturalem deserere non possunt. Nam sive multiplicentur [18] sive resolvantur, ab ea veniunt, et in eam redeunt secundum regulas disciplinae, quae eorum rationes intuetur. At si ita est, nemo nisi impudens contradicet, aeternos in unitate numeros suis rationibus subsistere; et si quis intentus inspexerit [19], ipsas rationes sempiternas esse non dubitabit. MAG. Arithmeticae disciplinae non ignarum te esse perspicio. Hactenus enim quicquid a te de ipsa prolatum est, vera ratio praedicat, ac sic, et non aliter esse confirmat. Sed ut firmius de numerorum aeternitate in monade perdoceas, eorum rationes, quas aeternas atque immutabiles [20] asseris esse, breviter edissere atque aperte. DISC. Prima progressio numerorum est a monade, et multiplicationis auspicium δυάς, id est [21], binarius, secunda τριάς, ternarius, tertia τέτρας [22], quaternarius, deinde omnes termini suis sedibus constituti. Et est quidem binarius omnis paritatis origo sub intellectum cadentis, ternarius vero imparitatis. Ex quibus, paritate dico et imparitate, omnes species numerorum procreantur, sive simplices sint, sive compositi. Simplices sunt par, et impar; compositae, quae ab his duobus constituuntur, pariter par, pariter impar, impariter impar [23]. Videsne, quantum impossibile est, hunc numerorum progressionis ordinem aliter fieri, aut in alium modum moveri? Nullus enim alius numerus, naturali ordine constitutus, primae processionis ab unitate obtinet locum, nisi binarius; nec secundae, nisi ternarius; nec tertiae, nisi quaternarius; et unusquisque numerus suam sedem naturalem possidet, quam nullus numerus praeter ipsum, cujus locus est, occupare sinitur. In ipsa vero unitate simul omnes numeri sunt, et nullus alium praecedit vel sequitur, quoniam omnes unum sunt. Neque tamen naturalem suum ordinem, quo in suis multiplicationibus continentur, immutabiliter haberent, si non ipsorum aeternaliter immutabilis causa in unitate praecederet. Similiter de duplis, quorum princeps est binarius, et triplis, quos praecedit ternarius, et quadruplis, qui ex quaternario incipiunt, omnibusque multiplicium speciebus intelligendum, quod unaquaeque earum a proprio suo principio inchoat, et in infinitum tendit. Duplex autem proportio, seu triplex, seu quadruplex, seu alia talium proportionum in unitate specialiter atque distincte non intelligitur, siquidem in ea omnes multiplices et simul sunt et unum sunt [24], et unum multiplex et simplex; simplex quidem natura, multiplex vero rationibus, secundum quas ordinem suum in multiplicationibus immutabilem accipiunt. Quid dicam de mirabili atque divina superparticularium, et superpartientium, et multiplicium superparticularium et multiplicium superpartientium constitutione et proportione, quas sin-

VARIAE LECTIONES.

[1] *est* om. C. [2] *omnes* om. A. [3] *et* om. A. [4] A Siquidem *ubi fons apparet, non ibi* aqua. [5] *sive alibi.* om. C [6] A *sive.* [7] C *autem adverte.* [8] A *unitasque.* [9] *et per quem moventur* om. A. [10] *et* om. A. [11] *enim* om. A. [12] *et* om. A. [13] C *protenduntur.* [14] *in* om. A. [15] *est* om. C. [16] A *erit.* [17] A intelligentiae *proficisci* aeternaliter. [18] A *multiplicantur.* [19] A *perspexerit.* [20] A *innumerabiles.* [21] Corr.; A *idem.* [22] Pro τέτρας A *post.* [23] C impariter *par.* [24] A *et unum sunt et simul sunt.*

gulatim species ab unitate accipiunt? Quid de proportionalitatibus, quas in proportionibus, inque differentiis terminorum contemplamur, in quibus ineffabilis atque divinae virtutis est constantia, ut nullus sapientiae secreta penetrans eas non[1] aeternas esse contendat? Si autem[2] recta definitio est veri, quae dicit, verum esse quod semper manet; quod autem semper manet[3], aeternum est: rationes[4] numerorum verae sunt, quia semper immutabiliterque[5] manent, ac per hoc aeternae sunt. De quibus quisquis diligenter scire desiderat, magnifici Boethii de Mathesi libros intentus legat. Item de numerorum aeternitate in principio suo, id est, in monade, brevissimum accipe argumentum. Si unitas numerorum est unitas, nunquam erat unitas sine numeris, quorum est unitas. Item si numeri ex monade veluti ex quodam fonte inexhausto profluunt, et in eam, quantumcunque multiplicentur, desinunt, non ab ea quidem profluerent, si ante eorum fluxum in ea causaliter non[6] substiterent[7], nec in eam desinere appeterent, si non in ea suas causas aeternaliter permanere naturali motu cognoscerent, ad quas semper redire non cessant per eosdem gradus, quibus ad eadem profluxerant, analyticis regulis, per quas omnis inaequalitas ad aequalitatem revocatur. Analyticas autem regulas in fronte secundi tractatus Matheseos magnifici Boethii studiosus quisque talium mirabili naturarum indagatione reperiet. Si autem quis dixerit, et unitatem numerorum, et ipsos numeros simul esse inseparabiliter, quoniam inter ea, quae simul et inseparabiliter sunt, non incongrue connumerantur, non negandum, imo etiam fatendum; sed non ideo aeterna esse, principioque carere credendum vel intelligendum. Multa enim sunt, quae simul incipiunt esse, non tamen ideo simul[8] aeternaliter coguntur subsistere. Nam et materies et forma, et vox et verbum simul incipiunt, simul desinunt, nec tamen aeterna sunt. Si enim aeterna essent, nec inciperent, nec desinerent esse, et multa id genus. Respondendum, senarius numerus ab unitate et multiplicatione aliorum numerorum non secluditur, praesertim cum solus in cardinalibus, hoc est, in prime versu numerorum ab uno usque ad decem, perfectus sit; suis namque partibus perficitur, sexta videlicet, et tertia, et dimidia. Sexta quidem unum est, tertia duo, dimidia tria, quae simul compactae senariam conficiunt[9] quantitatem. Unum siquidem, et duo, et tria sex sunt[10]. Est et alia ratio, quae miro modo senarii numeri perfectionem insinuat, quae primum versum numerorum suis partibus ordinate constitutis perficit. Sexta pars ejus unum primum numerorum obtinet locum, tertia duo secundum, dimidia tria tertium, dimidia et sexta quae sunt tria et unum,

A quartum, dimidia et tertia, quae sunt tria et duo, quintum; partes ejus omnes simul conjunctae, quae sunt unum, duo, tria, sextum, seipsum videlicet, complent; totus cum sua sexta, hoc est, sex et unum septimum, totus cum sua tertia, hoc est, sex et duo octavum, totus cum sua dimidia nonum, hoc est[11], sex et tria, quibus si unum addatur, in quo omnium numerorum finis constituitur, denaria quantitas perficietur. Si ergo perfectus iste numerus, senarius videlicet, in unitate numerorum constituitur[12], videat, qui dicit, eum aeternum non esse, cum in ipso omnium conditor opera sua perfecerit. Ubi notandum, quod non ideo senarius numerus perfectus est, quoniam in eo Deus cuncta, quae creare voluit, consummavit, sed ideo[13] omnia[14]

B opera sua condidit, ut perfectione numeri operum suorum perfectionem significaret. Hoc igitur maximum ac divinissimum exemplar, in quo fecit Deus opera sua, nunquid credibile aut verisimile est temporaliter inchoasse, dum in eo non solum, quae in temporibus sunt, verum et ipsa tempora, et quae ultra tempora subsistunt, ab opifice omnium constituta sunt? Proinde nemo sanum sapiens de aeternitate numerorum dubitabit, solius senarii numeri argumento utens. Nam quod de aeternitate illius intelligitur, de aliorum similiter perennitate intelligendum est[15]. Siquidem non de solo senario, de universitate vero generaliter omnium numerorum dictum est: *Omnia in mensura, et numero, et pondere fecit Deus*. At si loca et tempora intra omnia, quae

C Deus fecit, connumerantur, necessario intellectuales numeri, in sola scientia substituti, loca et tempora naturae suae perpetuitate praecedunt, et intra ea, quae simul et aeterna et facta sunt, computantur; aeterna quidem sunt in monade, in multiplicationibus vero sui[16] facta. MAG. De aeternitate numerorum in monade satis est disputatum. Quomodo autem fiunt[17], et ubi, et unde, valde necessarium est investigare. Eorum namque argumento conamur asserere, omnia, quae a[18] Deo sunt, aeterna simul et facta esse. DISC. Aeternitatem monadis, omniumque numerorum in ea, quantum valeo, exposui. Quomodo autem intellectuales numeri, secundum quos omnia, quae numerari possunt, numerantur, fiunt, et ubi, et unde, tuum est explanare. Hoc autem dico

D sciens, facilius eorum aeternitatem, quam facturam et quaeri posse, et inveniri, et suaderi. MAG. De me bene, ut video, aestimas, quando mihi difficiliora quaerenda, invenienda, suadenda committis. Veruntamen meum est quaerere, invenire vero illius solius est, *qui illuminat abscondita tenebrarum*; suadere quoque ejusdem est, qui potest solus aperire sensum et intellectum. Quid enim prodest exterior suasio, si non adsit[19] interior illuminatio? Itaque

VARIAE LECTIONES.

[1] *non* om. A. [2] A *enim*. [3] *quod autem semper manet* om. C [4] A *racionationes*. [5] A *immutabiliter*. [6] *non* om. A. [7] A *substiterant*, [8] *simul* om. A. [9] C *perficiunt*. [10] A *fiunt*. [11] *hoc est* om. C. [12] *denaria quantitas — constituitur* om. C. [13] *quod non ideo* — sed *ideo* om. C. [14] Pro *omnia* A *in eo*. [15] *est* om. A. [16] C *suis*. [17] A *finiunt*. [18] *a* om. A. [19] C *sit*.

quod paulo ante a te [1] dictum est, aeterna quidem in monade, in multiplicationibus vero suis facta, hujus quaestionis praelibamen esse arbitror. Et si intellexisti, quod dixisti, superflue quaeris, quod intelligis; sin vero, quaerendum est.

12. Disc. Omnino video, numeros non nisi in multiplicationibus suis posse fieri; nam in monade aeterni [2] sunt. Quomodo autem, vel ubi, vel unde [3] fiunt, adhuc non video, ideoque horum cognitionem te aperire postulo. Mag. Omnes numeros causaliter, hoc est, vi et potestate in monade semper esse non dubitamus. Disc. Hinc dubitare minus est intelligentium. Mag. Monada autem in [4] sapientia et scientia aeternaliter subsistere intelligis, ut arbitror. Disc. Si aliter sentio, ab ipsius monadis vera cognitione alienus sum. Mag. Non alios reris, ut opinor, numeros in monade vi et potestate constitutos, et alios actu et opere in genera et species intelligibilium numerorum, sed eosdem profluentes. Disc. Non alios, eosdem vero, sed aliter. Mag. Dic, quaeso, quomodo aliter? Disc. In monade quidem vi et potestate, in generibus vero et formis actu et opere. Mag. Recte respondisti. Num ergo vides, numeros eosdem ibi aeternos esse, ubi vi et potestate causaliter sunt, hoc est, in monade; ubi vero actu et opere intelliguntur, ibi factos esse [5]? Disc. Nimium acceleras; pedetentim ratiocinationis ingredienda est via, ne quid incaute temereque statuamus. Prius itaque est quaerendum, quid sit vis, et quid potestas numerorum in monade, eorundemque quid sit actus, et quid operatio in generibus et formis. Mag. Vis est, ut aestimo, substantialis eorum virtus, quae [6] aeternaliter et immutabiliter in monade subsistunt [7]; potestas vero est possibilitas eis insita [8], qua in genera et species possunt multiplicari, et intellectibus manifesti fieri certis terminorum distinctionibus, quantitatum diversitatibus, intervallis differentiarum, proportionum [9] proportionalitatumque mirabili aequalitate et insolubili consonantia. Actus est motus animi, procedentium numerorum ex monade in diversa genera, inque species differentes multiplicationem contemplantis in seipso et in seipsis, priusquam in phantasias cogitationis proveniant [10], hoc est, simpliciter in [11] incorporea natura, omni imagine carente, purissimo intellectus oculo ipsos numeros supra omnem quantitatem, et qualitatem, et loca, et tempora considerantis. Et ut [12] breviter definiam, actus est motus animi, purissimos in sua natura numeros absque ulla imaginatione intuentis. Opus vero est ejusdem animi motus, purissimos numeros, quos in seipso considerat, phantasiis veluti quibusdam corporibus incrassatos memoriae commendantis, ibique eos ordinantis, eorumque rationes facilius tractantis, forasque quibusdam signis corporalium sensuum significatos in aliorum notitiam tradentis. Et ne me existimes velle suaderè, ipsos numeros ab intellectu vel ratione multiplicari et creari, et non ab ipso omnium conditore, multiplicatore, ordinatore. Si enim ab ullo creato intellectu multiplicationem suam numeri primum paterentur, non eis divina et ineffabilis immutabilitas et harmonia rationum inesset. Proinde non ideo intellectus intellectuales numeros creare putandus est, quia in seipsos contemplatur. Ab uno autem Creatore omnium in intellectibus, sive humanis, sive angelicis, fieri credendum est, a quo etiam in monade aeternaliter substituti sunt; per intellectum ab ea in notionem rationis descendunt. Nam quemadmodum, ut exemplo utamur, consilium quoddam, seu qualiscunque ars naturalis, dum in secretissimis intellectualis naturae sinibus continetur, simul est, et unum quoddam simplex, sine partibus seu divisionibus, sine quantitate seu qualitate, sine loco, sine tempore, et omnino omnibus accidentibus absolutum, ac vix soli intellectui cognitum; non enim intellectus naturalium artium factor est, sed inventor, non tamen [13] extra se, sed intra [14] eas invenit; dum vero ipsa ars ab arcanis suis, in quibus simul in animo, in quo est, in rationem intelligibili progressione incipit descendere, mox paulatim suas [15] occultas regulas apertis divisionibus atque differentiis inchoat aperire, adhuc tamen purissimas, omnique imaginatione alienas; et haec processio prima artis ab ipsa scientia, in qua primitus subsistit, per intellectum in rationem ipsius intellectus actu perficitur; omne siquidem, quod ex secretis naturae in rationem pervenit [16], per intellectus actionem accedit [17]; iterum autem veluti secundo descensu eadem ars ex ratione in memoriam descendens, paulatim apertius in phantasiis, veluti in quibusdam formis seipsam luculentius declarat; tertio vero descensu ad corporales sensus diffunditur [18], ubi sensibilibus signis virtutem suam per genera, et species, omnesque divisiones suas, et subdivisiones, et partitiones exerit: ita intellectuales numeri ex monade se defundunt [19], ut in animo quodam modo splendescant; deinde ex animo in rationem profluentes [20] apertius se patefaciunt; mox de ratione in memoriam decurrentes phantasticas ex ipsius memoriae natura accipiunt apparitiones, in quibus virtutes multiplicium suarum formarum [21] inquisitoribus suis luculenter aperiunt, deinde in sensus, postremo in figuras. Num igitur vides tria illa, quae quaesieras, quomodo, et ubi, et unde? Unde quidem? a monade; ubi? in [22] intellectu; quomodo? diversis gradibus, primum a semetipsis,

VARIAE LECTIONES.

[1] *a te* om. C. [2] A *aeterna.* [3] A *vel unde vel ubi.* [4] *in* om. A. [5] *esse* om. C. [6] *quae* om. A. [7] A *subsistens in monade.* [8] *eis insita* om. A. [9] A *et* proportionum. [10] A *veniant.* [11] *in* om. A. [12] Pro *Et ut* A *Aut.* [13] A *enim.* [14] *sed intra* om. C. [15] A *in* suas. [16] A *venit.* [17] A *perficitur.* [18] C *defunditur.* [19] A ex monade *descendunt.* [20] A *perfluentes.* [21] A *formarum suarum.* [22] *in* om. C.

in intellectum, ab intellectu [1] in rationem, ex ratione in memoriam, ex memoria in sensus corporeos, et si necesse est propter utilitatem discentium, extremo gradu a sensibus ad visibiles figuras descendunt. Disc. Plane clarissimeque video. Mag. Itaque non te latet, ut opinor, numeros et [2] aeternos esse, et factos; aeternos quidem in monade, factos vero multipliciter in suis descensionibus. Primo videlicet in intellectu contemplantium se [3] in semetipsis fiunt. Qui modus faciendi longe a sensibus remotus est; fieri enim dicuntur in notitia se intelligentium. Nam in monade dum sint, ineffabili sua unitate [4] omnem superant intellectum, eo solo, divino videlicet, intellectu excepto, quem nil ubique latet. Ipse est enim intellectus omnium, imo omnia. Non enim de ipsa monade, quae est causa sola et creatrix omnium visibilium et invisibilium, nunc agitur, sed de illa creata monade, in qua omnes numeri causaliter, uniformiter, rationabiliter [5] et semper subsistunt, et ex qua multiformiter erumpunt. Secundo vero in ratione fiunt, in qua fieri propterea dicuntur, quia in ea manifestius se ostendunt; adhuc tamen per seipsos, absque ullo phantastico colore. Deinde in memoria ac sensibus, in phantasiis quibusdam efficiuntur. Ipsae autem phantasiae aut de natura memoriae, hoc est, de ea parte animae, quae formandis imaginibus est attributa, aut extrinsecus ex superficie corporum per sensus exteriores sumuntur [6]. Sed quae extrinsecus veniunt, phantasiae proprie appellantur, quae vero ex memoria, phantasmata. Verbi gratia, phantasia est imago, quam de certo corpore, seu colore, seu spatio a me viso per sensum videndi assumptam meae memoriae infigo; phantasma vero est imago illa, quam fingo de aliquo nunquam a me viso. Quae falsa non immerito dicitur imago, quoniam illud, quod cogito, aut penitus non est, aut si est, non ita est, sicut imaginor [7]. Ubi notandum, si sanctum sequimur Augustinum, quod phantasma non aliunde nisi ex phantasia nascitur. Est enim, ut ipse ait, imago imaginis, hoc est, imago ex alia imagine nascens. Verbi gratia, solis quotidie orientis phantasiam habeo, quam de disciformi [8] ipsius specie accepi, et iterum ad similitudinem ipsius phantasiae solares imagines mille in memoria fingo majores vel minores, juxta cogitationis meae arbitrium, ac per hoc falsae sunt, quia nil veri imitantur. Nam Graeci aliter, quid sit phantasma, intelligunt; dicunt enim notitiam, quae in animo est de sensibilibus naturis, per phantasias earum susceptam, phantasma esse. Disc. Dupliciter ergo factos numeros in monade aeternaliter substitutos [9] asseris, ni fallor; aut enim in animo, et ratione sola, ac simplici in-

A telligentia fiunt puri per se, omnique imaginatione absoluti apparentes, aut in memoria sensuque corporeo quibusdam imaginationibus incrassati, ac veluti ex quadam et in quadam materia facti. Mag. Ita est. Sed quod addidisti, ex quadam et in quadam materia facti [10], non satis acute perspexisti. Phantasiae namque, quas de memoria in memoria [11] vel sensu de sensibili accipiunt, ut in eis appareant, non ex quadam materia fiunt, sed ex incorporalibus incorporales nascuntur. Non enim ex materia corporalium rerum efficiuntur, sed ex specie, quae procul dubio incorporea est, et ex coloribus, qui non corpora, sed circa corpora intelliguntur. Ac per hoc nil est convenientius ac naturalius, quam ut intellectuales numeri in rebus incorporeis, et ex incor-

B poralibus sumptis, virtutem suam ostendant, et modo quodam ineffabili in generationem sensibilem facti procedant. Perspectisque [12] rerum rationibus non temere quis dixerit, ipsas phantasias, in quibus numeri se interioribus numerantium oculis patefaciunt, non aliunde nisi ab ipsis intelligibilibus numeris provenire. Nam si numerositas formarum sensibilium, in quibus materia continetur, ut sensibus possit percipi; siquidem per se ipsam invisibilis est, atque in formis ab intellectualibus numeris originem ducit, et ex ipsa, formarum videlicet, numerositate per corporeos sensus memoria phantasiis conformatur: nil aliud restat, nisi ut [13] intelligamus, numeros intellectuales ex monade duplici modo fluere, et in memoria factos acie mentis multipli-

C cari, dividi, comparari, colligi, uniri. Aut enim, ut praediximus, per intellectum in rationem, et ex ratione in memoriam descendunt, aut per species rerum visibilium in sensus corporeos, iterumque ex ipsis in eandem memoriam confluunt, in qua phantasticas accipientes formas fiunt, interioribusque sensibus succumbunt. Ac per hoc, quoquo modo numeri patiantur perspici, non aliunde nisi a semetipsis apparitionis suae occasionem percipiunt. Proinde [14] et in monade aeterni sunt, et a seipsis in quacunque naturae parte apparuerunt facti, hoc est, sive in intellectu, sive in ratione absque ullis imaginationibus, sive in memoria ex speciebus rerum sensibilium formata phantasias quasdam, in quibus appareant, veluti facti de seipsis facientes.

D Disc. De numeris satis actum [15]. His enim argumentis conficitur, clareque intelligitur, ubi aeterni sunt, et ubi et [16] quomodo patiuntur fieri, ut non immerito perspiciamus, eos et aeternos esse, et factos. Sed quorsum haec tendant, intentus expecto. Non enim propter se ipsa, sed propter aliud quid suadendum introducta sunt. Mag. Miror, cur tam cito oblitus es tui. Nam paulo ante postulasti a me na-

VARIAE LECTIONES.

[1] C a semetipsis *in intellectu in intellectum.* [2] *et* om. A. [3] *se* om. C. [4] Pro *sua unitate* A *suavitate.* [5] *uniformiter, rationabiliter* om. A. [6] *Ipsae autem phantasiae — sumuntur* om. C. [7] C sicut *imago.* [8] A quam *ut dedisti formae.* [9] A *substitutos aeternaliter.* [10] Mag. *ita est — facti* om. C. [11] A in *memoriam.* [12] A *Prospectisque.* [13] *ut* om. C. [14] A *Perinde.* [15] A *est* actum, [16] *ubi et* om. A.

turalia exempla, quibus possem te introducere ad A intelligentiam eorum, de quibus disputabamus, id est, quomodo omnia, quae ex Deo sunt, et[1] aeterna simul et facta sunt, et maxime, quomodo Deus ipse et factor omnium est, et in omnibus fit. Haec est enim summa totius nostrae praesentis ratiocinationis. Disc. Jam in me ipsum redeo. Nam difficultate praedictorum, et adhuc incognita mihi rerum theoria stupefactus, sicut multis evenit, in extasi factus sum. Quis enim rudium, et nondum sublimissimum sophiae verticem ascendentium, talia cogitans, mentis secessum non patiatur, aeternam numerorum a Creatore omnium in monade audiens conditionem, eorundemque processionem in genera et species, in quibus fieri dicuntur, quoniam in eis ab intellectibus patiuntur intelligi; deinde in naturam ratio- B nabilem secundam veluti [2] procreationem, quoniam in ea suas virtutes manifestius propagant; deinde in memoria sensibusque phantasias, imo etiam theophanias accipientes — omne enim, quod ex natura rerum in memoria formatur, occasiones ex Deo habere non est dubitandum — quodam modo fieri non de alia materia, sed de semetipsis facti? Nunc vero veluti expergefactus in me ipsum rediens, interiorisque luminis radium luculentius perspiciens, ea, quae a te dicta sunt, cognoscere incipio. Conaris enim, ut opinor, suadere, omnes numeros ex monade veluti ex quodam fonte manantes, instar duorum fluminum ex una vena surgentium profluere, inque duos alveos segregatos, quorum unus per interiores poros naturae, hoc est, per intellectum, et rationem, alter C vero per exteriores visibilium rerum species decurrit [3] et per sensus, donec simul in memoriam confluant, in qua multipliciter formantur.

13. Sed quomodo [4] res incorporeae, et non solum a sensibus, verum etiam ex memoria, omnique imaginatione prae nimia suae naturae excellentia remotae, in memoria sensibusve, hoc est, in imaginibus visibilibusque figuris veluti quibusdam corporibus possint [5] apparere, non satis video. Mag. Hoc uno exemplo totum te intelligere sentio. Ita enim, ut dixisti, ex monade numeri manant, et in memoriam [6] confluunt. De eo autem, quod non satis vides, accipe quod sentio. Spiritualium rerum natura non [7] ita contemplationibus mentis succumbit, ut per singula de his, quae de ea, vel in ea, vel per eam per- D aguntur, rationem reddamus. Multa enim in ea solent apparere, quae non secundum cognitas vel incognitas ipsius leges, sed ultra omnem legem divina voluntate, quae nulla lege concluditur, est enim lex legum et ratio rationum, mirabili et ineffabili modo fiunt. Quis enim rationem potest reddere, si interrogatus fuerit, quomodo in spiritu [8] Moyses apostolis in spiritualis visionis montem, hoc est, altitudinem raptis apparuit visibiliter [9], quando transformatio Domini facta est? Non enim audiendi sunt hi, qui putant, eum ad tempus in corpore resurrexisse, ut simul cum Elia in monte visibiliter, non per se anima [10], sed in suo corpore appareret, et iterum ad sepulcrum rediisse. Quis ergo dicturus est, qua ratione anima incorporea et invisibilis invisibilibus apostolorum spiritibus veluti corporaliter visa est, cum nec in suo corpore, nec in aliqua materia sensibili, seu aliunde assumpta apparuerit, sed quadam ineffabili virtute, soli Deo cognita, invisibilis spiritus quasi [11] visibilis per se factus est? Quid [12] dicturus es [13] de anima prophetae Samuelis, quomodo invisibiliter tanquam visibilis locuta est Saul? Nam et ipse, sicut apostoli, in spiritu raptus talia vidit. Siquidem credendi non sunt, qui dicunt, non ipsum, sed aliquod figmentum in similitudine ipsius apparuisse, indignum judicantes animam sanctam [14] incantationibus pythonissae ab [15] inferis revocari, non animadvertentes divinam providentiam non minus per immundos, quam per mundos spiritus naturam rerum administrare. Constat autem, animam Samuelis [16] per se ipsam quasi [17] visibiliter non [18] in corpore, nec in aliqua similitudine consulentis eam regis animae prophetasse [19]. Et si forte alicui hoc videtur incredibile vel dubium [20], legat sanctum Augustinum in libro de cura defunctorum. Nos autem ad manifestissima naturae exempla recurramus, de quibus nemo recte philosophantium contendit. Disc. Dic, quaeso, quae sunt illa.

14. Mag. Formas rerum incorporeas esse sapientes dicunt. Eandem quoque sententiam de coloribus proferunt; eos enim incorporeos esse vera ratione consulta pronuntiant. Disc. Quisquis inde dubitat, inter [21] philosophos locum non habet. Mag. Si ergo formae atque colores in numero rerum incorporalium computantur, qua ratione sensibus corporeis succumbunt, profer, si potes. Omne enim, quod per oculos [22] sentitur, non aliter nisi in forma colorata sentiri potest. Disc. Formas et colores per se apparere non posse aestimo, in quadam vero materia sibi subjecta apparent. Mag. Miror valde, cur tam longe a philosophia recedis. Disc. Nescio ubi. Mag. Non te sentis errasse, quando dixisti, formas et colores per se non posse sensibus succumbere, nisi in aliqua materia, cum ipsa materia [23], carens forma atque colore, omnino invisibilis sit et incorporea; ac per hoc necesse est, rationem reddas, quomodo formae [24] et colores, dum incorporeae naturae sint, in materia per se ipsam [25] considerata, hoc est, sine forma atque colore incorporali possunt [26] sensibus succum-

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A [2] A rationabilem *secundam; veluti secundam* om. A. [3] Sic C, A *decurrere.* [4] A *quoniam.* [5] C *possunt.* [6] A *memoria.* [7] *non* om. A. [8] *in spiritu* om. A. [9] *visibiliter* om. C. [10] *anima* om. C. [11] *quasi* om. A. [12] A *Quod.* [13] A *est.* [14] A *sacrosanctam.* [15] pythonissae *potuisse* ab. [16] C *Samuhel.* [17] *quasi* om. A. [18] *non* om. C. [19] A *consulenti eam regi prophanasse.* [20] A *alicui incredibili vel dubium hoc videtur.* [21] A *intra.* [22] per *oculos* om. A. [23] A cum *materia ipsa.* [24] A *forma.* [25] A *se ipsa.* [26] C non possunt.

bere, proinde ratiocinabilius diceres, materiam informem in coloribus ac formis, quam formas atque colores in materia, sensibiliter apparere. DISC. Nunc me errasse non denego, falsae ratiocinationis consuetudine deceptus, et jam, quid agam, penitus ignoro. MAG. Recordarisne, quid de ipsa materia in primo libro inter nos est confectum [1], ubi [2] ex intelligibilium coitu ipsam fieri disputavimus? Quantitates siquidem et qualitates, dum per se incorporeae sint, in unum vero [3] coeuntes informem efficiunt materiam, quae adjectis formis coloribusque incorporeis in diversa corpora movetur. DISC. Recordor sane. MAG. Ex rebus itaque incorporalibus corpora nascuntur. DISC. Negare non possum; praedictis enim rationibus collectum est. MAG. Corpora ergo non de nihilo, sed de aliquo fiunt. Non enim quis dixerit, praedictas eorum occasiones nihil esse, hoc est quantitates et qualitates, formas vel species, colores, intervalla longitudinis, latitudinis, altitudinis, et cum his loca et tempora. Quae si abstraxeris, corpora non erunt [4]; si ea [5] conjunxeris, mox efficiuntur, sive catholica, ut sunt quattuor mundi maxima corpora, sive propria, specialissimisque rebus distributa. Quae cuncta ex quattuor simplicibus elementis componi non negabis, ut opinor, quoniam in ea resolvuntur. DISC. Non negabo, sed illa elementa per se simplicia, suaque compositione omnium corporum effectiva, de nihilo esse facta dixerim. MAG. Quid ergo dicturus es de causis primordialibus [6], de quibus multa diximus? Quaerendum est enim, quare causae dicuntur, si in effectus suos non procedunt? Siquidem si omnia corpora ex elementis, elementa vero de nihilo, illorum causa videbitur esse nihil, non autem ipsae primordiales causae [7], quas Deus Pater in Verbo suo fecit. Et si ita, non nihil erit nihil, sed erit causa. At si fuerit causa, melior erit his, quorum causa est: et necessario sequetur, ut aut Verbum Dei nihil sit, in quo Pater omnia fecit; quod per privationem impium dicere videbitur; negatio enim Verbi per excellentiam naturae, non autem per privationem substantiae in theologia reperitur; aut extra Verbum causa quaedam ponetur, quae nihil dicitur, de qua Deus omnia fecit, et in qua omnia, priusquam fierent, constituit. Aliter enim causa non est. Et si ita est, qua ratione dicitur nihil, non video. Prius siquidem dixerim [8] eam omnia esse, quam nihil. In causa namque omnia, quorum causa est, causaliter et primordialiter subsistunt. DISC. Cogor fateri, quattuor mundi hujus elementa in primordialibus causis subsistere. Non enim quorundam, sed universaliter omnium visibilium et invisibilium causae sunt, et nihil in ordine naturalium omnium sensu, seu ratione, seu intellectu percipitur, quod non ab eis procedat, et in eis causaliter subsistat. MAG. Sane intelligis. Proinde, ni fallor, non negabis, omnia corpora composita et solubilia, quae natura rerum [9] omnium extremum obtinent locum, de aliquo esse, non autem de nihilo. DISC. Non negabo. Ex qualitatibus enim et quantitatibus simplicium et invisibilium corporum, sensibusque incomprehensibilium efficiuntur, quae propterea elementa vocantur, quoniam ex illorum concursu omnia corpora componi naturarum inquisitores aiunt, et in ea solvi, et in eis salvari. Catholica quoque solent appellari, id est, universalia; ex ipsis siquidem propria singulorum corpora fiunt. Iterum elementa non de nihilo facta, sed ex primordialibus causis procedere fateor. Quas primordiales causas simul et semel in Verbo Dei factas nullus fidelium dubitat, audiens prophetam dicentem Deo: *Omnia in sapientia fecisti*, frontemque sacrae Scripturae aspiciens, qua scriptum est: *In principio fecit Deus caelum et terram*. MAG. Restat ergo, ut quaeramus de ipsis primordialibus causis, utrum in Verbo Dei de nihilo sunt factae, an semper in eo erant? Et si semper in eo erant, non erat, quando non erant, sicut illud Verbum, in quo erant, non erat, quando non erant. Et si semper in eo Verbo erant, quomodo in ipso de nihilo factae sunt? Non enim rationi convenit, ea, quae semper erant, de nihilo fieri inchoasse. Et si quis dixerit, illud nihil, de quo factae sunt [10], semper erat, et semper de eo factae sunt, quaeretur ab illo, ubi semper erat illud nihil? Utrum in Verbo Dei, in quo omnia subsistunt, an per se extra Verbum? Si responderit, in Verbo semper erat, opponetur ei, non ergo nihil, sed magnum aliquid erat; omnia siquidem, quae in Verbo Dei subsistunt, vere et naturaliter subsistunt, et in ordine primordialium causarum connumeratur [11], quod nihil putabatur, et de quo omnia facta creduntur. Si vero extra Verbum per se putaverit nihil, duo principia sibi invicem adversa, sicut unus Manichaeorum, aestimabitur fingere. Multi siquidem secularium philosophorum informem materiam coaeternam Deo esse [12] putaverunt, de qua omnia opera sua fecit; quam materiam propterea nihil dicebant, quia, priusquam formas et species a Deo acciperet, in nullo [13] apparebat, ac veluti penitus nihil erat [14]. Quidquid enim omnino caret forma et specie, non immerito potest vocari nihil. Quas omnes delusiones lux veritatis expulit, ab uno principio omnia esse praedicans, et nil in natura rerum visibilium et invisibium inveniri, quoquo modo generationis in speciem propriam erumpat, quod in Verbo Dei unigenito aeternaliter non constat [15] substitui, in quo omnia unum sunt, ipsumque Deum pronuntians nullam materiam seu causam universitatis a se conditae in sua sapientia

VARIAE LECTIONES.

[1] A *confectum sit*. [2] Sic C; A *nisi*. [3] *vero* om. A. [4] C *esse*. [5] *ea* om. A. [6] A *primordialibus causis*. [7] *causae* om. A. [8] C *dixerant*. [9] Pro *natura rerum* A *naturarum*. [10] *Non enim rationi — factae sunt* om. C. [11] A *connumerabitur*. [12] Pro *esse* C *rem*. [13] Pro *in nullo* A *non*. [14] *erat* om. C. [15] Sic AC.

extrinsecus accepisse, quia extra illum nihil est, vel intra se non [1] coessentiale sibi reperisse [2], de quo faceret in sapientia sua, quae fieri [3] voluit.

15. Proinde non datur locus nihilo, nec extra, nec intra Deum; et tamen de nihilo omnia fecisse, non in vanum creditur. Ac per hoc nil aliud datur intelligi, dum audimus, omnia de nihilo creari, nisi quia erat, quando non erant. Ideoque non incongrue dicimus, semper erant, semper non erant, et non erat quando non erant [4], et quando non erant, erat. Siquidem semper erant in Verbo Dei causaliter, vi et potestate [5] ultra omnia loca et tempora, ultra omnem generationem localiter et temporaliter factam [6], ultra omnem formam ac [7] speciem sensu et intellectu cognitam, ultra omnem qualitatem et quantitatem, celeraque accidentia, per quae substantia uniuscujusque creaturae intelligitur esse, non [8] autem, quid sit. Et semper non erant; priusquam enim per generationem in formas et species, loca et tempora, inque omnia accidentia, quae aeternae eorum substantiae in Verbo Dei incommunicabiliter substitutae accidunt, profluerent, non erant in generatione, nec [9] erant localiter, nec temporaliter, nec in propriis formis speciebusque, quibus accidentia contingunt. Ac per hoc non irrationabiliter de eis praedicatur, non erat, quando non erant; temporaliter enim inchoaverunt per generationem esse quod non erant, quia semper in Verbo Dei subsistunt, in quo nec esse incipiunt [10]; infinita est enim aeternitas. Et erat quando non erant; temporaliter enim inchoaverunt per generationem esse quod non erant, hoc est, in formis et speciebus apparere. Proinde si quis naturam rerum intentus perspexerit, nulla creatura [11] sensibus seu intellectibus succumbens reperietur, de qua veraciter dici non possit, semper erat, et est, et erit, et semper non erat, nec est, nec erit. Siquidem incommutabiliter et erat, et est, et erit ipsa prima constitutio in sapientia Dei per primordiales causas; sed quia ipsa constitutio soli Deo cognita est, omnemque [12] sensum et intellectum totius creaturae superat, a nulloque adhuc intellectu creato cognosci potest quid sit, incipit per generationem temporaliter accipere quantitates et qualitates, in quibus veluti quibusdam vestimentis operta [13] potest manifestare, quia est [14], non autem quid sit. Inchoat ergo quodammodo esse, non in quantum in causis primordialibus [15] subsistit, sed in quantum ex causis temporalibus [16] incipit apparere. Causas autem temporales dico qualitates et quantitates et cetera, quae substantiis accidunt temporaliter per generationem. Et ideo de iis dicitur, erat quando non erant; non enim semper in accidentibus apparebant. Eadem ratione et nunc dicuntur

A esse, et sunt, et vere ac semper futura sunt, in quantum in suis causis subsistunt. In quantum vero in accidentibus, quae eis extrinsecus contingunt, dicuntur esse, nec tamen vere, nec semper sunt. Solventur [17] enim in ea, ex quibus assumpta sunt, in quibus vere et semper sunt, quando omnis substantia ab omnibus corruptibilibus accidentibus purgabitur, et ab omnibus, quae ad statum suae propriae naturae non attinent, absolvetur, solis naturalibus virtutibus decora, insolubili simplicitate, et in his, qui boni sunt, donis gratiae ornata, aeternae beatitudinis contemplationibus ultra omnem naturam, et suam, glorificata, inque ipsum Deum conversa, Deusque non natura, sed gratia facta. His itaque rationibus consideratis, quis nisi nimium
B tardus aut nimium contentiosus non concedat, omnia, quae ex Deo sunt, et [18] aeterna simul esse et facta?

16. Disc. Haec mihi perplane suasa sunt. Non tamen omnis ambiguitas ex me adhuc repulsa est. Quod enim [19] dixisti, propterea omnia, quae ex Deo sunt, et aeterna et facta sunt, quia in Verbo Dei aeterna sunt, et, ut ait sanctus Augustinus, *non facta substantialiter existentia, temporaliter vero per generationem in forma et speciebus et accidentibus facta*, sublata omni ambiguitate perspicio. Quoniam vero scriptum est : *In principio fecit Deus caelum et terram*, et : *Omnia sapientia fecisti*, cogor fateri, omnia in Verbo Dei et [20] aeterna et facta esse. Omnia dico visibilia et invisibilia, temporalia et aeterna,
C omnes primordiales causas cum omnibus effectibus suis, quibus ordo seculorum localiter et temporaliter peragitur, et mundus iste visibilis impletur [21]. Sed quomodo potest hoc rationi convenire, ad purum non valeo perspicere. Mag. Putasne igitur, me docere voluisse, omnia, in quantum aeterna sunt, in Verbo Dei unigenito aeterna esse; in quantum vero facta sunt, extra Verbum facta esse? Non enim aestimas, rationibus veritatis convenire, universitatem conditae naturae in Verbo et aeternam simul et factam. Disc. Non putabam, te sic docuisse. Non enim aestimo, ullum recte philosophantium putare, totius universitatis partem in Verbo Dei aeternam subsistere, partem extra Verbum temporaliter factam. Nam neque sinit nos talia cogitare sacra
D Scriptura, quae dicit in Psalmo : *Omnia in sapientia fecisti*; in Genesi : *In principio fecit Deus caelum et terram*; Apostolus : *In quo*, inquit, *creata sunt omnia, quae sunt in caelis et quae in terra, sive visibilia sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia ex ipso et per ipsum, et in ipsum creata sunt*; in Evangelio : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* : neque

VARIAE LECTIONES.

[1] *non* om. A. [2] Pro *reperisse* C *re subaudi a superioribus nihil perisse.* [3] A *omnia*, quae. [4] *Ideoque — non erant* om. C. [5] C potestate *factam* ultra cet. [6] *factam* om. C. [7] C *et*. [8] A *novi*. [9] C *non*. [10] *temporaliter enim — incipiunt* om. C. [11] A *natura*. [12] A *omnem vero*. [13] C *aperta*. [14] Sic C; A quia non est. [15] A in *primordialibus causis*. [16] A ex *temporalibus causis*. [17] A *Solvuntur*. [18] *et* om. C. [19] C *autem*. [20] *et* om. A. [21] *peragitur — impletur* om. C.

ratio; extra Verbum nil [1] valet perire substantialiter, **A** aut secundum accidens. Clamat enim: Omnia, quae sunt et quae non sunt, non secundum privationem dico, sed secundum excellentiam in Verbo comprehenduntur, et sunt in eo et non sunt. Sunt quidem, quae intellectu seu sensu colliguntur, non sunt vero, quae omnem sensum et intellectum superant. Quod autem omnia in Verbo Dei et aeterna simul et facta sunt, Joannes theologus, hauriens de pectore sapientiae aeternas intelligentiae aquas [2] ac veridicas, testatur dicens: *Quod factum est in ipso vita erat.* Sive quis secundum Augustinum sic distinguat: *Quod factum est localiter et temporaliter, in ipso vita erat.* Non enim credendum est, aut ullo modo aestimandum de solertissimo veritatis inquisitore, propterea Evangelium voluisse [3] sic [4] distinguere, **B** ut insinuaret, quod factum est localiter et temporaliter, non in Verbo, sed veluti extra Verbum factum fuisse, cum idem ipse, sanctus videlicet Augustinus, manifestissime doceat, et loca et tempora cum his, quae in eis facta sunt, in Verbo Dei aeternaliter esse facta, intelligens veraciter Apostolum dicentem de Verbo: *In quo creata sunt omnia, quae sunt in caelis, et quae in terra, sive visibilia, sive invisibilia.* Ac per hoc si [5] loca et tempora cum omnibus, quae in eis continentur, in numero visibilium sunt, id est, sensibilium; omnia autem visibilia, teste Apostolo, in Verbo sunt creata: loca igitur, et tempora, et omnia quae in eis sunt, in Verbo creata sunt. Sive simpliciter praedictam Evangelistae sententiam secundum alios quis pronuntiaverit, **C** dicens: *Quod factum est in ipso*, ac si distinxerit veluti ab alio commate incipiens, *vita erat.* Sic enim multos [6] Graecorum codices invenimus distinctos, ut intelligamus, quod factum est in ipso temporaliter et localiter per generationem, vita erat aeternaliter per rationem, hoc est, per in primordialibus causis omnium conditionem. MAG. Non ergo dubitas, omnes omnium causas, causarumque omnes effectus in Verbo aeterna esse, et facta, nec me aliter docere aestimas.

DISC. De aeternitate omnium deque eorum creatione in Verbo nec dubito, neque aliter te docere puto, sed solummodo quaero, quomodo in Verbo Patri coaeterno omnia aeterna sunt simul, et facta. Non enim, ut arbitror, rationi convenit, ut facta [7] sint **D** aeterna, et aeterna facta. Nulla siquidem differentia videbitur esse inter aeternitatem universitatis in Verbo, et creationem, si aeternitas est creata, et creatio aeterna. MAG. Miror ac valde moveor, quare quaeris rationem in his, in [8] quibus omnis ratio deficit, aut intellectum in his, quae omnem superant intellectum. Num [9] aestimas, divinae sapientiae propositum intellectibus aut humanis, aut angelicis posse fieri manifestum, dum legis [10], mystica illa animalia alis suis et vultus velare et pedes, hoc est altitudinem divinae virtutis intueri; timentia super omnem conditam naturam et profunditatem ipsius in his, quae per eam, et in ea, et [11] de ea facta sunt. Nec [12] tamen desinunt volare sursum versus. Quaerunt enim semper, quantum possunt, divinae gratiae vehimine suaeque naturae subtilitate sublevata et, quae [13] super se sunt, in infinitum appetentia. Ubi autem deficiunt, reverenter vultus suos, hoc est, contemplationis aciem divino radio repercussos abscondunt [14], et ab introitu incomprehensibilium mysteriorum [15] suos theologicos pedes, hoc est, intellectuales ingressus retrahunt, ne quid incaute vel temere de ineffabilibus omnemque intellectum superantibus praesumant. Si ergo purissimi intellectus, quorum symbola praedictis animalibus theologia praemisit, inter quos et Verbum nulla medietas est praeter omnium rerum causas primordiales, excelsitudinem divinae claritatis super omnia, fusaeque in omnia virtutis et sapientiae a summo usque deorsum attingentes [16], a fine usque ad finem, hoc est, ab initio intellectualis creaturae usque ad vermiculum pertimescant inspicere, cognoscentes naturae suae capacitatem ad haec consideranda non sufficere: quid nos adhuc carne gravati de divina providentia [17] et operatione rationem reddere conamur? Ubi sola divina voluntas cogitanda est, quae operatur omnia prout vult, quia omnipotens est [18], et naturales rationes occultas et investigabiles inserit omnibus, quia omnium supernaturalis ratio est, quia nihil secretius, nihil praesentius, difficile ubi sit, difficilius ubi non sit, lux ineffabilis, omnibus intellectualibus oculis semper praesens, et a nullo intellectu cognoscitur, quid sit, per omnia diffusa in infinitum, et fit in omnibus omnia et in nullo nullum. Quod autem dixi, inter quos et Verbum nulla medietas est praeter omnium rerum causas, propterea addidi, ne quis aestimet, caelestes essentias immediatas esse, hoc est, nullam medietatem inter se et causam omnium habere. Quamvis enim [19] dicantur angeli quasi eggigi, hoc est, juxta ipsum Deum [20] constituti; eggis [21] [a] siquidem graece dicitur juxta; non tamen ita credendi sunt facti, ut non eorum causae in Verbo sint [22] conditae. Nulla enim creatura est, cujus causa facta non praecedat in Verbo, secundum quam substituitur, ut sit, et ordinatur, ut pulchre sit, et custoditur, ut aeterna-

VARIAE LECTIONES:

Pro nil C *quidquid.* [2] A *aquas intelligentiae.* [3] Sic C; A *noluisse.* [4] *sic* om. A. [5] Pro *si* A *et.* [6] *multos* om. A. [7] A ut *et* facta. [8] *in* om. A. [9] C *Nam.* [10] *legis* om. A. [11] *et* om. A. [12] A *Non.* [13] Sic C; A *divina gratia sublevata sive naturae subtilitate ea*, quae. [14] A *repercussi defendunt.* A [15] A *mystericorum.* [16] Conj.; A *attingentis*, C *attingent.* [17] A *prudentia.* [18] A *qui omnipraesens est.* [19] A *autem.* [20] A *Dominum ipsum.* [21] C *essus.* [22] *sint* om A.

NOTAE.

[a] Ἐγγύς, *juxta*; cf. glossar. Ab illa voce Joannes scotus formasse videtur ἐγγυγοί, *qui juxta sunt.*

liter sit, et manifestatur seu sensibus, seu intellectibus ad materiam laudis ipsius unius causae, ex qua, et in qua, et per quam, et ad quam condita est. Credamus itaque et, quantum datur, mentis acie intueamur [1] omnia visibilia et invisibilia, aeterna et intemporalia, illudque aeternum, et tempus, et loca, et spatia, et omnia, quae dicuntur secundum substantiam et accidens, generaliterque dicendum, quaecunque universitas totius creaturae continet, in Verbo Dei unigenito et [2] aeterna simul et facta esse, et neque aeternitatem in eis praecedere facturam, neque facturam praecedere aeternitatem. Siquidem eorum aeternitas condita [3] est, et conditio aeterna in dispensatione Verbi. Nam et cuncta, quae videntur in ordine seculorum temporibus et locis per generationem oriri, simul et semel aeternaliter in Verbo Domini facta sunt. Neque enim credendum est, tunc inchoasse fieri, quando in mundo sentiuntur oriri. Semper enim fuerunt in Verbo Domini substantialiter, ortusque eorum et occasus [4] in ordine temporum atque locorum per generationem, hoc est per accidentium assumptionem semper in Verbo Dei erat, in quo, quae futura sunt, jam facta sunt [5]. Siquidem divina sapientia circumscribit tempora, et omnia, quae in natura rerum temporaliter oriuntur, in ipsa praecedunt et subsistunt aeternaliter. Ipsa est enim mensura omnium sine mensura, et numerus sine numero, et pondus, id est ordo, sine pondere, et [6] ipsa est tempus et seculum, ipsa est praeterita, et [7] praesentia, et futura. Ideoque a Graecis ἐπέκεινα [a] vocatur, quia omnia tempora in se creat et circumscribit, dum super omnia tempora sit aeternitate sua omnia intervalla praecedens, ambiens, concludens. Nam et de his, quae naturali cursu in ordine temporum annuatim [8] fieri sentimus, rationem reddere nemo potest. Quis enim vim seminum cogitans, quomodo per numeros locorum et temporum et [9] varias species animalium, fruticum, herbarum erumpunt, cur et quomodo dicere praesumat, aut eorum occasiones ad purum dignoscere praevaleat, et non continuo pronuntiet, haec omnia divinis legibus omnem sensum et intellectum superantibus attribuenda sunt? Nullisque conjecturis animi inquirendum, cur sic vel sic, et quomodo sic vel sic, et non aliter debent ordinem temporum implere, et ex invisibilibus causis in vi seminum simul constitutis non simul, sed temporum intervallis et locorum, in formas sensibiles procedere, quasi non aliter fieri possent, si divinae voluntati aliter fieri videretur, quae nulla

A lege constringitur? Nam et saepe contra consuetum naturae cursum multa solent fieri, ut nobis ostendatur, quod divina providentia non uno, sed multiplici modo atque infinito potest omnia administrare. Si itaque nulli intellectui cognita est universitatis in divinis legibus administratio, cui rationabilium vel intellectualium potest fieri perspicua ejusdem universitatis in Verbo Dei aeterna conditio; in quo omnia et aeterna simul et facta esse nemo fidelium debeat ignorare; quamvis non intelligat, qua ratione aeterna sunt facta, et facta sunt aeterna; hoc enim soli Verbo, in quo et facta sunt et aeterna, cognitum est.

Disc. De conditione universitatis in Verbo, et de aeternitate rationem non quaero: Nemo enim potest dicere, quomodo aeterna, et facta sunt. Modum B namque conditionis rerum in Verbo nulla creatura rationabilis [10] seu intellectualis potest cognoscere; soli siquidem gnosticae virtuti patet. Qua vero ratione compellimur fateri, aeterna esse facta in Verbo Dei, quaero, si potest inveniri. Non enim de primordialium causarum multiplicibus effectibus in rebus visibilibus et invisibilibus nunc agitur, in quibus omnia facta esse nemo sapientum dubitat. Eo namque modo praesens quaestio solvi posse videretur, si quis posset [11] veris rationibus docere, omnia, in quantum in Verbo Dei subsistunt in principiis suis, in tantum aeterna esse intelligenda sunt; in quantum vero in effectus suos, sive intelligibiles, sive sensibiles, in ordine temporum per generationem procedunt, in tantum facta sunt; ita ut eorum C aeternitas in Verbo Dei praecederet [12] eorum conditionem in ordine seculorum, sive invisibilem supra nos, sive visibilem secundum nos mundum implentes. Jam vero, quoniam talia fateri vera nos non sinit ratio; clamat enim, et verissime clamat, non solum primordiales causas, verum etiam earum effectus, et loca, et tempora, et [13] essentias, et substantias, hoc est, genera generalissima, et generales formas, et species specialissimas per individuos numeros cum omnibus accidentibus suis naturalibus, et ut [14] simpliciter dicam, omne, quod est in universitate rerum conditarum, sive sensu, sive intellectu humano, vel angelico comprehendatur, sive omnem sensum, omnemque mentis aciem excedat, et tamen conditum est, in Verbo Dei et semel et D simul aeternum et factum esse; et nunquam erant [15] aeterna et non facta, neque facta et non aeterna: nil aliud relinquitur [16], nisi ut quaeratur, non quomodo sint [17] aeterna et facta, sed qua ratione dicantur [18] et facta et aeterna. Mag. Facta dicuntur

VARIAE LECTIONES.

[1] A *intuemur.* [2] *et* om. C. [3] A *facta.* [4] A *quae videntur in ordine saeculorum — occasus* om. C. [5] *sunt* om. C. [6] *et* om. A. [7] *et* om. A. [8] A. *annuarciatum.* [9] A *in.* [10] A *rationalis.* [11] C *possit.* [12] A *praecederit.* [13] *et* om. A. [14] *ut* om. A. [15] A *erunt* [16] A *relinquatur.* [17] C *sunt.* [18] C *docetur.*

NOTAE.

[a] Conj., A C ἐπέκεινα. Vox ἐπέκεινα i. e. *ulterius supra* occurrit Dion. Areopag. de div. Nom. IV, 16. In cod. C ad marginem haec adscripta sunt: *Glossa. Deus a Graecis* επικαινα (sic!) *notatur, quia praeterita et futura in ipso subsistunt, et ipse est et in ipsum terminantur. Ideoque propter facilitatem intelligendi saepe* επικαινα *summitas omnium interpretatur quamvis proprie praeterita et futura.*

juxta sacrae Scripturae auctoritatem, pronunciantis, ut iisdem exemplis utamur: *In principio fecit Deus caelum et terram. Omnia in sapientia fecisti. Omnia per ipsum facta sunt. In quo creata sunt omnia, quae sunt in caelis et quae* [1] *in terra, sive visibilia, sive invisibilia*, et multa hujusmodi. Modum autem et rationem conditionis omnium in Verbo Dei dicat [2], qui potest; me nescire [3] fateor. Nec [4] me pudet [5] nescire, audiens apostolum dicentem: *Qui solus habes immortalitatem, et lucem habitas inaccessibilem*, praesertim quasi [6] de longe praesentis negotii finem considerans. Ad hoc [7] enim praesens ratiocinatio, immo vero ipsa ratio perducet, ut intelligamus, non solum in Dei Verbo [8] omnia aeterna et facta esse, verum etiam ipsum omnia facere, et in omnibus fieri simplici mentis acie. Ut ait sanctus Maximus: *Per rationes* [9], *quae in existentibus sunt, ad causale* [10] *verbum videlicet, efferentes intellectum, et ipsi soli utpote congreganti omnia, quae ex ipso sunt, et attrahenti alligantes, rationibus per singula existentium ordinate utendo, non jam confuse, sed praeclare credentes, solum Deum proprie esse relictum ex diligenti, quae est ad ea, quae sunt, intentione, et essentiam existentium* [11], *et motum, et differentium discretionem, et continentiam insolubilem mixtorum, et fundamentum immutabile positorum, et omnis simpliciter utcunque* [12] *intellectae essentiae, et motionis et differentiae mixturaeque et positionis causalem*. Ac per hoc si Dei Verbum solummodo relinquitur essentia existentium et motus et differentium discretio et continentia insolubilis mixtorum, hoc est compositorum, et fundamentum immutabile positorum, hoc est ad immutabilem habitum pervenientium, et utcunque intellectae essentiae et [13] motus et [14] discretionis, et compositionis, et habitudinis causa [15], quid aliud restat intelligi, nisi ipsum omnia in omnibus fieri? Quomodo autem, et [16] qua ratione Dei Verbum in omnibus, quae in eo [17] facta sunt, fit, mentis nostrae aciem fugit. Nec mirum, cum in rebus sensibilibus nemo potest dicere, quomodo vis seminalis incorporea [18] in species visibiles formasque, in varios colores, in diversas odorum suavitates erumpens, fit sensibus manifesta, et in rebus facta, et dum fit manifesta, non desinat [19] esse occulta. Et sive manifesta sit, sive occulta, naturalibus suis virtutibus nunquam deseritur tota in totis, tota in seipsa, nec crescit, dum videtur multiplicari, nec minuitur, dum putatur in paucitatem contrahi, sed in eodem statu suae naturae immutabiliter permanet. Non enim minor [20] est in uno grano tritici, verbi gratia, quam in multis messibus sub eodem genere multiplicatis, et quod est mirabilius, nec in uno grano toto major est, quam in particula ipsius grani. Multiplex enim in uno est, et una in multiplicibus. Si vero quis dixerit, vim seminum non per seipsam, sed in aliqua materia, hoc est, in humore patefieri, ac per hoc ipsa fit, quod apparet, sed in uno quod apparere [21] agit, ut sic appareat [22], non de seipsa, sed de aliqua materia operationes suas peragens, respondendum, si in specie apparet et fit, estne species materia, dum manifesta ratio clamat, quicquid maneat [23] in materia, per speciem manere, dum per seipsam et [24] instabilis et informis [25] ac pene nihil sit? Si in coloribus, num color [26] materia est, cum constet [27], eos circa materiem [28], immo etiam circa speciem intelligi? Si in odorum suavitatibus, num [29] odor materia est, cum qualitas olfaciendi sensum afficiens ab his, qui talia tractant, esse dicatur, qualitas autem incorporea est? Similiter de ceteris qualitatibus, in [30] quibus virtus seminum solet apparere, dicendum. Si autem praedicta omnia incorporalia sunt corporibus adhaerentia, et in semetipsis extra corpora intellecta, quis nisi insipiens dixerit, vim seminum incorporalem corporalis materiae ad apparitionem suam indigere? Ablata siquidem specie, omnique qualitate, et quantitate, virtus seminalis in nuda materia nullo modo potest seu fieri seu sentiri. Quid? Si ipsa materies, in qua putatur apparere et agere, ex qualitatibus in corporalibus originem ducere probatur, nonne conficitur, non aliunde vim seminum accipere illa, in quibus operatur, sed a se ipsa et in se ipsa, hoc est, in naturalibus suis virtutibus, ita ut mirabili modo fiat et faciat et materia sua et operatio et operatrix?

17. Inconcussa itaque auctoritas divinae Scripturae nos compellit credere, totius creaturae universitatem in Verbo Dei conditam esse, ipsiusque [31] conditionis rationem omnes intellectus superare, solique Verbo, in quo condita sunt omnia [32], cognitam esse. Si vero vis audire, quid de universitatis aeternitate in Verbo Dei sentio, ad haec, quae sequuntur, intentus esto. DISC. Praesto sum. MAG. Num arbitraris, Verbum Dei, in quo facta sunt omnia, fecisse [33] omnia, quae in eo facta sunt? DISC. Arbitror sane. Quamvis enim divina operatio, in qua condita sunt omnia, tripliciter sacra Scriptura perhibente a theologis consideretur; Pater enim facit, in Filio fiunt, Spiritu sancto distribuuntur: una tamen atque eadem summae [34] sanctaeque Trinitatis est operatio. Quod enim Pater facit, et Filius facit, et Spiritus sanctus facit, et quod in Filio factum est, in [35] Patre et Spiritu sancto factum est. Siquidem si [36] Filius in Patre est, omne, quod in Filio factum est, in Patre esse necesse est. Nam rationi non convenit,

VARIAE LECTIONES.

[1] *quae* om. A. C *dicit*. [3] Pro *me nescire* A *ego*. [4] A *haec* [5] *pudet* om. A [6] A *quae*. [7] C *adhuc*. [8] A *verbo Dei*. [9] A *peractiones*. [10] A *causae*. [11] essentiam *et* existentium. [12] A *ut cuique*. [13] *motionis et differentiae mixturaeque et positionis* — *et* om. A. [14] *et* om. A. [15] A *causae*. [16] A *aut*. [17] A in *illo*. [18] *incorporea* om. A. [19] Sic AC. [20] C *minus*. [21] Conj.; C *appare*. [22] *sed in uno* — *appareat* om. A. [23] C *manet*. [24] *et* om. C. [25] A informis *sit*. [26] pro *num color* A *non*. [27] Sic C; A *cura constat*. [28] A *materiam*. [29] C *non*. [30] *in* om. A. [31] A Ipsius *vero*. [32] *omnia* om. A. [33] A *vidisse*. [34] A *summaeque*. [35] *in* om. A. [36] *si* om. A.

ut intelligamus Filium ipsum solum in Patre, ea vero, quae Pater in Filio facit, in Patre non esse. Similiter quod Spiritus sanctus nutrit et distribuit, a Patre et Filio nutritur et distribuitur. MAG. Si itaque Filius facit, quae in eo facta sunt, nunquid credendum [1] est fecisse, quae non vidit? DISC. Vidisse [2] eum, quae fecit, et in eo facta sunt, arbitror. MAG. Recte arbitraris. Dic itaque, quomodo vidit, utrum sensu corporeo, an intellectu? DISC. Nec sensu dixerim, nec intellectu Deum vidisse quae fecit. Sensu siquidem corporeo caret, qui incorporeus est. Nec proprie intellectus dicitur, qui exuperat omnem intellectum. Intellectus tamen per metaphoram dicitur, sicut et animus; a creatura videlicet ad [3] Creatorem, quoniam totius intellectus et animi causa est et conditor. Non ergo per creaturam videt, sive corpoream, sive incorpoream, qui nullius creaturae instrumenti indiget ad ea videnda, quae vult facere. *Non enim esse,* ut ait Maximus, *possibile est, sicut ostendit ratio, eum, qui est super ea, quae sunt, ea, quae sunt, accipere*[4]. Sed sicut suas voluntates [5] cognoscere eum dicimus ea, quae sunt, addentes etiam ex causa ratiocinationem. Si enim voluntate omnia fecit, et nulla contradicit ratio, cognoscere autem suam voluntatem Deum semper pium dicere et justum est; unumquodque vero eorum, quae facta sunt, volens fecit: igitur ut suas voluntates Deus cognoscit ea, quae sunt, quoniam et volens ea, quae sunt, fecit. MAG. Quemadmodum igitur Deus suas voluntates videt, ita et ea, quae fecit [6], videt? DISC. Ita quidem, non [7] aliter. Non autem, ut insipientes autumant, per sensum sensibilia, neque per intellectum intelligibilia videt, sed quemadmodum suas voluntates, ita sensibilia et intelligibilia videt. MAG. Plane [8] ac pure intelligis. Sed dicas, flagito, utrum aliud sunt divinae voluntates, quas Deus videt, et aliud facta, quae ut suas voluntates videt? DISC. Non sum idoneus, qui huic propositioni satis recteque respondeam. Coartor enim undique. Nam si dixero aliud, mox dicturus eris: non [9] ergo ut suas voluntates Deus videt, quae fecit; in diversis enim naturaque differentibus una ac simplex visio fieri non potest. Et concludes: divina autem visio simplex est et una et uniformis; igitur, si aliud est Dei [10] voluntas, et aliud quod fecit, non ut voluntatem suam videt [11] quod fecit [12]. Si autem dixero [13] non aliud, necessario sequetur: voluntas igitur Dei factum ejus [14] est, et voluntates suas fecit, et, quae fecit, voluntates suae sunt. Una enim eademque et simplex divina visio cogit, unum et id ipsum esse omne, quod videt. Videt autem ut suas voluntates, quae fecit. Unum igitur et id ipsum sunt divinae voluntates, et quae Deus fecit. Ea siquidem unificat simplex divina visio, quae omnia videt unum, et unum omnia. Et si hoc datum fuerit, vereor, ne forte me compellas unum e duobus fateri, aut videlicet segregari [15] voluntatem Dei a Deo, et adjungi creaturae, ita ut aliud sit Deus et aliud sua voluntas, hoc est, ut sit Deus [16] factor, voluntas autem ejus facta; aut si hoc non sinit vera ratio dicere, necessario fatebor, et Deum, et voluntates suas, et omnia, quae fecit, unum et id ipsum esse. Ac sine mora ratiocinationis virtute cogente concludetur: Deus igitur seipsum fecit, si non extra ejus naturam suae voluntates sunt, et non aliter videt suas voluntates, et aliter quae fecit, sed ut suas voluntates videt, quae fecit. Et si ita est, quis de aeternitate omnium, quae facta sunt, in Deo dubitarit [17], quando non solum facta et aeterna, verum etiam Deus esse intelliguntur? MAG. Cautissime ac vigilantissime rationis iter ingrederis. Ac per hoc si pure intelligis, sine ambiguitate ulla ita et non aliter esse, quae dixisti, in suadenda aeternitate omnium, quae in Verbo Dei facta sunt, amplius laborare necessarium non esse video. DISC. Derides me, ut arbitror, dum mecum liberaliter agis, hoc est, dum libertati arbitrii mei concedis eligere, quid [18] velit, et tenere, quod vult, et non veris rationibus exigis me concludere, quid [19] de talibus remota omni falsitate credendum et intelligendum est. Si enim per me ipsum pure intelligerem ea, quae dixi, non fortassis vererer, apertam sententiam de divinis voluntatibus, et de his, quae facta sunt, proferre, num unum [20] et id ipsum sint [21] necne. Veritus sum autem, meipsum cognoscens non satis idoneum ad haec discutienda incedere. MAG. Gradatim ergo ingredere, ne in aliquo fallaris, et [22] quodcunque concesseris, stabili mentis habitu obtineas. DISC. Praecede, sequar. MAG. Quamvis, ut opinor, de voluntate Dei [23] dubites, seu de voluntatibus, seu de ineffabili divinae unitatis multiplicitate — Deus est [24] enim unum multiplex in seipso [25] — utrum ad summae bonitatis simplicem naturam pertineant, ut non aliud praeter ipsum sint, an non: Deum [26] tamen suis voluntatibus caruisse non dubitas. DISC. Hinc dubitare insipientissimum est. Omne siquidem, quod habet, semper et immutabiliter habet, quoniam nihil ei [27] accidit. Ideoque aut nunquam habuit suas voluntates, aut, si habuit, semper eas habuisse nullo modo dubitandum. MAG. Deus itaque semper voluntates suas habuit, easque semper vidit. Non enim latere eum potuit, quod habuit. DISC. Et habuit et vidit. Deum namque voluntatibus suis caruisse, aut semper eas non habuisse, aut non vidisse, dementium est aestimare. MAG. Divinae ergo voluntates aeternae sunt, quoniam ipse, cujus voluntates sunt, aeternus est. DISC. Omnino

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic AC. [2] A Vidisse *ergo* eum. [3] A *et* ad. [4] Sic C; A qui est super ea quae sunt *per* ea quae sunt *ea quae sunt* accipere. [5] A *voluntates suas.* [6] C *facit.* [7] A *et* non aliter. [8] A *Hanc.* [9] C *nunc.* [10] A *divina.* [11] C *video.* [12] *quod fecit* om. A. [13] A *dixerim.* [14] Pro *factum ejus* A *facta.* [15] A *segregare.* [16] A *Deus sit.* [17] A *dubitaret.* [18] A *quae.* [19] A *quod.* [20] *unum* om. A. [21] C *sunt.* [22] A *ut.* [23] A *divina.* [24] *est* om. A. [25] A in seipso *est.* [26] Pro *Deum* A *dum.* [27] *ci* om. A.

hoc concesserim. MAG. Quid igitur? Num et ea, quae voluit, semper habuit, et semper vidit? Clare quidem intelligis, ut reor, Deo nihil esse futurum, dum omnia tempora intra seipsum concludat, et omnia, quae in eis sunt. Omnium quippe principium et medium et finis est, et ambitus et cursus et recursus. DISC. Nihil Deo futurum esse non ambigo. MAG. Omnia itaque, quae facere voluit, in suis voluntatibus semper habuit; non enim in eo praecedit velle id, quod vult fieri : ipsius enim voluntati coaeternum est. Siquidem non exspectat fieri, quod vult, quasi futurum, cui omnia praesentia sunt, cujus voluntas [1] causa omnium est, et visio et [2] effectus et perfectio. Fit enim, nulla mora interposita, quod videt faciendum. At si voluntas ejus visio ejus est, et visio voluntas, omne, quod vult fieri [3], subtracto omni intervallo fit. At [4] si omne, quod vult fieri, et faciendum videt, et non extra se est, quod vult et videt, sed in se, nihilque in ipso est, quod ipse non sit, sequitur, ut [5] omne, quod videt et vult, coaeternum ei [6] intelligatur, si voluntas illius et visio et essentia unum est. DISC. Cogis jam nos fateri, omnia, quaecunque aeterna et facta dicuntur, Deum esse. Si enim divina voluntas divinaque visio essentialis est et aeterna, et non aliud est ei [7] esse, aliud velle, aliud videre, sed unum et id ipsum superessentiale, et omne, quodcunque intra voluntatem et visionem suam [8] comprehendit, non aliud praeter ipsum ratio sinit intelligi; simplex siquidem natura intra se non patitur esse, quod ipsa non sit : restat sine ulla controversia, unum Deum omnia in omnibus esse fateri. Et si ita est, de aeternitate omnium, quae in Deo sunt, imo etiam quae Deus sunt, nemo pie philosophantium debet ignorare. Adhuc tamen non satis video, quomodo divina natura, extra quam nihil est, et intra quam subsistunt omnia, nihil intra se recipit esse, quod sibi coessentiale non sit. MAG. De eo, quod nulla natura subsistat praeter Deum et creaturam, non dubitare te crediderim, imo etiam satis videre te [9] video. Nam quod dixisti de divina natura, extra quam nihil est, ita intelligis, ut arbitror, creatricem quidem naturam nihil extra se sinere, quia extra eam [10] nihil potest esse; totum vero, quod creavit, et creat, intra seipsam continere; ita tamen, ut aliud sit ipsa, quia superessentialis est, et aliud, quod in se creat [11]. Nam seipsum creare non tibi verisimile videtur. DISC. Totam conceptionem cogitationis meae de Deo et creatura perspexisti. Firmiter enim atque inconcusse teneo, nullam naturam vel creatam vel non creatam [12] extra Deum subsistere, et nullo modo esse ; omne vero, quod subsistit, sive creatum, sive non creatum, intra ipsum contineri. Ac per hoc totius universitatis plenitudinem his

A veluti duabus partibus concludi, hoc est, Deo et creatura, hactenus tenebam. Sed nunc iterum fides mea videtur nutare, praedictis ratiocinationibus infirmata. MAG. Fidem tuam stabilitam esse, veraque [13] ratione munitam [14] video, saltem in hoc, extra Deum nihil esse credens. DISC. Ita, ut dicis; illud enim purissime contemplor. MAG. Diligentius itaque et perspicacius mentis aciem circa ea, quae intra Deum esse credis, circumfer. DISC. [15] Intra Deum nihil aliud esse sentio praeter seipsum et ab ipso [16] conditam creaturam. MAG. In Deo ergo vides, quod Deus non est. DISC. Video, ex Deo tamen creatum. MAG. Quid itaque tibi videtur? Num Deus omnia, quae fecit, antequam fierent, vidit? DISC. Eum vidisse omnia, quae voluit facere, priusquam fierent, existimarim. MAG. Ea ergo vidit, quae facere voluit, et non alia vidit, nisi ea, quae fecit, et ea, quae fecit, priusquam faceret, vidit. DISC. Ita teneo. MAG. Dic, quaeso, quae sunt illa, quae Deus, antequam [17] fierent, vidit? Quomodo enim creaturam vidit, quae adhuc non erat facta? Et si [18] nec aliud praeter creaturam vidit, omne enim, quod est, aut Deus aut creatura est : quid vidit [19]? Proinde aut [20] seipsum vidit, antequam faceret omne, quod fecit, aut creaturam vidit, quae adhuc non est creata. Quomodo autem vidit, quod adhuc non erat? Si vero [21] erat, et ideo visum est, quia erat, profecto erat ante creaturam, quod creatura non erat. Si autem solus Deus et sibi coessentiale [22] ante omnem creaturam sinitur esse, non [23] aliud praecessit creaturam, quod Deus videret, antequam faceret creaturam, nisi aut ipse, aut aeterna in se et coaeterna sibi natura [24]. Confectum est autem [25] inter nos, Deum vidisse, quae facienda erant; non enim ignorans fecit aut non praevidens, quod facere voluit. DISC. Septum me undique video, nullamque fugiendi viam remanere. Nam si dixero, Deum in seipso vidisse, quae facienda erant, cogor fateri, seipsum vidisse, quia adhuc non erat creatura, quam videret, nec aliud erat ante omnem creaturam, quod praeter seipsum videre posset [26]. Ac per hoc si omnia, quae facienda erant, in seipso vidit, priusquam fierent, necessario seipsum vidisse vera docebit ratio, et ipse erit omnia, quae fecit. Si ea, quae vidit, in seipso fecit, et erit factor et factura. Si autem dixero, creaturam vidit faciendam, priusquam fieret, dicturus eris : erat ergo creatura, antequam fieret. Si enim Deus vidit eam [27], antequam fieret [28], illud vere substantialiter erat, quod Deus in ea vidit, priusquam fieret. Non enim Deus vidit [29] falsa, dum sit incommutabilis veritas, et omne, quod in ea est, verum et incommutabile est. Et si Deus in seipso vidit creaturam, priusquam fieret, semper vidit, quod vidit. Non enim accidit ei

B C D

VARIAE LECTIONES.

[1] C *voluntatis*. [2] *et* om. A. [3] *fieri* om. A. [4] A *Ac*. [5] A *quod*. [6] C *et*. [7] *ei* om. C. [8] *suam* om. A. [9] A *te videre*. [10] A *eum*. [11] A *creavit*. [12] C *naturam non creatam vel creatam*. [13] *veraque* om. C. [14] A munitam *esse* video. [15] *intra Deum — circumfer* DISC. om. C. [16] A *eo*. [17] A *priusquam*. [18] *si* om. A. [19] *quid vidit* om. A [20] *aut* om. A. [21] A *in co*. [22] Sic C; A *coessentiali*. [23] A *nil*. [24] A *creatura*. [25] A *enim*. [26] A *possit* [27] Corr., A *ea*. [28] *Si enim Deus — fieret* om. C. [29] C *videt*.

videre, quod vidit, quando non aliud est ei esse et aliud videre. Ipsius [1] namque simplex natura est. Si autem semper vidit, quod vidit, semper erat, quod vidit, ac per hoc aeternum esse necesse est, quod vidit. Et si creaturam vidit, quae adhuc non erat, et erat, quod vidit; omne enim, quod Deus videt [2], verum et aeternum est: nil aliud relinquitur, nisi ut intelligamus, creaturam fuisse in Deo, priusquam fieret in se ipsa; duplexque de creatura dabitur intellectus, unus quidem [3] considerat aeternitatem ipsius in divina cognitione, in qua omnia vere et substantialiter permanent, alter [4] temporalem conditionem ipsius, veluti postmodum in seipsa. Et si [5] ita est, rationis consequentia compellit, unum e duobus eligere, ut aut eandem creaturam meliorem seipsa, aut inferiorem dicamus: meliorem quidem, quantum in Deo aeternaliter subsistit [6]; inferiorem vero, quantum in seipsa creata est; et creatio illius non in Deo, sed veluti extra Deum in seipsa aestimabitur, et erit contrarium Scripturae, quae dicit: *Omnia in sapientia fecisti:* aut non eandem naturam esse, quae aeternaliter in cognitione Dei erat, et quae veluti postmodum in seipsa condita est. Ac per hoc non ea, quae facta sunt, antequam fierent, vidit, sed ea solummodo, quae aeterna sunt, in seipso vidit. Et si quis hoc dederit, catholicae fidelium professioni videbitur resistere. Sancta siquidem sophia non alia [7] profitetur Deum in seipso, priusquam fierent, vidisse, et alia postmodum in seipsis fecisse, sed eadem aeternaliter visa, et aeternaliter facta, et hoc totum in Deo, et nihil extra Deum. Si autem aliud est [8] divinae bonitatis natura, et aliud, quod vidit faciendum et fecit, et in seipso vidit et fecit, divinae naturae simplicitas interrumpetur, quando aliud in ipsa intelligitur, quod ipsa non sit: quod omnino impossibile est. Si vero non aliud [9] est divina bonitas, et aliud, quod in seipsa vidit faciendum, sed una atque eadem est natura, cujus inviolabilis est simplicitas et inseparabilis unitas, profecto dabitur, omnia ubique Deum esse, et totum in toto, et factorem et factum, et videntem et visum, et tempus et locum, et essentiam omnium et substantiam, et accidens, et, ut simpliciter dicam, omne, quod vere est, et non est, superessentialis in essentiis, supersubstantialis in substantiis, super omnem creaturam creator, et intra omnem creaturam creatus, et infra omnem creaturam subsistens, a seipso esse incipiens, et per seipsum seipsum movens, et ad seipsum motus, et in seipso quiescens, per genera et species in seipso in infinitum multiplicatus, simplicitatem suae naturae non deserens, et multiplicationis suae infinitatem in seipsum revocans. In ipso enim omnia unum sunt. Mag. Nunc video, te perpure inspicere, de quibus videbaris dubitare, et ulterius non tituba- A bis [10], ut arbitror, fateri omnia et facta et aeterna esse, et omne, quod in eis vere intelligitur subsistere, nil aliud praeter ineffabilem divinae bonitatis esse naturam. Ipsa est enim [11] substantiale bonum, et nemo bonus nisi solus Deus. Restat igitur [12] de aeterna conditione omnium in Deo tractare, quantum divinae veritatis [13] radius aciem nostrae mentis in divina mysteria permiserit ascendere. Disc. Restat quidem, et jam [14] ordo disputationis exigit. Prius tamen velim te breviter colligere totum, quod de praesenti quaestione hactenus inter nos est confectum [15]. Mag. Ad purum, ut opinor, deduximus, divinam bonitatem vidisse et semper vidisse ea, quae facienda erant. Disc. Hoc peractum [16] est. Mag. Et non alia vidit et alia fecit, sed ea, quae B semper vidit facienda, fecit. Disc. Similiter datum est. Mag. Et omnia, quae semper vidit, semper fecit. Non enim in eo praecedit visio operationem, quoniam coaeterna est visioni operatio, praesertim dum non aliud ei sit videre et aliud operare, sed ipsius visio ipsius est operatio. Videt [17] enim operando, et videndo operatur. Disc. Hoc quoque assumptum est. Mag. De simplicitate divinae naturae discussum, quod non in ea vere ac proprie intelligitur, quod ab ea alienum sit et non ei coessentiale, et quoniam omnia vere ac proprie intra eam intelliguntur esse. Nil [18] enim extra eam subsistunt. Conclusum est, ipsam solam vere ac proprie in omnibus esse [19], et nihil vere ac proprie esse, quod ipsa non sit. Disc. Conclusum. Mag. Proinde non duo a seipsis distantia C debemus intelligere Deum et creaturam, sed unum et id ipsum. Nam et creatura in Deo est subsistens, et Deus in creatura mirabili et ineffabili modo creatur, seipsum manifestans, invisibilis visibilem se faciens, et incomprehensibilis comprehensibilem, et occultus apertum, et incognitus cognitum, et forma et specie carens formosum ac [20] speciosum, et superessentialis essentialem, et supernaturalis naturalem, et simplex compositum, et accidentibus liber accidentibus subjectum, et accidens, et infinitus finitum, et incircumscriptus circumscriptum, et supertemporalis temporalem, et superlocalis localem, et omnia creans in omnibus creatum, et factor omnium [21] factus in omnibus, et aeternus coepit esse, et immobilis movetur in omnia, et fit in omnibus D omnia. Neque hoc de incarnatione Verbi et inhumanatione dico, sed de summae bonitatis, quae unitas est et trinitas, ineffabili condescensione in ea, quae sunt, ut sint, imo ut ipsa in omnibus a summo usque deorsum sit, semper aeterna, semper facta, a seipsa, in seipsa, aeterna a seipsa, in seipsa facta, et dum sit aeterna, non desinit esse facta, et facta non desinit esse aeterna [22], et de seipsa seipsam facit. Non enim indiget alterius materiae, quae ipsa

VARIAE LECTIONES.

[1] C *Ipsi*. [2] C *vidit*. [3] A *qui*. [4] A alter *qui* temp. [5] A *Etsi*. [6] C *substitit*. [7] C *aliter*. [8] *est* om. A. [9] A *aliunde*. [10] C *et nec ulterius titubamus*. [11] A *enim est*. [12] A *quidem*. [13] C *virtutis*. [14] *et jam* om. C. [15] A *confectum est*. [16] A *pactum*. [17] A *vidit*. [18] A *Non*. [19] A ipsam solam *esse vere ac proprie* in omnibus. [20] A *et*. [21] A *omnium factor*. [22] *et facta non desinit esse aeterna* om. A.

non sit, in qua seipsam facit; alioquin impotens videretur, et in seipso imperfectus, si aliunde acciperet apparitionis et perfectionis suae auxilium. A seipso igitur [1] Deus accipit theophaniarum suarum, hoc est, divinarum apparitionum occasiones, quoniam *ex ipso*, *et per ipsum*, *et in ipso*, *et ad ipsum sunt omnia*. Ac [2] per hoc et ipsa materies, de qua legitur mundum fecisse, ab ipso, et in ipso est, et ipse in ea est, quantum intelligitur ea esse. Nec hoc mirum, cum hoc [3] exempla Scripturae de talibus doceant. Si enim animae Moysi et Samuelis [4], dum sint natura [5] invisibiles et incorporales, visibiles ac [6] veluti corporales non in aliqua extrinsecus assumpta materia, sed per seipsas, nulla medietate interposita, ad perpetranda mysteria non phantastice, sed veraciter aliorum mentibus, apostolorum dico et Saul, apparuerunt, quid nos prohibet tali miraculo manuductos [7] ad altiora divinae virtutis ascendere, ut intelligamus, eam et super [8] omnia esse, et in omnibus fieri, non aliunde accipientem [9], ut diximus, materiem, aut de nihilo facientem [10], in qua fit et manifestam se facit. Satis de virtute seminum disputatum est, quae dum per seipsam invisibilis et incomprehensibilis sit, in infinitas formas ac [11] species seipsam multiplicat, sensibusque corporeis succumbit; quae omnem mentis aciem, dum quaeritur, effugit. Proinde nullus locus conceditur nihilo illi, hoc est, privationi totius habitudinis atque essentiae, de quo omnia putantur ab his, qui minus intelligunt, facta fuisse, nescientes, quid eo nomine sancta significat Theologia.

18. Disc. Miror, quomodo, quae nunc a te dicta sunt, quamvis multis invia, et ab his, qui philosophari videntur, remota, verissima tamen esse vera proclamat ratio. Et auctoritas sacrae Scripturae idipsum, dum intentius consideratur, suadet et praedicat; dicit enim: *In principio fecit Deus caelum et terram*, hoc est, Deus Pater in Deo Filio universitatem totius creaturae visibilis et invisibilis condidit. Et quid [12] in principio de se genito [13], in Verbo suo, in Filio suo [14] sapientia sua [15] Pater conderet, quod ipse Filius non esset? Alioquin non in ipso condiderit, sed extra ipsum, quod aliunde accepit, aut de nihilo fecit. Aut quomodo pateretur, fieri in se Verbum, quod sibi consubstantiale non esset? Non enim lux sinit in se tenebras aliunde acceptas [16], nec veritas recipit in se figmentum [17]. Non autem potest esse verum, quod non erat semper aeternum; aeternum autem non est, quod ex privatione totius aeternitatis atque essentiae factum est. Aut quid aliud faceret Pater in sua sapientia, nisi ipsam sapientiam? Ait enim Propheta: *Omnia in sapientia fecisti*. Vim verborum intuere. Numquid [18] quasi in aliquo loco, seu spatio, quoddam aedificium fecit Deus in sua sapientia, non ut ipsa substantialiter fieret omnia, sed solummodo [19] contineret omnia, et quasi aliud in alio, in sapientia fierent omnia? Non sic docet ratio, sed sic: *Omnia in sapientia fecisti*, hoc est, sapientiam tuam omnia fecisti. Nam et sol iste visibilis, dum per seipsum simplex ignis sit, nullamque compositionem ab his, quae sibi consubstantialia non sunt, recipiat, omnium tamen sensibilium naturam in se continet et comprehendit, non ut aliud praeter se ipsum in se contineat, sed ipse substantialiter est omne, quod omnia in se continet [20]; omnium namque visibilium substantia in ipso est creata. Non enim omnia corpora, in quibus flagrat, veluti in alimonia sua consumeret, si non prius eorum subsistentiae occasiones praestaret. Solem nunc dico ipsam incomprehensibilem virtutem, quae diffunditur per totum hunc visibilem mundum, quae propterea ignis dicitur, quia intus in omnibus agit, cujus fons maximus est corpus illud aethereum, solis nomine appellatum, in quo, et per quod manifestissimas operationis suae virtutes manifestat, lucem dico, et calorem. Cetera vero omnia corpora, quae nascuntur in mundo et nutriuntur, occultatissimis [21] suis operationibus administrat, et fit [22] ubique totus [23], et de se ipso, in se ipso, in omnibus factus, erumpens in omnia visibiliter, consumens omnia in se ipsum invisibiliter [24]. Hinc non immerito dicit Scriptura: *Gyrans gyrando vadit Spiritus, et in locum suum revertitur*. Spiritus enim igneus eximia suae naturae subtilitate lustrat omnia, et fit in omnibus omnia, et in se ipsum revertitur [25], quoniam omnium visibilium fons substantialis et origo est. Ideoque a Graecis φοιτῶν [26] appellatur, hoc est revertens; lustratis siquidem omnibus et visibiliter et invisibiliter mundanis corporibus in se ipsum redit, et in se ipsum omnia revocat, quae ab ipso principium generationis suae accipiunt. Hinc [27] etiam sancti Theologi superessentialem divinam et informem essentiam, ut ait S. Dionysius, in igne saepe describunt [28], tanquam habente multas divinae, si fas dicere, proprietatis, quantum in visibilibus, imagines [29].

19. Quid autem eo nomine, quod est [30] nihilum, sancta significat Theologia, explanari a te peto. Mag. Ineffabilem et incomprehensibilem divinae bonitatis inaccessibilemque claritatem omnibus intellectibus sive humanis, sive angelicis incognitam — superessentialis est enim et supernaturalis — eo nomine significatam crediderim, quae dum per se ipsam cogitatur, neque est, neque erat, neque erit. In nullo enim intelligitur existentium, quia superat omnia;

VARIAE LECTIONES.

[1] A *igitur ipso*. [2] A *At*. [3] A *nos*. [4] A *Samuel*, C *Samuhelis*. [5] A *natura sunt*. [6] A *et*. [7] C *manuducti*. [8] A *supra*. [9] C *accipiens*. [10] C *faciens*. [11] A *et*. [12] A *quod*. [13] Pro *de se genito* A *suo*. [14] A *suo unigenito*. [15] *sapientia sua* om. A. [16] *aliunde acceptas* om. A. [17] Pro *figmentum* C *nisi verum*. [18] A *nam quid*. [19] A *solum*. [20] *sed ipse — continet* C ad marg. adscr. [21] Gale corr. *occultatissimus*. [22] Conj., Gale corr. *sit*; C *sit*. [23] C *totius*. [24] C *visibiliter*. [25] *Spiritus enim igneus — revertitur* om. C. [26] Conj., AC φοιτον. [27] Sic C; A *nunc*. [28] A *describant*. [29] Conj., C *quantum invisibilibus imaginibus*, A corr. *quantum invisibilibus imagines*. [30] *est* om. C.

dum [1] vero per condescensionem quandam ineffabilem in ea, quae sunt, mentis [2] obtutibus inspicitur, ipsa sola in omnibus invenitur [3] esse, et est, et erat, et erit. Dum ergo incomprehensibilis intelligitur, per excellentiam nihilum non immerito vocitatur. At vero in suis theophaniis incipiens apparere, veluti ex nihilo in [4] aliquid dicitur procedere, et quae proprie supra omnem essentiam existimatur, proprie quoque in omni essentia cognoscitur, ideoque omnis visibilis et invisibilis creatura theophania, id est, divina apparitio potest appellari. Omnis siquidem ordo naturarum a summo usque deorsum, hoc est, ex caelestibus essentiis usque ad extrema mundi hujus visibilis corpora [5], in quantum occultius [6] intelligitur, in tantum divinae claritati appropinquare videtur. Proinde a theologia caelestium virtutum inaccessibilis claritas saepe nominatur tenebrositas. Nec mirum, cum et ipsa summa sapientia, cui appropinquant, saepissime tenebrarum vocabulo significetur. Audi Psalmistam : *Quia sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus.* Ac si aperte diceret : Tantus est divinae bonitatis splendor, ut non immerito volentibus eum contemplari, et non valentibus vertatur in tenebras. Solus enim, ut ait Apostolus, *inaccessibilem possidet lucem.* In quantum vero longius ordo rerum deorsum descendit, in tantum contemplantium obtutibus manifestius se aperit. Ideoque [7] formae ac species rerum sensibilium manifestissimarum theophaniarum [8] nomen accipiunt. Divina igitur bonitas, quae propterea nihilum dicitur, quoniam ultra omnia, quae sunt et quae non sunt, in nulla essentia invenitur, ex negatione omnium essentiarum in affirmationem totius universitatis essentiae a se ipsa in se ipsam descendit, veluti ex nihilo in aliquid, ex inessentialitate in essentialitatem, ex informitate in formas innumerabiles et species. Prima [9] siquidem ipsius progressio in primordiales causas [10], in quibus fit, veluti informis quaedam materia a Scriptura dicitur; materia quidem, quia initium est [11] essentiae rerum, informis vero, quia informitati divinae sapientiae proxima est. Divina autem sapientia informis recte [12] dicitur, quia ad nullam formam superiorem se ad formationem suam convertitur; est enim omnium formarum infinitum exemplar; et dum descendit in diversas visibilium et invisibilium formas, ad se ipsam veluti ad formationem suam respicit. Proinde divina bonitas super omnia considerata dicitur non esse, et omnino nihil esse, in omnibus vero et est [13] et dicitur esse, quoniam totius universitatis essentia est, et substantia, et genus, et species, et qualitas, et quantitas [14], et omnium copula, et situs, et habitus, et locus, et tempus, et actio, et passio, et omne, quodcunque in

A omni creatura et circa omnem creaturam a qualicunque intellectu potest intelligi. Et quisquis intentus sancti Dionysii verba inspexerit, haec ita se habere inveniet. Ex quibus nunc pauca inserere non incongruum videtur, et quae in prioribus nostrae sermocinationis processionibus ex ipso accepimus, iterum repetere [15] necessarium judicamus. *Age,* inquit, *optimum ut vere, et existentium omnium substantificum laudemus* ON, sic enim ipse Dionysius [16] vocat Deum, *totius esse secundum virtutem superessentialem est substituens causa, et Creator existentis subsistentiae, substantiae, essentiae, naturae, principium et mensura seculorum et temporum, essentialitas; et : aeternitas existentium, tempus* [17] *factorum, esse utcunque factis ex eo, quod* [18] *est aeternum, et essentia,* B *et ὄν, et tempus, et generatio, et factum, in existenti essentialitas, et utcunque subsistentia et substantia. Etenim Deus non dum est ὄν, sed simpliciter et incircumfinite totum in se ipso coambiens, proinde et rex dicitur seculorum* [19], *tanquam in semetipso* [20], *et circa seipsum totius esse et* [21] *existentis substitutor. Et neque erat, neque erit, neque factus est, neque fit, neque fiet, magis autem neque est, sed ipse est esse existentibus, et non existentia solum, sed idipsum* [22] *esse existentium ex ante aeternaliter existente. Ipse enim est seculum seculorum, subsistens ante secula, quia omnibus existentibus et seculis esse ex providente est, et omne quidem seculum et tempus ex ipso totius seculi, et temporis, et omnis utcunque existentis, qui est ante omnia* [23] *ὄν, principium et causa, et omnia ipsum parti-* C *cipant, et a nullo existentium recedit, et ipse est ante omnia, et omnia in se constituit; et simpliciter si quid* [24] *utcunque est in ante existente, et est, et intelligitur, et salvatur.* Et paulo post primordialium causarum explanationem addit, dicens : *Esse autem ipsum existentibus omnibus nunquam deseritur, ipsum vero esse ex ante existente, et ab ipso est esse, et principium, et mensura ante essentiam* ON, *et non ipse esse, et cum habet esse, et ὄν, et existentis, et seculi, et omnium substantificum principium, et medietas, et consummatio. Et propterea ab eloquiis ipse vere ante ὄν juxta omnem existentium intelligentiam multiplicatur. Et quod erat in ipso, et quod est, et quod erit, et quod factum est, et fit, et fiet, proprie laudatur. Haec enim omnia divinitus intelligentibus secundum* D *omnem* [25] *excogitationem ipsum superessentialiter esse significant, et ubique existentium causalem. Etenim neque quidem est hoc, hoc autem non est, neque ibi quidem est, ibi autem non est; sed omnia est, et causalis omnium, et in ipso omnia principia, omnes conclusiones, omnia existentia coambiens, et perhibens* [26], *et super omnia est, ut ante omnia superessentialiter super ὄν.*

20. Quisquis horum verborum virtutem perspexe-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *cum.* [2] Pro *mentis* A *multis.* [3] A *invenitur in omnibus.* [4] *in* om. A. [5] *corpora* om. A. [6] A *occultus.* [7] A *Ideo.* [8] A *manifestissimam theophaniam.* [9] *in essentialitatem — Prima* om. A. [10] Pro *primordiales causas* A *ea.* [11] A *est initium.* [12] *recte* om. A. [13] Pro *et est* A *esse.* [14] A *et quantitas et qualitas.* [15] A *recipere.* [16] *ipse Dionysius* om. A. [17] A *temporum.* [18] C *qui.* [19] A *seculorum dicitur.* [20] A *se ipso.* [21] *et* om. C. [22] A *ipsum.* [23] *omnia* om. A. [24] A *si quis.* [25] C *omnium.* [26] C *praehabens.*

rit, nil aliud reperiet suadere, immo etiam [1] pronunciare, nisi ipsum Deum omnium factorem esse, et in omnibus factum; et dum super omnia quaeritur, in nulla essentia invenitur [2]; nondum enim est esse; dum vero in omnibus intelligitur, nil in eis nisi solus ipse subsistit. Et neque est hoc, ut ait ille, hoc autem non est, sed omnia est. Proinde ex superessentialitate suae naturae, in qua dicitur non esse, primum descendens, in primordialibus causis [3] a se ipso creatur, et fit principium omnis essentiae, omnis vitae, omnis intelligentiae, et omnium, quae in primordialibus causis gnostica considerat [4] theoria. Deinde ex primordialibus causis, quae medietatem quandam inter Deum et creaturam obtinent, hoc est, inter illam ineffabilem superessentialitatem super omnem intellectum, et manifestam substantialiter naturam puris animis conspicuam descendens in effectibus ipsarum fit, et manifeste in theophaniis suis aperitur. Deinde per multiplices effectuum formas, usque ad extremum totius naturae ordinem, quo corpora continentur, procedit. Ac sic ordinate in omnia proveniens facit omnia, et fit in omnibus omnia, et in se ipsum redit, revocans in se omnia, et dum in omnibus fit, super omnia esse non desinit. Ac sic [5] de nihilo facit omnia, de sua videlicet [6] superessentialitate producit essentias, de supervitalitate vitas, de superintellectualitate intellectus, de negatione omnium, quae sunt et quae non sunt, affirmationes omnium, quae sunt et quae non sunt. Et hoc manifestissime docet omnium reditus in causam, ex qua processerunt, quando omnia revertentur [7] in Deum, sicut aer in lucem, quando erit *Deus omnia in omnibus;* non quod etiam nunc non sit *Deus omnia in omnibus*, sed quod post praevaricationem humanae naturae, et expulsionem de sede paradisi, hoc est, de altitudine spiritualis vitae, et ex cognitione clarissimae sapientiae, in profundissimas ignorantiae tenebras detrusae, nemo nisi divina gratia illuminatur [8], et in divinorum mysteriorum altitudinem [9] cum Paulo raptus, quomodo Deus omnia in omnibus est, verae intelligentiae contuitu potest perspicere, nube carnalium cogitationum, vanarumque [10] phantasiarum caligine interposita, mentisque acie irrationalibus passionibus infirmata, et ex splendoribus perspicuae [11] veritatis repercussa, consuetisque corporalibus umbris contenta. Non enim credendum est de caelestibus essentiis, quae nunquam aeternae beatitudinis statum deseruere, aliud aliquid in universa creatura praeter [12] ipsum Deum cognoscere, siquidem in Deo, et in primordialibus causis super omnem sensum et intellectum omnia perspiciunt, omnibus naturae operibus ad cognoscendam veritatem non indigentes, sola autem ineffabili gratia aeterni luminis fruentes. Ad quam visionem humanam naturam reducere Dei Verbum incarnatum descendit, ipsam prius lapsam, quam ad pristinum statum revocaret, accipiens, delictorum vulnera sanans, falsarum phantasiarum umbras extinguens, oculos mentis aperiens, seipsum in omnibus his, qui digni sunt tali visione, manifestans. Disc. Haec ardua valde sunt, et a sensibus corporalia et visibilia cogitantium remota; his vero, qui super visibilia, et temporalia [13] spiritualiter in cognitionem veritatis ascendunt, verissime et dulcissime clarescunt. Quis enim carnaliter viventium, claramque [14] sapientiae lucem cernere nolentium, talia audiens, non continuo erumpat, et clamet [15]: Insaniunt, qui haec dicunt. Quomodo enim supra omnia Deus invisibilis, incorporalis, incorruptibilis, potest a seipso descendere, et se ipsum in omnibus creare, ut sit omnia in omnibus, et usque ad extremas hujus mundi visibiles turpitudines et corruptiones, vilissimasque formas et species procedere, ut ipse etiam in eis sit, si omnia in omnibus est! Ignorans, qui haec [16] dicit, nullam turpitudinem in universitate totius creaturae posse esse, nullam malitiam ei nocere, nullo errore falli vel seduci. Quod enim partim [17] contingit, in toto fieri Deus non sinit, cujus universitatis nec [18] turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Turpiter quidem et maligne [19] viventibus, et a veritate errantibus turpia honesta, mala bona, errantia recta, prava justa putantur esse. Quorum turpitudine, et malitia, et errore sublatis, omnia pie intelligentibus pura, perfecta, impolluta, valde bona, omni errore carentia remanent. Et non cogitans, quod sacra pronunciat Scriptura: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum*, dati quidem vocabulo omnium rerum substantiales constitutiones, doni vero virtutes, quibus ornatur universa natura, declarans Et hoc totum [20], substantia videlicet et virtus, de sursum descendit a Patre luminum, hoc est, ex fonte omnium bonorum, Deo, qui in omnia, quae sunt et quae non sunt, profluens, in omnibus fit, sine quo nihil esse potest. Sed, ut opinor, satis de nihilo, de quo omnia Deus [21] fecit, actum est. Mac. Sat profecto; sed cursim repetendo. Neque haec dicimus illorum sensum refutantes, qui de nihilo, quo totius habitudinis privatio significatur, Deum omnia [22] fecisse arbitrantur, non autem de nihilo, quo superessentialitas et supernaturalitas divinae bonitatis a Theologis innuitur. In Theologicis siquidem regulis ad investigandam divinae naturae sublimitatem et incomprehensibilitatem plus negationis, quam affirmationis virtus valet. Quam si quis intentus inspexerit, non mirabitur, eo vocabulo,

VARIAE LECTIONES.

[1] *etiam* om. A. [2] A *invenitur essentia.* [3] *causis* om. A. [4] A *considerat gnostica.* [5] *sic* om. A. [6] A *scilicet.* [7] C *convertentur.* [8] Sic AC; f. illuminatus? [9] A *altitudine.* [10] C *variarumque.* [11] Em., A *perspicue.* [12] C *propter.* [13] A *corporalia.* [14] C *datamque.* [15] A *proclamet.* [16] *haec* om. A. [17] A *partim*, C *parti*; f. parti? [18] A *nec universitatis.* [19] *et maligne* om. A. [20] *totum* om. A. [21] A *Deus omnia* [22] A *omnium.*

quod est nihilum, saepe in Scripturis ipsum Deum vocari. DISC. Nec ego [1] miror, cognoscens, plus negationes, quam affirmationes divinae cognitioni, teste sancto Dionysio, coaptari posse. MAG. Non negabis [2], ut opinor, cuncta, quae de nihilo facta esse Scriptura testatur, unam quandam naturam communem omnibus, cujus participatione subsistunt, secundum uniuscujusque proportionem possidere. DISC. Hoc negare risu est dignum. Credimus namque et intelligimus, Deum simul et semel communem omnium rerum naturam creasse, ex cujus participatione fiunt [3] omnia. MAG. Putasne illam naturam de nihilo esse factam? DISC. Non solum puto, verum etiam firmiter teneo, non aliunde nisi de nihilo productam. MAG. Defini illam naturam, quid sit. DISC. Non possum. Res enim adhuc infinita omniumque communis, nec certis formis adhuc distincta vel speciebus, quomodo definiri possit, non video

21. MAG. Quid? Si quis summae sanctaeque auctoritatis tibi suaderet, illam naturam non aliud esse praeter Dei Verbum, dixissesne eam de nihilo factam esse [4]? De illo nihilo dico, quod privationem totius essentiae et substantiae et qualitatis significat. DISC. Nequaquam. Quis enim dixerit, Dei Verbum de nihilo esse factum, dum sit omnium [5] de nihilo faciens? Sed [6] quis ille, qui Verbum Dei naturam omnium esse non timuit dicere? MAG. Audi sanctum Basilium in octava Homilia in Genesin: *Neque enim, inquit, quando audivit terra: germinet herbam foeni, et lignum fructiferum, occultum habens foenum produxit, neque palmam, aut quercum, aut cypressum ante conspectum visceribus suis occulta eduxit in superficiem, sed Divinum verbum natura est eorum, quae facta sunt. Producat: non, quod habet, depromat, sed quod non habet, creet* [7], *Deo donante operationis virtutem.* Intende, quam fiducialiter pronunciavit, naturam omnium, quae facta sunt, Dei Verbum esse. Ac [8] nulla tibi suspicio subrepat existimandi, quod aliud sit Dei Verbum, aliud ejus praeceptum. Id ipsum namque in eo et esse est [9], et omnia esse jubere; essendo enim ipsum fiunt omnia, quoniam ipsum omnia est. Et ut certius cognoscas Dei Verbum et naturam omnium esse, et consubstantialem Patri ante omnia et [10] in omnibus, quae in eo facta sunt, creatum, audi Ecclesiasten: *Sapientiam Dei*, inquit, *praecedentem* [11] *omnia quis investigavit?* Ecce [12] coaeternitatem Patri et coessentialitatem [13]. Et continuo sequitur: *Primo omnium creata est sapientia.* Ecce in creaturis factum. Audi Evangelium: *Quod factum est in ipso, vita erat.* Nam quod alibi in Salomone legitur: *Dominus creavit me in initio viarum suarum*, alii de incarnatione Verbi, alii de nativitate ejus ex Patre accipiunt, quorum sensus credibilior mihi videtur.

22. De his autem, qui de eo nihilo, quod totius essentiae negationem significat vel habitudinis ejus privationem, mundum factum fuisse arbitrantur, quid dicam, ignoro. Non enim video, quare non considerant oppositorum naturam. Siquidem privatio non potest esse, ubi non est habitus essentiae [14]. Privatio namque habitudinis est privatio; ac per hoc, ubi non praecedit habitus, non sequitur privatio. Quomodo ergo [15] dicunt, de privatione mundum [16] factum esse [17]? Si enim hoc verum esset, constaret, ipsum mundum habitudinem quandam habuisse, priusquam fieret. At si sic, quomodo habitudinis suae privationem pateretur, dum jam non erat, aut, si erat, non de privatione sui erat? Si vero nullo modo erat, priusquam fieret, omni habitudine caruisse nemo [18] sapientum dubitat. At si omni habitudine caruit, quomodo de privatione habitudinis suae fieri potuit [19], quam nunquam habuit? Eadem est ratio de essentiae negatione. Est enim negatio rei existentis vel fieri valentis perfecta absentia. Absentia namque est rei cujusdam praesentis, vel praesens fieri valentis, a sensibus ablatio [20]. Si ergo mundus de absentia factus est, praecessit aliqua natura, cujus habitudinis privatio vel essentiae [21] absentia condendi mundi occasio facta est. Et ipsa natura aut Deus, aut creatura erat. Et si Deus, cogentur fateri, ex Divinae naturae privatione habitudinis vel essentiae absentia mundum factum fuisse. Si vero creatura, necessario visibilis, aut invisibilis erit. Si visibilis, alium mundum visibilem praecessisse debemus credere; si invisibilis, qua ratione cogimur concedere, de invisibilis naturae absentia mundum istum factum fuisse [22], aut eam [23] penitus mundum praecessisse? Si vero universitatem totius visibilis et invisibilis naturae de nihilo factam esse vera docet ratio, nullamque naturam praeter ipsum Deum praecessisse [24], quomodo de absentia vel privatione rerum, quae nunquam erant, mundus factus est, non intelligo. Si vero quis dixerit, neque privationem habitudinis, neque absentiam alicujus essentiae [25] nihil [26] nomine significari, sed universalem totius habitudinis, et essentiae, vel substantiae, vel accidentis, et simpliciter omnium, quae dici et intelligi possunt, negationem, concludetur sic: eo igitur [27] vocabulo Deum vocari necesse est, qui solus negatione omnium, quae sunt, proprie innuitur, quia super omne, quod dicitur et intelligitur, exaltatur, qui nullum eorum, quae sunt et quae non

VARIAE LECTIONES.

[1] C *Haec ergo* miror. [2] C *negaris* [3] A *sunt.* [4] A *esse factam.* Sic AC. [6] A *At.* [7] A *creat.* [8] A *ut.* [9] Corr., A *est et esse*, C *esse et est.* [10] *et* om. A. [11] C *sapientia — praecedente.* [12] C *et.* [13] A *coessentialem.* [14] *essentiae* om. A. [15] *igitur.* [16] A *dicunt mundum privatione.* [17] *esse* om. A. [18] A *nullus.* [19] C *potueri*, [20] *Absentia namque — ablatio* om. C. [21] *habitudinis privatio vel essentiae* om. A. [22] *Si vero creatura — factum fuisse* om. C. [23] C *etiam.* [24] *Si vero universitatem — praecessisse* om. A. [25] A *praesen* ... *ihilo.* [27] A *ergo.*

sunt, est, qui melius nesciendo scitur. Ac per hoc inter nos et illum, qui videbamur [1] dissentire, conveniet. Si autem responderit: neque illam negationem dico nihilo significari, qua negatur Deus esse quid eorum, quae sunt, sed illam, quae negat Deum et creaturam; necessario fatebitur, quod negari conabatur, hoc est, de negatione vel [2] privatione Dei [3] et creaturae mundum factum fuisse. Mundus siquidem de materia informi factus est; materia informis de omnino nihilo; ac per hoc et mundus de omnino nihilo. Non enim, ut opinor, audebit dicere, omne quod est, aut Deus [4], aut creatura est, aut [5] nec Deus, nec creatura; nam si dixerit, inter eos, qui dicunt materiam Deo coaeternam esse, computabitur, de qua Deus mundum fecisse ab iis putabatur. At si omne, quod est, aut Deus, aut creatura est, et nemo sanum [6] sapiens aestimarit [7] mundum de negatione Dei et creaturae factum, relinquitur sola illa negatio ad causam mundi faciendi, quae ablatione totius creaturae, super omne, quod dicitur et intelligitur, Deum exaltans, nihil eorum, quae sunt et quae non sunt, eum esse pronuntiat. Est enim maximum de hac ratione argumentum. Si duo quaedam sunt, Deus et creatura, aut ab uno principio sunt, ac per hoc ejusdem naturae — non enim ex principio uno nascuntur contraria secundum naturam; sui namque principii naturam attrahunt — aut per se duo principia sunt sibimet [8] adversa. Nam sicut substantialia non sunt duo, sed unum. Si autem Deus et creatura non sunt duo, sed unum et unum; aut aequalia sunt, et nullum ex altero. Si enim duo, ex uno nasci necesse est. Si autem Deus ex nullo, creatura vero ex Deo, erit unum ex altero et non sunt [9] aequalia; unum namque ab aequali sibi uno non gignitur. At si creatura ex Deo erit, erit Deus causa, creatura autem [10] effectus. Si autem nil aliud [11] est effectus, nisi [12] causa facta, sequitur, Deum causam [13] in effectibus suis fieri; non enim ex causa in effectus suos procedit, quod a sui natura alienum sit, siquidem in calorem, et in [14] lucem nil aliud nisi ipsa vis ignea erumpit. Si autem quis dixerit, unum aequale sibi unum gignit; nam et Deus Pater, dum sit unum, aequale sibi unum, Deum [15] Filium, gignit: cognoscat se nimium errare. Summa siquidem sanctaque Trinitas non est unum et unum et unum, sed simplex et individuum unum in tribus inseparabilibus substantiis, et illud unum multiplex virtute est, non numero, et non aliquod [16] unum est, sed universaliter et infinite unum, et super omne unum, quod dici vel intelligi potest, unus [17] ergo ab uno, non unum ab uno, Filius a Patre. Sed contra eos [18], qui talia dogmatizant, nunc nobis sermo non est; hoc tantum proposuimus, quantum vires suppetebant investigare, quid eo nomine, quod est nihilum, de quo Deus

A creditur fecisse mundum, significatur. Quisquis de constitutione mundi rationem reddere desiderat, suis sequacibus eligat, quid suadeat; nos autem nostrae ratiocinationis iter teneamus, et quoniam propemodum inter nos est confectum [19], omnia ex Deo, et Deum in omnibus esse, et non aliunde nisi ex ipso facta esse, quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso facta sunt omnia, quomodo quadripertita totius naturae discretio Deo conveniat, plane ac breviter recapitules, flagito.

23. In disputationibus namque, et maxime de obscuris rebus [20] multum valet ἀνακεφαλαίωσις, hoc est, recapitulatio; breviter enim aperteque praedicta omnia in memoriam revocat, mentisque obtutibus cuncta, quae acta sunt, simul manifesta sunt. Mag. B De Deo, ut opinor, inter nos convenerat, quod totius universitatis conditae principium sit, et medium, et finis, non quod aliud ei sit esse principium, aliud medium, aliud finis; haec enim tria in ipso unum sunt; sed quod Theologicae contemplationis triplex motus sit. Aliter enim movetur intellectus sive humanus, sive angelicus, considerans principium omnium Deum esse; aliter cognoscens omnia in ipso, et per ipsum esse, veluti in quadam medietate; aliter contemplatur finem omnium in Deo esse, et Deum, quem omnia appetunt, et in quo quiescunt, et vivunt. Cui sensui favet sanctus Augustinus in libro [21] octavo de Civitate Dei, tertio capitulo, de Socrate philosopho disputans: *Nolebat*, inquit, *immundos terrenis cupiditatibus animos sese extendere in divina conari, quandoquidem ab iis causas rerum videbat inquiri, quas* C *primas atque summas non nisi in unius et* [22] *summi Dei voluntate esse credebat. Unde et* [23] *non eas putabat, nisi mundata mente posse comprehendi. Et ideo purgandae bonis moribus vitae censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus naturali vigore in aeterna se attolleret, naturamque incorporei et incommutabilis luminis, ubi causae omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiae puritate conspiceret.* Disc. Perplane [24] convenerat, quia ratio approbat. Mag. Dum ergo de divina natura pure percipimus, quod omnium principium sit et causa; est enim ἄναρχος, et ἀναίτιος, hoc est, sine principio, et sine causa, siquidem nihil praecedit, quod ei principii, vel causae proportionem obtineat, ipsa vero omnium, quorum causa et D principium est, naturam creat: non immerito eam dicimus creatricem naturam, et non creatam; creat namque, et a nullo creari patitur. Eandem vero, divinam scilicet naturam, finem omnium esse, ultra quem nihil, et in quo omnia aeternaliter subsistunt, et universaliter Deus sunt, cognoscentes, neque creatam, neque creatricem rite vocamus; non creatam quidem, quia a nullo creatur, neque creatricem, quia

VARIAE LECTIONES.

[1] C *videbantur.* [2] *vel* om. A. [3] Pro *privatione Dei* A *privativa.* [4] A Deus *est.* [5] *aut* om. C. [6] A *sanus.* [7] A *aestimavit.* [8] A sibimet *sunt.* [9] Pro et *non sunt* A *non vero.* [10] A *vero.* [11] Pro *nil aliud* A *creatura.* [12] A *non.* [13] *causam* om. A. [14] *in* om. C. [15] *unum Deum* om. C. [16] A *aliquid.* [17] Conj., C *uno.* [18] A *illos.* [19] A *confectum est.* [20] A *rebus obscuris.* [21] *libro* om. C. [22] C *ac.* [23] *et* om. A. [24] A *Plane.*

jam desinit creare, omnibus in suas aeternas rationes, in quibus aeterniter manebunt, et manent, conversis, appellatione quoque creaturae significari desistentibus. *Deus* enim *omnia in omnibus erit*, et omnis creatura obumbrabitur, in Deum videlicet conversa, sicut astra sole oriente. Videsne ergo, qua ratione unam eandemque naturam, divinam videlicet [1], juxta considerationem principii non creatam, sed creatricem, juxta vero finis speculationem nec creatam, nec creatricem possumus appellare? Disc. Satis video, quid vis. Dic, quod restat. Mag. Rationem medietatis restare solummodo arbitror, quae duplici modo contemplatoribus suis arridet. Primo quidem, quando et creari, et creare conspicitur divina natura. Creatur enim a seipsa in [2] primordialibus causis, ac per hoc seipsam creat, hoc est, in suis theophaniis incipit apparere, ex occultissimis naturae suae finibus volens emergere, in quibus et sibi ipsi incognita, hoc est, in nullo se cognoscit, quia infinita est, et supernaturalis, et superessentialis [3], et super omne, quod potest intelligi et non potest, descendens vero in principiis rerum, ac veluti seipsam creans in [4] aliquo inchoat esse. Secundo vero, dum in extremis effectibus primordialium causarum perspicitur, in quibus creari tantummodo, non autem creare recte praedicatur. Creatur enim descendens in extremos effectus, ultra quos nil creat, ideoque dicitur creari solummodo, et [5] non creare. Non enim ultra extremos effectus descendit, quo et creari, et creare videretur. Creatur ergo et creat in primordialibus causis; in earum vero effectibus creatur, et [6] non creat. Nec immerito, quoniam in ipsis finem descensionis suae, hoc est, apparitionis suae constituit. Atque ideo omnis creatura corporalis, atque [7] visibilis, sensibusque succumbens extremum divinae naturae vestigium non incongrue solet in Scripturis appellari, quod omnis contemplativus animus, veluti quidam Moyses, ascendens in summitatem theoriae, permittitur [8] inspicere, et quod adhuc vix a sapientibus animis potest ad purum dignosci, fumigationibus terrenarum phantasiarum [9] strepitibusque [10] mutabilium, nec non coruscationibus subito nascentium, subitoque transeuntium impedientibus. Paucissimorum namque, terrenis [11] cogitationibus penitus remotorum, virtute et scientia purgatorum est [12], Deum in his visibilibus creaturis cognoscere, sicut Abraham patriarcha [13] ex conversione siderum cognovit, lege naturali duce, caeterique sancti Patres ante legem scriptam, et in lege, quemadmodum Moses in rubo et in montis cacumine. Apostoli dein post legem sub gratia cum Christo in monte per invisibilia quasi visibilia [14] symbola in divina mysteria introducti sunt. Hoc autem dico,

A quia in spiritu apostoli transformationem Domini viderunt. *Vestimenta* enim *ejus candida, sicut nix*, visibilem creaturam, in qua, et per quam Dei Verbum, quod in omnibus subsistit, intelligitur, significabant. Audi Apostolum dicentem: *Invisibilia ejus a creatione mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et* [15] *aeternitas*. Disc. Quadripertitam naturae universalis divisionem nunc clarissime video, et de Deo, et in Deo esse indubitanter intelligendum cognosco. Proinde finita hac quaestione de nihilo, et ad purum, ut opinor, deducta, ad considerationem tertiae partis universae naturae, de qua praedicatur creari solummodo, et non creare, redeundum esse censeo. Ita enim nostrum promittit propositum. Quamvis enim [16]
B quidem aliae quaestiones introductae [17] sunt, ipsa tamen principalem materiam tertio libro praestitit; ejus namque gratia diligentius investigandae incidens aliarum propositionum theoria inserta est.

24. Mag. Recte censes, tempusque postulat. Sed prius de senaria quantitate dierum intelligibilium, in qua Deus opera sua fecisse legitur, si quid promisimus, implere debemus. Breviter dicendum, partim quidem sanctorum Patrum intellectus sequentes, partim quod in animo venit ab eo, qui illuminat nostras tenebras [18], et quaerit in Scripturis suis quaeri et inveniri, non celantes. Infinitus siquidem conditor sacrae Scripturae in mentibus prophetarum, Spiritus sanctus, infinitos in ea constituit intellectus, ideoque nullius expositoris sensus sensum alterius
C aufert, dummodo ut sanae fidei catholicaeque professioni conveniat, quod quisque dicat, sive aliunde accipiens, sive a seipso, a Deo tamen illuminatus [19], inveniens. Disc. Praecede [20] quo vis ordine, meque attrahe. Te enim sequar, ut [21] sensum aliorum, seu tuum in talibus cognoscam, et quod vera ratio, quae in omnibus et [22] quaerit veritatem et invenit, edoceat, eligam; non quia jam veraces intellectus discernere a fallacibus idoneus sim [23], sed quod similiora veri [24] dissimilioribus praeponere [25] consulta veritate non temere ausim. Mag. Temere quoque et inconsiderate nil velim approbare. Primordialium itaque causarum visibilium et invisibilium simul et semel conditionem divinus propheta Moyses breviter scribens, dicendo: *In principio fecit Deus caelum et terram*; eorumque occultam in divino consilio, incom-
D prehensibilemque magnificentiam, prius quam in formas speciesque profluerent, *inanis terrae* et [26] *vacuae*, aut *invisibilis et incompositae*, *tenebrarum* quoque *super abyssum* vocabulis significans, inchoationem quoque procreationis praeconditarum causarum in effectus suos appellatione *Spiritus qui fovebat aquas*, vel *ferebatur super aquas*, insinuans, ad mysti-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *scilicet divinam*. [2] C *in* seipsa *a* primord. [3] A *superaeternalis*. [4] C *seipsam* creans *seipsam in*. [5] *et* om. A. [6] *et* om. A. [7] A *et*. [8] A *permittatur*. [9] A *phantasiarum terrenarum*. [10] A *strepitibus*. [11] A *terrenisque*. [12] *est* om. C. [13] *patriarcha* om. A. [14] A per *visibilia* symbola (*invisibilia quasi* om.) [15] *et* om. C. [16] *enim* om. C. [17] A *introductae quaestiones*. [18] A *tenebras nostras*. [19] A *illuminatus tamen a Deo*. [20] A *Procede* [21] A *vel*. [22] *et* om. A. [23] A *sum*. [24] A *vere*. [25] A *vroponere*. [26] A *aut*.

cam senarii numeri virtutem explicandam descendit, inquiens : *Et dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux.* In his autem verbis multiplex sanctorum Patrum intellectus reperitur. Quorum alii quidem angelicae, et intellectualis caelestis essentiae creationem in hoc loco sacrae Scripturae significatam esse discernunt; alii vero visibilis hujus lucis naturam, hoc est, ignem incomprehensibilem adhuc, et invisibilem creatum [1], quae [2] postmodum veluti in suis [3] fontibus emergens, in corporibus aethereis refulsit, ac veluti spatia [4] trium dierum occulto meatu abyssum superficiei terrae undique, ut aiunt, superfusam lustrando peregit. Quod autem lucis vocabulo ignea natura, adhuc invisibilis et occulta, appellata sit, nulli mirum debet videri, cognoscenti, sacram Scripturam causarum nomine effectus, et effectuum causas appellare solere. Effectus autem igneae naturae lux est. Ignea igitur natura, in primordio rerum condita, nomine lucis postmodum ab ea processurae, et adhuc in ea latentis, non incongrue appellata est, quamvis qui iam [5] primitivam lucem fulsisse continuo arbitrentur; contra quos satis a sancto Augustino est actum [6]. Quod autem sequitur : *Et vidit* [7] *Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem et tenebras noctem, et factus est vespere et mane dies unus*, de simplici laude corporeae lucis, deque temporalibus intervallis, quibus circa tellurem lux et umbra vicissitudines suas peragunt, dictum esse existimant, qui naturam lucis corporeae conditam fuisse [8] arbitrantur, quando dictum est : *Et dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux.* Nam quia in aequinoctio vernali prima mundi conditio creditur fuisse, in quo sol aequis spatiis et supra terram et sub terra [9] moratur, XII videlicet horis aequinoctialibus, propterea putant dictum esse : *Divisit Deus* [10] *lucem a tenebris.* Ac si aperte diceretur, totum unius diei spatium, quod XXIV horis peragitur, aequa partitione inter diem divisit et noctem. Qui [11] vero conditionem angelicae naturae creatione lucis significatam rectius autumant, sanctum Augustinum sequentes, divisionem [12] lucis a tenebris aut discretionem informis materiae et formatae creaturae intelligunt, ut nomine lucis perfectio formae, tenebrarum vero informitatis confusio accipiatur, aut duplicem caelestium essentiarum theoriam. Aliter namque consideratur creatura in rationibus suis aeternis in Deo, secundum quas condita est, et aliter in se ipsa sub Deo, in quantum creatura est. Et prima quidem consideratio lucis vocabulo, secunda vero tenebrarum significatur. Ut enim lux praecedit tenebras [13] dignitate, ita claritas aeternarum rationum, secundum quas omnis creatura facta est, praeA ponitur obscuritati creaturae per se ipsam consideratae. Ideoque appellavit Deus *lucem diem*, splendorem videlicet [14] divinarum rationum, *tenebras vero noctem*, hoc est, obscuriorem in se ipsa creatae naturae speciem. Quod autem sequitur, *factumque* [15] *est vespere et mane dies unus*, finem peractae operationis, et inchoationem sequentis significare voluit. Mane enim, id est, inchoatio sequentis operationis finis est praecedentis, et praecedentis terminus initium est sequentis. Ideoque dies unus vel primus finitur vespere, cujus mane, hoc est, initium in lucis conditione praecesserat. Haec breviter dicta [16] ab aliis accepimus.

25. Nos autem primordialium causarum conditionem, sive visibilium, sive invisibilium, in factura
B caeli et terrae in principio, earumque in effectus suos processiones in his verbis sacrae Scripturae: *Fiat lux* et reliqua, volentes intelligere, dicimus, creatione lucis processionem primordialium causarum in suos effectus significari. Nam si ipsas primordiales causas, propter incomprehensibilitatem naturae suae, incognitamque omni intellectui altitudinem, tenebrarum caligine, hoc est, profundae ignorantiae densitate superfusas Scriptura perhibet, cum dicitur : *Et tenebrae erant super abyssum*, quid mirum, si declaratio earum [17] in effectibus suis per formas et species lucis nomine praedicaretur per hoc: *Et dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux.* Veluti quis diceret, primordiales causas, in se ipsis [18] inconspicuas, omnemque intellectum obumbrantes, jussit
C Deus in formas perspicuas, speciesque intelligibiles et sensibiles [19] visibilium et invisibilium prodire. Non enim solus Deus, verum etiam omnium rerum principia tenebrarum vocabulo, teste S. Dionysio, solent [20] in eloquiis appellari propter incomprehensibilem infinitatem : processio vero ejus per principia in creaturas visibiles et invisibiles, suas dico theophanias, claritatis nomine meruit significari; in ipsis enim quodam modo patitur intelligi, qui omnem superat intellectum. *Fiat* ergo *lux*, inquit Deus, hoc est, procedant primordiales causae ex incomprehensibilibus naturae suae secretis in formas ac [21] species comprehensibiles, intellectibusque contemplantium se manifestas, *Et facta est lux*, Deo videlicet volente, et dicente, obscuritas primordialium
D causarum in formas ac species processit apertas [22]. *Et divisit Deus lucem* [23] *a tenebris*, hoc est, segregavit notitiam effectuum ab obscuritate suarum principalium causarum. Divisio quippe lucis a tenebris est discretio rerum per formas ac [24] species apparentium a principiis suis, in quibus omnem superant intellectum. Ideoque praedixit : *Et vidit Deus lucem, quia esset bona*, hoc est, placuit Deo, originales cau-

VARIAE LECTIONES.

[1] C *creatam.* [2] Sic C; A *qui.* [3] A *his.* [4] Sic AC; f. *spatio?* [5] A *quidem.* [6] A *actum est.* [7] A *vidit.* [8] A *esse.* [9] A aequis spatiis *supra et subtra terram* moratur. [10] *Deus* om. A. [11] A *quia.* [12] A *S. Augustini divisionem sequentes.* [13] A *tenebris.* [14] A *scilicet.* [15] C *factum* est. [16] *dicta* om. A. [17] C *illarum.* [18] A *ipsas.* [19] A *sensibilesque.* [20] Conj; AC *solet.* [21] A *et.* [22] Sic C; A *aperta.* [23] *lucem* om. A. [24] A ei

sam, ante omnem creaturam ultra omnem intellectum conditas, intellectibus sive humanis, sive angelicis luce quadam intelligentiae superfusas manifestari. *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*, hoc est, contemplantibus animis praestitit manifestationem visibilium et invisibilium per formas et species diem appellare, eorum vero in principiis suis incomprehensibilem altitudinem omnique condito intellectui incognitam vocare noctem. *Factumque est vespere et mane, dies unus.* Quamvis enim inter obscuritatem causarum, et claritatem effectuum divisio intelligatur ac [1] differentia, unus tamen idemque dies est, hoc est, unus eorum intellectus. Non enim alia creatura intelligitur in causis facta, alia in effectibus causarum condita, sed una eademque in rationibus aeternis, veluti in quibusdam tenebris secretissimae sapientiae, omnique intellectu remotae facta [2], et in processionibus rationum [3] in effectus intellectibus succumbens, veluti in quadam die perfectae notitiae manifestata. Haec [4] autem de operibus primi intelligibilis diei congrua, ut opinor, intelligentiarum proportionalitate addidi, non ut meum sensum, veluti [5] ex me ipso repertum, aliorum intellectibus velim praeferre, quod absit, sed considerans, veris contemplationibus non admodum resistere, primordialiumque causarum in effectus suos [6] profusionibus, de quibus nunc agimus, convenire. Disc. De operibus sex primorum dierum quoniam multi et graece, et latine multa exposuere, breviter et succincte nunc disputandum est. Et quod de prima luce a te dictum est, videtur mihi sufficere. Sive enim [7] conditionem hujus lucis corporeae substantialiter in igne, ut S. Basilio videtur, sive caelestium virtutum formationem [8], ut S. Augustino, sive primordialium causarum in effectus suos generalem processionem significet [9], qualemcunque horum intellectuum quis obtinuerit, non longe a veritate distabit.

26. Mag. Transeamus igitur [10] ad secundi diei considerationem [11]. Ac prius dicendum [12], quod de allegoricis intellectibus moralium interpretationum nulla nunc nobis intentio est, sed de sola rerum factarum creatione secundum historiam pauca disserere Deo duce conamur. Disc. Nec hoc quaero; satis enim a sanctis Patribus de talium allegoria est actum. Mag. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis, et fecit Deus firmamentum.* De [13] firmamento omnes unanimiter consentiunt, quod non aliud eo nomine, nisi [14] hoc caelum visibile significatur. Alii tamen extremam illam sphaeram volubilem, undique totum mundum ambientem, chorisque astrorum ornatam solummodo, alii totum spatium ultra lunam, ubi planetarum corpora et cursus esse creduntur [15], cum ipso extremo ambitu siderum, alii totum inane, quod circa terram volvitur, hoc est aera, et aethera, sublimissimamque sphaeram uno vocabulo firmamenti comprehendi autumant. Non enim alibi, ut aiunt, legitur [16] aeris et aetheris [17] conditio. Quare autem tali nomine vocatur, prout unicuique visum est, ita exposuit; alii quidem propter [18] sustentationem superiorum aquarum [19], veluti supra illud corporales aquae sint; alii quia choros siderum sustineat [20], veluti quaedam ponderosa corpora; alii quia totum visibilem mundum intra se contineat ac firmet [21]. Nec desunt, qui spatium corpulentioris hujus aeris eo nomine proprie vocari volunt, eo quod nubes, pluvias, imbres, nives, grandines, omneque, quod ex terrenis vaporibus in eo nascitur, firma quadam [22] suae naturae corpulentia [23] sustineat, quantum sustinere potest, ac veluti totum ex parte cetera spatia levioris et superioris visibilis naturae ab eo denominari [24]. Horum vero quis rectius intelligat, legentium arbitrio dijudicandum committo. Mihi autem graeci nominis, quod est *στερέωμα*, considerata virtute, tale vocabulum videtur meruisse eo, quod in eo totius corporalis creaturae situs stet ac terminetur. Ultra namque firmamentum nil sensibile, vel corporeum, vel locale, vel temporale [25] intelligitur esse. Omnium siquidem visibilium finis in ipso [26] firmatur. Στερέωμα enim dicitur quasi *στερεὰ ἅμα* [27], hoc est, solida simul: in ipso quidem omnia solida, hoc est corporalia simul terminantur, et stant. De aquis autem, in quarum [28] medio firmamentum fieri Deus dixit, non satis reperio quid dicam, non quod me latuerit, quid multi sanctorum Patrum de ipsis senserunt [29]. Sanctus siquidem Basilius in Exemero [30] suo velle videtur, *aquas illas abyssi nomine vocatas, undique circa terram diffusas, rarissimasque, ac* [31] *tenuissimas, super quas prius erant tenebrae, ac* [32] *deinde Spiritus Dei superferebatur, et in quibus primitiva lux, veluti trium dierum spatiis, gyrans informem adhuc terrenam molem resplenduit, densatasque* [33] *tertia die, et congregatas in locum unum, ut appareret arida in hoc loco significari, et in earum medio Deum dixisse firmamentum fieri.* Cui omnino sensui S. Augustinus [34] refragatur, nec tamen [35] de ipsis aquis, intra quas Deus firmamentum fecit, satis rationem reddidit. Aliorum namque opiniones introducens, quid ipse intellexit, qua occasione ignoro, non aperuit. Eos autem ceteris praeponit, qui spatia hujus aeris, quae sunt inter aquas marinas, et fluviales infra se positas, et illas in nubibus supra se suspensas, firmamenti nomine vocari contendunt. Nullius itaque sensu refutato, quid de

VARIAE LECTIONES

[1] A *et*. [2] Sic C; A *factae*. [3] A *rationis*. [4] C *Hoc*. [5] *veluti* om. A. [6] A *his*. [7] *enim* om. A. [8] Sic C; A caelestium *virtutem in forma earum*. [9] C *significat*. [10] A *ergo*. [11] C *conditionem*. [12] Sic C; A dicendum est. [13] C *In*. [14] A *quam*. [15] Conj., A *credunt*, C *credantur*. [16] C Non enim alibi *legitur, ut aiunt*. [17] A *aetheris et aeris*. [18] A *praeter*. [19] A *aquarum superiorum*. [20] Conj., A *sustentant*, C *sustinuit*. [21] A *contineant ac firment*. [22] C *tamen*. [23] C *corpulenta*. [24] C *determinari*. [25] A *vel temporale vel locale*. [26] A in eo. [27] Conj AC ΣΤΕΡΕΑΜΑ. [28] A *aquis vero, quarum in*. [29] C *senserunt*, sed corr. *senserint*. [30] A *examine*. [31] A *et*. [32] *ac* om. A. [33] A *densatas*. [34] A Cui omnino *sententia S. Augustini*. [35] A *tunc*.

rit, nil aliud reperiet suadere, immo etiam [1] pronunciare, nisi ipsum Deum omnium factorem esse, et in omnibus factum; et dum super omnia quaeritur, in nulla essentia invenitur [2]; nondum enim est esse; dum vero in omnibus intelligitur, nil in eis nisi solus ipse subsistit. Et neque est hoc, ut ait ille, hoc autem non est, sed omnia est. Proinde ex superessentialitate suae naturae, in qua dicitur non esse, primum descendens, in primordialibus causis [3] a se ipso creatur, et fit principium omnis essentiae, omnis vitae, omnis intelligentiae, et omnium, quae in primordialibus causis gnostica considerat [4] theoria. Deinde ex primordialibus causis, quae medietatem quandam inter Deum et creaturam obtinent, hoc est, inter illam ineffabilem superessentialitatem super omnem intellectum, et manifestam substantialiter naturam puris animis conspicuam descendens in effectibus ipsarum fit, et manifeste in theophaniis suis aperitur. Deinde per multiplices effectuum formas, usque ad extremum totius naturae ordinem, quo corpora continentur, procedit. Ac sic ordinate in omnia proveniens facit omnia, et fit in omnibus omnia, et in se ipsum redit, revocans in se omnia, et dum in omnibus fit, super omnia esse non desinit. Ac sic [5] de nihilo facit omnia, de sua videlicet [6] superessentialitate producit essentias, de supervitalitate vitas, de superintellectualitate intellectus, de negatione omnium, quae sunt et quae non sunt, affirmationes omnium, quae sunt et quae non sunt. Et hoc manifestissime docet omnium reditus in causam, ex qua processerunt, quando omnia revertentur [7] in Deum, sicut aer in lucem, quando erit *Deus omnia in omnibus;* non quod etiam nunc non sit *Deus omnia in omnibus,* sed quod post praevaricationem humanae naturae, et expulsionem de sede paradisi, hoc est, de altitudine spiritualis vitae, et ex cognitione clarissimae sapientiae, in profundissimas ignorantiae tenebras detrusae, nemo nisi divina gratia illuminatur [8], et in divinorum mysteriorum altitudinem [9] cum Paulo raptus, quomodo Deus omnia in omnibus est, verae intelligentiae contuitu potest perspicere, nube carnalium cogitationum, vanarumque [10] phantasiarum caligine interposita, mentisque acie irrationalibus passionibus infirmata, et ex splendoribus perspicuae [11] veritatis repercussa, consuetisque corporalibus umbris contenta. Non enim credendum est de caelestibus essentiis, quae nunquam aeternae beatitudinis statum deseruere, aliud aliquid in universa creatura praeter [12] ipsum Deum cognoscere, siquidem in Deo, et in primordialibus causis super omnem sensum et intellectum omnia perspiciunt, omnibus naturae operibus ad cognoscendam veritatem non indigentes, sola autem inef-

A fabili gratia aeterni luminis fruentes. Ad quam visionem humanam naturam reducere Dei Verbum incarnatum descendit, ipsam prius lapsam, quam ad pristinum statum revocaret, accipiens, delictorum vulnera sanans, falsarum phantasiarum umbras extinguens, oculos mentis aperiens, seipsum in omnibus his, qui digni sunt tali visione, manifestans. Disc. Haec ardua valde sunt, et a sensibus corporalia et visibilia cogitantium remota; his vero, qui super visibilia, et temporalia [13] spiritualiter in cognitionem veritatis ascendunt, verissime et dulcissime clarescunt. Quis enim carnaliter viventium, claramque [14] sapientiae lucem cernere nolentium, talia audiens, non continuo erumpat, et clamet [15]: Insaniunt, qui haec dicunt. Quomodo enim supra om-

B nia Deus invisibilis, incorporalis, incorruptibilis, potest a seipso descendere, et se ipsum in omnibus creare, ut sit omnia in omnibus, et usque ad extremas hujus mundi visibiles turpitudines et corruptiones, vilissimasque formas et species procedere, ut ipse etiam in eis sit, si omnia in omnibus est! Ignorans, qui haec [16] dicit, nullam turpitudinem in universitate totius creaturae posse esse, nullam malitiam ei nocere, nullo errore falli vel seduci. Quod enim partim [17] contingit, in toto fieri Deus non sinit, cujus universitatis nec [18] turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Turpiter quidem et maligne [19] viventibus, et a veritate errantibus turpia honesta, mala bona, errantia recta, prava justa putantur esse. Quorum turpitudine, et malitia, et er-

C rore sublatis, omnia pie intelligentibus pura, perfecta, impolluta, valde bona, omni errore carentia remanent. Et non cogitans, quod sacra pronunciat Scriptura: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum,* dati quidem vocabulo omnium rerum substantiales constitutiones, doni vero virtutes, quibus ornatur universa natura, declarans Et hoc totum [20], substantia videlicet et virtus, de sursum descendit a Patre luminum, hoc est, ex fonte omnium bonorum, Deo, qui in omnia, quae sunt et quae non sunt, profluens, in omnibus fit, sine quo nihil esse potest. Sed, ut opinor, satis de nihilo, de quo omnia Deus [21] fecit, actum est. Mac. Sat profecto; sed cursim repetendo.

D Neque haec dicimus illorum sensum refutantes, qui de nihilo, quo totius habitudinis privatio significatur, Deum omnia [22] fecisse arbitrantur, non autem de nihilo, quo superessentialitas et supernaturalitas divinae bonitatis a Theologis innuitur. In Theologicis siquidem regulis ad investigandam divinae naturae sublimitatem et incomprehensibilitatem plus negationis, quam affirmationis virtus valet. Quam si quis intentus inspexerit, non mirabitur, eo vocabulo,

VARIAE LECTIONES.

[1] *etiam* om. A. [2] A *invenitur essentia.* [3] *causis* om. A. [4] A *considerat gnostica.* [5] *sic* om. A. [6] A *scilicet.* [7] C *convertentur.* [8] Sic AC; f. illuminatus? [9] A *altitudine.* [10] C *variarumque.* [11] Em., A *perspicue.* [12] C *propter.* [13] A *corporalia.* [14] C *datamque.* [15] A *proclamet.* [16] *haec* om. A. [17] A *partim*, C *parti*; f. parti? [18] A *nec universitatis.* [19] *et maligne* om. A. [20] *totum* om. A. [21] A *Deus omnia* [22] A *omnium.*

A quod est nihilum, saepe in Scripturis ipsum Deum vocari. DISC. Nec ego [1] miror, cognoscens, plus negationes, quam affirmationes divinae cognitioni, teste sancto Dionysio, coaptari posse. MAG. Non negabis [2], ut opinor, cuncta, quae de nihilo facta esse Scriptura testatur, unam quandam naturam communem omnibus, cujus participatione subsistunt, secundum uniuscujusque proportionem possidere. DISC. Hoc negare risu est dignum. Credimus namque et intelligimus, Deum simul et semel communem omnium rerum naturam creasse, ex cujus participatione fiunt [3] omnia. MAG. Putasne illam naturam de nihilo esse factam? DISC. Non solum puto, verum etiam firmiter teneo, non aliunde nisi de nihilo productam. MAG. Defini illam naturam, quid sit. DISC. Non possum. Res enim adhuc infinita omniumque communis, nec certis formis adhuc distincta vel speciebus, quomodo definiri possit, non video

21. MAG. Quid? Si quis summae sanctaeque auctoritatis tibi suaderet, illam naturam non aliud esse praeter Dei Verbum, dixissesne eam de nihilo factam esse [4]? De illo nihilo dico, quod privationem totius essentiae et substantiae et qualitatis significat. DISC. Nequaquam. Quis enim dixerit, Dei Verbum de nihilo esse factum, dum sit omnium [5] de nihilo faciens? Sed [6] quis ille, qui Verbum Dei naturam omnium esse non timuit dicere? MAG. Audi sanctum Basilium in octava Homilia in Genesin: *Neque enim*, inquit, *quando audivit terra: germinet herbam foeni, et lignum fructiferum, occultum habens foenum produxit, neque palmam, aut quercum, aut cypressum ante conspectum visceribus suis occulta eduxit in superficiem, sed Divinum verbum natura est eorum, quae facta sunt. Producat: non, quod habet, depromat, sed quod non habet, creet* [7], *Deo donante operationis virtutem.* Intende, quam fiducialiter pronunciavit, naturam omnium, quae facta sunt, Dei Verbum esse. Ac [8] nulla tibi suspicio subrepat existimandi, quod aliud sit Dei Verbum, aliud ejus praeceptum. Id ipsum namque in eo et esse est [9], et omnia esse jubere; essendo enim ipsum fiunt omnia, quoniam ipsum omnia est. Et ut certius cognoscas Dei Verbum et naturam omnium esse, et consubstantialem Patri ante omnia et [10] in omnibus, quae in eo facta sunt, creatum, audi Ecclesiasten: *Sapientiam Dei*, inquit, *praecedentem* [11] *omnia quis investigavit?* Ecce [12] coaeternitatem Patri et coessentialitatem [13]. Et continuo sequitur: *Primo omnium creata est sapientia.* Ecce in creaturis factum. Audi Evangelium: *Quod factum est in ipso, vita erat.* Nam quod alibi in Salomone legitur: *Dominus creavit me in initio viarum suarum*, alii de incarnatione Verbi, alii de nativitate ejus ex Patre accipiunt, quorum sensus credibilior mihi videtur.

22. De his autem, qui de eo nihilo, quod totius essentiae negationem significat vel habitudinis ejus privationem, mundum factum fuisse arbitrantur, quid dicam, ignoro. Non enim video, quare non considerant oppositorum naturam. Siquidem privatio non potest esse, ubi non est habitus essentiae [14]. Privatio namque habitudinis est privatio; ac per hoc, ubi non praecedit habitus, non sequitur privatio. Quomodo ergo [15] dicunt, de privatione mundum [16] factum esse [17]? Si enim hoc verum esset, constaret, ipsum mundum habitudinem quandam habuisse, priusquam fieret. At si sic, quomodo habitudinis

B suae privationem pateretur, dum jam non erat, aut, si erat, non de privatione sui erat? Si vero nullo modo erat, priusquam fieret, omni habitudine caruisse nemo [18] sapientum dubitat. At si omni habitudine caruit, quomodo de privatione habitudinis suae fieri potuit [19], quam nunquam habuit? Eadem est ratio de essentiae negatione. Est enim negatio rei existentis vel fieri valentis perfecta absentia. Absentia namque est rei cujusdam praesentis, vel praesens fieri valentis, a sensibus ablatio [20]. Si ergo mundus de absentia factus est, praecessit aliqua natura, cujus habitudinis privatio vel essentiae [21] absentia condendi mundi occasio facta est. Et ipsa natura aut Deus, aut creatura erat. Et si Deus, cogentur fateri, ex Divinae naturae privatione habi-

C tudinis vel essentiae absentia mundum factum fuisse. Si vero creatura, necessario visibilis, aut invisibilis erit. Si visibilis, alium mundum visibilem praecessisse debemus credere; si invisibilis, qua ratione cogimur concedere, de invisibilis naturae absentia mundum istum factum fuisse [22], aut eam [23] penitus mundum praecessisse? Si vero universitatem totius visibilis et invisibilis naturae de nihilo factam esse vera docet ratio, nullamque naturam praeter ipsum Deum praecessisse [24], quomodo de absentia vel privatione rerum, quae nunquam erant, mundus factus est, non intelligo. Si vero quis dixerit, neque privationem habitudinis, neque absentiam alicujus essentiae [25] nihil [26] nomine significari, sed universalem totius habitudinis, et essentiae, vel substantiae, vel

D accidentis, et simpliciter omnium, quae dici et intelligi possunt, negationem, concludetur sic: eo igitur [27] vocabulo Deum vocari necesse est, qui solus negatione omnium, quae sunt, proprie innuitur, quia super omne, quod dicitur et intelligitur, exaltatur, qui nullum eorum, quae sunt et quae non

VARIAE LECTIONES.

[1] C *Haec ergo* miror. [2] C *negaris* [3] A *sunt.* [4] A *esse factam.* Sic AC. [6] A *At.* [7] A *creat.* [8] A *ut.* [9] Corr., A *est et esse*, C *esse et est.* [10] *et* om. A. [11] C *sapientia — praecedente.* [12] C *et.* [13] A *coessentialem.* [14] *essentiae* om. A. [15] *igitur.* [16] A *dicunt mundum privatione.* [17] *esse* om. A. [18] A *nullus.* [19] C *potueri*, [20] *Absentia namque — ablatio* om. C. [21] *habitudinis privatio vel essentiae* om. A. [22] *Si vero creatura — factum fuisse* om. C. [23] C *etiam.* [24] *Si vero universitatem — praecessisse* om. A. [25] A *praesen* [illegible] *ihilo.* [27] A *ergo.*

sunt, est, qui melius nesciendo scitur. Ac per hoc inter nos et illum, qui videbamur [1] dissentire, conveniet. Si autem responderit : neque illam negationem dico nihilo significari, qua negatur Deus esse quid eorum, quae sunt, sed illam, quae negat Deum et creaturam; necessario fatebitur, quod negari conabatur, hoc est, de negatione vel [2] privatione Dei [3] et creaturae mundum factum fuisse. Mundus siquidem de materia informi factus est; materia informis de omnino nihilo; ac per hoc et mundus de omnino nihilo. Non enim, ut opinor, audebit dicere, omne quod est, aut Deus [4], aut creatura est, aut [5] nec Deus, nec creatura ; nam si dixerit, inter eos, qui dicunt materiam Deo coaeternam esse, computabitur, de qua Deus mundum fecisse ab iis putabatur. At si omne, quod est, aut Deus, aut creatura est, et nemo sanum [6] sapiens aestimarit [7] mundum de negatione Dei et creaturae factum, relinquitur sola illa negatio ad causam mundi faciendi, quae ablatione totius creaturae, super omne, quod dicitur et intelligitur, Deum exaltans, nihil eorum, quae sunt et quae non sunt, eum esse pronuntiat. Est enim maximum de hac ratione argumentum. Si duo quaedam sunt, Deus et creatura, aut ab uno principio sunt, ac per hoc ejusdem naturae — non enim ex principio uno nascuntur contraria secundum naturam; sui namque principii naturam attrahunt — aut per se duo principia sunt sibimet [8] adversa. Nam sicut substantialia non sunt duo, sed unum. Si autem Deus et creatura non sunt duo, sed unum et unum; aut aequalia sunt, et nullum ex altero. Si enim duo, ex uno nasci necesse est. Si autem Deus ex nullo, creatura vero ex Deo, erit unum ex altero et non sunt [9] aequalia; unum namque ab aequali sibi uno non gignitur. At si creatura ex Deo erit, erit Deus causa, creatura autem [10] effectus. Si autem nil aliud [11] est effectus, nisi [12] causa facta, sequitur, Deum causam [13] in effectibus suis fieri; non enim ex causa in effectus suos procedit, quod a sui natura alienum sit, siquidem in calorem, et in [14] lucem nil aliud nisi ipsa vis ignea erumpit. Si autem quis dixerit, unum aequale sibi unum gignit; nam et Deus Pater, dum sit unum, aequale sibi unum, Deum [15] Filium, gignit : cognoscat se nimium errare. Summa siquidem sanctaque Trinitas non est unum et unum et unum, sed simplex et individuum unum in tribus inseparabilibus substantiis, et illud unum multiplex virtute est, non numero, et non aliquod [16] unum est, sed universaliter et infinite unum, et super omne unum, quod dici vel intelligi potest, unus [17] ergo ab uno, non unum ab uno, Filius a Patre. Sed contra eos [18], qui talia dogmatizant, nunc nobis sermo non est; hoc tantum proposuimus, quantum vires suppetebant investigare, quid eo nomine, quod est nihilum, de quo Deus creditur fecisse mundum, significatur. Quisquis de constitutione mundi rationem reddere desiderat, suis sequacibus eligat, quid suadeat; nos autem nostrae ratiocinationis iter teneamus, et quoniam propemodum inter nos est confectum [19], omnia ex Deo, et Deum in omnibus esse, et non aliunde nisi ex ipso facta esse, quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso facta sunt omnia, quomodo quadripertita totius naturae discretio Deo conveniat, plane ac breviter recapitules, flagito.

23. In disputationibus namque, et maxime de obscuris rebus [20] multum valet ἀνακεφαλαίωσις, hoc est, recapitulatio; breviter enim aperteque praedicta omnia in memoriam revocat, mentisque obtutibus cuncta, quae acta sunt, simul manifesta sunt. Mag. De Deo, ut opinor, inter nos convenerat, quod totius universitatis conditae principium sit, et medium, et finis, non quod aliud ei sit esse principium, aliud medium, aliud finis; haec enim tria in ipso unum sunt; sed quod Theologicae contemplationis triplex motus sit. Aliter enim movetur intellectus sive humanus, sive angelicus, considerans principium omnium Deum esse; aliter cognoscens omnia in ipso, et per ipsum esse, veluti in quadam medietate; aliter contemplatur finem omnium in Deo esse, et Deum, quem omnia appetunt, et in quo quiescunt, et vivunt. Cui sensui favet sanctus Augustinus in libro [21] octavo de Civitate Dei, tertio capitulo, de Socrate philosopho disputans : *Nolebat*, inquit, *immundos terrenis cupiditatibus animos sese extendere in divina conari, quandoquidem ab iis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas non nisi in unius et* [22] *summi Dei voluntate esse credebat. Unde et* [23] *non eas putabat, nisi mundata mente posse comprehendi. Et ideo purgandae bonis moribus vitae censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus naturali vigore in aeterna se attolleret, naturamque incorporei et incommutabilis luminis, ubi causae omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiae puritate conspiceret.* Disc. Perplane [24] convenerat, quia ratio approbat. Mag. Dum ergo de divina natura pure percipimus, quod omnium principium sit et causa ; est enim ἄναρχος, et ἀναίτιος, hoc est, sine principio, et sine causa, siquidem nihil praecedit, quod ei principii, vel causae proportionem obtineat, ipsa vero omnium, quorum causa et principium est, naturam creat : non immerito eam dicimus creatricem naturam, et non creatam; creat namque, et a nullo creari patitur. Eandem vero, divinam scilicet naturam, finem omnium esse, ultra quem nihil, et in quo omnia aeternaliter subsistunt, et universaliter Deus sunt, cognoscentes, neque creatam, neque creatricem rite vocamus; non creatam quidem, quia a nullo creatur, neque creatricem, quia

VARIAE LECTIONES.

[1] C *videbantur.* [2] *vel* om. A. [3] Pro *privatione Dei* A *privativa.* [4] A Deus *est.* [5] *aut* om. C. [6] A *sanus.* [7] A *aestimavit.* [8] A sibimet *sunt.* [9] Pro et *non sunt* A *non vero.* [10] A *vero.* [11] Pro *nil aliud* A *creatura.* [12] A *non.* [13] *causam* om. A. [14] *in* om. C. [15] *unum Deum* om. C. [16] A *aliquid.* [17] Conj., C *uno.* [18] A *illos.* [19] A *confectum est.* [20] A *rebus obscuris.* [21] *libro* om. C. [22] C *ac.* [23] *et* om. A. [24] A *Plane.*

jam desinit creare, omnibus in suas aeternas rationes, in quibus aeterniter manebunt, et manent, conversis, appellatione quoque creaturae significari desistentibus. *Deus* enim *omnia in omnibus erit*, et omnis creatura obumbrabitur, in Deum videlicet conversa, sicut astra sole oriente. Videsne ergo, qua ratione unam eandemque naturam, divinam videlicet [1], juxta considerationem principii non creatam, sed creatricem, juxta vero finis speculationem nec creatam, nec creatricem possumus appellare? Disc. Satis video, quid vis. Dic, quod restat. Mag. Rationem medietatis restare solummodo arbitror, quae duplici modo contemplatoribus suis arridet. Primo quidem, quando et creari, et creare conspicitur divina natura. Creatur enim a seipsa in [2] primordialibus causis, ac per hoc seipsam creat, hoc est, in suis theophaniis incipit apparere, ex occultissimis naturae suae finibus volens emergere, in quibus et sibi ipsi incognita, hoc est, in nullo se cognoscit, quia infinita est, et supernaturalis, et superessentialis [3], et super omne, quod potest intelligi et non potest, descendens vero in principiis rerum, ac veluti seipsam creans in [4] aliquo inchoat esse. Secundo vero, dum in extremis effectibus primordialium causarum perspicitur, in quibus creari tantummodo, non autem creare recte praedicatur. Creatur enim descendens in extremos effectus, ultra quos nil creat, ideoque dicitur creari solummodo, et [5] non creare. Non enim ultra extremos effectus descendit, quo et creari, et creare videretur. Creatur ergo et creat in primordialibus causis; in earum vero effectibus creatur, et [6] non creat. Nec immerito, quoniam in ipsis finem descensionis suae, hoc est, apparitionis suae constituit. Atque ideo omnis creatura corporalis, atque [7] visibilis, sensibusque succumbens extremum divinae naturae vestigium non incongrue solet in Scripturis appellari, quod omnis contemplativus animus, veluti quidam Moyses, ascendens in summitatem theoriae, permittitur [8] inspicere, et quod adhuc vix a sapientibus animis potest ad purum dignosci, fumigationibus terrenarum phantasiarum [9] strepitibusque [10] mutabilium, nec non coruscationibus subito nascentium, subitoque transeuntium impedientibus. Paucissimorum namque, terrenis [11] cogitationibus penitus remotorum, virtute et scientia purgatorum est [12], Deum in his visibilibus creaturis cognoscere, sicut Abraham patriarcha [13] ex conversione siderum cognovit, lege naturali duce, ceterique sancti Patres ante legem scriptam, et in lege, quemadmodum Moses in rubo et in montis cacumine. Apostoli dein post legem sub gratia cum Christo in monte per invisibilia quasi visibilia [14] symbola in divina mysteria introducti sunt. Hoc autem dico,

A quia in spiritu apostoli transformationem Domini viderunt. *Vestimenta* enim *ejus candida, sicut nix*, visibilem creaturam, in qua, et per quam Dei Verbum, quod in omnibus subsistit, intelligitur, significabant. Audi Apostolum dicentem: *Invisibilia ejus a creatione mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et* [15] *aeternitas*. Disc. Quadripertitam naturae universalis divisionem nunc clarissime video, et de Deo, et in Deo esse indubitanter intelligendum cognosco. Proinde finita hac quaestione de nihilo, et ad purum, ut opinor, deducta, ad considerationem tertiae partis universae naturae, de qua praedicatur creari solummodo, et non creare, redeundum esse censeo. Ita enim nostrum promittit propositum. Quamvis enim [16] B quidem aliae quaestiones introductae [17] sunt, ipsa tamen principalem materiam tertio libro praestitit; ejus namque gratia diligentius investigandae incidens aliarum propositionum theoria inserta est.

24. Mag. Recte censes, tempusque postulat. Sed prius de senaria quantitate dierum intelligibilium, in qua Deus opera sua fecisse legitur, si quid promisimus, implere debemus. Breviter dicendum, partim quidem sanctorum Patrum intellectus sequentes, partim quod in animo venit ab eo, qui illuminat nostras tenebras [18], et quaerit in Scripturis suis quaeri et inveniri, non celantes. Infinitus siquidem conditor sacrae Scripturae in mentibus prophetarum, Spiritus sanctus, infinitos in ea constituit intellectus, ideoque nullius expositoris sensus sensum alterius C aufert, dummodo ut sanae fidei catholicaeque professioni conveniat, quod quisque dicat, sive aliunde accipiens, sive a seipso, a Deo tamen illuminatus [19], inveniens. Disc. Praecede [20] quo vis ordine, meque attrahe. Te enim sequar, ut [21] sensum aliorum, seu tuum in talibus cognoscam, et quod vera ratio, quae in omnibus et [22] quaerit veritatem et invenit, edoceat, eligam; non quia jam veraces intellectus discernere a fallacibus idoneus sim [23], sed quod similiora veri [24] dissimilioribus praeponere [25] consulta veritate non temere ausim. Mag. Temere quoque et inconsiderate nil velim approbare. Primordialium itaque causarum visibilium et invisibilium simul et semel conditionem divinus propheta Moyses breviter scribens, dicendo: *In principio fecit Deus caelum et terram*; D eorumque occultam in divino consilio, incomprehensibilemque magnificentiam, prius quam in formas speciesque profluerent, *inanis terrae* et [26] *vacuae*, aut *invisibilis et incompositae*, *tenebrarum* quoque *super abyssum* vocabulis significans, inchoationem quoque procreationis praeconditarum causarum in effectus suos appellatione *Spiritus qui fovebat aquas*, vel *ferebatur super aquas*, insinuans, ad mysti-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *scilicet divinam*. [2] C *in* seipsa *a* primord. [3] A *superaeternalis*. [4] C *seipsam* creans *seipsam in*. [5] *et* om. A. [6] *et* om. A. [7] A *et*. [8] A *permittatur*. [9] A *phantasiarum terrenarum*. [10] A *strepitibus*. [11] A *terrenisque*. [12] *est* om. C. [13] *patriarcha* om. A. [14] A per *visibilia* symbola (*invisibilia quasi* om.) [15] *et* om. C. [16] *enim* om. C. [17] A *introductae quaestiones*. [18] A *tenebras nostras*. [19] A *illuminatus tamen a Deo*. [20] A *Procede* [21] A *vel*. [22] *et* om. A. [23] A *sum*. [24] A *vere*. [25] A *proponere*. [26] A *aut*.

cam senarii numeri virtutem explicandam descendit, inquiens: *Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux.* In his autem verbis multiplex sanctorum Patrum intellectus reperitur. Quorum alii quidem angelicae, et intellectualis caelestis essentiae creationem in hoc loco sacrae Scripturae significatam esse discernunt; alii vero visibilis hujus lucis naturam, hoc est, ignem incomprehensibilem adhuc, et invisibilem creatum [1], quae [2] postmodum veluti in suis [3] fontibus emergens, in corporibus aethereis refulsit, ac veluti spatia [4] trium dierum occulto meatu abyssum superficiei terrae undique, ut aiunt, superfusam lustrando peregit. Quod autem lucis vocabulo ignea natura, adhuc invisibilis et occulta, appellata sit, nulli mirum debet videri, cognoscenti, sacram Scripturam causarum nomine effectus, et effectuum causas appellare solere. Effectus autem igneae naturae lux est. Ignea igitur natura, in primordio rerum condita, nomine lucis postmodum ab ea processurae, et adhuc in ea latentis, non incongrue appellata est, quamvis quidam [5] primitivam lucem fulsisse continuo arbitrentur; contra quos satis a sancto Augustino est actum [6]. Quod autem sequitur: *Et vidit* [7] *Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem et tenebras noctem, et factus est vespere et mane dies unus*, de simplici laude corporeae lucis, deque temporalibus intervallis, quibus circa tellurem lux et umbra vicissitudines suas peragunt, dictum esse existimant, qui naturam lucis corporeae conditam fuisse [8] arbitrantur, quando dictum est: *Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux.* Nam quia in aequinoctio vernali prima mundi conditio creditur fuisse, in quo sol aequis spatiis et supra terram et sub terra [9] moratur, XII videlicet horis aequinoctialibus, propterea putant dictum esse: *Divisit Deus* [10] *lucem a tenebris.* Ac si aperte diceretur, totum unius diei spatium, quod XXIV horis peragitur, aequa partitione inter diem divisit et noctem. Qui [11] vero conditionem angelicae naturae creatione lucis significatam rectius autumant, sanctum Augustinum sequentes, divisionem [12] lucis a tenebris aut discretionem informis materiae et formatae creaturae intelligunt, ut nomine lucis perfectio formae, tenebrarum vero informitatis confusio accipiatur, aut duplicem caelestium essentiarum theoriam. Aliter namque consideratur creatura in rationibus suis aeternis in Deo, secundum quas condita est, et aliter in se ipsa sub Deo, in quantum creatura est. Et prima quidem consideratio lucis vocabulo, secunda vero tenebrarum significatur. Ut enim lux praecedit tenebras [13] dignitate, ita claritas aeternarum rationum, secundum quas omnis creatura facta est, prae-

A ponitur obscuritati creaturae per se ipsam consideratae. Ideoque appellavit Deus *lucem diem*, splendorem videlicet [14] divinarum rationum, *tenebras vero noctem*, hoc est, obscuriorem in se ipsa creatae naturae speciem. Quod autem sequitur, *factumque* [15] *est vespere et mane dies unus*, finem peractae operationis, et inchoationem sequentis significare volunt. Mane enim, id est, inchoatio sequentis operationis finis est praecedentis, et praecedentis terminus initium est sequentis. Ideoque dies unus vel primus finitur vespere, cujus mane, hoc est, initium in lucis conditione praecesserat. Haec breviter dicta [16] ab aliis accepimus.

25. Nos autem primordialium causarum conditionem, sive visibilium, sive invisibilium, in factura B caeli et terrae in principio, earumque in effectus suos processiones in his verbis sacrae Scripturae: *Fiat lux* et reliqua, volentes intelligere, dicimus, creatione lucis processionem primordialium causarum in suos effectus significari. Nam si ipsas primordiales causas, propter incomprehensibilitatem naturae suae, incognitamque omni intellectui altitudinem, tenebrarum caligine, hoc est, profundae ignorantiae densitate superfusas Scriptura perhibet, cum dicitur: *Et tenebrae erant super abyssum*, quid mirum, si declaratio earum [17] in effectibus suis per formas et species lucis nomine praedicaretur per hoc: *Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux.* Veluti quis diceret, primordiales causas, in se ipsis [18] inconspicuas, omnemque intellectum obumbrantes, jussit C Deus in formas perspicuas, speciesque intelligibiles et sensibiles [19] visibilium et invisibilium prodire. Non enim solus Deus, verum etiam omnium rerum principia tenebrarum vocabulo, teste S. Dionysio, solent [20] in eloquiis appellari propter incomprehensibilem infinitatem: processio vero ejus per principia in creaturas visibiles et invisibiles, suas dico theophanias, claritatis nomine meruit significari: in ipsis enim quodam modo patitur intelligi, qui omnem superat intellectum. *Fiat* ergo *lux*, inquit Deus, hoc est, procedant primordiales causae ex incomprehensibilibus naturae suae secretis in formas ac [21] species comprehensibiles, intellectibusque contemplantium se manifestas, *Et facta est lux*, Deo videlicet volente, et dicente, obscuritas primordialium D causarum in formas ac species processit apertas [22]. *Et divisit Deus lucem* [23] *a tenebris*, hoc est, segregavit notitiam effectuum ab obscuritate suarum principalium causarum. Divisio quippe lucis a tenebris est discretio rerum per formas ac [24] species apparentium a principiis suis, in quibus omnem superant intellectum. Ideoque praedixit: *Et vidit Deus lucem, quia esset bona*, hoc est, placuit Deo, originales cau-

VARIAE LECTIONES.

[1] C *creatam*. [2] Sic C; A *qui*. [3] A *his*. [4] Sic AC; f. *spatio?* [5] A *quidem*. [6] A *actum est*. [7] A *videt*. [8] A *esse*. [9] A aequis spatiis *supra et subtra terram* moratur. [10] *Deus* om. A. [11] A *quia*. [12] A *S. Augustini divisionem sequentes*. [13] A *tenebris*. [14] A *scilicet*. [15] C *factum* est. [16] *dicta* om. A. [17] C *illarum*. [18] A *ipsas*. [19] A *sensibilesque*. [20] Conj; AC *solet*. [21] A *et*. [22] Sic C· A *averta*. [23] *lucem* om. A. [24] A *et*

sunt, ante omnem creaturam ultra omnem intellectum conditas, intellectibus sive humanis, sive angelicis luce quadam intelligentiae superfusas manifestari. *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*, hoc est, contemplantibus animis praestitit manifestationem visibilium et invisibilium per formas et species diem appellare, eorum vero in principiis suis incomprehensibilem altitudinem omnique condito intellectui incognitam vocare noctem. *Factumque est vespere et mane, dies unus.* Quamvis enim inter obscuritatem causarum, et claritatem effectuum divisio intelligatur ac [1] differentia, unus tamen idemque dies est, hoc est, unus eorum intellectus. Non enim alia creatura intelligitur in causis facta, alia in effectibus causarum condita, sed una eademque in rationibus aeternis, veluti in quibusdam tenebris secretissimae sapientiae, omnique intellectu remotae facta [2], et in processionibus rationum [3] in effectus intellectibus succumbens, veluti in quadam die perfectae notitiae manifestata. Haec [4] autem de operibus primi intelligibilis diei congrua, ut opinor, intelligentiarum proportionalitate addidi, non ut meum sensum, veluti [5] ex me ipso repertum, aliorum intellectibus velim praeferre, quod absit, sed considerans, veris contemplationibus non admodum resistere, primordialiumque causarum in effectus suos [6] profusionibus, de quibus nunc agimus, convenire. DISC. De operibus sex primorum dierum quoniam multi et graece, et latine multa exposuere, breviter et succincte nunc disputandum est. Et quod de prima luce a te dictum est, videtur mihi sufficere. Sive enim [7] conditionem hujus lucis corporeae substantialiter in igne, ut S. Basilio videtur, sive caelestium virtutum formationem [8], ut S. Augustino, sive primordialium causarum in effectus suos generalem processionem significet [9], qualemcunque horum intellectuum quis obtinuerit, non longe a veritate distabit.

26. MAG. Transeamus igitur [10] ad secundi diei considerationem [11]. Ac prius dicendum [12], quod de allegoricis intellectibus moralium interpretationum nulla nunc nobis intentio est, sed de sola rerum factarum creatione secundum historiam pauca disserere Deo duce conamur. DISC. Nec hoc quaero; satis enim a sanctis Patribus de talium allegoria est actum. MAG. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis, et fecit Deus firmamentum.* De [13] firmamento omnes unanimiter consentiunt, quod non aliud eo nomine, nisi [14] hoc caelum visibile significatur. Alii tamen extremam illam sphaeram volubilem, undique totum mundum ambientem, chorisque astrorum ornatam solummodo, alii totum spatium ultra lunam, ubi planetarum corpora et cursus esse creduntur [15], cum ipso extremo ambitu siderum, alii totum inane, quod circa terram volvitur, hoc est aera, et aethera, sublimissimamque sphaeram uno vocabulo firmamenti comprehendi autumant. Non enim alibi, ut aiunt, legitur [16] aeris et aetheris [17] conditio. Quare autem tali nomine vocatur, prout unicuique visum est, ita exposuit; alii quidem propter [18] sustentationem superiorum aquarum [19], veluti supra illud corporales aquae sint; alii quia choros siderum sustineat [20], veluti quaedam ponderosa corpora; alii quia totum visibilem mundum intra se contineat ac firmet [21]. Nec desunt, qui spatium corpulentioris hujus aeris eo nomine proprie vocari volunt, eo quod nubes, pluvias, imbres, nives, grandines, omneque, quod ex terrenis vaporibus in eo nascitur, firma quadam [22] suae naturae corpulentia [23] sustineat, quantum sustinere potest, ac veluti totum ex parte cetera spatia levioris et superioris visibilis naturae ab eo denominari [24]. Horum vero quis rectius intelligat, legentium arbitrio dijudicandum committo. Mihi autem graeci nominis, quod est στερέωμα, considerata virtute, tale vocabulum videtur meruisse eo, quod in eo totius corporalis creaturae situs stet ac terminetur. Ultra namque firmamentum nil sensibile, vel corporeum, vel locale, vel temporale [25] intelligitur esse. Omnium siquidem visibilium finis in ipso [26] firmatur. Στερέωμα enim dicitur quasi στερεὰ ἅμα [27], hoc est, solida simul: in ipso quidem omnia solida, hoc est corporalia simul terminantur, et stant. De aquis autem, in quarum [28] medio firmamentum fieri Deus dixit, non satis reperio quid dicam, non quod me latuerit, quid multi sanctorum Patrum de ipsis senserunt [29]. Sanctus siquidem Basilius in Exemero [30] suo velle videtur, *aquas illas abyssi nomine vocatas, undique circa terram diffusas, rarissimasque, ac* [31] *tenuissimas, super quas prius erant tenebrae, ac* [32] *deinde Spiritus Dei superferebatur, et in quibus primitiva lux, veluti trium dierum spatiis, gyrans informem adhuc terrenam molem resplenduit, densatasque* [33] *tertia die, et congregatas in locum unum, ut appareret arida in hoc loco significari, et in earum medio Deum dixisse firmamentum fieri.* Cui omnino sensui S. Augustinus [34] refragatur, nec tamen [35] de ipsis aquis, intra quas Deus firmamentum fecit, satis rationem reddidit. Aliorum namque opiniones introducens, quid ipse intellexit, qua occasione ignoro, non aperuit. Eos autem ceteris praeponit, qui spatia hujus aeris, quae sunt inter aquas marinas, et fluviales infra se positas, et illas in nubibus supra se suspensas, firmamenti nomine vocari contendunt. Nullius itaque sensu refutato, quid de

VARIAE LECTIONES

[1] A *et*. [2] Sic C; A *factae*. [3] A *rationis*. [4] C *Hoc*. [5] *veluti* om. A. [6] A *his*. [7] *enim* om. A. [8] Sic C; A caelestium *virtutem in forma earum*. [9] C *significat*. [10] A *ergo*. [11] C *conditionem*. [12] Sic C; A dicendum est. [13] C *In*. [14] A *quam*. [15] Conj., A *credunt*, C *credantur*. [16] C Non enim alibi *legitur, ut aiunt*. [17] A *aetheris et aeris*. [18] A *praeter*. [19] A *aquarum superiorum*. [20] Conj., A *sustentant*, C *sustinuit*. [21] A *contineant ac firment*. [22] C *tamen*. [23] C *corpulenta*. [24] C *determinari*. [25] A *vel tempo ale vel locale*. [26] A in *eo*. [27] Conj AC ΣΤΕΡΕΑΜΑ. [28] A *aquis vero, quarum in*. [29] C *senserunt*, sed corr. *senserint*. [30] A *examine*. [31] A *et*. [32] *ac* om. A. [33] A *densatas*. [34] A Cui omnino *sententia S. Augustini*. [35] A *tunc*.

ipsis [1] aquis senserim, paucis, si libet, rationibus explicabo. Disc. Libet quidem, ac [2] valde necessarium est [3]. De hac enim [4] quaestione adhuc, quod mihi satis videretur, a nullo est suasum. Mag. Totius itaque conditae naturae trinam dimensionem esse arbitror. Omne enim, quod creatum est [5], aut [6] omnino corpus est [7], aut [8] omnino spiritus, aut aliquod medium, quod nec omnino corpus est [9], nec omnino spiritus, sed quadam medietatis, et extremitatum ratione, et spirituali omnino natura, veluti ex una extremitate et superiori, et ex altera, hoc est, ex omnino corporea et inferiori [10] proportionaliter in se recipit, unde proprie et connaturaliter extremitatibus suis subsistit. Proinde si quis intentus [11] inspexerit, in hac ternaria proportionalitate hunc mundum constitutum intelliget. Siquidem in quantum in rationibus suis, in quibus aeternaliter [12] et constitutus est, et essentialiter subsistit, consideratur, non solum spiritualis, verum etiam omnino spiritus cognoscitur. Nemo enim recte philosophantium rationes corporeae naturae spirituales, imo etiam spiritus esse negarit; dum vero extremae ipsius deorsum versus inspiciuntur partes, hoc est, omnia ista corpora ex catholicis elementis composita, maxime etiam terrena, et aquatica, quae et generationi, et corruptioni obnoxia sunt, nihil aliud in iis invenitur [13] praeter corpus omnino et [14] corporeum. At si quis simplicium elementorum naturam intueatur, luce clarius quandam proportionabilem medietatem inveniet, qua [15] nec omnino corpus sunt, quamvis [16] eorum corruptione naturalia corpora subsistant ex [17] coitu nec omnino corporeae naturae expertia, dum ab eis omnia corpora profluant, et in ea iterum resolvantur: et iterum alterum [18] alteri superiori quidem extremitate comparata [19], nec omnino spiritus sunt, quoniam non omnino corporea extremitate absoluta, nec omnino non spiritus, quoniam [20] ex rationibus omnino spiritualibus subsistentiae suae occasiones accipiant [21]. Non irrationabiliter itaque diximus, hunc mundum extremitates quasdam a se invicem penitus discretas, et medietates, in quibus universitatis ipsius [22] concors harmonia conjungitur, possidere. Ponamus igitur inferiores hujus mundi partes veluti inferiores aquas. Nec immerito, dum totum, quod in hoc mundo nascitur, humore crescit atque nutritur; humida siquidem qualitate corporibus sublata, absque mora tabescunt, et decrescunt, et pene ad nihilum rediguntur. Nam et caelestia corpora ferventissima, et ignea, humida aquarum natura nutriri sapientes mundi affirmant, quod nec sacrae Scripturae [23] expositores denegant [24]. Spirituales vero omnium visibilium rationes superiorum aquarum A nomine appellari ratio edocet. Ex ipsis enim omnia elementa, sive simplicia sive composita, veluti ex quibusdam magnis fontibus defluunt, indeque intelligibili quadam virtute rigata administrantur. Nec hoc silet Scriptura clamans: *Et aquae, quae super caelos* [25] *sunt, laudent* [26] *nomen Dei*. Quamvis enim hoc de caelestibus virtutibus quis intelligat, praedicto sensui non repugnat, dum sit divinorum eloquiorum [27] multiplex interpretatio. Proinde harum aquarum in medio dixit Deus fieri firmamentum, hoc est simplicium elementorum naturam, quae quantum visibilia corpora superat, tantum ab invisibilibus eorum rationibus superatur, quantumque a superioribus suscipit, tantum inferioribus distribuit; quantum vero ab inferioribus recipit, tantum superioribus restituit, referens iis B omne quod ab iis defluxit. Quam prophetico spiritu legislator admonitus firmamentum appellavit. Abyssum namque intelligibilium rationum [28] super se positarum firma et inseparabili sua simplicitate fulcit [29]; fluxum vero mutabilium corporum, et maxime arida et humida qualitate compositorum, dum temporali vicissitudine resolvuntur, in seipsam retrahit, inque sua universali soliditate, ne pereant, custodit. Neque hoc ignorant, qui philosophiae studiis imbuti, transfusionem naturarum in se ipsas cognoscunt [30]. Causae quidem enim [31] in elementa, elementa in corpora descendunt, soluta corpora per elementa in causas suas resiliunt, ipsa etiam corpora in se invicem transeunt. In diluvio aer versus est in aquam, iterumque [32] reversa est aqua in aera. Dixit itaque Deus: *Fiat firmamen-* C *tum in medio aquarum*, hoc est, fiat soliditas simplicium elementorum inter profunditatem rationum suarum, et mutabilem fluxum corporum eorumdem concursu compositorum, *et dividat aquas ab aquis*, hoc est, corpora composita, locis dispersa, temporibus mutabilia, generationi et corruptioni distributa discernat a simplicibus rationibus locorum temporumque varietate carentibus, generatione et corruptione liberis, immutabili lege stabilitis [33]. Inter simplicitatem autem causarum et elementorum talis est differentia, quod illa causarum quidem absque locorum et temporum natura intelligitur, ista [34] vero locis temporibusque carere non potest; in eis enim continetur, et quod illa omnibus accidentibus absoluta semper sit, ista aliquando accidentia recipit, aliquando deponit; deponit D quidem in universalibus, in particularibus recipit.

27. Generaliter autem in omnibus sex primorum dierum operibus intelligendum est, ubicunque Scriptura commemorat: *Dixit Deus: Fiat lux*, *fiat firmamentum*, et cetera in reliquis diebus, primordialium causarum specialem conditionem significari, quarum universaliter creatio nomine caeli et terrae praemissa

VARIAE LECTIONES.

[1] A *his*. [2] A *et*. [3] *est* om. C. [4] *enim* om. C. [5] A *creatur*. [6] A *est vel*. [7] *est* om. A. [8] A *vel*. [9] A nec *est omnino corpus*. [10] *et inferiori* om. A. [11] A *attentus*. [12] A *essentialiter*. [13] A *reperitur*. [14] A *et omnino*. [15] C *quia*. [16] A *quoniam*. [17] A *subsistunt et*. [18] *alterum* om. C. [19] C *esse parata*. [20] C *cum* [21] Sic A; C *suscipiant*. [22] *ipsius* om. A. [23] C *scripturae sacrae*. [24] A *negant*. [25] A *supra coelum*. [26] A *laudant*. [27] A *mysteriorum*. [28] A *ratione*. [29] A *fulcit simplicitate*. [30] C *cognoscant*. [31] *enim* om. A. [32] C *iterum* (— *que* om.) [33] C *stabilitas*. [34] A *illa*.

est; ubicunque vero: *Et facta est lux, et fecit Deus firmamentum, et factum est ita*, earundem primordialium causarum in effectus suos per genera et species processionem. *Vocavitque Deus firmamentum caelum*. Juxta romanae linguae etymologiam caelum dicitur a pictura siderum, quasi caelati instar, ut Plinio placet, juxta vero graecam proprietatem οὐρανός, quasi ὅρος ἄνω, hoc est, visio desuper. Merito ergo firmamentum universalium elementorum οὐρανός, id est, caelum appellatur, quoniam omnem compositam corporeamque creaturam altitudine naturae supereminet. Sunt, qui tenuissimas aquas supra firmamentum, hoc est [1], super choros siderum esse putant; sed eos refellit [2] et ratio ponderum, et ordo elementorum. Alii vero veluti [3] vaporabiles aquas, et paene incorporeas supra caelum argumentantur ex pallore stellarum. Dicunt enim [4], stellas frigidas esse, atque [5] ideo pallidas; frigiditas autem non est, ut aiunt, ubi aquarum substantia deest: minus considerantes quod dicunt; nam et ubi ignis est substantialiter, ibi et frigiditas. Siquidem crystallum, cum sit frigidae naturae, carere tamen ignea virtute, quae omnia penetrat corpora, nullus sapiens dixerit. Ignea itaque vis, ubi ardet, calor est; ubi non ardet, frigus est; et non ardet nisi ubi materia sit [6], in qua ardeat, et quam consumat. Ideoque solares radii per aetherea spatia diffusi non ardent; in subtilissima enim ac [7] spirituali natura ardendi materiam [8] non reperiunt. Descendentes autem [9] ad corpulenti aeris spatia, veluti quadam materia operationis inventa, flagrare incipiunt, et in quantum ad crassiora corpora perveniunt, in tantum vim suam ardendo exercent in his, quae caloris virtute solvuntur, vel [10] solvi possunt. Dum vero sursum versus in extrema mundi intervalla tenuissima, spiritualique naturae proxima eriguntur, non invenientes materiam flagrandi, nullum calorem gignunt, illuminationis tantum operationem ostendentes. Ideoque aetherea, ac [11] pura, et spiritualia corpora caelestia ibidem constituta lucida sunt semper, caloris autem expertia, ac per hoc et frigida, et pallida esse creduntur. Proinde planeta ille Saturni nomine vocatus, quoniam choris siderum vicinus est [12], pallidus et frigidus [13] esse dicitur; solare autem corpus, dum medium mundi spatium possidet, quantum siquidem, ut aiunt philosophi, a terra ad solem intervalli est, tantum a sole [14] ad sidera, medietatem quandam intelligitur obtinere. Ab inferioribus enim naturis corpulentiam quandam, a superioribus vero spiritualem subtilitatem ad subsistentiam [15] sui recipit, ac veluti contrarias utriusque mundi partis, superioris videlicet et inferioris, in se colligit qualitates, quarum contentione veluti quadam statera ponderatum naturalem suum situm non sinitur deserere, gravitate quidem inferioris partis superius ascendere, levitate vero superioris inferius inclinari non permittente. Proinde splendidi coloris videtur esse, qui color medius est inter pallidum et rubrum [16], partem quidem ex palliditate frigidorum siderum supra, partem vero ex rubedine calidorum corporum infra in contemperantiam [17] sui splendoris accipiens. Planetae vero, qui circa eum volvuntur, mutant colores secundum qualitatem [18] spatiorum, in quibus discurrunt, Jovem dico, et Martem, Venerem, et Mercurium, quae semper circulos suos circa solem peragunt, sicut Plato in Timaeo edocet. Atque ideo dum supra solem sunt, claros ostendunt vultus, dum vero infra, rubros. Non igitur pallor siderum cogit nos intelligere, aquae elementum ullo modo supra caelum esse, dum ipsa palliditas ex caloris absentia nascatur. Sed quoniam de his longum est exponere, quicquid [19] ratio exigit naturae, redeamus ad propositum. *Et factum est vespere et mane dies unus* [20]. Eadem interpretatio est, quam et in [21] primi diei consummatione [22] praediximus. Quamvis enim alia contemplatio est spiritualium [23] mundi rationum in primordialibus causis, alia in simplicibus et universalibus elementis, alia in compositis particularibusque corporibus, unus tamen idemque intellectus est totius mundi universitatis. Et haec expositio in ceteris [24] diebus observanda est, ubicunque interponitur: *Et factum est vespere et mane dies unus*. Sat de secunda die, quantum brevitas exigit, est dictum.

DISC. Sat plane ac verisimile, quamvis multis, ac [25] pene omnibus ignotum. MAG. Sequitur ergo, ut de tertia die strictim dicamus. *Dixit autem Deus: Congregentur aquae quae sub caelo sunt in locum unum, et appareat arida, factumque est ita*. De congregatione aquarum in locum unum opinio illa, quam plurimi expositores hujus Scripturae a S. Basilio Caesareae Cappadociae antistite sumptam sequuntur, omnibus nota est, quoniam cogitantibus ea facillima [26] occurrit, quae infinitam aquarum, undique circa molem terrae adhuc informem et invisibilem diffusarum, spatia aeris et aetheris adhuc implentium, et primitivae lucis ambitu splendentium, tenuissimam ac veluti vaporalem quantitatem tertia die in unum locum congregatam autumat; in cujus medio firmamentum factum fuisse secunda die [27] credit, super quod superiorem aquarum partem suspendi putat, inferiores autem praedictae abyssi diffusiones in unum collectas, hoc est, intra [28] conclusi [29] suis littoribus oceani ambitum congregatas, ut appareret arida, locusque aeri et aetheri daretur. Sed haec opinio, consulta veritate, multis rationibus videtur titubare, et inconsequens om-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *i. e.* [2] C *refellet.* [3] *veluti* om. A. [4] *enim* om. A. [5] A *et.* [6] A *sit materia.* [7] A *et.* [8] C *materiem.* [9] A *vero.* [10] A *aut.* [11] A *et.* [12] A *est vicinus.* [13] C *illa.. vocata.. vicina.. pallida et frigida.* [14] C *tantum solem.* [15] A *substantiam.* [16] C *rubrumque.* [17] C in *contemperantia.* [18] A *qualitates.* [19] A *quantum.* [20] A *secundus.* [21] *in* om. A. [22] A *consummationem.* [23] A contemplatio *spiritualium sit.* [24] C *in residuis diebus.* [25] A *et.* [26] A *eam facillime.* [27] A *secunda die factum fuisse.* [28] A *inter.* [29] A *inclusi.*

nino, falsisque imaginationibus resultans. Non enim credimus, S. Augustinum sequentes, neque veritati convenire judicamus, molem illam terream primo omnium fuisse creatam, vel illam abyssum undique circa eam [1] diffusam, deindeque firmamentum in medio aquarum factum, deinde inferiorum aquarum sub caelo remanentium in unum locum collectionem, neque [2] ullum horum localiter temporaliterve aliud praecessisse [3], siquidem haec omnia, ceterarumque visibilium rerum natura simul et semel condita sunt, suis temporibus et locis ordinata et constituta, nulliusque eorum generatio in formas et species, quantitates et qualitates, generationem alterius temporalibus morulis praeoccupavit, sed simul ex aeternis suis rationibus, in quibus essentialiter subsistunt [4] in Verbo Dei, unumquodque secundum genus et speciem suam, numerosque individuos processere. Senaria namque sex primorum dierum quantitas, et intelligibilis divisio, de causis conditarum rerum, deque primo earum impetu simul in primam mundi hujus constitutionem intelligitur, et [5] quod simul et semel [6] a Creatore factum est, senarii numeri perfectione a Spiritu sancto per prophetam distinguitur non tempore, sed intelligibili distinctione, ut per numeri virtutem divinae operationis perfectio indicaretur. Hic namque numerus suis partibus impletur, nec totum partes superat, nec partes totum. Ut enim vox praecedit verbum non tempore, sed causa; de voce siquidem fit verbum, veluti de quadam materia informi corpus quoddam formatum: sic de causis adhuc incognitis, ac veluti visibilibus formis adhuc [7] carentibus [8] omnium rerum visibilium conditio [9], nullis temporum spatiis vel locorum interpositis, simul in formas numerosque locorum et temporum producta est. Et qui de materia informi mundum fecit, quemadmodum non aliunde accepit materiam, de qua faceret [10], sed a [11] seipso, et in seipso et accepit et fecit; ita neque loca extra se quaesivit, in quibus faceret, neque tempora spectavit, quorum intervallis opus suum perageret, sed in seipso omnia fecit, qui locus omnium est, et tempus temporum, et seculum seculorum, qui simul operatus est, omnia enim in momento oculi facta sunt. Nam et ea, quae per cursus temporum distincta generationem acceperunt, et accipiunt, et acceptura sunt, simul et semel in ipso facta sunt, in quo et praeterita, et praesentia, et futura simul et semel et unum sunt [12]. Praedicta itaque opinione repulsa quaeritur, quales aquae erant [13] sub caelo, quae congregatae sunt in locum unum, et quis est locus ille unus? Aquae siquidem sensibiles, quae vulgari vocabulo maris vel [14] abyssi vel [15] oceani appellantur, mox, ut ex occultis suis causis erupe-rant, in sua propria specie, et quantitate, et qualitate, in loco suo, hoc est, inter terram et aera huic terrae proximum apparuere, littoribus suis cinctae, partim in gremiis telluris, veluti in quibusdam poris magni cujuspiam corporis occulte discurrentes, partim superficiem ejus aperte contegentes, et in quibus locis dispersae fuerant, quando unum proprium non habebant, in quem postmodum coartatae terminos definitos non transgrediuntur. Quattuor etenim [16] principalia hujus mundi corpora ex quattuor simplicibus elementis composita, terram dico, aquam, et [17] aera, et aethera, cum omnibus, quae in eis, et de eis facta sunt, simul et semel species suas acceperunt [18] et loca, et numeros, et tempora, et intervalla, et differentias, et proprietates, mensuras quoque, et pondera, et omne, quod in eis sentitur, vel [19] sensum superat, et intelligitur, vel intellectum fugit. Sed si quis de talibus physicas reddiderit rationes, quia sensu corporeo comprehendi non possunt ab his, qui solummodo sensibilia [20] cogitant, aut spernetur, tanquam nihil dicat, aut allegorizare putabitur nescientibus [21] naturam sex motibus suis discernere. Physica siquidem substantiales naturae rationes, Ethica vero rationabiles ipsius vel irrationabiles motus considerat. DISC. Edissere, quaeso, quodcunque de hac quaestione solvenda videtur tibi verisimile, neminemque verearis, quoquo modo [22] ferat, sive non intelligat, quod [23] dicas, luce veritatis repercussus [24], sive [25] spernat veneno invidiae [26] corruptus, sive veterum opinionum zelo contentiosus. MAG. Post narrationem mundanae constitutionis, extremarum videlicet ipsius [27] partium sive invicem disparium, incorporalium dico rationum simpliciumque, secundum quas est condita, et compositorum corporum, generationi et corruptioni, locis quoque temporibusque obnoxiorum, quae quidem extremitates aquarum vocabulo propter causas praedictas appellatae sunt, medietatisque quattuor elementorum, quae firmamenti, caelive nomen acceperunt, ad contemplationem infimae ejusdem partis, omnium scilicet corruptibilium corporum, prophetica intentio videtur descendere, veluti ad tertiam naturae conditae theoriam. Primo [28] siquidem generaliter primordialium causarum in suos effectus processionem ex incognitis arcanisque naturae sinibus, quasi quibusdam tenebris, in lucem formarum multiplicium perspicuam intellectibusque [29] contemplantium, vel sensibus manifestam expressit; deinde secundo contuitu triformem mundi conditionem, in rationibus videlicet et universalibus elementis, inque corporibus particularibus atque compositis considerans, ad ipsorum solubilium et corruptibilium corporum, quae infimum totius creaturae obtinent locum, speculationem pervenit. Quoniam

VARIAE LECTIONES.

[1] A *illam*. [2] *neque* om. A. [3] A *processisse*. [4] A *existunt*. [5] C *eo*. [6] A *semel et simul*. [7] A *adhuc* om. C. [8] Sic C; A veluti *invisibilibus, formis adhuc carentibus*. [9] A *conditis*. [10] A *fecerat*. [11] A *de seipso*. [12] A *futura in unum sunt simul et semel*. [13] *erant* om. A. [14] A *et*. [15] A *et*. [16] A *enim*. [17] *et* om. A. [18] A *accipiunt*. [19] A *et*. [20] A *sensibilia solummodo*. [21] C *nescientes*. [22] A *quomodo*. [23] A *quid*. [24] A *non percussus*. [25] A *aut*. [26] A *invidiae veneno*. [27] A *illius*. [28] A *Imo*. [29] A *intellectibus*.

igitur omnium corporum, ex quattuor simplicium elementorum coitu compositorum, ex maximis usque ad minima pervenientium, triplex consideratio est [1]: aliter enim in iis materia inspicitur, aliter forma et species, quae, materiae [2] adjecta, omne solidum atque sensibile corpus efficit; siquidem sola [3] materia carens specie nullum corpus peragit, quia per se informis est, adjecta vero specie corpus [4] perfectum [5] fit; aliter essentia et substantialis forma, quae veluti fundamentum immobile formatam suffert et continet materiem [6]: necessarium erat, substantialem formam ex materia formata rationabili contuitu segregare. Maxima autem corpora dixi terram, aquam, aera, aetheraque, caelumque, in quibus innumerabilis maximorum [7] corporum, et mediorum, et minimorum [8] quantitas multiplicatur. Quae tamen [9] omnia, hoc est maxima, et media, et minima, ex quattuor purissimis, simplicissimis, invisibilibusque [10] per se elementis constituuntur, quoniam in ea resolvuntur; nullum enim elementum per se corporeo sensu attingitur. Si ergo, ut praedictis rationibus demonstratum est, quattuor illa pura elementa firmamenti [11] vel caeli vocabulo a Scriptura [12] propter suae naturae simplicem virtutem meruerunt appellari, nimirum omnia corpora ab eis et sub eis ineffabili eorum coitu constituta, aquarum sub caelo positarum possunt nomine comprehendi. Nec immerito; nam non solum mutabilia sunt, verum etiam generationi et corruptioni subjecta. Etenim illa [13], quae caelestia vel aetherea dicuntur corpora, quamvis spiritualia et incorruptibilia videantur esse, necessario tamen [14], quoniam per generationem et compositionem inchoaverunt fieri, ad finem suae solutionis et corruptionis pervenient. Si autem caelestia corpora necessariam sui solutionem expectant, veritate dicente: *Caelum et terra transibunt* [15]; et [16] Psalmista: *Opera manuum tuarum sunt caeli, ipsi peribunt*, et similia S. Scripturae testimonia, quid de infimis mundi corporibus est aestimandum, quae quotidie nascuntur atque solvuntur? Itaque si in omni corpore sive caelesti, sive terreno, sive aquatili instabilis inundatio materiae informis prospicitur; ita enim definitur, materia est mutabilitas rerum mutabilium capax omnium formarum, instabilitasque mutabilis formae, qua ipsa materia specificata formatur; ipsa namque est qualitativa forma, quae adjuncta materiae [17] corpus efficit; qualitativam quidem formam dico illam, quae ex qualitate sumpta et quantitate sensibus corporeis apparet, materiaeque instabilitati [18] adhaerens, cum ipsa semper fluctuat, generationem et corruptionem patiens, incrementa et detrimenta per quantitates et qualitates recipit, multisque ac [19] variis differentiis, quae extrinsecus ex qualitate locorum, aerum, humorum, ciborum similiumque occasionum accidunt, succumbit: nonne verisimile videtur, rectaeque rationi conveniens, ipsam mutabilitatem materiae cum ipsa forma qualitativa, quae ei adhaerens eundem aestum assiduae fluctuationis turbidaeque patitur, aquarum sub caelo simplicium elementorum positarum tropico nomine significari? [20] Substantialis vero forma vel species, in [21] genere suo incommutabiliter subsistens, quae [22] nullo modo cum corpore ex materia et qualitativa forma composito mutabilitatem patitur [23] — non enim cum corpore incipit, quamvis in corpore nascatur, sine quo per seipsam in genere suo essentialiter permanet, neque cum eo corrumpitur, quoniam omnis [24] essentia, et virtus, et operatio cum corruptibilibus et mutabilibus nec corrumpi, nec mutari possunt propriis suae naturae subsidiis solidata [25], — *aridae*, hoc est, terrae vocabulo non incongrue appellatur [26]. *Congregentur ergo aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et appareat arida.* Nisi enim contemplativus animus fluctuantem materiae adhaerentisque ei formae instabilitatem, veluti quosdam aestuantes fluctus, in unum intelligentiae locum, unus namque intellectus est materiae et adhaerentis [27] ei formae, quoniam unum corpus efficiunt, prius colligat, forma illa substantialis, naturali soliditate suae naturae semper stabilis, mentis oculis apparere non poterit. Ut enim diffusio aquarum telluris soliditatem, ne sensibus corporeis appareat, cooperit: ita corruptibilium corporum mutabilitas et innumerabilis multiplicatio subsistentis eis formae stabilitatem ab intellectualibus oculis, naturas [28] rerum contemplantibus, aufert, ne per seipsa [29] a corporibus discreta consideretur perspicue. Et quemadmodum recedentibus aquis, inque alveum suum undique collecte cumulatis, littora longe lateque nuda, ac [30] sicca, solidaque patescunt: sic instabilitate corruptibilium rerum mentis contuitu ab incorruptibilibus naturis uno contemplationis tenore segregata, mox formarum substantialium, et specierum immutabilis pulcherrimaque soliditas in generibus suis animi obtutibus arridet. Arida autem dicitur substantialium formarum stabilitas. Nec immerito; quoniam nuda et absoluta est omnium accidentium operimento. Omnis enim forma et species, in generali simplicitate, qua subsistit, considerata, accidentium concursu [31] omnino est libera; corpora vero, quibus subsistit, omnino [32] accidentium capacia sunt. De forma autem substan-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *est consideratio.* [2] A *materia.* [3] A *efficit; sola siquidem.* [4] *corpus* om. C. [5] *perfectum* om. A. [6] A *materiam.* [7] Conj.; A *minorum*; C *aliorum.* [8] A *numerorum.* [9] A *tunc.* [10] A *invisibilibus* (*que* om.). [11] *firmamenti* om. A. [12] A *scripturis.* [13] A *Illa etenim.* [14] A *tunc.* [15] A *peribunt.* [16] A *item.* [17] C *adjecta materie.* [18] A *instabili.* [19] A *et.* [20] A *ut ipsa mutabilitas* materiae c. i. f. q. q. e. *adhaeret*, e. *aestum fluctuationis assiduae* t. p. a. s. c. s. e. p. t. nomine *debeat* significari? [21] *in* om. A. [22] Pro *quae* C *et.* [23] Pro *patitur* C *sumit.* [24] *omnis* om. A. [25] *solidata* om. A. [26] A *appelletur.* [27] A *adhaerentisque.* [28] A *naturam.* [29] *ipsa* om. A. [30] *ac* om. A. [31] *operimento. Omnis enim forma — accidentium concursu.* om. C. [32] C *omnium.*

tiali, semperque permanente [1], deque ipsa mutabili ex qualitate et quantitate [2] materiae copulata, in primo libro satis, ut opinor, est actum. Et nunc breviter de iisdem repetendum, ne ulla ambiguitas legentibus relinquatur. Substantialis forma est ipsa, cujus participatione omnis individua species formatur, et est una in omnibus, et omnis in una, et nec multiplicatur in multiplicatis, nec minuitur in refractis. Non enim major est [3] forma illa, verbi gratia, quae dicitur homo, in infinita humanae naturae per individuas species multiplicatione, quam in illo uno et primo homine, qui primus [4] particeps illius factus est; nec minor in illo erat, quam in omnibus, quorum corpora ex illo multiplicantur: sed in omnibus una eademque est, et in omnibus tota aequaliter, in nullis ullam varietatem, vel [5] dissimilitudinem recipiens. Eadem ratio est [6] in omnibus substantialibus formis, in equo, in bove, in leone, ceterisque animalibus, in surculis quoque et herbis similis regula naturaliter constituitur; forma vero illa, materiae adhaerens ad constitutionem corporis, varia semper, atque mutabilis, inque diversas differentias secundum accidens dispersa. Non enim ex naturalibus causis visibilium formarum multiplex differentia procedit in una eademque substantiali [7] forma, sed extrinsecus evenit. Hominum siquidem inter se dissimilitudo in vultu, in quantitate et qualitate singulorum corporum [8], morum quoque, et conversationum varietas non ex humana natura, quae una eademque est in omnibus, in quibus est, et sibi semper simillima, nullamque [9] varietatem recipiens, sed ex his, quae circa eam [10] intelliguntur, contingit, ex locis videlicet, temporibusque [11], ex generatione, et qualitate et quantitate [12] alimoniorum, regionum, aerum, in quibus quisquis nascitur, seu nutritur, et ut [13] universaliter dicam, ex omnibus, quae circa substantiam intelliguntur, et non ipsa [14] substantia sunt. Ipsa enim simplex et uniformis est, nullisque varietatibus seu compositionibus obnoxia.

28. Quisquis ergo actu rationis omnia, quaecunque extrinsecus circa propriam substantiam singularum formarum, hoc est, circa individuas et specialissimas species uniuscujusque formae, verbi causa, hominis, equi, bovis, piscis, volatilis, herbarum, lignorum [15] intelliguntur vel sentiuntur mutabilia, veluti quadam multarum aquarum inundatione semper fluctuantia, ab ipsa intima substantia, circa quam volvuntur, dum sit ipsa incommutabili suae naturae tenore stabilita, segregare potuerit, inque unum locum congregaverit [16], hoc est, unius ejusdemque definitionis ambitu concluserit [17], dicens, omne, quodcunque circa propriam substantiam vel intelligitur, vel sentitur, varium et mutabile est, eamque inundationibus suis cooperit, ut vix ad purum [18] dignosci, quid sit, valeat: ipse aquas, quae sub caelo sunt, divinis admonitionibus in unum locum jubetur congregare, ut appareat arida, hoc est, ut occulta substantialis forma, circa quam accidentium fluctus exaestuant, intellectualibus oculis naturas rerum discernentibus clare perluceat. De eo autem, quod omnium rerum, quae definiri possunt, locus sit communis eorum, vel propria definitio, in primo libro satis, ut opinor, disputatum est. *Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria.* Vocabulorum geminatione in operibus trium primordialium dierum [19], in primo videlicet appellavit lucem diem, et tenebras noctem, in secundo vocavit Deus firmamentum caelum, in tertio vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria, duplicem totius creaturae speculationem significari arbitror. Aliter enim in causis, aliter in effectibus una eademque res theoriae speculationibus intimatur. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Visio Dei totius universitatis est conditio. Non enim aliud est ei videre, et [20] aliud facere, sed visio illius voluntas ejus est, et voluntas operatio. Merito autem omne, quod vidit Deus, est bonum. Divina siquidem bonitas bonorum omnium causa est, imo etiam omnia bona ipsa est. Nullum enim per se bonum est, sed in quantum bonum est, participatione illius boni, quod per se solummodo substantiale bonum est, bonum est. *Nemo enim bonus, nisi solus Deus. Vidit* ergo *Deus quod esset bonum*, hoc est, vidit seipsum in omnibus bonum. Non enim Deus vidit nisi seipsum, quia extra ipsum nihil est, et omne, quod in ipso est, ipse est, simplexque visio ipsius est, et a nullo alio formatur ipsa nisi a seipso. Et ait: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in ipso sit super terram.* Virtutem herbarum lignorumque in primordialibus causis conditam per haec verba prophetica commemorat, quae virtus vis seminum a sanctis Patribus solet appellari, in qua species illa animae, quae dicitur nutritiva et auctiva, operationem suam exercet, generationem videlicet seminum administrans, et quae genita sunt nutriens, incrementaque eis per numeros locorum et temporum distribuens. Et quoniam omne, quod in natura rerum visibiliter apparet, non aliunde nisi ex occultis naturalis et substantialis formae sinibus, quam aridae, vel terrae vocabulo significatam praediximus, originales causas generationis suae recipit [21], propterea scriptum est, *germinet terra herbam virentem* et cetera. Ac si aperte diceretur, vis seminalis herbarum et lignorum, quae in intimis substantiarum rationibus

VARIAE LECTIONES.

[1] A *manente.* [2] A *quantitate et qualitate.* [3] A *est major.* [4] A *prius.* [5] A *aut.* A [6] *Eadem ratione.* [7] *substantiali* om. A. [8] C *temporum.* [9] C *nullam* (*-que* om.). [10] A *illam.* [11] A *et temporibus.* [12] A *generatione quantitate et qualitate.* [13] *ut* om. A. [14] C *ista.* [15] A *et* lignorum. [16] A *congregare.* [17] A *concludere.* [18] *ad purum* om. A. [19] A *dierum primordialium.* [20] *et* om. A. [21] C *recepit.*

causaliter creata est, in formas et species sensibiles per generationem procedat. Quae processio primordialium causarum in effectus suos sequentibus Scripturae verbis explanatur: *Et factum est ita, et protulit terra herbam virentem, et ferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam.* Videsne, quemadmodum divina Scriptura genera et species manifestissime declarat? In quibus causaliter et invisibiliter subsistunt, quaecunque per generationem in quantitatibus et qualitatibus in notitiam corporalium sensuum erumpunt [1]. Si cui autem videtur, quod ista explanatio, quam de tribus [2] primis diebus juxta vires intentionis nostrae [3] protulimus, non secundum historiam sit, sed secundum leges allegoriae, intentus prospiciat [4] quadriformem sophiae divisionem.

29. Et est quidem prima πρακτική, activa, secunda φυσική, naturalis, tertia θεολογία, quae de Deo disputat, quarta λογική, rationalis, quae ostendit, quibus regulis de unaquaque trium aliarum sophiae [5] partium disputandum. Quarum una virtutes, quibus supplantantur vitia, penitusque eradicantur, investigat; altera rationes naturarum, sive in causis, sive in effectibus; tertia quid [6] de una omnium causa, quae Deus est, pie debeat aestimari; quomodo autem et virtus, et natura, et Deus rationabiliter quaeritur, quarta, ut diximus, edocet, diligenterque considerat, cui praedictarum sophiae partium narrationem [7] historicam de conditione rerum adjungere debeat. Et si non penitus philosophiae expers est, non alicui nisi physicae copulabit. Et si ita est, intueatur, quod a nobis allegorice dictum [8], et, ut opinor, inveniet [9]. In prima siquidem die primordialium causarum generaliter in effectus suos sensibus vel intellectibus comprehensibilem processionem, conditione lucis significatam, diximus. Quod autem primordiales causae rerum omnium substantiae sint in divina sapientia substitutae, testis est S. Ambrosius in Exemero suo, dicens: *Animadvertit* [10] *vir plenus prudentiae, Moyses videlicet* [11], *quod visibilium et invisibilium substantiarum rationes* [12] *et causas rerum mens sola divina contineat.* In secunda triformem mundi hujus constitutionem, ex rationibus videlicet suis, simplicibusque [13] elementis, corporibusque compositis perfectam, aquarum vocabulo, firmamentique in medio earum facti, non incongrue, ut reor, descriptam existimavimus. Tertiam vero mundi hujus [14] considerationem in segregatione eorum, quae in eo mutabilia sunt, ab his, quae naturae suae subsidiis custodita, incommutabiliter in eodem permanent statu [15] constituta, hoc est, in discretione omnium mutabilium accidentium rationabili contuitu

A ab immutabili substantialium formarum soliditate, aquarum congregatione, terraeque apparitione divinam Scripturam insinuasse arbitrati sumus. Nec immerito, quoniam frequentissimus divinorum eloquiorum usus est, visibilium rerum significativis vocibus, invisibilium rerum naturales subsistentias rationesque ad exercitationem pie philosophantium significare. Nec mirum, cum saepissime spiritualium et invisibilium rerum nominibus corporales sensibilesque assuescat innuere. Cujus reciprocae metaphorae dum sunt [16] multa exempla et innumerabilia, praesenti negotio cumulare, omnibusque in divina Scriptura exercitatis manifestissima, longum videtur atque [17] superfluum; paucis tamen exemplis utamur. *Quod natum est ex carne, caro est*, hic totus

B homo originali peccato nascens carnis nomine vocatur; et *quod natum est ex spiritu, spiritus est*, totus homo ex regeneratione in Christo renascens vocabulo spiritus exprimitur. Et si quis dixerit, non totus homo ex carne nascitur, sed sola hominis caro, respondebo: non igitur totus homo ex spiritu nascitur, sed sola anima. Et si ita est, sequitur, gratia baptismatis corporibus non prodest [18]. Si autem totus homo, anima videlicet et corpus, in Christo renascitur, et spiritus efficitur, necessario totus homo in Adam [19] ex carne nascitur, et caro est. Ac sic concluditur, et carnem appellari spiritum, et spiritum carnem. Verbum Dei vocatur caro, et caro verbum, et similia, in quibus simul et συνεκδοχή intelligitur, et μεταφορά. Non ergo allegorizavi-

C mus [20], dum nomine lucis species rerum visibiles et intelligibiles, tenebrarum vero significatione [21] causas substantiales, omnem sensum et intellectum superantes, in mente divina aeternaliter substitutas, divinam Scripturam insinuasse diximus, aquarum vero, et firmamenti [22] in medio aquarum [23] symbolicis appellationibus hujus mundi visibilis triplicem substitutionem, in causis videlicet suis, quas S. Ambrosius *substantias rerum visibilium in mente divina praeconditas* appellat, et in universalibus elementis, quae Graeci catholica στοιχεῖα vocant, eo quod sibi invicem conveniant et concinant. Στοιχείωσις enim est διατύπωσις, hoc est, conformatio [24]. Illorum namque concursu omnia corpora visibilia conficiuntur. Ideoque Athenienses στοιχεῖα litteras [25] ap-

D pellant, quarum compositione [26] articulata vox perficitur. Nec immerito. Dum enim viritim considerantur pura et a se invicem segregata, videntur esse contraria; frigus siquidem calori, humiditas siccitati contradicit; dum vero in se invicem miscentur, omnium rerum visibilium harmonia quadam mirabili atque ineffabili compositiones efficiunt. Re namque vera non elementorum substantiae, sed qualitates

VARIAE LECTIONES.

[1] C *erumpuntur.* [2] *tribus* om. A. [3] A intentionis *naturae.* [4] A *perspiciat.* [5] *sophiae* om. A. [6] A *quod.* [7] A *numerationem.* [8] A dictum *est.* [9] C *non inveniet.* [10] A *advertit.* [11] A *scilicet.* [12] *rationes* om. C. [13] A *simplicibus* (— *que* om.). [14] *hujus* om. A. [15] *custodita — statu* om. C. [16] C *sint.* [17] A *et.* [18] A *gratiam* baptismatis *nihil* corporibus *nostris prodesse.* [19] Pro *in Adam* C *eandem* [20] A *allegoriavimus.* [21] A *significationem.* [22] C *firmamento.* [23] A *earum.* [24] C *confirmatio.* [25] C *literarum.* [26] C quarum *coitu.*

dissentiunt. Quas videlicet compositiones, quoniam solvi, et in ea, quorum coitu efficiuntur, redire possunt, aquarum, quae sub caelo sunt, vocabulo congruentissime Propheta significavit. Quoniam vero harum rerum visibilium corporeis sensibus subjectarum duplex speculatio est; aliter enim in eis subjectas et immutabiles subsistentias, quibus proprie subsistunt, aliter accidentia, quae augeri et minui patiuntur, instabilique motu semper variari non desinunt, speculamur: necessarium erat, mutabilia ab immutabilibus segregari, hoc est, accidentia a substantiis intellectuali [1] dijudicatione discerni, et mutabilia quidem veluti instabilium aquarum, ac semper fluctuantium, immutabilia vero, suaeque naturae stabilitate subsistentia, solidae telluris aridaeque vocabulo significari. In his ergo omnibus nulla allegoria, sed nuda [2] solummodo physica consideratio tractatur, mutuatis sensibilium nominibus ad significanda invisibilia frequentissimo divinae Scripturae usu. Sed ne S. patris Basilii reverendissimos videamur spernere intellectus, quid de hoc senserit, quantum mihi datur intelligere, breviter intimabo. In quarta Homilia in Genesin: *Congregentur*, inquit, *aquae in congregationem unam. Ne influens aqua recipientes se regiones superfundens, crescensque semper, et alias* [3] *ex aliis implens, omnem contigua includeret Epirum, eo jussa est* [4] *congregari in congregationem unam* [5]. *Ac* [6] *per hoc saepe fluctuans ex ventis mare, et in altitudinem maximam sublevatis fluctibus, mox, ut littora tetigerit, in spumam solvens impetum, revertitur. An me non timebis* [7], *dicit Dominus, ponentem terminum mari arenam, in firmissimo omnium sabulo, ne* [8] *videlicet violentiae invecti maris refrenantur* [9]. *Alioquin quid*, inquit, *prohiberet rubrum mare, omnem Aegyptum, dum sit humilior, intrare, et cooperire Aegypto pelagus incumbens, si non praecepto esset Creatoris impeditum* [10]. *Nam quia humilior est rubro mari Aegyptus, quidam volentes opere sibi invicem* [11] *pelagos conjungere Aegyptium et Indicum, in quo rubrum est mare: propter hoc prohibiti sunt conatibus, et primus inchoans Sesostris Aegyptius, ac postea volens perficere Darius Medus. Haec a me dicta sunt, ut intelligamus praecepti virtutem: Congregentur aquae in congregationem unam, hoc est, nulla* [12] *a seipsa recedat* [13], *sed in prima collectione congregata permaneat* [14]. Deinde dicens: *Congregentur aquae in congregationem unam; ostenditur* [15], *quia multae erant per* [16] *multos modos segregatae aquae. Juga namque montium, profunda* [17] *vallium irrigua, aquarum collectionem habebant* [18]; *et adhuc campi multi et*

A *planities, nil maximorum pelagorum magnitudinis* [19] *indigentes, et sulci multi, et convalles secundum alias et alias figuras, cava* [20] *omnia, undarum tunc plana, conjuncta sunt, ipsis divino praecepto ad unam congregationem undique aquis collectis* [21].

30. His atque hujusmodi verbis praedicti auctoris aperte suadetur, ob hanc causam multitudines aquarum, ubique per cava et plana terrarum diffusas, in congregationem unam divino praecepto fuisse collectas, ne totam terrae superficiem inundationum suarum cumulationibus cooperirent, et ut [22] ad usus humanae habitationis appareret arida, herbis arboribusque decorata, diversis animalium formis copiosa, amplissimis Oceani, diversorumque pelagorum littoribus cincta, et ab impetu fluctuantis maris, areno-
B sis obicibus divinae jussionis virtute roboratis munita. Divini siquidem praecepti vigore validissimus undarum furor refrenatur et repercutitur, ne plana terrarum et humiliora se loca obruant. Haec autem, ut dixi, subjungere volui, ne forte quis diceret, quare gloriosissimi sacrae Scripturae expositoris sensum omnino praeterire ausi sumus.

31. Disc. Provide cauteque. Non enim debemus divinorum Patrum intellectus ullo modo negligere, seu annullare, praesertim cum nos non lateat [23], eos saepissime simpliciter disputasse, capacitatem audientium non satis idoneam ad profundissimos spiritualis virtutis naturalium rationum percipiendos intellectus providentes. Atque ideo non temere dixerim, ut opinor, deiferum Basilium, superna gratia
C illuminatum, simplicius exposuisse sex primorum dierum intelligibilium operationes, quam intellexerat, sermonem simplicitati auditorum coaptans. Siquidem homiliariter ad populum locutus est, et quod simul et semel a Deo factum fuisse altius cognoverat, veluti temporum morulis dispertitum propter eos, quorum sensus moras temporum, locorumque distantias superare nescierat, exposuit. Quod et ipse sublimissimus prophetarum Moyses fecisse dignoscitur. Non enim semel et simul [24] potuit narrare, quod semel et simul [25] Deus potuit facere. Siquidem et nos, qui adhuc in tenebris ignorantiae palpebrantes [26] lucem veritatis conamur aspicere, non omne, quod simul mente concipimus [27], verbis explanare valemus [28]; omnis namque ars, in animo sa-
D pientis universaliter formata, diversis literarum et syllabarum, dictionumque temporalibus morulis, necessario particulariter ordinateque in aures discentium diffunditur. Non ergo praedictum Patrem debemus arbitrari simpliciter intellexisse, quod simpliciter videtur exposuisse. Quis enim aude-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *intellectualibus*. [2] *nuda* om. A. [3] A *alia*. [4] Pro *eo jussa est* C *visa est*. [5] *unam* om. A. [6] *Ac* om. A. [7] A *timebitis*. [8] Conj. A *sabulo*, C *sablone*. [9] A *infirmissimo omnium sabulo maris violentia invecti refraenatur*. [10] Sic C.; A cooperire *seque mari, quod Aegypto adjacet, conjungere, nisi praeceptum Creatoris esset impedimentum*. [11] Sic C A quidam *opere persuaserunt nobis, volentes invicem* [12] A *ne illa*. [13] A *recedant*. [14] A *permaneant*. [15] C *ostendit tibi*. [16] *per* om. A. [17] A *profunditate*. [18] C *habent*. [19] A *multitudinis*. [20] A *cava quae*. [21] A conjuncta sunt, *et Dei ipsius* divino praecepto. a. u. c. u. *aquae collectae*. [22] *ut* om. A. [23] C *non nos lateat*. [24-25] A *simul et semel*. [26] Sic C; A *palpantes*; f. *palpitantes*. [27] C *consvicimus*. [28] A *valeamus*.

bit divinum luminare reprehendere, dum nesciat, quantum in seipso potuit, lucere, lumenque suum minus capacibus temperanter voluit distribuere! Nam non [1] facile crediderim, magnum praeconem sapientiae, plenissimum virtute, intellexisse aut cogitasse, inertem [2] molem telluris, tenebrosam, infinita adhuc abyssi inundatione undique coopertam, per moras temporum prius fuisse conditam, ac postea peracto duorum dierum spatio, per intervalla temporum transactorum, veluti inchoante tertia luce, denudatam abysso illa, qua tegebatur, in congregationem unam collectam. Haec enim omnia et cetera, quae de sex primordialium dierum operibus divina Scriptura commemorat, simul et semel divino praecepto absque ullis temporalibus intervallis, suis rationibus, secundum quas condita sunt, distincta et facta fuisse, et in species suas producta, beatissimus perspexerat, ut arbitror [3], Basilius. An aliud ex verbis ipsius in nona homilia Exemeri sui intelligendum? *Intellige*, inquit, *Verbum Dei per creaturam currens, tunc incipiens, et usque nunc operans, et in finem perveniens* [4], *donec mundus consummetur. Utque sphaera cum ab* [5] *aliquo impellitur, si proclivo quodam accipiatur, et propria conformatione, et commoditate regionis fertur in proclivum* [6], *nec prius stans, quam aequalitas camporum ipsam suscipiat: sic natura existentium, uno praecepto mota, in generatione et corruptione creaturam* [7] *plane percurrit, generum consequentias per similitudinem salvans, donec ad ipsum descendat finem. Equum quidem equi facit successorem, leonem leonis, aquilam aquilae, et nunc quodque animalium consequenter successionibus conservatum, usque ad* [8] *consummationem universitatis transmittit* [9]. Intuere vim similitudinis. Verbum Dei, inquit, per omnia ab [10] initio creaturae usque ad finem universitatis semper operans omnia et movens percurrit; uno namque praecepto, veluti unam quandam sphaeram, unam naturam eorum, quae sunt simul et semel facta, movet in genera et species, quae currens veluti in proclivum [11] quoddam voluta, currere non desinet, donec ad finem universitatis, veluti ad quandam quietem perveniat. Unum igitur Dei [12] Verbum uno praecepto unam existentium naturam fieri jussit, quam simul et semel et condidit, et in species proprias produxit. Ut enim uno praecepto, repetito tamen [13] sexies a Theologo, naturam omnium simul creavit, ita ipsa natura simul in omnes coepit currere creaturas, nec ulla alteram locorum seu temporum numeris seu spatiis praecessit. MAG. Juste recteque magnum [14] virum praedicas, nec aliter de ipso est sentiendum. Pulchre igitur, segregata multitudine [15] accidentium stabilitate substantiae, multiplex ipsius vis, per diversas species visibiliter erumpens, herbarum lignorumque significationibus insinuatur. Omnis enim species in genere, et omne genus in [16] substantia naturaliter continetur. Item omnis substantia per genera [17] in [18] formas speciesque proprias vim suam exserit, et hoc totum, vita illa, quae in seminibus operatur, divini praecepti virtute jussa administrat. Ideoque herbas lignaque, animalia fixa in loco physici non irrationabiliter appellant. Sunt enim animata corpora, locorum et temporum intervallis crescentia, suisque locis, in quibus crescunt, fixa. Et notandum, quod [19] quemadmodum aquarum collectio per se stare non potest, nisi mole terrae sustineatur, sive interius per occultos poros, sive exterius per apertas inundationes discurrens, sive stagnis lacubusque stans: ita accidentium inundatio non nisi in subjecta substantia consistere praevalet, sive in occultis subjecti sinibus lateant, ut sunt qualitates et quantitates, causaliter, sive foras erumpant, et in aliqua materia appareant, ut sunt moles corporeae diversis coloribus superfusae, sive stabilia sint, ut species atque [20] figurae, quae adjectae mutabilitati materiae [21] visibilia efficiunt corpora, statu quodam speciali conformata, et in unum colligunt [22], ne subito solvantur, inque fluxus suae mutabilitatis speciem, qua continentur [23], deserentia labantur et refluant. Sed ne in talibus diutius immoremur, ad quartam mundanae constitutionis transeamus speculationem.

32. DISC. Series disputationis ita exigit. Nam si per singula, quaecunque de talibus et [24] quaerenda et solvenda sunt, quis [25] investigare voluerit, prius ei tempus deficiet, quam ad finem omnium, quae tractanda sunt et [26] ad purum discutienda, valeat pervenire. MAG. Peracta itaque duarum inferiorum visibilis hujus mundi partium, terrae videlicet et aquae, formationis narratione, imo etiam simul ac [27] semel, absque ullis temporalibus morulis, divino praecepto in generibus suis et speciebus formatarum, locis quoque, certisque finibus circumscriptarum speculatione, mox ad superiorum partium, aeris dico et ignis, constitutionem divinus cosmographus mentis intuitum convertit, dicens: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et* [28] *tempora, et* [29] *dies, et noctes, et annos, et luceant in firmamento caeli, et illuminent terram; et factum est ita*. Audisti conditionem generalem omnium luminarium caelestis firmamenti in primordialibus causis ante omnem diem, et tempus, et locum; audi eorundem processionem in effectus suos, in species proprias multiplicatam, locorum intervallis discretam, temporum curriculis volubilem, motu

VARIAE LECTIONES.

[1] A *Neque*. [2] C *innormem*. [3] *ut arbitror* om. A. [4] A *proveniens*. [5] *ab* om. A. [6] A in *decursu*. [7] *creaturam* om. A. [8] C *ad* om. C. [9] C *admittit*. [10] A *et*. [11] A *declive*. [12] *Dei* om. A. [13] A *tunc*. [14] A *maximum*. [15] A *mutabilitate*. [16] *in* om. A. [17] A *per generationis*. [18] *in* om. A. [19] *quod* om. A. [20] A *et*. [21] *materiae* om. A. [22] A *colliguntur*. [23] A *continetur*. [24] *et* om. A. [25] A *quisquis*. [26] *et* om. A. [27] A *et*. [28-29] A *in*.

stabili, statuque mobili compactam. *Fecitque Deus duo magna luminaria, luminare majus, ut praeesset diei, et* [1] *luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas*, et cetera, quae de operibus quartae lucis Scriptura commemorat. De firmamento, dum de secunda die tractabamus, quae nobis verisimilia visa sunt, exposuimus. Non enim, ut opinor, aliud firmamentum secundo die est factum in medio aquarum, et aliud, in quo quarto die facta est series caelestium luminarium. Siquidem si aliud esset, fortassis Scriptura non sileret, sed diceret, fiant luminaria, et firmamentum caeli, sicut dixit: *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Nunc autem, quoniam non dixit, fiat firmamentum, sed *fiant luminaria in firmamento*, clare datur intelligi, unum idipsumque esse firmamentum, quod secundo die in medio factum est aquarum, et in quo postmodum non spatio temporis, sed distantia propheticae visionis, siderea luminaria condita sunt. Cum igitur tria corpora maxima mundi sint, ut philosophi perhibent, quorum unum infimum, mediumque totius mundi, instar centri in circulo seu sphaera, aridam vel [2] terram divina vocavit auctoritas, segregatione aquarum tegentium se specificatum, herbarum lignorumque pulcherrima varietate coopertum, sive quis simpliciori sensu visibilem hanc molem in medio mundi positam, oceani limbo circumcinctam, terrae aquarumque vocabulis significatam, sive altiori intellectu substantiae ab accidentibus dijudicationem intellexerit; herbarum vero et lignorum nominationibus, sive haec ornamenta sensibilia, quibus aestivis temporibus terrena vestitur superficies, vi seminum erumpentia, telluri radicitus fixa, humore nutrita et corpulentia, sive intelligibiles species, ex intimis naturalibusque [3] substantiae sinibus procedentes, instar herbarum lignorumque de terra nascentium praeceperit [4]; aliter namque in omni sensibili corpore quantitatis molem, qualitatibus suis subjectam, corporeis sensibus consideramus, aliter invisibilem substantiam, speciesque proprias in ipsa subsistentes mentis acie intelligimus, secundum quas rerum omnium visibilium et invisibilium numerositas multiplicatur, universalitas [5] colligitur, proprietas custoditur: ad aliorum duorum maximorum mundi corporum theoriam prophetica intentio conversa est. *Fiant luminaria*, inquit, *in firmamento caeli.* Recordaris, ut opinor, de hoc nomine firmamenti in medio aquarum constituti, dum de eo tractabamus, nostri intellectus [6]. Disc. Recordor sane. Si non me [7] fallit memoria, convenerat quidem inter nos, nil probabilius eo [8] nomine significari, quam quattuor simplicium ele-

A mentorum universitatem, quae dum per se purissima sint, et incomprehensibilia omni corporeo sensu, et ubique universaliter diffusa, invisibili suo meatu, proportionabilique coitu in se invicem, omnia corpora sensibilia perficiunt, sive caelestia sint, sive aerea, sive aquatica, sive terrena, sive maxima sint [9], sive minima, sive media, et, ut universaliter dicam, tota caelestis sphaera, et omnia, quae in ea, et extra [10] eam [11] a summo usque deorsum [12] continentur, eorum concursu nata [13] sunt, et quicquid in ordine seculorum vicissitudine rerum corruptibilium nascitur, ab ipsis procedit, et in ipsa resolvitur. Haec autem vocantur a Graecis πῦρ, ἀήρ, ὕδωρ, γῆ, hoc est, ignis, aer, aqua, terra, ex nominibus maximorum corporum, quae ex eis componuntur, denominata. B Ubi notandum, quod non ex coitu substantialium elementorum, dum sint incorruptibilia et insolubilia, sed ex eorum [14] qualitatibus sibi invicem proportionaliter [15] copulatis corpora sensibilia conficiuntur. Qualitates autem quattuor elementorum notissimae sunt quattuor [16]: caliditas, humiditas, frigiditas, siccitas, ex quibus omnia corpora materialia adjectis formis componi, physica perhibet theoria. Quarum quidem activas esse duas philosophi dicunt, caliditatem et frigiditatem; passivasque [17] duas, humiditatem et ariditatem. Dum enim caliditas humiditati, et frigiditas ariditati naturali quodam coitu miscentur, omnia, quae in terra et mari nascuntur, procreationem accipiunt. Quod etiam Poeta intelligebat, dicens:

C

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether
> Conjugis in gremium laete descendit [a].

Patrem siquidem igneam qualitatem, quae est caliditas, fecundos vero imbres aquaticam, quae est frigiditas, appellavit; conjugis vero gremium fertilitatem humiditatis, quae est qualitas aeris propria, et ariditatis, quae est terrae qualitativa proprietas, vocando, unius veluti uxoris nominatione [18] terram cum sibi proximiori et corpulentiori aere significavit. Hinc colligitur, ut duae qualitates activae sibi invicem contrariae, caliditatem dico et frigiditatem [19], duabus passivis sibimet oppositis, humiditati videlicet et ariditati copulatae, occasionem omnibus in terra et in aquis nascentibus praebeant generationis et incrementorum. D Et ne quis miretur, frigiditatem, dum sit proprie aquarum, de superioribus hujus aeris partibus veluti in gremium terrenae [20] ariditatis descendere, cognoscat, aquas in nubibus suspensas frigidiores esse marinis fluvialibusque fluentis. Si autem ad haec quis dixerit, quare ergo multi philosophorum, teste S. Augustino, affirmant, ignem et aera [21] agere, aquam vero et terram

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A. [2] *vel* om. C. [3] A *naturalibus.* [4] Conj., AC *perceperit.* [5] A *universitas.* [6] A *nostri considerationem intellectus.* [7] A *me non.* [8] A *in eo.* [9] *sint* om. A. [10] C *intra.* [11] A eam *sunt.* [12] A usque *ad* deorsum. [13] Conj., AC *nota.* [14] *eorum* om. C. [15] *proportionaliter* om. A. [16] *quattuor* om. A. [17] A *passivas.* [18] A *nominationem.* [19] *caliditas videlicet et frigiditas.* [20] *terrenae* om. A. [21] A *aerem.*

NOTAE.

[a] Virgil. Georg. II, 325.

pati, si aqua frigida ariditati terrae mixta in seminibus agit, et non patitur, huic satis est respondere, aquam frigidam esse et humidam, sed humiditatem ab aere, frigiditatem vero a seipsa recipere [1]. Ea qualitate, quam ex vicino sibi elemento suscipit, actum calidi patitur; ea vero, quae sua est, semper in seminibus agit. Quis enim naturalium rationum peritus ignorat, solam sinceramque [2] caliditatem absque aliquo [3] ex frigiditate temperamento, aut solam sinceramque frigiditatem sine quadam caliditatis mixtura cujusdam [4] corporis nullam generationem agere, aut ex sola humiditate, seu [5] sola ariditate sine utriusque contemperantia nullum corpus naturali passione nasci? In his tamen, in quibus mundanae philosophiae studium exercetur, longius immorari non valde est necessarium. Proinde paucis his de quattuor qualitatibus quattuor universalium elementorum praelibatis, quae, quoniam medietatem quandam inter primordiales causas et composita corpora obtinent, firmamenti nomen acceperunt, ad luminarium, quae in ipso constituta sunt [6], expositionem properandum video. Mag. Recte vides. Si ergo nomine firmamenti quattuor simplicissima universalissimaque mundi elementa vocantur, quid tibi videtur? Num illa quattuor ubique in omnia corpora, sive aetherea, sive aerea, sive aquatica, sive terrena diffunduntur connexa, ita ut nullum sensibile corpus possit reperiri, quod illorum omnium [6*] careat concursu? An quaedam ex quibusdam, non autem omnia ex omnibus confluunt? Disc. Huic quaestioni facillimum est satisfacere, quoniam a mundi philosophis quaesita est, et rationabiliter inventa. Aiunt enim, intra ambitum mundi hujus sensibilis nullum corpus intervallis [7] longitudinis, latitudinis, altitudinis dimensum posse fieri, in quo quattuor elementorum natura, quamvis invisibiliter, non valeat intelligi. Nam sicut omne, quod sensus corporeus in eis attingit, non aliunde nisi ex qualitatum quattuor elementorum confluxu in se invicem suae constitutionis materiem [8] recipit; ita omne, quod in eisdem, in quantum corpora sunt, rationabilis investigatio invenit, nil aliud est praeter ipsorum simplicium et inseparabilium elementorum uniformiter conventum. Ideo autem additum est, in quantum corpora sunt, ne quis existimaret, nos substantias rerum, seu genera, seu species, seu illam vitam, quae omnia corpora, in quibus motus vitalis cognoscitur, et animare et nutrire perhibetur, in hoc loco tetigisse vel tractasse. Haec enim ultra omnem universaliter corpoream naturam et sunt, et intelliguntur, et sine quibus nulla corporea natura, sive incomprehensibilis sit sensibus corporeis, ut sunt quattuor illa elementa, de quibus nunc agitur, sive comprehensibilis, ut sunt diversarum qualitatum

A materialium rerum sensibilem constitutionem praestantium conventus. Quamvis itaque qualitatum quaedam quidem in quibusdam corporibus plus, quaedam vero minus sensibus appareant, synodus tamen ipsorum catholicorum elementorum una eademque uniformiter commensurabilis in omnibus est. Mens siquidem divina examinationem totius mundani corporis inter duas extremitates sibi invicem e contrario oppositas aequali lance libravit, inter gravitatem dico et levitatem, inter quas omnis constitutio [9] visibilium corporum ponderata est. Proinde omnia corpora, in quantum gravitatem participant, in tantum terrenarum qualitatum capacia sunt [10], hoc est, soliditatis, et stabilitatis; in quantum vero ex levitate attrahunt, in tantum qualitates caelestes participant, inanitatem dico et mutabilitatem;
B media autem, quae simili libramine extremitates [11] attingunt, aequali participatione illarum qualitates possident. In omnibus autem quattuor elementorum universalium unus idemque motus est, et status, et capacitas, et possessio. Mag. Probabiliter responsum est. In hoc enim omnes physici consentiunt. Ubique igitur sunt per totum sensibilem mundum aequali mensuratione atque concursu quattuor purissima elementa, firmamenti vocabulo divina auctoritate appellata. Disc. Jam datum est, et ratione inventum. Graecorum quoque nominum interpretatio testis est; siquidem πῦρ ignis propterea dicitur, ut arbitror, quia per poros, hoc est, occultos meatus omnia penetrat. Nullum enim corpus est, ex quo ignis excuti non
C valeat, collisione quadam attractus. Nam et [12] attritus undarum scintillant [13], nec omnino currerent, si caliditatis expertes essent. Quid dicam de coloribus, qui de [14] lucis natura absque dubio procedunt? Nonne [15] omnibus corporibus superfusos esse videmus? Aer nominatur [16], id est, spiritus, quia per omnia spirat. Nulla namque sensibilis natura est, quam subtilissimus aer penetrare non possit. Quod ex odoribus et [17] sonis possumus argumentari. Non enim invenies corpus, quod quendam odorem olfacientibus, aut quendam sonum pulsantibus non reddat. Ὕδωρ vocatur, id est aqua, quasi εἶδος ὁρώμενον, hoc est, species visa. Nulla siquidem corporea res est, ex cujus superficie, attritu quodam levigata, imago quaedam
D resultare non valeat. Ἄχθος appellatur terra ex gravitate. Non enim ullum [18] corpus est [19], quod proportione sui ponderis naturalem suum locum non appetat, sive in medium mundi, sive in extrema vergatur. Nec hunc sensum refutat illud aliud nomen terrae, quod est γῆ, quod proprie vallem significat; siquidem uniuscujusque creaturae est vallis locusque [20], in quo propria sua definitione circumscribitur. Cum ergo aliquod corpus perspexeris, si in eo colorem

VARIAE LECTIONES

[1] Conj., AC *recipiens*. [2] A *sinceram*. [3] A *ullo*. [4] A *cujusquam*. [5] A *aut ex*. [6] A *sunt constituta*. [6*] *omnium* om. A. [7] A *intellectualis*. [8] A *materiam*. [9] A *medietas*. [10] A *sunt capacia*. [11] A *extremitatem*. [12] *et* om. A. [13] C *scintillat*. [14] C *ex*. [15] A *Non*. [16] A *nominatus*. [17] C *ac*. [18] Pro *non enim ullum* C *nullum*. [19] *est* om. A, [20] C *locus* (*que* om.).

lucis [1] senseris, subesse igneum; si sonum, seu spontaneum, seu artificialem, subesse aereum; si ex plana superficie naturae, seu arte quandam imaginem resultare, subesse aquaticum, ubi enim non resultat, ibi non est defectus naturae, sed industriae, ubi aliquem appetitum naturalis stationis sursum versus seu deorsum, subesse terrenum intellige elementum, multaque [2] alia sunt argumenta naturalia, quibus quattuor elementorum inseparabilis concursus in omnibus compositis [3] corporibus semper et ubique indubitanter cognoscitur. Mag. Quae a te dicta sunt [4], rata mihi verique similia [5] videntur. Quod ergo scriptum est : *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento caeli*, ita intelligere debemus, ac si aperte diceretur : Fiant siderea [6] corpora clara lucidaque in quattuor elementis ubique diffusis, ex eorum qualitatibus composita. Etenim aliter in eis subjecta corpora, suis spatiis collocata intelliguntur, aliter claritas ab iis per universa mundi elementa ubique refulgens. Siquidem aliud est album, aliud albedo. Nec id ipsum est clarum, et claritas ; unum namque subjectum, aliud accidens. Divino itaque praecepto, quo imperatum est : *Fiant luminaria in firmamento caeli*, vehicula lucis, ut ait S. Basilius, quibus circa mundi ambitum certis temporum [7] intervallis, veheretur, facta sunt. Et vide, quam provide loquitur Scriptura. Non dixit, fiat luminare majus, et luminare minus, sed *Fiant luminaria*. Generaliter enim omnium caelestium corporum lucentium super terram conditionem expressit. Quorum quaedam quidem non longe a terra statuta sunt, ut luna, quae centum viginti sex millibus stadiorum, teste Pythagora, a telluris mole exaltatur in altum. Ideoque vicina terris appellatur, in cujus umbram saepe incidens, solari luce deserta, defectum luminis patitur. Illudque spatium, quo luna distat a terra, tonum philosophi, hoc est, spatium cum rationabili quantitate vocant. Duobus siquidem modis harmoniae vocum periti tonos dicunt. Nam et diastemata, hoc est, sonorum intervalla, et analogias, hoc est, eorum proportiones tonos appellant. Quaedam vero in medio mundi, ut sol, omnesque planetae, qui circa eum volvuntur. Quaedam in superioribus mundi partibus, ut sunt [8] astrorum chori.

33. Disc. De circulis, deque interstitiis caelestium lucidissimorumque corporum, multiplex variaque sapientum mundi opinio est [9], et ad nullam certam rationem, quantum mihi videtur, deducta. Ideoque, quaeso, si quid de talibus verisimile aut rationi conveniens tibi visum est, explanare non differas. Mag. In longum nos mittis, cum videas, ad reliqua, quae de operibus sex dierum dicenda sunt, potius properandum, hujusque [10] libri prolixitas terminum exigat, praesertim dum vix de talibus, quae nunc exigis, ulla opinio sit ratione subnixa, vel ab ullo philosophorum plene deprompta [11]. Non quod illi, ut arbitror, non intellexerint, alioquin non recte physici aut philosophi appellarentur, sed quod nullus illorum, quos adhuc legimus, pure et indubitanter horum rationes satis reddere videatur. Veruntamen ex his, quae ipsi sparsim scripserunt, certisque argumentationibus rerum experimento approbaverunt de telluris lunaeque interstitiis, quiddam verisimile tibi aperire non negarim. Lunam namque centum viginti sex millibus stadiorum a terra distare, ex ipsius eclipsi absque ullo errore, ut aiunt [12], exploratum est. Umbram siquidem terrae, quam noctem vocant, circulum lunae attingere, ipsa prodit natura. Globus enim illius detrimentum suae lucis non pateretur, si solari radio, in regionem umbrae incidens, non privaretur. Ac per hoc subtracta omni ambiguitate conficitur, tanto spatio lunam a terra elongari, quanto intervallo noctis umbram ratio docet protendi. Protenditur autem noctis umbra usque ad lunae circulum. Noctem [13] igitur centum viginti sex millibus stadiorum in altum erigi manifesta edocet [14] ratio. Quo autem argumento centum viginti sex stadiorum millia lunam a terra distare indubitanter approbari possit, diligentioris inquisitionis indiget. Disc. Plane. Adhuc enim de hac quaestione nulla mihi ratio satisfaciens refulsit. Mag. Intentus itaque perspice, quae mihi verisimilia de his videntur a philosophis inventa. Ex gnomonica quippe, hoc est, horologica speculatione praedictum spatium et quaesitum subtiliter ab iis est, et absque ulla ambiguitate repertum. Quorum doctissimus in omni geometrica et astrologica supputatione Eratosthenes traditur fuisse. Scaphia siquidem [15] dicuntur rotunda ex aere vasa, quae horarum ductus, styli in medio fundo sui proceritate, discriminant. Qui stylus gnomon appellatur; a quo, veluti quodam centro, lineae ducuntur in extrema scaphiorum. Quae lineae totum horologii ambitum in XXIV spatia discriminant, hoc est, in XXIV horarum morulas, quibus totius caelestis sphaerae amplitudo circa terram convolvitur, donec ad eundem situm naturalis horizontis, quem pridie tenuerat, revertatur. Praefatus itaque Eratosthenes, motum umbrae styli per spatia horologii diligenter animadvertens, aperte intellexit, unam eandemque rationem esse in motu umbrae per horarum intervalla circa horologii stylum [16], inque noctis circuitu per earundem horarum spatia circa telluris ambitum; in tantum, ut omne, quod in vasis horoscopi, hoc est, signiferi, perspicitur, simili speculatione de motu caelestium corporum intelligatur. Vernali itaque aequinoctio umbrae styli prolixitas mediam gnomonis mensuram efficit in Meroe, insula Nili, et Syene, civitate Aegypti. Ipsa autem medietas styli,

VARIAE LECTIONES.

[1] C *coloris lucem*. [2] A *multa* [3] A *compositis omnibus*. [4] *sunt* om. A. [5] A *verisimilia*. [6] A [illegible] [7] A certis *quibusdam temporis*. [8] A *ut fixis*. [9] *est* om. A. [10] A Hujus *quoque*. [11] Pro *plene deprompta* A *definita*. [12] *ut aiunt* om. A. [13] C *nox*. [14] C *docet*. [15] C *quidem*. [16] *circa horologii stylum* om. A.

diametros [1] est totius ambitus horologii. Ac per hoc A e umbra styli in aequinoctio diametros est et styli et horologii. Et quia omnis diametros ab ipsa sphaera, seu circulo, cujus diametros est, duplo superatur, necessario umbra styli circuli duplicis rationem reddit; duplo enim vincitur ab ipso circulo seu sphaera, cujus medietas constituitur [2]. Nam et denarii numeri, veluti cujusdam circuli, quinarius diametros [3] est. Hac itaque ratione horologii perspicue intellecta, vir sagacis ingenii Eratosthenes ambitum totius terrae subtili indagine [4] requisivit. Ac primum quidem cognovit, ambitum aequinoctialis circuli, qui totum orbem terrarum, totamque caelestem sphaeram in duas aequales secat partes, trecentis sexaginta partibus compleri. Quarum duodecimam portionem, hoc est, triginta partes, duabus horis oriri B seu occidere, seu [5] de loco, per quem moventur, recedere [6] indubitanter intellexit. Itaque quod umbra in horologio sensui indicat, hoc caelestium corporum [7] incessabilem motum efficere ratio probat. Non enim umbra styli per horologica intervalla moveretur, si non aetherium corpus cum sideribus suis circa terram circumvolveretur. Quod ergo valet moles terrae in medio mundi, hoc valet stylus in medio horologii. Et quemadmodum umbra styli circa seipsum per ambitum scaphii circumducitur, ita nox, quae est umbra terrae, circa ipsam terram undique per spatia aeris lunam a terra segregantis circumvehitur. Sol autem idem de corporibus et terrae, et styli umbram jacit. Qui quidem, sicut in aequinoctio, meridiano tempore, in illis partibus C orbis terrarum, quae aequinoctiali circulo appropinquant, in Meroe dico et Syene, umbram gnomonis facit tantae proceritatis, ut diametrum ipsius, hoc est, medietatem seu paulo plus, possit attingere, ita ex omni mole telluris ubique umbram protendit, ut ad circulum lunae, seu paulo superius, exaltetur. Quod ipsius lunae probat defectus. Si enim aliquotiens umbra terrae ultra lunarem circulum non extenderetur, non fortassis solaris lucis casum ipsa luna pateretur. Nam, ut aiunt philosophi, lunaris circuli centrum terra est; quamvis aliquando in signo tauri altius paululum elongari ab eo aestimetur, ubi altissima apsis, hoc est, altitudo sui circuli putatur esse, ideoque non inaequalitas sui ambitus circa terram, verum umbrae altitudo causa ecli- D pseos ejus aestimanda est. Eratosthenes igitur umbrae terrae altitudinem ex gnomonis ad umbram suam comparatione investigans, cognoscensque, non ultra ipsam terrae diametrum exaltari, tanta enim altitudo noctis est, quanta spissitudo telluris intra aequinoctialem circulum mensuratae, prius ambitum terrae quaesivit, ut ex eo diametrum posset invenire. Amplitudine siquidem circuli seu sphaerae reperta, facile est, lineam, quae dividit in partes aequales, incunctanter dignoscere. Proinde per Geometricos regis Ptolemaei, quanta portio telluris esset [8] inter Meroen et Syenem, certior factus [9] per similitudinem umbrae, meridionali tempore aequinoctialis diei in septingentis stadiis unam partem invenit compertam. Quam trecenties sexagies, hoc est, per longitudinem aequinoctialis circuli multiplicans, absque ullo errore amplitudinem totius telluris in ducentis quinquaginta duobus millibus stadiorum reperit. Septingenta namque stadia trecenties sexagies multiplicata ducenta quinquaginta duo millia stadiorum colligunt. Quem numerum aequaliter dividens, medietatem illius, hoc est, centum viginti sex millia stadiorum in diametro telluris, inque lunae ac terrae intercapedine intellexerat esse. Exinde quantum perfecti numeri in his omnibus vigent, senarius videlicet et septenarius et octonarius, in quibus maxima symphonia musicae naturaliter constituitur, quae diapason vocatur! Habet enim octo sonos, septem spatia, sex tonos. Senarius namque numerus per seipsum multiplicatus, id est, sex sexies, triginta sex efficit. Quo numero si septem millia multiplicaveris, invenies totius orbis ambitum: siquidem septem millia tricies ac [10] sexies, aut triginta sex septies millies [11] multiplicata, ducenta quinquaginta duo millia [12] stadiorum faciunt, quo numero totius telluris amplitudo concluditur [13]. Si autem senarium sui diametri, qui est ternarius, quantitate multiplicaveris, decem et octo numeri summam conficies [14], per quam septem millia stadiorum multiplicata diametrum totius terrae consummant. Septem siquidem millia decies et octies, seu decem et octo septies millies, centum viginti sex millia faciunt [15]; qui numerus stadiorum et terrae diametrum, et lunae atque telluris intercapedinem collocat. Proinde non irrationabiliter lunae terraeque intercapedo, totiusque telluris complexio, toni proportione contineri a philosophis pronuntiatur. Quattuordecim namque millia stadiorum, decies et octies multiplicata, ducenta quinquaginta duo millia faciunt, ambitum videlicet terrae; diametrum vero ejus, lunaeque ab ea distantiam, septem millia stadiorum decies et octies multiplicata peragunt. Decem autem et octo, comparati ad decem et sex, quos bis octo mensurant, toni obtinent proportionem; major enim numerus tonum minorem colligit, octavamque ejus partem, qui est binarius. Nam quemadmodum novem ad octo proportione epogdoa, ita decem et novem ad decem et sex harmonicis speculationibus coaptantur. Omnis siquidem numerus major [16], minorem se et octavam minoris partem continens, epogdoos in numeris, in musicis vero tonus [17] vocatur. His ergo rationibus et

VARIAE LECTIONES.

[1] A *diameter*, sic fere ubique. [2] *cujus medietas constituitur* om. A. [3] A *diameter*. [4] A *indagatione*. [5] *seu* om. A. [6] *recedere* om. A. [7] *corporum* om. A. [8] A *esset telluris*. [9] A *certus effectus*. [10] *ac* om. C. [11] *millies* om. C. [12] *millia* om. C. [13] C *includitur*. [14] A *efficies*. [15] A *fiunt*. [16] A *major numerus*. [17] A *tonos*.

orbis ambitus, ejusque diametros, et spatium, quo luna distat a terra, et noctis altitudo incunctanter comprehensa sunt. Si autem quaeras, cur et Plinius secundus, et Ptolemaeus, in Geographico suo, ut Martianus scribit, non plus quam quingenta stadia singulis partibus distribuunt, qui numerus, trecenties sexagies multiplicatus, ambitum telluris juxta Eratosthenis supputationem comprehendere non poterit, non mihi facile occurrit, quid respondeam. Si enim dixero, Eratosthenen plus terrae magnitudinem, Plinium vero et Ptolemaeum [1] minus existimasse, non videbitur verisimile, quod inter summos auctores mundanae sapientiae tanta dissonantia sit, ut alii amplitudinem terrae ducenta quinquaginta duo millia [2] stadiorum, alii centum octoginta millia argumententur amplecti. Quingenta siquidem stadia tricenties sexagies, CLXXX millia stadiorum faciunt. Qui numeri a se invicem discrepant LXXII millibus stadiorum. Praesertim cum praedicti sapientes, solertissimique naturarum inquisitores, in numero partium aequinoctialis, seu Zodiaci circuli, consentiant: omnes enim unanimiter trecentas sexaginta pronuntiant. Si dixero, minora stadia hunc, Eratosthenem dico, mensurasse, ac per hoc majorem numerum singulis partibus dedisse, illos vero majora ideoque pauciora, quomodo hoc [3] probabile judicabitur? Nam utrique stadium CXXV passibus mensurari confirmant. Mihi itaque videtur inaequalitatis hujus causa quantitatis passuum inaequalitatem substetisse [4]. Fieri enim potuit, ut [5] duos mensores, quorum unus statura major, alter minor, majoribus minoribusque passibus stadium unum mensurare, indeque stadia majora minorave in mensura unius partis computari. Quisnam non crediderit, Herculem, quem primum juxta Olympum montem stadium fertur mensurasse, majoribus incomparabiliter passibus et pedibus mensuram stadio dedisse, quam ceteri, qui post eum stadia mensurabant? Nam ex quantitate stadii, quod ipse primus mensuraverat, passuum gressuumque ejus ac pedum magnitudo, ex pedum vero amplitudine totius staturae illius altitudo aestimata est. Quid ergo mirum, si una eademque unius ejusdemque partis intercapedo et quingenta simul, et septingenta stadia capiat, et unumquodque stadium eodem numero passuum et gressuum, pedumque computari, ipsos autem passus et gressus ac [6] pedes non ejusdem quantitatis esse, in quibusdam quidem majores, in quibusdam [7] minores, ita ut majoribus mensurata, stadia quingenta, minoribus vero septingenta unum id ipsumque unius partis spatium implerent? Habet autem stadium juxta graecam supputationem jugera VI, cubitos C, passus CXXV, gressus CCXL, ulnas CCCC, pedes DC. Ve-

A rum amplitudine terrenae molis, noctisque altitudine, quae ejusdem [8] mensurae est, cujus etiam telluris diametros rationabili argumentatione repertis, ambitus lunaris, circuli prompte quaerentibus occurrit. Triplicata siquidem noctis altitudo circuli [9] lunaris, diametrum efficit: centum namque viginti sex millia stadiorum, tertio repetita, CCCLXXVIII millia faciunt. Est igitur [10] lunaris circulus [11] in millibus stadiorum CCCLXXVIII. Si autem diametrum duplicaveris [12], erit totius circuli ambitus in in DCCLVI millibus stadiorum. De mensura autem lunaris corporis multorum varia opinio est. Multi enim dicunt, globum lunae telluris amplitudini aequalem esse; et hoc argumentantur ex eclipsi solis, putantes lunam solares radios ab omni terra auferre

B posse. Sed aequinoctiali circulo appropinquantes, de magnitudine lunae, ut Martianus scribit, verisimiliora tradunt [13], et ex defectu solis rationabiliter approbant. Dicunt enim, umbram [14] lunae, momento solaris defectus, duodevicesimam telluris partem occultare [15]. Et [16] quia omne corpus triplici umbra sua, quam metaliter jacit, majus est, lunae corpus sextam terrae partem in amplitudine sua habere colligitur. Ac per hoc, quoniam duodevicesima, hoc est et [17] octava decima totius terrae portio, est in XIV [18] millibus stadiorum, sequitur, ut ipsa octava decima pars triplicata amplitudinem lunaris globi perficiat. XIV autem, ter ducta, XLII faciunt. Quadraginta igitur duo millia stadiorum amplitudinem lunae comprehendunt. Tot enim millia

C stadiorum sextam terrae obtinent partem. Quadraginta namque duo millia sexies, vel sex millia quadragies bis, CCLII millia stadiorum cumulant. Et miraberis, senarii numeri et septenarii reciproca virtute lunae atque telluris amplitudinem comprehendi. Septem siquidem sexies, vel sex septies, XLII, lunae videlicet globum; et iterum XLII sexies, CCLII, terrae scilicet spatium, in gyro amplexantur. Hosque omnes numeros in millibus stadiorum computari, ratio indicavit, ad cumulum perfectissimae naturalium mundi corporum constitutionis manifestandum. Omnis siquidem [19] perfectionis cubica solidaque millenarii numeri formatio [20] significatrix est. Status itaque naturae senario, motus septenario, utriusque autem immutabilis ratio millenario

D significatur. Est enim rerum omnium status mobilis, et motus stabilis, aeternis rationibus perfectissime constitutus. Nec sine ratione philosophi haec omnia stadiis metiebantur. Quinarius namque numerus ἀνακαταστικός est [21], hoc est, in seipsum rediens; quotienscunque multiplicaveris per seipsum quinarium, in se ipsum redire necesse est. Primus itaque quinarii cubicus motus stadium [22] perficit, quin-

VARIAE LECTIONES.

[1] Pro *Plinium vero et Ptolemaeum* C: *Pliniumve.* [2] C sic: CCtis *L duobus milibus.* [3] *hoc* om. A. [4] A *inaequalitas fuisse.* [5] *ut* om. A. [6] A *et.* [7] *quidem — quibusdam* om. A. [8] A *ejus.* [9] *prompte quaerentibus — circuli* om. A. [10] A *enim.* [11] A *circuitus.* [12] A *multiplicaveris.* [13] C *intendunt.* [14] A *umbra.* [15] A *occultari.* [16] *Sed.* [17] *et* om. A. [18] C sic: *XIIII X milibus.* [19] C *equidem.* [20] A *conformatio.* [21] *est* om. A. [22] A *statum.*

quies quinquè quinquies CXXV passus. Ac per hoc non irrationabiliter et motus mundanorum corporum et status eo numero colligitur; qui et cubicus est, et volubilis, et in seipsum revertens. Haec de spatiis inferiorum mundi partium diximus, magnorum philosophorum ratiocinationes secuti, non affirmantes incunctanter, ita se habere, sed quae verisimiliora certisque regulis propinquiora visa sunt proferentes, tuis petitionibus satisfaciendi molimine. DISC. Mihi sufficiunt, quae a te de talibus prolata sunt. Ceterum cui haec vel non satis rata, vel non satis insinuata videntur, alios aliorum quaerat intellectus. Multipliciter enim ex diversis auctoribus mundanae constitutionis ratio tractata est. Verum quia de magnitudine, deque intervallis inferiorum mundi corporum, lunae dico ac terrae, quae rationi convenire inspiciuntur, investigata sunt, de spatiis aetheris quaedam breviter velim audire. Ea siquidem aut sola, aut maxime, in speculationibus divinae in quarta intelligibili die operationis discutienda nemo ambigit. MAG. Nimium moramur in quarto die. DISC. Minus eruditis, discereque cupientibus, naturamque rerum investigantibus, si forte hanc nostram disputationem lecturi fuerint, non nimis videbitur, ut arbitror, praesertim cum rationi non conveniat, de inferioribus mundi partibus quaedam rationabiliter [1] tractari, superiores vero omnino intactas relinqui. MAG. Jamdudum inter nos confectum est de solari globo, medio libramine gravissimae levissimaeque naturae, circulari motu, per mediam signiferi lineam, circa inferiora mundi spatia aeternaliter ferri. DISC. Confectum plane, certisque rationibus suasum, nec naturae situs aliter fieri *sinit*. MAG. De magnitudine ipsius solaris globi [2]; neque secularium literarum eruditi, neque divinarum Scripturarum expositores certam definitionem proferri permittunt. Nam et Plinius secundus in naturali historia, et sanctus Basilius in Exemero suo, magnitudinem solis omnino prohibent definiri. Non enim umbra ejus est [3], cujus argumento experiremur [4], quantae sit magnitudinis. Nam neque [5] telluris lunaeve amplitudo inveniretur, nisi umbra earum, metaliter jacta [6], certis dimensionibus extenderetur. Ac per hoc corpus solare, quoniam nullam umbram in infinitum progredi sinit, sed pro rationibus corporum, quorum umbrae sunt, certis dimensionibus concludit, suae magnitudinis infinitatem manifestissime aperit. DISC. Nec hoc quaero, neque ab aliquo [7] quaerendum existimo. Non enim oculorum conjectura praevalet, ubi ratio sedem argumenti non habet. Quanto autem spatio a terra elongatur, juxta philosophorum existimationem exponas, postulo. MAG. Primus enim omnium [8] philosophorum, ut aiunt, Pythagoras interstitium terrae ac lunae in millibus stadiorum CXXVI prodidit; quod postmodum, ut diximus, Eratosthenes ex umbra terrae lunaeque defectu incunctanter approbavit. Cujus interstitii [9] duplici proportione solem a luna in altum elongari, idem Pythagoras fertur tradidisse. Sed qua ratione illud existimaverit, multorum diversa sententia est.

34. Veruntamen quoniam ipse juxta rationes musicas totius mundi fabricam et volvi et mensurari certis argumentationibus conatus est asserere, quod nec divina negat Scriptura, dicens: *Et concentum caeli quis dormire faciet*, possumus explorare, non aliam ob causam hoc dixisse, nisi ut ostenderet in spatiis siderum musicorum diastematum rationabiles proportiones. Proinde in medio totius spatii, quod est a terra usque ad sublimissimam sphaeram, qua omnia sensibilia circumscribuntur, solis ambitum cognoscens, unam diapason a terra ad solem, alteram a sole usque ad extremum mundi ambitum non irrationabiliter existimavit. Diapason autem dupli proportione modulatur. Ut ergo in diatonico genere, verbi gratia in harmonia sonorum, bis diapason ex bis [10] duplo coaptatur; prima quidem diapason [11] a principali principalium usque ad [12] *μέσην*, id est mediam, secunda vero ex *μέση* usque ad *νήτην* [13] *ὑπερβολαίων*, hoc est ultimam excellentium, protenditur: ita et totum spatium a terra ad solem [14] diapason ratione coaptatur [15], medium quippe sol obtinet locum [16], et a sole ad duodecim sidera, hoc est, ad extremum stellarum motum [17] alia diapason conjungitur. Ideoque [18] rationibus harmoniae, quae dicitur bis [18], diapason intervallum a terra ad sphaeram [19] constitutum esse arbitratus est. Ac per hoc conficitur, ut diametros terrae, tertio multiplicata, terrae solisque intercapedini, quemadmodum et lunaris circuli diametro, aequalis sit. Proinde et in diametro lunaris circuli, inque terrae ac solis interstitio unum et id ipsum spatium mensurabitur. In utroque enim millia stadiorum CCCLXXVIII computantur. Itaque duplicato hoc numero, intercapedinem terrae extimaeque sphaerae reperies in millibus stadiorum DCCLVI, et miraberis naturae concordiam. Quot enim millia stadiorum sunt in longitudine [20] lunaris circuli, tot sunt in altitudine a terra usque [21] ad signa spatii: in utrisque namque DCCLVI millia stadiorum colliguntur. Si vero solaris circuli diametrum vis cognoscere, telluris diametrum CXXVI millia stadiorum septies multiplicabis, et habebis DCCCLXXXII millia stadiorum in diametro solaris gyri. Quo numero bis ducto, ipsius gyri longitudo colligetur in millibus stadiorum mille millies DCCLXIV millia. At si quaesieris [22] diametrum totius sphaerae cae-

VARIAE LECTIONES.

[1] *quaedam rationabiliter* om. C. [2] *solaris globi* om. C. [3] A *Non ejus enim est umbra.* [4] C *experiretur.* [5] C *Neque enim.* [6] C *jactata.* [7] C *alio.* [8] *enim omnium* om. A. [9] A *instinctu.* [10] A *his.* [11] *diapason* om. A. [12] *ad* om. C. [13] *νήτην* om. A [14] C a terra *et sole.* [15] *diapason ratione coaptatur* om. A. [16] *sol obtinet locum* om. A. [17] *alia diapason — Ideoque* om. A. [18] A *duplex.* [19] A diapason *in quadrupli proportione* constitum. [20] C in *multitudine.* [21] *usque* om. A. [22] A *requiris.*

lestis, tali reperies argumento. Longitudinem lunaris gyri, hoc est, DCCLVI millia stadiorum [1] duplicabis; addes [2] etiam diametrum terrae, CXXVI millia stadiorum: et colliges diametrum sphaerae in millibus stadiorum mille millies DCCXXXIV millia. Quo numero bis facto, ambitus totius mundi existimatur comprehendi in millibus stadiorum mille millies ter, insuper etiam adjectis [3] CCLXVI millibus stadiorum, ut senarii numeri perfectione totus mundus concludatur [4]. Hactenus de argumentationibus philosophicis, mundi spatia investigantibus. Si cui vero haec superflua videntur, cum sacrae Scripturae testimoniis nec roborentur [5], nec tradita sint [6], non nos reprehendat. Nam et ille non potest approbare, haec ita non esse, sicut nos [7] non possumus affirmare, ita esse.

35. Et quamvis in divinis Scripturis de talibus mundanorum corporum dimensionibus magnitudinum et intervallorum nihil definitum reperiatur; Ecclesiastes enim: *Altitudinem*, inquit, *caeli et latitudinem* [8] *terrae et profundum abyssi quis mensus est?* ubi plus allegoriam, quam historiam intelligendam existimarim; non enim mundum istum ultra intelligentiam rationabilis naturae constitutum dixerim, cum propter eam factus sit: divina tamen auctoritas rationes rerum visibilium et invisibilium non solum non prohibet, verum etiam hortatur investigari. *Invisibilia enim ejus*, ait Apostolus, *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Non parvus itaque gradus est, sed magnus et valde utilis sensibilium rerum notitia ad intelligibilium intelligentiam. Ut enim per sensum pervenitur ad intellectum, ita per creaturam reditur ad Deum. Nam non, sicut irrationabilia animalia, solam superficiem rerum visibilium oportet nos intueri, verum etiam de his, quae corporeo sensu percipimus, rationem reddere debemus. Acutius videt aquila speciem solis, acutius videt sapiens homo situm illius, et motum per loca et tempora. Quid [9] si homo non peccaret, inque similitudinem jumentorum caderet, num [10] possessionis suae, mundi hujus, perfectos terminos ignoraret, quos naturae legibus justissime regeret? Oportebat enim alium angelum esse, qui in creaturis sensibilibus Deum laudaret, qui nec post delictum naturae dignitatem omnino perdidit. Manet enim in eo rationabilis motus, quo rerum notitiam appetit, neque [11] falli vult, quamvis in multis fallatur, non tamen in omnibus. Et si duo vestimenta Christi sunt tempore transformationis ipsius candida sicut nix, divinorum videlicet eloquiorum litera, et visibilium rerum species sensibilis: cur jubemur unum vestimentum diligenter tangere, ut eum, cujus vestimentum est, mereamur invenire, alterum vero, id est, creaturam visibilem, prohibemur inquirere? Et quomodo, et quibus rationibus contextum sit, non satis video. Nam et Abraham non per literas scripturae, quae nondum confecta fuerat, verum conversione siderum Deum cognovit. An forte simpliciter, sicut et cetera animalia, solas species siderum aspiciebat, non autem rationes eorum intelligere poterat? Non temere hoc de magno et sapienti theologo ausim dicere. Et si quis nobis in culpam reputaverit, quod philosophicis ratiocinationibus usi sumus, videat populum Dei Aegypto fugientem, ejusque divino consilio admonitum spolia ferentem, ipsisque spoliis irreprehensibiliter utentem. Praesertim cum et ipsi mundanae sapientiae periti non in hoc reprehensibiles facti sunt, quasi in rationibus visibilis creaturae erraverint, sed quia auctorem ipsius creaturae [12] non satis ultra eam quaesierint, cum Creatorem ex creatura deberent invenire; quod solus Plato legitur fecisse. Si vero praefatae mundanorum corporum, eorumque interstitiorum dimensiones propterea incredibiles alicui videntur, quoniam ipsa corpora majoris amplitudinis esse cogitantur a multis, quam ut praedictis stadiorum numeris possint comprehendi, intentus legat arcae Noe mensuras, cujus trecentorum cubitorum erat longitudo, quinquaginta cubitorum latitudo, triginta cubitorum altitudo, et videat, quomodo in tam parvo spatio cubitorum ex omnibus animantibus mundis septena et septena, ex immundis vero duo et duo poterant comprehendi cum alimoniis suis, insuper etiam Noe [13] cum filiis et uxoribus, praesertim si ipse cubitus teste sancto Augustino, quo et arca Noe, et arca Testamenti, et tabernaculum ceteraque veteris Testamenti mystica opera mensurata sunt, non amplius quam duarum palmarum semis mensuram obtinuerit, ipsaque palma a summitate pollicis usque ad summitatem minimi digiti [14] mensurabatur. Plus ergo tenet divina virtus et naturarum ratio, quam quod machinatur humana cogitatio. Et ne videamur ad divinae virtutis miracula confugere, tanquam non valentes rationibus naturae, quod suademus, affirmare, non aliter cogitas, ut arbitror, terram in medio mundanae sphaerae positam, quam vides centrum in fundo cujusdam circuli seu globi; imum siquidem mediumque in creaturis obtinet locum. DISC. Non aliter, una vero [15] eademque ratione. MAG. Nec alio modo partes signiferi deduci ad terram, nisi eo, quo lineae in circulo ad centrum. DISC. Aequali lege. MAG. Et quamvis non ejusdem spatii sint in signifero et in tellure, idem tamen ductus rationabilium linearum, et [16] eaedem partes a summo usque deorsum. DISC. Prorsus. MAG. Quod autem de partibus intelligitur, id ipsum de stadiis aestimandum non negas. DISC. Imo assero. MAG. In quantum [17] ergo seu partes seu stadia centro terrae appropinquant, in tantum [18] angustioris latitudinis sunt: e contrario autem in quantum elongantur a terra, in tantum propagantur spatia. DISC. Non aliter circularis sinit fi-

VARIAE LECTIONES.

[1] *stadiorum* om. C. [2] C *addis*. [3] A *superadjectis etiam*. [4] C *concluditur*. [5] A *roborantur*. [6] A *sunt*. [7] *nos* om. C. [8] A *longitudinem*. [9] A *Quod*. [10] C *nunc*. [11] C *et* neque. [12] A *naturae*. [13] A *Noah*. [14] *digiti* om. C. [15] *vero* om. C. [16] *et* om. C. [17] A *tantum*. [18] A *quantum*.

gura. MAG. Quid itaque tibi videtur de mensoribus ter- A rae per partes et stadia ceteraque intervalla, quos Graeci geometricos vocant? Num arbitraris, eos terram mensurasse pedibus, aut passibus, cubitove, seu similibus mensuris? DISC. Non facile hoc crediderim fieri posse in tanta diversitate montium et vallium. Nam et camporum planities tantae aequalitatis non est, ut simili progressu possit mensurari. Terra siquidem non solum gravitate ponderis, verum etiam causa inaequalitatis partium suarum infimum in naturis possidet locum. Similitudo namque partium facit ordinem elementorum; similiora enim sibi suis [1] partibus, altiora sunt etiam suis sedibus. MAG. Fortassis ergo corporeo visu? DISC. Ne id quidem; fallit enim sensus, ejusque judicio nihil est committendum. Exterior siquidem sensus, quamvis rationi non re- B nuntiat, nisi quod extrinsecus patitur [2], interioris tamen judicium de his, quae per corpus recipit, saepissime [3] fallitur, fractum in aqua remum, duplicem lunam seu candelam, seu aliud quid per praevaricationem sensus, hoc est, per radiorum, qui ex pupillis oculorum sparguntur, segregationem geminatum existimans. MAG. Quomodo ergo metiebantur? DISC. Virga prius, ut aiunt, geometrica, quam Graeci radium vocant; quae quinque passus cubico motu multiplicans, hoc est quinquies quinque quinquies, unum stadium mensurabat. Uno autem stadio reperto, facile erat, multa stadia per plana Aegypti, quae mater talium dimensionum dicitur, invenire. MAG. Quomodo praeter Aegyptum terrae partes, tanta inaequalitate ad mensurandum difficiles, explorabant? DISC. Non, ut C aiunt, pedibus, neque radiis, sed sola rationis argumentatione, horologiis videlicet, ex umbrarum similitudine, singularum partium intercapedinem incunctanter invenientes. Tantum namque una pars, hoc est, quotidianus solis in signifero progressus in terra patet, quantum similitudo umbrarum horologii obtinet. MAG. Latitudinem ergo partium et stadiorum ex mensura, qua terram attingunt, colligebant. DISC. Nec sic existimabant; sed primum altissimos montes mensurantes, quot millibus stadiorum ex terrae planitie in altum erigerentur; verbi gratia Olympum, cujus verticem decem millibus stadiorum [4] autumant sublimari, Pindum, Rhodopen, Acroceraunia, Atlantem, veluti lineam quandam rationabili ductu de summitatibus montium in aeris spatia porrectorum D extendere inchoabant, eamque aequali semper a terra intervallo, instar rotundissimi circuli, circumferentes, donec ad eundem locum, quo coeperat, perveniret, aequis undique spatiis telluris ambitum mentis contuitu perspexere. MAG. Dimensiones geometricas talibus argumentis ita primo repertas non contradixerim. Ac per hoc stadia illa, quae prope terram veluti angusta putabantur, paulatim juxta montium altitudinem telluris superficie elongata, non jam stricta et ad amplitudinem terrenae molis ambiendam incommoda, sed, dum sint eadem et juxta terram, et ab ea longius praedictis spatiis remota, irrationabilium cogitationum falsa imaginatione abjecta ad mensuram terrae [5] sufficiunt. Hinc est, quod et [6] Plinius amplitudinem terrae, ducta rationabili linea, geographica speculatione, per cacumina altissimorum montium mensurari [7] existimat; aliter enim circularis dimensio telluris non proveniret [8]. DISC. Sat de his est actum. MAG. Redeamus itaque ad Scripturam. DISC. Tempus invitat. MAG. *Fiant*, inquit, *luminaria in firmamento caeli, et dividant diem ac noctem.* Ac si plane diceretur: luminaria, quae in firmamento caeli facta sunt, dividant inter se diem ac noctem. Quod Psalmista declarat, dicens: *Qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis.* Non quod dies et nox semper non sint circa ambitum telluris, sed quod, ubicunque sol praesens est, semper illuminandi potestatem habet; ubi autem absens est, lunae stellarumque splendor umbrarum caliginem, ne omnino animalium obtutibus impenetrabilis sit, raram lugubremque facit. *Et sint in signa et tempora, et dies et annos.* Signa intelligimus in hoc loco non sidera, sed praesagia quaedam futurae serenitatis, seu tempestatis; quae maxime ex coloribus caelestium luminarium solent habere experimentum. Tempora autem vocat generaliter cursus et reditus siderum, certis morarum intervallis, ad eundem motum situmque locorum divina providentia revocatos naturali dierum annorumque revolutione. *Et luceant in firmamento caeli.* Siquidem nullum sidus defectum sui luminis patitur, sed semper omnia in aethereis spatiis absque ulla obumbratione refulgent, excepto lunae globo, qui, quando in regionem umbrae descendit, solari radio desertus, videtur obscurari. Propterea ait: *Et luceant in firmamento caeli, et illuminent terram. Et factum est ita:* in causis videlicet originalibus, ex quibus in species proprias, et quantitates, et intervalla, et motus, et splendores processere. Proinde [9] sequitur in species causarum processio. *Fecitque Deus duo magna luminaria, luminare majus, ut praeesset diei*, solem videlicet, cujus praesentia diem efficit, *et luminare minus*, lunam dicit [10], cujus et quantitas et lux incomparabiliter a sole superatur, *ut praeesset nocti.* Luna siquidem ab octava usque ad vicesimam secundam, aut totam noctem circa plenilunium in aequinoctiis, aut partem ejus ceteris temporibus illuminat. Quoniam vero, dum sit in coitu solis, aut hinc inde propinquis partibus, noctis tenebras luce sua penetrare non sinitur, succurrunt stellae, quarum claritate umbrarum densitas rarescit. Propterea dixit [11]: *et luminare minus, ut praeesset nocti, et stel-*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *suis sibi.* [2] A *patiatur.* [3] A *saepe.* [4] C *stadiis.* [5] *ad mensuram terrae* om. A. [6] *et* om. A. [7] A *mensurandam.* [8] C *proveniet.* [9] A *Propterea.* [10] A lunam *videlicet* dicit. [11] A *dicit.*

las, et posuit eas, stellas] videlicet, *in firmamento caeli.* Ac si dixisset, fixit eas in firmamento caeli. De choris namque siderum hoc dictum intelligimus; qui quamvis cum mundo volvuntur [1], fixi tamen in iisdem sedibus semper manent [2], etsi stante mundo chori siderum solummodo [3] circumvehantur, ut [4] quidam philosophorum volunt; ordo tamen [5], ac series stellarum, stabilisque positio non transmutatur [6]. *Ut lucerent super terram.* Naturae ordinem pulchre describit Scriptura. Quamvis enim caelestia luminaria sub terris lucere humana opinione putentur, rerum tamen ratio incunctanter edocet, nullam naturam terra inferiorem posse esse. Medium siquidem infimumque totius mundanae constitutionis obtinet locum, ac per hoc nulla corporea creatura infra eam intelligitur. Proinde omnia mundi spatia et corpora, quae circa terram undique sunt, sive mobilia sint, sive stantia, super eam naturaliter creata sunt; ideoque ait: *ut lucerent super terram.* Ubicunque enim luxerint, sive infra horizontem in inferiori hemisphaerio, ut humanus existimat usus, sive supra horizontem in superiori hemisphaerio, quod ideo superius dicitur, quia in eo sidera hominibus apparent, naturali rerum situ super terram lucent. *Et praeessent diei et nocti.* Hoc superius expositum est. *Et dividerent lucem a tenebris,* id est, ut segregarent noctem et diem, ut sole apparente dies esset, luna vero ac [7] stellis nox. Et notandum, quod divisio ista [8] lucis atque tenebrarum non in ipsis luminaribus sit, sed in terra habitantibus. Illa enim semper lucent, et semper eis dies est, nullamque noctem patiuntur. Sedes namque eorum, absque ulla intermissione, et sua et solari luce resplendent, nec minus interdiu, quam noctu claritatis suae gratiam mundo distribuentia. Terrenis itaque habitatoribus, quibus per vicissitudines dies noctesque proveniunt, caelestia luminaria lucem dividunt a tenebris. Assidua namque circumvolutione circa telluris ambitum alibi lucem praestant, alibi auferunt. Ut enim nil aliud est dies, nisi lucis praesentia ita nil aliud nox praeter ipsius absentiam. Ideoque etiam lucidissima nox, quoniam non omnino tenebras expellit, noctis nomen non amittit. Sed jam, quantum brevitas exigit, de quarta die satis est dictum. Ideoque de operibus [9] quintae intelligibilis lucis quaedam dicenda sunt. Disc. Ita consequens ordo rerum expetit.

36. Mag. Dixit etiam Deus: *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli.* Praedictis quattuor diebus conditionis naturarum nulla commemoratio animae legitur, neque simpliciter tantum et absolute, neque cum additamento viventis. Et cur hoc, non immerito quaeritur. Denique de hac rerum theoria diversa multorum sententia est. Sunt enim, qui dicunt, ele-

A menta hujus mundi, caelum dico cum suis astris, aetheraque cum planetis, aera cum suis nubibus, ventorumque spiritibus, fulgoribus etiam, ceterisque perturbationibus, aquam quoque, motumque ipsius fluctivagum, terram similiter cum omnibus herbis arboribusque, non solum anima, verum etiam omni specie vitae omnino carere. Ideoque, ut aiunt, in operibus quattuor primorum dierum nullius animae seu vitae significatio introducitur. Plato vero, philosophorum summus, et qui circa eum sunt, non solum generalem mundi vitam [10] asserunt, verum etiam nullam speciem corporibus adhaerentem, neque ullum corpus vita privari fatentur, ipsamque vitam, seu generalem, seu specialem, vocare animam fiducialiter ausi sunt. Quorum sententiae summi ex-

B positores divinae Scripturae favent, herbas, et ligna, cunctaque de terra orientia vivere affirmantes. Neque aliter rerum natura sinit. Si enim nulla materia est, quae sine specie corpus efficiat, et nulla species sine substantia propria subsistit, nulla autem substantia vitalis motus [11], qui eam contineat, et subsistere faciat, expers esse potest; omne enim, quod naturaliter movetur, ex vita quadam motus sui principium sumit: necessario sequitur, ut omnis creatura aut per seipsam vita sit, aut vitae particeps, et quodammodo vivens, sive in ea motus vitae manifeste appareat, sive non appareat; veruntamen latenter administrari per vitam species ipsa sensibilis indicat. Audi Augustinum in libro de vera religione: *Si quaeritur,* inquit, *quis instituerit corpus, ille quaera-*

C *tur, qui est omnium speciosissimus. Omnis enim species ab illo est; quis est autem* [12] *hic nisi unus Deus, una veritas, una salus omnium, et prima atque summa essentia, ex qua est omne, quicquid est, in quantum est, quia in quantum est, quicquid est, bonum est? Et ideo ex Deo non est mors. Non enim Deus mortem fecit, nec laetatur in perditione vivorum, quoniam summa essentia fecit omne, quod est, unde et essentia dicitur, mors autem non esse cogit, quidquid moritur. Nam si ea, quae moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio pervenirent; sed tantum moriuntur, quanto minus essentiae participant.* Quod brevius ita dici potest: tanto magis moriuntur, quanto minus sunt. Corpus autem minus est, quam vita quaelibet, quoniam, quantulumcunque manet in specie, per vi-

D tam manet, sive qua unumquodque animal, sive qua universa natura mundi administratur. Ut enim nullum corpus est, quod propria specie non continetur, ita nulla species est, quae cujuspiam vitae virtute non regitur. Proinde si omnia corpora naturaliter constituta quadam specie vitae administrantur, omnisque species genus suum appetit, omne autem genus a generalissima substantia originem ducit, omnem speciem vitae, quae diversorum corporum numerositatem continet, ad generalissimam quandam

VARIAE LECTIONES.

[1] A *volvantur.* [2] A *permanent.* [3] A *solum.* [4] *ut* om. C. [5] A *autem.* [6] A *transmittatur.* [7] C *et.* [8] A *ista divisio.* [9] A *de opinionibus.* [10] A *vitam mundi.* [11] A *vitali motu.* [12] A *autem est.*

vitam recurrere necesse est, cujus participatione A specificatur. Haec autem generalissima vita a sapientibus mundi universalissima anima, totum quod intra caelestis sphaerae ambitum comprehenditur, per species suas ministrans, vocatur; divinae vero sophiae speculatores *communem vitam* appellant. Quae dum sit particeps illius unius [1] vitae, quae per se substantialis est, omnisque vitae fons et creatrix suis divisionibus visibilium et invisibilium [2] vitas juxta divinam ordinationem distribuit, quemadmodum sol iste sensibus notus radios suos ubique diffundit, non tamen ita vita in omnia pervenit, sicut solares radii. Illi siquidem non omnia penetrant; interiora etenim multorum corporum non transeunt. Vitae vero nulla creatura, seu sensibilis, seu intelligibilis, expers esse potest. Nam et corpora, quae nostris sensibus B videntur veluti mortua, non omnino vita relinquuntur. Ut enim illorum compositio atque formatio administratione propriae vitae, ita etiam solutio et infirmitas et reditus in ea, ex quibus deducta sunt, ejusdem obsequio peragitur. Semina siquidem, terrae commendata, *nisi prius moriantur, non reviviscunt*, et mors eorum [3] solutio materiae et speciei est, eademque vita, quae vivificat vim seminum, et per vim semina, priusquam solvantur, in solutione non deserit, sed iis semper adhaeret, imo etiam ea solvit, moxque, nulla mora interstante, vivificare, hoc est, in eandem speciem revocare incipit. Ubi enim esset illa vita solutionis corporum [4] tempore, nisi in ipso soluto? Ut enim illa cum compacto non compingitur, ita cum soluto non solvitur, neque cum renascente C renascitur, nec plus vegetat totum simul conjunctum, quam in partes disjunctum, neque major, id est, potentior *in toto*, quam in parte; nec minor, hoc est, impotentior in parte quam in toto. Haec ejusdem namque regiminis est in cunctis. Ipsa etiam solutio, quae mors corporis dicitur, nostris sensibus et materiae solutio est, non ipsi naturae, quae inseparabilis est in seipsa, ei simul et semper est, nec spatiis locorum et temporum segregatur. Homo siquidem non desinit esse homo. Homo autem corpus et anima est. Si autem semper homo, semper igitur anima et corpus. Et quamvis partes hominis a se invicem segregentur; anima enim deserit usitatum post generationem sui corporis regimen, qua deserente corpus solvitur, partesque illius propriis elementorum D sedibus redduntur: naturali tamen ratione et partes ad totum referri non desinunt semper et inseparabiliter, et totum ad partes; relationis siquidem ratio nunquam potest perire. Proinde quod corporeo sensui videtur segregari, altiori rerum speculatione semper simul et inseparabiliter subsistere necesse est. Nam et corpus humanum, sive vivum, sive mortuum, corpus hominis est. Similiter anima humana, sive corpus suum simul collectum regat, sive in partes dissolutum, ut videtur, sensibus regere desinat, anima tamen hominis esse non cessat. Ac per hoc datur intelligi altiori rerum intimatione, non minus eam administrare corpus per elementa dispersum, quam una compagine membrorum conjunctum. Quod vera ratio indubitanter edocet. Si enim anima spiritus est, per se omni corporea crassitudine carens, ipsa quoque elementa, in quae corpus solvitur, quantum per se simpliciter subsistunt, spirituali naturae proxima sunt: quid mirum, si incorporea anima partes corporis sui in proximis [5] sibi naturis custoditas rexerit? Facilius enim similia sibi, quam dissimilia potest attingere. Dissimilia autem sunt sibi crassa, et corruptibilia corpora; similia vero tenuissima, et nullo modo corruptioni obnoxia. Non enim credendum est, corporeas partes, ex compagine spissi corporis dissolutas, in ipsis elementis, in quibus salvantur, crassitudinem suam non deserere, et non in ipsorum elementorum levissimas spiritualesque qualitates transire, non ut penitus non corporea [6], sed ut spiritualia corpora, sicut et ipsa sint elementa. Quod etiam viventis adhuc corporis argumento promptissime vales approbare. Partium siquidem ipsius quaedam quidem ponderosae sunt, et in crassitudinem densatae, ut sunt ossa, carnes, nervi quoque, ac venae, omnes etiam humores, quibus moles tota irrigatur, et nutritur, et fabricatur; haec enim omnia ex aquatili, terrenaque qualitate in constitutionem corporis sumuntur; quaedam vero levissimae, nulloque gravitatis, seu crassitudinis pondere impeditae, quaqua versum, prout anima jusserit, nulla mora interstante confestim perveniunt [8], ut est visus, et auditus. Quas partes corporis esse [9] ex igne et aere deductas, nemo recte philosophantium abnegarit [10]. Est enim, ut ait sanctus Augustinus, *luminosum aliquid in oculis, aereum quiddam mobile et sonorum in auribus*. Visus siquidem est lux quaedam, ex cordis igne primum nascens, deindeque in summitatem verticis ascendens, in eam videlicet partem, quae a Graecis dicitur μήνιγξ [11], a Latinis vero membranula, qua cerebrum et ambitur et custoditur, per quosdam poros ad supercilia pupillasque oculorum derivata, unde velocissimo impetu, solarium radiorum instar, foras prosiliens, prius propinqua loca et corpora, seu longissime constituta, tanta velocitate attingit, quam palpebra oculorum et tautonis [a] supercilia. Auditus quoque est subtilissimus quidam tinnitus, qui ex pulmonum spiritu primo

VARIAE LECTIONES.

[1] *unius* om. A. [2] *et invisibilium* om. A. [3] A *illorum* [4] A *corporis*. [5] A *primis*. [6] A *corpora*. [7] *ut* om. C. [8] C *proveniunt*. [9] *esse* om. C. [10] C *abnegaret*. [11] MENIKA.

NOTAE.

[a] *Tautones* i. e. *palpebrae, pili palpebrarum*. Isoni magistri gloss. in Prudentium: *setas vocat cilios, quod nos etiam tautones proprie vocamus*. Cf. Du Cange Glossar.

procedens, sursumque in praedictam capitis partem consurgens, per suos occultos meatus in aurium cocleas diffusus, foras erumpit, vicinisque partibus aeris seu longius positis se miscens, quicquid in eo sonuerit, absque ulla tarditate recipere festinat. Has itaque partes corporis subtilissimas, spiritualibusque naturis vicinas, quamvis ex interioribus spissae molis originem attrahant, foras tamen in tantum porriguntur, ut longe extra eam aestimentur separari. Extenditur enim visus ad recipiendas visibilium rerum colorabiles species : extenditur auditus ad vocum seu aliorum sonituum, percussione aeris erumpentium, prosodias, quas formas coloresque vocum dicimus in se imaginandas. Ceteri enim tres sensus intra terminos corporis contineri videntur, quamvis olfaciendi sensus foris protendi non incongrue, ut arbitror, existimetur. Hoc autem totum in seipsa simplex, omnique corporali quantitate, localibusque spatiis anima carens, in corpore, quod regit, sua praesentia peragit. Et dum ipsa nullo loco contineatur, locales tamen partes sui corporis, ubicunque sint, vivificat atque gubernat. Non enim cumulo carnalium membrorum localiter concluditur, nec cum sensibus foras porrectis localiter porrigitur. Adest autem potentialiter ad recipiendas phantasias, quae in sensuum suorum instrumentis, ubicunque sint, formantur. Quo argumento naturalis virtutis ipsius, et illocalitatis [1] magnitudo cognoscitur. Uno siquidem eodemque temporis momento, et siderum in radiis oculorum per aethera sparsis, et vocum in auditu per aera diffuso, et odorum in olfactu seu intra corpus seu extra, et saporum in gustu, in tactu quoque omnium, quae tactui accidunt, phantasias, hoc est imagines, primum quidem nullis temporum morulis mirabili celeritate ex corporalibus numeris in sensualibus formatas sentit, per occursores recipit, per progressores introducit [2], per recordabiles memoriae commendat, per rationabiles ordinat, per intellectuales approbat aut improbat, secundum regulas divinorum numerorum, qui supra eam sunt. Quorum exemplaria perspiciens, et de numeris intra seipsam constitutis judicat, deque corporalibus et sensualibus, qui utrique extra se sunt. Octo siquidem numerorum ordines ratio invenit. Quorum primus et summus est supra intellectum in aeternis causis, secundum quem discernit anima rationalis omnia, sicut ait Apostolus : *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur.* Duo quoque omnino et extra et infra animam sunt, quorum quidem unus et extimus in corporibus est, ex quibus corporei sensus formantur, in quibus phantasiae fiunt, alter in ipsis corporeis sensibus formatur [3], et ipse est phantasiarum primus ordo, in instrumentis sensuum constitutus, in oculis dico et auribus ceterisque sensuum sedibus. In ipsa vero anima quinque numeri computantur naturaliter insiti : occursores, qui primum occurrun phantasiis, easque recipiunt; post hos progressores, veluti duces quidem ad urbem memoriae; ad quam dum phantasiae pervenerint, a recordabilibus introducuntur; deinde rationabiles per urbem distribuunt, prout intellectuales jusserint. Turma siquidem phantastica veniens per visum specialiter in memoria possidet locum. Similiter per auditum ceterosque sensus intrantes, suis sedibus in eadem urbe recipiuntur. De quibus omnibus quisquis plenius scire desiderat, legat magnum Augustinum in *sexto de Musica*, et in *libris Confessionum*; magnumque Gregorium Nyssaeum in *sermone de imagine*. Quid ergo mirum, si anima rationalis, post solutionem corporis sui, in partibus ejus per elementa diffusis aliquid agat occulta naturali administratione, omnique corporeo sensu remota, quandoquidem et in vivente adhuc corpore simulque collecto, quantum sensibus videre [4], non solum in cumulo membrorum, verum etiam in sensibus longe ab ipso porrectis regiminis sui virtutem exercet.

37. Sed redeamus ad generalissimae vitae considerationem, cujus manifestandae potestatis in corporibus gratia haec introducta sunt de rationabili vita, non autem de omni vita, quaecunque corpus administrat. Hoc autem dico propter irrationabilium animalium animas, de quibus multorum varia sententia est. Alii namque dicunt, eas post corporis interitum vivere, alii vero, cum corporibus interire, nec diutius manere. De qua quaestione pauca paulo post dicemus. Generalissime igitur vitae prima maximaque divisio est in eam differentiam, quae rationabilem ab irrationabili segregat. Et rationalis quidem vita angelis hominibusque distributa est; sed in angelis, veluti specialis significationis causa, intellectualis dicitur, in hominibus vero rationalis. Veruntamen consulta veritate, et in angelis, et in hominibus intellectualis et rationalis est; ideoque communiter de iis praedicatur vita intellectualis et rationalis. Ad differentiam tamen relinquitur, ut ipsa vita intellectus in angelis, in hominibus anima vocitetur. Non enim alia [5] ratio mihi occurrit, quae prohibeat, angelicam vitam animam vocari rationalem; quemadmodum non prohibet, humanam rationalem intellectum, praesertim dum angeli caelestia sua corpora, in quibus saepe apparent, possident. Ac per hoc, si corpora habere perhibentur, quid obstet, ne illorum vita anima dicatur, ignoro, nisi sola, ut praediximus [6], vocabulorum differentia, quomodo et angelos ad imaginem Dei factos non dubitamus. Ubi enim est ratio et intellectus, ibi imaginem Dei deesse nullo modo crediderim. Solum tamen *hominem ad imaginem Dei factum* manifeste divina perhibet Scriptura. De Platone sileo, ne videar sectam illius sequi, qui definit, *angelos esse animalia rationabilia immortalia.* Ad differentiam ergo hu-

VARIAE LECTIONES.

[1] C *allocalitatis.* [2] A *inducit.* [3] *in quibus — phantasiae formatur* om. C. [4] A *videtur.* [5] *alia* om. A. [6] A *ut praediximus, sola.*

manae naturae ab angelica substantia relictae sunt A hae significationes, anima videlicet rationalis, et imago Dei. Irrationabilis autem vita dividitur [1] in eam, quae sensum participat, inque eam, quae eo caret. Et una quidem omnibus animalibus sentiendi virtutem habentibus distribuitur, altera vero omni sensu carentibus materiis, quae species vitae herbarum lignorumque dominari [2] perhibetur, et infra quam nullam speciem vitae ratio invenit. Proinde creatae vitae quattuor differentiae in quattuor speciebus colliguntur : intellectualis in angelis, rationalis [3] in hominibus, sensualis in bestiis, insensualis in germinibus ceterisque corporibus, in quibus sola species vestigium vitae manifestat, ut sunt quattuor mundi elementa, sive simplicia sint per se, sive composita : terram dico, aquam, et [4] aera, aetheraque. B Ac per hoc non immerito dicitur homo *creaturarum omnium officina*, quoniam in ipso universalis creatura continetur. Intelligit quidem ut angelus, ratiocinatur ut homo, sentit ut animal irrationale, vivit ut germen, corpore animaque subsistit, nullius creaturae expers. Extra haec enim nullam creaturam invenis. Sed fortassis quis dixerit, haec omnia in angelo quoque contineri. Cui respondeo, sensum animalibus distributum non posse subsistere, nisi in corpore ex quattuor elementis constituto. Non enim [5] erit visus, ubi non est ignis, neque auditus, si aer desit; humore subtracto nec olfactus remanebit nec gustus; terrae absentia totum abstrahit tactum. Corpora vero angelica simplicia spiritualiaque sunt, omnique exteriori sensu carentia. Non C enim sensibilium rerum notitiam per phantasias corporum accipiunt, sed omnem corporalem creaturam in causis suis spiritualibus spiritualiter perspiciunt, quemadmodum visuri sumus, cum ad aequalitatem naturae eorum transmutabimur. Sensu itaque corporeo carent angeli, quia super ipsum sunt; ac per hoc totius irrationabilis vitae expertes, sive sensualis, sive omni sensu privatae, compositis corruptibilibusque corporibus non gravantur. Proinde multa reperies in homine, quae nequaquam natura recipit angelica; non autem subsistit in angelo seu in alia creatura, quod naturaliter homini non insit. Et ne dicas, si ergo omnis species vitae in homine est, non unam, sed multas, et a se differentes vitas continet, D habens irrationalem et rationalem, sensualem simul et germinalem : intuere diligentius humanae animae potentias, quae dum sit unius ejusdemque subsistentiae, et virtutis, et operationis in omnibus simul corporibus humanis et generaliter, et in singulis specialiter, cunctos tamen vitales motus, administrationesque in corpore suo, intra seu extra potest peragere. Siquidem ultra corporeos sensus et ratiocinatur et intelligit, ut angelica vita; in sensibus corporeis sentiendi vim exercet similitudine irrationabilium, suam rationabilitatem non deserens; nutrit, et auget [6] corpus suum, ut illa, quae sensu caret, herbasque ac ligna penetrat; ubique in se ipsa tota, et in omnibus tota, totos sensus suos custodit. In ossibus ergo, et unguibus, et capillis vim germinalis vitae aperit; quae partes nostri corporis, quoniam aeri perviae non sunt, nullum sensum participant. In quinquepertito sensuum instrumento irrationabili vitae communicat, quae animalium ratione carentium propria subsistit. In his omnibus per se ipsam quamvis saepe irrationabiliter moveatur, ratione sua carere natura non sinit. Omne autem, quod potest praeter has praedictas virtutes, vivificandi scilicet nutriendique ac sentiendi per sensus, sive agat, sive patiatur, extra corpus suum agere vel pati recta ratione cognoscitur. His itaque de divisionibus deque differentiis generalissimae vitae praecognitis ad praedictae quaestionis reserationem, quantum datur nobis intelligi, redeamus, quoniam ipsius occasione haec de generali anima seu vita interposita sunt.

38. Est enim quaesitum, quare in operibus quattuor primordialium dierum nullius vitae seu animae commemoratio facta sit, quinto autem die subito erumpens Scriptura : *Producant*, inquit, *aquae reptile animae viventis*. Nec simpliciter dixit [7] *reptile animae*, sed cum additamento *viventis*, quasi anima non sit vivens. Et est causa, ut opinor, species illa, quam in divisionibus generalis vitae extimam posuimus. Et merito, quoniam omnis intellectus et rationis expers [8] subtili naturarum indagatione reperitur; ac veluti nulla vita, seu anima, seu vivens anima sit, siletur a Scriptura, ut intelligamus eam novissimam ac [9] imperfectissimam essentialiter creatae vitae participationem. Ac per hoc plus inter corporales numeros, quam inter vitales connumerandum divina sanxit auctoritas. Recte igitur in operibus quattuor dierum, in quibus species caelestium terrestriumque essentiarum ex causis primordialibus producuntur in apertum, et perfectionem suae formationis accipiunt, hujus vitalis motus nulla significatio interposita est. Nam et in tertia die siletur, in qua herbarum lignorumque germinatio de terra praecipitur, in quibus administrationis suae virtutem corporeis sensibus manifestat. Non quod ipsa species vitae in natura rerum proportionaliter subsistendi locum non obtineat; non enim parvipendenda est vis illa naturalis, quae omnia, quae terrae radicitus inhaerent, et ex terra oriuntur, secundum infinitam numerositatem surculorum herbarumque et nutrit et auget, inque species proprias, juxta singulorum generum similitudinem, et naturalem consequentiam florum, fructuum, seminum, per numeros locorum et temporum producit. Verum quoniam extra corpus nil agere praevalet, nec perfectae vitae, corporibusque absolutae, virtutem in

VARIAE LECTIONES.

[1] A *distribuitur*. [2] A *donari*. [3] C *rationabilis*. [4] *et* om. A. [5] *enim* om. C. [6] C *viget*. [7] C *dicit*. [8] A expers *esse*; C *est* lineis delevit. [9] A *et*.

se manifestat; in numeris corporalis naturae potius, quam in speciebus generalis vitae, divina, ut praediximus, auctoritate deputata est. Et quoniam ipsa per se, germinalis videlicet vita, sine altioris vitae, sensualis dico et rationalis, communione potest intelligi, rationalis vero et sensualis absque illa nullum corpus vegetare naturaliter sinuntur, donec in superioribus animarum viventium formis insinuantur [1], a sacra Scriptura reservata est [2]. Anima siquidem omni sensu carens, motu quoque vitali veluti omnino carere videtur. Ac per hoc anima solummodo dicitur, non autem vivens anima. Nec hoc mirum. Si enim in infantibus in utero conceptis aut ex utero egredientibus talis anima existimatur, veluti rationis intelligentiaeque omnino expers, cum et rationabilis et intellectualis [3] sit, quamvis rationis et intellectus indicia in recentibus adhuc et imperfectis corporis particulis non possit manifestare: quanto magis anima illa, intelligentiae viribus et rationis et sensus naturaliter destituta, non immerito animae viventis vocabulo non debuit in Scriptura significari? Disc. Hunc sensum approbo, et naturae rerum propheticisque sermonibus convenire perspicio. Veruntamen quoniam multi sunt, qui herbarum lignorumque corporeas moles omnino vitalem motum non habere contendunt, dicentes humore, quo virescunt, et nulla alia vita vegetari, tuam praedictam de hac re disputationem gravi quadam auctoritate velim roborari, quae aperte pronuntiaret, herbas arboresque qualicumque specie vitae [4] administrari. Mag. Non te latet, ut arbitror, omnium philosophorum de mundo disputantium de hac parte naturae unanimem esse sententiam. Aiunt enim, omnia corpora, quae intra hunc mundum sensibilem continentur, vitali motu contineri, sive in statu sint, sive in motu. Disc. Omnibus philosophantibus ac [5] philosophos legentibus illud notissimum est. Nam et Plato in Timaeo, et Plinius secundus in Naturali Historia, manifestissime de his nos edocent. Mag. Si itaque sanctorum Patrum testimonia quaeris, audi nobilissimum Basilium, Caesareae Cappadociae antistitem, in septima homilia in Genesin: *Educant aquae*, inquit, *reptilia animarum vivarum. Nunc primum animatum animal creatur. Germina enim et arbores, etsi vivere dicantur propter participationem nutritivae et auctivae* [6] *virtutis, ast non etiam animalia, neque animata sunt.* Gregorius item Nyssaeus [7], qui etiam Nazianzenus vocatur [a], praedicti Basilii germanus frater, in sermone de Imagine capite octavo: *Docet*, inquit, *ratio in tribus differentiis vitalem animalemque virtutem considerari. Una enim quaedam est, quae solummodo incrementum dat et nutrit; et vocatur auctiva* [8] *et nutritoria,*

A *quia in augmentum ejus* [9], *quod nutritur, quicquid conveniens est, affert. Ipsa etiam germinalis dicitur, et circa germina consideratur; necesse est* [10] *enim etiam in germinibus vitalem quandam virtutem sensus expertem intelligi. Altera vero praeter hanc species vitae est, quae et hoc habet, quod praedicta possidet, insuper etiam per sensum administrari accepit. Quae species in natura rerum* [11] *irrationabilium est. Nam non solum nutrit et auget, sed etiam sensualem operationem perceptionemque* [12] *habet. Perfecta vero in corpore vita in rationabili, humana dico, formatur natura, et nutritiva est, et sensualis, et rationem participat, et animo* [13] *ministrat.* Idem in eodem sermone, quinto decimo capite: *Tres*, inquit, *secundum vitalem virtutem differentias ratio invenit* [14]:
B *primam quidem nutritivam, sine sensu, secundam vero nutritivam quidem et sensitivam, expertem vero rationalis operationis, item tertiam rationabilem et perfectam, omnemque virtutem penetrantem.* Augustinus in libro de vera Religione: *Non sit nobis*, inquit, *religio cultus illius vitae, qua dicuntur arbores vivere, quoniam nullus sensus in illa est. Et ex eo genere est ista, qua nostri corporis numerositas agitur, qua etiam capilli et ossa vivunt, quae sine sensu praeciduntur. Hac autem melior est vita sentiens, et tamen vitam bestiarum colere non debemus. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta et sapiens anima rationalis, sive in ministerio partium stabilita, sive in ministerio universitatis.* Et haec testimonia praedictorum Patrum ad ea roboranda, quae diximus, sufficiunt, ut
C opinor. Disc. Sufficiunt quidem, et ad alia transeundum. M. Vide itaque, quam pulchrae ingreditur series rerum, divinis ordinata eloquiis. Quinto siquidem die conditionem animalium quinquepertito sensu pollentium primum [15] depromit.

39. Sed de anima omnium irrationabilium animalium non mediocriter moveor, qua ratione plurimi sanctorum Patrum cum corporibus eam interire, nec diutius permanere posse affirmant. Basilius siquidem [16] in nona [17] homilia in Genesin ait: *Educat terra animam vivam. Quare*, inquit, *terra animam educit, nisi ut discas differentiam animae pecoris ab anima hominis?* Et [18] paulo post: *Cognosces quomodo anima hominis facta est; nunc autem audi de irrationabilium anima, quoniam, juxta quod scriptum*
D *est, omnis animalis anima sanguis ejus est. Sanguis autem concretus in carnem mutari consuevit; caro vero corrupta in terram resolvitur: consequenter terrena quaedam est anima jumentorum. Educat ergo terra animam viventem. Vide consequentiam animae ad sanguinem, sanguinis ad carnem, carnis ad terram: et iterum revolvens per eadem redi a terra in*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *insinuaretur.* [2] C *servata* est. [3] A *intellectibilis.* [4] *vitae* om. C. [5] A *aut.* [6] Sic C; A *activae.* [7] C *Nyseus*, per ubique; A *Nyssenus.* [8] Sic C; A *activa.* [9] Pro *ejus* C *non.* [10] *est* om. A. [11] *rerum* om. C. [12] C *perfectionisque.* [13] C *anima.* [14] C *imponit.* [15] *primum* om. [16] C *quidem.* [17] VIII; A VIII. [18] Et om. A.

NOTAE.

[a] Duos Gregorios amicos Nyssenum et Nazianzenum unum facit.

carnem, a carne in sanguinem, a sanguine in animam, et invenies, quia terra est jumentorum anima, ne existimes, antiquiorem esse corporis sui substantiam, neque permanentem post carnis solutionem. Gregorius quoque Nyssaeus in sermone de Imagine capitulo decimo sexto [1]: *Si autem*, inquit, *quaedam in creatura nutritoriam operationem habeant, seu iterum quaedam sensitiva administrantur potentia, neque illa sensum, neque haec intellectum participant; si vero in anima intellectuali et rationali perfectionem habet omne, quod non ita est, aequivocum quidem animae esse potest, non tamen vere anima, sed quaedam operatio vitalis, vocatione animae utens.* Sed si ita est, ut illi volunt, cur generalis vitae principalis divisio est in animam rationalem et intellectualem, et in [2] animam ratione et intellectu carentem? Quare sub uno genere vitae duae species sibi invicem contrariae ponuntur? Non enim rationale et irrationale sibimet [3] adversantur, sed differentiam specierum unius generis exprimunt. Vivere autem et mori sibimet [4] omnino opponuntur: unum enim habitum significat, alterum privationem; habitus autem et privatio sibimet contradicunt. Si ergo [5] post solutionem corporis una species manet, altera perit, quomodo earum genus totum suum servabit? Ut enim pereunte genere omnes [6] species illius perire necesse est, ita intereuntibus speciebus illorum genus interire ratio cogit; genus enim in suis speciebus salvatur, et species in genere. Si autem formarum, seu specierum, sub uno genere constitutarum, quaedam quidem mori possunt [7], et moriuntur, quaedam vero nec [8] possunt mori, nec moriuntur, quid de ipsarum genere dicemus? An et ipsum in quibusdam peribit, in quibusdam non peribit? Non enim integrum potest permanere, quod quasdam suas partes patitur perdere, ac per hoc non erit genus, sed generis ruina. Si enim omnium corpore et anima constitutorum unum genus est, quod animal dicitur, quoniam in eo omnia animalia substantialiter subsistunt; nam et homo, et leo, et bos, et equus in ipso unum sunt, et substantiale unum: quomodo illius generis omnes species peribunt, ea [9] sola permanente, quae hominibus est distributa? Ac per hoc, si una species sola permanserit, ceteris intereuntibus, peribit etiam genus, quod nequaquam in una specie stabit. Quemadmodum enim una species ullum genus efficit, non video. Cum [10] enim genus multarum [11] formarum seu specierum substantialis unitas sit, quomodo stabit genus, ubi multarum formarum specierumve substantialis unitas non permanet? Quod autem multae species unum sint in genere, sanctus Dionysius edocet in capite de *perfecto et uno* dicens: *Neque enim est multitudo non par-*

A *ticipans unius; sed multa quidem in [12] partibus, unum in toto; et multa accidentibus, unum in subjecto; et multa in numero aut virtutibus, unum specie; et multa speciebus, unum in genere.* Proinde si omnes species in genere unum sunt, quomodo illud unum ex parte peribit, ex parte permanebit? Et si illud unum substantiale unum est, quomodo peribit, cum in omni creatura haec tria incorruptibiliter, sine incremento vel decremento permaneant, substantia, virtus, et [13] operatio? Et si omnium animalium corpora, quando solvuntur, non ad nihilum rediguntur, sed in elementorum qualitates, quarum concursu materialiter facta sunt, redire naturalis ratio perspicue [14] perhibet: quomodo eorum animae, cum profecto sint melioris naturae, qualiscunque enim anima sit, meliorem
B esse omni corpore nemo sapientum denegat, omnino perire possunt, dum rationi non conveniat, quod deterius est, manere et salvari, quod vero melius, corrumpi et perire, et quod compositum est, in suis partibus disjunctis custodiri, simplex autem omnique compositione carens dissolvique nequiens interimi? Omne autem corpus compositum esse, omnem vero animam simplicem, quis sophiae studentium nesciat? Et quod his omnibus mirabilius, quare, qui irrationabiles animas post solutionem corporis interire asserunt, nec immerito, ut aiunt, quoniam de terra sumptae sunt et in terram resolvuntur, magnis laudibus irrationabilis animae virtutem in sensibus exaltant, et rationabilis animae in sensibus corporeis virtuti praeferunt? Quis enim
C hominum acute videt, ut aquila et dorcas? Quis pollet odorifera vi, ut canis? Et ne longum videatur de irrationalis animae potentia in sensibus singulorum animalium disserere, quid de diuturnitate memoriae irrationabilium est dicendum? Canis Ulyssis post annos viginti dominum suum recognovit. Camelus injuriam a magistris patiens multo annorum spatio aptum ultioni suae spectat locum, dum sit ipse memor semper injuriae. De naturalibus autem eorum virtutibus pauca sufficiunt exempla. Tantae castitatis ferunt esse gryphum, qui [14*] dum semel conjugale consortium perdiderit, semper castitatem suam inviolatam conservat, prioris conjugii memorans. Quod etiam de turture naturarum
D inquisitores tradunt. De pietate ciconiarum erga parentes Basilius scribit: patre siquidem senescente, et prae nimia senectute indumenta plumarum perdente, nati undique circumstant, suisque pennis effovent, et escas copiose praeparantes, etiam in volatu validum praestant auxilium,[c] quietum volatile utrinque levantes [15]; ac sic illud in omnibus adjuvant. Hae igitur omnes naturales virtutes quomodo [16] irrationabili animae possent [17] inesse, si terra esset [18], ut aiunt praedicti Patres, de terra

VARIAE LECTIONES.

[1] AC XVI. [2] *in* om. A [3] A *sibi invicem.* [4] A *sibi.* [5] A *igitur.* [6] C *omnis.* [7] A *possunt mori.* [8] A *non.* [9] *ea* om. C. [10] A *Cur.* [11] A *multarum genus.* [12] *in* om. A. [13] *et* om. C. [14] *perspicue* om. A. [14*] corr., AC *quae.* [15] C *Qui enim volatile utrimque leviores.* [16] C *quoniam* [17] A *possunt.* [18] Pro *esset* A *et.*

orta, et in terram iterum [1] resoluta, aut si vere substantialis anima non esset, invenire non possum. Et si anima terra est, et terra corpus, quomodo corpus anima vocatur, cum differentia naturali longe a se invicem discrepent? Et si corpus est anima, necessario habebit vitam, quae eam vivificet; nullum siquidem corpus est, quod vita et specie careat, alioquin non erit corpus. Ac per hoc erit anima animae, seu vita vitae. Sed nemo existimet, nos talia dicere veluti sensum sanctorum Patrum destruentes, sed potius, quid de his rationabilius tenendum, pro viribus nostris quaerentes, hoc est, utrum irrationabiles animae corporibus solutis intereunt et in terram solvuntur, an in generibus suis corporum suorum administrationem deserentes salvantur [2], illud ubique, quod veris ratiocinationibus quaesitum et repertum et conclusum, inconcusse tenentes, quod omnis vita, sive anima corpus regitans, participatione unius primordialis vitae seu animae subsistere [3] seu vitam acceperit, quam participationem, sive in administratione corporum sit, sive non sit, omnino deserere naturalis [4] non sinit ratio. Nullius ergo sensum praejudicando talia dicimus, sed legentibus suadendo studiosius quaerere, et quod iis probabilius videtur, consulta veritate, indubitanter sequi. Verumtamen crediderim, sanctos philosophicosque viros, solertesque in veraci rerum indagatione, hujusmodi doctrinam publice protulisse propter insipientes homines, carni omnino, sicut bruta irrationabiliaque animalia, deditos, ne sic in carnem caderent, ejusque desideriis servirent, sed ut talis irrationabilis creaturae vilitate territi, ad rationabilis naturae [5] dignitatem, in qua conditi sunt, moribus correctis se erigerent. Quod ipse Gregorius in duodecimo [6] capite de Imagine plane aperit. Nam postquam dixit, irrationabilem animam non [7] esse vere animam, paulo post subjunxit: *Discant amatores carnis non valde de* [8] *visibilibus secundum sensum alligare intelligentiam, sed in animarum observationibus vacare; vera quippe anima in hominibus consideratur, sensus vero etiam in irrationabilibus aequaliter habetur.* Disc. Unusquisque quod vult eligat, et quod eligit sequatur: nos autem ad ea, quae restant, consideranda transeamus.

40. Mag. *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli.* Hic quoque subaudi animae viventis, ut intelligas volatile animae viventis. Plus enim animae viventis indicia in sensibus volatilium, quam piscium dignoscuntur. Nam, ut ait Basilius, *auditus in piscibus tardus est, visu obtusiore propter aquam vident, et neque multa memoria in illis est, neque phantasia, neque consuetudinis cognitio.* Haec autem omnia non minus in avi-

A bus, imo omnia [9] plus quam in hominibus [10] pollent. Merito autem quaeritur, quare volatilia ex aqua producta dicantur. Credibilius namque videretur, quemadmodum animalia terram habitantia de terra perhibentur creata, ita etiam pisces solummodo, aquae quidem possessores, de aqua; volatilia vero, quae aëra tranant, de aëre quoque creari. Sed huic quaestioni rationabiliter [11] occurritur, si aquarum natura consideretur. Quarum duae species sunt, una quidem marina et fluvialis, crassiorisque qualitatis, altera vero vaporalis et nebulosa, leviorque. Et crassior quidem terrena soliditate fulcitur, levior vero aërea suspenditur serenitate, donec in crassitudinem vertatur et ponderositatem, quam exilitas ejus sustinere non potest. Hinc conficitur naturali considera-
B tione, reptilia animae viventis, hoc est, omnium piscium genera et species ex crassiori aquarum specie, volatilia vero [12] similiter in generibus et speciebus suis ex leviori creari. Et quoniam aëris hujus, qui est inter lunam et terram, spatium in duas partes dividitur, quarum superior serena quidem est, nullisque perturbationibus, quae ex terrenis aquaticisque vaporibus in aëre nascuntur, obnoxia, inferior vero humida est et corpulentioris qualitatis, motibus ventorum, conglobationibus nubium, ceterisque, quae ex vicinitate terrae aquarumque efficiuntur, accommodata: quidquid ex illa parte aëris humidae aquosaeque qualitatis gignitur, ex aëre creari non incongruum est credere. Non enim possent volatilia hanc partem aëris terris aquisque vici-
C nam transmeare, si aëreae naturae omnino essent expertia. Jam vero dum in eis et levitas pennarum, et ossium concavitas, et volitandi facilitas dignoscitur, apertissime datur intelligi, non solum ex aqua, verum etiam ex aëre creata. Quod etiam ex amphibiorum natura facillime [13] perspicitur, quae et in aqua et in aëre, vel in aqua et in terra vivunt. Volatilium namque quaedam sunt, quae vicissim et in aëre degunt et in aqua, et dum in aqua vivunt, piscium formam, dum vero in aëre, volatilium induunt [14]. Et hoc per sex menses mutata specie faciunt; sex enim in aqua natitant, et sex in aëre volitant, et in terram sicut cetera volatilia descendunt. Et haec species avium gregatim semper sive in aëre, sive in aqua incedit, et fulica [15] appellatur. Ex quo datur intelligi, utrius-
D que elementi, aëris videlicet et aquae substantiam volatilia participare. Sunt autem amphibia, hoc est, dupliciter viventia, et [16] in terra et in [17] aqua, phocae et crocodili multaque similia. Est etiam aliud [18] argumentum, quo conficitur, volatilia ex humido aëre facta esse; spirant enim et respirant, ideoque et in terris et in aëre habitant, aqua vero suffocantur, cui semper supernatant, praeter illa amphibia, quae sponte undis se mergunt. Pisces vero, de aqua ac

VARIAE LECTIONES.

[1] *iterum* om. A. [2] A *solvantur.* [3] Sic C; A animae *participatione animam* subsistere. [4] *naturalis* om. A. [5] A *creaturae.* [6] C XII; A 17mo. [7] Pro *non* C *et.* [8] *de* om. C. [9] *omnia* om. A. [10] A *luminibus.* [11] C *naturaliter.* [12] Pro *vero* C *et.* [13] A *facile.* [14] C *induuntur.* [15] Conj., AC *luligo.* De fulica cf. Virg. Georg. I, 361. [16] *et* om. C. [17] *in* om. C. [18] A *illud.*

paene sola spissa creati [1], quoniam spirare et [2] respirare, sicut terrena et aërea animalia, non possunt, tactu terrae et aëris citissime pereunt, non tamen spiratione et respiratione omnino privantur. Nam si penitus privarentur, penitus non dormirent; *dormiunt autem*, ut ait Plinius, *pisces;* pulmones igitur spirantes et respirantes habent. Sed ipsum spiritum non ex isto corpulentiori aëre, sed ex illo tenuissimo, omniaque corporea penetrante accipiunt. Quoniam igitur pisces et volatilia plus ceteris animalibus ex humida natura ac paene sola creari eorum qualitates manifeste declarant; humida namque sunt et frigida: propterea ex aquis produci divina Scriptura commemorat. Et intentus aspice : non dixit producat [3] aqua, sed *producant aquae*, ut intelligas, aquarum, ut diximus, duas species esse, crassiorem quidem in pelago et fluminibus, leviorem vero in aëre. Ideoque distinxit narrationem, dicens : *Producant aquae,* deinde subjungit : *reptilia animae viventis, et volatile super terram.* Ac si aperte diceret : aquarum una species crassior quidem pisces, altera vero, quae levior est, volatilia producat. Quod etiam ex ipsis corporibus quis potest dignoscere. Pisces siquidem crassiorum corporum ponderositate gravari, volatilia vero pennarum levitate in altum sublevari videmus. Quod autem ait : *super terram sub firmamento caeli*, aperte significat, volatilium corpora terreno pondere non omnino praegravari, sed super terram in aëra, cujus humida qualitate condita sunt, subvehi sub firmamento caeli. Quoniam subtilitati et spiritualitati simplicium elementorum, quae, sicut exposuimus, firmamenti seu caeli vocabulo divina significant eloquia, nulla species animalium, quemadmodum avium, naturali similitudine appropinquat [4], iure sub firmamento caeli volatilia fieri jussa sunt, hoc est, in vicinia purissimorum ac pene incorporalium elementorum qualitatis. Sub firmamento itaque caeli volatile creatur, hoc est prope, infra tamen spiritualium corporum levissimam exilitatem. Hactenus de conditione piscium et volatilium in primordialibus causis. Eorum vero in genera et species processio sequitur : *Creavitque Deus κητῆ grandia, et omnem animam viventem*, et reliqua. Κῆτος, hoc est bellua, neutrius generis est apud Graecos, et singularis numeri; pluraliter autem, sicut et cetera apud eos neutralia nomina, α litera terminatur, τὸ κῆτος, τὰ [5] κητέα : deinde per synaeresin [6] duarum syllabarum in unam, hoc est ε et α in η, κητέα, κητῆ ; et duorum accentuum, acuti videlicet et gravis, in unum, id est in [7] circumflexum ; κήτέα enim in penultima acuitur, in ultima vero gravatur ; κητῆ autem in fine circumflectitur [a]. Sed huic libro, ne longius progrediatur, finis est imponendus, ut arbitror, si tibi videtur. Disc. Videtur quidem, et jamdudum, si prolixitas rationum non retardaret, terminum postulaverat. *Explicit liber tertius* ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΝ.

INCIPIT LIBER QUARTUS [8] [b].

Mag. Prima nostrae physiologiae intentio praecipuaque materia erat, quod [9] ὑπερουσιότης, hoc [10] est superessentialis natura, sit [11] causa creatrix existentium et non existentium omnium, a nullo creata, unum principium, una origo, unus et universalis universorum fons, a nullo manans, dum ab eo manant omnia, trinitas coessentialis in tribus substantiis, ἄναρχος, hoc est sine principio, principium et finis, una bonitas, Deus unus, ὁμοούσιος et ὑπερούσιος, id est coessentialis et superessentialis, et, ut ait sanctus Epiphanius, episcopus Constantiae Cypri, in Ancorato seu sermone [12] de fide : *Tria sancta, tria consancta, tria agentia [13], tria coagentia, tria formantia [14], tria conformantia, tria operantia [15], tria cooperantia [16], tria subsistentia, tria consubsistentia, sibi invicem coexistentia. Trinitas haec sancta vocatur, tria existentia, una consonantia, una Deitas ejusdem [17] essentiae, ejusdem virtutis, ejusdem subsistentiae [18], similia similiter [19], aequalitatem gratiae operantur Patris et Filii et Spiritus sancti. Quo modo autem sunt [20], ipsis relinquitur docere. Nemo enim novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, et cuicunque Filius revelaverit; revelatur autem per Spiritum sanctum. Non ergo haec tria existentia aut ex ipso, aut per ipsum, aut ad ipsum, in unoquoque digne intelliguntur, sicut ipsa revelant φῶς, πῦρ, πνεῦμα, hoc est lux, ignis, spiritus.* Haec, ut dixi, ab Epiphanio tradita, ut quisquis interrogatus, quae tria et quid unum in sancta Trinitate debet credere, sana fide respondere valeat, aut ad fidem accedens

VARIAE LECTIONES.

[1] A *quoniam* de aqua.... creati *sunt*. [2] A *ac*. [3] A *deducat*. [4] A *appropinquant*. [5] τὸ, τὰ om A. [6] C *synlemsin* ; f. σύλληψιν. [7] *in* om. A. [8] Sic A ; C literis miniatis : *Incipit quartus περὶ φύσεων*, F *Incipit quartus περὶ φύσεων*. [9] *quod* om. A. [10] A *id*. [11] A *quod* sit. [12] Corr., ACF in *accurato* sermone. [13] Sic CF. ; A *activa*. [14] Sic CF ; A *formativa*. [15] Sic CF ; A *operativa*. [16] Sic CF; A *cooperativa*. [17] A *ejusdemque*. [18] Sic CF ; *ejusdem virtutis, ejusdem subsistentiae* om. A. [19] Sic CF ; A *ex simili*. [20] Sic CF; *sunt* om. A.

NOTAE.

[a] Errat Magister ; nam neque κητια in penultima acuitur, nec κητη in fine circum flectitur ; sed κῆτος pluraliter formatur κήτεα, κήτη. [b] Hic incipit codex F.

sic erudiatur. Et mihi videtur Spiritum pro calore posuisse, quasi dixisset in similitudine, lux, ignis, calor [1]. Sed cur lucem primo dixit, non est mirum. Nam et Pater lux est, et ignis, et calor; et Filius est lux, ignis, calor; et Spiritus sanctus lux, ignis, calor. Illuminat enim Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus; ex ipsis enim omnis scientia et sapientia donatur. Urit Pater, urit Filius, urit Spiritus sanctus, quia simul nostra delicta consumunt, et nos, velut holocaustum quoddam, per θέωσιν, id est deificationem, in unitatem suam convertunt. Calefĭcat Pater, calefĭcat Filius, calefĭcat [2] Spiritus sanctus, quia uno eodemque caritatis aestu et nos fovent et nutriunt, ac veluti ex informitate [3] quadam imperfectionis nostrae post primi hominis lapsum in virum perfectum, in plenitudinem aetatis Christi, educant. Vir autem perfectus est Christus, in quo omnia consummata sunt, cujus aetatis plenitudo est consummatio salutis universalis Ecclesiae, quae in angelis et hominibus constituta est.

In secundo libro de natura creata et creatrice disputabamus, quam in principiis rerum, id est, in primordialibus causis subsistere diximus. Nam et ab una [4] omnium causa, quae est summa bonitas, cujus proprium est, omnia de non existentibus in existentia sua ineffabili virtute producere, creatur. Cetera vero, quae post eam [5] sunt, participatione sua creare non cessat. Tertius liber disputat de natura creata et non creante, hoc est de effectibus extremis primordialium causarum, qui rerum omnium extimam obtinent portionem; motus enim progressionum universitatis in eis desinit, non habens inferius egredi, quia in corporibus constitutus est. In quo libro etiam de primordialibus causis multa consideravimus, deque Deo, ejusque imagine in animo et ratione et sensu, et de quali nihilo facta sunt omnia, et quomodo Verbum Dei unigenitum et facit omnia et in omnibus fit. Pauca quoque de operibus primae intelligibilis septimanae, usque ad sextum [6] diem, tractavimus.

2. Quartus hic, ab operibus sextae propheticae contemplationis de conditione universitatis inchoans, reditum omnium in eam naturam, quae nec creat nec creatur, consideraturus, finem constituat [7]. Cujus difficultas [8], diversorumque sensuum occursus atque colluctatio tantum terroris nobis incutit, ut in comparatione ipsius tres praecedentes libri, instar plani pelagi, fluctuumque serenitate absque ullo naufragio navigabilis, tutum legentibus meatum praebere videantur, ipse vero tortuosis anfractibus invius, obliquitate sententiarum proclivus [9], tractibus Syrtium, hoc est incognitae doctrinae ductibus periculosus, subtilissimorum intellectuum, instar cautium latentium, navesque repente frangentium, caliginositate naufragiis promptus, suique prolixitate cogente in quintum librum porrectus. Divina tamen clementia [10] ducente et gubernante [11], prosperoque flatu divini Spiritus nostrae navis carbasum implente, tutum inter haec rectumque iter carpentes, ad portum, quem petimus, leni cursu liberi atque illaesi perventuri sumus.

Disc. Tendenda vela [12], navigandumque; accelerat namque ratio perita hujus [13] ponti, nullas veretur minas undarum [14], nullos anfractus Syrtesve cautesve formidat, cui delectabilius est in abditis divini oceani fretibus [15] virtutem suam exercere, quam in planis apertisque otiosa quiescere, ubi vim suam non valet aperire; *in sudore enim vultus sui panem suum*, Dei videlicet verbum [16], jussa est *vesci*, terramque sacrae Scripturae, spinas et tribulos sibi germinantem, hoc est, divinorum intellectuum exilem densitatem colere [17], studiumque sapientiae spernentibus inviam assiduis theoriae gressibus lustrare, *donec inveniat locum Domino* [18], *tabernaculum Deo* [19] *Jacob*, hoc est, donec ad veritatis contemplationem, quam lapsu primi hominis perdiderat, frequenti literarum divinarum laboriosoque studio ducente et adjuvante et cooperante, et ad hoc movente [20] divina gratia, redeundo perveniat, perveniendo diligat, diligendo permaneat, permanendo quiescat.

3. Mag. Dixit quoque Deus: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas* et cetera. *Producat*, inquit, *terra animam viventem*; ac si aperte diceret: Producat terra animal vivens. Ille siquidem tropus, qui dicitur συνεκδοχή, hoc est conceptio, in divinis eloquiis usitatissimus est. Quae forma locutionis totum a parte, et partem a toto concipit. Solet itaque sacra Scriptura totum animal animae solummodo vocabulo significare. In Actis apostolorum: *Eramus*, inquit, *in navi ducentae septuaginta animae*; siquidem animae non erant sine corporibus. Item in Genesi: *Omnes animae domus Jacob, quae ingressa est in Aegyptum, fuere septuaginta* [21]. In Evangelio [22] ex carne totus homo vocatur: *Et Verbum caro factum est*, hoc est verbum factum est [23] totus homo, carne, anima, menteque subsistens. Et alibi: *Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma*, carnis vocabulo totam suam humanitatem significans, spiritu vero sanctum Spiritum, promptum quidem et corroborantem se ad redemptionem humani generis in difficultate passionis. Quem Spiritum crucis patibulo fixus Patri commendavit dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Ac si dixisset:

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *et* calor. [2] Sic CF; A *et* calificat. [3] Sic CF; A *informatione*. [4] *una* om. A. [5] Sic CF; A *postea*. [6] Sic CF; A *quintum*. [7] Sic CF; A *constituet*. [8] Sic CF; A *difficultatis*. [9] Sic CF; A *proclivis*. [10] *clementia* om. A. [11] A gubernante *opera*. [12] Sic CF; A tendenda *sunt* vela. [13] Sic CF; *hujus* om A. [14] Sic CF; *undarum* om. A. [15] Sic CF; A *fretis*. [16] Sic CF; *Dei videlicet verbum* om. A. [17] Sic CF; *colere* om. A. [18] Sic CF; A *Domini*. [19] Sic CF; A *Dei*. [20] A *monente*. [21] CF *septuaginta* V. [22] Sic CF; A in Evangelio *quoque*. [23] Sic CF; A *verbum factus est*.

Spiritum a me et a te procedentem in manus tuas commendo, quoniam impassibilis est, donec solus carni compatiar, qui solus carnem accepi, et caro factus sum. Non quod et ipse passibilis sit secundum divinitatem, sed quod in eum humanitatis, quam solus assumpserat [1], passibilitas, et passio, et mors refertur, humanitatique, quam sibi in unitatem substantiae assumpserat [2], compassus est. Ideoque quia compassus non immerito dicitur, et vere dicitur passus. Non enim separata est in passione una substantia Verbi et hominis. Et ut certius corroboratum auctoritate perspicias, audi praedictum Epiphanium in sermone de Fide. *Semel*, inquit, *mortuus est pro nobis, sustinens pati pro nostris passionibus; semel gustavit mortem, mortem autem usque ad crucem; volens pro nobis Verbum in mortem venit, ut mortem interimeret; Verbum caro factum est, non patiens in Deitate, compatiens autem cum humanitate in impassibilitate. Passio autem sibi deputata est, ipso manente in impassibilitate; mors ei reputata est, eo manente in immortalitate. Ipse enim dixit: Ego sum vita; vita autem nunquam moritur, sed venit vivificare, pro nobis mortem accipiens. Non enim per hominem erat nobis vita, neque per carnem nobis spes. Maledictus enim, inquit, sperans in hominem, et: Qui habet spem in homine* [3], *erit sicut agrestis myrice* [4]. *Quid ergo dicemus? Non homo Christus ex his, quae praedicta sunt? Unicuique clarum est, quia absque ulla ambiguitate confitemur Dominum Deum Verbum hominem factum, non opinione sed veritate. Sed non homo venit in profectum Deitatis. Non enim in homine erat nobis spes salutis; nemo enim omnium hominum ab Adamo* [5] *potuit operari salutem. Sed Deus Verbum homo factus, ne spes nostra in hominem, sed in Deum viventem et verum, factum hominem fieret* [6]. *Omnis enim sacerdos, ex hominibus acceptus, pro hominibus constituitur, juxta quod scriptum est. Unde ex nostra humanitate accepit Dominus veniens carnem, et homo factus est nobis Deus Verbum, ut in Deitate daretur nobis salus, et in sua humanitate pateretur pro nobis hominibus, passionem per passionem solvens, et mortem per suam mortem* [7] *mortificans. Deputata est autem passio in Deitatem, et quidem Deitate non patiente, reputata autem passione Deitati, quia sic beneplacuit venienti sancto et impassibili Verbo. Est autem hujusmodi quoddam exemplum, veluti si quis vestimentum indutus, in vestimento autem sanguis sparsus pollueret vestimentum, et sanguis in vestimentum veniens non tangeret corpus induti, deputaretur autem contagio sanguinis vestimenti in eum qui vestimentum* [8] *induitur: sic in carne passus est Christus, in ipso dico* [9] *Dominico*

A *homine; sic* [10] *in seipsum reformavit ex caelis veniens ipse sanctus Deus Verbum; sicut ait beatus Petrus: Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu; et iterum: Christo ergo patiente pro nobis carne, et nos* [11] *in eandem intelligentiam armari* [12]; *sic* [13] *veluti sanguis in vestimento deputatur ferenti, deputata est ei passio carnis in Deitatem, Deitate nil patiente, ut non in hominem haberet mundus spem, sed in Dominico homine, Deitate recepta, reputaretur in ipsam passio, ut fieret pro mundo ex Deitate impassibili salus, ut in carne facta passio, et Deitate nil patiente neque sustinente, in eam fieret deputata passio, impleta* [14] *Scriptura, quae dicit: Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Crucifixus est ergo, crucifixus est Dominus, et adoramus crucifixum, sepultum, et resurgentem tertia die, et in caelos ascendentem.* Ut autem cognoscas, quod non de alio, verum de Spiritu sancto dictum est: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, audi eundem in eodem: *Si audieritis*, inquit, *quia in dextera Dei exaltatus* [15], *et promissionem Spiritus accipiens* [16] *a Patre; aut: Praestolari promissionem Patris quam audistis mei; aut: Quia spiritus eum immisit in desertum; aut quod ipse dicit: Nolite cogitare quid dicatis, quia Spiritus* [17] *Patris mei, qui loquitur in vobis; aut: Si autem in Spiritu Dei ejicio daemonia; aut: Qui autem blasphemat in Spiritum sanctum, non demittetur ei, et reliqua; aut: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; aut: Puer autem crescebat et confortabatur ipse spiritu; aut: Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus est ab Jordane; aut: Reversus est Jesus in virtute spiritus; aut: Quod natum est ex spiritu, spiritus est; aut: Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis; aut: Quare implevit Satanas cor tuum, Ananiae dixit Petrus, mentiris* [18] *Spiritui sancto; et posthac* [19]*: Non hominibus mentitus es, sed Deo: igitur Deus ex Deo, et Deus Spiritus sanctus est.* Hactenus ex Epiphanio. DISC. Transitus iste, quamvis longius a [20] proposito videatur recessisse, utilis tamen est volentibus sacram Scripturam intelligere: suasit enim, deitatem [21] Verbi et [22] impassibilem esse, et suae humanitati compassam; approbat etiam, quod Dominus dixit in Evangelio: *Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma*, itidem: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, non de alio spiritu dictum, sed de Spiritu sancto. Sed ad propositum redire oportet.

4. MAG. *Producat terra animam viventem;* hoc est, producat terra animal vivens. Vide, quam pulchre, juxta praedictum tropum, et totum a parte,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic A; CF *acceperat.* [2] Sic CF; A *acceperat.* [3] Sic CF; A in *hominem.* [4] Sic A; C *mirica*; F *miricae.* [5] Sic A; CF *in Adam.* [6] Sic CF; *fieret* om. A. [7] Sic CF; A *mortem suam.* [8] Sic CF; A *vestimento.* [9] Sic CF; *dico* om. A. [10] Sic CF; A *quem.* [11] A *vos.* [12] Sic CF; A *armemini.* [13] A *sicut.* [14] Sic CF; A *ut impleretur.* [15] Sic ACF; sed F corr. exaltatus *fuero.* [16] Sic ACF; sed F corr. *acceperitis.* [17] Sic ACF; sed F adscr. *est.* [18] Conj.; ACF *mentiri*; F supra mentiri adscr. *te.* [19] Sic CF; A *post haec.* [20] Sic A; *a* om. CF. [21] A *et* Deitatem. [22] Sic CF; *et* om. A.

totum scilicet animal ex meliore ejus medietate, quae est anima, significavit[1]. Et quia minor medietas totius animalis, quae est corpus, a terra sumitur, eodem tropo totum animal, hoc est corpus et animam[2], a terra produci jubetur, dum anima omnino terra non sit, sicut neque corpus anima; quoniam vero ipsa corpori adhaeret in unitate animalitatis, simul de terra fieri Scriptura testatur. Sed si quis altius hunc locum quaesierit, potest alio modo intelligere. Terrae siquidem vocabulo totius naturae substantialis, visibilium et invisibilium, incommutabilis soliditas solet insinuari; quod etiam tertiae lucis operationem speculantes exposuimus. Hinc est, quod ait Apostolus: ***Mortificate membra vestra, quae sunt super terram.*** Ac si aperte diceret: Membra malitiae, quae vestra sunt, quoniam ex vestra inobedientia, et non ex Deo facta, ex quibus veluti quoddam corpus universalis nequitiae aedificatis super terram, hoc est super soliditatem naturae a Deo conditae, ne ab iis diutius polluatur, mortificate, et pro membris malitiae interemptis membra justitiae, quae sunt virtutes, constituite, ut[3], quemadmodum super naturam ex Deo conditam vestris diversis criminibus veluti templum quoddam abominabile, diabolicaque habitatione condignum construxistis, ita etiam ex lapidibus virtutum divina gratia dolatis, domum pretiosam conditori ipsius[4], hoc est ipsius naturae, omni sorde expulsa penitusque interempta, reaedificetis. Cui sensui Psalmista consentit dicens: ***Deficient peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint.*** Ubi tropice ex effectibus causam significans[5], per peccatores et iniquos peccata et iniquitates insinuat[6], quae ex terra naturae, quando liberabitur ab omni malitia, deficient, ita ut non sint. Peccata enim et iniquitates tamdiu esse videntur, dum nihil sint, quamdiu subjecta natura contineantur; ea vero purgata et ad pristinam sinceritatem reducta, quae per se, id est peccata et iniquitates, subsistere nesciunt, ad nihilum penitus redigentur, ita ut non sint. Idem alibi sub persona viri juste viventis omnes justos beatificans: ***Qui erunt tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum,*** hoc est, tamquam verbum, quod inhumanatum est, in fine omnium seculorum propter nos, in quos, sicut ait Apostolus, ***fines seculorum devenere;*** pluraliter quidem unum omnium[7] finem, Christum videlicet, nominans; ipse siquidem est ***fines***[8] ***seculorum,*** qui universorum est consummatio; continuo subjunxit: ***Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae,*** discretionem justi judicii ventum vocans, qua[9] ille, cujus ventilabrum in manu sua, pulverem totius malitiae ex superficie terrae, hoc est ex substantiali pulchritudine naturae projiciet. De hac terra in alio psalmo idem ait: ***Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam.*** Cujus spiritus? Illius videlicet, qui fixus patibulo pro nobis[10], inclinato capite, tradidit spiritum. Quo exibit? Descendit ad inferna. Ad quid? Reducere inde humanam naturam, quae captiva illic detenta est; ***captivam enim duxit captivitatem.*** Sed quoniam mors non poterat retinere captivum, quae non invenerat criminosum, revertitur[11] in terram suam, in naturam suam, quam fecit et redemit et accepit, in corpus immortale, in pristinum naturae humanae statum, insuper etiam in gloriam resurrectionis. Et ut cognoscas eum, qui pollicitus est, spiritum suum solum exiturum non solum, sed cum tota humana[12] natura reversurum, audi ipsum dicentem: ***Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum fert. Emittes,*** inquit, ***Spiritum tuum, et renovabis faciem terrae,*** hoc est[13], restitues integritatem naturae; sive de anima Christi spiritum quis intelligat, quae *inclinato capite*, compatiente videlicet ejus deitate, pro salute mundi tradita est, et exivit, et reversa est in illam naturam, quam legatione sua redemit, emissa quoque est, ut restauraret pulchritudinem naturae, quae in primo homine[14] deleta est; sive de Spiritu sancto, qui est spiritus Christi, qui humiliato capite, quod est Christus, momentanea carnis morte traditus est universae creaturae, cujus primogenitus est ipse, cujus spiritus est. Exibit et revertetur ***in terram suam,*** hoc est, in illam naturam, quam propter peccatum primi hominis deseruerat; ***sua***[15] erat, priusquam peccantem relinqueret, sed propter eum, cujus spiritus est, et qui pro ea passus est, in eam revertitur, et amplius resurrectionis tempore revertetur, et mittetur, ut virtute ipsius universae naturae facies in pristinum decorem restituatur. Quoniam itaque in hac omnium communi terra omnia animalia secundum corpus et animam causaliter et primordialiter creata sunt; nam[16] in honore[17] omnia facta sunt: quid mirum, si divino praecepto jubeatur, ***animam viventem,*** hoc est animal vivens producere, ut, quod causaliter occulte in causis et rationibus habebat, hoc in genera et species aperte produceret? Et vide, quomodo naturalem rerum consequentiam divinum nobis manifestat eloquium. ***Producat,*** inquit, ***terra animam viventem in genere suo.*** Primo genus posuit, quoniam in ipso omnes species et continentur et unum sunt, et in eas dividitur et multiplicatur per generales formas specialissimasque species. Quod etiam ostendit dicens: ***Jumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas.*** Ac per hoc intelligitur, quod

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *significat.* [2] Sic CF; A *anima.* [3] *ut* om. A. [4] Sic CF; A ipsius *terrae*, hoc est. [5] Sic ACF; sed F corr. *significat* [6] Sic A; CF *insinuando.* [7] Sic CF; A *omnium unum.* [8] Sic ACF; sed F corr. *finis.* [9] Sic CF; A *quo.* [10] Sic CF; A qui *patiens* pro nobis. [11] Sic CF; A *revertetur.* [12] Sic CF; *humana* om. A. [13] Sic CF; *hoc est* om. A. [14] Sic CF; in *primo homine* om. A. [15] Sic ACF; sed F supra adscr. corr. sua *enim* erat. [16] Sic CF; A *quoniam.* [17] Sic A; CF in *homine.*

ars illa, quae dividit genera in species, et species in genera resolvit, quae διαλεκτική dicitur, non ab humanis machinationibus sit facta, sed in natura rerum, ab auctore omnium artium, quae vere artes sunt, condita, et a sapientibus inventa, et ad utilitatem solerti [1] rerum indagine [2] usitata.

5. Disc. Ex his, quae, ni fallor, rationabiliter a te dicta sunt, si quis voluerit, potest etiam alio modo intelligere quod scriptum est: *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram*, ut non solum simpliciter, quemadmodum superius tractatum est, intelligat, pisces et volatilia de hoc visibili atque tractabili humidoque ac frigido aquarum elemento creata esse, verum etiam altiori sensu ex abditis profundisque naturae sinibus, in quibus causaliter et primordialiter facta sunt, in genera et species B deducta. Quid enim obstat, ne, sicut terrae vocabulo naturae significatur soliditas et fertilitas, ita etiam aquarum significatione ejusdem naturae abdita intelligatur profunditas, ut omnium animalium, quae sive ex terra, sive ex aquis leguntur creari, una eademque cognoscatur origo, quamvis dividatur eorum speculatio? Alia siquidem in quinta prophetica theoria, alia in sexta condita esse [3] memorantur. Nec hoc sine ratione factum crediderim. Veri enim simile videtur, quod ideo terrena animalia sexta die, in qua etiam homo factus est, de terra produci jubentur, quoniam majorem similitudinem hominis in natura sua videntur habere. Omne siquidem, quod in natura animalis hominis praeter intellectum et rationem cognoscitur, naturaliter iis inesse physica C speculatione invenitur. Mag. Non solum, ut opinor, nil obstat, verum etiam, ut ita intelligamus ea, quae scripta sunt, secundum veritatem rerum factarum, ratio ipsa intentius considerata nos advocat. Est enim multiplex et infinitus divinorum eloquiorum intellectus. Siquidem in penna pavonis una eademque mirabilis ac pulchra innumerabilium colorum varietas conspicitur in uno eodemque [4] loco [5] ejusdem pennae portiunculae [6]. Et quidem natura ipsa rerum ad hunc attrahit intellectum. Terra namque ista sensibilis et aqua corpora composita sunt ex qualitatibus quattuor elementorum; et nihil de se gignunt, nullaque species naturae [7] ex iis nascitur, quamvis ex eis [8] nasci videatur. Vis autem seminum, quae in eis sunt, operante illa vita, D quae nutritiva dicitur, secundum leges et rationes insitas, quantum sinit divina providentia, in diversas species herbarum, surculorum, animalium, per genera et formas ex secretis creaturae sinibus erumpit. Ac per hoc unde terra et aqua visibilis et tractabilis in suas naturales species et qualitates et quantitates processere, inde omnia, quae ex eis nasci videntur, generationis suae originem sumunt.

A Est enim generalissima quaedam atque [9] communis omnium natura, ab uno omnium principio creata, ex qua veluti amplissimo fonte per poros occultos corporales creaturae veluti quidam rivuli derivantur, et in diversas formas singularum rerum eructant. Praedicta siquidem vis per diversa semina ex arcanis naturae proveniens, primumque in ipsis seminibus erumpens, deinde diversis humoribus admixta, in species singulas sensibiles ebullit. Disc. Rata haec verique similia, physiologiaeque speculationibus conveniunt. Quoniam vero homo, qui sexta [10] die conditus est, in numero animalium constituitur, quae sub uno genere comprehenduntur, num in hoc praecepto divino, quo jubetur terra *animam vivam producere*, intelligendus sit nec ne, velim a te audire. Mag. Hanc inquisitionem non facile solverim [11], si solummodo divina Scriptura pronuntiaret: *Producat terra animam viventem*. Verum quia addidit: *in genere suo*, planissime patefecit, omnia animalia in hoc praecepto contineri. Nulla enim species est, quae in genere suo omnino non collocatur. Sed quia haec forma animalis, quae in homine constituta est, ceterorum animalium naturam, quae sub eodem genere sunt, dignitate rationis et intelligentiae superat, provide prophetica contemplatio eam ceteris animalibus adjungere voluit, ut conditionem ipsius, juxta suae naturae excellentiam, latius et copiosius in fine omnium, quae a Deo facta sunt, narraret. Species igitur animalis maxima et pretiosissima bis in operibus sextae speculationis commemoratur: primum quidem in genere suo, quod est animal, jubetur [12] a terra produci; deinde paulo post, ceterorum animalium brevissima divisione facta, conditio ejus ad imaginem et similitudinem Dei introducitur. Disc. Una itaque [13] forma et inter cetera animalia de terra producitur, ac mox ad imaginem Dei fieri perhibetur; quod merito me movet. Si enim omne illud genus, quod dicitur animal, cum omnibus suis formis ad *imaginem et similitudinem Dei* fieret, non perturbaret me fortassis quod doces, hominem quidem et de terra inter cetera animalia produci, et postmodum ad imaginem et similitudinem Dei fabricari. Jam vero quoniam solum hominem, et nullum aliud animal praeter hominem, ad imaginem Dei creari divina perhibet historia, valde miror, quomodo inter jumenta et reptilia et bestias terrae homo a [14] terra producitur, et ad imaginem Dei, longe et incomparabiliter ultra cetera universa animalia, solus formatur, dicente Scriptura: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, et quod est mirabilius, quomodo a [15] terra producitur inter ea, quibus praefertur, et dominari jubetur. Subjunxit enim Scriptura: *Et*

VARIAE LECTIONES

[1] Sic CF; A *solertis*. [2] Sic CF; A *indaginis*. [3] Sic CF; *esse* om. A. [4] A *una eademque*. [5] *loco* om. A. [6] Sic CF; A *portiuncula*. [7] Sic CF; A *naturae species*. [8] *nascitur*, *quamvis ex eis* om. A. [9] A *et*. [10] Sic CF; A *in* sexta. [11] Sic C; A non *tam* facile *absolverim*; F *non facile solverem*. [12] Sic CF; A *videtur*. [13] Sic CF; A *igitur*. [14] Sic CF; A *e*. [15] Sic CF; A *e*.

A *Praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque creaturae, omnique reptili, quod movetur in terra.* MAG. Nec immerito, nec irrationabiliter moveris. Haec enim cautissima et solertissima inquisitione digna sunt. Et primum quidem, ut intelligas, remota totius ambiguitatis caligine, quod in universali animalium genere homo conditus sit, hoc maximum suscipe argumentum, tripertitam videlicet hujus generis divisionem in jumenta et reptilia bestiasque. Quae divisio non sine causa facta est, ut aestimo. Nam in aliis diebus, id est in tertia et quinta, in quibus genera et species commemorantur, nulla divisio generis in species introducitur, sed simpliciter aut solum genus et indiscretae species, ut in tertia, qua herbarum surculorumque genera speciesque de terra oriri jubentur, B aut solum genus et una species ipsius, ut in quinta, piscium quidem genus *reptile*, avium vero *volatile* vocans, neque hoc neque illud in species dividens. Nam in eo quod dixit : *Creavitque Deus cete grandia*, magis speciem [1] pro genere intelligendum est [2] posuisse, quam genus in speciem divisisse. Quomodo enim divisio generis in unam speciem posset fieri, dum omnis divisio non minus quam in duobus invenitur? Sexta autem die non solum generis conditio, verum etiam trina divisio ipsius in species narratur. *Dixit*, inquit, *Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terrae, secundum species suas.* Vel secundum septuaginta interpretes : *Dixit Deus :* C *Educat terra animam vivam secundum genus, quadrupedia, et reptilia, et bestias secundum genus, et factum est sic.* Haec itaque, ut arbitror, tripertitio totius vitae terreno [3] corpori adhaerentis, animalque per copulam ad corpus efficientis, est enim animal corporis et animae cum sensu [4] connexio, triplicem motum insinuat. Et quidem ternarius ille motus in homine solo, qni solus est [5] rationabile animal, intelligitur, quosdam quidem motus suos rationi subditos habens, qui jumentorum seu quadrupedum vocabulo significari videntur. Verbi gratia, movet quinquepertitum corporis sensum disciplinaliter in cognitionem sensibilium rerum solerti earum intelligentiae studio. Qui motus non irrationabiliter D jumentum dicitur; non enim parvum adjutorium rationabili animae praestat ad contemplationem veritatis sensibilium omnium, cuncta falsitate remota, vera sinceraque notitia. Est etiam quasi quidam [6] quadrupes motus sensuum subditus rationi [7]. Siquidem omne, quod per sensum cognoscimus in natura sensibilium rerum, hoc ex quattuor elementis est compositum [8], aut in ipso composito constitutum. Age enim, si corpoream speciem aspexeris, ipsa species in aliqua materia ex qualitatibus quattuor elementorum facta [9], constituta est. Si sonum seu odorem senseris, ex aëre quattuor elementis composito, similiter, si gustum seu tactum, ex compactionibus aquae terraeque accidere non dubitabis. Non immerito igitur corporeus sensus quadrupedis [10] vocabulum accepit, quoniam omne, quod sentit, non aliunde nisi ex quattuor elementis originem ducit. Quosdam vero ex inferiori natura sumptos recte dixeris [11] irrationabiles, hoc est rationi resistentes, ut est furor, et cupiditas, inordinatique corporalium sensuum appetitus, in abusionem attributos [12] sensibilibus creaturis. Et quoniam hi [13] motus ex irrationabilibus animalibus humanae naturae inserti sunt, non incongrue bestiarum appellatione significantur, praesertim cum semper [14] rationabilibus disciplinis reluctari non desinant, et aut vix aut nunquam domari ab eis possint, motusque rationabiles feroci impetu dilaniare semper appetant. Sunt praeterea in animali rationabili occulti quidam motus, quibus maxime corpus sibi conjunctum administrat, et sunt in auctiva [15] et nutritiva parte animae constituti [16]. Qui quoniam naturali facilitate sua peragunt officia, et quasi latenter, quia animae intentionem nullo modo sollicitant atque perturbant, si tamen integritas naturae incolumis extiterit, silenti quodam meatu corporalem harmoniam penetrantes, reptilium appellationem non irrationabiliter meruere. Ceteris vero animalibus, praeter solum hominem, ex tribus praedictis motibus duo tantummodo [17] insunt, unus quidem, qui in sensibus [18] est proprie rationis regimine carens, ac per [19] hoc bestialis, alter qui nutritivae vitae deputatur, reptili similis; quos homo cum ceteris animalibus participat, et reciproce cetera animalia cum ipso participant. Videsne igitur hominem in omnibus animalibus, et omnia in homine, et super [20] omnia hominem? Et si quis intentius naturae ipsius mirabilem ac penitus ineffabilem conditionem inspexerit, clare inveniet, eundem hominem et formam quandam [21] in genere animalium esse, et super [22] omnem formam animalem subsistere, ac per hoc et affirmationem et negationem recipere, et de eo praedicari recte posse : Homo animal est; homo animal non est. Dum enim in ipso corpus et vita nutritiva, et sensus, et memoria sensibilium, omnisque irrationabilis appetitus, ut est furor et cupiditas, considerantur, omnino animal est; haec enim omnia communia sunt illi cum ceteris animalibus : altiori vero sui parte, qua [23] ratione consistit, et intellectu, et interiori sensu, cum omnibus suis rationabilibus motibus, quos [24] virtutes appellant, cumque aeternarum divinarumque rerum memoria, omnino animal non est. Siquidem cuncta haec eadem sunt homini

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *species.* [2] Sic A; *est* om. CF, sed supra adscr. F. [3] Sic CF; *terreno* om. A. [4] Sic CF; *cum sensu* om. A. [5] Sic CF; *est* om. A. [6] A *quoddam.* [7] Sic CF; A *sub ditione rationis.* [8] Sic CF; A rerum *est* hoc *est* ex *quatuor elementis compositum.* [9] Sic CF; *facta* om. A. [10] Sic CF; A *quadrupedum.* [11] *recte dixeris* om. CF. [12] *attributos* om. CF. [13] Sic CF; A *hujusmodi.* [14] Sic CF; A *super.* [15] Sic CF; A *activa.* [16] A *constitutae.* [17] Sic CF; A *tantum.* [18] Sic CF; A *in sensibilibus.* [19] A *propter.* [20] A *supra.* [21] A *forma quadam.* [22] A *supra.* [23] A *cuae.* [24] A *quas.*

cum caelestibus essentiis, quae omne, quod in animalium natura comprehenditur, excellentia substantiae incomprehensibiliter [1] superant. Recte igitur, ut diximus, de homine dicitur : animal est, animal non est. Quod etiam ex auctoritate divinae Scripturae possumus corroborare. Apostolus ait : *Animalis homo non percipit quae sunt Dei* [2], et iterum : *Spiritualis homo judicat omnia, ipse vero a nemine dijudicatur.* Intuere, quam clare, quam aperte hominem velut in duos homines dividit. Quorum unus quidem animalis est, quoniam naturae animalium similis consistit, quae nihil spiritualium in se recipit ; alter vero spiritualis, quoniam aeternis et spiritualibus divinisque communicat subsistentiis, totiusque animalitatis expers est. Et ea quidem pars, qua animal est, exterioris hominis, ea vero, qua superat cetera animalia et seipsum, in quantum animal est, interioris congrue appellationem recipit. In his enim, qui spiritualiter vivunt, ut idem ait Apostolus, *exterior homo corrumpitur, interior vero de die in diem renovatur.* Nam qui [3] perfecte vivit, omnino corpus suum, et vitam, qua illud administratur, omnesque corporeos sensus cum his, quae per eos percipit, omnesque irrationabiles motus, quos in se sentit, cum omnium rerum mutabilium memoria, non solum spernit, verum etiam, quantum potest, et corrumpit et destruit, ne ullo modo in eo praevaleant, et omnino perire eis et ea sibi appetit, seipsum vero, in quantum caelestis essentiae particeps est, *de die in diem*, hoc est, de virtute in virtutem ascendens, divina gratia movente, cooperante, ducente, perficiente renovat. Et ea quidem natura, qua animalibus homo communicat [4], caro dicitur ; ea vero, quae [5] caelestis essentiae particeps est, mens, vel animus, vel intellectus. Audi Apostolum : *Mente*, inquit, *servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et innumerabiles divinae Scripturae sententiae hoc ipsum approbant. Quid igitur mirum, si duplex hominis conditio intelligatur, cum ipse quodammodo duplex sit ? Et quod animalibus simile est, cum animalibus, quod autem spiritualibus per se et absolute, cum spiritualibus creari. Ac per hoc non te turbet, quod dixi, hominem cum ceteris animalibus in uno eodemque genere de terra productum, et ultra omnium animalium naturam *ad imaginem et similitudinem Dei* factum. Disc. Non me [6] fortassis moveret, si possem ad purum dignoscere, quomodo sub uno eodemque genere cunctorum animalium ita homo conditus sit, ut meliori sui [7] parte super [8] omnem naturam animalium subsistat. Mag. Miror, cur eadem repetis. Diximus enim, hominem, in quantum animal est, inter animalia sub uno genere ; in quantum animal non est, extra omne genus omnium animalium [9] factum fuisse. Disc. Eheu ! Jam major longeque

A difficilior quaestio, quantum mihi [10] videtur, orta est. Mag. Quae sit illa, dic, quaeso. Disc. Videris, ut opinor, duas animas in uno homine subsistere arbitrari : unam quidem, quae corpus [11] administrat et vivificat et nutrit et auget, et per corporeos sensus sensibilia sentit, eorumque phantasias in memoria sua recondit, et cetera, quae animas animalium ceterorum in corporibus suis peragere notissimum est, alteram vero in ratione et intellectu subsistentem [12], *ad imaginem Dei et similitudinem factam.* Quod valde absurdum videtur. Mag. Duas animas in uno homine nec ratio, nec divina auctoritas sinit me arbitrari; imo etiam prohibet, nec ulli recte philosophantium fas est aestimare. Unam vero eandemque rationabilem animam humano corpori [13]

B ineffabili modo adjunctam hominem esse assero, ipsumque hominem mirabili quadam et intelligibili divisione ea parte, qua ad imaginem et similitudinem Creatoris factus est, nullius animalitatis participem esse, et ab ea omnino absolutum, ea vero, qua animalitati communicat, in universali animalium genere de terra, hoc est de communi omnium natura productum. Disc. Quid ergo dicemus ? Num humana anima simplex quaedam natura omnique compositione absoluta, an [14] quibusdam partibus in unitatem quandam copulata credenda est ? Mag. Unum firmissime teneo, simplicem videlicet omnique copula partium carentem esse, alterum vero omnino abnuo, hoc est, ullam compositionem differentium a se invicem partium recipere. Tota enim in seipsa ubique

C est per totum. Tota siquidem vita est, tota intellectus, tota ratio, tota sensus, tota memoria, tota corpus vivificat, nutrit, continet, auget ; tota in totis sensibus species rerum sensibilium sentit ; tota ipsarum rerum, ultra omnem corporeum [15] sensum, naturam et rationem tractat, discernit, conjungit, dijudicat ; tota extra et supra omnem creaturam, et seipsam, quia in numero creaturarum comprehenditur, circa suum Creatorem intelligibili motu atque aeterno, dum omnibus vitiis phantasiisque [16] purgatur, circumvolvitur. Et cum ita simplex naturaliter subsistat, suarum intelligibilium et substantialium differentiarum, veluti totius in partes divisiones recipit secundum motuum suorum numerositatem. Ac per hoc multis nominibus denominatur [17]. Siquidem

D dum circa divinam essentiam vehitur, et mens, et animus, et intellectus ; dum rerum creatarum naturas causasque considerat, ratio ; dum per sensus corporeos species sensibilium recipit, sensus ; dum in corpore occultos suos motus juxta similitudinem irrationabilium animarum peragit, nutriendo illud et augendo vitalis proprie motus [18] solet appellari. In his autem omnibus tota ubique est. Disc. Tota igitur et in genere animalium de terra producta est, et tota

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A excellentia *suae naturae incomparabiliter*. [2] Sic CF ; A *spiritus*. [3] Sic CF ; A *qui enim*. [4] Sic CF ; A *communicat homo*. [5] Sic CF; A *qua*. [6] A *Nonne*. [7] Sic A ; CF *sua*. [8] A *supra*. [9] Sic CF ; A *animalium omnium*. [10] Sic CF; *mihi* om. A. [11] A *corpus quae*. [12] Sic A ; CF *subsistens*. [13] Sic CF ; *humano corpori* om. A. [14] A *in*. [15] Sic A ; CF ultra *omne incorporeum* sensum. [16] Sic CF ; *phantasiisque* om. A. [17] Sic CF ; A *denotatur*. [18] Sic CF ; A *vita proprie* (*motus* om.).

ad imaginem Dei facta. Praedictis enim rationibus concluditur, ita et non aliter esse. MAG. Etiam; et nec ulli recte ac pie philosophantium de hoc dubitare licet, ne simplicissimam et individuam naturam scindere videatur, quod valde impium est. DISC. Quomodo ergo unus atque idem homo, secundum praedictam controversiam, et animal est et non est animal, vel quomodo et animalis est et animalis non est, et caro est et caro non est, et spiritualis est et spiritualis non est, et quomodo haec sibi invicem opposita et contradicentia in una simplicissima natura possunt intelligi, non satis video. MAG. Ex his, quae praedicta sunt, omne, quod tibi videtur in simplicitate humanae naturae contrarium, si quis intentius [1] perspexerit, luce clarius inveniet, non solum non esse contrarium, verum etiam omnino conveniens. Constat enim inter sapientes, in homine universam creaturam contineri [2]. Intelligit enim et ratiocinatur, ut angelus; sentit et corpus administrat, ut animal; ac per hoc omnis creatura in eo intelligitur. Totius siquidem creaturae quinquepertita divisio est. Aut enim corporea est, aut vitalis, aut sensitiva, aut rationalis, aut intellectualis. Et haec omnia omni modo in homine continentur. Extremum quidem subsistentiae [3] ipsius corpus est; deinde seminalis vita corporis administrativa, cui praeest sensus; deinde ratio, quae inferioribus se naturae partibus dominatur; supremum in his omnibus animus obtinet locum. Ac per hoc tota humana natura, in quantum communicat animalibus, merito animal est. Communicat autem eis, in quantum corpus est, et vita corpus regitans, et sensus, et memoria rerum sensibilium phantasias tractans : in quantum vero divinae caelestisque essentiae particeps est [4], non est animal, ratione autem et intellectu aeternorumque memoria caelestem participat essentiam. Ibi igitur omnino animalitatis expers est. In illa siquidem parte sui ad imaginem Dei facta [5] est, ad quam solam in idoneis hominibus loquitur Deus. *Ad illud enim hominis*, ut ait Augustinus undecimo de Civitate Dei, *loquitur, quod in homine ceteris, quibus homo constat, est melius, et quo ipse Deus solus est melior. Cum enim homo ad imaginem Dei factus sit, profecto ea sui parte est propinquior superiori se Deo, qua superat inferiores suas; quas etiam cum pecoribus communes habet.* Et notandum, quod etiam in hac vita, priusquam totum, quod in homine animale est, vertatur in spirituale, et omne, quod in eo compositum est, in ineffabilem adunetur [6] simplicitatem, potest totus homo et animalis fieri et spiritualis; sed animalis sola libertate arbitrii, spiritualis vero et libero arbitrio simul et gratia, sine qua naturalis potentia voluntatis movere hominem in spi-

A ritum nullo modo sufficit. Animalis igitur homo et fit et dicitur, quando, relictis motibus, qui [7] secundum rationem et intellectum sunt circa cognitionem Creatoris et creaturae, in motus irrationabiles, quibus animalia bruta circa corporis desideria moventur, spontaneo appetitu decidit, ita ut totam suam intentionem [8] temporalium fragiliumque rerum et ad non esse tendentium letiferis delectationibus ingurgitet : spiritualis vero, dum mutata omni conversatione in melius, divini amoris incendio inflammatus, mundo et carne omni modo spretis, omnibusque animalium motibus relictis, ad caelestium essentiarum similitudinem totus transformatur, ut, quod ei futurum est secundum inconversibilem substantiam, hoc in eo praecedat [9] secundum vitae virtutibus ornatae qualitatem. B Ac per hoc duobus modis animalis homo cognoscitur : uno quidem, quo secundum naturam subsistit, altero, qui ei ex irrationabili motu liberae voluntatis proclivaeque [10] ad malitiam accidit. Similiter spiritualis et secundum naturam subsistens, et secundum bonam voluntatem divina gratia praeventam, actu et scientia [11] purgatam, virtutum [12] ornamentis redimitam, ad pristinam divinae imaginis dignitatem revocatus [13]. DISC. Haec libenter accipio; sed non perpure [14] conspicor, quomodo, cum omnes species in genere unum sunt, contradicentes inter se invicem in [15] illo unum subsistunt. Definitio siquidem hominis ceterorum animalium definitionibus contradicere videtur. Est enim homo [16] animal rationale, cetera vero C animalia irrationabilia. Videsne, quomodo adversantur sibimet rationale et irrationale? MAG. Paululum acutius naturas rerum inspice, et invenies, hanc propositionem, quae est in differentia, sub uno genere differentias esse, non controversias. Verbi gratia: Omnis creatura aut visibilis est aut invisibilis. Hic differentiam facit, non controversiam. Visibilitas enim et invisibilitas duo quaedam sunt a se discreta, non sibi repugnantia. Similiter aut corporalis aut incorporalis est omnis creatura. Divinarum quoque personarum habitudines discernit. Pater siquidem ingenitus est, Filius vero genitus, Spiritus neque ingenitus neque genitus [17]; et innumerabilia exempla hujusmodi sunt. Et ut clarius cognoscas, vide, quod omnis controversia in una eademque specie seu D parte intelligitur, differentia vero in diversis : veluti si quis de homine dixerit, homo est animal rationale, homo est animal irrationale, de illa specie naturae [18], quae substantialiter homo dicitur, pronuntians, contradictoria proloquia fient, et necessario unum erit [19] verum, alterum falsum [20]. Non enim aut simul vera possunt esse, aut simul falsa contradictoria proloquia de subjecto eodem,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *intentus*. [2] Sic CF; A *inveniri*. [3] Sic CF; A *naturae*. [4] Sic CF; *est* om. A. [5] Sic CF; A *factus*. [6] A *adunatur*. [7] CF *quae*. [8] Sic A; CF *cogitationem*. [9] Sic CF; A *procedat*. [10] Sic CF; A *proclivisque*. [11] Sic CF; A *ac tam vitiis*. [12] A *quam* virtutum. [13] Sic ACF. [14] Sic CF; A *pure*. [15] Sic CF; A contradicentes *invicem species* illo. [16] *homo* om. A. [17] *Spiritus neque — genitus* om. A. [18] Sic CF; *naturae* om. A. [19] A *enim*. [20] Sic CF; A alterum *vero* falsum.

sive universaliter sint, sive particulariter. Dum igitur dicis: homo est animal rationale, equus est irrationale animal, nulla intelligitur contradictio, quoniam rationabilis et irrationabilis animalis substantialem differentiam patefacis. Dum enim [1] rationem homini das, et ab equo aufers, differentiam hominis et equi significas. Est enim sic [2] differentia hominis a ceteris animantibus, habere rationem, sicut [3] ceterorum animantium ab homine differentia, rationem non habere, dum neque in hoc habitus et privatio dignoscitur. Habitus enim hominis est habere rationem, habitus autem equi rationis absentia. Siquidem equus non privatur eo habitu, quem nunquam potuit habere. Ubi autem habitus non praecedit [4], ibi privatio consequens [5] non erit. Animali, seu cuicunque vitam participanti mors non accideret, si prius ei habitus vitae non inesset. Ideoque nullum animal proprie dicimus stultum, praeter illud, in quo videmus, posse fieri rationis habitum; neque stolidum, nisi cui naturaliter inesse potest sentiendi habitudo. Disc. Quare ergo dixisti, in uno eodemque subjecto duo proloquia sibimet adversantia falsa simul aut vera simul esse non posse, sed si unum sit verum, necessario alterum erit falsum, verbi gratia, si quis dixerit de uno eodemque, hoc animal equus est, equus non est, cum videris [6] asserere, contradictoria proloquia vera simul posse esse [7] in homine: Homo animal est, non est animal homo, et hoc naturaliter inesse [8] ei doces, donec totus moveatur animalis in spiritualem? Et cur hoc in homine solo, in ceteris vero animalibus nullo modo, in quibus omnino [9] verum est, animal esse, animal autem non esse omnino falsum? Mag. Putasne aliud animal praeter [10] hominem ad imaginem Dei factum? Disc. Nequaquam. Mag. Negabis, duo proloquia sibimet colluctantia, dum de Deo praedicantur, vera simul esse, et nullo modo falsa, quanquam ambo ejusdem virtutis non sint, ut puta: Deus veritas est, Deus veritas non est? Disc. Negare non ausim, dum ipse de seipso dicit: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Sanctus autem Areopagita Dionysius in symbolica Theologia dicit, quia Deus [11] *neque veritas est, neque vita* [12]. Ait enim: *Neque virtus est, neque lux, neque vita*; et paulo post: *Neque scientia est, neque veritas* [13]. Mag. Fortassis Dionysius contradicit Christo, qui de seipso praedicat, se ipsum veritatem esse? Disc. Absit. Mag. Utrumque igitur verum est, Deus veritas est, Deus veritas non est. Disc. Non solum verum [14], sed etiam verissimum. Unum quidem dictum est secundum affirmationem [15] per metaphoram, quoniam ipse conditor est [16] et causa primordialis veritatis, cujus participatione vera sunt, quaecunque vera sunt, omnia; alterum autem per negationem, quae est secundum excellentiam, quia plus est quam veritas. Ac per hoc et verum est, Deus veritas est, dum sit verorum omnium causa, et verum est, Deus veritas non est, quia superat omne, quod dicitur, et intelligitur, et est. Nec me latet quod addidisti, quanquam ambo non ejusdem virtutis sint [17]. Minus enim valet ad ineffabilis divinae essentiae significationem affirmatio quam negatio, quoniam una ex creaturis ad Creatorem transfertur, altera ultra omnem creaturam de Creatore per seipsum praedicatur. Mag. Bene vides quod addidi. Quid igitur mirum, si de homine, qui solus inter cetera animalia ad imaginem Dei factus est, vere simul possit praedicari, homo animal est, non est animal homo, ut per hoc saltem intelligamus, ad imaginem Dei illud animal specialiter esse conditum, de quo pugnantia sibimet in aliis animantibus [18] proloquia vere simul praedicantur? Porro si propterea divinae essentiae affirmationes et negationes conveniunt, quoniam superat omnia, quae ab ea [19] facta sunt et quorum causa est, cui non liceat prospicere, negationes et affirmationes imagini et similitudini ejus, quae in homine est, unanimiter convenire, quandoquidem superat cetera animalia, inter quae sub uno genere conditus est [20], et cujus causa condita sunt? Quis enim recte sapientium ignorarit, hunc mundum visibilem cum omnibus suis partibus, a summo usque deorsum, propter hominem esse factum, ut ei praeesset, et dominaretur omnium rerum visibilium? Quod sanctus Gregorius in sermone de Imagine his verbis edocet: *Quomodo* [21], inquit, *tota* [22] *creatura praeter hominem* [23] *divina virtute simul cum praecepto constituta sit, hominis vero constitutionem consilium praecedit* [24], *et praeformatur* [25] *ab artifice per verbum scripturae, quid futurum esset, et quale esse conveniret, et ad quale principale exemplar similitudinem ferret, et in quo fieret, et quid operaretur factum, et quibus dominaretur: omnia prius sermo circumspicit, ut venerabiliorem generationis dignitatem, priusquam in essentiam veniret, ipse sortiretur, qui principatum eorum, quae sunt, possessurus foret. Dixit enim, inquit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem, et dominetur piscium maris, et bestiarum terrae, et volatilium caeli, et pecorum, et omnis terrae.* Et hoc ei datum est, sive peccaret, sive non peccaret, quamvis non eodem modo regeret, si non peccaret, quo regit, postquam peccavit [26]. Et ut hoc certius cognoscas, num existimas, hominem ea parte sui, qua ad imaginem Dei factus est, animal esse, aut ea, qua inter animalia de terra productus est, imaginem Dei subsistere, aut utrumque, hoc est, et imaginem et animal veraciter in eo

VARIAE LECTIONES.

[1] *enim* om. CF. [2] Sic A; CF *Et sit* differentia. [3] Sic CF; A *sic et*. [4] A *recedit*. [5] Sic CF; A *consequen. privatio*. [6] Sic CF; A *videaris*. [7] Sic CF; A *esse posse*. [8] Sic CF; A *non esse*. [9] Sic CF; *omnino* om. As [10] Sic CF; A *quam*. [11] pro *Deus* A *ait*. [12] A vita *est*. [13] A veritas *est*. [14] A verum *est*. [15] Sic CF; A *sed in affirmatione*. [16] *est* om. A. [17] Sic CF; A *sunt*. [18] Sic CF; A *animalibus*. [19] Sic CF; A *eo*. [20] Sic CF; A *est conditus*. [21] Sic CF; A *Quoniam*. [22] *tota* om. A. [23] Sic CF; *praeter hominem* om. A. [24] Sic CF, A *praecludit*. [25] A *performatur*. [26] Sic CF; A *peccatur*.

non esse? Disc. Hoc ultimum nullo modo aestimarim [1]; haec enim simul esse in homine vera ratio comprobat. Illud vero, hoc est imaginem in animali et animal, in imagine omnino negarim [2], si me non moveret quod in superioribus [3] a te definitum est, hominem videlicet in seipso ubique totum esse; ex quo datur intelligi, ut opinor, et totam imaginem in toto animali, et totum animal in tota imagine per totum hominem subsistere. Mag. Miror, cur te talia moverent [4], cum videas, in hoc maxime imaginem et similitudinem Dei in humana natura posse cognosci. Ut enim Deus et supra omnia et in omnibus est, ipse siquidem essentia omnium est, qui vere solus est, et cum in omnibus totus sit [5], extra omnia totus esse non desinit, totus in mundo, totus circa mundum, totus in creatura sensibili, in intelligibili totus, totus universitatem facit [6], in universitate totus [7] fit, in toto universitatis totus, in partibus ejus totus, quia ipse est et totum et pars, et neque totum neque pars: ita humana natura in mundo suo, in universitate sua, in partibus suis [8] visibilibus et invisibilibus tota in seipsa est, et in toto suo tota est, et in partibus suis tota, partesque [9] ejus in seipsis totae, et in toto totae. Nam et extrema pars ejus et vilissima, corpus dico, secundum rationes suas tota est in toto homine, quoniam corpus, in quantum vere corpus est, in rationibus suis subsistit, quae in prima conditione factae sunt, et cum in seipsa ita sit, humana videlicet natura [10], totum suum excedit. Non enim aliter conditori suo adhaerere posset, si omnia, quae sub ipsa [11] sunt, et seipsam non excederet, quoniam *inter mentem nostram*, ut ait Augustinus, *qua Patrem intelligimus, et veritatem, per quam ipsum intelligimus, nulla interposita creatura est.* Quod etiam ipse Areopagita, Dionysium dico [12], in symbolica theologia pulchre docet dicens: *O amice Timothee, circa mysticas speculationes corroborato itinere* [13] *et sensus desere* [14], *et intellectuales operationes, et sensibilia et invisibilia, et omne non ens et ens, et ad unitatem, ut possibile, inscius restituere ipsius, qui est super* [15] *omnem essentiam et scientiam; ea enim teipso et omnibus immensurabili et absoluto mentis excessu, ad superessentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens et ab omnibus absolutus ascendes.* Et in Evangelio Dominus ait [16]: *Ubi ego sum, illic et minister meus;* est autem ille super [17] omnia. Est igitur illi adhaerens homo super [18] omnia et super [19] seipsum, quantum in omnibus est. Et quamvis humana natura, dum in hac vita mortali versatur, adhaerere Deo reipsa [20] non possit, verumtamen, quoniam possibile est ei et naturale, Creatori suo adhaerere, ejus gratia, cui adhaeret, adhaerere non incongrue dicitur. Saepe enim possibilitas pro experimento solet accipi, et quod certum est quandoque fore, pro praesenti computari etiam peracto [21]. Et quid dixi, in mundo suo, in universitate sua, cum apertius pronuntiarim [22] in universo mundo visibili et invisibili? Humana siquidem natura in universitate totius conditae naturae tota est, quoniam [23] in ipsa omnis creatura constituta est, et [24] in ipsa copulata est, et in ipsum reversura, et per ipsum salvanda. Audi Creatorem ipsius dicentem: *Praedicate Evangelium omni creaturae;* homini profecto. Ibi intellectus, ibi ratio, ibi sensus [25], ibi seminalis vita, ibi corpus, non hoc corruptibile post peccatum, sed illud ante delictum; non hoc compositum atque solubile, sed illud simplex et individuum; non hoc animale et terrenum, sed illud spirituale et caeleste; non hoc ex duplici sexu [26] per carnales connexus seminibus genitum, sed illud ex simplicitate naturae ante praevaricationem productum et in resurrectione futurum; non hoc corporeo sensui cognitum, sed illud in secreto naturae adhuc occultum; non hoc, quod merito peccati superadditum, sed illud, quod incorruptae adhuc naturae erat insitum, et in quod hoc corruptibile et mortale reversurum. *Seminatur*, inquit Apostolus, hoc est, de semine nascitur *in corruptione, surget in virtute.* In quali virtute? Ipsius videlicet corporis, quod prius naturaliter est conditum. *Seminatur in contumelia, surget in gloria; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Omne siquidem, quod naturaliter in homine est creatum, necessario aeternaliter manet integrum atque incorruptum. Non enim divinae justitiae est visum, ex eo, quod fecit, quidquam perire, praesertim cum non ipsa natura peccaverit, sed perversa voluntas, quae contra naturam rationabilem irrationabiliter movetur. Cujus rei maximum est argumentum. Si naturaliter inest homini mortis odium, quomodo in odio non haberet naturaliter mortis causam, peccatum dico? Et hoc commune omnibus animalibus est, mortem mortisque causas devitare et timere. Ut ergo nullus sapiens vult errorem incurrere, ita humana natura noluit peccare, ac per hoc conditor ipsius, dum sit justus, noluit eam punire, voluit autem ei superaddere, in quo posset delictum, quod ex perversa voluntate et suadente serpente acciderat, ne semper ei adhaereret, purgari. Natura siquidem rationalis et intellectualis, quamvis noluit falli, potuit tamen decipi, praesertim cum nondum formationis suae perfectionem acceperit, quam merito obedientiae esset acceptura in theosin, deificationem dico, transformanda. Non ergo debemus de humana natura judicare, secundum quod corporeis sensibus apparet, et merito praevaricationis poenaliter ad similitudinem irrationabilium animalium per copulam sexuum in hoc

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A nullo modo *dubium oportet aestimari.* [2] Sic CF; A omnino *non negarem.* [3] Sic CF; A *superiori.* [4] Sic ACF. [5] A *sic.* [6] *universitatem facit* om. A. [7] *totus* om. A. [8] *suis* om. A. [9] Sic CF; A *partes.* [10] Sic CF; *humana videlicet natura* om. A. [11] A *ipso.* [12] Sic CF; *Dionysium dico* om. A. [13] A *canere.* [14] A *deserere.* [15] A *supra.* [16] Sic CF; A et *Dominus in Evangelio dicens ait.* [17] [18] [19] A *supra.* [20] A *se ipsa.* [21] Sic CF; A *pro acto.* [22] Sic CF; A *pronuntiarem.* [23] A *et in ipsa.* [24] Sic CF; A *quoniam.* [25] Sic CF; *ibi sensus* om. A. [26] Sic CF; A *fluxu.*

mundo nascitur temporaliter corruptibiliterque, cujus finis mors est, verum secundum quod ad imaginem Dei, priusquam peccaret, condita est. Quod etiam omnem sensum corporeum, omnemque mortalem cogitationem pro ineffabili naturae dignitate incomprehensibiliter fugit, sed decepta et lapsa, pravae suae voluntatis tenebris obcaecata, et seipsam et Creatorem sui [1] oblivioni tradidit. Et haec est miserrima mors ipsius, profundissimaque in caligine ignorantiae submersio, et a seipsa et a Creatore suo longissima distantia, irrationabilibus vero mortalibusque animantibus proxima turpissimaque similitudo; ex qua iterum nemo eam potuit redimere, revocare, reducere, et ad statum pristinum, de quo ceciderat, restaurare, sed Dei sapientia, quae eam creavit, eamque in unitatem sibi [2] substantiae accepit, ut sic eam salvaret, cuncta liberavit [3] miseria. Non te igitur moveat, quod de humana natura dictum est, totam in seipsa ubique esse, et imaginem in animali totam, et animal in imagine totum.

6. Omne siquidem, quod in ea conditor suus primordialiter creavit, totum integrumque manet, adhuc tamen latet, revelationem filiorum Dei expectans. Disc. Non me fortassis moveret, si mihi clare suaderes, quod per meipsum perspicere non valeo. Delibero namque, utrum homo, si non peccaret, animal esset: quod etiam alio modo possum dicere, num [4] homo ante peccatum animal erat? Si non erat, cur tantum laboravimus quaerentes, et, ut est visum, invenientes, in universali genere animalium [5] hominem conditum [6] esse? Si enim in eo genere non est creatus, aut omnino ante peccatum animal non erat, aut si erat, in alio genere amimalium conditus erat. Quod nec divina Scriptura introducit, nec diligens rationis inquisitio in natura rerum reperit. Omnia enim animalia in uno genere subsistunt, a quo per divisiones procedunt. At si in eo quod scriptum est [7]: *Producat terra animam vivam*, inter animalia cetera conditio hominis introducta est ante peccatum, quomodo Psalmista veluti magnum opprobrium humanae naturae post lapsum ingerit dicens: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis?* Ubi Propheta aperte videtur pronuntiare, hominem ante lapsum in honore spiritualis substantiae ultra omnium animalium naturam substitisse; eo vero labente, dignitatemque suae naturae non intelligente, in contumeliam jumentorum similitudinis cecidisse. Si autem ante lapsum animal erat, cur post lapsum in eo juste reprehenditur, animalium similitudinem incurrisse, quibus naturaliter sub uno genere concreatus [8] est? Mag. Merito deliberares, si propheta simpliciter dixisset, comparatus est jumentis, et similis factus est illis. Addens vero jumentis *insipientibus* satis patefe-

A cit, quod in hoc homo maxime reprehenditur, quia, dum esset spirituale animal et sapiens, in prima sui conditione ad imaginem Dei et similitudinem, ipse insipienter et irrationabiliter se movens contra sui conditoris [9] mandatum, insipientium, hoc est brutorum [10] animalium similitudinem attraxit, eorumque inconvenientibus sibi motibus [11] naturalem naturae suae honestatem dehonestavit. Non enim in eo laudatur, quod animal est, sed quod imago Dei est [12], sicut in eo non vituperatur, quod animal, sed quod imaginem deformare voluit, quam perdere non potuit. Nam in ceteris animalibus irrationabiles motus turpes non sunt, dum naturaliter eis insunt, et sine quibus animalia esse non possunt [13]. Reprehensibile est autem [14] atque deforme in animali rationabili, in motus irra-
B tionabilium, quamvis naturales illis sint, illicito perversae voluntatis appetitu cadere, in eisque velle manere, relicta superiori pulchritudine divinae imaginis. Disc. Jure quidem culpatur rationabilis ob animalium irrationabilium motus [15]. Nam si aliquis homo honestae formae bestialem effigiem sponte sua se indueret, non immerito reprehenderetur, ab eo, quod melius est, in id, quod multo [16] deterius, seipsum praecipitans.

7. Sed adhuc quaero, cur Deus hominem in genere animalium creavit, quem ad imaginem suam et similitudinem facere voluit? Gloriosius quippe videretur, omni animalitate fieri absolutum, quod superni characteris particeps esse ultra omnia animalia fuerat electum, caelestiumque essentiarum consors,
C quibus terrenorum animalium nulla consubstantialitas sinitur inesse. Non enim terrenis corporibus gravantur, nec corporeis sensibus utuntur [17] ad rerum sensibilium notitiam. Non enim [18] extrinsecus phantasias accipiunt, sed intrinsecus in seipsis rationes eorum, quae vident, cognoscunt. Nam et anima non extra se videt, quae sentit, sed per phantasias in seipsa, quod angeli non patiuntur. Quamvis Plato angelum definiat animal rationale et immortale: sed quod auctoritate S. Scripturae sanctorumque Patrum probare non possumus, inter certas naturarum speculationes, quoniam temerarium est, accipere non debemus. Quod autem [19] sanctus Augustinus summos angelos spiritualia sua corpora, in quibus saepe apparent, non solum habere non denegat, ve-
D rum etiam confirmat, nullo modo compellit nos, caelestes substantias animalia esse credere, praesertim cum non caelestium et incorruptibilium corporum cum angelicis spiritibus harmonia inseparabilisque junctura, sed terrestrium et corruptibilium cum animabus sive rationabilibus sive irrationabilibus, sensu mediante, connexio animal efficiat. Nam si sensus exterior angelicis corporibus atque intellectibus inest, quid prohibet, ne illos animalia corpore et anima

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF, A *suum*. [2] Sic CF; A *suae*. [3] Sic CF; A *et cuncta liberaret*. [4] Sic A; CF *nam*. [5] Sic CF; A *animalium genere*. [6] A *editum*. [7] Sic CF; *est* om. A. [8] Sic A; CF *concretus est*. [9] Sic A; CF *creatoris*. [10] Sic CF; *hoc est brutorum* om. A. [11] Sic CF; A *motibus sibi*; [12] *est* om. CF. [13] Sic CF; A *possent*. [14] Sic CF; A *autem est*. [15] Sic A; CF culpatur rationabilis *animalis irrationabilis motus*. [16] A *multum*. [17] Sic CF; *utuntur* om. A. [18] *enim* om. CF. [19] A *aut*.

sensuque [1] mediante et intellectu vivificante composita, sicut Platoni placet, dicamus? Et si sic, quare in genere animalium non computantur? Siquidem et homo, si non peccaret, animal esset. Non enim peccatum de homine fecit animal [5], sed natura. Nam et angelos praevaricatores animalia esse nulla tradit auctoritas. Quod maxime tali docetur argumento. Siquidem illa futura felicitas, quae sanctis hominibus promittitur, non alia esse praedicatur, quam angelicae naturae perfecta et in nullo deficiens aequalitas. Quis autem sanum sapiens futuram hominis transmutationem crediderit veluti ex animali inferiori in animal superius, ex terreno in caeleste, ex temporali in aeternum, ex mortali in immortale, ex misero in beatum, sed potius omnia, quae in hac vita in hominibus sanctis ceteris communia animalibus seu intelliguntur seu sentiuntur [3], in illam essentiam caelestem et incommunicabilem omnique animalitate carentem ineffabili quadam mutatione transferri, quod etiam homini, si non peccaret, futurum erat? Quare igitur homo in genere animalium, quae de terra producta sunt, creatus sit, in quo semper non manebit? Siquidem cum mundus iste, cujus pars animalis homo est, interierit, omne, quod in homine animale est, cum ipso et in ipso peribit. Non enim [4] sinit vera ratio, totum pati interitum, partes vero illius ab interitu salvari. Porro si totus mundus cum omnibus suis partibus interiturus erit, quomodo homo, in quantum pars mundi est, post mundum manebit, aut ubi, aut quomodo, non satis video. Ac per hoc hujus quaestionis nodulos solvas, obnixe flagito. Mag. Altam valde humanae conditionis physicam theoriam postulas, nostramque [5] disputationem [6] longius progredi compellis. Et mihi sufficeret interroganti tibi, quare Deus hominem in genere animalium creaverit, quem ad suam imaginem facere proposuit, breviter respondere, quia ita voluit eum condere, ut quoddam animal esset, in quo imaginem suam expressam manifestaret. Cur autem ita voluit quisquis quaerit, divinae voluntatis causas quaerit, quas quaerere nimis praesumptivum [7] est atque superbum. *Quis enim cognovit* [8] *sensum Domini?* Sed si hoc dixero, ingratus fortassis silebis, et nos aestimabis nil ad purum perfectumve ducere posse. Non dicam igitur, cur voluit, quia omnem intellectum superat, sed dicam, prout ipse dederit, quid facere voluit. Omnem quidem creaturam visibilem et invisibilem in homine fecit, quoniam ipsi universitas conditae naturae inesse intelligitur. Quamvis enim adhuc lateat, quanta sit prima hominis conditio post praevaricationem superni luminis defectu, nihil tamen in caelestibus essentiis naturaliter inest, quod in homine essentialiter non subsistat [9]. Est enim intellectus et ratio, est caelestis angelicique corporis habendi naturaliter insita ratio, quae post resurrectionem luce clarius et in bonis apparebit et in malis. Hoc enim [10] commune erit universae humanae naturae, in aeternis incorruptibilibusque ac spiritualibus corporibus resurgere. *Seminatur*, inquit, *corpus* [11] *animale, surget corpus spirituale*. Totus iste mundus sensibilis in ipso conditus est. Nulla enim pars ejus invenitur, sive corporea sive incorporea, quae non in homine creata subsistat, sentit, vivit, incorporatur. Noli moles corporeas in homine pensare; virtutem magis considera naturalem, praesertim cum videas in ipso humano corpore pupillam oculi, quae cum sit minima omnium membrorum quantitate, maxima subsistit potentia. Si ergo [12] Deus hominem in genere animalium non crearet, vel certe si omnium animalium totam naturam in homine [13] non substitueret, quomodo universa creatura visibilis et invisibilis in eo comprehenderetur, ac per hoc rationabiliter possimus dicere, propterea Deus hominem in genere animalium voluit substituere, quoniam in ipso omnem creaturam [14] voluit creare. Cur autem in ipso omnem creaturam voluit creare [15], si a me quaeris, respondeo, quia ad imaginem et similitudinem suam voluit eum facere, ut quemadmodum principale exemplum superat omnia essentiae excellentia, ita imago ejus superaret omnia creationis dignitate et gratia. Cur autem specialiter prae ceteris visibilibus et invisibilibus creaturis ad imaginem suam hominem voluit facere, fateor me omnino ignorare. Disc. Mihi interroganti, cur Deus in genere animalium hominem voluit facere, satis, ut aestimo, et rationabiliter responsum. Verumtamen adhuc quaero, quomodo in homine omnia creata sunt et in ipso subsistunt, num secundum solam essentiam, an secundum sola accidentia, an cuncta [16], quae considerantur in universa creatura, hoc est, secundum essentiam, speciem, differentiam [17] et proprietatem, et omnia, quae circa ea [18], intelliguntur?

Mag. Hanc quaestionem [19] non mihi facile occurrit quomodo rationabiliter absolvam. Nam si dixero secundum solam essentiam, merito respondebis, omnia igitur in tantum solummodo sunt, in quantum essentialiter subsistunt, cetera vero, quae circa essentiam vel substantiam intelliguntur, in numero universitatis rerum nec computanda nec penitus sunt. Et si ita est, quaeres a me, unde ergo sunt, quae circa essentiam rerum intelliguntur. Si dixero, ex Deo facta sunt, dicturus eris, quare ergo in numero universitatis, quae in homine facta est, non includuntur? Si dixero a Deo facta non sunt, respondebis, non sunt igitur; nam si essent, non aliunde

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *sensu*. [2] Sic CF; A *animalia*. [3] Sic CF; A *intelligunt seu sentiunt*. [4] Sic CF; A *autem*. [5] A *naturamque*. [6] A *disputatione*. [7] Sic CF; A *praesumptuosum*. [8] A *cognoscit*. [9] CF *quod non in homine essentialiter non subsistat*. [10] CF Hoc *nam*. [11] *corpus* om. CF. [12] Sic CF, A *igitur*. [13] Sic F; C *homine*. [14] Sic CF; A *naturam*. [15] Sic CF; *Cur autem — creare* om. A. [16] Sic CF; pro *an cuncta* A *cunctaque*. [17] Sic CF; A essentiam *et* speciem *et* differentiam. [18] *ea* om. A. [19] Sic CF; A *inquisitionem*

essent [1] nisi ex causa omnium, quae Deus est. Et si consensero, ea, quae circa essentias intelliguntur, in numero rerum non esse, quia a Deo non sunt, continuo dices, quomodo ergo intelliguntur? Omne enim, quod ex Deo non est, nullo modo intelligi potest, quia ullo modo non est. Si dixero, non solum essentias, verum etiam omnia, quae naturaliter circa eas intelliguntur, et ex Deo esse, et in partibus universitatis computari, non est dubium, quin [2] cogar, unum ex duobus eligere, aut non totam universitatem in homine conditam, si solummodo essentiae in ipso factae sunt, aut totam universitatem, hoc est essentias, et quaecunque circa eas, et in eis perspiciuntur, in homine conditam [3] esse. Et si dixero, non partem universitatis, hoc est substantias, sed totum in homine constitutum, gravissima quaestione persequeris dicendo, irrationabilitas ergo in eo facta est, et bestialitas, quadrupedalitas, volatilitas, omnesque differentiae diversorum animalium aliarumque rerum, species quoque, et proprietates, et accidentia, et cetera innumerabilia, quae ab humana natura longe distare videntur, in tantum, ut si homini inesse constiterit, non esse hominem, sed turpissimum monstrum recte judicetur. Disc. Difficultatem quaestionis cumulasti, quadamque deliberatione, quicquid ab alio opponeretur, tibi ipse opposuisti, ac per hoc aut eam reserabis, aut abstrusam praeteribis [4], et ad alia [5] transibis, quod valde incongruum videbitur. Mag. Conemur itaque [6] illam quodammodo conspicari, ne omnino intacta interim relinquatur. Disc. Mihi aliter satisfacere non valebis. Mag. Omne, quod cognoscitur intellectu [7] et ratione, seu corporeo sensu imaginatur, putasne, in ipso, qui intelligit et sentit, quodammodo posse creari et effici? Disc. Videtur mihi posse. Rerum siquidem sensibilium species et quantitates et qualitates, quas corporeo sensu attingo, quodammodo in me creari puto; earum namque phantasias dum memoriae infigo, easque inter meipsum tracto, divido, comparo, ac veluti in unitatem quandam colligo, quandam notitiam rerum, quae extra me sunt, in me effici perspicio. Similiter etiam interius intelligibilium, quae solo animo contemplor, verbi gratia liberalium disciplinarum, quasdam notiones [8] veluti intelligibiles species, dum studiose eas perquiro, in me nasci et fieri intelligo. Quid autem interest inter notitiam et res ipsas, quarum notitia est, plane non video. Mag. Quid tibi videtur? Num unius naturae, an alterius sunt res earumque notitiae, quae in anima [9] fiunt? Disc. Alterius. Quomodo enim unius naturae erit species corporea, verbi gratia cujusdam animalis, seu herbae, seu arboris, et notitia ejus, quae in natura incorporea efficitur? Eadem ratione quomodo cujuspiam disciplinae intelligibilis species et notitia ipsius unius naturae pos-

A
sunt fieri? Mag. Si ergo alterius generis seu naturae, et non ejusdem, dic, quaeso, quid horum praestantius ponendum arbitraris, num excelsioris naturae sunt res propriis notionibus, an ipsae notiones rebus? Disc. Visibiles species melioris esse naturae notionibus earum dixerim, si sanctus Augustinus in nono de Trinitate undecimo capitulo talem sententiam non pronuntiaret: *Cum* [10] *per sensum*, inquit, *corporis discimus corpora, fit aliqua eorum similitudo in animo nostro, quae phantasia in memoria* [11] *est. Non enim omnino ipsa corpora in animo sunt, cum ea cogitamus, sed eorum similitudines. Melior est tamen imaginatio corporis in animo, quam illa species corporis, in quantum haec in meliore natura est, id est in substantia vitali, sicuti est animus. Non autem res* [12]

B
intelligibiles notione sua, quae est in anima, meliores esse audeo dicere. Quod enim intelligit, melius esse, quam quod intelligitur, ratio edocet [13]. Nam si rerum omnium cognitio in divina sapientia subsistit, meliorem esse incomparabiliter eam rebus omnibus, quarum cognitio est, non temere pronuntiarim. Et si ita est, talis ordo, ut reor, ex divina providentia per universam creaturam procedit, ut omnis natura, quae sequentis se notitiam comprehendit, non solum melior et superior sit, verum etiam et ipsa notitia dignitate naturae, in qua est, praecedit eam longe, cujus notitia est. Ac per hoc facilius dixerim, notitiam intelligibilium rerum antiquiorem esse ipsis intelligibilibus rebus. Mag. Illud fortassis recte diceres, si praestantius sit, quod formatur, illo, quod

C
format. Disc. Quare hoc opponis? Mag. Quia notitia artium, quae in anima est, ab ipsis artibus formari videtur. Sed si certissima ratione suaderes, non notitiam ex artibus, verum artes ex notitia formari, tua forsitan ratiocinatio recte ingrederetur. Disc. Nonne inter nos confectum jam, omne, quod intelligit, illo, quod intelligitur, praestantius esse? Mag. Confectum. Disc. Dic ergo, utrum peritia mentis intelligit disciplinam, an disciplina peritiam? Mag. Mente intelligi disciplinam non dubito. Si vero dixero, ex ipsa quoque peritia similiter, sicut et mente, cujus peritia est, eandem disciplinam cognosci, vereor, ne videar asserere, mentem peritiamque sui duo quaedam esse disciplinae notionibus vigentia,

D
et non unam eandemque essentiam, cui naturaliter inest disciplinae cognitio. Si autem mentem suique peritiam non duo quaedam, sed unum atque idem vera docet ratio, cogor fateri, omne, quod mente intelligitur, peritia quoque sui intelligi, et continuo sequetur, mentem et peritiam, vel certe mentem peritam, praestantioris naturae esse ea disciplina, quam intelligit, si antiquiora sunt intellectis intelligentia. Si autem dixero, ipsam disciplinam peritae mentis peritiam [14] esse, consequens erit, aut mentem peritam [15] disciplinamque peritam duo quaedam

VARIAE LECTIONES.

[1] *essent* om. CF. [2] *quin* om. CF. [3] Sic CF; A *condita*. [4] CF *obstrusam praeteries*. [5] Sic CF; A *aliam*. [6] Sic CF; A *ergo*. [7] Sic CF; A *in* ntellectu. [8] CF *notitiones*. [9] Sic CF A. in *animo*. [10] Sic CF; A *Cur*. [11] Sic CF; A phantasia *memoriae*. [12] *res* om. CF. [13] CF *docet*. [14] CF *peritam*. [15] A

esse se invicem intelligentia, et a se invicem intellecta, ac per hoc aequali dignitate naturae pollentia, aut mentem peritiamque sui disciplinamque, quam intelligit, et a qua intelligitur, unius ejusdemque essentiae fateri. Sed quid horum tenendum sit, nondum clare patet. Disc. Forsan patebit, dummodo rectam ratiocinandi viam Deo duce ingrediamur. Mag. Quaeramus itaque diligentius, ac primum dicas, volo, mentis naturam, cui inest disciplinae peritia, simplicem esse, an non? Disc. Simplicem esse arbitror [1]. Est enim incorporea, intellectualis, ac per hoc omni compositione carere necesse est. Mag. Recte arbitraris. Putasne igitur, aliquid ei accidere, quod ejus essentiae naturaliter non inest? Disc. Puto quidem. Multa enim contingere ei video. Verbi gratia, temporaliter movetur, dum ipsa non sit tempus; peritia disciplinarum ei accidit, nunc enim perita, nunc imperita, nunc disciplinata, nunc indisciplinata [2] dignoscitur, nunc sapiens, nunc insipiens, nunc errans, quando irrationabiliter volvitur, nunc rationis viam recte ingreditur, et multa id genus. Mag. Non ergo peritia disciplinae vel [3] ipsa disciplina naturaliter ei inest, sed ex accidentibus ei [4] extrinsecus proveniunt. Disc. Non ausim hoc dicere. Neque enim [5] verisimile est, Deum ad imaginem et similitudinem suam creasse mentem, cui naturaliter peritia atque disciplina non ingenita sit; alioquin non esset mens, sed bruta quaedam irrationabilisque vita [6]. Nam [7] non recte quis dixerit, ut arbitror, hominem ad imaginem Dei factum secundum accidens, et non secundum substantiam, praesertim cum intellectum et rationem substantialiter inesse ei videamus. Mag. Non ergo accidunt ei, sed naturaliter insunt. Disc. Non temere dixerim, ut opinor. Quamvis enim imperita et insipiens nasci videatur, quod ei accidit divini transgressione mandati, qua et suimet et Creatoris sui oblita est, doctrinae tamen regulis reformata Deum suum et seipsam, suique peritiam et disciplinam, et omnia, quae naturaliter in ea subsistunt, in seipsa potest reperire, Redemptoris sui gratia illuminata. Mag. Restat igitur considerare, quomodo ei insunt peritia et disciplina, num veluti naturales qualitates, quas virtutes appellant, ut sunt species sapientiae et scientiae, quas divini radii repercussione percipit, an veluti substantiales suas partes, quibus consistit, ita ut quaedam Trinitas sit unius essentiae, mens, peritia, disciplina. Disc. Quod postremo posuisti, crediderim; videtur enim mihi substantialis quaedam et connaturalis Trinitas. Mag. Mens itaque et peritiam et disciplinam suam intelligit, et a sua peritia suaque disciplina intelligitur, non quid, sed quia est; aliter enim coessentialis et coaequalis Trinitas non erit. Disc. Nec hoc negarim, quia ita ratio [8] me fateri exigit. Mag. Vide igitur, utrum a se invicem, an ab alia quadam superiori se natura formantur. Disc. Si superiorem naturam, ex qua haec Trinitas et substituitur et formatur et intelligitur, fides Catholica non suaderet, et non approbaret veritas, fortassis a [9] seipsa formari, vel certe principalem formam esse, non incaute responderim; jam vero quoniam superior est [10], ipsa, ex qua omnia formantur, incipiunt formari, et ad quam conversa formantur, quae ad eam convertuntur aut possunt converti, ab eadem etiam mentis Trinitatem formari non dubito. Mag. Hinc ambigere stultissimum. Sola itaque divina mens notitiam humanae mentis, peritae disciplinalisque [11] a se formatae et ad se [12], veram possidet in se ipsa. Disc. Nil verius aestimandum. Mag. Putasne, aliud esse humanam mentem, et aliud notionem ejus in mente formantis et noscentis? Disc. Absit. Imo vero intelligo, non aliam esse substantiam totius hominis, nisi suam notionem in mente artificis, qui omnia, priusquam fierent, in seipso cognovit; ipsamque cognitionem substantiam esse veram, ac solam eorum, quae cognita sunt, quoniam in ipsa perfectissime facta et aeternaliter et immutabiliter subsistunt [13]. Mag. Possumus ergo hominem definire sic: Homo est notio quaedam intellectualis in mente divina aeternaliter facta. Disc. Verissima et probatissima definitio hominis est ista; et non solum hominis, verum etiam omnium, quae in divina sapientia facta sunt. Nec vereor, eos, qui definiunt hominem, non secundum quod intelligitur esse, sed ex his, quae circa eum intelliguntur, dicentes, homo est animal rationale, mortale, sensus et disciplinae capax, et quod est mirabilius, hanc definitionem usiadem vocant, dum non sit substantialis, sed circa substantiam, ex his, quae per generationem substantiae accidunt, extrinsecus assumpta. Notio namque hominis in mente divina nihil horum est. Ibi siquidem simplex est, nec hoc nec illud dici potest, omnem definitionem et collectionem partium superans, dum de ea esse tantum praedicatur, non autem quid [14] sit. Sola etenim ac vera usiadis [15] definitio est, quae solummodo affirmat esse, et negat quid esse. Mag. Num tibi videtur rerum omnium sensibilium et intelligibilium, quae potest humana mens intelligere, notionem quandam in homine esse? Disc. Videtur plane; et quidem per hoc maxime intelligitur homo esse, quod cunctorum, quae sive aequaliter sibi creata sunt, sive quibus dominari praecipitur, datum est ei habere notionem. Quomodo enim dominatus eorum homini daretur, quorum notionem non haberet? Siquidem dominatus illius erraret, si ea, quae regeret, nesciret. Quod apertissime divina nobis indicat Scriptura dicens: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus* [16] *caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: omne autem quod vo-*

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *simplicem arbitror esse.* [2] Sic CF; *disciplinata nunc indisciplinata* om. A. [3] Sic CF; A *ut.* [4] *ei* om. CF. [5] Sic CF; A *Non* enim. [6] Sic CF; A *natura.* [7] Sic CF; *Nam* om. A. [8] Sic CF; A *ratio ita.* [9] *a* om. CF. [10] Sic CF; A *per superiorem.* [11] Sic CF; A *disciplinalis.* [12] Sic CF; *et ad se* om. A. [13] A *subsistit.* [14] A *quod.* [15] Conj. ACF *usiades.* [16] A *volantibus.*

cavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus. Ut viderct, inquit, hoc est, ut intelligeret, quid vocaret. Si enim non intelligeret, quomodo recte vocare posset? Omne autem quod vocavit [1], ipsum est nomen ejus [2], hoc est, ipsa est notio animae viventis. MAG. Quid ergo mirum, si rerum notio, quam mens humana possidet, dum in ea creata est, ipsarum rerum, quarum notio est, substantia intelligatur, ad similitudinem videlicet mentis divinae, in qua notio universitatis conditae, ipsius universitatis incommunicabilis substantia est; et quemadmodum notionem omnium, quae in universitate et intelliguntur, et corporeo sensu percipiuntur, substantiam dicimus eorum, quae intellectui vel sensui succumbunt, ita etiam notionem differentiarum ac proprietatum naturaliumque accidentium ipsas differentias, et proprietates, et accidentia esse dicamus? DISC. Non mirum. MAG. Creata est igitur in eo irrationabilitas, et omnis species, omnisque differentia, et proprietas ipsius irrationabilitatis, et omnia quae [3] circa eam naturaliter cognoscuntur, quoniam horum omnium et similium notitia in ipso condita est. Similium autem dixi propter illa, quae extra animalia natura rerum continet, ut sunt mundi elementa, herbarum quoque lignorumque genera et species, quantitates et qualitates, ceteraque per innumerabiles differentias multiplicata, quorum omnium vera cognitio humanae naturae insita est, quamvis adhuc inesse ei lateat seipsam, donec ad pristinam integritatem restituatur, in qua magnitudinem et pulchritudinem imaginis in se conditaè purissime intellectura est, et nihil eam latebit ex his, quae in se condita sunt, divino lumine ambita [4], et in Deum conversa, in quo omnia perspicue contemplabitur. An aliud voluit magnificus Boethius intelligi, ubi ait : *Sapientia est rerum, quae sunt, suique immutabilem substantiam sortiuntur, comprehensio* [5] *veritatis? Esse autem illa dicimus, quae nec intentione crescunt, nec retractione minuuntur, nec variationibus permutantur, sed in propria semper vi suae se naturae subsidiis nixa custodiunt. Haec autem sunt qualitates, quantitates, formae, magnitudines, parvitates, aequalitates, habitudines, actus, dispositiones, loca, tempora, et quicquid adunatum quodammodo corporibus invenitur : quae ipsa quidem natura incorporea sunt, et immutabilis substantiae ratione vigentia, participatione vero corporis permutantur, et tactu variabilis rei in vertibilem inconstantiam transeunt.* Et ubi haec subsistere intelligis, nisi in notionibus suis in anima sapientis? Ubi enim intelliguntur, ibi sunt, imo vero intellectus sui sunt [6]. DISC. Praesentis quaestionis reseratio multiplicem exigit expositionem, et dum reseratur, innumerabilis diversarum quaestionum undique circumstan-

A tium multitudo, veluti ex quodam infinito fonte manare non desinit, ut non immerito assimiletur ei Herculeae hydrae figmentum, cujus capita in quantum truncantur, in tantum crescunt, ita ut pro uno amputato centum ebulliant, humanam porro insinuans naturam, quae hydra, id est, fons quidam multiplex est, et infinitae profunditatis : quam praeter solum Herculem, hoc [7] est, virtutem, quis potest perspicere? *Nemo* enim *scit* [8] *quae sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Itaque si notio illa interior, quae menti inest humanae, rerum, quarum notio est, substantia constituitur, consequens, ut et ipsa notio, qua seipsum homo cognoscit, sua substantia credatur. MAG. Consequens profecto. Diximus enim, mentem humanam [9], suique notitiam,
B qua se novit, et disciplinam, qua seipsam discit, ut seipsam cognoscat [10], unam eamdemque essentiam subsistere. DISC. Quid ergo dicemus? Numquid paulo superius ad purum deduximus hominis definitionem, dicentes, homo est notio quaedam intellectualis, in mente divina aeternaliter facta? Et si ita est, quomodo illa notio, qua homo seipsum cognoscit, substantia sua sit, si praedicta definitio non temere statuta est [11]? MAG. Non temere quidem; nam et illa definitio, quae dicit, notionem quandam in mente divina aeternaliter factam substantiam hominis esse, verax est. Et quod nunc dicimus, notitiam videlicet, qua se mens humana cognoscit, substantialiter homini inesse, non irrationabiliter docetur. Aliter enim omnis creatura in Verbo Dei, in quo omnia facta
C sunt [12], consideratur, aliter in seipsa. Hinc sanctus Augustinus in Exemero suo : *Aliter*, inquit, *sub ipso sunt ea, quae per ipsum facta sunt, aliter in ipso sunt* [13] *ea, quae ipse est. Siquidem intellectus omnium in divina sapientia substantia est omnium, imo omnia; cognitio vero, qua seipsam in seipsa intelligit, intellectualis et rationalis creatura, veluti secunda quaedam substantia ejus est, qua se novit solummodo, se nosse et esse et velle, non autem quid sit. Et illa quidem substantia in sapientia Dei constituta, aeterna et incommutabilis est, ista vero temporalis et commutabilis; illa praecedit, ista sequitur; illa primordialis et causalis, ista procedens* [14] *et causativa; illa universaliter omnia* [15] *continet, ista particulariter, quantum a superiori distribuitur, subjecta sibi per notitiam comprehen-*
D *dit; ab illa producta est ista, ista vero reversura est in illam.* Et non dico nunc illam superessentialem substantiam [16], quae per seipsam Deus est, et unica omnium causa, sed illam, quae primordialiter in sapientia Dei facta est causaliter [17], cujus effectus est haec, quam secundo loco statuimus, substantia, imo naturalis ordo rerum constituit. DISC. Duas igitur substantias hominis intelligere debemus unam quidem in primordialibus

VARIAE LECTIONES.

[1] A *vocaret.* [2] *ejus* om. A. [3] *quae* om. A. [4] Sic CF; A *objecta.* [5] A *comprehensione.* [6] Sic CF; A *sinit.* [7] A *id.* [8] Sic F; A *scit enim; scit* om. C. [9] Sic CF; A *in mente humana.* [10] Sic CF; A *et* seipsam *cognoscit.* [11] Sic CF; A statuta *sit.* [12] *facta sunt* om. CF. [13] Sic CF; *sunt* om. A. [14] Sic CF; A *praecedens.* [15] Sic CF; A *hominem.* [16] Sic CF; A superressentialem *supersubstantialem* substantiam. [17] Sic CF; A *et* causaliter.

causis generalem, alteram in earum effectibus specialem. MAG. Duas non dixerim, sed unam dupliciter intellectam. Aliter enim humana substantia per conditionem in intellectualibus perspicitur causis, aliter per generationem in effectibus. Ibi quidem omni mutabilitate libera, hic mutabilitati obnoxia; ibi simplex omnibusque accidentibus absoluta omnem effugit contuitum et intellectum [1], hic compositionem quandam ex quantitatibus et qualitatibus, ceterisque, quae circa eam intelliguntur, accipit, per quam [2] mentis recipit intuitum. Una itaque eademque veluti duplex dicitur propter duplicem sui speculationem, ubique tamen suam incomprehensibilitatem custodit, in causis dico et in effectibus, hoc est, sive nuda in sua simplicitate, sive accidentibus induta. In his enim omnibus nulli intellectui creato neque [3] sensui succumbit, nec a seipsa intelligitur quid sit. DISC. Quid est ergo, quod jam pridem dixisti, mentem quidem humanam notionem, qua se cognoscit, et disciplinam, qua seipsam discit, habere, et nunc iterum neque a seipsa, neque ab alia creatura dignosci posse asseris? MAG. Utrumque verum esse ratio perdocet: humana siquidem mens et seipsam novit, et seipsam non novit. Novit quidem quia est, non autem novit quid est. Ac per hoc, ut in prioribus libris docuimus, maxime imago Dei esse in homine [4] docetur. Ut enim Deus comprehensibilis est, dum ex creatura colligitur quia est, et incomprehensibilis est, quia a nullo intellectu humano vel angelico comprehendi potest quid sit [5], nec a seipso, quia non est quid, quippe superessentialis: ita humanae menti hoc solum datur nosse, se esse, quid autem sit, nullo modo ei conceditur; et quod est mirabilius, et considerantibus seipsos et Deum [6] suum pulchrius, plus laudatur mens humana in sua ignorantia, quam in sua scientia. Laudabilius namque in ea est, se nescire quid sit, quam scire quia est, sicut plus et convenientius pertinet [7] ad divinae naturae laudem negatio ejus [8] quam affirmatio, et sapientius est ignorare illam quam nosse, cujus ignorantia vera est sapientia, quae melius nesciendo scitur; Apertissime ergo divina similitudo in humana mente dignoscitur, dum solummodo esse scitur; quid autem est, nescitur; et, ut ita dicam, negatur in ea quid esse, affirmatur solummodo esse. Nec hoc ratione vacat. Si enim cognosceretur quiddam esse, circumscripta profecto in aliquo esset, ac per hoc imaginem sui Creatoris non omnino in se exprimeret, qui omnino incircumscriptus est, et in nullo intelligitur, quia infinitus est [9], super omne, quod dicitur et intelligitur, superessentialis. DISC. Quomodo igitur omnis creatura in notitia hominis facta est, quae nec seipsam cognoscit quid sit, et hoc pro magna laude ipsius accipitur, prae nimia sui excellentia, dum nulla finita substantia circumcluditur? MAG. Imo etiam hoc maximo argumento colligitur, quod in homine omnis creatura substantialiter creata sit. Omnium siquidem, quae sunt, substantia nullo modo definiri potest quid sit, teste Gregorio theologo, qui de talibus disputat, agens adversum eos, qui negant, Verbum Dei superessentiale [10] esse, contendentes illud in aliqua substantia concludere, ac per hoc non super omnia esse, sed in numero omnium contineri, volentes substantiam Filii a substantia Patris segregare. Itaque sicut divina essentia, ad cujus imaginem facta est, infinita est, ita illa humana substitutio nullo certo fine terminatur; ex his autem, quae circa eam intelliguntur, hoc est temporibus, locis, differentiis, proprietatibus, quantitatibus, qualitatibus, relationibus, habitudinibus, positionibus, actionibus, passionibus solummodo intelligitur esse, quid autem sit, nequaquam. Atque hinc datur intelligi, nullius creaturae aliam subsistentiam esse, praeter illam rationem, secundum quam in primordialibus causis in Dei Verbo substituta est, ac per hoc definiri non posse quid sit, quia superat omnem substantialem definitionem. Definitur autem per suas circumstantias, quae sibi accidunt, in speciem propriam [11] per generationem seu intelligibilem seu sensibilem proveniens.

8. DISC. Humanam angelicamque naturam aut eandem aut simillimas esse, et divina Scriptura, et ipsa ratio perhibet. Nam et homo et angelus intellectualis et rationalis creatura dicitur, et est. Et si ita sibimet conveniunt, non immerito quaerendum, quare omnis creatura in homine creata legitur, non autem in angelo. MAG. Non sine causa, ut opinor. Siquidem videmus in homine non perpauca, quae in angelo subsistere, nec auctoritas tradit, nec ratio intelligit, ut hoc corpus animale, quod etiam ante peccatum humanae animae adjunctum fuisse divina Scriptura testatur, corporeus quoque quinquepertitus sensus exterior, rerumque sensibilium phantasiae, quae per eum humanae animae ingeruntur, ratiocinationis quoque in inquirendis rerum naturis perplexio morosaque difficultas, in discernendis item virtutibus et vitiis laboriosa solertia, plurimaque id genus. His enim omnibus angelicam essentiam [12] carere perspicuum, et tamen naturae rerum inesse nemo recte sapientium abnegarit. Quamvis videatur Augustinus sentire angelos [13] docuisse in octavo [14] de Civitate Dei, septimo [15] capitulo, ubi magnorum philosophorum contemplationis virtutem laudat, qui *viderunt omnem speciem in re quacunque mutabili, qua est, quicquid illud est* [16], *quoquomodo et qualiscunque natura est, non esse posse, nisi ab illo qui vere est, quia incommutabiliter* [17] *est. Ac per hoc sive universi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque mo-*

VARIAE LECTIONES.

[1] CF effugit *conditum intellectum.* [2] Sic CF; pro *accipit per quam* A *patiens.* [3] Sic CF; A *creatoque.* [4] Sic CF; A *in homine esse.* [5] Sic CF; A *est.* [6] Sic CF; A *dominium.* [7] Sic CF; A *pertineat.* [8] *ejus* om. A. [9] Sic CF; *est* om. A. [10] A *superessentialem.* [11] Sic CF; A *in specie propria.* [12] A *angelica essentia.* [13] Sic CF; A *angelicos.* [14] Sic CF; A in *libro* octavo. [15] Sic CF; A *sexto.* [16] Pro *qui viderunt omnem speciem... illud est* CF *qui asserunt* quoquomodo cet. [17] A *incommunicabiliter.*

tam, et elementa disposita a caelo usque ad terram, et quaecunque corpora in eis sunt, sive omnem [1] *vitam, vel quae nutrit et continet, qualis est in arboribus, vel quae et haec habet et sentit, qualis est in pecoribus, vel quae et haec habet et intelligit, qualis est in hominibus, vel quae nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in angelis, nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est.* De sensu tamen interiori dixisse crediderim. Proinde caelestem essentiam plurimarum naturae partium motionumque, quae naturaliter humanae insunt naturae, expertem quis ignorat? Eorum etiam notitiam quae ei, caelesti dico substantiae [2], aut secundum substantiam non insunt, aut secundum accidens non contingunt, non habere vera testatur ratio. Quamvis enim angeli mundum istum omnemque [3] corpoream creaturam administrare perhibeantur, nullo modo tamen putandi sunt ad hoc peragendum corporeis sensibus, seu motibus localibus vel temporalibus, aut visibilibus apparitionibus indigere. Haec autem omnia, quae nobis accidunt pro nostrae naturae indigentia, locorum temporumque varietatibus adhuc subjectae, non illorum potestatis defectu eis accidere recte judicantur [4]. Dum enim spiritualia sua corpora et invisibilia in formas visibiles transmutant, ita ut mortalium sensibus visibiliter, localiter, temporaliter possint apparere, non hoc eis accidit propter semetipsos, sed propter homines, quibus praesunt, et divina mysteria declarant. Nam localiter non vident per sensum, neque temporaliter eis accidit nosse, quid in rerum administratione acturi sunt, quippe dum sunt [5] aeternaliter super omne tempus et locum in contemplatione veritatis, in qua vident simul administrationis suae causas. Et ne me existimes de omnibus caelestibus essentiis talia pronuntiare, sed de excellentioribus [6] solummodo ordinibus, qui semper circa Deum sunt, et quibus nulla ignorantia inest praeter illam divinarum tenebrarum, quae superat omnem intellectum. Ordo siquidem extremus, qui proprie dicitur angelicus, per quem superiores ordines administrant, quicquid in humanis mentibus [7] per divinas revelationes, vel in ceteris mundi hujus partibus divina providentia jubet peragi, nondum omni ignorantia absolutus est, ideoque [8], ut sanctus Dionysius Areopagita in libro de caelesti Jerarchia subtilissime pertractat, *a superioribus ordinibus docetur, et in altiorum se divinorum mysteriorum notitiam introducitur.* Proinde non irrationabiliter jubemur credere et intelligere, omnem visibilem et invisibilem creaturam in solo homine esse conditam, cum nulla substantia sit creata, quae in eo non intelligatur esse, nulla species, seu differentia, seu proprium, seu accidens naturale in natura rerum reperiatur, quae vel ei naturaliter non insit, vel cujus notitia in eo esse non possit; ipsaque notitia rerum, quae intra se continentur, in tantum melior est his, quorum notitia est, in quantum melior est natura, in qua constituta est. Omnis autem rationabilis natura omni irrationabili et sensibili naturae recta ratione praeponitur, quoniam Deo propinquior est. Quapropter et res, quarum [9] notitiae humanae naturae insunt, in suis notionibus subsistere non incongrue intelliguntur. Ubi enim melius cognitionem suam patiuntur, ibi verius existere judicandae sunt. Porro si res ipsae in notionibus suis verius quam in seipsis subsistunt, notitiae autem earum homini naturaliter insunt, in homine igitur universaliter creatae sunt. Quod reditus omnium in hominem suo tempore indubitanter probabit. Qua enim ratione in eum reversura sunt, si in eo connaturalem quandam cognationem [10] non possiderent, et ab eo quodammodo non procederent? De quo reditu suo loco dicendum promisimus. Disc. Haec, quamvis valde difficilia videantur, quoniam simplicis doctrinae modum excedunt, speculatrice tamen considerata ratione, amplitudini humanae conditionis intelligendae admodum conveniunt, utilissimeque proficiunt, ut non immerito dicamus, non hominem in genere animalium, sed magis omne genus animalium in homine de terra, hoc est, soliditate naturae productum, et non solum omne genus animalium, verum etiam universitatem conditam in homine factam, ita ut veraciter de homine intelligatur quod Veritas dixit: *Praedicate Evangelium omni creaturae;* item Apostolus: *Omnis creatura congemiscit et parturit usque adhuc.* Cui autem haec vel nimium abstrusa [11], vel penitus incredibilia videntur, si omnium naturalium disciplinarum, quas liberales appellant, imperitus est, aut sileat, aut discat, ne [12] incautus repugnet his, quae intelligere non valet; si doctus, plane videbit, ut de una earum exemplum proferamus, figuras geometricas non in seipsis naturaliter subsistere, sed in rationibus ipsius disciplinae, cujus figurae sunt. Trigonus siquidem, qui corporeo sensu in aliqua materia conspicitur, profecto illius, qui animo inest, quaedam sensibilis imaginatio est, ipsumque trigonum, qui in animo disciplinabili subsistit, intelliget, rectoque judicio, quid praestantius sit, ponderabit, num figura trianguli, an ipse triangulus, cujus figura est. Et inveniet, ni fallor, illam quidem figuram vere figuram esse, sed [13] falsum triangulum, illum vero triangulum, qui in arte subsistit, illius figurae causam esse, verumque triangulum. Et non dico phantasticum triangulum, qui ex animo descendit per memoriam in sensus, et [14] per sensus in sensibiles figuras, neque illum, qui iterum ex figura sensibili per corporeum sensum memoriae infigitur, sed illum ipsum, qui in ipsa disciplina uniformiter permanet, ubi simul est linea et angulus, nec alibi linea, alibi angulus, alibi medium, alibi extremum,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *omnium* [2] Sic CF; *caelesti dico substantiae* om. A. [3] Sic CF; A *omnem et.* [4] Sic CF; A *videantur.* [5] CF dum *sint.* [6] Sic CF; A *excelsioribus.* [7] Sic CF; A *motibus.* [8] CF *Ideo,* ut. [9] A *quorum.* [10] Sic CF; A *cognitionem.* [11] Sic A; CF *obstrusa.* [12] Sic CF; A *non.* [13] Sic CF; A *et.* [14] *et* om. A

alibi signum, alibi spatia [1] laterum a signo, alibi angulorum, alibi punctum, quo lineae incipiunt, et in quo per juncturas laterum anguli concluduntur, sed in una eademque notione geometrici animi praedicta omnia unum sunt, et totum in singulis, et singula in toto intelliguntur, et in ipso intellectu unita [2] sunt, quia ipse omnium, quae intelligit, substantialis ratio est, ex qua geometricorum corporum formulae specificantur. Et quod de triangulo diximus, de ceteris quoque figuris angulosis, seu circularibus, sive obliquis, in planis quoque ac solidis intelligendum; quippe cuncta [3] haec una eademque ratione in mente perita disciplinabilique [4] in notionibus suis subsistunt. Si ergo geometrica corpora, sive in phantasiis memoriae, sive in aliqua materia sensibili formentur in notionibus suis rationabilibus, omni phan- B tasia atque materia carentibus, super omne, quod sensu corporeo percipitur, vel in memoria figuratur, subsistunt: quid mirum, corpora quoque naturalia, ex qualitatibus elementorum mundi composita, in ea natura, in qua eorum notitia est, subsistere, praesertim cum omnia, quae circa corpora sentiuntur, incorporea sint? Nam et species, quibus continentur, incorporales sunt; quantitates similiter et qualitates intelligibilis naturae esse nulli sapienti dubium videtur, et ab intellectualibus vitalis substantiae rationibus procedere.

9. MAG. Quisquis naturas rerum intentus perspexerit, haec ita se habere incunctanter inveniet. DISC. His itaque discussis non incongrue quaeritur, quomodo omnis creatura in homine est condita, C cum ipse post creationem omnium factus fuisse perhibeatur. Si ergo ante ipsum universa creatura visibilis et invisibilis creata est, ut divina tradit historia, nulliusque conditio post ipsum legitur, qua ratione possumus perspicere, omnem creaturam in homine conditam fuisse? Nam si quis dixerit, universam creaturam bis conditam, primo quidem specialiter in seipsa, secundo vero generaliter in homine, non facile crediderim rationi convenire, quia, si ita est, propriam substantiam homo non habebit, sed erit veluti quaedam compositio multarum rerum, imo etiam totius creaturae prius factae, et una multiplex diversis formis exaggeratio. Et quod est gravius, si omnis creatura, sive visibilis, sive invisibilis, D in seipsa perfectissime facta est; perfectus siquidem conditor dum sit et plusquam perfectus, nullum imperfectum credibile est condidisse: quomodo veluti secundam conditionis suae [5] perfectionem in homine acceperit [6], qui extremus in divinis operationibus creatur? Et, si ita est, non de nihilo fecit Deus hominem ad imaginem suam, sed de his, quae ante ipsum facta sunt. Quod si quis dixerit, humanum corpus non de nihilo, sed de aliquo terreno, videlicet limo [7], conditum fuisse, quid dicturus erit de meliori

A hominis factura [8], quae sine dubio in anima et corpore spirituali in prima conditione constituta est, quam, scilicet animam, flatu divino, imo flatum divinum, de nihilo conditam, non autem de aliquo credimus. MAG. Hanc quaestionem multa caligine involutam sentio, multiplicemque reserationis suae facultatem quaerere. Sed ne penitus intacta transiliatur, ipsam quodammodo, prout interior divini luminis radius arriserit, contemplari conabimur. Ac primum dicas, quaeso, utrum res intelligibiles seu sensibiles priores sunt animo, qui eas intelligit, vel sensu, quo sentiuntur. DISC. Ubi aliud est, quod intelligit, et [9] aliud, quod intelligitur, et melioris naturae est, quod intelligit, quam quod intelligitur, intelligenti animo seu sensu sentienti rem intellectam seu sensam [10] B praecedi, non incongrue dixerim. Res autem ipsas, quae se intelligunt, in quantum se intelligere possunt [11], non dixerim esse semet priores. Nam ubi res ipsa et sui cognitio unum est, qualis praecessio fieri potest, non video. Scio enim me esse, nec tamen me praecedit scientia mei, quia non aliud sum, et aliud scientia, qua me scio; et si nescirem me esse, non nescirem ignorare me esse: ac per hoc, sive scivero, sive nescivero me esse, scientia non carebo; mihi enim remanebit scire ignorantiam meam. Et si omne, quod potest scire [11*] se ipsum nescire, non potest ignorare se ipsum esse; nam si penitus non esset, non sciret seipsum nescire: conficitur, omnino esse omne, quod scit se esse, vel scit se nescire se esse. Si quis autem tanta ignorantia obrutus est, ut nec C seipsum esse sciat, nec nescire [12] seipsum esse sentiat, aut penitus talem non esse: hominem, aut omnino extinctum dixerim. In supradictis quoque rationibus satis inter nos statutum [13], haec duo humanae animae simul et inseparabiliter ac semper inesse: scire et nescire. Scit enim, se esse rationabilem et intellectualem naturam; nescit autem, quid sit ipse intellectus et ipsa ratio. MAG. Non eras ergo, priusquam scires vel nescires te esse? DISC. Non; simul enim accepi esse, et cognoscere me esse, et intelligere, me ignorare, quid sum. MAG. Dic mihi, quando notitiam sui accipit homo, utrum in illa conditione, in qua omnes homines universaliter facti sunt in primordialibus causis ante tempora secularia, an in ipsa generatione, qua in ordine temporum, D Deo soli cognito et praedefinito, in hanc vitam procedit? DISC. In utrisque, ut arbitror: in una quidem generaliter in causis latenter, in altera vero specialiter in effectibus manifeste. Nam in illa primordiali et generali totius humanae naturae conditione nemo seipsum specialiter cognoscit, neque propriam notitiam sui habere incipit; una enim et generalis cognitio omnium est ibi, solique Deo cognita. Illic namque omnes homines unus sunt, ille profecto ad imaginem Dei factus, in quo omnes creati

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *spatium*. [2] Sic CF; A *unica*. [3] Sic CF; A *cuncta quippe*. [4] CF *disciplinalique*. [5] Sic CF; A *suae conditionis*. [6] Sic CF; A *accepit*. [7] Sic CF; A *luto*. [8] Sic CF; A *parte*. [9] *et* om. CF. [10] Sic CF; A *seu sensu apprehensam*. [11] Sic CF; A *possint*. [11*] Conj., AEF *nescire*. [12] Sic CF; A *scire*. [13] Sic CF; A *statuitur*.

sunt. Ut enim omnes formae vel species, quae in uno genere continentur, adhuc per differentias et proprietates intellectui vel sensui cognitae non succumbunt, sed veluti quaedam unitas nondum divisa subsistit, donec unaquaeque suam proprietatem et differentiam in specie individua intelligibiliter vel sensibiliter accipiat : ita unusquisque in communione humanae naturae nec seipsum nec consubstantiales suos propria cognitione discernit, priusquam in hunc mundum suis temporibus, juxta quod in aeternis rationibus constitutum est, processerit. MAG. Quare ergo unusquisque mox, ut per generationem in hunc mundum provenerit, non seipsum cognoscit? DISC. Poenam praevaricationis naturae in hoc manifestari non temere dixerim. Nam si homo non peccaret, in tam profundam sui ignorantiam profecto non caderet; sicut neque ignominiosam generationem ex duplici sexu ad similitudinem irrationabilium animalium non pateretur, ut Graecorum sapientissimi certissimis rationibus affirmant [a]. Ipse siquidem, qui solus absque peccato natus est[1] in mundo, Redemptor videlicet mundi, nusquam [2] nunquam talem ignorantiam perpessus est, sed confestim, ut conceptus et natus est, et seipsum et omnia intellexit, ac loqui et docere [3] potuit, non solum quia sapientia Patris erat, quam nihil latet, verum etiam quia incontaminatam humanitatem acceperat, ut contaminatam purgaret; non quia aliam accepit praeter eam quam restituit, sed quia ipse solus incontaminatus in ea remansit, et ad medicamentum vulneris vitiatae naturae in secretissimis ipsius rationibus reservatus [4]. Tota quippe in totis periit [5], praeter illum, in quo solo incorruptibilis permansit. Et quidem maximum exemplum gratiae ipse est, non quia quid ex reatu humanae naturae indultum ei sit[6], sed quia solus omnium nullis praecedentibus meritis in unitatem substantiae verbo Dei conjunctus est, in quo omnes electi, de plenitudine gratiae ejus accipientes, filii Dei et participes divinae substantiae fiunt. MAG. Inerat ergo humanae naturae potentia perfectissimam sui cognitionem habendi, si non peccaret. DISC. Nil verisimilius. Casus quippe illius maximus et miserrimus erat, scientiam et sapientiam sibi insitam deserere, et in profundam ignorantiam suimet et Creatoris sui labi, quamvis appetitus beatitudinis, quam perdiderat, etiam post casum in ea remansisse intelligatur, qui in ea nullo modo remaneret, si seipsam et Deum suum omnino ignoraret. MAG. Perfectissima igitur [7] cognitio et sui et Creatoris ei ante peccatum naturali-

A ter insita est, quantum cognitio creaturae et seipsam et causam suam potest comprehendere? DISC. Non aliter existimo [8]. Nam quomodo imago esset, si in aliquo ab eo, cujus imago est, distaret, excepta subjecti ratione, de qua in superioribus libris diximus, dum de prototypo, hoc est, de principali exemplo ejusque imagine disputabamus, dicentes, ipsum Deum principale exemplum esse per seipsum, a seipso, in seipso, et a nullo creatum vel formatum vel conversum subsistens, imaginem vero ejus, quae est homo, ab ipso creatam, nec per seipsam esse, nec a seipsa, nec in seipsa subsistere, sed ab eo, cujus imago est, accepit esse secundum naturam, et Deus esse secundum gratiam, cetera quoque omnia, quae de Deo praedicantur, de imagine ejus praedicari B posse, sed de Deo essentialitate, de imagine vero participatione? Nam et bonitas est et bona imago participatione summi boni summaeque bonitatis, cujus imago est, aeterna quoque et aeternitas participatione illius aeterni et aeternitatis, a qua formata est, omnipotentia item participatione illius [9] omnipotentiae, a qua condita, et ad quam conversa specificata est. Nam si humana natura non peccaret, eique, qui eam condiderat, incommutabiliter [10] adhaereret, profecto omnipotens esset. Quicquid enim in natura rerum fieri vellet, necessario fieret, quippe dum nil aliud fieri vellet, praeter quod Creatorem sui fieri velle intelligeret; Creatoris autem sui voluntatem omnipotentem incommutabilem omnino intelligeret, si ei omnino adhaereret, eumque C non desereret, ne sibi dissimilis esset, et cetera, quae recta ratione de Deo ejusque imagine intelligi, vel cogitari, vel praedicari possunt [11]. MAG. Si ergo humanae naturae ante peccatum inerat et suimet perfecta cognitio, et Creatoris sui, quid mirum, si rationabiliter de ea intelligatur, plenissimam scientiam [12] similium sui naturarum, ut sunt caelestes essentiae, et inferiorum se, ut est mundus iste cum rationibus suis intellectui succumbentibus, habuisse, et adhuc sola possibilitate et reipsa in summis hominibus habere? DISC. Clare intelligentibus non erit mirum, sed verum et verisimile. MAG. Magna laus est [13] ac vera humanae naturae, imo etiam illius, qui sic eam creare voluit. Quapropter D de intellectu illius et cognitione similiter hoc quoque accipiendum [14]. Ut enim [15] sapientia creatrix, quod est Verbum Dei, omnia, quae in ea facta sunt, priusquam fierent, vidit, ipsaque visio eorum, quae [16] priusquam fierent, visa sunt, vera et incommutabilis [17] aeternaque essentia est, ita creata sapientia,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *natus est absque peccato*. [2] Sic CF; *nusquam* om. A. [3] Sic CF; A *et docere ac loqui*. [4] Sic CF; A *reservatur*. [5] CF *periit*. [6] Sic CF; A *sit ei*. [7] Sic CF; A *ergo*. [8] Sic CF; A *aestimo*. [9] Sic CF; *aeterni et aeternitatis — illius* om. A. [10] Sic CF; A *immutabiliter*. [11] Sic CF; A *possent*. [12] Sic CF; A *plenissima scientia*. [13] Sic CF; A *enim*. [14] Sic CF; A de intellectu *quoque* illius et cognitione *similiter accipiendum*. [15] *enim* om. F; C utere sapientia, sed literae *ere* linea deletae sunt. [16] Sic CF; A *qua*. [17] A *incommunicabilis*.

NOTAE

[a] De hac J. Scoti, Maximique, quem sequitur, falsissima doctrina. Cf. ea quae col. 509, not. [a] observavimus.

quae est humana natura, omnia, quae in se facta sunt, priusquam fierent, cognovit, ipsaque cognitio eorum, quae, priusquam fierent [1], cognita sunt, vera essentia et inconcussa est. Proinde ipsa notitia sapientiae creatricis prima causalisque totius creaturae essentia recte intelligitur esse, cognitio vero creatae sapientiae secunda essentia et superioris notitiae effectus subsistit. Et quod diximus de prima et causali essentia in creatricis sapientiae notione constituta, deque secunda et effectiva, quae in anima humana subsistere non incongrue asseritur, de omnibus similiter, quae circa essentiam totius creaturae dignoscuntur, incunctanter intelligendum est [2]. Omne siquidem, quodcunque in humana intelligentia circa substantias rerum constituitur, ex ipsa notitia creatricis sapientiae per creatam [3] sapientiam procedere, recta naturae consideratio declarat. Constituuntur autem circa essentias quidem species sensibiles, quantitates, qualitates, loca, tempora, et similia, sine quibus essentia intelligi esse [4] non potest. Quamobrem totum, quod volumus suadere, breviter sic [5] possumus concludere : Quemadmodum intellectus omnium, quae Pater fecit in suo Verbo unigenito, essentia eorum est, et cunctorum, quae circa eam naturaliter intelliguntur, substitutio [6], ita cognitio omnium, quae Patris Verbum in humana anima creavit, essentia est eorum, omniumque, quae circa eam naturaliter dignoscuntur, subjectum. Et quemadmodum divinus intellectus praecedit omnia, et omnia est, ita cognitio intellectualis animae praecedit omnia, quae cognoscit, et omnia, quae praecognoscit, est, ut in divino intellectu omnia causaliter, in humana vero cognitione effectualiter subsistant. Non quod alia sit omnium essentia, ut saepe diximus, in Verbo, alia in homine, sed quod unam eandemque aliter in causis aeternis [7] subsistentem, aliter in effectibus intellectam mens speculatur; illic enim superat omnem intellectum, hic autem ex his, quae circa eam considerantur, esse solummodo intelligitur; in utrisque vero, quid sit, nulli creato intellectui nosse licet. Nam si nosci posset [8], non omnimodo Creatoris sui imaginem in se exprimeret, qui ex his, quorum principium, et causa, et conditor est, cognoscitur tantum esse, quid autem sit, omnem sensum et [9] intellectum effugit. Disc. Nulla igitur creatura vel visibilis vel invisibilis conditionem hominis praecedit, non loco, non tempore, non dignitate, non origine, non aeternitate, et simpliciter nullo praecessionis modo; ipsa vero cognitione et dignitate, non autem loco vel tempore praecedit ea, quae cum ea, et in ea, et infra eam creata sunt; his vero, quibus condignitate naturae aequalis est, caelestibus videlicet essentiis, concreata est. Nam et ipsa caelestis essentiae et intellectualis est [10] particeps; de angelica quippe humanaque essentia et natura [11] scriptum est: *Qui fecit caelos in intellectu*, ac si aperte diceretur [12]: qui fecit intellectuales caelos. Quapropter non facile occurrit ad intelligendum, si homo angelicis essentiis substantialiter concreatus sit, quomodo omnia visibilia et invisibilia in ipso condita sunt. Non enim rationi convenire videtur, ut et cum caelestibus virtutibus suae simul principium conditionis habeat, et eae [13] in ipso creatae sint. MAG. Si intentus intellectualium et rationabilium naturarum reciprocam copulationem et unitatem inspexeris, invenies profecto et angelicam essentiam in humana, et humanam in angelica constitutam. In omni siquidem, quodcunque purus intellectus perfectissime cognoscit, fit, eique unum efficitur. Tanta quippe humanae naturae et angelicae societas fuerat, et fieret, si primus homo non peccaret, ut utraque unum efficeretur. Quod etiam in summis hominibus, quorum primitiae in caelestibus sunt, fieri incipit. Et angelus quidem in homine fit per intellectum angeli, qui in homine est, et homo in angelo per intellectum hominis in angelo constitutum. Qui enim, ut dixi, pure intelligit, in eo, quod intelligit, fit. Natura itaque intellectualis et rationalis [14] angelica in natura intellectuali et rationali humana facta est, quemadmodum et humana in angelica per reciprocam cognitionem, qua et angelus hominem intelligit, et homo angelum. Nec mirum. Nam et nos, dum disputamus, in nobismet invicem efficimur. Siquidem dum intelligo quod intelligis, intellectus tuus efficior, et ineffabili quodam modo in te factus sum. Similiter quando pure intelligis quod ego plane intelligo, intellectus meus efficeris, ac de duobus intellectibus fit unus, ab eo, quod ambo sincere et incunctanter intelligimus, formatus. Verbi gratia, ut ex numeris exemplum introducamus : senarium numerum suis partibus esse aequalem intelligis; et ego similiter intelligo, et intelligere te intelligo, sicut et me intelligis intelligere. Uterque noster intellectus unus fit senario numero formatus, ac per hoc et ego in te creor, et tu in me crearis. Non enim aliud sumus, aliud noster intellectus; vera siquidem ac summa nostra essentia est intellectus contemplatione veritatis specificatus. Quod autem intellectus non solum coessentialibus sibi naturis, verum etiam inferioribus conformari possit, dum eas amando intelligit seu sentit, sermo docet apostolicus, intellectuale nostrum [15] diligere visibiles formas prohibens [16], dicendo : *Nolite conformari huic seculo*. Hac itaque ratione reciprocae intelligentiae et angelus in homine, et homo in angelo, non abs re creari dicitur, et neque angelum praecedere hominem ulla conditionis lege, ullo praecessionis [17] modo recte creditur et intelligitur,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; *cognovit — fierent* om. A [2] *est* om. CF. [3] A sapientiae *procreatam*. [4] Sic CF; A *esse intelligi*. [5] Sic CF; A *ac* sic. [6] *substitutio* om. A. [7] A *externis*. [8] Sic CF; A *potest*. [9] *sensum et* om. A. [10] Sic A; *est* om. CF. [11] *et natura* om. CF. [12] Sic CF; A *diceret*. [13] A et *essentiae*. [14] Sic CF; A *rationabilis*. [15] CF; nrm; A *nimirum*. [16] Sic CF; A *perhibens*. [17] A *processionis*.

quamvis naturae angelicae creationem prophetica narratio prius pronuntiet, ut multi volunt, humanae vero posterius. Non enim, ut ait sanctus [1] Augustinus in undecimo [2] de Civitate Dei, credibile est, divinam Scripturam in operibus sex primordialium et intelligibilium dierum conditionem caelestium virtutum omnino siluisse, sed vel in prima fronte Geneseos, ubi scriptum est : *In principio fecit Deus caelum et terram*, caeli nomine earum facturam protulisse, aut paulo post, ubi ait : *Et dixit Deus, fiat lux, et facta est lux.* In alterutro namque loco praedictus Pater angelicam conditionem insinuatam fuisse affirmat, et maxime in secundo. In primo quippe sub *caeli* appellatione totius invisibilis creaturae conditionem plus asserit significatam in informi materia, quam angelicae naturae specialiter formationem. In eo vero quod scriptum est : *Fiat lux, et facta est lux*, caelestium essentiarum formationem descriptam incunctanter asserit : quanquam aliorum sensum introduxerit, qui in hoc divino praecepto cujusdam primitivae lucis sensibilis [3] localisque in superioribus mundi partibus opinantur constitutionem; cui tamen sensui in Exemero suo acutissime repugnat. Quod autem dictum est : *Et divisit Deus* [4] *lucem a tenebris, et vocavit Deus lucem diem, tenebras vero noctem*, dupliciter vult intelligi : aut enim *lucis* vocabulo formatio creaturae angelicae in specie propria, tenebrarum vero ipsius praecedens origine, non tempore informitas adhuc imperfectae, aut divisione [5] lucis a tenebris segregatio atque differentia illius partis angelicae, quae conditori suo incommutabiliter adhaeserat, meritoque suae obedientiae beatitudinis praescia, ab ea parte, quae in veritate non stetit, sed suae superbiae poena in tenebras ignorantiae sui lapsus futuri, atque aeternae miseriae cecidit, significata [6] est. Quisquis autem plenius hunc duplicem intellectum divinissimi magistri nosse velit, ipsius verba in Exemero suo, et in praefato de Civitate Dei volumine studiosus legat; quae quoniam prolixa, et omnibus in propatulo sunt, huic nostrae disputatiunculae superfluum mihi visum est inserere. Disc. Provide; non enim sanctorum Patrum sententiae, praesertim si plurimis notae sint [7], introducendae sunt, nisi ubi summa necessitas roborandae ratiocinationis exegerit propter eos, qui, cum sint ratiocinationis inscii, plus auctoritati quam rationi succumbunt.

10. Sed velim per te nosse, quamobrem angelica constitutio veluti in prima intellectuali die, hoc est, in prima propheticae contemplationis ordinatione narratur, postmodum vero interposita quaternaria sensibilis mundi theoria humana sexta contemplatione introducitur formatio : vel ut apertius [8] dicam, quare non in primo introitu totius creaturae contemplationis homo introducitur, sed eadem contemplatione sexies repetita in fine omnium introductus est? Videtur enim non solum angelica essentia, verum etiam sensibilium rerum quadam dignitate, ut non dicam temporalitate, humanam praecedere substitutionem [9]. Mag. Quinimo in hoc maxime humanae essentiae super omnia, quae sunt, manifestissime dignitas aperitur. Siquidem luce clarius datur intelligi, in omnibus, quae ante constitutionem hominis narrantur, ipsum fuisse creatum, imo omnia in ipso constituta. Non enim alia ratione altiori fortassis [10] in *lucis* vocabulo angelorum constitutio aperte non describitur, quippe non est dictum [11] fiat angelus, vel [12] faciamus angelum, quemadmodum expresse est scriptum : *Faciamus hominem*, nisi ut intelligatur, in conditione lucis non minus hominis quam angeli creatam substantiam significatam fuisse [13]. Porro si caelestis essentiae conditionis *lucis* vocabulo significatae homo particeps est, quis [14] rerum naturas [15] recte intuentium non consequenter inspiciat omnia, quae post lucis constitutionem narrantur, in homine creata esse, non solum secundum eorum cognitionem, verum etiam secundum res ipsas, praesertim dum incunctanter videat, hunc mundum sensibilem propter hominem factum fuisse, ut ei praeesset ut rex regno, et [16] dominus domui, utque eo ad laudem Creatoris uteretur, nullis ejus partibus subditus, sed supra eum, in nullo ejus indigens, solo regimine supervectus. Non enim homo, si non peccaret, inter partes mundi administraretur, sed ejus [17] universitatem omnino sibi subditam administraret, nec corporeis his sensibus mortalis corporis ad illum regendum uteretur, verum sine ullo sensibili motu vel locali vel temporali, solo rationabili contuitu naturalium et interiorum ejus causarum, facillimo rectae voluntatis usu, secundum leges divinas aeternaliter ac sine errore gubernaret, sive in administratione partium, sive in administratione universitatis. Si vero Creatorem deserendo ex dignitate suae naturae in eum caderet, inter partes ejus ignobiliter deputatus, divina justitia correctus, suae praevaricationis poenas lueret. Proinde post mundi visibilis ornatus narrationem introducitur homo veluti omnium conclusio, ut intelligeretur, quod omnia, quae ante ipsum condita narrantur, in ipso universaliter comprehenduntur. Omnis enim numerus major minorem intra [18] se numerum concludit. Nam si hominis conditio primitus in narratione conditarum rerum sive visibilium sive invisibilium aperte [19] indicaretur, cetera omnia, quorum conditio narrationis ordine creationem ipsius sequeretur [20], extra naturam [21] ejus subsistere non immerito viderentur. Jam vero quoniam in fine omnium divinorum [22] operum intro-

VARIAE LECTIONES.

[1] *sanctus* om. CF. [2] Sic CF; A in undecimo *libro*. [3] Sic CF; A *visibilis*. [4] *Deus* om. A. [5] Sic CF; A *divisionis*. [6] A *significatum* est. [7] Sic CF; A *sunt*. [8] A *aptius*. [9] Sic CF; A *humana* praecedere *substitutio*. [10] Sic CF; *altiori fortassis* om. A. [11] Sic CF; A non *dictum est*. [12] A *ut*. [13] Sic CF; A creatam *significationem fuisse*. [14] A *quasi*. [15] Sic CF; A *naturalis*. [16] Sic CF; A *ut*. [17] *ejus* om. A. [18] Sic CF; A *in*. [19] A *apte*. [20] A *sequerentur*. [21] Sic CF; A *notitiam*. [22] Sic CF; A *divinorum omnium*.

ducitur, omnia divina opera in ipso subsistere et comprehendi manifestantur. Et quidem caelestes essentias, hoc est angelicas, duobus modis in ipso esse diximus [1]; uno quidem, quo coessentialis, hoc est cointellectualis [2] et corrationalis ei [3] est, praeter quod terrena haec habitatio mortalis corporis post peccatum impedit; altero vero, quo per mutuam cognitionem sibi invicem inseruntur ita, ut et angelus in homine veluti homo, et homo in angelo veluti angelus, reciproco intellectu adunati, simplicique veritatis contemplatione formati procreantur [4]. Quid de operibus secundae propheticae contemplationis dicam? Nonne *firmamentum*, hoc est simplicium elementorum soliditas, quae [5] inter aquas primordialium causarum superiores, et mutabilitates [6] corporeae corruptibilisque naturae inferiores, temporibus et locis per generationem et solutionem fluctuantes facta est, in humana essentia substitutum cognoscimus? Quis enim humanam naturam perspicue considerans, non catholica mundi elementa in ea reperiat? Quid de operibus tertiae lucis aestimandum? Nunquid stabilitas substantiae, *aridae* vocabulo significata, et mutabilium accidentium instabilitas, *aquarum* inundationibus intellecta, et haec a se invicem naturali differentia discreta, in homine intelliguntur, insuper etiam vita illa, quae herbarum surculorumque diversas species et nutrit, et auget, et vivificat, intra partes humanae naturae connumeratur? Et quoniam prima die in conditione lucis principalis pars hominis ac sublimissima lux, intellectus videlicet et ratio, in consortio angelicae naturae constituta est, secundae lucis illius, hoc est exterioris sensus, ad visibilium rerum recipiendas formas, et species, et qualitates, et quantitates facti, quarta die propheticae theoriae ordo rationabiliter conditionem introduxit [7]. Exterior namque sensus, exteriorum rerum internuntius, quamvis proprie et naturaliter ad animam pertineat, corpori tamen deputatur, quoniam per corporis instrumenta vim suam exercet. Pulchre ~~itaque~~ illius sensus [8], qui corpori ex quattuor mundi elementis composito attribuitur, conditionem quarto loco conditionis rerum prophetica theoria constituit. Quoniam vero ipsius sensus triplex modus est, quorum primus, qui sine ulla erroris occasione species rerum sensibilium animo internuntiat tam praeclare, ut facillime ac sine ullo labore ipsas species judex animus planissime omni caligine remota discernat: ac per hoc non immerito [9] luminare majus appellatur; ipse siquidem animum non fallit, ac veluti clarissimus sol omnes sensibiles species detegit, rationique patefacit. Secundus vero modus est [10], qui veluti luminare minus dicitur, ille, per quem saepissime animus fallitur, veluti in quibusdam nocturnis [11] lucubrationibus ambiguus atque errabundus, ut non facile de his, quae per sensum recipit, rectum judicium proferre possit; hujusmodi exempla sunt remus in aqua quasi fractus, aversa facies in speculo [12], motus navigantibus turrium, imago vocum, quae a Graecis ἠχὼ vocatur, et mille hujuscemodi [13] species falsitatum omnibus corporeis sensibus naturaliter adhaerentium, quas discernere ex vera specie rationabilis animae judicium laboriosissime et solertissime sudat. Haec enim non in rerum natura, sed in sensibus formantur, ac saepe animum fallunt, et in errorem mittunt, falsa vera esse approbantem [14]. Tertius modus est [15], qui multipliciter et cumulatim sensibilium formarum numeros animo infundit, dum [16] veluti innumerabilium stellarum ex sphaera sensibilis naturae, innumerabilium specierum variis ordinibus caelata, choros [17] accipit, in tantum mixtarum [18] phantasiarum diffusionibus perturbatus, ut aut vix, aut nunquam de eis sine errore [19] valeat judicare, sed quibusdam argumentationibus utens [20] veri quodammodo similia, ac veluti de incertis certa proferre conatur probamina [21], et nec semper eodem modo de minutissimis visibilium rerum rationibus disputat; aliquando quippe clarius veritatique propinquius, ut splendidae stellae, aliquando obscurius et a veritate longius, ut obscurae, aliquando obscurissime et ab ipsis rebus longissime, ut vix apparentes, opiniones quasdam depromit; ideoque sensuum tertia vis diversis stellarum praefulsionibus significatur. Triplex itaque [22] sentiendi modus in triplici caelestium luminarium ordine constituitur. Quod enim sol est in mundo, hoc est clarissimus et non fallens sensus in homine [23]; quod [24] luna, hoc est ambigua phantasia ac [25] veluti dubia lux animi sentientis; quod [26] stellae, hoc est incomprehensibiles et minutissimi phantasiarum numeri ex innumerabilibus et incomprehensibilibus corporalium rerum speciebus procreati. Et ne mireris, quae in humana natura videntur, sensus dico corporeos, per majora mundi, hoc est, per caelestia corpora significari; verissima quippe ratio incunctanter nos docet, unum hominem et singulariter unum majorem esse universo mundo visibili, non mole partium, sed harmoniae rationabilis naturae dignitate. *Nam si melior est anima vermiculi*, ut sanctus Pater Augustinus edocet, *quam corpus solare totum mundum illustrans*; vita siquidem extrema, qualiscunque sit, primo corpori pretiosissimoque dignitate essentiae praeponitur: quid mirum, si omnia totius mundi corpora humano sensui postponantur? Primum quidem ratione illa, qua praeponitur causa naturalis his, quae propter eam naturaliter fiunt; et quidem sensibilia

VARIAE LECTIONES.

1 Sic A; CF *in ipso esse duobus modis* diximus. 2 Sic F; AC *intellectualis*. 3 Sic CF; A *est*. 4 CF *procreatur*. 5 Sic CF; A *tam* quae. 6 Sic CF; A *mutabiles* 7 Sic CF; A *introduxit conditionem*. 8 Sic CF; A *sensus illius*. 9 Sic CF; A discernat, *qui modus visionis* luminare cet. 10 *modus est* om. CF. 11 Sic CF; A in *nocturnis quibusdam*. 12 Sic A: CF *specilla*. 13 *hujuscemodi* om. A 14 Sic CF; A *et falsa vera esse approbant*. 15 *est* om. CA. 16 Sic CF; A *ac*. 17 Sic CF; A *cohors*. 18 Sic CF; A *multiplicium*. 19 Sic CF; A sine *ullo* errore. 20 Sic CF; *utens* om A. 21 Sic CF; *probamina* om. A. 22 *itaque* om. CF. 23 Sic CF; A *in homine sensus*. 24 A *et* quod. 25 Sic CF; A *et*. 26 A *et quod*.

propter sensum facta, non autem sensus propter sensibilia, nemo sapientum dubitat; deinde quod vera ratione praeponitur dignitate naturae, quod judicat, ei, quod judicatur. Sensus autem de sensibilibus, non vero sensibilia de sensibus judicare, nulli naturas rerum pure speculanti est ambiguum. Huc accedit, quod sensus non nisi in substantia vitali, in qua manifestissimus motus vitae est, constituitur sensibilia vero, in quantum corpora sunt, quoniam extremum in creaturis obtinent locum, nec semper motum vitae aperte demonstrant. Sensibilium quippe quaedam sunt, in quibus aut vix vitalis motus apparet, aut nunquam. Postremo nullum sensibile vita est, quamvis [1] vita moveri videatur: sensum vero non solum vivere, verum etiam substantiali nesse vitae [2], ipsa docet natura. Et si quantitas et magnitudo corporeae molis in rebus sensibilibus laudatur, laudabilior est ipsa quantitas et magnitudo virtutis, quae in sensibus substituta est. Vide, quanta vis est in sensu oculorum ad lustranda in infinitum lucida spatia, ad formandas in se diversas et innumerabiles species corporum, colorum, figurarum, ceterorumque, quorum phantasiae per hunc sensum memoriam ingrediuntur. Quid de virtute audiendi dices? Tantas quippe voces simul sonantes, et inter se discrepantes simul potest auditus in seipsum haurire atque discernere. In hunc modum quisquis reliquos sensus inspexerit, mirabiles ineffabilesque eorum virtutes contemplabitur. Hinc datur intelligi, quemadmodum universitatis conditae intelligibiles rationes, in quantum intelligi possunt, in hominis intellectu creatae sunt, ita ejusdem universitatis sensibiles species et quantitates et qualitates, in quantum sentiri possunt, in humano sensu conditionis suae causas constituunt atque subsistunt. Sed quoniam ipse sensus non homini tantum, sed et ceteris animalibus naturaliter inest, propterea et aliam patitur distributionem. Tribuitur enim et reptilibus maris et volatilibus caeli quinta [3] prophetica contemplatione. Nec immerito, cum et ipse sensus, qui quinto die naturae rerum inseritur, quinquepertitus sit. Terrenis quoque animalibus sexta die copulatur, ea intentione, ut opinor, quoniam ipsa majorem cognationem cum homine, qui sexta die factus est, videntur habere, quam quae de aquarum natura producta sunt. Ipse itaque homo, cujus conditio in praedictis divinae operationis contemplationibus per singula latenter insinuatur, quoniam in ipso et cum ipso praedicta omnia condita sunt, non per moras temporum, sed ordinatione causarum in effectus suos manantium, in fine totius universitatis manifeste formatur, senaria repetitione propheticae theoriae peracta, ut eo numero non solum perfectio humanae naturae, verum etiam omnium, quae ante ipsam explicata sunt, in ea conditio significaretur, Scriptura dicente: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque creaturae, omnique reptili quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Ubi primo notandum, quod in conditione omnium, quae ab initio creaturae in praedictis quinque intellectualibus diebus narrantur, divinae naturae superessentialis unitas et ineffabilis Trinitas [4], vel, ut ait sanctus Dionysius Areopagita, *summae bonitatis fecunditas* aperte non est expressa. Quamvis in eo, quod scriptum est: *In principio fecit Deus caelum et terram*, Patris et Filii personas significari non incongrue intelligitur: *Dei* quidem vocabulo Pater, *principii* vero Verbum, et paulo post Spiritus sanctus introducitur, ubi dictum est: *Et Spiritus Dei fovebat aquas;* ac sic in conditione primordialium causarum sanctae Trinitatis suadetur proprietas. In processionibus etiam ipsarum causarum in formas et species suas eandem Trinitatem Scriptura commemorare inspicitur. Verbi gratia: *Dixit Deus: Fiat lux*, Dei nomine Patrem, Verbo autem sensibili, quod est *dixit*, unigenitum et superintelligibile ejus Verbum, in quo et per quod fecit, quae sunt, omnia. Ubi vero dicit, [5]: *Et vidit Deus lucem quia bona est*, Spiritum sanctum insinuat. Id ipsum in ceteris quoque diebus facit, ubicumque addit: *Et vidit Deus quod esset bonum.* Sexta vero die dum homo formatur, et unitas divinae naturae, et trinitas apertissime praedicatur: unitas quidem dicendo *et ait*, ut subaudiatur Deus, vel [6] sicut aperte Septuaginta interpretati sunt, *et dixit Deus*, plurali autem verbo, quod est *faciamus*, tres substantiae unius essentiae, vel ut usitatius Latini volunt, tres personae unius substantiae exprimuntur. Nec immerito. Ubi enim imago conditur, ibi principale exemplum, cujus imago est, apertissime aperitur.

11. Sed quoniam homo, dum [7] sit unus, veluti ex multis partibus compositus est; constat enim ex corpore, hoc est ex formata materia sensibili et anima, hoc est sensu et ratione, et intellectu, et vitali motu: quaeritur, utrum per omnes suas partes ad imaginem Dei homo [8] factus est, an secundum eas solummodo, quae in eo excelsioris vel excellentissimae naturae sunt. Et quid tibi videtur de tali negotio, si libet, edissere. DISC. De hac quaestione omnes fere sacrae Scripturae expositores non tacent. Et primum quidem unanimiter perhibent, hominem, in quantum corpus est, ad imaginem Dei non esse factum; Deus quippe incorporeus est, nihilque corporalitatis ei inest, vel accidit. Utrum vero secundum animam [9], hoc est secundum omnes partes, quae intelliguntur in anima, ad imaginem Dei conditus est, an secundum praecellentes solummodo, studiosissime a spiritualibus viris est [10] quaesitum, et ad hoc per-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *qua*. [2] Sic CF; A *substantialiter esse vitam*. [3] Sic CF; A *in* quinta. [4] Sic CF; A *pluralitas*. [5] Sic CF; A *dixit*. [6] Sic CF; *vel* om. A. [7] Sic CF; A *cum*. [8] *homo* om. CF. [9] Sic CF; A *secundum omnia*. [10] *est* om. CF.

ventum, non alibi nisi secundum excellentissimam sui partem, intelligibilem videlicet, divinam imaginem exprimi. Quae pars veluti triformis intelligitur, in intellectu plane, et ratione, et sensu interiori, de quibus in [1] superioribus libris multa inter nos alternata sunt. Illa siquidem vita, qua corpus administratur [2], et qua anima humana nutritivae et auctivae vitae, quae herbis et arboribus specialiter attributa est, communicare videtur, sensus quoque exterior et quinquepertitus, quo irrationabilibus animalibus homo communicat, quamvis ad partes animae pertinere intelligantur [3], eis [4] tamen inesse imaginem Dei multi sapientes abnegant. Sed dum ipsa ratio humanam animam diligentius conspicatur, simplicissimae naturae eam reperit, totamque per totum in seipsa, et nullo modo in aliqua sui parte dissimilem sui, vel inferiorem, vel superiorem seipsa in ullo eorum, quae in ipsa essentialiter esse intelliguntur. Tota quippe, ut praedictum est [5], corpus suum administrat, nutrit, auget [6]; tota sentit in sensibus; tota rerum sensibilium phantasias recipit; tota in occursoribus numeris, qui primi phantasias sensibilium suscipiunt; tota in progressoribus, qui eas introducunt; tota in recordabilibus, qui easdem [7] memoriae commendant, tota in tota memoria, tota super totam memoriam, sive rerum sensibilium sive rerum intelligibilium. Ac per hoc non illius partium diversitas, si tamen partes in ea esse dicendum est [8], sed administrationum ac motuum varietas dignoscitur; motus quippe ejus partes ejus sunt, qui diversas intelligentias in anima faciunt. Ipsa siquidem in seipsa tota ubique est et individua; motus tamen ipsius, quos etiam numeros animales vocant, quia in anima sunt, diversis appellationibus significantur. Dum enim circa [9] Creatorem suum, super [10] seipsam [11] et super totius creaturae intelligentiam, contemplativo motu versatur, intellectus seu mens seu animus; dum rationes rerum veluti secundo motu naturali investigat, ratio; dum invenit eas et discernit atque definit, sensus interior; dum rerum sensibilium phantasias per organa corporalium sensuum recipit, sensus exterior, non quod sit ipse substantialiter sensus exterior anima, sed quod per ipsum rerum sensibilium formas et species sentit; magna enim differentia est inter naturam simplicis animi, et corporalium instrumentorum multiplicem varietatem; dum corpus administrat nutriendo illud et augendo, vitalis motus meruit appellari, dum sit ipsa simplicissimae [12] et individuae et impartibilis [13] essentiae, et [14] nec minor in minoribus suis officiis, nec major in majoribus, nec maxima in maximis, sed in omnibus sibimet aequalis est, ut magnus ille Gregorius Nyssaeus asserit in sermone *de imagine*.

Hinc datur intelligi, totam animam humanam ad imaginem Dei factam, quia tota intellectus est intelligens, tota ratio disputans, tota sensus in interiori sensu et sentiens, tota vita et vivificans. Duobus autem modis maxime humanam animam ad imaginem Dei factam cognoscimus: primo quidem, quod, sicut Deus per omnia quae sunt diffunditur, et a nullo eorum potest comprehendi, ita [15] anima totum sui corporis organum penetrat, ab eo tamen concludi non valet; secundo vero, quod quemadmodum de Deo praedicatur solummodo esse, nullo modo autem definitur quid sit, ita [16] humana anima tantummodo intelligitur esse, quid autem sit, nec illa ipsa, nec alia creatura intelligit. Sicut praefatus Gregorius in undecimo capitulo praedicti sermonis de imagine [17], corporeos sensus ab animi natura discernens, explanat ipsum animum, incomprehensibilem affirmans. *Quid igitur est*, inquit, *animus secundum sui naturam, qui sensuum virtutibus seipsum impertitur, et per singulas convenienter eorum, quae sunt, scientiam recipit? Nam quia aliud quid praeter sensus est, non arbitror quempiam sapientium dubitare. Si enim id ipsum esset, sensui ad unum omnino haberet secundum* [18] *sensum operum societatem; eo quod simplex quidem ipse est, nil autem varium in simplo* [19] *consideratur. Nunc* [20] *vero omnibus comparatis aliud quidem tactum esse, aliud olfactum, aliis similiter absque communione ad se invicem dispositis, quoniam aequaliter unicuique et convenienter adest; alterum quid oportet omnino ipsum animum praeter sensum substituere per naturam, ne quis varia intellectuali simplicitati commisceat. Quis cognovit animum Domini, ait Apostolus. Ego autem praeter hoc dico: quis suum animum intellexit? Dicant, qui Dei naturam inter ea, quae in eorum comprehensione sunt, faciunt, si seipsos intellexerunt* [21], *si* [22] *sui animi naturam cognovere? Multum fortassis* [23] *partibilis quidam* [24] *est, multumque compositus. Et quomodo intellectuale in compositione est? Aut quis modus est diversorum generum concretionis? Sed simplex* [25] *et incompositus, quomodo in multipliciter partitam sensualitatem dividitur, quomodo in singularitate varium, quomodo* [26] *in varietate unum? Sed cognoscens eorum, de quibus dubitatur, solutionem, in ipsam Dei vocem* [27] *recurro. Faciamus enim, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [28]. *Imago donec in nullo eorum, quae in principali intelliguntur exemplo, deficiat, proprie est imago; si vero in aliquo ex similitudine principalis exempli excesserit, in illa parte imago non est. Non* [29] *ergo quoniam in his, quae circa divinam considerantur naturam, incomprehensibilitas essentiae est, necessa-*

VARIAE LECTIONES.

[1] *in* om. A. [2] Sic CF; A falsò corr. *subministratur.* [3] Sic CF; A *intelligatur.* [4] Sic CF; A *ei.* [5] *ut praedictum est* om. A. [6] Sic CF; A *et* auget. [7] Sic CF; *easdem* om. A. [8] *est* om. CF; [9] Sic CF; *circa* om. AC. [10] Sic AF; C *per* seipsum. [11] A super seipsam *attendit* et (*attendit* om. CF.) [12] A simplicissimae *naturae* et individuae. [13] Sic CF; A et *in partibus* essentiae. [14] *et* om. A. [15] Sic CF; A *tota* anima. [16] A *tota* humana. [17] *de imagine* om. A. [18] *secundum* om. CF. [19] Sic CF; A *simplice.* [20] Sic CF; A *Nec.* [21] A *intellexerint.* [22] *si* om. CF. [23] Sic CF; *fortassis* om. A. [24] Sic CF; A *quidem.* [25] F sed *si* simplex. [26] *quomodo* om. A. [27] A *vocem Dei.* [28] *nostram* om. CF. [29] Sic CF; A *Nonne.*

rium erit, eum, qui sortitur imaginem, omnem [1] *ad principale exemplum imitationem habere. Si enim imaginis natura principale exemplum comprehenderit, super* [2] *comprehensionem erit; si contrarietas eorum, quae considerantur, invenitur, quod oportet* [3], *peccatum imaginis reprehenditur. Quoniam vero scientiam fugit ipsa nostri animi* [4] *natura, quae est secundum imaginem conditoris, diligentem ad id, quod ei superponitur, habet similitudinem eo, quod secundum seipsam est incognitus, incomprehensibilem naturam characterizans.* Idem in tertio decimo capitulo: *Quoniam pulcherrimum omnium et excellentissimum bonum ipse Deus est, ad quem omnia respiciunt, quaecunque boni habent desiderium : propterea dicimus etiam animum* [5] *sic* [6] *ad imaginem formosissimi factum, quatenus ad principale exemplum similitudinem participarit, quantum quidem ipsum in bono licet permanere. Si vero quodammodo extra hoc fuerit, pulchritudine illius, in quo erat, denudatur. Sic quidem dicimus similitudine principalis exempli pulchritudinis animum ornari, veluti quoddam speculum charactere apparentis in eo* [7] *formatum : juxta eandem analogiam etiam* [8] *administratam a se naturam habere animum arbitramur, pulchritudineque, quae ab illo est, ipsam ornari, veluti quoddam speculi speculum factam, tenerique ab ipso* [9] *et comprehendi materiale substantiale* [10], *hoc est, materialem substantiam, circa quam consideratur natura.* Hoc autem propterea dicit, quod circa materiam proprie inspicitur [11] natura, quia natat, donec formam, qua stabilitetur [12], materia inveniat. *Si ergo habetur,* inquit [13], *ab altero alterum, per omnia corrationabiliter ipsa veri boni societas deducta* [14] *per id, quod supponitur, id, quod consequens, formificat, hoc est, per animum* [15] *materiam format. Cum vero efficitur hujus optimae connaturalitatis dispersio, et ad contrarium, quod superius est, inferius fiat, tunc ipsius materiae desolatae ex natura, hoc est naturali ordine redarguitur* [16] *deformitas. Deformis* [17] *enim res quaedam est per seipsam materia ordine naturae mutato* [18], *et ipsius deformati concorrumpitur* [19] *pulchritudo naturae, in qua per animum formatur, ac sic in ipsum animum turpitudinis materiae per naturam distributio efficitur, ut non jam Dei imaginem in charactere figmenti consideres. Nam veluti quoddam speculum retro bonorum formam, se animus faciens* [20] *projicit quidem fulgoris summi* [21] *boni notitias, materiae vero deformitatem in seipsum absorbet, et hoc modo fit mali generatio per privationem boni subtexta. Bonum vero omne* [22] *est, quodcunque consequitur, quod primum bonum proprie habet; quodcunque vero extra illam*

A *copulam et similitudinem, quae ad illud est, efficitur, expers boni omnino est. Si ergo unum quidem juxta consideratam rationem bonum est* [23], *quod vere est, animus autem ad imaginem boni factus* [24], *etiam ipse habet bonus esse; natura vero corporis* [25], *quae ab animo continetur, veluti quaedam imago imaginis est. Ex his ostenditur* [26], *quia materiale nostrum constituitur quidem et comprehenditur, cum ex natura animi* [27] *administratur; solvitur vero iterum et decidit, cum a continente animo et comprehendente separatur, et ab ipsa ad bonum connaturalitate dispergitur. Hoc autem non aliter efficitur, quam cum naturae ad contrarium fit conversio, dum desiderium non ad bonum, sed ad id, quod formantis indiget, intuetur. Necesse est enim, omnem materiam per egestatem propriae formae ad aliquid*

B *inhonestum ac deforme simulandum conformari* [28]. Et paulo post : *Ac per hoc consequens contemplatio rationi occurrit, per quam discimus, in humana concretione a Deo quidem animum administrari, ab illo autem materialem nostram vitam, dum in natura, hoc est, in imagine animi manet; si autem aversa fuerit a natura, etiam ab ipsa, quae est per animum, operatione alienari.* Proinde si quis praedicti theologi verba intentius [29] perspexerit, per totum sermonis de imagine textum inveniet constitutionem totius hominis in tribus quibusdam, quibus naturalis ordo contexitur [30], veluti compositis concretam : in animo videlicet, et vitali motu, quem ipse aliquando fluxilem, aliquando materialem vitam appellat, et in [31] materia formata [32], ita ut totus homo animo, et

C materiali vita, et ipsa materia constare intelligatur. Et animus quidem, in quo tota animae virtus constat, ad imaginem Dei factus, et summi boni speculum, quoniam in eo divinae essentiae incomprehensibilis forma ineffabili et incomprehensibili modo resultat. Materialis autem vita, quae specialiter circa materiam versatur, et propterea materialis dicitur, quia mutabilitati materiae, id est, corporis adhaeret, imago quaedam animi est, et, ut ipse dicit, speculum speculi ; ita ut animus divinae naturae forma sit, vitalis autem motus, qui etiam materialis vita vocatur, cum ipsa materia [33] forma sit animi, ac veluti secunda imago, per quam animus etiam [34] materiae speciem praestat. Ac per hoc quadam ratione per humanae naturae consequentiam totus homo ad ima-

D ginem Dei factus non incongrue dicitur, quamvis proprie et principaliter in solo animo imago subsistere intelligatur, eo ordine, ut animus quidem a Deo, nulla alia creatura interposita [35], vitalis autem motus ab animo, postremo per vitalem motum [36]

VARIAE LECTIONES.

[1] *omnem* om. CA. [2] Sic CF; A *supra.* [3] Sic CF; *quod oportet* om. A. [4] Sic CF; A *nostrae animae.* [5] A *animum etiam.* [6] *Sic* om. A. [7] *in eo* om. A. [8] *etiam* om. CF. [9] A *ipsa.* [10] A *substantiae.* [11] Sic CF; A *dicitur.* [12] Sic CF; A *quam stabilitet.* [13] *inquit* om. A; [14] Sic CF; A *deducendo.* [15] A *animam.* [16] Sic CF; A *et contrarium consequens fuerit transgredienti supereminens, etiam ipsius materide cum desolata fuerit ex natura* redarguitur. [17] Sic CF; A *Informis.* [18] Sic CF; pro *ordine naturae mutato* A *et imperfecta.* [19] Sic CF; A *informitate corrumpitur.* [20] Sic CF; A formam *animus factus.* [21] *summi* om. A. [22] *omne* om. A. [23] *est* om. A. [24] Sic CF; A *efficiendo.* [25] *corporis* om. A. [26] A ex his *autem* ostenditur. [27] *animi* om. A. [28] Sic CF; A formae *in aliquam foedam ac deformem imaginem transformari.* [29] Sic CF; A *intentus.* [30] *quibus naturalis ordo contexitur* om. A. [31] Sic A; BC *ex.* [32] *formata* om. A. [33] *cum ipsa materia* om. A, [34] A *etiam animus.* [35] Sic CF; A *interposita creatura.* [36] Sic CF; A *ex vitali motu.*

ab animo [1] materia formationis suae [2] causam accipiat: ita ut materia vitalem motum sequatur, vitalis motus animum, animus ipsum Deum, ad quem conversus naturae suae integritatem et pulchritudinem custodit, aversus vero ab eo, et seipsum, et quae sibi subjecta sunt, materialem vitam dico, ipsamque materiam dissipat atque deformat. Sed ipse vitalis motus non parvam quaestionem gignit. Quaeritur enim, utrum ad substantiam hominis pertineat, necne. Et si non pertinet, cur imago imaginis dicitur, hoc est, imago animi, et qua ratione per ipsum materiae animus praestat formam? Si autem substantialiter talis vita inest homini, quare homo ex anima solummodo et corpore constare perhibetur, et quare soluta materia illa vita in nullo intelligitur? Non enim in materia manet, quae jam omni motu vitali deseritur, dum praesentia substantialis vitae, quae anima est, privatur. Nec in anima subsistere dignoscitur, quae post regimen corporis nullum ad materiam motum patitur. Quapropter non incongrue, ut opinor, vitalis motus [3] talis ratio reddenda est, ut nihil aliud sit ipse praeter quandam copulam et juncturam corporis et animae, qua [4] sibi invicem adhaerent, et per quam corpus ab anima formatur [5], vegetatur, et administratur, sive vigilando, sive dormiendo, sive anima intendat, quid [6] in corpore peragat, sive a sensibus recedat, et in se [7] ipsa quiescat ac veluti oblita sit [8] corporis sui. Illud tamen ineffabili quodam silentio administrare non desinit, alimenta, quibus corpus nutritur et custoditur, singulis quibusque partibus distribuens. Separatis autem utrisque, corpore videlicet et anima, vitalis ille motus omnino interit. Non enim vivit, nisi habeat, quod moveat, hoc est, nisi habeatur, quod per eum moveatur, quia nihil aliud subsistit, nisi motus animi [9] corpus regentis. Dum autem moriens [10] desinit movere vel moveri, motus omnino in eo [11] perit. Totius enim motus terminus est quies moti vel [12] moventis. Quiescente igitur anima corpus suum movere, totus vitalis motus, hoc est, tota materialis vita esse desinit. Hinc idem beatus Gregorius in quarto decimo [13] capitulo: *Materialis*, inquit, *et fluxilis haec corporum vita, semper motu proveniens, in hoc habet essendi virtutem, in non stante unquam motu. Ut enim quidam fluvius, juxta suum ruens impetum, implere quidem vallem ostenditur, per quamcumque consequitur, ferri non tamen in eadem aqua circa eundem semper locum cernitur, sed illa quidem subter lapsa cucurrit, illa vero desuper [14] fluxit: sic et materiale hujus vitae per quendam locum [15], motum, fluxumque vicissitudinum successionis continuitate permutatur,*

A

ut nunquam post mutabilitatem stare possit; sed impotentia quiescendi incessabilem habet alternum per similia motum. Si autem aliquando motus cessarerit, omnino etiam essendi quietem habebit, hoc est omnino esse cessabit. At si vis cognoscere, quod animus in nulla parte corporis concludatur, dum totum corpus praesentia sui administrat [16], et ubique in omnibus, quibus administrat, totus est, audi eundem in eodem sermone decimo quinto [17] capitulo. *Nobis*, inquit, *sermo erat propositus ostendere, non in parte corporis animum detineri* [18], *sed totum aequaliter attingere, consequenter naturae subjectae partis motum operans. Est autem, ubi etiam naturales affectus animus subsequitur, veluti minister factus. Nam saepe praecipit* [19] *ipsi* [20] *corporis natura, et contristati*

B

sensum et laetantis concupiscentiam animo imponit, ita ut ipsa quidem prima praestet principia, vel [21] *ciborum appetitum, vel cujusdam omnino eorum, quae secundum delectationem sunt, desiderium ingerens: animus vero tales impetus accipiens, suis cogitationibus occasiones ad id, quod desideratur, cum corpore exquirit. Hoc autem non in omnibus est, sed solummodo in his, qui plus captivi disponuntur, qui rationem servire facientes desideriis naturae corporeae* [22], *per auxilium mentis libidini, quae per sensus est, serviliter blandiuntur. In perfectioribus vero non sic efficitur. Imperat enim animus ratione, et non patitur* [23], *quod utile est eligens, natura autem e vestigio sequitur praecipientem animum* [24]. *Quoniam* [25] *vero tres*

C

secundum vitalem virtutem differentias ratio inveni', primam quidem nutritivam sine sensu, secundam vero [26] *nutritivam quidem et sensitivam* [27], *expertem vero rationabilis operationis, item tertiam rationabilem et perfectam, perque omnem virtutem penetrantem* [28], *ut et in illis sit, etsi intellectuali* [29] *plus possideat, nemo ex his opinetur, tres animas commixtas esse in humana concretione, in propriis circumscriptionibus consideratas* [30], *ita ut conformatione multarum animarum humanam esse arbitretur, sed vera quidem perfectaque* [31] *anima una in natura est, intellectualis et immaterialis, quae per sensus materiali copulatur naturae. Materiale autem omne in conversione et mutabilitate positum est: si quidem animantem virtutem participaverit, juxta incrementum movebitur; si vero vitali opera-*

D

tione deciderit, motum in corruptionem resolvet. Neque igitur sensus absque materiali essentia, neque intellectualis virtutis sine sensu fit operatio. In sexto decimo [32] quoque capitulo eundem sensum repetit, dicens: *In parte quadam eorum, quae in nobis sunt, animus non comprehenditur, sed aequaliter in omnibus et per omnia est: neque extrinsecus comprehendens, neque intrinsecus comvrehensus; haec enim*

VARIAE LECTIONES.

[1] *ab animo* om. A. [2] *suae* om. A. [3] Sic CF; A *motus vitalis*. [4] Sic CF; A *quae*. [5] Sic CF; *formatur* om. A. [6] Sic CF; A *ut* quid. [7] *se* om. A. [8] *sit* om. CF. [9] Sic CF; A *animae*. [10] Sic A; CF *movens*. [11] Sic CF; A *in eo omnino*. [12] A *aut*. [13] Sic CF; A *decimo tertio*. [14] Sic CF; A desuper *lapsa*. [15] *locum* om. CF. [16] A *administratur*. [17] CF xv; A decimo *quarto*. [18] Sic CF; A *detineri animum*. [19] Sic CF; A Nam *et* saepe *percipit*. [20] *ipsi* om. A. [21] A *ut*. [22] *corporeae* om. A. [23] Sic CF; A passione. [24] *animum* om. A. [25] A *quomodo*. [26] *vero* om. A. [27] CF *sensivam*, sic ubique. [28] CF *per trans*. [29] Sic CF; A *et intelligentiae*. [30] A *consideratis*. [31] A *et verfecta*. [32] Sic CF; A decimo *quinto*.

in vasis [1], *in cadis, seu aliis quibusdam corporibus* A *sibi invicem impositis proprie dicuntur, ipsa autem intellectualis ad corporale societas ineffabilem et inintelligibilem* [2] *habet contactum; neque intus existens, non enim in corpore incorporale tenetur; neque extra comprehensum, non enim circumprehenditur incorporale, sed secundum quendam modum superrationabilem et inintelligibilem appropinquat animus naturae, et coaptatus in ipsa et circa ipsam consideratur; neque intus positus, neque circumplexus: sed quomodo, non est dicendum neque intelligendum, praeter hoc, quod juxta proprium ordinem ipsius permeabilis naturae etiam animus efficax fit* [3]. *Si autem aliquod delictum circa ipsam contigerit, secundum illud motus intelligentiae titubat.* Ac si aperte diceret: si organum corporis in aliquo deliquerit, hoc est, in aliquo B defecerit, et integritatem suae naturalis constitutionis aliqua occasione corruptam habuerit, motus intelligentiae, id est motus animi, in ea parte, quae in organo corrumpitur, titubat, hoc est, administrationis suae virtutem manifestare non potest; non quod ille animus deficiat, sed quod illa pars corrupta animi virtutem recipere non valeat.

12. Quoniam vero necessarium est, humanam naturam diligenter considerare, indubitanterque discernere, quid in ea ad imaginem Dei et similitudinem, hoc est ad imaginem similem, creatum sit, et quid similitudine divinae imaginis longe in ea distat, ejusdem sanctissimi [4] et sapientissimi magistri, Gregorii videlicet, verba inserere placuit. Ait ergo in decimo septimo [5] capitulo sermonis de imagine: C *Recipiamus iterum divinam vocem: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Quomodo parva et indigna magnanimitate hominis ex his, quae extra sunt, quidam imaginavere comparatione ad hunc mundum, quasi in ipso existeret, hominem magnificantes? Dicunt* [6] *enim, hominem* μικρόκοσμον, *id est* [7], *parvum mundum esse, ex iisdem, quibus universus* [8] *elementis consistit.* [9] *Nam qui ornamento nominis talem laudem humanae donant naturae* [10], *obliti sunt semetipsos, in proprietatibus, quae circa culicem et murem sunt, venerabilem hominem facientes. Etenim et in* [11] *illis ex his quattuor concretio est, eo quod omnino in unoquoque* [12] *existentium corporum aut ex pluribus aut minoribus quaedam portio circa animal* [13] *consideratur eorum, sine quibus consistendi aliquid ex* D *his, quae sensum participant, naturam non habet. Quid igitur post mundi charactera et similitudinem arbitrandum est esse hominem caelo praetereunte, terra mutata, omnibusque, quae in his comprehenduntur, cum transitu comprehendentis mundi* [14] *praetereuntibus? Sed in quo juxta ecclesiasticam rationem humana magnitudo est, non in ipsa ad creatum mundum similitudine, sed in ipso, quod secundum imaginem naturae creatoris* [15] *factus* [16] *est. Quae est igitur* [17] *imaginis ratio, merito dices. Quomodo assimilatur incorporeo corporale? Quomodo sempiterno temporale, immutabili, quod per conversionem mutabile est, impassibili et incorruptibili passibile et corruptibile, puro ab omni malitia, quod semper ei cohabitat et ad eam convertitur? Multa enim medietas est illius animi, divini scilicet* [18], *qui est principale exemplum, et illius, qui secundum imaginem factus est. Imago siquidem si habuerit ad principale exemplar similitudinem, proprie illud etiam nominatur. Si vero imitatio ab eo, quod praeponitur, distaverit, aliud aliquid, et non imago illius illud est* [19]. *Quomodo ergo homo, mortale hoc et passibile citoque deficiens, immortalis ac purae semperque existentis naturae est imago? Sed verum de hoc rationem sola* [20] *noverit aperte, quae vere est, veritas. Nos vero, quantum cupimus, speculationibus quibusdam et opinionibus, quod verum est, investigantes, haec de quaestionibus susceptis dicimus. Neque divinus mentitur sermo, secundum imaginem Dei fieri hominem dicens, neque miseria* [21] *humanae naturae usque ad infelicitatem* [22] *beatitudini impassibilis vitae assimilatur. Necesse enim est e duobus alterum fateri. Si quis comparat Deo quod nostrum est, aut passibile est* [23] *divinum, aut impassibile humanum, ut ex aequalibus similitudinis ratio in utrisque comprehendatur. Si autem neque divinum passibile, neque nostrum extra passionem est* [24]: *igitur quae alia relinquitur ratio, per quam veridicam dicimus divinam vocem, quae ad imaginem* [25] *Dei factum fuisse hominem dicit? Non ergo* [26] *ipsa nobis recipienda est sacra Scriptura? Fiat itaque quaedam ex his, quae scripta sunt, ad id, quod quaeritur a nobis, manuductio. Postquam dixit: Faciamus hominem secundum imaginem* [27], *et in talibus faciamus, infert hunc sermonem: quia fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum* [28], *masculum et feminam fecit eos. Dictum est igitur jam et in his, quae coram sunt, quia ad solutionem haereticae impietatis talis sermo praenuntiatus est, ut discentes, quia fecit hominem unigenitus Deus secundum imaginem Dei, nulla ratione divinitatem Patris et Filii* [29] *segregemus, fideli divina Scriptura Deum utrumque nominante, eum videlicet qui fecit hominem, et eum ad cujus imaginem factus est. Sed de hoc quidem sermo dimittatur. Ad propositum vero* [30] *convertenda est quaestio, quomodo divino et beato illi miserum hoc simile* [31] *a sacra Scriptura nominatur. Nonne itaque diligenter ordinanda sunt verba? Invenimus* [32] *enim,*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; *in vasis* om. A. [2] A *intelligibilem.* [3] Sic CF; A *sit.* [4] A *scientissimi.* [5] CF xvii^mo^, A decimo *sexto* [6] Sic CF; A *Dicitur.* [7] Sic CF; μικρόκοσμον *id est* om. A. [8] Sic CF; A *universum.* [9] Sic CF; A *consistentem.* [10] Sic CF; A *naturae donant.* [11] *in* om. A. [12] A *uno.* [13] A *animatum.* [14] *mundi* om. A. [15] Sic CF, A *conditoris.* [16] A *facta* est. [17] CF *quae igitur est.* [18] Sic CF; *divini scilicet* om. A. [19] Sic CF; A *est illud.* [20] A *solam.* [21] Sic CF; A *miseranda.* [22] Sic CF; A humanae naturae *aerumna* beatitudini cet. [23] Sic CF; A *esse.* [24] CF *extra est passionem.* [25] A *in imagine.* [26] Sic CF; A *igitur.* [27] *secundum imaginem* om. CF. [28] Sic CF; A quia *Deus fecit* hominem *et* s. i. D. f. e. [29] CF *filii et patris.* [30] CF *Ad vero propositum.* [31] Sic CF; A quomodo *esse divinum beatum et misera humanitas, et simile illi hoc* a sacra Scriptura. [32] Sic CF; A *Inveniemus.*

quia alterum quid, quod secundum imaginem factum est, alterum, quod nunc in infelicitate ostenditur. Fecit Deus, inquit, hominem, ad imaginem Dei fecit eum. Finem habet ipsa ad imaginem facti creatio. Deinde epanalepsin, id est, repetitionem [1] facit secundum constitutionem sermonis, et ait : masculum et feminam fecit eos. Omnibus enim arbitror notum esse, quia hoc extra principale exemplum intelligitur. In Christo enim Jesu, sicut ait Apostolus, neque masculus neque femina est. Sed in haec hominem dividi sermo dicit. Nonne itaque duplex quaedam est nostrae naturae constitutio, una ad Deum assimilata, altera ad talem differentiam divisa? Tale enim aliquid ex constructione eorum, quae scripta sunt, ratio insinuat, primum quidem dicens : quia fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum, iterum vero his, quae dicta sunt, addens : quia masculum et feminam fecit eos. Quod alienum est ab his, quae de Deo intelliguntur. Ego quidem [2] arbitror, magnam quandam excelsamque doctrinam ex his, quae dicta sunt, a sacra [3] Scriptura tradi. Talis autem doctrina est. Duorum quorundam per extremitatem a se invicem distantium medium est humanitas, divinae videlicet incorporalisque naturae, et irrationabilis pecudalisque vitae. Licet enim utrumque praedictorum in humana comparatione considerari [4] : portionem quidem Dei quod rationabile est atque intellectuale, quod juxta masculum et feminam differentiam non admittit, irrationabilis vero corporalem constitutionem et duplicationem in masculum et feminam partitam. Utrumque horum est omnino in omnibus humanam vitam participantibus [5]. Sed prius esse [6] intellectuale, ab eo [7], qui humanam generationem in ordine percurrit, didicimus, supergenitivam vero esse homini ad irrationabile [8] societatem et cognationem. Primum namque ait, quia fecit Deus ad imaginem Dei hominem, ostendens ex his, quae dicta sunt, sicut ait Apostolus, quia in eo, qui talis est, masculus et femina non est. Deinde infert materiales humanae naturae proprietates [9] : quia masculum et feminam fecit eos. Quid ergo ex hoc discemus? Et mihi nemo imputet longius sermonem producenti proposito intellectu. Deus in sua natura omne, quodcunque per notitiam accipiendum est [10], bonum illud est. Magis autem omnis boni intellecti et comprehensi summitas existens non ob aliud aliquid humanam vitam creat, quam quod bene esse talem oportet. Ac per hoc ad conditionem nostrae naturae motus non nisi imperfectam bonitatis ostenderet virtutem, aliquod quidem dans ex his, quae sibi insunt, in aliquo autem invidens suae participationi. Ast perfecta bonitatis species in hoc est, et adducere hominem ex non existente in generationem, et non indigentem bonorum perficere. Quoniam vero multus singulorum bonorum catalogus est, neque [11] facile est eum [12] numero perficere, propterea comprehensiva quadam voce omnia comprehendens sermo significavit, dicendo, ad imaginem Dei hominem factum fuisse. Tale enim est hoc, ac si diceret : quia omnis boni humanam naturam participem fecit. Si enim plenitudo bonorum Deus, illius autem hoc, id est homo, imago, igitur in eo, quod sit plenitudo omnis boni ad principale exemplum, imago habet similitudinem. Non ergo est in nobis omnis boni forma, omnis virtus et sapientia, et omne, quodcunque est, in melius intelligendum? In eo item [13], quod sit omnium necessitate liberum, nullique naturali, hoc est materiali, potentiae subjugatur, sed per se potentem ad id, quod desiderat, habet voluntatem. Res enim est dominatu carens ac voluntaria virtus. Quod autem cogitur violentiamque patitur, virtus esse non potest. Itaque [14] in omnibus imagine [15] principalis exempli charactera [16] pulchritudinis gestante [17], nisi in aliquo differentiam habuerit, non jam erit omnino similitudo [18], sed hoc in illo per omnia ostendetur [19], quod in universo non distat. Qualem igitur [20] ipsius Dei, et Deo similis differentiam contemplabimur? In hoc illud quidem non creatum, hoc [21] vero per creationem subsistit. Talis autem proprietatis differentia aliarum iterum proprietatum consequentiam fecit. Conceditur enim, omnino increatam naturam inconversibilem esse, semperque similiter habere, creaturam vero non sine mutabilitate consistere. Nam ipse ex non existente in esse transitus motus quidam est, et mutatio non existentis in esse secundum divinam voluntatem transmutati. Ac sicut in aere charactera Caesaris imaginem Evangelium dicit, per quod discimus, juxta quidem figuram similitudinem esse formati ad Caesarem, in subjecto vero differentiam habere ; sic etiam secundum praesentem rationem imaginationum [22], quae considerantur in divina natura, in humana etiam cogitantes in his [23], in quibus similitudo est, in subjecto differentiam invenimus, quae in non creato et creato consideratur [24]. Quoniam igitur illud quidem semper similiter habet, hoc autem per creationem factum ex mutabilitate esse inchoavit, et cognatim [25] ad talem mutabilitatem habet conversionem, propterea, qui novit omnia ante generationem eorum, sicut ait propheta [26], consecutus, magis autem [27] praeintelligens prognostica virtute, ad quid destillaret [28] per suam virtutem suamque potentiam humanae voluntatis motus, quoniam quod futurum est vidit, supermachinatus est imagini secundum masculum et feminam differentiam, quae non jam ad divinum principale

VARIAE LECTIONES

[1] A *adjectionem*. [2] Sic CF ; A *enim*. [3] *a sacra* om. A. [4] Sic CF ; A *considerare*. [5] *humanam vitam participantibus* om. A. [6] Sic CF ; A *praecedere*. [7] Sic C F ; A *ex illo*. [8] Sic CF ; A *irrationabilem*. [9] Sic CF ; A *infertur* h. n. *proprietas* (*materiales* om. A). [10] Sic CF ; A quodcunque *est per notitiam accipiendum* bonum. [11] A *non*. [12] CF *cum*. [13] Sic CF ; A In eo *enim* quod. [14] A *Interea*. [15] Sic CF ; A *imaginem*. [16] Sic CF ; A *et* charactera. [17] Sic CF ; A *gestans*. [18] Sic CF ; A *simile*. [19] A sed hoc *ipsum* per omnia *ostenditur*. [20] CF *Igitur qualem*. [21] A *illud*. [22] Sic CF ; A rationem *loco imaginum*. [23] Sic CF ; A *cogitatantes ea*. [24] A *quatenus* i. n. c. e. c. *considerantur*. [25] Sic CF ; A *cognatam*. [26] CF *prophetia*. [27] A *autem magis*. [28] Sic CF ; A *inclinaret*.

exemplum aspicit, sed, sicut dictum est, immutabiliori A *possidet natura* [1]. *Causam vero talis supermachinationis soli quidem noverint, qui veritatem per se vident, et ministri sunt verbi. Nos autem, quantum possibile est, ex quibusdam conjecturis atque consequentiis veritatem silentes*[2], *quod in animum venit, non pronuntiative exponemus*, [3] *sed veluti in gymnasio auribus fidelibus audienda proponemus. Quid ergo est, quod de his cogitamus? Sermo, qui dicit: fecit Deus hominem, infinita significatione omnem humanitatem ostendit. Non enim nunc cognominatur creaturae Adam, sicut in sequentibus historia dicit, sed nomen creato homini non aliud quoddam universaliter est. Non* [4] *igitur universali naturae vocatione tale aliquid suspicari introducimur, quia in divina praesentia* [5] *et virtute omnis humanitas in prima constitutione comprehensa est. Oportet* B *enim nil Deo infinitum in his, quae ab eo facta sunt, aestimare, sed uniuscujusque eorum, quae sunt, finis et mensura circumponderans factoris sapientia est. Quemadmodum igitur aliquis homo corporis quantitate coartatur, et mensura sibi substantiae magnitudo est, quae in superficie corporis perficitur: sic, arbitror, veluti in uno corpore totam humanitatis plenitudinem prognostica virtute a Deo omnium comprehensam fuisse. Et hoc docet sermo, qui dicit: Quia fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum. Non enim in parte naturae imago, neque in quodam eorum, quae secundum ipsam considerantur, gratia est, sed in totum genus aequaliter talis pervenit virtus. Signum vero est, quod* [6] *omnibus similiter animus collocatur, dum omnes intelligendi et consiliandi virtutem habeant, et talia* C *omnia, ex quibus divina natura in eo, quod secundum ipsam factum est, imaginatur* [7], *similiter habent. Et ipse in prima mundi constitutione ostensus homo, et post universitatis consummationem futurus, aequaliter in seipsis divinam ferunt imaginem. Propterea unus homo nominatum est omne, quia in virtute Dei nil praeterit, nil instat, sed et quod spectatur, aequaliter praesenti comprehensiva universitatis operatione continetur. Omnis itaque natura humana* [8], *quae a primis usque novissima pervenit, una quaedam vere existentis imago est: ipsa vero in masculum et feminam generis differentia novissime constitutioni formationis adjecta est.* Et ne mireris, easdem ejusdem sententias saepe nos repetere; non enim amplificandi sermonis, sed declarandae quaestionis hoc agimus gra- D tia [9]. In octavo decimo [10] item ejusdem sermonis capitulo: *Resurrectionis*, inquit, *gloria* [11] *nil aliud nobis promittit, quam in antiquitatem cadentium restitutionem* [11]. *Est enim reditus quidam in primam vitam spectanda* [12] *gratia, expulsum paradiso iterum in ipsum reducens. Ipsa igitur restitutorum vita ad eam, quae proprie angelorum habetur, profecto ante ruinam angelus quidam* [14] *erat: propterea ipse ad antiquitatem vitae nostrae reditus angelis assimilatur. Attamen sicut dictum est, nuptiis apud eos* [15] *non existentibus in myriadibus infinitis militiae angelorum sunt; sic enim in visionibus Daniel narravit. Non igitur per eundem hominem, si nulla conversio et recessus ab angelica societate ex peccato nobis fieret, fortassis nos nuptiis ad multiplicationem alligaremur. Alius quidam est in naturae angelorum multiplicationis modus, ineffabilis quidem et inintelligibilis humanis argumentationibus; veruntamen quia* [16] *omnino est, ipse etiam in his, qui paulo minus ab angelis* [17] *minorati sunt, operaretur* [18], *in ipsam definitam factoris consilio mensuram humanitatem augens. Si vero coartat* [19] *quis, generationis animarum modum inquirens, nisi alligaretur nuptiarum cooperationi homo, respondemus* [20] *et nos angelicae substantiae modum, quomodo in* [21] *infinitis myriadibus illi et una essentia existunt, et in multis numerantur. Hoc enim apte respondebimus proponenti, quomodo esset fine nuptiis homo, dicentes, sicut sunt angeli sine nuptiis; hominem enim similiter* [22] *illis fuisse ante praevaricationem ostendit ipsa in illum iterum restitutio. His iterum a nobis sic jam bene discretis, in* [23] *priorem rationem redeundum est, quomodo post constitutionem imaginis ipsam secundum masculum et feminam differentiam supermachinatus est Deus formationi. Ad hoc enim dico utilem esse prius perfectam a nobis theoriam. Qui enim omnia adduxit in esse, totumque in sua voluntate hominem ad divinam imaginem formavit, non paulatim adjectionibus futurorum moras fecit, sciendo in suam plenitudinem animarum numerum perficiendum, sed cumulatim in ipsa plenitudine omnem humanam naturam per prognosticam operationem intellexit, et in excelsitudine et in coaequali angelis quiete honorificavit. Quoniam vero praevidit contemplatoria virtute* [24] *non recte euntem ad bonam voluntatem, atque ideo ex angelica vita recedentem, ne animarum humanarum multitudo minueretur, cadens ex illo modo, per quem angeli ad multitudinem aucti sunt, propterea convenientem in peccatum annulatis* [25] *incrementi excogitationem in natura conformavit, pro angelica magnificentia pecudalem et irrationalem ex se invicem successionis modum humanitati inserens. Hinc mihi videtur etiam magnus David, dolens hominis miseriam, talibus verbis planxisse naturam: Quia homo, in honore dum* [26] *esset, non intellexit honorem, dicens aequalem angelis* [27] *reverentiam, propterea, inquit,* [28] *comparatus est jumentis insipientibus. Vere enim pecorinus factus est, qui ani-*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *irrationabiliori adhaeret naturae*. [2] Sic CF; A *opinantes*. [3] A *exponimus*. [4] *Non* om. A. [5] A *praescientia*. [6] *quod* om. CF. [7] Sic CF; A *similitudinem refert*. [8] *humana* om. A. [9] *Et ne mireris — gratia* om. A. [10] Sic CF; A *decimo septimo*. [11] Sic CF; A *gratia*. [12] Sic CF; A *quam lapsorum in pristinum statum restitutionem*. [13] Sic CF; A *exspectata*. [14] A *angelica quaedam*. [15] *apud eos* om. A. [16] A *quoniam*. [17] *minus ab angelis*. om. A. [18] Sic CF; A operaretur *hominibus*. [19] Sic CF; A *coartatur*. [20] Sic CF; A *respondebimus*. [21] *in* om. A. [22] Sic CF; A *similem*. [23] Sic CF; A *ad*. [24] *contemplatoria virtute* om. A. [25] Sic CF; A *lapsis*. [26] Sic CF; A *cum in honore*. [27] Sic CF; A *angelicis*. [28] *inquit* om. CF.

malem nanc generationem accepit propter ad materiale inclinationem. Mag. Praefati itaque magni theologi verba, quae a te introducta sunt, nil aliud videntur suadere, quam ut hominem intelligamus solo animo et virtutibus ei naturaliter insitis ad imaginem Dei factum — insunt autem ei sapientia, scientia, ratiocinandi virtus, ceteraeque virtutes, quibus ornatur anima, similitudinem in se Creatoris sui exprimens — et quod omnes homines semel et simul [1] facti sunt [2] in illo uno homine, de quo scriptum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, et : *In quo omnes peccaverunt ;* adhuc enim ille unus omnis fuit, et in quo omnes beatitudine paradisi expulsi sunt. Et si homo non peccaret, in geminum sexum simplicitatis suae divisionem non pateretur [a]. Quae divisio omnino divinae naturae imaginis et similitudinis expers est [3], et nullo modo esset, si homo non peccaret, sicut nullo modo erit post restaurationem naturae in pristinum statum, qui post catholicam resurrectionem cunctorum hominum manifestabitur. Quapropter si homo non peccaret, nullus utriusque sexus copula, nec ullo semine nasceretur, sed quemadmodum angelica essentia, dum sit una, in infinitas myriades, nullis temporum morulis interjectis, simul et semel multiplicata est, ita humana natura, si mandatum vellet servare, et servaret, in praecognitum soli conditori numerum simul et semel erumperet. Quoniam vero praevidit Deus, qui nec fallit nec fallitur, hominem conditionis suae ordinem et dignitatem deserturum, supermachinatus est alterum multiplicationis humanae naturae modum, quo mundus iste locorum et temporum intervallis perageretur, ut homines generalis delicti generalem luerent poenam, ex corruptibili semine, sicut et cetera animalia, nascentes. Sed dum haec, multaque similia ex praedicti magistri testimoniis colliguntur, multae quaestiones undique prosiliunt. Quarum prima ac maxima impetum validissimum facit. Si enim omnes homines, non solum, qui fuerunt, et qui sunt, verum et qui futuri sunt, simul et semel creati in illa divina voce, quae dicit : *Faciamus hominem ;* et si ista corpora corruptibilia et mortalia [4] ex corruptibili et mortali et materiali semine nascentia, extrinsecus humanae naturae ad imaginem Dei factae [5], praevaricationis merito super machinata sunt, ac per hoc nullo modo essent, si homo divinae imaginis, in qua conditus est [6], pulchritudinem non dehonestaret : non supervacuo quaeritur, quomodo prima conditio ad imaginem Dei [7] facta est, siquidem secunda non ad imaginem, sed propter praefatam causam superaddita ? Num [8] in sola anima erat sine corpore, an in anima simul et corpore ? Et si in sola anima, quomodo homo appellatus est, cum constet, hominem esse ex duabus naturis compositum [9], ex invisibili quidem secundum animam, et visibili secundum corpus ? Et nec partem quidem hominis tunc creatam fuisse crediderim, ut συνεκδοχικῶς intelligamus quod dictum est : *Faciamus hominem ;* praesertim cum naturarum omnium plenissima et perfectissima conditio his propheticis verbis narretur. Si autem prima conditio in anima et corpore, hoc est, in toto et integro homine recte intelligitur, quaerendum profecto, quale corpus illud erat in prima conditione hominis. Et quidem vera ratio clamat, hoc corpus merito peccati supermachinatum non fuisse, illud in prima ac naturali conformatione hominis conditum. Disc. Non ex superfluo haec quaestio interposita est, et non infructuose quaerenda atque solvenda. Et quia tu proposuisti, solvendae illius debitor factus es. Non enim, ut arbitror, proponeres, quod omnino solvere non procurares [10]. Mag. Illud corpus, quod in constitutione hominis primitus est factum, spirituale et [11] immortale crediderim esse, ac tale aut ipsum, quale post resurrectionem habituri sumus. Non enim facile concesserim, corruptibile corpus fuisse et materiale, priusquam causa corruptionis et materialitatis, hoc est, peccatum fieret : et maxime, cum manifesta ratio perdoceat, si id ipsum corpus, quod in prima conditione hominis factum est ante delictum, mox conversum est et factum corruptibile post delictum, non erat illud supermachinatum, sed de spirituali et incorruptibili in terrenum et corruptibile transmutatum, ac per hoc praedicti magistri, Gregorii videlicet theologi, auctoritas vacillare videbitur, quod absit. Ipse siquidem incunctanter asserit, totum, quod in prima conditione hominis ad imaginem Dei factum est [12], secundum rationem corporis et animae [13] semper [14] incorruptibiliter manere. Ut enim nunc [15] omittamus perspicuas illius argumentationes, quibus indubitanter affirmat, nec animas ante corpora fuisse creatas, nec corpora ante animas, sed simul et semel totum factum in divino consilio, quo dictum est *faciamus hominem*, ac simul in hunc mundum secunda quadam generatione [16], quae superaddita est, in ordine temporum nasci, quomodo etiam nunc [17], post peccatum perversae voluntatis humanae naturae, et corporis [18] illud spirituale et naturale animo semper adhaerens ac sibi concretum discernitur ab eo, quod merito trangressionis adjectum est,

VARIAE LECTIONES.

[1] A *simul et semel.* [2] Sic A; CF *sint.* [3] Sic CF; A. Q. d. d. n. i. e. s. *omnino expers* est. [4] Sic CF; A *corruptibilia et mortalia corpora.* [5] Sic CF; A *conditae.* [6] Sic CF; A *erat.* [7] *Dei* om. CF. [8] Sic CF; A *an.* [9] Sic CF; A *hominem ex duabus naturis esse compositum.* [10] Sic A; CF *procurasses.* [11] Sic CF; A *ac.* [12] Sic CF; A *factum est ad imaginem Dei.* [13] Sic CF; A *animae et corporis.* [14] *semper om.* A. [15] *nunc* om. A. [16] Sic CF; A *ratione.* [17] A *nec.* [18] Sic CF; A *corpus.*

NOTAE.

[a] Falsam J. Scoti opinionem de primo homine, qui ante praevaricationem simplex homo fuerit, ac post peccatum naturae divisionem in duplicem sexum, masculum et feminam, passus sit, recensuimus supra col. 309 not. [a] et passim.

in [1] vicesimo septimo capitulo saepe dicti sermonis lucalentissime explanat. *Non enim, inquit, per omnia, quod nostrum est, in fluxu et transmutatione est. Si enim esset, reprehensibile universaliter, quod nullum statum habet ex natura: sed juxta subtiliorem rationem eorum, quae in nobis sunt, quoddam quidem stat, quoddam vero ex mutabilitate accidit. Mutatur enim per auctionem et diminutionem corpus, veluti vestimenta quaedam consequentes aetates indutum. Stat vero per omnem conversionem intransmutabilis in se ipsa forma, insitis sibi semel ex natura signis non desistens* [2], *sed in omnibus secundum corpus transmutationibus cum suis notionibus apparet: subtrahetur* [3] *autem, per Verbum Domini videlicet, ipsa, quae ex passione est, mutatio, quae* [4] *formae superaccidit. Nam veluti facies quaedam aliena* [5] *ipsa per informitatem deformitas formam deprehendit, qua informitate per Verbum circumablata, sicut Naaman Syrus, seu decem* [6] *qui in Evangelio narrantur, iterum obscurata sub passione facies per sanitatem in suis notionibus relucet. Igitur in deiformitate animae non fluxile per mutabilitatem et transmutabile est, sed quod permanet similiterque in nostra concretione habetur, hoc animae inseritur. Et quoniam ipsas per speciem differentias ipsae mutabiles concretionis qualitates superformant* [7], *concretio vero non alia quaedam* [8] *est praeter elementorum mixturam; elementa autem dicimus universitatis corpore* [9] *constitutioni subjecta, ex quibus etiam humanum corpus constat: necessario specie veluti descripti signaculi formae* [10] *in anima permanente, neque reformanda in signaculo ad formam ab ea, videlicet anima, ignorantur, sed in tempore reformationis illa iterum ad se ipsam recipiet, quaecunque formae characteri coaptabit. Coaptabit autem omnino illa his* [11], *quae ab initio in forma characterizata sunt.* Videsne igitur, quam subtiliter [12] primae conditionis proprietatem ab his, quae superaddita sunt, discernit? Quodcunque enim in humanis corporibus immutabile intelligitur, primae conditionis proprium est; quicquid vero in eis mutabile ac [13] varium percipitur, illud est superadjectum, extraque naturam substitutum. Universaliter autem in omnibus corporibus humanis una eademque forma communis omnium intelligitur, et semper in omnibus incommutabiliter stat. Nam innumerabiles differentiae, quae eidem formae accidunt, non ex ratione primae conditionis, sed ex qualitatibus corruptibilium seminum contingunt. Ipsa igitur forma spiritualis spirituale corpus est, in prima conditione hominis factum: quod autem ex materia, hoc est, ex qualitatibus et quantitatibus quattuor elementorum mundi sensibilis cum ipsa forma qualitativa, de qua in prioribus libris disputavimus, quoniam et augeri et minui patiuntur,

A ad compositionem superadjecti ac veluti superflui corporis pertinere non dubium est. Quod corpus materiale et exterius veluti quoddam vestimentum signaculum [14] interioris et naturalis non incongrue intelligitur. Movetur enim per tempora et aetates, augmentum et detrimentum sui patiendo, illo semper interiori in suo statu incommutabiliter manente.

13. Sed quoniam et illud exterius a Deo factum est [15] et superadditum, divinae bonitatis magnitudo et infinita erga omnia, quae sunt, providentia noluit penitus perire [16] et ad nihilum redigi, quia ab ipsa est, et extremum in creaturis obtinet ordinem; porro quia omne, quod in hunc mundum per generationem localiter et temporaliter nascitur, non potest fine carere, sive minimis [17], ut dies, horae, momenta, sive maximis, ut se-

B cula, sive mediis, ut aetates, anni temporum, intervallis inter principium nativitatis in hanc vitam ejusdemque vitae finem interpositis, naturali creaturarum ordinatione exigente. Omne siquidem, quod in mundo ex mundo compositum incipit esse, necesse est resolvi et cum mundo interire. Necessarium erat, exterius ac materiale corpus solvi in ea elementa, ex quibus assumptum est, non autem necessarium, perire, quoniam ex Deo erat, manente semper interiori illo, et incommutabiliter stante in suis rationibus, secundum quas cum anima et in anima et per animam et propter animam constitutum est. Quoniam vero illius corporis materialis atque solubilis manet in anima species, non solum illo vivente, verum etiam post ejus solutionem et

C in elementa mundi reditum; disputatio quippe divitis cum Abraham notionem corporum adhaerere animabus post mortem indicat: propterea partium illius, ubicunque elementorum sint, non potest anima oblivisci, aut eas nescire. Quamvis enim propter peccatum superadditae sint humanae naturae, ad eam tamen non pertinere non possunt, quoniam ab eodem naturae conditore et additae sunt et factae, ac per hoc in restauratione hominis in unitatem naturae revocandae sunt [18], dum anima totum sibi subditum resurrectionis tempore recipiet. Et hoc est, quod ait magister: *Necessario specie veluti discripti signaculi formae* [19] *in anima permanente, neque reformanda in signaculo ad formam ab ea ignorantur.* Ac si diceret, dum species, hoc est

D notio descripti signaculi, exterioris videlicet corporis, quod vocat [20] signaculum interioris, in anima permanet, etiam post signaculi solutionem propter illam notionem, quam semper habet, non ignorat partes signaculi per elementa sparsas, et resurrectionis die [21] in signaculo, hoc est, in corpore ad formam animae, quod est interius corpus, reformandas. Est enim exterius et materiale corpus signaculum interioris, in quo forma animae exprimitur, ac

VARIAE LECTIONES.

[1] *in* om. A. [2] Sic CF.; A insita sibi s. e. n. *signa* n. *amittens.* [3] Sic CF; A *subtrahitur.* [4] Sic CF; A *ea mutatio quae morbo.* [5] A *ad* aliena. [6] Sic CF; A sicut *in Naaman seu in his*, qui in Evangelio cet. [7] Sic CF; A *transformant.* [8] *quaedam* om. A. [9] Sic CF; *f. corporeae?—corpore* om. A. [10] *formae* om. A. [11] *his* om. A. [12] Sic CF; A *similiter.* [13] Sic CF; A *et.* [14] *signaculum* om. A. [15] CF *est factum.* [16] Sic CF; A *perire penitus.* [17] A *in* minimis. [18] *sunt* om. A. [19] *formae* om. A. [20] Sic CF; A *vocatur.* [21] *die* om. A.

per hoc forma ejus rationabiliter appellatur. Et ne me existimes, duo corpora naturalia in uno homine docere. Unum enim est corpus, quo connaturaliter et consubstantialiter animae compacto homo conficitur. Illud siquidem materiale, quod est superadditum, rectius vestimentum quoddam mutabile et corruptibile veri ac naturalis corporis accipitur, quam verum corpus. Non enim verum est, quod semper non manet, et, ut ait sanctus Augustinus: *Quod incipit esse quod non erat, et desinit esse quod est, jam non est*. Inde fit, quod semper non simpliciter, sed cum additamento aliquo ponitur corpus hoc [1] mortale vel corruptibile vel terrenum vel animale, ad discretionem ipsius simplicis corporis, quod primitus in homine conditum [2] est, et quod futurum est.

14. DISC. Quid ergo respondebimus sanctissimo [3] divinissimoque theologo, Augustino videlicet, qui praedictis rationibus refragari videtur? Nam fere in omnibus suis libris incunctanter asserit, corpus primi hominis ante peccatum animale fuisse, terrenum, mortale, quamvis non moreretur, si non peccaret, peccando vero mortuum, sicut ait Apostolus: *Corpus quidem mortuum propter peccatum*. Hinc est, quod in primo libro de Baptismo parvulorum, convincens eos, qui dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non poena culpae, sed necessitate naturae: *Quid ergo*, inquit, *respondebunt* [4], *cum legitur, hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando et damnando dixisse: Terra es, et in terram ibis? Neque enim secundum animam, sed, quod manifestum est, secundum corpus terra erat, et morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundum corpus terra esset, et corpus, in quo creatus est, animale gestaret, tamen, si non peccasset, in corpus foret* [5] *spirituale mutandus, et in illam incorruptionem, quae fidelibus et sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cujus rei desiderium nos habere non solum ipsi sentimus in nobis, verum etiam monente* [6] *Apostolo agnoscimus* [7], *ubi ait: Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de caelo est, superindui cupientes, si tamen induti, non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita. Proinde si non peccasset Adam, non erat exspoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate et incorruptione, ut absorberetur* [8] *mortale a vita, id est ab animali in spirituale transiret. Neque enim metuendum fuit, ne forte diutius hic viveret* [9] *in corpore animali, et* [10] *senectute gravaretur, et paulatim veterascendo perveniret ad mortem. Si enim Deus Israelitarum vestimentis et calceamentis praestitit, quod per tot annos non sunt obtrita* [11]*: quid mirum, si obedienti homini ejusdem praeceptis* [12] *potentia praestaretur, ut animale hoc et* [13] *mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore, quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Sicut enim haec ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse, ut vulneretur; sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur* [14]. *Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch et Elias per tam longam aetatem senectute marcuerunt, nec tamen, credo, eos jam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quae in Domino prima praecessit, nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione* [15] *reficiunt. Sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant societatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquae et ex collyride panis sine cibo vixit; aut si et his sustentaculis opus est, ita in paradiso fortasse pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantum existimo, et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, et de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem.* Et quid ad rem, tanta [16] tanti et tam magni viri testimonia exaggerare, cum omnibus libros illius legentibus, et maxime de Genesi ad literam et de Civitate Dei, manifestissimum sit, nil aliud docere de corpore primi hominis ante peccatum, quam animale atque mortale fuisse. Si enim animale non fuisset, quomodo de fructibus paradisi comedere juberetur, ne deficeret, et de ligno vitae, ne senesceret? Nam ut ipse saepe asserit, primi homines ante praevaricationem de fructibus paradisi corporaliter comedisse perhibentur. MAG. Quisquis vult [17] et potest, respondeat: mihi autem et tibi, si placet, sufficiat, sententias sanctorum Patrum de constitutione hominis ante peccatum legere, et, quid unusquisque eorum voluit, cauta ac diligenti inquisitione quaerere. Lites autem inter eos constituere, non est nostrum, aut hunc constituere, hunc autem refellere, scientes, post [18] sanctos Apostolos nullum apud Graecos fuisse in expositionibus divinae Scripturae majoris auctoritatis Gregorio theologo, nullum apud Romanos Aurelio Augustino. Et quid, si in hac veluti controversia magnorum virorum quendam consensum velimus machinari, dicentes, illud corpus, quod Gregorius dicit divina praescientia propter futurum peccatum homini supermachinatum exteriusque adjectum, id ipsum ab Augustino animale vocatum, duasque hominis constitutiones, unam quidem ad imaginem

VARIAE LECTIONES.

[1] *hoc* om. A. [2] Sic CF; A *editum*. [3] Sic CF; A *scientissimo*. [4] Sic CF; A Quid *igitur* respondebunt (*inquit* om.). [5] Sic CF; A *fuerat*. [6] Sic CF; A *admonente*. [7] Sic CF; A *cognoscimus*. [8] Sic CF; A *absorbeatur*. [9] Sic CF; A *vivendo*. [10] *et* om. A. [11] Sic CF; A *attrita*. [12] *praeceptis* om. A. [13] Sic CF; pro *hoc et* A *ac*. [14] A ut *non* moreretur. [15] Sic A; CF *consummatione*. [16] Sic CF; A *tantum*. [17] Sic CF; A Quisquis *igitur* vult. [18] A *praeter*.

Dei substantialiter factam, alteram vero longe imagine [1] distantem, et in masculum et feminam propter peccatum divisam, Gregorium non tacuisse, unam [2] vero illam in masculum et feminam bipertitam Augustinum dixisse, alteram vero, quae ad imaginem Dei est, omnique sexu caret, siluisse [3]? Quid ad rem pertinebit, cum verisimile non videatur de Augustino aestimare, eam [4] conditionem hominis ad imaginem Dei siluisse, eam vero, quae secundum Gregorium ad similitudinem jumentorum insipientium merito inobedientiae facta est, explanasse, praesertim cum, quisquis libros ejus perspexerit, apertissime inveniet, in primo homine masculum et feminam ad imaginem Dei factos fuisse, ipsaque animalia corpora, quae ante peccatum gestaverant, non ex poena peccati, sed ex necessitate naturae processisse, ad procreationem videlicet praedestinati sanctorum hominum numeri, et societati angelicae beatitudinis ex humana natura adunandi, donec caelestis civitas sanctis [5] angelis sanctisque hominibus impleretur? Sed mirari non desino, cur illud corpus appellat animale [6], quod magnis laudibus exaltat tanquam spirituale atque beatum. Beatum autem fuisse ante delictum ille ipse in quarto decimo libro de Civitate Dei testatur decimo capitulo dicens: *Sed utrum primus homo vel primi homines, duorum erat quippe conjugium, habebant istos affectus, concupiscentiam profecto et laetitiam, timorem et dolorem, in corpore animali ante peccatum, quales in corpore spirituali non habebimus omni purgato finitoque peccato, non immerito quaeritur. Si enim habebant, quomodo erant beati in illo memorabili beatitudinis loco, id est, paradiso? Quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur, vel dolore? Quid autem timere aut dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas non adipisceretur, nec inerat, quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se conjugum fida ac* [7] *sincera societate viventium, et ex hoc amore grande gaudium, non desistente, quod amabatur ad fruendum. Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino alicunde* [8] *malum, quod contristaret* [9], *irruebat. An forte cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere, sed mori metuebant, ac per hoc et cupiditas et metus jam tunc illos homines etiam in illo perturbabat loco? Absit, ut hoc existimemus fuisse, ubi nullum erat omnino peccatum. Neque enim nullum peccatum est, ea, quae lex Dei prohibet, concupiscere, atque* [10] *ab his abstinere timore poenae, non amore justitiae. Absit, inquam, ut ante omne peccatum jam ibi fuerit tale peccatum, ut hoc de ligno amitterent* [11], *quod de muliere Deus ait: Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moecha-* A *tus est in corde suo. Quam igitur felices erant primi homines, et nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum laedebantur incommodis: tam felix universa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trajicerent, nec quisquam ex* [12] *eorum stirpe iniquitatem committeret, quae damnationem reciperet. Atque ista permanente felicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum est: Crescite et multiplicamini, praedestinatorum Sanctorum numerus compleretur, alia major daretur, quae beatissimis angelis data est, ubi jam esset certa securitas peccatorum, neminemque moriturum, et talis esset vita sanctorum post nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit post haec omnia in incorruptione corporum reddita resurrectione mortuo-* B *rum.* Idem in eodem vicesimo quinto [13] capitulo: *Vivebat itaque homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat; vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in animo tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel ex* [14] *timore accedebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum, gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de* [15] C *corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Atque inter se conjugum fida et ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. In tanta facilitate rerum et felicitate hominum absit, ut suspicemur, non potuisse prolem seri* [16] *sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur membra illa, quo cetera, et sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi et corporis, nulla corruptione integritatis, infunderetur gremio maritus uxoris.* Videsne, quantum laudat, quantum glorificat felicitatem utriusque sexus in paradiso ante praevaricationem, quam sanctae incontaminataeque nuptiae fierent, qualis amor irreprehensibilis conjugum et inse- D parabilis societas, quam pulchra sanctorum hominum procreatio, et in praedestinatum numerum multiplicatio, quam post paradisi felicitatem in angelicam beatitudinem sequeretur translatio, ut non immerito quis miretur, quomodo animalia corpora in tam excelsa beatitudine vixisse credibile sit. Disc. Num inter nos, dum [17] de conditione humanae naturae disputabamus, confectum est, hominem in genere animalium substitutum fuisse, imo etiam omnia animalia

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *ab* imagine. [2] Sic CF; A *solam.* [3] Sic CF; A *tacuisse.* [4] *eam* om. A. [5] *sanctis* om. A. [6] Sic CF; A *animale appellat.* [7] CF *et.* [8] Sic CF; A *aliunde.* [9] Sic CF; A *contristaretur.* [10] *atque* om. CF. [11] Sic CF; A *admitterent.* [12] *ex* om. CF. [13] CF *xxv*; A *vicesimo sexto.* [14] *ex* om. CF. [15] A *ex.* [16] Sic CF; A *fieri.* [17] Sic CF; A *cum.*

substantialiter in illo creata, non solum quod omnium notitia inerat ei, verum etiam, quia universitas visibilis et invisibilis creaturae in eo condita est? MAG. Confectum plane. DISC. Quid ergo mirum, vel cur incredibile sit, si humana corpora, priusquam peccarent in paradiso, animalia fuisse dicantur, quae in genere animalium constituta sunt? E duobus quippe unum eligere cogit nos ratio : aut enim negabimus omnino in genere animalium conditum hominem, si volumus negare, in eo animale corpus fuisse; aut, si non possumus contendere et abnegare, ipsum quidem quoddam animal in genere animalium [1] factum, quomodo negabimus, animale corpus habuisse ante peccatum, et, si non peccaret, potuisse fieri beatum? MAG. Acute quidem philosopharis. Putasne itaque, Deum simul omnia fecisse? DISC. Imo credo et intelligo. Omnia siquidem, quae temporum intervallis in mundo nascuntur, simul et semel et ante mundum et cum mundo facta sunt, quamvis non simul per [2] divinae providentiae administrationem [3] mundum sensibiliter adimpleant, sed ordine temporum, Domino dicente : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. MAG. Recte intueris. Num tibi videtur, quod propterea Deus hominem in genere animalium fecerit, quia illum animaliter victurum praescivit, inque irrationabiles [4] motus eorum relicta divinae imaginis pulchritudine ac dignitate casurum? DISC. Verisimile videtur. Fecit enim futura, qui fecit omnia simul. MAG. Quoniam igitur de sua praescientia, quae falli non potest, certissimus erat, etiam, priusquam homo peccaret, peccati consequentia in homine et cum homine simul concreavit, ut nec immerito aestimetur, eorum, quae simul in homine facta sunt, quaedam quidem propter divinam bonitatem, ut sunt illa, in quibus imago conditoris [5] intelligitur, animus videlicet et ratio sensusque interior, vel, ut ita dicam, essentia, virtus et operatio, quaedam vero propter delictum praescitum atque certissime futurum. Multa enim praescit Deus, quorum non est causa ipse, quia substantialiter non sunt. Est autem sapiens factor et ordinator, ne universitatis pulchritudinem perturbent, et solus potens est de malo irrationabilis voluntatis facere bonum. Haec autem sunt consequentia peccati propter peccatum, priusquam fieret peccatum, ab eo [6], cujus praescientia non fallitur, in homine et cum homine veluti extra hominem ac superaddita : animale quidem corpus atque terrenum et corruptibile, sexus uterque ex masculo et femina, bestiarum similitudine procreationis multiplicatio, indigentia cibi et potus indumentique [7], incrementa et decrementa corporis, somni ac vigiliarum alterna inevitabilisque necessitas, et similia, quibus omnibus humana natura [8] si non peccaret, omnino libera maneret, quemadmodum libera futura est. Hoc autem dico Gregorium Nyssaeum sequens, expositoremque ipsius Maximum, non autem alios sanctos Patres spiritualis doctrinae, qualiter videntur sensisse, refellens, haec omnia ad primam et substantialem hominis creationem pertinere autumantes. Et si te movet, quare Deus in homine fecerit, priusquam peccaret, quae propter peccatum facta sunt, animadverte, quod Deo nihil est ante, nihil post, cui nihil praeteritum, nihil futurum, nihil medium inter praeteritum et futurum, quoniam *ipsi omnia simul sunt*. Cur ergo non simul faceret, quae facienda simul [9] videbat et volebat? Nam cum dicimus ante et post peccatum, cogitationum nostrarum mutabilitatem monstramus, dum adhuc temporibus subdimur : Deo autem simul erant et peccati praescientia ejusque consequentia. Homini siquidem, non Deo, futurum erat peccatum, et consequentia peccati praecessit peccatum in homine, quoniam et ipsum peccatum praecessit [10] seipsum in eodem homine [11]. Mala quippe voluntas, quod est peccatum occultum, praecessit vetiti fructus gustum, quod est peccatum apertum. Eadem ratione potest intelligi, quod scriptum est : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Nondum enim utriusque malis vel [12] bonis actibus perpetratis, in ordine temporum eorum consequentia facta sunt in eo, in quo universitas simul et unum est : consequentia autem dico dilectionem et odium. Hoc etiam ipse magister Augustinus edocet in praefati libri tertio decimo capitulo de primis hominibus dicens : *In occulto autem mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecessisset voluntas mala. Porro malae voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est*. Ac per hoc datur intelligi, hominem peccato nunquam caruisse: sicut nunquam intelligitur absque mutabili voluntate substitisse. Nam et ipsa irrationabilis mutabilitas liberae voluntatis, quia causa mali est, nonnullum malum esse necesse est. Causam siquidem mali malam non esse, quis audeat dicere, quandoquidem libera voluntas ad eligendum bonum data [13] seipsam servilem fecit ad sequendum malum? Quod etiam Augustinus insinuasse videtur [14]. Non enim ait, vixit homo in paradiso, vel vixerat, vixit fruens Deo, vel vixerat, vixit sine ulla egestate, vel vixerat. Nam si talibus verbis praeteriti [15] uteretur, fortassis non incongrue intelligeretur [16] docere voluisse, hominem in paradiso perfectam beatitudinem sine ullo peccato per spatia quaedam temporis habuisse. Sed : *Vivebat*, inquit, *homo in paradiso, vivebat fruens Deo, vivebat* [17] *sine ulla egestate*. Ac si aperte diceret :

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; *conditum hominem — animalium* om. A. [2] *per* om. A. [3] A *administratione*. [4] Sic CF; A *irrationales*. [5] Sic CF; A *creatoris*. [6] *eo* om. A. [7] *indumentique* om. A. [8] Sic CF; A *natura humana*. [9] *simul* om. A. [10] Sic CF; A *praecesserunt*. [11] Sic CF; *quoniam et ipsum — homine* om. A. [12] Sic CF; A *aut*. [13] *data* om. A. [14] CF *videtur insinuasse*. [15] *praeteriti* om. A. [16] Sic CF.; A *intelligerem*. [17] Sic CF; A in paradiso, *inchoabat vivere* sine cet.

inchoabat vivere homo in paradiso, inchoabat vivere fruens Deo, inchoabat vivere sine ulla egestate. Haec enim species praeteriti temporis ab his, qui verborum significationes acute perspiciunt, inchoativa vocatur. Inchoationem quippe et auspicium cujuspiam rei significat, quae jam ad perfectionem nullo modo pervenit.

15. Quod etiam, hoc est, nullo temporali spatio primos homines fuisse in paradiso, in nono [1] Exemeri sui ipse, edocet dicens : *Cur non coierunt, nisi cum exissent de paradiso? Cito responderi potest, quia mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati, etiam* [2] *de loco illius felicitatis exierunt. Non enim Scriptura tempus expressit, quantum interfuerit temporis* [3] *inter eos factos et ex eis natum Cain.* Fuisse autem [4] Adam temporaliter in paradiso, priusquam de costa ejus mulier fabricaretur, dicat qui [5] potest. Proinde plus, ut arbitror, laus illa vitae hominis in paradiso referenda est ad futuram ejus [6] vitam, si obediens permaneret, quam ad peractam, quae solummodo inchoaverat, nec unquam steterat. Nam si saltem vel parvo spatio stetisset, necessario ad aliquam perfectionem perveniret. Ac per hoc praefatus magister fortassis non diceret vivebat, sed vixit vel vixerat : quanquam si talibus praeteriti perfecti et plusquam perfecti verbis uteretur, vel si alias usus est, plus crediderim praeteritum pro futuro posuisse, quam statum hominis temporali spatio in felicitate paradisi ante peccatum docuisse, ea videlicet ratione, ut praedestinatam praedefinitamque beatitudinem hominis in paradiso, si non peccaret, quasi jam [7] perfectam innueret, dum adhuc in re ipsa, hoc est, in effectibus perfectae praedestinationis futura et facienda erat. Hoc autem dico [8], quia saepe ipse de paradiso disputans, praeteriti temporis perfecti [9] et plusquam perfecti verba posuit, sicut librorum illius studiosus lector reperiet ; ut est illud in undecimo Exemeri libro : *In sudore faciei tuae edes panem tuum, donec convertaris in terram ex qua sumptus es, quia terra es, et in terram ibis. Hos,* inquit, *esse in terra labores humani generis quis ignorat? Et quia non essent, si felicitas, quae in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum.* Fuerat dixit, non fiebat. Nec hoc mirum, cum saepissime divina auctoritas futura quasi jam peracta pronuntiet. Quis enim crediderit, diabolum in beatitudine paradisi fuisse, qui mox, ut conditus, lapsus est, sicut Dominus ait in Evangelio : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Quam Dominicam sententiam in undecimo Exemeri sui ipse Augustinus, de quo nunc [10] tractamus, exponit. *Quod* [11] *ergo,* inquit, *putatur nunquam diabolus in veritate stetisse, nunquam cum angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suae conditionis* [12] *initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus a bono Deo creatus putetur; alioquin non ab initio cecidisse diceretur. Neque enim cecidit, sed talis est factus; sed factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus et propriae potestatis delectatione corruptus. Unde beatae atque* [13] *angelicae vitae dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit et amisit. Proinde nec sui casus praescius esse potuit, quoniam praescientia* [14] *pietatis est fructus. Ille autem continuo impius, consequenter et mente caecus, non ex eo, quod acceperat, cecidit, sed ex eo, quod acciperet, si subdi Deo voluisset. Quod profecto quia noluit, et ab eo, quod accepturus erat, cecidit, et potestatem illius, sub quo esse noluit, non evasit, factusque in illo est pondere meritorum, ut nec justitiae possit lumine delectari, nec ab ejus sententia liberari.* Item [15] in figura principis Tyri per Ezechielem Prophetam dicitur ei : *Tu es signaculum similitudinis, et corona decoris, in deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es,* et cetera, quae quasi jam facta ante ruinam diaboli dicuntur. Et quidem in divina dispensatione erant facta, quae in illo, si non rueret, erant facienda. Porro si de diabolo mystica mutatione temporum talia pronuntiantur, et nec aliter Scriptura recte intelligitur : quid obstat, si eodem modo de homine praedicetur, in deliciis paradisi fuisse ante peccatum, quod, si non peccaret, profecto ei fieret, praesertim cum nulla auctoritas vel divina vel [16] humana tradiderit, quantum temporis in paradiso, priusquam peccaret, feliciter vixit? Et quare hoc taceretur, si fuisse intelligeretur? Argumenta autem non desunt, quibus approbari potest aut brevissimo aut nullo temporis intervallo ante peccatum vixisse. Ex his enim, quae ei jussa sunt, ante peccatum nihil legitur egisse, verbi gratia : *Crescite et multiplicamini et implete terram,* videlicet paradisi. Qua ratione non continuo felicem prolem gigneret, si in paradiso quodam temporis spatio ante delictum habitaret, et si de ligno vitae gustaret, ne quid corruptibile corpus [17] ejus pateretur? Quare divini ac [18] spiritualis medicaminis virtus in corpore ejus non [19] praevaluit, ne etiam peccando in corruptionem caderet? Ligni [20] siquidem vitae esca si corpori ipsius uno vel duobus vel quotlibet diebus ad sanitatem et incorruptibilitatem profuit, et non semper, profecto non habebat tantum virtutis, quantum et legitur et creditur habuisse. Aut qua ratione lignum vitae diceretur, quod solummodo corruptionem potuit retardare, non autem potuit a corruptione penitus liberare, diuturnamque vitam

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF ; A *octavo.* [2] Sic CF ; A *et* etiam. [3] *temporis* om. CF. [4] *autem* om. A. [5] A *quis.* [6] CF *ei.* [7] Sic CF; A *tum.* [8] Sic CF; A *dicit.* [9] Sic CF; A praeteriti *perfecti temporis.* [10] *nunc* om. A. [11] A *Quid.* [12] Sic CF ; A *conditionis suae.* [13] Sic CF; A *et.* [14] Sic CF; A *sapientia.* [15] Sic A; CF *Attamen.* [16] Sic CF; A *aut — aut.* [17] Sic CF; A *ejus corpus.* [18] Sic CF; A *et.* [19] *non* om. A. [20] Sic CF; A *lignum.*

edentibus praestare? Si enim illius ligni natura omni morbo erat contraria, ut omnibus ea fruentibus praestaret vitam, cur in gustantibus, vel etiam comedentibus non vinceret mortem? Peccatum dices virtutem ipsius vicerat, ne in tantum prodesset? Validius ergo erat [1] peccati malum, quam vitae bonum. Potius itaque videamus, quod Dominus ipse ait verum vitae lignum. *Ille*, inquit, diabolus profecto, *homicida erat ab initio*. Putasne, alterum hominem occidisse praeter illum unum et solum, quem Deus ad imaginem suam creavit? DISC. Nequaquam. MAG. A quo ergo initio homicida erat diabolus, num ab initio conditionis suae, an ab initio conditionis [2] hominis, an certe ab initio conditionis utriusque, si simul conditi sunt, et alter alterum in conditione non praecessit? Sed si conditio diaboli conditionem hominis praeoccupavit, quomodo ab initio suo diabolus homicida erat? Si vero hominis conditio conditionem diaboli antevenit, quomodo diabolus ab initio humanae conditionis homicida dicitur [3]? Si autem relinquitur, ut ab initio utriusque simul facto, et homicida erat diabolus, et homo erat occisus: quale spatium datur homini in paradiso vixisse, priusquam a diabolo occideretur? Hoc etiam ex Evangelica parabola manifeste probatur. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Non enim ait, homo quidam erat in Jerusalem et incidit in latrones. Nam si in Jerusalem, hoc est, in paradiso humana natura permaneret, profecto in latrones, diabolum videlicet satellitesque ejus, non incurreret. Prius ergo descendebat de paradiso, suae voluntatis irrationabili motu impulsus, et in Jericho praecipitabatur, hoc est, in defectum instabilitatemque rerum temporalium; et cadendo vulneratus est, omnibusque [4] naturalibus bonis, in quibus conditus erat [5], spoliatus [6]. Ubi datur intelligi, quod homo prius in se ipso lapsus est, quam diabolo tentaretur; nec hoc solum, verum etiam, quod non in paradiso, sed descendente eo, propriaque voluntate a paradisi felicitate, quae *Jerusalem* vocabulo, hoc est visionis pacis intelligitur, deserente, et in Jericho, hoc est, in hunc mundum labente a diabolo sauciatus sit, et beatitudine [7] spoliatus. Non enim credibile est, eundem hominem et in contemplatione aeternae pacis stetisse, et suadente femina serpentis veneno corrupta corruisse, aut ipsum serpentem, diabolum dico, jam de paradiso, dignitate videlicet angelicae naturae, lapsum, in homine adhuc non peccante, neque celsitudine divinae imaginis corruente praevaluisse. Id ipsum quoque, hoc est hominem, aequalem angelis conditum fuisse, non autem in illa dignitate stetisse, sed mox non recte ad bonum ingredi inchoasse, sanctus Gregorius docere videtur in decimo octavo capitulo sermonis de

A Imagine, quod etiam superius posuimus, et nunc [8], repetere debemus. *Qui omnia*, inquit, *adduxit in esse, totumque in sua voluntate hominem ad divinam imaginem formavit, non paulatim adjectionibus futurorum moras fecit, sciendo in suam plenitudinem animarum numerum perficiendum; sed cumulatim in ipsa plenitudine omnem humanam naturam prognostica operatione [9] intellexit, et in excelsitudine, et in coaequali angelis quiete honorificavit.* Hic intellige, praedictum magistrum praeterita pro futuris posuisse. Quod enim ait, prognostica operatione [10] Deum omnem humanam naturam in excelsitudine et in aequali angelis quiete condidisse, quomodo aliter intelligi potest, nisi quia jam homo in causis conditus erat, nondum vero in effectus suae beatitudinis procedebat? Et cur

B non processerat, reddit causam dicens: *Quoniam vero praevidit contemplatoria virtute non recte euntem ad bonum [11] voluntatem, atque ideo ex angelica vita recedentem, ne animarum humanarum multitudo minueretur, cadens ex illo modo, per quem angeli ad multitudinem aucti sunt, propterea convenientem in peccatum annullatis [12] incrementi excogitationem in natura conformavit, pro angelica magnificentia pecudalem et irrationabilem ex se invicem successionis modum humanitati inserens.* Si itaque haec verba sancti Theologi veracia sunt, quod non temere crediderim: quid aliud datur intelligi, quam, ut humana natura, nullis temporum morulis, nullis rerum sensibilium effectibus, in paradiso, in quo naturaliter conditus est, ste-

C tisse, sed mox de via veritatis deviasse, et divisionem naturae in duplicem sexum, per quem jumentorum similitudine multiplicaretur, perversae voluntatis motu meruisse? Ac per hoc si in ea beatitudine, in qua creata est, permaneret, utriusque sexus copula [13] ad multiplicationem suam non indigeret: eo enim modo, quo angeli multiplicati sunt, sine ullo sexu multiplicaretur. Huic sensui venerabilis magister Maximus, praefati Theologi expositor, sermonem ejus de baptismo exponens, consentit dicens: *Aiunt, qui divina mystice assequuntur eloquia, et altioribus, quantum consequens est, glorificant speculationibus, secundum imaginem Dei per principia factum hominem fuisse, omnino nascendo secundum propositum spiritu [14], et accipiendo secundum similitudinem*

D *per observantiam divini mandati, quod sibi futurum erat, ut esset idem homo figmentum quidem Dei secundum [15] naturam, filius autem Dei, et Deus, per spiritum secundum gratiam. Non enim possibile erat, aliter filium Dei ostendi et Deum secundum deificationem ex gratia factum hominem, nisi prius secundum propositum nascentem spiritum [16] per adunatam sibi naturaliter per seipsam motam et liberam potentiam. Quam deificam divinamque et immaterialem nativitatem [17] intelligibilium et occultorum duntaxat bono-*

VARIAE LECTIONES.

[1] *erat* om. A. [2] *suae an ab initio conditionis* om. A. [3] A *dicetur*. [4] CF *omnibus* (*-que* om.). [5] Sic CF; A *erat conditus*. [6] Sic A; pro *spoliatus* CF *abusus*. [7] *beatitudine* om. A. [8] A *non*. [9] Sic CF; A *per prognosticam operationem*. [10] A *per prognosticam operationem*. [11] Sic CF; A *bonam*. [12] Sic CF; A *lapsis*. [13] CF *copulae*. [14] Sic CF; A *spiritum*. [15] Sic CF; A *Dei secundum quidem* naturam. [16] CF *spiritu*. [17] Sic CF; A *a(ctivitatem)*.

ram deserens primus homo, praehonorificando quod secundum sensum et [1] *delectabile est et manifestum, merito ex corporibus inordinatam* [2] *et materialem et corruptibilem habere damnatus est nativitatem, digne Deo judicante, pejora melioribus voluntarie praeponentem* [3] *in possibilem et servilem et coangustatam secundum similitudinem in terra irrationabilium brutorumque jumentorum generationem libera et impassibili et* [4] *spontanea et casta alienari nativitate, et pro ipso cum Deo divino et ineffabili honore, cum insipientibus jumentis ignobilem recipere copulationem. Qua hominem liberare, et ad divinam beatitudinem reducere volens, naturam hominum creans, Verbum homo ex hominibus vere fit, et nascitur corporaliter sine peccato per hominem.* Ut autem cognoscas, quod non ex nobis ipsis accipientes, verum ex praefati auctoris, Maximi videlicet, discentes, hominem dicimus de ligno vitae non gustasse, sed primum cibum mortiferum de ligno vetito primitus sumpsisse, et ad divinum lumen mentis oculum non sublevasse, audi ipsum in vicesimo octavo capite expositionum verborum Gregorii dicentem : *Huic itaque divino lumini nolens elevare oculum animae primus pater Adam, caeci* [5] *instar merito in tenebris ignorantiae ambabus manibus materiali immunditiae voluntariae adhaerens, soli sensui seipsum totum pronus tradidit, per quem amarissimae bestiae corruptivum virus accepit.* Hoc autem dicit, quoniam corporeum sensum, per quem Adam deceptus est, in figura mulieris vult intelligi. Nam apud Graecos αἴσθησις, id est sensus, feminini generis est. Amarissimam vero bestiam diabolum vocat, qui per [6] sensum corporeum humano animo virus nequitiae suae infudit. Deinde ait paulo post : *Et ex vetito ligno qui etiam mortem inesse prius didicerat, sensu fructum porrigente cibi primitias faciens, convenientem fructui vitam mutavit, mortalem videlicet ac fluxilem per corpus corruptibile.* Deinde subjungit : *Si itaque Deo magis quam conservo, sensui videlicet, credens, ligno vitae vesceretur, non fortassis datam deponeret immortalitatem, semper conservatam participatione vitae, quoniam omnis vita ex propria et consequenti consuerit esca conservari. Esca vero beatae illius vitae est panis, qui de caelo descendit, et vitam dat mundo, sicut ipsum de seipso in Evangeliis non mendax pronuntiavit Verbum.* Quo vesci nolens primus homo, merito divina projectus est vita, aliam vero ex morte genitrice accepit, per quam irrationabilem sibimet [7] formam imponens, divine vero [8] supersplendentem abscondens pulchritudinem, vescendo omnem naturam morti tradidit. Sed quia adversus eos, qui dicunt, hominem feliciter [9] in paradiso ante peccatum temporali spatio vixisse [10], illud autem spatium quantum fuerit, affirmare non audent, non est nostri propositi agere ; ea siquidem solummodo, quae nobis verisimilia videntur, dicere procuravimus, aliorum vero sententiam, qui aliter [11] sapiunt, refellere, seu spernere, seu falsam esse pronuntiare dum [12] ad nos nullo modo pertinet ; ad ipsius paradisi considerationem transeundum esse video. Disc. Transeundum plane. Recte quippe ratiocinandi via tenenda est, ut neque in dexteram, neque in sinistram deviare videamur ; hoc est, neque his, quos summae ac sanctae auctoritatis esse Catholica sanxit Ecclesia, detrahamus, neque eos, quos simpliciter intellexisse cognovimus, quoniam intra Catholicae fidei sinceritatem continentur, spernamus. *Unusquisque enim*, ut ait Apostolus, *suo sensu abundet.* Nostrum quippe sensum approbare, aut eorum, quos ceteros praecellere arbitramur, aliorum vero sensum reprobare, aut periculosissimum est, aut superbissimum, aut certe contentiosum. Ingrediamur itaque caute, humiliter, modeste, sanctorum Patrum in tali negotio vestigia sequentes.

16. Mag. Sanctus Augustinus in octavo Exemeri sui : *Non ignoro*, inquit, *de paradiso multos multa dixisse. Tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiae. Una eorum, qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo paradisum accipiunt, alias corporaliter, alias autem spiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam.* Idem in quarto decimo de Civitate Dei undecimo capitulo : *Vivebat itaque*, inquit, *homo secundum Deum in paradiso, et corporali et spirituali. Neque enim erat paradisus corporalis propter corporis bona, et propter mentis non erat spiritualis. Aut vero erat spiritualis, quo per interiores, et non erat corporalis, quo per exteriores sensus homo frueretur? Erat plane utrumque propter utrumque. Postea vero quam superbus ille angelus ac per hoc invidus, per eandem superbiam a Deo ad semetipsum conversus, de spirituali paradiso cecidit, malesuada versutia in hominis, sensum serpere affectans, cui utique stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, coluber in paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo et femina animalia etiam terrestria cetera subdita et innoxia versabantur, animal scilicet lubricum et* [13] *tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit.* Animadverte, quomodo duos paradisos asserit esse, unum quidem spiritualem, in quo homo [14] secundum animam, alterum vero corporalem, in quo idem homo secundum corpus feliciter vivebat. In libro autem, quem de Vera religione scripsit, unum tantummodo paradisum, eundemque spiritualem videtur asserere : *Est autem*, inquit, *vitium primum animae rationalis, voluntas ea faciendi, quae vetat summa et intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc seculum expulsus est* [15], *id est, ab aeternis ad temporalia, a copiosis ad egena, a firmitate ad*

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. CF. [2] Sic CF ; A *indispositam.* [3] A *proponentem.* [4] *et* om. A. [5] Sic CF ; A *cecidit.* [6] Sic CF ; A *per quem.* [7] Sic CF ; A *sibi.* [8] *vero* om. A. [9] *feliciter* om. A. [10] Sic CF ; A *vixisse temporali spatio.* [11] Sic F ; AC *qualiter.* [12] *dum* om. A. [13] *et* om. CF. [14] *homo* om. A. [15] Sic CF ; *est* om A.

infirma [1] *: non ergo a bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est, sed a bono aeterno ad bonum temporale, a bono spirituali ad bonum carnale, a bono intelligibili ad bonum sensibile, a bono summo ad bonum infimum* [2]. Videsne, quod ait, a bono intelligibili ad bonum sensibile? Nonne aperte dixit intelligibilem paradisum [3] esse, non autem sensibilem? Nam si sensibilem esse vellet, dixisset utique a bono sensibili, hoc est, a paradiso corporali ad inferius bonum sensibile. Nisi forte quis dicat, de solo spirituali paradiso, ex quo anima peccatrix expulsa est, hanc sententiam protulisse, de expulsione vero corporis ejus de [4] corporali paradiso in ipsa sententia siluisse. Non enim ait, primum hominis, sed primum animae rationalis vitium est : totum tamen hominem melioris partis vocabulo significasse crediderim. Non enim credibile est, hominem ex spirituali paradiso, non autem ex corporali, praevaricationis merito expulsum fuisse, si duo paradisi vel fuere vel adhuc sunt. Nisi forte quis dicat, de spirituali paradiso expulsionem hominis solummodo in hoc loco exposuisse, ejusdem vero ex sensibili lapsum siluisse. Sanctus quoque Ambrosius in primordio libri, quem scripsit de paradiso, duos similiter paradisos esse videtur affirmare, eo loci maxime, ubi ait : *In hoc ergo paradiso hominem Deus posuit quem plasmavit* [5]. *Intellige etiam, quia* [6] *non eum hominem, qui secundum imaginem Dei est, posuit in paradiso, sed eum, qui secundum corpus est; incorporalis enim in loco non est.* Sed paulo post ad explanationem paradisi perveniens, non solum paradisum spiritualiter intelligi, verum etiam nihil aliud esse paradisum nisi ipsum hominem, manifestissime astruit, omnino, ut aestimo, Originem sequens, quamvis eum aperte non nominavit. Ait enim : *Ante nos fuit, qui per voluptatem* [7] *et sensum praevaricationem ab homine memoraverit esse commissam, in specie serpentis figuram accipiens delectationis, in figura mulieris sensum, in animi mentisque typo virum constituens; quem, sensum videlicet, αἴσθησιν vocant Graeci; decepto autem sensu praevaricatricem mentem asseruit, quam Graeci νοῦν vocant. Recte igitur in Graeco νοῦς in* [8] *figura viri accipitur, αἴσθησις vero in* [9] *figura mulieris. Unde quidam Adam νοῦν terrenum interpretati sunt.* Et post aliquanta : *Est ergo Paradisus terra quaedam fertilis, hoc est, anima fecunda, in Eden plantata, hoc est, in voluptate quadam, vel exercitata terra, in qua animae fit delectatio. Est etiam νοῦς tanquam Adam, et est αἴσθησις, id est sensus, tanquam Eva. Ac ne haberes, quod ad infirmum retorqueres naturae, vel ad obnoxiam in tolerandis periculis conditionem, considera, quae habet* [10] *anima ista subsidia. Erat fons, qui irrigaret paradisum. Quis fons? Do-*

A *minus Jesus Christus, fons vitae aeternae, sicut et Pater; quia scriptum est, quoniam apud te fons vitae; denique, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Et fons legitur et fluvius legitur, qui irrigat paradisum lignum fructuosum, quod* [11] *ferat fructum in vitam aeternam. Hic ergo fons, sicut legisti, in paradiso est. Fons enim procedit, inquit, ex Eden, id est, in anima tua fons est. Unde et Salomon ait : Bibe aquam de tuis vasis et de* [12] *puteorum tuorum fontibus. Hic est fons* [13], *qui procedit ex illa exercitata et plena voluptatis anima ; hic fons, qui irrigat paradisum, virtus est animae eminentissimo fonte pullulans* [14]. *Et dividitur, inquit, hic fons in quattuor initia. Nomen est uni Phison*, et cetera, quae praefatus sanctus Ambrosius de quattuor paradisi fluminibus luculentissime

B disputat, singula flumina singulis animae virtutibus comparans, Phison quidem, qui secundum Graecos Ganges dicitur, prudentiae, Geon autem, qui est Nilus, temperantiae, Tygrin, qui velocitate sui cursus dicitur, fortitudini, Euphraten vero justitiae. Videsne, quemadmodum spiritualiter intelligit paradisum? Disc. Video. Sed fortassis quis dixerit, magis allegorizare, quam paradisum corporalem negare videtur. Nam si corporalem et localem paradisum non existimaret esse, non fortassis in processu praefati operis post spiritualis paradisi, qui sive ipsa anima est, sive aliquid spirituale, in quo anima [15] constituta est, expositionem adderet, exponens illum locum, in quo scriptum est : *Et apprehendit Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari et custodire.*

C *Vides, inquit, quoniam, qui erat, apprehenditur? Erat autem in terra plasmationis* [16] *suae. Apprehendit ergo eum virtus Dei, spirans* [17] *processus et incrementa virtutis. Denique in paradiso eum collocavit, ut apprehensum quasi afflatu divinae servitutis* [18]. *Quo loci illud adverte, quia extra paradisum vir factus est, et* [19] *mulier intra paradisum, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradisum factus, hoc est, in inferiore loco vir melior invenitur, et illa, quae in meliore loco, hoc est, in paradiso facta est* [20], *inferior reperitur* [21]. *Mulier enim prior decepta est* [22], *et virum ipsa decepit.* Nunquid his verbis manifeste datur intelligi, localem paradisum, ac per hoc corpo-

D ralem atque sensibilem voluisse astruere? Mag. Cum his, qui [23] talia volunt, non est nostrum colluctari. Neque enim duos paradisos esse, unum quidem corporalem, alterum vero spiritualem negamus, nec affirmamus. Sanctorum autem Patrum solummodo sententias interim inter nos conferimus : qui autem magis sequendi sunt, non est nostrum judicare; unusquisque suo sensu abundet, et quos sequatur, eligat, litigationibus relictis. Sed tuo sensu summae

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *infirmum.* [2] CF; *infirmum.* [3] Sic CF; A *paradisum intelligibilem* esse. [4] Sic CF; A *e.* [5] Sic CF; A *formavit.* [6] Sic CF; A *quod.* [7] CF; *voluntatem.* [8] *in* om. A. [9] *in* om. A. [10] Sic CF; A *habeat.* [11] CF *quo.* [12] *de* om. CF. [13] *Hic est fons* om. CF. [14] Sic CF; A qui irrigat paradisum, *hoc est virtutes* animae e. f. *pullulantes.* [15] Sic CF; A *in qua* constituta est. [16] Sic CF; A *formationis.* [17] Sic CF; A *inspirans.* [18] Sic CF; A ut *scias* apprehensum quasi *afflatum divina esse virtute.* [19] *et* om. CF. [20] *facta est* om. CF. [21] Sic CF; A *reperitur inferior.* [22] *est* om. CF. [23] A *quia.*

auctoritatis magister, atque acutissimi subtilissimique [1] ingenii, in expositionibus divinae Scripturae talia protulerit, non facile nobis elucet, nisi forte, ut saepissime in ipsius expositionibus invenimus, summos Graecorum Theologos secutus sit, et maxime Gregorium. Qui duas hominis conditiones esse asserunt, unam quidem ad imaginem Dei, in qua nec masculus nec femina intelligitur, sed sola universalis et simplex humanitas, simillimaque angelicae naturae, quam omni sexu omnino carere et auctoritas incunctanter et vera docet ratio: alteram vero atque secundam propter [2] praescitum rationabilis naturae delictum superadditam, in qua sexus constituitur. Merito ergo, quod propter peccatum adjectum est, extra paradisum ac veluti in inferiori loco factum fuisse de terra plasmationis [3] narratur. Virilis itaque sexus naturae ad imaginem Dei factae superadditus extra [4] paradisum factus est. Sed quia et ipse sexus priori naturae, divinae videlicet imagini, adjungitur, veluti aliunde apprehensus, in paradiso cum prima scilicet conditione constituitur, in quo iterum veluti in superiori loco secundus sexus, vocabulo mulieris appellatus, et ex latere ejus attractus, in adjutorium procreandae prolis in contumelia similitudinis insipientium animalium ei adjungitur. Et quia conditio virilis sexus, quamvis non tempore, sed sola dignitate, praecedit conditionem feminei; mulier enim ex viro in prima conditione, in secunda autem [5] vir ex muliere factus est: propterea conditionem viri dicit [6] extra paradisum, mulieris vero intra, ut per hoc intelligas, virum etiam extra paradisum, hoc est, extra primordialis conditionis dignitatem conditum meliorem esse muliere, quae veluti intra [7] paradisum, hoc est superadditi sexus simplicitati divinae imaginis adunationem condita est. Potest et sic dici. Quoniam in unoquoque homine duo quidam homines intelliguntur, dicente Apostolo: *Exteriorem hominem corrumpi, interiorem vero renovari*, merito interior, qui ad imaginem Dei factus est, in paradiso formatur, exterior vero et corruptibilis extra [8] et infra paradisum de limo terrae fingitur; qui etiam apprehensus in paradiso ponitur, quoniam, si in ipso salutem suam [9] operaretur, divinumque custodiret praeceptum, poterat etiam ad dignitatem superioris conditionis ad imaginem Dei pervenire. Quoniam vero noluit divino obedire [10] praecepto, non solum Creatorem suum, verum etiam dignitatem imaginis ejus [11] deseruit. Ac per hoc in geminum sexum scissus est, in masculum videlicet et feminam: quae discissio non ex natura, sed ex vitio causam accepit. Ideoque quamvis in paradiso femina de viro facta est, non erat inde viro melior, quoniam [12] non ex divina

A imagine, quae intra paradisum condita est, sed ex merito futurae suae praevaricationis [13] facturae suae [14] sumpsit occasionem. Nam et illa in exteriore homine, qui extra paradisum merito peccati de limo terrae conditus est [15], causaliter creata est, quae postmodum ordine, non tempore, in paradiso de latere viri assumpta est. Sed sive hoc, sive aliquid aliud praedictus voluit magister, non est nobis colluctandum adversus eos, qui duos, ut praediximus, esse credunt paradisos [16], unum quidem spiritualem, alterum vero corporalem, propter duplicem hominis naturam, praesertim cum videamus saepissime in divinae Scripturae narrationibus multa juxta rerum factarum veritatem et historialiter facta et spiritualiter intellecta. Abrahám enim duos filios B habuit, unum quidem ex ancilla, unum de libera. Et haec quidem secundum historiam facta sunt. Juxta tamen allegoriam duas leges significant, unam quidem Veteris Testamenti, Novi vero alteram. Petra, de qua aquae fluxerunt, in eremo populum sequebatur, cum dicat Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Et quid dicam de ipsis primis duobus hominibus, masculo videlicet et femina, in paradiso, de quo sermo est, constitutis [17]? Nonne, ut idem testatur Apostolus, figuram Christi et Ecclesiae gestabant? Quid ergo mirum, si corporalis paradisus crearetur, per quem spiritualis paradisus significaretur? Novimus autem, summum sanctae Scripturae expositorem, Originem dico, edisserere, non alibi, neque alterum paradisum esse, praeter ipsum, qui C in tertio caelo, ut ipse vult, constitutus est, et [18] in quem apostolus Paulus raptus est. Et si in tertio caelo est, profecto spiritualis est. Tertium siquidem caelum, in quod raptus est Paulus, spirituale esse summi utriusque linguae auctores non dubitant, sed unanimiter affirmant, illud intellectuale vocantes. Quanquam Epiphanius Constantiae Cypri episcopus in hoc Origenem reprehendat, et omnino paradisum in terra esse [19] astruat: *quendam quidem sensibilem locum in orientalibus mundi partibus cum sensibilibus lignis fluminibusque, ceterisque, quae corporaliter ab his, qui corporeis sensibus adhaerent, simpliciter de paradiso creduntur.* Idem namque Epiphanius tunicas pellicias, quas Deus primis hominibus post prae-D varicationem consuerat, historialiter de pellibus ovium [20], *quae*, ut ait ille, *in paradiso fuerant, factas esse non dubitat*, et Origenem reprehendit, qui sub illarum pellium figura mortalia corpora, quae primis hominibus merito peccati superaddita sunt, pulcherrime atque verissime significata fuisse exponit. Quem, Origenem dico, in theoria tunicarum pelliciarum omnes fere auctores Graecorum Latinorumque

VARIAE LECTIONES

[1] Sic CF; A *et subtilissimi.* [2] *propter* om. A. [3] Sic CF; A *formationis.* [4] Sic A; CF *infra.* [5] Pro *in secunda autem* CF *non* autem. [6] Sic CF; A *dicunt.* [7] A *inter.* [8] Sic CF; pro *extra* A *extitit.* [9] A *suo.* [10] Sic CF; A *obedire divino.* [11] *ejus* om. A. [12] A *quia.* [13] Sic CF; A *praevaricationis suae futurae.* [14] *suae* om. A. [15] *est* om. A. [16] Sic CF; A *duos paradisos, ut praediximus.* [17] Sic CF; A *constitutus.* [18] *et* om. A. [19] Sic CF; A *esse in terra.* [20] Sic CF; A *omnium.*

sequuntur. Non ab re etiam [1], ut opinor, sententiam magni Gregorii Nyssaei de esca paradisi, et de ligno vitae, deque scientiae boni et mali ligno inserere. In vicesimo capitulo sermonis de Imagine : *Recte*, inquit, *quisque* [2] *non in eandem iterum vitae speciem reversurum esse hominem dicit, et* [3], *si prius in comedendo nobis species vitae erat, posthac* [4] *autem tali administratione liberabimur. Sed ego sanctae auscultans Scripturae, non solum corporalem cognosco cibum, neque solam carnis laetitiam, sed etiam alteram quandam escam, analogiam quandam ad corporis alimenta habentem, cujus fruitio* [5] *in animam solam pertransit. Comedite ex meis panibus, sapientia esurientibus jubet, et eos, qui talem cibum esuriunt, Dominus beatificat : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, et : Si quis sitit, inquit* [6], *veniat ad me et bibat. Magnus item Isaias : bibite* [7] *laetitiam, valentibus magnificentiam ejus laudare praecepit. Est autem quaedam comminatio prophetica adversus eos, qui ultione digni sunt, veluti fame torquendos. Fames vero non panis est quaedam egestas et aquae, sed verbi defectus. Non enim famem panis, inquit, vel* [8] *sitim aquae, sed famem audiendi verbum Domini. Numquid ergo plantationis Dei in Eden deliciae sunt; nam* [9] *deliciae Eden interpretatur. Lignorum* [10] *quendam convenit fructum* [11] *intelligere, ac per hoc comedisse hominem non dubitare, et* [12] *non omnino transitoriam fluxilemque hanc escam in paradisi conversatione recipere in hoc : Ab omni* [13] *ligno, quod est in paradiso, cibum comedite. Quis dabit sanando sic* [14] *esurienti lignum illud, quod est in paradiso, quod omne bonum comprehendit, cui nomen est* πᾶν, *id est omne, cujus participationem homini lex naturae* [15] *donat? Generali enim et supereminenti ratione* [16] *omnis bonorum forma apud seipsum connaturaliter habet totum, et unum est. Quis me commixto ex utroque ligni gustu segregabit? Omnino enim non est perspicacioribus obscurum, quid omne illud, cujus fructus vita : et iterum, quid hoc mixtum, cujus finis est mors* [17]. *Nam qui ab omni usum* [18] *copiose proponit, ratione quadam omnino et providentia promiscuorum participatione hominem prohibet. Et mihi videtur magnus David et sapiens Salomon magister hujus legis expositionem suscepisse* [19]; *uterque enim concessae escae unam intelligat* [20] *gratiam, ipsum bonum, quod vere est, quod etiam omne est bonum : David quidem dicens, delectare* [21] *in Domino, Salomon autem ipsam escam* [22], *quae est Dominus, lignum vitae nominans. Non ergo* [23] *id ipsum est li-*

A *gnum vitae, et omne lignum, cujus cibum secundum Deum formato lex dat. E contrario autem separatur ab hoc ligno alterum lignum, cujus cibus boni et mali scientia est, dum non specialiter alterutrum e contrario significatorum in parte fructificet : sed quendam confusum mixtumque fructum pullulat, contrariis qualitatibus concretum. Cujus escam prohibet dux vitae, consilium vero dat* [24] *serpens, ut morti praepararet introitum. Et suasor factus est consilium dans, boni* [25] *quadam pulchritudine ac delectatione mali* [26] *fructum circumcolorans, ut delectabiliter videretur, ac desiderium ad gustum superponeretur* [27]. Idem in vicesimo ejusdem sermonis capitulo : *Quid ergo est*, inquit, *illud lignum videlicet* [28], *quod bono et malo* [29] *commixtam habet scientiam, delectationibus, quae secun-* B *dum sensum sunt, insitam* [30]*? Non longe itaque a veritate intueor : lignum scientiae boni et mali* γνωστὸν *Graeci vocant, lignum vero vitae* πᾶν γνῶθι. *Ligni intellectu in occasionem theoriae utor* [31]. *Arbitror enim, non disciplinam hic a Scriptura intelligi per scientiam, et* [32] *quandam differentiam ex Scripturae consuetudine invenio scientiae et dijudicationis, hoc est discretionis. Nam discernere disciplinabiliter bonum ex malo perfectae habitudinis esse Apostolus dicit, et exercitatorum officii* [33] *sensuum. Propter etiam praeceptum facit omnia probandi, et spiritualis hominis dijudicare proprium esse dicit. Scientia vero non ubique disciplinam et peritiam illius, quod significatur, indicat, sed ad id, cui gratia donata est, affectum. Ut cum scriptum est* [34] *: Cognovit Dominus qui sint ejus, hoc est suam* C *gratiam eis donavit. Et ad Mosen ait : Quia cognoscebam te super omnes. Ilis autem, qui in malitia redarguuntur, dicit qui omnia novit, quia nunquam cognoscebam vos, hoc est, meam gratiam nunquam vobis largiebar. Non ergo* [35] *lignum, ex quo mixta scientia fructificatur, prohibitum est. Miscetur autem ex contrariis, bono videlicet et malo, fructus ille, qui censi dicum, hoc est, advocatum suum habet serpentem : juxta hanc forsitan rationem, quia* [36] *non nudum proponitur, id est, ostenditur malum ipsum in seipso secundum propriam naturam manifestum. Ipsa enim malitia otiosa esset nullo colorata* [37] *bono, quo ad concupiscentiam suam seductum, hominem scilicet* [38], *attraheret : nunc autem commixta quodammodo malitia est; in profundo siquidem perniciem, veluti quasdam* [39] D *insidias occultas habens, aperte vero in seductionem quandam boni phantasiam ostendens. Bonum videtur avaris materiae pulchritudo : sed radix omnium malo-*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A Non ab re *placet*, ut opinor. [2] A *Fortasse*, inquit, *aliquis*. [3] *et* om. A. [4] Sic CF; A *posthaec*. [5] CF cujus *perfruitio*. [6] *inquit* om. CF. [7] A *bibere*. [8] A *aut*. [9] Sic CF; pro *sunt, nam deliciae* A *autem ipsa*. [10] Sic CF; A *dignum*. [11] Sic CF; A *fructum convenit*. [12] Sic A; CF *an non*. [13] Sic CF; pro *recipere in hoc ab omni* A *intelligere. Ab omni, inquit Deus*. [14] A quis dabit *sane* esurienti. [15] A homini *vox* donat. [16] Sic CF; A *Hac enim generali et supereminenti voce*. [17] *cujus finis est mors* om. CF. [18] A Nam qui *illius omnis fruitionem*. [19] A *Et mihi libet magno Davide et sapienti Salomone magistris in harum rerum expositione uti*. [20] Sic CF; A *intelligit*. [21] A *delecta*. [22] Pro *ipsam escam* A *sapientiam*. [23] A *Igitur* idipsum. [24] A *suadet autem*. [25] A *bona*. [26] *mali* om. A. [27] A *proritaret*. [28] *videlicet* om. A. [29] A *boni* et *mali*. [30] A *insitum*. [31] A *Non longe itaque a veritate aberravero, si mentis intelligentia, quatenus intelligi haec possunt, hac ipsa consideratione utar*. [32] A *sed*. [33] *officii* om. A. [34] *Ut cum scriptum est* om. CF. [35] A *Igitur*. [36] A *quod*. [37] CF *colorato*. [38] *scilicet* om. A. [39] A *quendam dolum* insidias.

rum philargyria [1]. *Quis forsitan in foetidam* [2] *paludem intemperantiae perderetur, nisi delectationem bonum atque* [3] *eximium quoddam aestimaret eam* [4], *qui tali illecebra ad passionem attrahitur* [5]? *Similiter habent* [6] *et cetera peccata occulta, differentiam habentia propriam delectationem : ex quadam seductione eximia 'videntur minus considerantibus* [7] *pro bono' sollicitanda. Quoniam igitur multi illud, in quo sensus delectantur, bonum judicant, et quia* [8] *est cognominatio existentis, hoc est, veri boni et ipsius boni* [9], *quod videtur esse, dum non sit bonum : hujus rei gratia ipsa ad malum veluti ad bonum facta concupiscentia, boni et mali scientia a Scriptura nominata est, dum affectionem quandam et concretionem boni et mali* [10] *interpretatur, hoc est, significat scientia. Neque absolute malum, eo quod ambitur bono, neque pure bonum, eo quod suboccultatur malum : sed commixtum ex utrisque interdicti ligni fructum esse Scriptura inquit, cujus gustum dixit in mortem tangentes ducere, solummodo non aperte doctrinam clamans, quia bonum, quod vere et simplum et uniforme natura est* [11], *omnique duplicitate et ad contrarium copulatione alienum. Malum vero varium et configuratum est, alicui bono commixtum, et alterum, per experimentum.* [12] *Non enim ita invenitur, sicut aestimatur; esse assumptio mortis et corruptionis principium causaque efficitur. Propterea serpens praemonstrat malignum peccanti fructum, sic ex propatulo malum non habere ostendens* [13]. *Non enim forsitan seduceretur homo aperto malo, sed per quandam speciositatem apertum declaravit* [14] *malum, quandamque delectationem secundum sensum seducens, gustui suadens mulieri manifestavit* [15]. *Sicut ait Scriptura : Et vidit femina, quia* [16] *bonum lignum in escam, et quia placabile* [17] *videre, et speciosum cognoscere, et accipiens fructum ejus comedit. Esca illa* [18] *mater mortis hominibus facta est. Ipsa igitur mixturae est fructifera* [19], *aperte intellectum ratione interpretante, per quem boni et mali cognitio lignum illud nominatum est, quia juxta mortiferorum malitiam, quae in melle fiunt, in quantum quidem dulcorat in sensum* [20], *bonum esse videtur, in quantum vero tangentem corrumpit, omnis mali pessimum efficitur. Cum itaque operatum est in* [21] *hominis vita malum mortiferum, tunc homo, magna res et nomen, divinae naturae imago, vanitati, sicut ait Propheta, assimilatus est. Ergo siquidem imago ad id, quod melius in nobis intelligitur, sociatur : quaecunque circa* [22] *hanc vitam tristia miseraque sunt, similitudinis* [23], *quae ad Deum est, non* [24] *sunt.* Animadverte, qualem para-
A disum, et qualia ligna, et quales fructus praefatus astruit Theologus. DISC. Animadverto, clareque perspicio : spiritualem profecto et illocalem. Velim tamen aperte ac breviter ea, quae ab ipso obscurius explicata sunt, a te aperiri. MAG. Quisquis diligenter praefati Theologi verba perspexerit, nil aliud, ut opinor, in eis reperiet suaderi, quam humanam naturam ad imaginem Dei factam paradisi vocabulo, figuratae locutionis modo, a divina Scriptura significari. Vera enim plantatio Dei est [25] natura ipsa, quam ad imaginem et similitudinem suam, hoc est, ad imaginem omnino sibi similem, praeter rationem subjecti, ut praedictum est, creavit in Eden, hoc est, in deliciis aeternae felicitatis, et beatitudine divinae similitudinis, major et melior omni sensibili mundo
B non mole, sed dignitate naturae. Cujus terra fertilis erat corpus essentiale [26], immortale per possibilitatem. Naturale quippe corpus mori dicitur, quia superaddito commori videtur, dum sit semper immortale in se; quippe refertur, quod sibi superadjectum patitur, hoc est, posse mori, posse non mori [27]. Corpus namque primi hominis, ut ait Augustinus [28], potuit non mori, nec moreretur, si veneno praevaricationis non corrumperetur, sed floribus spiritualis pulchritudinis viresceret, neque unquam temporalibus incrementis senesceret. Cujus aqua formarum capax sensus incorruptibilis corporis, sensibilium rerum sine ulla falsitatis deceptione phantasiis formatus : cujus aër divinae sapientiae radiis illuminatus ratio erat, qua rerum omnium naturas cognosceret : cujus
C aether, animus, circa divinam naturam aeterno et inerrabili motu immutabili et mutabili statu circumvolveretur, et cetera, quae de divina imagine sunt praedicanda, imo etiam, quoniam intelligi non possunt, silentio sunt honorificanda. In hoc itaque paradiso fontem vitae manare Scriptura testatur, ex quo quattuor virtutum flumina in figura quattuor principalium mundi sensibilis [29] fluviorum dividi narrantur : prudentiam dico, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Quae spiritualia fluenta ex divina sapientia, quae est totius vitae fons atque virtutis, erumpentia, irrigant superficiem humanae naturae : prius quidem in secretis humanitatis sinibus, veluti in occultissimis intelligibilis terrae poris, in invisibiles virtutes surgentia, deinde in apertos bonarum
D actionum effectus scatentia, innumerabiles species virtutum et actionum produnt. Ex ipsis enim omnis virtus et actio progreditur, et in ipsas revertitur : ipsae vero ex divina sapientia egrediuntur, et in

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *phylargia*; A philargyria *existit*. [2] A *foedam*. [3] A *itaque*. [4] *eam* om. A. [5] A *attractus*. [6] Sic A CF. [7] A *Similiter habent et cetera peccata, quum occultam perniciem habent, prima tamen vice videntur expetenda, et per seductionem quandam inconsiderantibus*. [8] *quia* om. A. [9] A *et apparentis* boni. [10] *boni et mali* om. A. [11] A clamans, *quod verum*, quod *simplex* et uniforme *est natura*. [12] A et configuratum est, *aliud judicatum, et aliud per experimentum, cognitum*. [13] A praemonstrat malignum *peccati* fructum *non illum quidem aperte, qualis a natura erat*, non enim cet. [14] A *exornavit*. [15] A gustui *ut ita mulieri quod vellet persuaderet*. [16] A *quod*. [17] A *et quod oculis gratum*. [18] A Esca *autem* illa. [19] A *mixta est fructiferatio*. [20] A in *sensu*. [21] *in* om. A. [22] A quaecunque *vero* circa. [23] A *a similitudine*. [24] Pro *non* A *longe*. [25] *est* om. A. [26] *essentiale* om. A. [27] *Naturale quippe corpus — posse non mori* om. A. [28] *ut ait Augustinus* om. A. [29] *sensibilis* om. A.

eam revolvuntur. In eodem paradiso duo ligna esse praefatus Theologus, magnus videlicet Gregorius, exponit: *quorum uni*, ut ait ipse, *nomen est* πᾶν, hoc est, omne, *alteri vero* γνωστόν, quod est scibile [1]. Cujus nominis interpretatio si ad liquidum proferatur, non satis intellectum ligni exprimit. Propterea, ut facilius intelligatur, quid eo ligno significatur, placuit nobis γνωστὸν vertere in *mixtum*. Quid est ergo πᾶν, de cujus fructu jussus est homo cibum sumere? Πᾶν profecto est illud lignum, de quo Scriptura dicit: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio paradisi.* Animadverte, quomodo unum idipsumque lignum duobus modis prophetica theoria et narrat et nominat. Primum quidem omne lignum dixit pulchrum visu et ad vescendum suave, et iterum lignum etiam vitae in medio paradisi. [2] Et paulo post: *Ex omni ligno paradisi comede*, unum lignum omne lignum vocitans. Nemo ergo sequentium praedicti Theologi doctrinam existimet, in paradiso esse plurima ligna diversarum formarum diversorumque fructuum, veluti quandam sylvam multis arboribus copiosam, sed duo solummodo, unum quidem πᾶν, alterum vero γνωστόν. Et est πᾶν ξύλον, hoc est, *omne lignum* paradisi [3] Verbum et Sapientia Patris, Dominus noster Jesus Christus, qui est omne lignum fructiferum, in medio humanae naturae paradisi plantatum, duplici videlicet modo: primo quidem secundum suam divinitatem, qua nostram naturam et creat, et continet, et nutrit, et vivificat, et illuminat, et deificat, et movet, et esse facit; *in ipso enim vivimus et movemur et sumus:* secundo vero, quo nostram naturam, ut salvaret eam, et in statum pristinum revocaret, in unitatem [4] substantiae sibi [5] adjunxit, ut in duabus naturis subsisteret, divina videlicet atque humana. Et hoc est quod Scriptura ait: *Produxitque Dominus* [6] *Deus de humo*, hoc est, ex materiali nostra natura, *omne lignum*, hoc est, Verbum incarnatum, in quo et per quod facta sunt omnia, et quod est omnia. Ipsum enim solummodo est substantiale bonum. Cetera enim, quae dicuntur esse bona, non per se, sed participatione ipsius bona sunt, qui per se vere existens bonum est, et omne bonum, et bonitas, et totius boni et bonitatis fons et origo, causa et principium, finis et perfectio, motus atque quies, medium et extremitas, ambitus et locus, cujus fructus vita aeterna est, cujus esus gaudium et laetitia et ineffabiles deliciae, cujus aspectus pulcher est. Ipse siquidem pulchrum et pulchritudo totius pulchri, et pulchritudinis causa et plenitudo, cujus gustus et comestio nescit saturitatem; eo siquidem, in quantum, quis vescitur, in tantum in desiderium vescendi suscitatur. De hoc itaque omni ligno, id est omnium bonorum plenitudine, primi homines jussi sunt cibum sumere; et adhuc omni generi humano inde vivere praecipitur. Quoniam vero primi parentes cibum inde [7] sumere noluerunt, praeponentes ei prohibiti ligni mortiferum fructum, non solum illi, verum etiam totum genus ab eis propagatum, justissimo divino judicio et ex dignitate naturae expulsi sunt ac morte damnati. Videsne igitur, quid omnis ligni vocabulo figurate divinus Propheta, imo Spiritus sanctus per Prophetam significare voluit? DISC. Plane video, et nil aliud, ut arbitror, praeter Deum Verbum hominem factum omne bonum totius paradisi, hoc est totius nostrae naturae, et non aliud praeter ipsum subsistere, de quo comedere, hoc est, pio intellectu eum [8] percipere seu fide credere vita aeterna est et incorruptibilis sanitas, ignorare vero vel negare mors aeterna est et infinita corruptio. MAG. Clare perspicis. Restat itaque de γνωστῷ dicere, hoc est, de ligno scientiae boni et mali. Jam diximus, γνωστὸν non de verbo ad verbum, se.l de sensu ad sensum faciliori intellectu *mixtum* interpretari posse. Et est quidem γνωστὸν juxta praefatum magistrum, cujus sententiam de paradiso et sequimur, et aperiendae obscuritatis gratia recapitulamus, malitia in phantasia boni colorata, corporis [9] sensibus insita, ligno priori, quod est πᾶν, omnino contrarium. Ut enim in illo omne bonum imaginatur et omne bonum est, ita in isto universitas totius mali. Illud igitur est omne bonum vere sfubsistens, hoc autem omne malum, per phantasiam boni omnes malos seducens. Cur autem utrumque lignum, hoc est omne lignum, quod etiam lignum vitae vocatur, et alterum lignum scientiae boni et mali in medio paradisi esse narrantur, non otiosa est quaestio: quae tamen, ut opinor, tali modo solvi potest. Si [10] primum quidem tota humana natura, visibilis videlicet et invisibilis, exterior et interior, ad imaginem Dei facta, et propter peccatum superaddita intimanda fuerit [11], quisquis itaque textum sermonis beati Gregorii de lmagine intentus inspexerit [12], senariam totius humanae naturae et generaliter in omnibus et specialiter in singulis paltitionem [13] reperiet. Ac primum in duas veluti principales partes segregatur: et una quidem corpori attribuitur, altera vero animae. Et ea quidem, quae corpori, exteriori videlicet homini datur, in tres partes rationabili contuitu separatur. Quarum prima corpus ipsum est formata materia constitutum, de quo solummodo praedicatur esse, quo in humana natura nil inferius intelligitur. Secunda pars est sursum versus, quae multis nominibus appellari et solet et potest. Dicitur enim nutritiva et auctiva, quia nutrit corpus et auget et continet in uno, ne [14] defluat et solvatur. Vocatur

VARIAE LECTIONES.

[1] *quod est scibile* om. A. [2] *Animadverte— paradisi* om A. [3] *paradisi* om. A. [4] A *universitatem.* [5] A *suae.* [6] *Dominus* om. A. [7] Sic CF; A *inde cibum.* [8] *eum* om. A. [9] Sic CF; A *corporeis.* [10] Sic CF; A *Sic.* [11] Sic CF; A *fuerat.* [12] Sic CF; A *perspexerit.* [13] Sic CF; A *participationem.* [14] Sic CF; A *continet ut non.*

etiam vitalis motus; nec immerito, quod non solum vitam corpori praestat, verum etiam movet illud sive localiter per spatia locorum, sive per numeros locorum et temporum : locorum nunc dico, quibus plenitudo membrorum impletur, temporum vero, quibus incrementa aetatum ad perfectionem ducuntur. Tertia pars est, quae in quinquepertito corporeo sensu dignoscitur, quae videlicet pars phantasias omnium rerum [1] sensibilium, quae circa hominem exteriorem intelliguntur, recipit, memoriaeque tradit. In his tribus partibus totus exterior homo constituitur. Interior vero homo, qui in anima sola subsistit, et ad imaginem Dei factus est, alteram tripertitam recipit discretionem. Habet enim sensum interiorem, per quem anima phantasias sensibilium rerum, quas per corporeum sensum excipit, discernit atque dijudicat. Deinde rationem possidet, per quam omnium rerum, quas vel intelligere vel sentire potest, rationes investigat. Summum hominis est animus, ultra quem in humana natura nil superius invenitur, cujus proprium officium est, et praedictas partes inferiores se regere, et ea, quae supra se sunt, Deum suum videlicet, et ea, quae in ipso et proxime circa ipsum subsistunt, quantum sinitur ascendere, contemplari. Videsne igitur senariam humanae naturae discretionem? Est enim, et vivit, et sentit per corpus, sentit extra corpus, ratiocinatur, intelligit. Sed illa tria, quae in inferiori parte hominis [2] cognoscuntur, corruptibilia sunt solutionique obnoxia; ternarius vero superioris partis, qui in [3] sola anima omnino absolute constitutus est, incorruptibilis et insolubilis et aeternus merito, dum in eo imago divinae naturae expressa est. Ideoque a Graecis, ut in prioribus libris docuimus, οὐσία, δύναμις, et ἐνέργεια praefatus ternarius humanae animae vocitatur, qui teste sancto Dionysio nec solvi, nec corrumpi, nec ullo modo perire potest. Considera ergo extremitates humanae naturae veluti cujuspiam paradisi terminos sursum versus atque deorsum, extra quos nulla creata intelligitur natura. Siquidem ultra animum solus Deus est, infra materiam, corpus dico solum, nihil est; non illud nihil, quod per excellentiam naturae, sed illud, quod per privationem totius naturae et dicitur et cogitatur. Invenies itaque, ni fallor, animum summum naturae humanae locum obtinere, corpus vero materiale infimum. Intuere etiam media ejusdem naturae, et invenies infra animum superius rationem, supra corpus inferius vitalem motum, nutritivam dico vitam; et iterum in ipsa medietate naturae, veluti in medio paradisi, duos sensus, exteriorem videlicet, vitali motui corporique adhaerentem, et interiorem, rationi animoque inseparabiliter et consubstantialiter [4] conjunctum. In his igitur duobus sensibus, veluti in quibusdam duobus locis medii [5] humanae naturae paradisi, duo illa intelligibilia

A ligna, πᾶν videlicet et γνωστόν, intelliguntur : πᾶν quidem in interiori sensu, γνωστὸν vero in exteriori. In interiori enim homine habitat veritas et omne bonum, quod est Verbum Dei, Filius Dei unigenitus, Dominus noster Jesus Christus, extra quem nullum bonum est, quoniam ipse est omne verum et substantiale bonum et bonitas. Cui e contrario ex diversa parte malum et malitia opponitur. Et quia omne malum nec in natura rerum substantialiter invenitur, neque ex certa causa et naturali procedit; per se enim consideratum omnino nihil est praeter irrationabilem et perversum imperfectumque rationabilis naturae motum : nullam aliam in universa creatura sedem reperit, nisi ubi falsitas possidet. Propria autem falsitatis possessio est sensus corpo-B reus. Nulla enim alia pars humanae naturae falsitatis errorem recipit praeter sensum exteriorem, siquidem per ipsum et interior sensus, et ratio, ipse etiam intellectus saepissime fallitur. In loco itaque falsitatis et vanarum phantasiarum, hoc est, in sensu corporeo, qui a Graecis αἴσθησις vocatur, et sub figura mulieris insinuatur, γνωστόν, hoc est, lignum scientiae boni et mali constituitur, malitia videlicet in phantasia boni colorata, vel malum configuratum [6] bono, vel, ut simpliciter dicam, falsum bonum, vel malum sub figura boni latens, cujus fructus mixta scientia est, hoc est, confusa. Confunditur enim ex malo latente, et ex forma boni patefacta, ac per hoc seducit primo sensum, in quo est, veluti quandam mulierem discernere non valentem inter malitiam, C quae latet, et formam boni, qua ipsa malitia ambitur. Malitia siquidem per se deformitas quaedam est et abominabilis turpitudo, quam si per seipsam errans sensus cognosceret, non solum non sequeretur, neque ea delectaretur, verum etiam fugeret et abhorreret. Errat autem insipiens sensus, ac per hoc decipitur, credens malum bonum et pulchrum esse, et ad usum suave. Verbi gratia, ut aliquo utamur exemplo, dum phantasia auri, vel cujuspiam sensibilis materiae corporeo sensui imprimitur, ipsa phantasia pulchra atque formosa videtur, quia de creatura bona extrinsecus assumpta est; sed mulier, hoc est, carnalis sensus decipitur et delectatur, non sentiens latentem sub ipsa falsa et phantastica pul-D chritudine malitiam, hoc est, philargyriam [7], quae *est radix omnium malorum. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,* Dominus inquit, *jam moechatus est in corde suo.* Ac si aperte diceret : Qui phantasiam de forma feminea suo carnali infigit sensui, jam moechatus est in cogitatione sua, appetens turpitudinem libidinis, quae se latenter attrahit sub falsa illa muliebris formae imaginatione. Est igitur, ut praediximus, lignum scientiae boni et mali malitia perniciosa mortiferaque, in figura boni imaginata, et hoc lignum [8] veluti intra quandam feminam, in carnali scilicet [9] sensu, quem decipit, constitutum;

VARIAE LECTIONES.

[1] A *rerum omnium.* [2] Sic CF; A *nominis parte.* [3] *in* om. A. [4] Sic A; CF *constantialiter.* [5] Sic CF; A *mediis.* [6] Sic CF; A *est figuratum.* [7] CF *philargiam.* [8] Sic CF; A *est* lignum. [9] Sic CF; A *scilicet in carnali.*

qui sensui si animus consenserit, totius humanae naturae [1] integritas corrumpitur. Excelsissima namque naturae parte praevaricante, qualis inferior salva remanebit? Cujus ligni fructus mixta [2] scientia est ex bono et malo, hoc est, indiscretus mali bono imaginati appetitus, et amor, et concupiscentia, et delectatio, per quam [3] veluti per quendam colubrum antiquus hostis humani generis primo praevaricationem suasit, deinde mortem totius naturae adjecit: animae quidem deserentis Deum, corporis vero ab anima deserti. Scientia itaque in hoc loco non doctrinam quandam cognitionis et dijudicationis naturarum, sed illicitum motum atque confusum appetitum ad concupiscendum malum, hoc est, peccatum similitudinis boni falsa specie seducendi gratia coloratum significat. Sed fortassis quaerere vis, utrum Deus tale lignum, cujus fructus mixtus atque confusus appetitus est boni et mali, cujus natura est malum phantasia boni coloratum, cujus esca causa mortis extitit, in paradiso humanae naturae plantavit? Disc. Profecto quaero, et nec otiose quaerendum video. Si enim Deus creavit illud, fortassis aestimabitur conditor mali, et causa mortis esse, quod impiissimum est de auctore omnium bonorum dicere, quanto magis credere vel existimare. Si autem a Deo non est plantatum, unde illud naturae humanae est insitum? Mag. Primo itaque consulenda est sacra Scriptura, quae incunctanter illud lignum, quod est πᾶν, ad divinam plantationem pertinere testatur, dicens: *Produxitque Dominus Deus de humo* [4] *omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave;* ac veluti ipsius ligni, quod est *omne*, qualitatem explanans: *lignum etiam vitae in medio paradisi*. Ac si aperte diceret, illud lignum non solum omne bonum est [5] et omne pulchrum, et omnis esca suavis ac spiritualis, verum etiam lignum vitae [6], quo vivit paradisus ille, humana videlicet natura, in cujus medio constitutum est. Quod autem sequitur: *lignumque scientiae boni et mali*, non satis elucet, utrum a superioribus suppletur, ut ita legatur, produxitque lignum scientiae boni et mali in medio paradisi, quemadmodum lignum vitae, an etiam ita introductum est absolute: *lignumque scientiae boni et mali*, ut non a Deo intelligamus productum [7], sed solummodo superiori ligno contraria qualitate oppositum, ut quemadmodum illud omne [8] bonum et vita causaque viventium, ita et illud omne malum et mors causaque morientium. An forte debemus intelligere, quoniam scientiae boni et mali est lignum, in quantum forma boni ambitur, ex Deo esse, quoniam ipse est totius formae et pulchritudinis causa, sive ipsa forma et pulchritudo in aliqua substantia intelligatur vel sentiatur, sive in phantasiis sensibilis materiae, quarum propria sedes est sensus corporeus, quia per ipsum interiori sensui inferuntur: in quantum vero ipsum malum forma boni ambitum, ac per seipsum informe et incognitum malum est, nec a Deo esse [9], nec ab aliqua causa certa ac definita? Malum siquidem varium est et incausale, quoniam in rerum natura omnino substantialiter non invenitur. Illud igitur lignum, in quantum malum est, nulli causae refertur, quia omnino nihil est: in quantum vero formatur bono, ut incautos decipiat, quoniam materia illa, cujus phantasia formatur, ex omnium bonorum conditore et facta est, et bona est, non omnino malum. Forma itaque, per quam malum seducit eos, quos interimit, bona est, quoniam cujuspiam boni phantasia est: ipsum vero malum omnino malum est, et a nullo bono factum, quoniam omni bono est contrarium. Proinde si naturam phantasiarum, quibus coloratur malum, quod per seipsum apparere non potest, quoniam informe et deforme et turpe est et incausale, quis acute inspexerit [10], ipsam profecto omnino bonam reperiet. Quod tali argumento manifestissime possumus approbare. Ponamus [11] duos homines, unum quidem sapientem, et nullo modo avaritiae stimulis titillatum seu compunctum; alterum vero stultum, avarum, omnino perversae cupiditatis aculeis confixum ac laceratum. His duobus uno loco constitutis afferatur vas aliquod obrizo auro factum, pretiosissimis gemmis decoratum, forma pulcherrima compositum, regali usu dignum. Ambo illud aspiciunt, sapiens videlicet et avarus, ambo ipsius vasis phantasiam suo corporeo sensu recipiunt, memoriae infigunt, cogitatione tractant. Et sapiens quidem simpliciter ad laudem Creatoris naturarum pulchritudinem illius vasis, cujus phantasiam intra semetipsum considerat, omnino refert. Nulla ei cupiditatis illecebra subrepit, nullum philargyriae [12] venenum intentionem purae ipsius mentis inficit, nulla libido contaminat. Avarus vero penitus e contrario. Ille namque mox, ut phantasiam vasis imbiberit, cupiditatis flamma ardescit, consumitur, contaminatur, moritur, pulchritudinem naturae ipsiusque phantasiarum non ad laudem ipsius, qui dixit: *Meum est aurum, meum est argentum*, referens, sed seipsum in foetidissimam cupiditatis paludem immergens et ingurgitans. Videsne unius vasis phantasiam in utroque bonam et pulchram? Sed in sapienti sensu simplex est et naturalis, nullaque ei [13] malitia subest; in avaro autem duplex et mixta ex [14] contrario malo cupiditatis, quae ei miscetur, et ab ea formatur et coloratur, ut videatur esse bonum, dum sit venenosissimum malum. Non ergo in natura humana plantatum est malum, sed in perverso et irrationabili motu rationabilis liberaeque voluntatis est constitutum. Qui motus non intra naturam, sed extra, et ex bestiali intemperantia sumptus perspicitur, miscetur tamen [15] bono ac tingitur antiqui hostis consilio

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *naturae humanae*. [2] *mixta* om. CF. [3] Sic CF; A per *quae*. [4] *de humo* om. A. [5] *est* om. CF. [6] *vitae* om. A. [7] Sic CF; A ut *non productum a Deo intelligamus*. [8] Sic CF; A *omne illud*. [9] Sic CF; A *est*. [10] Sic CF; A *perspexerit*. [11] A Ponamus *enim*. [12] CF *philargiae*. [13] Sic CF; A *rei*. [14] A *et* contrario. [15] Sic CF; A miscetur *cum*.

et astutia, ad [1] decipiendos carnalium sensuum libidinosos affectus, ac per hoc morte perimendos. Neque hoc dicimus sensum illorum refellentes, qui praefatum lignum scientiae boni et mali omnino naturaliter asserunt esse bonum, et historialiter in paradiso locali factum, cujus fructus scientia, hoc est, experimentum boni erat [2] et mali. Nam si tactu et gustu ipsius primi homines se abstinerent, sicut eis praeceptum est, experimentum vitae aeternae perpetuaeque beatitudinis nulla interposita morte haberent. Sin vero diabolicis astutiis consentientes, sua miserrima intemperantia de fructu ipsius escam mortiferam illicite sumerent, aeternae mortis et infelicitatis experimentum subirent. Sed quisquis haec, quae inter nos tractavimus [3], non dedignatus fuerit legere ac diligenter intueri, eligat ex praedictis sanctorum Patrum sententiis, quod sibi sequendum videtur, videatque, ne incaute nos laceret, aestimans ea, quae a nobis dicta sunt [4], nullius auctoritatis auxilio esse munita, ac veluti praesumptive contra sanctorum Patrum traditiones machinata. Habes itaque, ut opinor, brevem apertamque [5] paradisi expositiunculam, quantum vires intentionis nostrae suppetunt.

17. Disc. Habeo sane; sed velim ἀνακεφαλαίωσιν, hoc est recapitulationem, a te fieri, quae veluti modo quodam conclusionis ea, quae sparsim dicta sunt de paradiso, in unam quandam complexionem colligat atque definiat. Mag. Plantationem Dei, hoc est, paradisum in Eden [6], in deliciis aeternae ac beatae felicitatis, humanam naturam esse diximus ad imaginem Dei factam : cujus fons est Christus, de quo Propheta ad Patrem proclamat : *Quoniam apud te est fons vitae;* qui etiam omnes sitientes justitiam ad se bibendum invitat, dicens : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat;* cujus flumina ex sapientiae fonte manantia, quattuor principales animae virtutes sunt, ex quibus omnis virtus et bona operatio scatet; cujus omne lignum, de quo scriptum est : *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitae, quod est in paradiso, quod plantatum est secus decursus aquarum,* hoc est, circa quod omnia prophetarum oracula, omnia utriusque legis symbola, symbolorumque intelligentiae, omnesque apertae ac simplices doctrinae confluunt [7], Dei videlicet Verbum humanae naturae insitum, et ex [8] humana natura incarnatum [9]; cujus paradisi mixtae scientiae est lignum indiscreta vel confusa carnalium sensuum appetitio in diversas libidines, sub forma boni latentes, et incautas animas decipientes ac perimentes; cujus vir animus est, universae humanae naturae [10] praesidens; cujus mulier sensus, cui incaute animus consentiens perditur; cujus serpens illicita delecta- A tio, qua ea, quae carnalem sensum delectant, illicite ac damnabiliter concupiscuntur. Et ne existimes, his, quae diximus, hoc est, duo solummodo in paradiso ligna esse πᾶν et γνωστὸν, repugnare, quod mulier diabolo respondisse narratur : *De fructu lignorum, quae sunt in paradiso vescimur.* Non enim dixit : de fructu omnis ligni vescimur, hoc est, vesci jubemur, sed : de fructu lignorum, pluraliter, ac si plurima ligna diversarum formarum essent, quibus vesci est eis concessum. Potest namque intelligi omne lignum, plurima ligna mulierem dixisse; omne siquidem non de aliquo singulari, sed quodam in seipso multiplici dicitur. Omnis enim homo multiplex humanae naturae numerus, et iterum ipse multiplex numerus, quoniam unius naturae particeps est, unus homo so- B let appellari. Quid ergo mirum, si omne lignum plurima ligna dicatur? Dei namque Verbum, quod est omne lignum, hoc est, omne bonum, et unum est, et in seipso multiplex, et ex quo omne bonum, hoc est, omnis virtus et sapientia et essentia in humana natura fructificat. Omnes igitur rationabiles motus rationalis naturae, quibus homo uti concessus est et jussus, quoniam ex communi omnium bono, divina videlicet sapientia, in humana natura, quae est Dei plantatio et paradisus, pullulant, veluti quaedam ligna plurima atque fructifera appellata sunt, quae videlicet ligna in ipso, in quo omnia bona unum sunt [11], subsistunt. Unum itaque lignum, quod est πᾶν, plurima ligna, quoniam in ipso omnia bona sunt, pulchre a muliere adhuc non decepta, ac virtu- C tum sibi insitarum naturaliter conscia, est vocatum. Sed ne videamur Graecorum auctorum solummodo sententias de paradiso sequi, Latinorum vero auctoritatem in talibus aut praetermisisse, aut in eis talem sensum de paradiso invenire non potuisse, ac per hoc temere affirmasse, quod in magistris utriusque linguae non valuimus invenire, sancti Ambrosii sententias de paradiso huic nostrae disputationi inserere congruum mihi videtur ac necessarium, si tibi placet. Disc. Placet sane; magni siquidem et sapientissimi viri sententiis resistere, quis nisi amens audebit?

18. Mag. Ait itaque in libro de Paradiso : *Sunt, qui putant, nequaquam mandatum istud, de manducando videlicet de* [12] *ligno vitae, et non manducando de ligno prohibito, convenire caeli et terrae atque om-* D *nium Creatori, et* [13] *nequaquam dignum incolis paradisi, et quod illa vita similis sit* [14] *angelorum. Et ideo non terrenum et corruptibilem hunc cibum esui fuisse possumus aestimare, quia non bibunt neque manducant, et erunt sicut angeli Dei* [15] *in caelo. Cum igitur in cibo neque praemium sit, quia esca nos non commendat Deo, neque magnum periculum sit, quia neque, quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *et* ad. [2] *erat* om. A. [3] Conj., A *contrectavimus*, CF *tractamus*. [4] Sic CF; A dicta *sanctorum* nullius cet. [5] Sic CF; A *aptamque*. [6] A in Eden, *hoc est* in deliciis. [7] Sic CF; A *effluunt*. [8] A et *vere* humana. [9] Sic CF; A *incarnata*. [10] A *naturae humanae*. [11] Sic CF; pro *unum sunt* A *universaliter*. [12] *de* om. A. [13] *et* om. A. [14] *sit* om. CF. [15] *Dei* om. A.

de ore, videtur sine dubio tanto auctore indignum praeceptum, nisi hunc cibum ad illum perfectum [1] *referas, quem* [2] *pro magno praemio Deus de sanctis pollicetur suis : Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis. Hic est* [3] *enim cibus, in quo vita definitur aeterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur ; quandoquidem* [4] *panis vivus atque caelestis ipse Dominus est, qui vitam dat huic mundo. Unde et ipse ait : Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam aeternam. Erat ergo panis aliquis, de quo praeceperat Deus edendum paradisi incolis. Quis ille? Accipe quem dicat : Panem, inquit, angelorum manducavit homo. Est etiam* [5] *bonus panis, si facias voluntatem Dei. Vis scire, quam* [6] *bonus panis? Ipse Filius manducat hunc panem, de quo ait : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in caelis est.* Intende, qualem cibum summus magister edocet, quem paradisi incolis edendum Dominus praecepit, non corporalem et corruptibilem, sed spiritualem, Dei Verbum videlicet ejusque voluntatem. Disc. Animadverto, valdeque admiror, quantum intellectui Gregorii Theologi congruit, qui et ipse, ut superius est dictum [7], *cibum fructumque potumque spiritualem atque intellectualem paradisi esse incunctanter asserit.* Porro, si cibus paradisi spiritualis et intelligibilis est, necessario sequitur, ut et illud omne lignum, cujus fructus cibus ille est, intellectuale et spirituale intelligatur. Non enim de corporeo sensibilique ligno incorporeus intelligibilisque fructus nasci credibile est et rationi rerum conveniens. Porro, si et fructus et ligna spiritualia sunt, nonne consequens est, ut et locus ille, in quo subsistunt, non corporalis, sed profecto spiritualis et credatur et cognoscatur ? Mag. Consequens quidem, et rationis plenum, et veritati simillimum. Sed ut hoc praefati patris, Ambrosii dico, inconcusso testimonio roboretur, quid ipse de loco paradisi, deque fere omnibus, quae in ipso esse divina narrat historia, in praefato suo [8] opere scripserit, intentius intueamur. *Plerosque, inquit, movet, qui diligentius intuentur, quomodo, si primo* [9] *magnum munus Dei fuit circa homines, ut in paradiso collocarentur, vel postea magnorum remuneratio* [10] *esse videatur meritorum, ut in* [11] *paradisum justus unusquisque rapiatur. Dicuntur etiam bestiae, et pecora agri, et volatilia caeli in paradiso fuisse. Unde plerique paradisum animam hominis* [12] *esse voluerunt, in qua virtutum quaedam germina pullulaverint, hominem autem et* [13] *ad operandum et custodiendum paradisum esse positum, hoc est, mentem hominis, cujus virtus animum videtur excolere, nec* [14] *solum excolere, sed etiam, cum excoluerit* [15], *custodire. Bestiae autem agri, et volatilia caeli, quae ducuntur ad Adam, nostri irrationabiles motus sunt, eo quod bestiae et* [16] *pecora, quaedam diversae sint corporeae passiones, vel turbulentiores, vel etiam languidiores. Volatilia autem caeli quid aliud aestimamus, nisi inanes cogitationes, quae volatilium more nostram circumvolant animam, et huc atque illuc vario motu saepe transducunt. Propterea nullus inventus* [17] *menti nostrae similis adjutor, nisi sensus, hoc est* αἴσθησις, *quem* [18] *similem sibi solum* νοῦς *noster potuit invenire. Sed forte redarguas,* [19] *quia haec quoque Deus in tali paradiso locavit, hoc est, passiones corporis, et vanitatem quondam fluctuantium vel* [20] *inanium cogitationum, quod* [21] *ipse nostri fuerit auctor erroris. Considera quid dicat. Habete, inquit, potestatem piscium maris et volatilium caeli, et omnium repentium* [22], *quae repunt super terram. Vides, quod ille tibi tribuerit potestatem, ut de omnibus tu* [23] *judicare debeas, singulorum genera judicii tui sobria definitione discernere : vocavit ad te omnia Deus, ut supra omnia mentem tuam esse cognosceres. Cur quae tibi dissimilia* [24] *reperisti, asciscere tibi et copulare voluisti? Dedit tibi certum* [25] *sensum, quo universa cognosceres, et de cogitationibus judicares. Meritoque de illo secundo paradisi agro ejectus es, quia non potuisti servare mandatum. Sciebat enim Deus, esse te fragilem, sciebat judicare non posse ; ideo dixit quasi fragilioribus : Nolite judicare, ut non judicemini. Ergo quia scivit, infirmum te esse ad judicandum, voluit te obedientem esse mandato, ideo praeceptum posuit. Quod si illud non praevaricatus esses, periculum incerti judicii incidere nequivisses. Quoniam vero judicare voluisti et ausus es* [26], *ideo addidit : Ecce* [27] *Adam factus est tanquam unus ex nobis, ut sciat bonum et malum. Voluisti tibi arrogare judicium : poenam pravi judicii refutare non debes. Posuit te tamen contra paradisum, ne memoriam ejus possis abolere. Denique justi in paradisum saepe rapiuntur, sicut Paulus raptus est in paradisum et audivit verba ineffabilia. Et tu, si a primo caelo ad secundum caelum, et a secundo ad tertium mentis tuae vigore rapiaris, hoc est* [28], *quia primum unusquisque homo est corporalis, secundo animalis, tertio spiritualis, ita rapieris* [29] *ad tertium caelum, ut videas fulgorem gratiae spiritualis; animalis enim homo, quae sunt Spiritus Dei, nescit. Et ideo tertii caeli ascensio tibi est necessaria, ut rapiaris in paradisum : rapiaris jam sine periculo, ut possis dijudicare omnia, quia spiritualis dijudicat omnia, ipse vero a nemine judicatur* [30]. Intuere, quemadmodum Ambrosius sensum Origenis approbat, Epiphanii autem infirmat. Origenis siquidem para-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *illud propheticum.* [2] A *quod.* [3] *est* om. CF. [4] CF *Quando.* [*quidem* om.] [5] Sic CF; A Est *enim.* [6] Sic CF; A *quis.* [7] Sic CF; A *dictum est.* [8] CF *in praefato sui opere.* [9] Sic CF; A si *vel primo.* [10] CF *remunerator.* [11] Sic CF; A *ad.* [12] *hominis* om. CF. [13] *et* om. CF. [14] CF *non solum.* [15] CF *coluerit.* [16] Sic CF; A *vel.* [17] Sic CF; A *invenitur.* [18] *quem* om. A. [19] Sic CF; A *arguas.* [20] *vel* om. CF. [21] Sic CF; A *quasi.* [22] Sic CF; A *reptibilium.* [23] Sic CF; *tu* om. A. [24] Sic CF; A *tibi similia minime.* [25] Sic CF; A *certe.* [26] *et ausus es* om. A. [27] *Ecce* om. CF. [28] *hoc est* om. CF. [29] A *si* ita *rapiaris.* [30] Sic CF; A *dijudicatur.*

disum, in tertio caelo, quod est intellectuale, hoc est in ipso homine, quantum intellectus est, [1] asserit esse: Epiphanius vero, ut praediximus, nimium simpliciter sentiens, terrenum quendam locum paradisum aestimat, terrenaque ligna fontesque sensibiles, quod vera deridet ratio. Non enim credibile est de Apostolo aestimare [2], in alium paradisum raptum fuisse, nisi in ipsum, in quo primus homo ad imaginem Dei factus est, et de quo merito inobedientiae detrusus. Unum namque paradisum divina narrat historia, et unum hominem in ipso creatum, in quo videlicet homine vir et mulier intelligitur esse, si verba sanctorum Patrum sequenda sunt. Naturae siquidem humanae vir est intellectus, qui a Graecis vocatur νοῦς; mulier sensus, qui feminino genere αἴσθησις exprimitur: quorum mystico conjugio Christi et Ecclesiae futura copula praefigurata est. Cui viro atque mulieri, intellectui videlicet sensuique, divin a lex non solum concessit, verum etiam praecepit de ligno vitae comedere, de sapientia profecto Patris et Verbo, quod est Dominus Jesus Christus, qui in medio humanae naturae paradisi plantatus est, qui est spiritualis panis, quo angeli perfectique homines, quorum conversatio in caelis est, vescuntur. Prohibentur autem a non discreto atque commixto boni et mali appetitu, qui ex delectatione materialium rerum pulchritudinis imperfectis animabus infigitur: a quo abstinere meritum vitae aeternae est, eo abuti aeterni interitus occasio. Cetera vero, quae a sacra Scriptura de paradiso traduntur, quamvis per anticipationem dicta sint [3], ac veluti in paradiso facta, plus tamen et rationabilius, quoniam merito peccati superaddita sunt, et ad exteriorem hominem pertinent, extra paradisum post [4] peccatum fuisse intelligenda.

19. Verbi gratia: *Formavit igitur Dominus* [5] *Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Quomodo de limo terrae est formatus, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus [6]? Aut quomodo de eo diceretur: *Factus est* [7] *homo in animam viventem*, quod de ceteris bestiis de terra prolatis similiter dictum est: *Producat terra animam viventem?* Nonne [8] ergo duarum hominis conditionum ratio datur intelligi? Primo quidem scriptum est: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Ecce prima conditio, in qua nulla terreni limi commemoratio facta est, neque animae viventis. Sequitur autem secunda, quae ex divisione naturae in duplicem sexum poena praevaricationis superaddita exordium sumpsit. *Masculum*, inquit, *et feminam creavit eos.* Prius siquidem sim-

A plicitatem [9] naturae ante delictum singulariter expressit, *ad imaginem Dei creavit illum*: divisionem vero ejus propter delictum pluraliter, *masculum et feminam creavit eos.* Quam divisionem similitudo insipientium animalium sequuta est; *factus*, inquit, *homo in animam viventem.* Non dixit, in spiritum vivificantem. *Primus enim homo de terra terrenus*, ait Apostolus, *secundus homo*, in quo tota natura humana restaurata est, *de caelo caelestis. Et non prius*, inquit, hoc est, in primo homine praevaricante, *quod spirituale, sed quod animale: deinde*, hoc est, in secundo restaurante, *quod spirituale.* Hoc etiam textus divinae historiae evidentissime declarat. Nam postquam secundam conditionem terreni hominis de limo terrae, ceterorum animalium simi-
B litudine, in animam viventem introduxit [10], ne primam conditionem ad imaginem Dei introductam aestimares, ipsam primam seorsim addidit dicens [11]: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a* [12] *principio*, hoc est, a prima conditione [13]. Ac si diceret: Noli primam conditionem in eo, quod scriptum est: *et factus est homo in animam viventem*, intelligere, sed secundam. Primam autem in plantatione paradisi intellige; plantavit siquidem Deus paradisum voluptatis, hoc est, humanam naturam in Eden [14], in deliciis aeternae felicitatis. Et ubi plantaverat? In principio, Verbo [15] videlicet, in quo fecit Deus caelum et terram. Intuere vim verborum. In secunda conditione verbo praeteriti perfecti propheta usus est: *Factus est*, inquit, *homo in animam viven-*
C *tem*; in prima vero verbo praeteriti plusquam perfecti: *Plantaverat Dominus Deus paradisum*, ut cognosceres, primam dignitate et beatitudine, non autem tempore praecedere secundam. In qua prima tantae spiritualitatis homo fuerat, ut nullis usibus corporalium sensuum indigeret, sed [16] solo intelligentiae officio frueretur. Quod etiam sanctus Ambrosius testatur, dicens: *Et aperti sunt* [17] *oculi eorum, et cognoverunt, quod nudi essent. Et ante quidem, inquit* [18], *nudi erant, sed non sine virtutum tegumentis* [19]; *nudi erant propter morum simplicitatem, et quod amictum fraudis natura nesciret. Nunc autem multis simulationum involucris mens humana velatur. Ergo posteaquam spoliantur illa sinceritate ac simplicitate* [20]
D *integrae incorruptaeque naturae, quaerere mundana et manufacta coeperunt, quibus nuda suae mentis operirent delectationibus* [21], *et obumbrarent* [22] *genitale secretum. Nam quomodo usus* [23] *corporis habuit Adam, qui omnia animantia vidit, et his* [24] *nomen imposuit? Quomodo cognoverunt? Interiore videlicet et altiore scientia, non tunicas* [25] *sibi, sed virtutum deesse velamina.* Eodem igitur modo, quo omnia animalia vidit,

VARIAE LECTIONES.

[1] *est* om. A. [2] Sic CF; A *aestimari.* [3] Sic CF; A *sunt.* [4] A *et* post. [5] *Dominus* om. A. [6] Sic CF; A factus est. [7] *est* om. CF. [8] CF *Non.* [9] A *simplicitate.* [10] A *introducit.* [11] *dicens* om. A. [12] A *in.* [13] *hoc est a prima conditione* om. A. [14] *in Eden* om. A. [15] *Verbo* om. A. [16] CF *si* solo. [17] A Et aperti sunt, *inquit*, oculi. [18] *inquit* om. A. [19] Sic CF; A *integumentis.* [20] Sic CF; A *spoliatos se* i. s. a. s. *viderunt*, integrae cet. [21] *delectationibus* om. A. [22] *obumbrarent* om. CF. [23] Sic CF; pro *usus* A *clausos oculos.* [24] A *illis.* [25] Sic CF; A *tunicam.*

suam nuditatem cognovit, solo videlicet interioris scientiae simplicique mentis oculo, absque corporalis mortalisque sensus auxilio. Ubi datur intelligi, quod omnia animalia et volatilia, quae de terra et de aquis facta narrantur, sparsim per terrarum spatia locis suis sedibusque naturalibus erant, quae tum omnia nec localiter nec sensu corporeo, sed solo mentis contuitu ultra omnem sensum corruptibilem, ultra omnem locum et omne tempus, in rationibus suis, secundum quas creata sunt, primus homo, priusquam virtutum tegimine spoliaretur, potuit contemplari. De ipsa quoque nuditate primi hominis Gregorius Theologus in sermone de Paschate sic ait : *Nudum simplicitate et vita sine arte, et sine omne velamine et problemate talem decuit esse eum, videlicet hominem, a principio.* Cujus verba Maximus exposuit quadragesimo primo capitulo de Ambiguis dicens : *An forte nudus, ut ait magister, varia circa naturam contemplatione scientiaque, et vita sine arte circa actionem et virtutem, extra multimodam artificiositatem subsistens, secundum habitum habens incontaminatas* [1] *virtutum rationes. Et sine omni velamine atque problemate ipsius in sensibus visibilium notitiae ad intelligentiam divinorum introductivae* [2] *non indigens, in solum simplum uniformis et continuativae eorum, quae post Deum sunt, contuitum* [3] *virtutis atque scientiae possidens* [4] *accessum, solius in operatione motus indigentem* [5] *ad promptam per se pronuntiationem. Itaque quicunque philosophica ratione seipsos erigere primi patris lapsu desiderant, primo perfecta passionum sensualium* [6] *ablatione incipiant, deinde circa* [7] *rationes artium sollicitudinem* [8] *ac finis naturalem supervolitantes* [9] *theoriam, in aeternam immaterialemque aspiciant scientiam, non habentem omnino sensui impressam formam, aut intellectum duce ratione collocatum. Sicut ex principio primum hominem fecit Deus, nudi erant simplicitate scientiae et incircumscripta vita* [10] *mortificatione carnalis legis facti.*

20. Similiter de sopore, quem Dominus Deus immisit in Adam, intellige. Siquidem sopor ille et causa peccati et post peccatum immissus, et, ut verius dicam, permissus videtur esse. Nam Deum facere, quod sinit fieri, modo quodam locutionis Scriptura solet dicere. Sopor itaque ille erat animi intentionis, quo semper et inflexibiliter Creatorem suum contemplari debuerat, ad delectationes rerum materialium reflexio, et carnalis copulae appetitus, ut beatus Ambrosius exponit. *Quis est iste*, inquit, *sopor, nisi quia paulisper ad conjugium copulandum cum intendimus animum, velut intentos oculos ad Dei regnum inclinare atque inflectere videmur ad quendam somnum istius mundi, et paulisper obdormire divinis, dum in secularibus mundanisque requiescimus?* Quem soporem, hoc est, ab aeternis [11] ad temporalia, a Deo ad creaturam mentis inclinationem, sequitur dormitus : *Postquam soporem*, inquit, *immisit Deus in Adam, obdormivit*, hoc est, seipsum omnino aeternae ac beatae contemplationis vigore segregavit, et in delectationem sensibilium omni virtute evacuatus cecidit, sensibusque spiritualibus penitus recessit. Ubi notandum, quod, postquam obdormivit Adam, conditionem mulieris introduxit Scriptura, ut per hoc insinuaret, quod, si humana natura simplicem sinceramque integritatem suae constitutionis, qua [12] ad imaginem Dei facta est, irrationabili motu liberae voluntatis non desereret, sed semper in contemplatione veritatis incommutabiliter permaneret, omnino scissuram suam in duplicem sexum ad similitudinem irrationabilium animalium non pateretur, sed eo modo, quo angelicus numerus sine ullo sexu multiplicatus est, multiplicaretur. Quoniam [13] vero sponte dormivit, hoc est, suae naturae dignitate non invita lapsa est, sui divisionem et ad similitudinem pecorum propagationem consequuta est [14]. *Cumque obdormisset*, inquit, *tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Ubi quamvis sub figura unius costae, quam tulit Deus de latere Adam, et naturae scissura in duplicem sexum, et universae virtutis interioris, quae ei inerat, priusquam peccaret, custodiae ablatio, per carnem vero, quae in loco costae ablatae collocata [15] est, miserrima illa commutatio [16], qua pro custodia virtutis et beatitudinis, vitiorum atque miseriae mortiferam imbecillitatem mutuavit, significari videatur : plus tamen Christi et Ecclesiae mysterium prophetice praefiguratum intelligendum esse arbitror. Primus siquidem homo, Adam, sicut docet Apostolus, ubique forma futuri est, Christi videlicet. Sed e contrario. In primo siquidem Adam scissa est natura in masculum et feminam, in secundo adunata est. In Christo enim Jesu non est masculus neque femina. In primo universa natura de felicitate paradisi est expulsa, in secundo in eandem felicitatem est revocata et restituta. In primo caro pro costa, hoc est, infirmitas pro virtute assumpta est, in secundo infirmitas et mors absorpta, virtus vero et vita aeterna humanae naturae donata est [17]. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur* [18]. *Dormit* itaque, ut ait sanctus Augustinus, *Adam et fit Eva, moritur Christus et fit Ecclesia.* Dormienti Adam fit Eva de latere, mortuo Christo percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formatur Ecclesia. Sanguis enim est in consecrationem calicis, aqua vero in consecrationem baptismatis. In primo homine humana natura tunicas induitur pelliceas, hoc est mortalia corpora, relicta naturali nuditate, videlicet sinceritate et simplicitate : in secundo eadem

VARIAE LECTIONES

[1] A *incontaminatus.* [2] Sic CF; A *praeductivae.* [3] C *contuitum* om. A. [4] *possidens* om. A. [5] CF *indigens.* [6] *sensualium* om. A. [7] Sic CF; A deinde *sic* circa. [8] A *sollicitudine.* [9] A *supervolantes.* [10] Sic CF; A et *incircumflexa et* mortificatione. [11] A *externis.* [12] Sic CF; A *quae.* [13] A *Quando.* [14] *est* om. CF. [15] Sic AC; F *collata.* [16] Sic CF; A *commutatio illa.* [17] *est* om. CF. [18] Sic CF; A *vivificabuntur.*

tunicas spoliatur pelliceas, omni imbecillitate mortalium corporum perempta, et nuditate, id est simplicitate pristinae naturae, recepta. Haec igitur, ut praediximus, quae post soporem immissum in Adam divina narrat Scriptura [1], quamvis in paradiso veluti facta legantur, rationabilius tamen, et veritati congruentius, post peccatum, ac per hoc extra paradisum humanae naturae merito inobedientiae superaddita credenda et intelligenda sunt. Si enim plantatio Dei est [2] et paradisus in deliciis [3] humana natura ad imaginem Dei facta, nullaque praevaricationis contagione deformata, quicquid extra dignitatem naturae causaque peccati factum intelligitur, cur non etiam extra paradisum fuisse non intelligeretur, ignoro. Non ignoro autem usitatissimum divinae Scripturae tropum, qui a Graecis ὕστερον πρότερον, a Latinis vero praeposterum seu anticipatio, quam Graeci [4] πρόληψιν dicunt, vocatur; quo Matthaeus evangelista [5] usus est, passionem et resurrectionem Domini narrans. Ea siquidem, quae resurrectionis articulo facta sunt, passionis hora evenisse scribit; ait enim: *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum, et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Haec omnia juxta rerum factarum seriem resurrectionem Domini secuta sunt, sed praedicto narrationis tropo post passionem fuisse evangelista voluit narrare. Non enim credendum est, aliorum monumenta aperta fuisse, priusquam ipse suum aperiret monumentum, aut verae resurrectionis testes resurrexisse, priusquam ipse, cujus resurrectionis testes sunt [6], resurgeret [a]. Sopor itaque Adam, sequensque [7] dormitus, et ablatio costae, et divisio simplicis naturae in duplicem sexum, et mystica uxoris agnitio [8], ceteraque, quae in figura Christi et Ecclesiae praefigurata sunt, cognitio quoque nuditatis, hoc est naturae sinceritatis — atque ideo non de ipsa erubescebant, quoniam virtutum tegmina induebantur, delectationibus vero irrationabilium motuum omnino absoluta — quam peccando perdiderant et perdendo recognoverant, fallax item [9] suasio serpentis, et subdola, mulierisque cum serpente disputatio atque seductio, ac de fructu vetiti ligni illicita assumptio, letiferque gustus, viri quoque consensus et casus non ignorantis, sed leve peccatum existimantis unicae suae uxori consentire — Adam enim non est seductus, mulier A autem seducta est; non enim inscius peccavit, ideoque durius puniri meruit — apertio item oculorum, qua suam nuditatem cognoverant, perizomatumque de foliis fici consutio, vocis item deambulantis Domini Dei in paradiso auditus, amborumque, Adam videlicet et uxoris ejus, a facie Domini Dei fuga et in medio ligni absconsio, et cetera usque ad expulsionem hominis de paradiso: haec omnia in paradiso per anticipationem praepostere facta esse divina narrat Scriptura, dum sint peccatum consequuta. Si enim paradisus est humana natura, ad imaginem Dei condita, et in angelicae beatitudinis aequalitate constituta, mox profecto, ut Creatorem suum deserere voluit, ex dignitate suae naturae lapsa est. Nam et priusquam uxori suae consentiret, superbire B inchoavit. Porro si nullum spatium temporis inter conditionem ipsius et lapsum divina tradit [10] historia, quid aliud datur intelligi Scripturae silentio, nisi hominem mox, ut conditus est, superbiisse, ac per hoc corruisse? Cujus [11] rei maxima argumentatio est homicidium diaboli, *qui homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*: qui et ipse nulla mora interstante, mox, ut creatus est, lapsus superbiendo, consequenterque homini cum creato sibi invidendo, eumque astutiae veneno interimendo. De paradiso sufficienter habes, ut arbitror. DISC. Sufficeret forsitan, si breviter de ficu illa, cujus foliis succinctoria consuta sunt, deque Domini Dei deambulatione in paradiso aperires, quid sentias. Nam de pelliceis tunicis praedictum est.

C 21. MAG. Ficus illa divinum legis mandatum primis hominibus in paradiso traditum non incongrue accipitur. Erat autem illud mandatum: *De omni ligno paradisi comedite, de ligno autem scientiae boni et mali comedere nolite.* Et ut cautius mandatum custodirent, praevaricationis periculum non est ab eis occultatum. *In quacunque enim die*, inquit, *comederitis ex eo, morte moriemini.* Lex ergo primis hominibus in paradiso data est, cujus verba memoriter tenebant, quod responso mulieris serpenti declaratur. Respondit enim: *De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* D Cujus legis verba male interpretatus est coluber, ut primo mulierem, id est sensum seduceret [12], ut per eum ad virum, ad animum videlicet, haberet accessum. Veram autem et salutiferam divini mandati dissimulavit virtutem. Quam si mulier illa cognosceret, diligeret, vereretur, non fortassis a ser-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *historia*. [2] *est* om. A. [3] A in deliciis *sit*. [4] A *Graece*. [5] CF *Evangelistes*. [6] Sic CF, A aut *ante illos* verae *qui resurrectionis* testes sunt, resurgeret. Thomas Gale locum sic reparare conatus est. *aut ante illos, qui verae resurrectionis testes sunt, resurrexisse, priusquam ipse, cujus resurrectionis testes sunt, resurgeret.* [7] Sic CF; A sequensque *eum* dormitus. [8] Sic CF; A *cognitio*. [9] A *autem*. [10] A *tradidit*. [11] A *eui*. [12] Sic CF; A *deciperet*.

NOTAE.

[a] En exemplum, quam petulanter J. Scotus sacram Scripturam ad suam sententiam detorqueat. Alios locos scriptor commentationis de Joanne Scoto congessit.

pente seduceretur, nec virum suum attraheret, ut perderetur, nec de foliis fici, hoc est, de verbis solummodo mandati succinctoria sibi consuerent, congruos videlicet [1] desideriis carnis mortiferisque turpitudinibus suis usus, sed de fructu illius, hoc est, de vera vitalique divinae legis virtute atque intelligentia sumerent, comederent, et in aeterna felicitate viverent. Lex itaque divina perverse interpretata, et secundum solam litteram considerata, humanisque seu diabolicis superstitionibus corrupta, carnalibus concupiscentiis est congrua, et irrationabilibus motibus perizomata, veluti quibusdam foliis inanibus, omnique virtute ac vero intellectu vacuis [2] praestat consuta, bene vero et spiritualiter intellecta, omnique carnali sensu ac superstitione purgata, salutiferum vitalemque comedentibus, hoc est, recte secundum spiritum intelligentibus eam fructificat esum. De quo primi homines comedere nolentes, plus [3] falsiloqui serpentis interpretationi credentes, non fructum legalis fici in usum spiritus acceperunt, sed folia inania fraudisque plena, sola videlicet verba, diabolica astutia connexa, quibus suarum libidinum turpitudines cooperire valerent. Hoc autem dicimus, sanctum Ambrosium sequentes, qui praefatam ficum in libro de Paradiso exponit dicens : *Assuerunt*, inquit [4], *folia ficus, et fecerunt sibi succinctoria. Ficum hoc loco pro qua specie debemus accipere, divinarum nos docet series lectionum, quandoquidem salvos esse, qui sub vite et ficu requiescunt, Scriptura memoraverit, et Salomon dixerit : Quis plantat ficum, et de fructu ejus non manducat* [5], *et Dominus ad ficum venerit, sed ideo sit* [6] *offensus, quia non invenerit fructum, sed folia tantum. Docet me ergo Adam, quae sint* [7] *folia, qui, posteaquam peccavit, de foliis fici fecit sibi* [8] *succinctoria, qui de fructibus ejus magis gustare debuerit. Justus fructum eligit, folia peccator. Quid est Fructus, fructus inquit Apostolus* [9], *spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio.* Non *habebat fructum, qui gaudium non habebat; non habebat fidem, qui praevaricaturus erat mandatum Dei; non habebat continentiam, qui interdicto sibi gustaverat ligno. Ergo quicunque praevaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur, et fit ipse sibi turpis, vult se operire quibusdam foliis ficus, fortasse quibusdam inanibus vel umbratilibus sermonibus, quos compositis mandatis assuens, et verbum de verbo struens, ad operiendam conscientiae* [10] *suae mentis factique turpitudinem velamen peccator intexit, ut pudenda sua contegat. Ita enim supra se folia consuit, qui culpam velare desiderat* [11], *aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis praetendit* [12] *illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris. Et de* [13] *Scripturis divinis frequenter promit exempla, quibus justos* [14] *in culpam perhibet incidisse, dicens, si forte in stupris quis* [15] *fuerit deprehensus, et Abraham cum ancilla procubuit, et David alienam adamavit et sibi ascivit uxorem. Assuit enim quaedam folia* [16], *quaedam exempla de propheticarum serie Scripturarum, fructum earum non putat* [17] *requirendum. Nonne tibi videntur etiam Judaei folia assuere, dum legis spiritualis verba corporaliter interpretantur? Quorum interpretatio fructum omnem viriditatis amittit, damnata maledicto ariditatis aeternae. Bona igitur interpretatio, hoc est, spiritualis ficus est fructuosa, sub qua justi sanctique requiescunt, quam qui plantaverit in animis singulorum, sicut Paulus ait : Ego plantavi, Apollo rigavit, manducabit ex ea fructum. Mala autem interpretatio fructum ferre, viriditatemque servare non poterit. Quod igitur gravius est, hac se Adam interpretatione succinxit eo loco, ubi fructu magis castitatis se succingere debuit* [18]. Audisti Ambrosium de ficu : audi etiam [19] eundem de Domini Dei deambulatione in paradiso, humana videlicet natura, quam ad imaginem suam condidit, quam nunquam deseruit, neque perire permisit, in qua semper deambulabat [20] occulte ac spiritualiter, scrutans corda singulorum et renes, intelligibilique voce causas praevaricationis interrogans, et plus misericorditer increpans et corrigens, quam juste ulciscens. Ait ergo praefatus magister : *Et audierunt vocem Domini deambulantis ad vesperam. Quid* [21] *est deambulatio illius* [22], *qui ubique semper est? Sed puto, deambulationem quandam esse Dei per divinarum seriem Scripturarum, in quibus quaedam Dei versatur praesentia, cum audimus, quia ipse aspicit omnia, et oculi Domini sunt* [23] *super justos, cum legimus, quia Jesus sciebat cogitationes eorum, cum legimus : Quid cogitatis mala* [24] *in cordibus vestris? Ergo dum haec recensemus, quasi deambulantis cognoscimus Domini vocem. Fugerat ergo* [25] *peccator, non quo Dei posset latere conspectum, sed intra conscientiam suam latere cupiebat, opera sua lucere nolebat. Justi enim est facie ad faciem videre, quia justi mens* [26] *non solum Deo* [27] *praesens est, sed etiam cum Deo disputat, sicut scriptum est : Judicate pupillo, et justificate viduam, et venite et* [28] *disputemus, dicit Dominus. Ergo cum legit peccator Scripturas divinas* [29], *audit vocem Domini quasi ambulantis ad vesperam. Quid est ad vesperam, nisi quia culpam suam sero cognoscit, et sero* [30] *venit quaedam erroris praeteriti verecundia, quae errorem praevenire debuerat? Nam dum culpa fervet in corpore, et anima exagitatur corporis passionibus. non cogitat Deum sensus*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *hoc est congruos.* *vacuis* om. A [3] Sic CF; A *sed.* [4] *inquit* om. A. [5] *quis plantat ficum — manducat.* om. CF. [6] Sic CF; A *erit.* [7] A *sunt.* [8] A *sibi fecit.* [9] *Apostolus* om. CF. [10] Sic CF; A *conscientiam.* [11] Sic CF; A *desiderans.* [12] CF *praetendat.* [13] *de* om. CF. [14] *justos* om. CF. [15] *quis* om. A. [16] *quaedam folia* om. CF. [17] Sic CF; A *putans.* [18] A *debuisset.* [19] A *et.* [20] Sic AC; F *deambulat.* [21] Sic CF; A *Quae.* [22] Sic CF; A *Dei.* [23] *sunt* om. CF. [24] *mala* om. CF. [25] *ergo* om. CF. [26] CF *quamvis timens.* [27] A *solummodo.* [28] *et* om. A. [29] Sic CF; A *has divinas Scripturas.* [30] CF *secundo venit.*

errantis, hoc est, non audit Deum ambulantem in Scripturis divinis, ambulantem in mentibus singulorum. Dicit enim Deus: Quoniam inhabitabo inter illos, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus. Ergo cum in animae sensus [1] *redierit potestatis formido divinae, tunc erubescimus, tunc nos gestimus abscondere, tunc in peccatorum nostrorum positi cogitationibus* [2]*, in medio ligni paradisi, ubi peccavimus, deprehendimur, latere cupientes, et arbitrantes, quod Deus non requirat occulta.* In his verbis praefati [3] magistri intellige illud lignum in medio paradisi, in quo latere se posse fugientes praevaricatores putaverant, non aliud esse, nisi humanae cogitationis et conscientiae secretum. *Sed scrutator*, inquit, *animarum* [4] *et cogitationum usque ad divisionem animi penetrans, dixit ad Adam* [5]: *Adam; ubi es? Quomodo loquitur Deus? Nunquid voce corporea? Non utique, sed virtute quadam praestantiore, quam vox corporis potest, et* [6] *fundit oracula. Hanc vocem ejus prophetae audierunt, hanc vocem fideles audiunt, impii non intelligunt.* Talium sermonum virtutem quisquis acute perspexerit, inveniet, paradisum non localem terrenumve quendam locum esse nemorosum, sed spiritualem germinibus virtutum consitum, et in humana natura plantatum, et, ut apertius dicatur, non aliud praeter ipsam humanam substantiam, ad imaginem Dei factam, in qua lignum vitae, Verbum videlicet Patris et sapientia, omnem fructificat vitam, in cujus medio fons omnium bonorum, eadem videlicet divina sapientia, manat. Ibi ficus illa divina profecto lex radicata est; cujus vera interpretatio et spiritualis fructus vitae est comedentibus, hoc est intelligentibus eam pie perfecteque, perversa vero et carnalis secundum literam inania folia sunt et infructuosa, quibus divinae legis transgressores culpas suas operire contendunt falsiloqua apologia, et vel in ipsum legis auctorem, vel in diabolum, vel in aliam quempiam personam, vel in similitudinem factorum, quae a sanctis Patribus figurate perpetrata sunt, referre non verentur, facta Patrum carnaliter secundum literam accipientes, spiritualiter autem nullo modo intelligentes, et in occasionem sui erroris talia exempla de divina Scriptura proferentes, de quibus convenienter Apostolus ait: *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* In hoc [7] paradiso intelligibili incessu Deus deambulat [8]. Custos quippe est et scrutator plantationis, quam ad imaginem et similitudinem suam plasmavit. Cujus vox inexplanabilis: *Adam, ubi es?* Haec vox est Creatoris humanam naturam increpantis. Ac si dixisset: Ubi nunc es post praevaricationem? Non enim ibi te reperio, ubi te creatum cognosco; non in ea dignitate, qua ad imaginem et similitudinem meam te feci, invenio, sed desertorem beatitudinis, verique [9] luminis fugitantem, et in latibulis [10] malae conscientiae latitantem increpo, causamque tuae inobedientiae inquiro. Putasne me ignorare quid fecisti, vel quo fugisti, vel quomodo timens vocem meam te abscondisti, vel quemadmodum nuditatem tuam, sinceritatem videlicet et simplicitatem naturae, in qua conditus eras, sero recognovisti? Nonne haec omnia perpessus es, quia ex ligno, de quo praeceperam tibi [11] ne comederes, comedisti? Nam si non comedisses, non fortassis vocem deambulantis in te Creatoris tui timeres, nec a facie ipsius fugeres, nec nuditatem tuam, quam praevaricando perdidisti, cognovisses.

22. De ligno autem interdicto et in superioribus multa jam diximus, Gregorium Nyssaeum sequentes, et nunc iterum breviter dicendum arbitror, nobilissimi magistri Maximi monachi sensum introducentes. Ipse siquidem lignum scientiae boni et mali visibilem creaturam, quam homo, Creatorem suum deserens, secutus est, esse intelligit, cui, videlicet creaturae visibili, et delectatio voluptatis inest, et anxietatis occasio, et mortis quasi quidam mixtus fructus ex bono falso libidinis et malo sequentis tristitiae. Nulla enim delectatio visibilis creaturae est, quam non sequatur [12] egestas: egestatem vero sequitur anxietas, mortisque tristitia. Et quamvis arridente voluptate lateat anxietas et causa mortis, simul tamen humanae animae insunt, simulque incipiunt. Latet enim anxietas sub quadam falsa pulchritudine voluptatis, et est veluti quidam mixtus fructus ex libidine apparente et anxietate latente. Deficiente vero voluptate et delectatione visibilis creaturae nuda per se atque aperta remanet anxietas, quae nascitur ex egestate defectuque visibilis boni. Hinc praefatus Maximus: *Fortassis*, inquit, *lignum esse scientiae boni et mali visibilem creaturam qui dixerit, non a veritate aberrabit. Voluptatis namque et anxietatis factricem naturaliter habet perceptionem. Aut quoniam et rationes habet spirituales visibilium creatura et intellectum nutrientes, et iterum naturalem potentiam sensum delectantem, intellectum vero subvertentem, lignum scientiae boni et mali appellata est. Boni siquidem* [13] *habet scientiam spiritualiter considerata, mali vero scientiam corporaliter assumpta. Passionum namque fit magistra corporaliter eam accipientibus, divinorum eis oblivionem inferens, propter quod homini interdixit* [14] *intermittens interim ejus perceptionem Deus, ut prius, maxime quippe erat justum, per participationem gratiae propriam cognoscens causam, datamque per gratiam immortalitatem, per hujusmodi ligni perceptionem ad impassibilitatem consummatus et inconversibilitatem, sicut* [15] *Deus deificatione factus, innocui cum Deo communione Dei disceptaret creaturas, et earum reciperet scientiam, ut Deus et non homo, eandem*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *sensum.* [2] CF *cognitionibus.* [3] A *praedicti.* [4] A *animorum.* [5] Sic CF; *ad Adam* om. A. [6] Pro *et* A *esse.* [7] A In *quibus* paradiso. [8] Sic CF; A *deambulabat.* [9] A *veri* (*-que* om.) [10] Sic CF; A *latebris.* [11] *tibi* om. A. [12] Sic CF; A *sequitur.* [13] CF *quidem.* [14] Sic CF; A *interdixit homini.* [15] Sic CF; A sicut *jam* Deus.

habens Deo[1] *per gratiam eorum, quae sunt, sapienter notitiam per ipsam ad*[2] *deificationem animi atque sensus transmutationem. Sic accipiendum de ligno juxta omnibus valentem coaptari anagogen.* Intuere, quam pulchre, quam aperte, quid sit lignum scientiae boni et mali, exponit. Est enim, ut ipse ait, visibilium rerum natura, quae spiritualiter in rationibus suis intellecta, scientiam boni et spiritualem fructum intelligentibus eum praestat : carnaliter vero et libidinose appetentibus, et intemperate, et contra leges divinas abutentibus mortiferam infert scientiam. Ac per hoc non in ipsa natura causa mali est constituta, sed in abutentium intemperantia. Et haec est ipsa mulier, vel, ut ita dicam, hoc est illud lignum, de quo Dominus dicit : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo.* Materialium siquidem superficies rerum, dum sit naturaliter pulchra, incaute et libidinose sensibus eam considerantium mortis infert occasionem. Visibilem namque creaturam ad hoc Deus condidit, ut per eam, sicut per invisibilem, laus ejus cumularetur, et cognosceretur ipse[3] non quid est, sed quia est unus[4] totius creaturae visibilis et invisibilis conditor. Ideoque interdixit Deus humanae naturae, visibili[5] creatura delectari, priusquam veniret ad perfectionem sapientiae, in qua posset deificata de rationibus rerum visibilium cum Deo disputare. Nec illa mulier, carnalis videlicet sensus, ad delectationem materialis creaturae extrinsecus consideratae valeret virum, animum dico[6], attrahere, si prius Creatoris cognitionem, quam creaturae, vellet habere. Ordo itaque divinae legis erat, primum Creatorem cognoscere ejusque ineffabilem pulchritudinem, deinde creaturam rationabili sensu mentis nutibus obtemperante considerare, totamque ipsius pulchritudinem, sive interius in rationibus, sive exterius in formis sensibilibus, ad laudem Creatoris referre. Hunc autem divinae legis ordinem homo superbiendo spernens, Creatoris sui amorem et cognitionem materialis creaturae exteriori pulchritudini postposuit, ac per hoc periculum divinae indignationis incurrit, mortemque[7] corporis et animae totiusque naturae perditionem incidit, quia divinae legis justissimam pulcherrimamque seriem servare[8] neglexit. Haec de ligno prohibito sensus honorabilium divinae Scripturae expositorum perspicientes diximus. Hunc etiam sensum sanctus Pater Augustinus in undecimo Exemeri sui introduxit : *Non autem*, inquit[9], *ignoro, quibusdam visum esse*[10], *festinatione praevertisse illos homines appetitum scientiae boni et mali, et immaturo tempore percipere voluisse, quod eis dilatum opportunius servabatur; idque egisse tentatorem, ut praecerpendo, quod nondum talibus congruebat, offenderent in Deum, et ab ejus rei utilitate alienarentur exclusi atque damnati, ad quam, si suo tempore, sicut Deus volebat, accederent, possent ea salubriter perfrui. Hoc diximus propter aliquos, ut*[11], *si forte lignum illud non ad proprietatem, ut verum lignum et vera poma ejus, sed ad figuram velint accipere, habeant exitum aliquem recta fide veritateque probabilem.* Sed praefatus magister Augustinus[12] videtur hunc sensum de spirituali paradiso nec refellere, nec laudare, more suo solito, quo duos paradisos astruit esse, unum quidem terrenum localemque secundum proprietatem rerum sensibilium, alterum vero omnino spiritualem, ad cujus figuram terrenus ille atque sensibilis factus est. DISC. Qui sic de ligno prohibito sensere, non mihi videntur veritate[13] recedere. Veri siquidem simile est, valdeque rectae ratiocinationi congruum, ut arbitror, hominem vetito fructu vesci inchoantem, cognitione videlicet sensibilis materiae per corporeos sensus abuti praesumentem, ex ligni vitae dulcedine, hoc est, ab internae contemplationis, in qua et ad quam conditus est, deliciis justissimo conditoris judicio expulsum fuisse existimari. Nam si rationabili naturalique ordine ingrederetur, id est, si causae[14] omnium rerum theoriae primum quidem, deinde rationum, secundum quas et in quibus omnia facta sunt, perfecta intentione frueretur : neque intelligibili esca ligni vitae, interno[15] videlicet divinae sapientiae contuitu, recluderetur, neque ab[16] esu illiciti pomi, cognitione scilicet visibilis materiae, congruo maturoque tempore perfectae suae sapientiae, qua Deum et consequenter creaturam absque ullo errore ullisque carnalis concupiscentiae delectationibus cognosceret, prohiberetur. Impossibile quippe est, cognitionem creaturae impedire[17] rationabili animae, in qua perfecta contemplatio Creatoris incipit lucere. Ubi vero speculatio naturae conditae conditoris cognitionem praecedit, quoniam phantasiis et illecebris rerum sensibilium carere non potest, nunquam error deerit, nisi in his, qui divini radii splendore superfusi, rectae contemplationis semitas carpunt, seipsos et Deum suum quaerentes, in quibus profecto Creatoris cognitio creaturae cognitionem praecedit. Non ergo creatura mala est, neque ejus cognitio[18], sed perversus rationabilis animae motus, quo conditoris speculationem deserit, et seipsam libidinoso illicitoque appetitu in amorem sensibilis materiae mortiferis[19] gressibus flectit, unde, nisi prius divina gratia liberata, redire non poterit. Humana siquidem natura, ut ait sanctus Augustinus, idonea fuit per liberum arbitrium vulnerare se; jam vero vulnerata et sauciata, idonea non est per libe-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *cum* Deo. [2] Sic CF; A *et*. [3] *ipse* om. A. [4] Sic CF; A *unius*. [5] Sic A; CF *visibilis*. [6] Sic CF; A valeret *eum* attraheret. [7] A *inque mortem*. [8] A *servasse*. [9] A *inquiens*. [10] CF *esse visum*. [11] *Hoc diximus propter aliquos ut* om. CF. [12] *Augustinus* om. A. [13] Sic CF; A *a veritate*. [14] A *causa*. [15] Sic CF; A *in aeterno*. [16] *ab* om CF. [17] Sic CF; A *impediri*. [18] Sic CF; A *cognitio ejus*. [19] A *mortiferisque*.

rum arbitrium sanare se. Sed ad ea, quae restant, ratiocinationis iter est carpendum.

23. MAG. Quid restat? Non de paradiso satis est dictum? Nam dum crimen in mulierem, ut attenuaret mulieris causam et suam, removit, de remotione criminis, qua objurgatus divina voce Adam [1] culpam in eum, qui sibi mulierem dedit, deque ipsius mulieris remotione, qua causam praevaricationis in serpentem refert, quoniam ab expositoribus sacrae Scripturae satis est discussum, non necessarium arbitror dicere. DISC. Necessarium quidem, valdeque utile. Potest enim fieri, ut fortassis quis existimet, remotiones ipsas, quibus et vir in mulierem sibi a Deo datam, ac per hoc in mulieris datorem, mulier autem in serpentem occasionem peccati removit, ratas justasque apologias fuisse, ultioneque indignas, nisi vera ratione convincantur, ac mox injustae et reprehensibiles refellantur, meritoque ad cumulum justissimae poenae delicti pertinere judicentur. MAG. Ponamus itaque ipsius Scripturae verba. *Dixit*, inquit, *Adam, mulier, quam dedisti sociam mihi, dedit mihi de ligno, et comedi*. Dic, quaeso, Adam, quis tibi mulierem dedit? Dominus, inquis, qui eam formavit. Quaero a te, cur Deus eam formavit, tibique dedit? Cur te dormiente, hoc est, mentis contuitum a contemplatione veritatis in amorem carnalis conjugii connivente [2], costam de latere tuo traxit, de qua mulierem fecit, quam tibi peccanti seque deserenti dedit? Cur non eodem modo, quo te fecit, mulierem, quam tibi daret, fecerit? Tu ipse de terrena humo [3] merito, qui caelestia deserens terrena elegisti, factus es. Mulier tua ex latere tuo sumpta est congruenter, quoniam causa praevaricationis tuae ex teipso orta est. Respondebis, credo, haec omnia Deus fecit, quia voluit; et ideo sic fecit, quia sic faciendum praevidit, qui *omnia, quaecunque voluit, fecit*. Sed adhuc a te quaero, quare sic voluit mulierem tibi facere? Quis, inquies, divinae voluntatis causas potest investigare? *Quis enim cognovit sensum Domini?* Ignoras igitur, qua ratione Deus fecit mulierem, quam tibi dedit? Ignoro, inquis, si non in adjutorium propagationis et multiplicationis humanae naturae, quae in me primitus facta est, et ex me auspicium procreationis accepit. Hic tibi occurro, veraque ratione talem intentionem repello. Non enim humana natura ignominiosae generationis ex masculo et femina in similitudine irrationabilium animalium indigeret, si superbiendo, suaeque simplicitatis, in qua ad imaginem Dei condita est, pulchritudinem spernendo, modum angelicae multiplicationis, qui omnino, ut saepe jam dictum est, sexuum copula caret, non desereret. Quaere itaque aliam rationem, qua possis asserere, cur tibi mulier data est: ista siquidem, quam posuisti, falsa est.

A Imago enim Dei, ad quam homo factus est, omni sexu libera est et absoluta. Aliam, dicis, ignoro praeter eam, quam introduxi, et a te infirmatam video. Miror, cur te dicis ignorare ea, quae propter tuam inobedientiam atque superbiam facta sunt. Ego autem, qui in te peccavi, et peccando mortuus sum, non ignoro. Clamat enim in me inconcussa et apertissima ratio, quod etiam approbat multorum Patrum auctoritas, quod si humana natura in ipsa simplicissima sincerissimaque divinae imaginis beatitudine permaneret, nulli sexui succumberet, nullam contumeliosam propagationem sicut insipientia [4] animantia subiret. Quoniam vero in dignitate illa, in qua condita [5] est, perseverare noluit, sed ignobiliter inter cetera animalia multiplicari elegit, idem ipse B conditor, quicquid facturus et futurus [6] esset homo perverso motu liberae voluntatis perditus, praevidit, et [7] duplicem sexum, per quem propagaretur bestiarum instar, superaddidit. Quid ergo removes in mulierem praevaricationis tuae occasionem, cum in teipso superbiente, Deumque tuum spernente, ac per hoc deserente, faciendae mulieris causa praecesserit? Quod etiam divina ironia apertissime [8] declarat, quae dicit: *Non est bonum hominem esse solum* [9], *faciamus ei adjutorium simile*. Ac si aperte diceret: non videtur homini, quem ad imaginem et similitudinem nostram fecimus, bonum esse solum, hoc est simplicem atque perfectum, universaliterque sine [10] divisione naturae in sexus ad similitudinem angelicae naturae absolutum permanere, sed pronum pro- C clivumque [11] ad terrenos coitus pariter cum bestiis ruere, ac sic [12] unitatem naturae per carnalem generationem sexusque corporeos seminaliter multiplicare, caelestium numerorum multiplicationis dignitate contempta. Faciamus ergo ei adjutorium simile, quo id, quod appetit, peragere possit, feminam videlicet, quae similiter, ut masculus, fragilis ac lubrica, terrenas appetat concupiscentias. Et hoc est, quod per anticipationem Scriptura profert dicens: *Masculum et feminam fecit eos*, vasa videlicet procreandae carnaliter [13] prolis, spreta dignitate divinae imaginis spiritualisque numerositatis. Cur itaque praevaricationis tuae causam, quae in teipsum refunditur, in mulierem, quam tibi Creator tuus dedit, vel certe in D ipsum Creatorem removere conaris? Talis itaque remotio criminis nil defensionis contulit, cumulum vero damnationis exaggeravit. Sed fortassis quis dicat, quod nos [14] conjugium prolisque procreationem reprehendimus, dum divisionem naturae humanae in masculum et feminam, quorum copula et conjugium et filiorum propagatio naturaeque augmentatio perficitur, merito peccati fuisse affirmamus. Cui respondebimus: Conjugia non reprehendimus, si legitima

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *nam de remotione criminis qua objurgatur divina voce Adam culpam removit in mulierem, et, ut attenuaret mulieris causam, removit culpam* cet. [2] Sic CF; A *convertente*. [3] Sic CF; A *de terreno limo*. [4] Sic CF; *insipientia* om. A. [5] A *edita est*. [6] *et futurus* om. A. [7] *et* om. CF. [8] Sic CF; A *aptissime*. [9] CF *solum hominem esse*. [10] *sine* om. CF. [11] Sic CF; A *proclivemque*. [12] Sic CF; A ac *si*. [13] A *carnalis*. [14] *nos* om. A.

sint, prolisque procreandae, non libidinis perpetrandae appetitu copulata, utriusque sexus fide castaque pudicitia servata [1] : imo etiam laudamus, quia et a Deo concessa sunt et jussa; *crescite* enim, inquit, *et multiplicamini, et implete terram.* Uterque quoque sexus, sine quo carnale connubium fieri non potest, quod a Deo factus sit, nullus catholicorum ambigit. Ait enim Scriptura : *Masculum et feminam fecit eos.* Item alibi : *Quod Deus conjunxit, homo non* [2] *separet.* Carnalia vero conjugia, etsi legitima sint et religiosis [3] hominibus conjuncta, libidinoso tamen [4] illicitoque motu carnalis pruritus carere non posse incunctanter affirmamus. Non enim aliunde nascentes in carne parvuli, nisi inde, aeternae mortis reatum attrahunt [a], quos solum [5] catholicae Ecclesiae baptisma ab ipso reatu liberat. Asserimus quoque, copulas illas carnales, quibus humana localiter et temporaliter natura propagatur, non necessarias fore, si homo suae naturae multiplicationem ad similitudinem pecorum fieri, caelestium numerositate deserta, non eligeret. Sicut ait David : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Sed redeamus ad responsum mulieris, culpae suae occasionem in serpentem removentis. *Dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti? Quae respondit : Serpens decepit me, et comedi.* Et tu mulier, quare removes crimen tuum in serpentem, cum tu ipsa sis tuae culpae [6] creatrix? Serpens ipse, in quem culpam refundis, in te ipsa repit : serpens tuus tua carnalis concupiscentia est atque delectatio, quae ex irrationabilis animae motu in sensu corporeo gignitur. Frustra igitur mulier, sensus videlicet carnalis, culpam suam in serpentem, hoc est in delectationem irrationabilem, cujus ipsa auctor est, removet. Non enim materialium rerum illicita delectatio ortum duxit ex natura, sed ex peccatricis animae imperfectis irrationabilibusque motibus, per corporeos sensus in amorem sensibilium rerum mortifero appetitu irrumpentis. Neque antiquus hostis ad virum animae, animum dico ad imaginem Dei factum, accessum haberet, nisi [7] prius per insitam corporeo sensui, qui est veluti quaedam mulier, animi delectationem, quasi per quendam colubrum ipsum corporeum sensum seduceret : quemadmodum neque animus in rerum materialium perniciosa delectatione et perabusiva [8] fruitione corporeo sensui consentiret, si prius in ipso superba praesumptio

A non praecederet. Superbia itaque animi, carnalisque sensus illicita delectatio, sibi invicem copulatae, naturam humanam mortis damnationi tradiderunt : de qua sola Christi humilitas, et spiritualium rerum in animabus fidelium delectatio, eandem revocat liberatque naturam. Non habes itaque, mulier, in quid [9] vel in quem culpam tuam removeas, nisi in te ipsam, dum illicitae delectationis tuae, in quam culpam [10] conaris removere [11], convinceris auctor esse. Ubi pulchre divinorum verborum textum animadvertere debemus. Ea siquidem, quae simul facta sunt, absque temporalium morularum interstitiis, propter nostram tarditatem carnalesque sensus, quibus originali peccato corrupti [12] locis temporibusque [13] succumbimus, ordine quodam mirabili, mysti-
B corum sensuum plenissimo, veluti locis temporibusque peracta contexuit. Primo itaque interrogatur [14] vir, hoc est animus. Nec immerito, dum omni paradiso humanae naturae praesit, eumque custodire, ne in eo divinum praeceptum [15] violaretur, debuit. Ac sic interrogatur : Adam, ubi es? Ac si diceret [16]: Adam, qui, priusquam peccasses, ultra omnia loca et tempora constitutus fueris, responde nunc, praevaricator, ubi es? Eras in caelo, sicut angelica creatura, beatus; nunc in terris es, sicut bruta animalia, superbus. Sermo convertitur ad mulierem, et ab ea quaeritur, cur sic fecerit? Ubi notandum, quod non confestim viro et mulieri sententia inquirentis judicis profertur, sed veluti spatium improbae excusationis corrigendae conceditur, locusque in-
C dulgentiae praeparatur. Postremo vero, dum ad serpentem pervenitur, non ille interrogatur, nec ei spatium remotionis culpae in aliud vel aliquem [17] praebetur, quia non potuit, quoniam primordialis causa totius malitiae fuit; sed continuo sententiam justi judicis sustinuit. Ait enim Deus ad serpentem : *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terrae.* Animadverte, quod neque viro, neque mulieri, sed solo serpenti maledicitur. Non enim Deus maledicit ea, quae fecit, sed benedicit; animus autem et sensus creatura Dei sunt. Carnalis vero delectatio extra divinam conditionem, irrationabilibus humanae animae passionibus orta est, ideoque divinae sententiae severitati succumbit, quia extra naturae a Deo factae
D supervenit [18]. Quid enim aliud est divina maledictio, nisi eorum, qui extra naturam sunt, eamque contaminant, justissima et irrevocabilis damnatio? Quae

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *servatis.* [2] Sic CF; A *ne.* [3] Sic CF; A et *in* religiosis. [4] *tamen* om. CF. [5] A *secum.* [6] Sic CF; A *culpae tuae.* [7] A *ni.* [8] Sic CF; *abusiva* om. A. [9] *in quid* om. CF. [10] Sic CF; A culpam *tuam.* [11] Sic CF; A *removere conaris.* [12] A *corrupta.* [13] A *et temporibus.* [14] A *interrogatus.* [15] A *praeceptum divinum.* [16] *Adam ubi es? Ac si diceret* om. A. [17] *in aliud vel aliquem* om. A. [18] Sic CF; A extra *naturam* a Deo *facta reperitur.*

NOTAE.

[a] Pessimam J. Scoti de statu primoparentum, de sexu duplici, et de generatione doctrinam, quam his libris uberius explicat, identidem percensuimus. Accedit sacraeScripturae aperta ludificatio et falsa peccati originalis interpretatio. Cf. Comment. de J. Scoto P. II § 49 sqq.

sint autem animantia illa et bestiae terrae, inter quae carnalis delectatio, per quam diabolus seducit animam, et in qua veluti principali sede habitat, pulcherrime et copiosissime sanctus Ambrosius in libro de Paradiso exposuit. Sunt enim omnes irrationabiles passiones rationabilis nostrae naturae, quam *terrae* vocabulo divina commemorat Scriptura. Et ne mireris, quod mixtim ac veluti indiscrete et carnalis delectatio et astutia diabolica in figura serpentis significatur; aliquando enim ipsum diabolum absolute coluber ille conformat, aliquando libidinosum deceptae ab eo carnalis animae, hoc est carnaliter viventis appetitum, aliquando confuse et indistincte utrumque, et alterum in altero concatenatim [1] insinuat. Nec immerito; alterum enim sine altero separabiliter esse non potest. Ubicunque enim fuerit libidinosus animae contuitus, ibi absque mora aderit immundi spiritus accessus: ubicunque autem adsit diabolicae astutiae introitus, ibi non deerit universalis malitiae pruritus. In quocunque autem corporeo sensu, qui in figura mulieris ponitur, haec duo convenerint, necessario illicitus esus, illicitae escae, hoc est, materialium rerum pulchritudinis sequetur abusio; quae mortem animae infert, cujus mortis mors corporis umbra est. De maledictione autem, qua serpens damnatus est, deque sententiis, quae in mulierem, inque virum suum Adam prolatae [2] sunt, in quibus plus misericordiae intelligitur quam vindictae, superfluum videtur mihi [3] nunc dicere. Quod enim a sanctis Patribus satis est explanatum, explanare fortassis videbitur non necessarium, et quod in illorum scriptis plenissime planissimeque invenitur, cur a nobis, forte quis dicet, quasi melius explanaturis [4] repetatur? Quod absit de [5] nobis existimari, cum illorum [6] vestigia vix valeamus consequi. Disc. Non necessarium plane videretur, si hoc solum non obstaret. Mirum namque videbitur et rationi textuique disputationis inconveniens, cur, cum paene omnia, quae de natura paradisi spiritualis, deque his, quae in eo facta fuisse Scriptura commemorat, dicenda videbantur, quamvis cursim breviterque sanctorum Patrum sententias sequens tetigeris, hunc solum locum omnino intactum ac transitorie praetermissum silentio venerabaris [7]. Ac per hoc non omnino oportet te talia praetervolare, sed plane et compendiose percurrere.

24. Mag. Audiamus ergo divinae indignationis in colubrum examen. *Super pectus tuum*, inquit, *gradieris, et terram* [8] *comedes cunctis diebus vitae tuae.* Serpentem in hoc loco in figura et diabolicae astutiae, et carnalis delectationis, et ambarum in se invicem indiscrete et inseparabiliter amplexarum [9], divinam Scripturam posuisse diximus. Disc. Pulchre, et luculenter, et a veritate non alienum. Mag.

A Hujus serpentis pectus est prudentia carnis, in qua diabolicae fraudis calliditas dominatur. Inanis quoque et falsiloqua sapientia, quae animum non aedificat, sed inflat, pectus ejus est. Carnalis itaque prudentia, et inanis fallaxque sophia, pectus serpentis est, quas Deus destruet. *Perdam*, inquit, *sapientiam sapientium, et prudentiam prudentum reprobabo.* Sed si quaeris, qualis differentia sit inter carnis prudentiam et inanem philosophiam, hanc discretionis accipe formulam. Prudentia carnis est falsa virtus, quae vitia virtutum coloribus tingit, quae malitiam bonitati simulatorie conformat, quae turpitudinem honestatis habitu exornat, ipsas vero simplices verasque virtutes dissimulat, ac mentis obtutibus, ne B illarum sinceram faciem possit agnoscere, subtrahendo occultat, ac sic carnales sensus decipit, animasque deludit, fallacibusque [10] phantasiis falsarum virtutum obruit, mortisque aeternae tenebris opprimit. Inanis vero inutilisque sapientia est, cujus exemplum maxime in Judaeis perfidis, venenosisque haereticis [11] viget, quae literam divinae historiae solummodo sequitur, spiritum vero, hoc est, mysticum intellectum odit, spernit, negligit, ignorat, quae de natura rerum falsas inanesque fabulas absque ulla verisimilitudine ad illudendas carnalium [12] animas machinatur, naturalium rationum, secundum quas universa creatura facta est, veritate contempta, inusitatorum verborum pomposum grandiloquumque leporem ventilans, seu fallacium propositionum C syllogismorumque contortis crinibus veritatis formam, qua incautos decipiat, simulans. His itaque duabus pectus serpentis, hoc est, diabolica astutia carnaliumque delectationum illecebra componitur: super quod, pectus dico, serpens ille graditur, hoc est exaltatur, et de quo glorificatur, totum hominem supplantans. Et hoc ex verbis propheticis datur intelligi. Non enim simpliciter dixit, super pectus tuum repes vel serpes, sed figurate, super pectus tuum gradieris. Nemo quippe [13] proprie praedicat [14] de serpente animal gressibile, sed reptile. Omne autem animal, quod repit, a terra non erigitur, sed per terram trahitur; omne vero, quod graditur, priusquam gradiatur, de terra erigitur. Ergo *super pectus tuum gradieris*, hoc est, super astutiam et calliditatem D tuam, quae inani sapientia carnalique prudentia composita est, qua hominem deceptum fefellisti, inque tuam potestatem redegisti, peccatorumque funiculis alligasti, aeternaeque mortis voragine [15] mersisti, in superbiam erigeris, et ad incrementa vitiorum, inque tuae damnationis cumulum, in cordibus infidelium tuae malitiae profectibus elatus et cenodoxus deambulabis. *Et terram comedes*, hoc est, terrena appetentium terrenis cogitationibus, carnalibusque desideriis, mortiferisque actionibus

VARIAE LECTIONES.

[1] A *concatenatum.* [2] A *perlatae.* [3] *mihi* om. A. [4] F *explanaturi*, sed a. m. corr. *explanaturis*; AC *explanatum.* [5] Sic CF; A *a* nobis. [6] Sic CF; A *eorum.* [7] Sic CF; A *veneraris.* [8] A *terras.* [9] Sic CF; A *perplexarum.* [10] A *fallacibus.* [11] Sic CF; *venenosisque haereticis* om. A, sed Gale corr. *venenatisque* haereticis. [12] Sic CF; A *carnales* animas. [13] Sic CF; A *Non enim.* [14] A *praedicatur.* [15] Sic CF; A *inque aeternae mortis voraginem.*

vesceris. *Cunctis diebus vitae tuae*, hoc est, quanto tempore in humana natura regnum tuum, veluti quaedam falsa lux, arriserit et praevaluerit. Non enim aeternaliter imaginem Dei regnabis et vinces, sed aut specialiter in Christo redemptore de potestate tua liberabitur adhuc in hac vita detenta, aut generaliter in fine mundi, quando novissima inimica mors per eundem Christum Dei Verbum destruetur, et universaliter humana natura in pristinum statum restituetur. *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Mulier est sensus corporeus, naturaliter humanae naturae insitus, per quam in his videlicet, qui perfecti sunt, visibilis creaturae pulchritudo ad laudem Creatoris refertur. Inter quam, mulierem dico, et serpentem, hoc est, libidinosam delectationem materialis pulchritudinis, diabolicamque calliditatem in ea possidentem, magna inimicitia a Deo constituta est: mulier quippe, hoc est perfectus perfectorum sensus, odit materialium rerum carnalem appetitum, serpens vero spiritualium divinarumque virtutum inimicum habet desiderium. *Et semen tuum et semen*[1] *illius.* Semen mulieris est rerum visibilium perfecta naturalisque ac multiplex cognitio, omni errore sublato. Ad hoc enim in homine corporeus sensus constitutus est, ut sensibilium et intelligibilium per medietatem phantasiarum internuntius fieret; semen vero serpentis innumerabilium delictorum mortiferum incrementum esse, nemo recte philosophantium ignorat. *Ipsa conteret caput tuum.* Caput hujus serpentis, hoc est initium, duabus veluti partibus conflatur; omnis enim malitia ex motu irrationabili rationabilis naturae, et ex invidiosa diaboli astutia ortum originemque sumpsit, quod caput in sensu perfectorum fidelium conteritur. Non enim eos diabolica fallit astutia, neque primae suggestioni latenter subrepenti praestant introitum, seu irrationabili motui accommodant accessum. Caput illud dum unum putatur, in infinitum numerum dividitur, quia universalis malitia in tantum multiplex est, ut nulla pars ipsius sit, ex qua venenosa vitiorum genimina[2] non crescant. Quae omnia mulier illa, de qua Salomon ait: *Mulierem fortem quis inveniet?* virtus videlicet et sapientia in sensibus fidelium perfectorum comminuit. Quam mulierem Propheta psalmographus alloquitur dicens: *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum*[3] *escam populis Aethiopum.* Populi Aethiopum sunt multitudines gentium, quae in Christum praefatae[4] mulieris typo praefigurative[5] crediderunt[6]. De quibus Isaias ait: *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Aethiopes enim tenebrosi aut[7] humiliati translationis proprietate dicuntur. Quorum theoria gentilium populis convenienter coaptatur, qui ante adventum veri luminis, quod est Dei Verbum, tenebrosi erant, caligine videlicet ignorantiae mortisque aeternae densissima nebula sepli; sed mox humiliati, fidem accipientes, illuminati sunt, et spiritualibus epulis reficiuntur, quas de capitibus draconis contritis, hoc est, totius malitiae numerositatibus devictis divina praeparat sapientia. De hoc dracone idem Psalmista loquitur: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Draco iste, inquit, diabolus profecto, corpusque illius universale, hoc est totius malitiae plenitudo, ipse est, *quem formasti, ut illudatur ei a sanctis tuis*, qui ipsius perniciosis fallacibusque insidiis illudunt, dum artes malitiae, quibus bonitatis munimina machinatur destruere, patefactas explodunt[8], malleisque virtutum principia nequitiae, quae ab eo pullulant, confringunt[9]. Cui[10] sententiae congruit, quod ait sanctus Job: *Hoc est initium figmenti Dei, quod fecit, ut illudatur ab angelis ejus.* Cur autem draco iste spiritualis cum omnibus membris suis[11], quae ejus malitiam sequuntur, formatio Dei vel figmentum dicitur, duobus modis intelligi potest. Primum quidem, quia omnes apostatae angeli, omnesque homines, eorum sequaces, quantum naturaliter subsistunt, a Deo conditi sunt, figmentum ejus non incongrue formatioque esse creduntur. Deinde, quod talia symbolica verba in talibus divinae Scripturae sententiis non semper naturam daemonum malorumque hominum, in qua eos conditor omnium bonorum substituit, sed ea, quae merito utriusque, angelicae videlicet et humanae creaturae, inobedientiae superaddita sunt, essentiae in eis conditae significant ut sunt corpora aërea daemonum, terrena quoque mortaliaque hominum membra, quae incunctanter in poenam peccati simplicitati naturae a Deo constitutae adjuncta esse credenda et intelligenda sunt. Sed utrum natura daemonum a corporibus ab isto aëre sibi adjunctis liberabitur, sicut humana natura sui Redemptoris gratia adjuta, resurrectionis momento animalibus corruptibilibusque corporibus absolvetur, alius disserendi locus est.

Et nunc breviter colligendum, quod corpora illa naturalia, quae in conditione angelicae naturae facta sunt, quemadmodum caelestes virtutes, quae nunquam Creatorem suum deseruere, ita etiam apostatae virtutes inseparabiliter et aeternaliter possidebunt, quoniam spiritualia et incorruptibilia sunt: superaddita vero eis ex qualitatibus hujus mundi merito nequitiae suae veluti quaedam indumenta veterascentia cum ipso, de quo sumpta sunt, mundo peritura, credibile est. Quod igitur Propheta ait: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, possumus sic accipere, quia non videtur a veritate distare, ut in *draconis* significatione morti-

VARIAE LECTIONES.

[1] *semen* om. A. [2] Sic CF; A *germina*. [3] A *enim*. [4] Sic CF; A *fortis* praefatae. [5] Sic CF; A *figuratum*. [6] Sic CF; A *crediderint*. [7] Sic CF; A *atque*. [8] F *exprodunt*. [9] *destruere, patefactas—confringunt* om. C. [10] Sic CF; A *Cujus*. [11] Sic AC; F *suis membris*.

feram astutiam diaboli membrorumque ejus sive in angelis, sive in hominibus malis, *figmenti* vero seu *formationis* vocabulo, quia sic diversitas interpretum Ecclesiae usibus ex hebraico transtulit eloquio, aut naturam eorum, secundum quam a Deo substituta sunt, prinsquam peccarent, aut ea, quae propter superbiam suam eis superaddita sunt [1], intelligamus. Sed qualicunque modo accipiamus figmentum seu formationem, hoc est sive de natura, sive de naturae superadditis, ad illudendum ei a sanctis hominibus sanctisque angelis diabolus cum suo toto corpore formatus est, non juxta quod naturaliter factus, sed juxta quod superbiendo suaeque naturae dignitatem deserendo futurus. Illudetur enim a sanctis ejus angelis [2], remanentibus quippe illis bona voluntate et conditoris gratia fixis [3] in ea felicitate, in qua creati sunt. Ille superba ignorantia, qua se casurum non praesciverat, nam si praesciret, fortassis sibi praevideret ne caderet, deceptus, invidiaeque livore inflatus, in suam sponte delapsus est miseriam. Justi vero homines Creatoris sui ac Redemptoris pietate liberati et illuminati, illudunt ei, dum ipsum latenter forma boni coloratum, virtutumque similitudine vitia mortiferumque malitiae venenum suggerentem sentientes, mox caput ejus conterunt, escamque spiritualem, divinam videlicet prudentiam, quae vitia a virtutibus secernit, ne subdola versutia eos fallere valeat, internae discretionis dentibus comminuunt, verique boni sinceris dapibus omni mixtura mali purgatis vescuntur. Neque illorum mulierem [4], hoc est sensum [5], materialium rerum pulchritudo decipit, per quam antiquus coluber, libidinosa delectatione mediante, mortifera vitiorum venena in imprudentium animos [6] diffundit. Conterit ergo mulier, hoc est sensus, malitiam bonitate discernens [7], fortioris mulieris, Dei Verbi dico, virtutibus incitata, mota, adjuta, roborata, et ad perfectionem actionis et contemplationis perducta, caput serpentis et capita diabolicae videlicet suggestionis illecebrosaeque delectationis primordia, unde eis laetitia divinaque efficitur refectio [8]. Qualis enim major laetitia est spiritualiter in hac vita degentibus, quam serpentinas libidinosasque diaboli versutias in seipsis primo convincere, ac deinde simplicioribus se in actione et intelligentia fidelibus, ne et ipsi eisdem deceptoris insidiis capiantur, propalare. *Et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Calcaneum mulieris, quae est αἴσθησις, rerum sensibilium phantasiae sunt, hoc est imagines, quae de corporalibus numeris in quinquepertito sensu exprimuntur. Ac per hoc calcaneum illud quinquepertitum esse necesse est. Dividitur enim in quinque notissima sentiendi organa, visum dico, auditum, olfactum, gustum, tactumque.

A Quorum quaedam quidem [9] longe extra molem corpoream sentientis extenduntur, ut visus et auditus. Solem namque et lunam [10], ceteraque sidera longe ab eo loco, quo corpusculi mei moles ambitur, posita sentio. Ubi enim sunt, ibi ea sentio in radiis oculorum meorum, qui illuc nulla mora interstante eriguntur, in quibus phantasiae praedictorum siderum formantur. Videsne igitur, quam longe praefata femina calcaneum suum in organo [11] videndi extendit. Similiter de his, quae prope vel [12] in mediis spatiis videntur, intelligendum. Non alio modo de audiendi officio naturalis organi consideratio edocet. Auditus siquidem extra corporis spatia foras erumpit, ut sonorum seu vocum formulas in seipso expressas recipiat, sive longe, sive prope ictu [13] aëris B effectas. Quidam vero intra terminos corporis continentur, ut est olfactus et gustus, ut multis de natura sensuum disputantibus [14] videtur. Non desunt tamen, qui sensum olfaciendi foras autumant prosilire, quorum opinionem non possumus spernere; longiuscule enim a corporibus nostris bene seu aliter olentia sentimus. De tactu autem nemo physicorum dubitat, quod et intra corpus et extra suum peragat officium. Solus enim et sine aliis sensibus vim suam exercet. Nullus vero aliorum quattuor absque illius cooperatione ministerium suum valet adimplere. Nam et visus non potest videre, nisi tetigerit, quod videt; nec auditus audire, nisi tetigerit, quod audit; nec olfactus olfacere, si non tetigerit, quod olet; neque gustus gustare, si non tetigerit, quod gustat. Animadverte C itaque mulieris calcaneum [15], quinquepertitum sensum sensibilium rerum phantasiis formatum, cui serpens callidus insidiatur. Insidiatur enim sensui videndi, dum pulchritudinem formarum colorumque incautis animabus perniciose suadet concupiscere. Eadem ratione de harmonia vocum, de suavitate odorum, de saporum eorumque, quae tactus attingit, delectationibus intelligendum arbitror. Quae omnia, dum improvide, hoc est carnali cupiditate concupita, per corporeum sensum ab anima [16] percipiuntur, mortiferum divinorum mandatorum transgressionis efficiunt venenum, omniumque delictorum semina nutriunt. Et hoc est, quod superius insinuat Scriptura, ubi ait: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspe-* D *ctuque delectabile, et tulit de fructu illius* [17] *et comedit, deditque viro suo:* mulierem videlicet figurate exteriorem sensum appellans, rerum sensibilium phantasiis delectatum atque deceptum, viri autem appellatione animum significans, qui sensui corporeo illicite consentiens corrumpitur, hoc est, contemplatione intimae veritatis segregatur.

25. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo aerumnas*

VARIAE LECTIONES.

[1] *sunt* om. CF. [2] Sic CF; A *angelis ejus.* [3] Sic A; CF *fixi.* [4] Sic F; A *mulieres*, C *mulierum.* [5] Sic CF; A *sensus.* [6] Sic CF; A *imprudentium animis* diffundit. [7] Sic CF; A *discerpens.* [8] Sic CF; A *perfectio.* [9] *quidem* om. A. [10] CF *lunamque.* [11] Sic CF; A in *organum.* [12] Sic CF; A quae *proprie tibi* in *mediis.* [13] Sic CF; A *jactu.* [14] Sic CF; A *disputationibus.* [15] *mulieris calcaneum* om. A. [16] Sic CF; A ab *animo.* [17] A *illi.*

tuas et conceptus tuos; in labore paries filios. Ubi aperte datur intelligi, quod, si homo non peccaret, non solum interiori intellectu, verum etiam exteriori sensu naturas rerum et rationes summa facilitate, omni ratiocinationis necessitate absolutus, purissime contemplaretur. Postquam vero peccavit, per organa exterioris sensus non nisi solas sensibilium superficies, et quantitates, et qualitates, situs quoque, et habitudines, ceteraque, quae corporeo sensui succumbunt, animus percipit. Et haec omnia non per seipsa [1], sed per eorum phantasias attingit, quas secum tractans suum judicium saepissime fallitur [2], ac per hoc non sine multiplicibus studiorum laboribus, quos aerumnas mulieris Scriptura nominat, ad multiplices conceptus, id est, ad inchoationes intelligibilium rerum intelligentiae, atque filios, hoc est rectas rationes, de natura rerum procreandos per eundem sensum potest pervenire. Propterea autem aerumnas, et conceptus, filiosque exteriori sensui divina deputat auctoritas, quoniam omne studium sapientiae, omnisque mentis conceptio, puraque veritatis cognitio a sensibus corporis auspicium sumunt, ab inferioribus ad superiora, et ab [3] exterioribus ad interiora ratione gradatim ascendente. *Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* In hoc loco naturalis ordinis humanae naturae restitutio divina voce promittitur, et in antiquum statum conditionis reversio. Ordo siquidem naturalis esset, si animus sui Creatoris potestati subditus atque obediens semper ei [4] adhaereret: deinde sensus potestatem nutumque animi libenter sequeretur, corpus autem sensui succumberet. Sic namque pax et harmonia ipsius creaturae et in seipsa et cum Creatore suo fieret. Jam vero post transgressionem divini mandati talis ordo, ad quem conservandum creatus est homo, talisque pax et unitas Creatoris et creaturae perturbatus est [5]: homo siquidem sponte sua, nulla occasione cogente, rerum sensibilium amore corruptus, Deum suum deseruit; cui adhaerere solum bonum est nostrae substitionis [6] et non aliud. Ideoque Deus superbiam humanae naturae spernere [7] volens, propriis suis irrationabilibus libitisque motibus hominem permisit abuti, ut in seipso probaret, quid sui Conditoris gratia meritumque obedientiae, et quid irrationabilis motus [8] superbaque mandati transgressio sibi conferret. Ac per hoc veluti divortium quoddam maris et feminae subsequutum est inter animum et sensum; non enim obtemperat sensus corporeus jussionibus animi juxta leges naturae. Quod divortium Apostolus aperte pulchreque expressit, dicens: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*, carnem videlicet carnalem sensum appellans, qui rationabilibus animi motibus etiam in his, qui perfecti sunt, inobediens resistit.

A Et alibi: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Animadverte dissidium legis mentis et legis carnalis sensus, quae dominatur in membris carnaliter viventium, repugnat mentibus spiritualium in mortalibus membris ad exercitationem virtutis, ideoque lex peccati, id est, carnalis sensus ab Apostolo nominatus est. Sed hoc dissidium divortiumque animi et sensus, quando restaurabitur natura et ad naturalem ordinem revocabitur, in pacem spiritualis naturalisque conjugii [9] vertetur, quando corpus sensui, sensus animo, animus Deo subditus et obediens erit. Hoc etiam apertius datur nobis intelligi, si Septuaginta editionem intendamus: *Et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur.* Quibus
B verbis apertissime intelligitur reditus humanae naturae in pristinum ordinem.

26. Quod autem viro dictum est: *Maledicta terra in opere tuo*, et cetera, quae sub forma maledictionis videntur esse scripta, non facile patent, qualis sit illa terra, cui merito praevaricationis animi, qui est vir humanae naturae, maledicitur, et qualis sit illa maledictio, utrum indignationis severitas sit, an quaedam mystica objurgatio, et cur non ipse animus, qui vocem mulieris audiens, vetitumque fructum comedens peccavit, maledictum sustinuit, et in quibus laboribus comedit maledictam terram, et qui sunt dies vitae animi, qualesque spinas et tribulos germinet terra illa [10], quasque herbas ejus comedit, quis sudor, quis vultus, qualis reditus *animi in ter-*
C *ram*, de qua sumptus est, quis pulvis. Haec omnia si secundum historiam, hoc est, secundum rerum sensibilium, quae in hac ac [11] de hac terra hominibus habitabili fiunt, accipiantur, sicut multis auctoribus placuit, aut nullam, aut levissimam quaestionem gignunt; sin vero in ipsa humana natura, sicut et cetera, quae de paradiso praedicta sunt, intelligantur [12], non parva indigent indagatione. Quod autem et secundum rerum factarum proprietatem accipiuntur, et tamen propheticam flagitant intentionem, sanctus Augustinus in undecimo Exemeri sui testatur his verbis: *Quia audisti vocem mulieris tuae, et edisti de ligno, de quo praeceperam tibi, de eo solo non edere, maledicta terra in operibus tuis. In tristitiis edes illam omnes dies vitae tuae: spinas vel [13] tribulos edet tibi. Et edes foe-*
D *num agri, in sudore faciei tuae edes panem tuum, donec convertaris in terram, ex qua sumptus est: quia terra es et in terram ibis. Hoc, inquit, esse in terra labores humani generis, quis ignorat? Et quia non essent, si felicitas, quae in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum. Ac per hoc etiam proprie verba haec primitus accipere non pigeat; servanda tamen est et expectanda significatio prophetiae, quam maxime hic intuetur Dei loquentis intentio.* Videsne,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A per *seipsum*. [2] A *fallit*. [3] *ab* om. CF. [4] *semper ei* om. A. [5] Sic CF; A *perturbatur*. [6] Sic CF; A bonum est *humanae naturae*. [7] Sic CF; A *substernere*. [8] Sic CF; A *irrationabilibus motibus*. [9] A in *pace* s. n. *conjugium*. [10] *illa* om. A. [11] Sic CF; A *et*. [12] Sic CF; A *intelligenda*. [13] A *et*

quemadmodum [1] jubet, hunc locum sacrae Scripturae et proprie et figurate accipi? Sed quid vult illa figura prophetica, in praefato suo libro non explanat. Sed si explanaret, fortassis nobis sufficeret, nec aliam expositionem quaereremus. Non autem explanat. Quaeramus igitur breviter, Deo duce, quid sibi volunt talia divini eloquii verba. DISC. Quaeramus; non enim intacta praetermittenda sunt. MAG. Sufficit [2], ut arbitror, de talibus responsionem beati Maximi monachi ponere. Sed ut apertius ipsa responsio patefiat, ejusdem sciscitatio praeponenda [3] est. DISC. Aliter fieri non oportet. MAG. Proponit itaque in quinto Scholiorum [4] capitulo hoc pacto : *Quae sit maledicta terra in operibus Adam secundum anagogen, et quid in tristitiis eam comedere, et quid post germinationem spinarum tribulorumque herbam comedere, et postremo quid in sudore vultus sui panem comedere? Et quidem nunquam visus est homo terram comedens neque herbam; neque panem manducantes juxta judicium historiae in sudore vultus comedunt. Responsio : ipsa terra maledicta in operibus Adam caro est Adam, semper facta per opera Adam. Dico autem passiones cognoscentis animi maledicta, virtutum veluti divinorum operum infructuositate, quam cum anxietate multa tristitiaque comedit, brevi secundum ipsam voluptate perfruens. Quae caro pro ipsa corruptibili perfruentia germinat ei cogitationes et curas, veluti spinas, magnasque tentationes atque periclitationes, veluti tribulos, et contra rationem, furorem et concupiscentiam languide eum undique compungentes; ut vix possit ejus, carnis videlicet, sanitatem incolumitatemque, veluti foenum marcidum, adquirere atque manducare, hoc est consequi : et tunc post multam atrocitatum revolutionem in sudore vultus, hoc est, in ipsa secundum sensum humilitate atque labore in* [5] *operosae considerationis sensibilium velut panem ad constitutionem habendo praesentis, vitae occasionem, sive per artem, sive per aliam quandam huic vitae distributam machinationem. An magis terra est Adam cor maledictum, per praevaricationem accipiens caelestium bonorum ablationem? Quam terram per practicam philosophiam multis comedit tribulationibus* [6], *purgatam per conscientiam maledictione operum turpitudinis, et iterum germinatas* [7] *in ea* [8] *instar spinarum cogitationes circa corporum generationem, ac veluti tribulos, circa incorporalium providentiam judiciumque, scatentes opiniones ratione purgans* [9], *physicam veluti foenum carpit spiritualiter theoriam. Et sic quasi in sudore vultus scibili intelligentiae secundum scientiam vultu incorruptibilem theologiae comedit panem, solum vere vitalem et comedentium se conservantem ad incorruptibilitatem generationem. Terra itaque est bene comesa ipsa per actionem cordis purgatio, foenum vero ipsa secundum naturalem theoriam eorum, quae facta sunt, scientia, panis autem vera* [10] *secundum theologiam mysteriorum doctrina.* Hactenus Maximus [11]. Arbitror autem, dies vitae animi, quibus terram cordis sui purgando laborat, non hos solummodo, quibus praesentis vitae tempora volvuntur, corpusque ab anima vegetatur, verum etiam et illud spatium temporale, quo animae regimen corporis deserentes in alia vita, donec corpora sua recipiant, morantur, significare. Nam et in hac vita, qua simul corpus et anima degunt, et in altera post mortem corporis, hoc est solutionem ejus, reditumque in quattuor mundi elementa, ex quibus est collectum atque compositum, usque ad finem mundi, corporumque resurrectionem, diemque judicii purgari animas posse credimus. Hi sunt igitur dies, quibus animus terram cordis sui comedit, hoc est, actione purgationis utitur. Nam post finem rerum sensibilium nullum purgationis actum legimus fore post reditum naturae in pristinam puritatem. Et fortassis hoc significat, quod dictum est : *Donec convertaris in terram, de qua sumptus es.* Ac si aperte diceret : Tanto tempore in purgationis tuae per actionem et scientiam laboribus sudabit vultus tuus, hoc est, rationabilis inquisitio veritatis, donec convertaris in terram, de qua sumptus es, hoc est, in soliditatem incommutabilem primordialium causarum, ex quibus originem ducis. Non enim ulterius sudabis, dum illuc perveneris. Quod autem nomine terrae felicitas aeternae vitae stabilitasque primordialium causarum, ex quibus omnia, quae sunt, oriuntur, significetur, multis divinae Scripturae locis aperte innuitur. Verbi gratia, Abraham dictum est : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi.* Et post aliquanta : *Profectus inde Abraham in terram australem, et habitavit inter Cades et Assur,* inter sanctificationem videlicet et beatificationem [12], inter quas in aeterna requie omnis sanctorum felicitas constituta est. Sanctificati enim, hoc est, omni contagione corporis et animae purgati, beate [13] juxta leges naturae victuri sunt. Et si quis aliam Assur interpretationem, quae est Mesopotamia, consideraverit, pulcherrimam praesentique negotio convenientissimam theoriae occasionem inveniet. Mesopotamia quippe media inter flumina et est et dicitur. Nunquid autem credibile est, habitationem sanctarum animarum totiusque humanae naturae restauratae alibi futuram, nisi inter media spiritualium virtutum flumina, ex fonte omnium bonorum manantia? Et quid aliud praeter id ipsum per repromissionis terram, ad quam Dei populus ductus est Aegyptiaca captivate servituteque liberatus, mystice significabatur? Haec est terra viventium, in qua sancti duplicia possidebunt, hoc est, corporis et animae fe-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *quomodo*. [2] Sic CF; A *sufficiat*. [3] A *proponenda*. [4] CF *scoliarum*. [5] *in* om. A. [6] A *per multas* comedit *tribulationes*. [7] Sic CF; A *germinans*. [8] A in *eo*. [9] Sic CF; A *rationes purgatas*. [10] *secundum naturale — mvera* om. A. [11] CF *Maximi*. [12] Sic CF; A *hoc est* inter s. c. *aequanimitatem*. [13] Sic CF; A *aequanimiter*

licitatem. De hac etiam Dominus ipse ait : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Quod autem sequitur : *Quia terra es, et in terram ibis*, vel sicut in alia interpretatione continetur : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, potest sic intelligi : ut, quoniam natura animi, quae ad imaginem et similitudinem Dei facta est, ex fertili terra primitivarum causarum sumpsit exordium, in eam igitur credamus necessario redituram. Si autem quaeritur, cur praefata terra in alia interpretatione pulveris nomine significatur, non alia ratio reddenda est, nisi quia, sicut ex pulvere istius sensibilis terrae [1] omnia, quae de ea nascuntur, nascendi causam accipiunt, ita omnium rerum visibilium et invisibilium multiplex numerositas ex primordialium causarum fertilitate procreatur, inque eandem finito mundo regredietur. Haec B autem dicimus, non simplicitatem eorum [2], qui hunc locum divinae Scripturae secundum historiam accipiunt, redarguentes, qui solutionem humani corporis in quattuor mundi hujus elementa solius terrae nomine generaliter significata, per haec verba Scripturae significari conantur asserere, non animadvertentes, quanta suo sensui [3] videntur adversari. Si enim de solutione corporis divina vox talia protulit, cur viro soli praedixit? Cur non etiam et mulieri, cujus [4] corpus non minus solvitur? Deinceps, cur totum hominem solvendum divina animadversio indicit, cum extremae ejus tantummodo partes vilissimaeque, corpus videlicet corporeusque sensus, solvantur, animae autem naturalis simplicitas, omni compositione libera, nequaquam solutionem recipit, C sed perpetuo insolubilis manet, sive rationabiliter, sive irrationabiliter se moveat. Nisi forte dicant, hunc locum usu frequentissimo sacrae Scripturae συνεκδοχικῶς [5] accipiendum, ut a toto pars intelligatur. Nec mirum, si non de ipso animo, sed de solo virili sexu, intra quem etiam femineus consignificatur, talia dicta esse arbitrantur. Postremo, cur non advertant, quod in his verbis plus restitutio corporis promittitur, quam solutio vel corruptio? Nam dum corpus corruptibile atque mortale destruitur, tunc ad incorruptibile immortaleque revocatur; nullius enim corpus in corruptionem est reversurum. Non ergo haec verba reditum in hanc terram, sed potius reditum in spiritualem naturam praesagiunt. Sed eligat quis quid [6] sequatur : ego autem, quod mihi verisimilius visum est, ex sanctorum Patrum sententiis, Ambrosii dico et Augustini, necnon et venerabilis Gregorii Nazianzeni, qui et Nyssaeus dicitur [a], expositorisque ejus, Maximi videlicet monachi, ratiocinationis occasionem sumens, tibi interroganti partimque exponenti protuli. Et quoniam prolixitas hujus voluminis quaedam ex his, de quibus in ejus exordio nos dicturos esse promisimus, nunc exponere non admittit, in alium librum differenda sunt. De reditu quippe naturarum in primordiales causas inque eam naturam, quae nec creat nec creatur, quae profecto Deus est, latius intra hujus libri terminos tractare proposuimus. Sed si impatiens es, donec de divina natura cognoscas, qua ratione nec creare nec creari dicitur, breviter praelibabo.

27. Divina itaque natura propterea creditur non creari, quoniam primitiva omnium causa est, ultra quam nullum principium est, a quo possit creari. Quoniam vero post reditum universitatis conditae visibilium et invisibilium in suas primordiales causas, quae in ipsa, divina videlicet, natura continentur, nulla ulterius natura ex ea procreabitur, seu in species sensibiles intelligibilesve multiplicabitur; nam in ipsa unum erunt, sicut nunc et semper [7] in causis unum sunt : non immerito nihil creare et creditur et intelligitur. Quid enim creabit, dum omnia in omnibus ipsa sola fuerit? Itaque si tibi videtur, hujus libri progressio pedem retrahat, ne longius incedat.

DISC. Videtur plane, et jamdudum finem postulat. *Explicit liber quartus* [8] ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΝ ΜΕΡΙΣΜΟΥ.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

1. MAG. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum*. Horum verborum priusquam propheticam contemplemur virtutem, qua manifestissime reditus humanae naturae in eandem felicitatem, quam peccando perdiderat, promittitur, totius capituli ordo praemonstrandus est, in quo magnum prophetam Moysen [10] hyperbatice locutum, quisquis acute prospexerit, inveniet. Ordo itaque verborum talis est : D *Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori tunicas pelliceas, et induit eos, et ait : Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum. Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae*. Quod itaque scri-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *terrae sensibilis*. [2] A *illorum*. [3] Sic CF; A *sensui suo*. [4] Sic CF; A *cui*. [5] ACF *synecdochicos*. [6] A *quod*. [7] Sic CF; *et semper* om. A. [8] Sic A; *Explicit liber quartus* περι φυσεων μερισμου om. C; F *Feliciter explicit*. [9] *Incipit Liber quintus* om. C; F *Incipit quintus* περι φυσεων. [10] CF *Moysea*.

NOTAE.

[a] Joannes Scotus duos Gregorios, Nazianzenum et Nyssenum, confundit, eosque unum eumdemque Patrem esse autumat.

ptum est : *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et reliqua usque vivat in aeternum* [1], posset venire in ambiguum, cujus personae dicta sint, utrum Theologi prophetantis, an Domini loquentis, si non aperte in Septuaginta editione distingueretur, in qua scriptum est : *Et nunc*, inquit Deus, *ne aliquando extendat manum, et sumat de ligno vitae*. Nemini tamen vim verborum clare intuenti [2] in dubio, ut arbitror, erit, quin reditum naturae humanae in suam antiquitatem haec verba, quoquo modo sint ordinata, repromittant. Non enim mihi videntur diligenter inspicere, qui illam particulam, quae est *ne*, negandi intellectum, non autem interrogandi, ac veluti dubitandi in hoc loco arbitrantur obtinere, et quod ideo expulsus sit homo de paradiso, ne posset de ligno vitae sumere vivereque in aeternum. Qua enim possibilitate post peccatum humana natura de ligno vitae valeret sumere, et [3] comedere, ac [4] vivere in aeternum, nondum liberata a peccato et morte, quae est poena peccati, quando nec ipse [5] ante peccatum de eodem ligno vel sumpserit [6] vel comederet, ut diligens divinae Scripturae inquisitio subsinuat ? Si enim sumeret et comederet, profecto neque peccarit neque ruerit, sed in aeternum feliciter vixerit [7]. Additur, si paradisus ille, de quo homo expulsus est, localis erat terrenusque, et si lignum vitae, quod in medio ipsius plantatum est, terrenum fuit atque sensibile, fructumque corporeis usibus aptum protulerit, cur non ab ipso solo vitae ligno Deus hominem expulerit, et in aliqua parte paradisi eum sepserit, ne lignum illud posset attingere? Si enim nulla alia causa feliciter et aeternaliter vivendi in paradiso fuerit praeter esum ligni vitae, qui solis rationabilibus creaturis concessus est, cur homo post peccatum in aliqua paradisi parte [8] miser atque mortalis degere temporaliter non potuerit? Nam si cetera animalia, praesertimque serpens ille, quo antiquus hostis malitiam suam exercuit, in paradiso fuisse, nec tamen aeternaliter [9] et feliciter vivere posse creduntur, quoniam non ad esum ligni vitae creata sunt, cur [10] etiam homo delinquens inter illa vivere non sineretur, cum vera ratio docuerit, rationabilem creaturam, etsi peccatricem, omnem irrationabilem peccato carentem naturae dignitate antecedere ? Si ergo irrationabilia animalia, homine depulso, in paradiso remanserint [11], dum sit caeteris praestantior, qua ratione non et ille etiam peccator inter illa in paradiso remanere permissus est? An forte cum illo cetera animalia de paradiso expulsa sunt? Sed [12] si quis hoc dixerit, quaerat ex divina Scriptura, aut sanctorum Patrum auctoritate, aut ex utroque, unde approbet, expulsionem animalium, quibus homo in paradiso ante peccatum nomina imposuit, simul cum homine peccante de paradiso

A fuisse [13]. Quod si hoc [14] non potuerit, carnaliter de paradiso ejusque animalibus sentire desinat, et ad spirituales intellectus, quos veritas edocet, promptus accedat, qua una et sola via mysticarum literarum penetrantur adita. Veni igitur, divinorumque verborum virtutem diligentius intuere. DISC. Praesto sum paratusque, quae a te dicentur, cognoscere ; valde quippe necessaria sunt, et a paucis, ut opinor, tractata. Siquidem de humanae naturae ceterorumque in ea et propter eam in aeternas rationes, ex quibus profecta est, reditu, et in pristinam dignitatem restitutione nullum adhuc scripsisse vel legi vel audivi, quamvis sparsim et in divinis libris et sanctorum Patrum documentis forma talis doctrinae frequenter arrideat.

B 2. MAG. Divina itaque vox talem reditum, de quo sermo est, his verbis insinuat, dicens : *Nunc ergo*, vel ut alia interpretatio apertius profert, *et nunc*, inquit Deus [15]. Ac si plane diceret divina clementia infinitaque bonitas, ad indulgendum miserendumque semper facillima, casum divinae imaginis suspirans, misericorditerque condescendens, hominisque arrogantiam patienter sufferens : Nunc ergo, hoc est, jam de paradiso expulsum hominem video, factumque de beato miserum, de copioso egenum, de aeterno temporalem, de vitali mortalem, de sapiente stultum, de spirituali animalem, de caelesti terrenum, de novo inveteratum, de laeto tristem, de salvo perditum, de prudenti filio prodigum, ex virtutum caelestium [16]

C grege errantem, eique condoleo. Non enim ad hoc factus est [17]. Siquidem ad possessionem aeternae vitae ac beatitudinis conditus est [18] ille, quem vos, o vicini ejus et amici, in regionem mortis atque [19] miseriae videtis nunc de paradiso expulsum, caelestes videlicet ordines alloquens, qui adhaerentes Conditori suo in beatitudine perpetua permanserunt, quorum tamen numerus in perditione hominis ademptus est. Videsne, quanta divinum pathos contineat, dum sic brevissimum ex uno temporali adverbio, quod est *nunc*, et una causali conjunctione, quae est *ergo*, comparatum. Sed veluti post hominis planctum eadem divina clementia ad seipsam caelestesque virtutes consolandas conversa, reditum hominis in paradisum sub quadam dubitativa locutionis forma interrogativaque promittit. Ait enim :

D *Ne forte manum suam mittat, et sumat de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum.* Tanquam diceret : Non adeo de interitu hominis dolendum lapsuque ipsius de paradiso lugendum ; non enim spes redeundi ab illo penitus ablata est. Forte ne mittat manum suam, hoc est, suae bonae actionis in virtutibus studium extendat, quo possit de fructibus ligni vitae sumere, hoc est, Dei Verbi spiritualibus donis, et comedat escam purae contemplationis, cujus virtute vivet in aeternum, nunquam ad ege-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF ; pro *et reliqua — aeternum* A *etc.* [2] Sic F ; A *intuentium*, C *intuendum*. [3] Sic CF ; A *ac* [4] A *et*. [5] Sic CF ; A *ipsa*. [6] Sic CF ; A *praesumpserit*. [7] Sic CF ; A *peccasset — ruisset — vixisset*. [8] A *parte paradisi*. [9] Sic CF ; A *spiritualiter*. [10] A cur *non* etiam. [11] Sic CF ; A *remanserunt*. [12] Sic CF ; *Sed* om. A. [13] Sic C ; A *expulsa fuisse;* F *fuisse expulsa* [14] Sic CF ; A Quod si *homo*. [15] A *Dominus* [16] *caelestium* om. A. [17] *est* om. CF. [18] *est* om. CF. [19] A *et*.

statem temporalium rerum, quae omnino cum mundo peribunt, reversurus, totus in Deum [1] transiturus, et unum in illo futurus. Et hoc sequentibus Scripturae verbis clare datur intelligi. Ait enim : *Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.* Non arbitror te oblivioni dedisse, quomodo in quarto libro, sanctorum Patrum utriusque linguae peritorum de paradiso tractantium sententias sequentes, ad purum, ut nobis visum est, deduximus, non aliud esse paradisum, de quo homo expulsus est, praeter ipsam humanam naturam, ad imaginem Dei creatam, ex cujus, imaginis videlicet, dignitate eadem ipsa natura divinum praeceptum contemnens corruit. Ac [2] per hoc conficitur, nihil aliud esse hominis emissionem vel ejectionem, nisi [3] naturalis felicitatis, ad quam possidendam factus est, perditionem. Non enim homo naturam suam perdidit, quae, quoniam ad imaginem et similitudinem Dei [4] facta est, necessario incorruptibilis est : perdidit autem felicitatem, quam adepturus esset, si obediens Deo esse non contemneret. Disc. Non solum non oblivioni [5] tradidi, verum etiam firmiter memoriae infixi. Mag. Quid ergo ait : *Et collocavit ante paradisum voluptatis* [6], hoc est, ante humanae naturae spirituales delicias, *Cherubim?* Quid vult hoc nomine significare? Utrum caelestem illam virtutem, quae in prima angelicorum ordinum Ierarchia ponitur tertia [7], in ea enim Seraphim, Cherubim [8], Thronos divina computat traditio, an ipsum solummodo nominis intellectum, an aliquid aliud altiori intelligentia hoc nomine vult suadere? Ac [9] per hoc interpretatio nominis hujus prius est manifestanda. Interpretatur itaque Cherubim *multitudo scientiae*, vel *fusio sapientiae*, ut sanctus Dionysius Areopagita in libro de Caelesti Ierarchia scribit. Cui etiam astipulatur Epiphanius in libro de hebraicis nominibus; dicit enim, Cherubim *cognitionem plenam* vel *cognitionem multorum* interpretari. Sed si caelestem essentiam in hoc loco divina voluit significari Scriptura, necessario cogemur fateri, paradisum spiritualis naturae esse. Non enim ratio sinit nos [10] credere, spiritualem Deoque proximam naturam, ac circa eum semper motam, ante localem terrenumque [11] paradisum posse collocari, nisi [12] forte dicamus, non ipsum Cherubim, sed unum de extremo ordine caelestium virtutum, qui prope angelicus dicitur, ante paradisum locatum fuisse, qui propterea Cherubim appellatus est, quoniam ab ipso Cherubim ante paradisum collocari jubetur. Quicquid enim ab inferioribus caelestium ordinibus in rerum natura perficitur, ad superiores refertur, quoniam [13] inferiores nil agunt, praeter quod a superioribus agere praecipiuntur. Eadem

A quippe ratione Seraphim scribitur Isaiam purgasse prophetam, cum *non ipse Seraphim*, ut sanctus Dionysius Areopagita exponit, *per seipsum purgarit prophetam, sed per unum angelorum extremi ordinis caelestium essentiarum*, qui propterea Seraphim appellatione meruit vocari, quoniam [14], sicut ei jusserat Seraphim, purgavit prophetam, et quod ipsa purgatio non ad purgatorem refertur, sed ad eum, qui jussit prophetam purgari. Quid, si hoc dixerit, nonne eadem difficultas remanebit? Non enim verisimile est, angelicam substantiam, quamvis in ordine caelestium virtutum extremam, in aliquo terreno loco posse collocari. Si vero solum nominis intellectum, nullam vero caelestem substantiam in hoc loco accipiamus, possumus dicere, Deum ante pa-
B radisum voluptatis, hoc est, ante conspectum rationabilis humanae naturae, quamvis de paradiso expulsae, hoc est, ex dignitate primae suae conditionis remotae, Cherubim collocasse, multitudinem videlicet scientiae, aut fusionem sapientiae, qua seipsam recognosceret, inque pristinam felicitatem, quam peccando deseruerat, actione et scientia purgata, sapientiaeque studiis exercitata vellet et posset redire. Ubi datur intelligi, plus divinae misericordiae, quam vindictae in expulsione hominis de paradiso fuisse. Non enim conditor imaginem suam voluit [15] omnino damnare, voluit autem eam renovare, multitudineque scientiae exercitare, fusione item sapientiae rigare et illuminare, dignamque efficere, iterum lignum vitae, a quo remota est,
C adire, eoque frui, ne interiret, sed viveret in aeternum. Sed si quis altius velit conspicere, Cherubim vocabulo ipsum Dei Verbum significari, non incongrue intelliget. Dei namque Verbum, in quo sunt thesauri scientiae sapientiaeque absconditi, semper sine ulla intermissione humanae naturae obtutibus praesto est, eamque admonet, et purgat, et illuminat, donec ad perfectionem suam intemeratam reducat. Et quid mirum, si Dei sapientia Cherubim vocabulo significetur, cum et Angelus magni consilii et Virtus dicatur — audi Apostolum de Patre Deo loquentem : *Invisibilia enim ejus a creatione* [16] *mundi per*
D *ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus similiter et potestas* — et, ut breviter dicam, omnium caelestium essentiarum appellationibus quadam mirabili [17] metaphora in divinis Scripturis soleat intimari? *Flammeum* quoque gladium eadem ratione ipsum Dei Verbum significare non inconvenienter accipimus. Urit namque et dividit. Urit quidem nostra delicta, est enim *Deus ignis consumens*, purgansque irrationabiles nostrae naturae sordes : eamque dividit atque [18] discernit ab his, quae ei merito praevaricationis super-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *Dominum.* [2] A *Atque.* [3] A *ni.* [4] Sic CF; A *ad imaginem Dei et similitudinem.* [5] CF *oblivioni non.* [6] Sic CF; A *humanae* voluptatis. [7] Sic CF; A *secunda.* [8] Sic CF; A *Cherubin, Seraphin.* [9] A *Atque.* [10] A *nos sinit.* [11] Sic CF; A *terrenum localemque.* [12] A *ni.* [13] A *quia.* [14] Sic CF; A *Quod.* [15] A *voluit imaginem suam.* [16] CF *creatura.* [17] Sic CF; A *mutabili.* [18] A *ac.*

venerant, eamque decolorant, atque deformant, dissimilemque conditori suo efficiunt. Gladius iste, Verbum videlicet Patris, unigenitus Filius, virtus et sapientia non immerito et creditur et intelligitur versatilis, quia, dum est [1] natura immutabilis, movetur tamen ineffabili sua clementia et misericordia erga salutem humanae naturae. Semper itaque talis Cherubim flammeusque gladius versatilis ante oculos animae nostrae, rationis dico et intellectus, collocatur. Quid ita? *Ad custodiendam viam ligni vitae*, hoc est, ne viam ligni vitae oblivioni tradamus, sed semper memoriam ipsius ligni viaeque, qua itur ad illud, ante oculos cordis nostri indesinenter habeamus. Et ne mireris, me singulariter Cherubim protulisse, cum beatus Hieronymus et pluralis numeri et masculini generis talia nomina in *im* desinentia apud Hebraeos pronuntiarit. Secutus namque sum sanctum Dionysium Areopagitam, singulariter etiam [2] Seraphim et Cherubim nominantem, praesertim cum et Hebraeorum et Graecorum usus sit, singularia et pluralia pro se invicem ponere. Sed quae est illa via, quae ducit ad lignum vitae? Et quid [3] est illud lignum, ad quod ducit [4]? Nonne idem ipse Filius Dei, qui de seipso loquitur: *Ego sum via, et* [5] *veritas, et vita?* Quod autem ipse sit lignum vitae, multis divinae Scripturae [6] locis comperitur [7] apertissime, ita ut nullo indigeat testimonio. Multipliciter itaque in hoc loco sanctae Scripturae Dei Verbi symbolica nomina exaggerata sunt. Nam et Cherubim, et flammeus gladius versatilis, et via, et lignum vitae appellatur, ut per hoc intelligamus, quod ipsum Verbum nunquam cordis nostri [8] obtutibus recedat, et quod semper ad illuminandos nos praesentissimum sit, et beatitudinis, quam praevaricando perdidimus, nusquam nunquam [9] memoriam perdere sinit, ad eandem semper redire nos [10] volens, et, donec id fiat, condolendo suspirans, perque scientiae et actionis perfectos gradus iter, quod illuc ducit, carpere [11] nos instigans. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, et quid volo, nisi* [12] *ut accendatur?* Sed priusquam de ipso reditu nostrae naturae tractemus, quaedam ex sensibilibus probatissima argumenta, quibus docemur incunctanter credere, ipsum futurum esse, sumenda existimo, si tibi videtur.

3. Disc. Videtur plane. Ex sensibilium quippe naturalibus argumentis ad puram spiritualium rerum cognitionem verae ratiocinationis progressio potest pervenire. Mag. Considera itaque, utrum isti locales temporalesque hujus mundi visibilis partium recursus vacant quodam mysterio, necne. Disc. Vacare eos mysterio non facile dixerim; nihil enim

A visibilium rerum corporaliumque est, ut arbitror, quod non incorporale quid et intelligibile significet. Sed ipsorum recursuum, ex quibus argumenta vis sumere, quosdam breviter velim commemores. Mag. Omnibus, ut aestimo, naturam rerum considerantibus et animi conceptione et corporalis sensus judicio luce clarius patefactum est, caelestem astrigeramque sphaeram semper volubilem ad eundem locorum situm in viginti quattuor horarum spatio redire: solem similiter ad idem punctum aequinoctialis diametri, peracto quadriennio, eodem temporis momento, in ortu dico, pervenire: lunam quoque ad eundem locum signiferi, quo accensa est, paulo plusquam viginti septem dierum et octo horarum intervallo recurrere. De reditu autem aliarum B planetarum, quia [13] omnibus astrologiae peritis notissimum est, supervacuum videbitur [14] dicere. Sufficit enim duorum maximorum mundi luminarium naturales leges [15] et revolutiones ad ea, quae conamur asserere, suadenda posuisse. Luna siquidem ad principia cursus sui nono et decimo [16] anno peracto, sol vero viginti et octo [17] finito revocatur. Qui duo numeri in se invicem multiplicati in quingentos triginta duos annos concrescunt. Quibus peractis ad eosdem locorum signiferi et temporum magni anni numeros et situs, omnemque sui cursus harmoniam praedicta duo [18] luminaria, totam paschalis cursus rationem peragentia, redire perhibentur. Quid aër? Nonne ad easdem qualitates frigoris, seu caloris, seu temperantiae, definitis revocatur tempo- C ribus? Quid dicam de Oceano? Nonne per omnia lunarem cursum sequitur, certaque spatia suae recursionis [19] observat? Sive quotidianos aestus, sive recessus, sive malinas, sive ledones [19*] peragat, varios semper naturae certosque recursus non praetermittit. Quid de Nereis [20], terrenisque [21] animantibus, surculis, herbis? Num [22] similiter sua tempora observant, quibus in foetus, flores, folia, fructus erumpant [23]? Ac [24] simpliciter dicendum, nulla corporea creatura est, vitali motu vegetata, quae non ad principium motus sui revertatur. Finis enim totius [25] motus est principium sui; non enim alio fine terminatur, nisi suo principio, a quo incipit moveri, et ad quod redire semper appetit, ut in eo desinat atque quiescat. Et non solum de partibus sensibilis mundi, D verum etiam de ipso toto id ipsum intelligendum est. Finis enim ipsius principium suum est, quod appetit, et quo reperto cessabit, non ut substantia ipsius pereat, sed ut in suas rationes, ex quibus profectus est, revertatur [26]. *Praeterit enim*, ait Apostolus, *figura hujus mundi*. Quam apostolicam sententiam sanctus Pater Augustinus breviter exposuit, dicens:

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *sit.* [2] *etiam* om. A. [3] A *quod.* [4] Sic CF; A *ducitur.* [5] *et* om. A. [6] A *scripturae divinae.* [7] CF *comparatur.* [8] CF *nostri cordis.* [9] *nunquam* om. A. [10] Sic CF; A *nos redire.* [11] Sic CF; A *carpentes.* [12] A *ni.* [13] Sic CF; A *quod.* [14] A *supervacaneum est* dicere. [15] A *leges naturales.* [16] A *decimo nono*, C *nono et* x°; F VIIII° *et* x°. [17] A *decimo octavo*; C XX° *et* VIII°; F XX° *et* VIII°. [18] A *duo praedicta.* [19] A *recursionis suae.* [19*] Sic CF; f. sive *matutinos* sive *serotinos?* [20] Sic CF; A *aeris.* [21] Sic CF; A *terrenis.* [22] Sic ACF. [23] Sic CF; A *crumpunt.* [24] A *Et.* [25] *totius* om. A. [26] A *revertat.*

Figura, igitur [1] *non natura*, naturam pro essentia, ut aestimo, mutans, usu frequentissimo graecae latinaeque [2] elocutionis. Nam Graeci φύσιν pro οὐσίᾳ, et οὐσίαν pro φύσει saepissime commutant. Horum siquidem nominum proprietas est, οὐσίαν, id est essentiam, de eo, quod nec corrumpi, nec augeri, nec minui in omni creatura sive visibili sive intelligibili potest, praedicari; φύσιν vero, hoc est, naturam de generatione essentiae per loca et tempora in aliqua materia, quae et corrumpi, et augeri, et minui potest, diversisque accidentibus affici. Οὐσία namque ex verbo εἰμί derivatur, quod est *sum*, cujus participium masculinum ὤν, femininum οὖσα; inde [3] οὐσία. Φύσις autem ex verbo φύομαι, id [4] est *nascor*, vel *plantor*, vel *generor*. Omnis itaque creatura, quantum in suis rationibus subsistit, οὐσία est; in quantum vero in aliqua materia procreatur, φύσις [5]. Veruntamen, ut diximus, sicut apud Graecos οὐσία pro φύσει et φύσις pro οὐσίᾳ, ita apud Latinos essentia pro natura et natura pro essentia indifferenter constituitur, salva tamen singularum significationum proprietate. Essentiam itaque rerum sensibilium [6], quam praefatus Pater naturae significavit appellatione, perpetualiter permansuram esse vera [7] ratio fiducialiter astruit, quoniam in divina sapientia incommutabiliter [8] ultra omnia loca et tempora omnemque mutabilitatem facta est. Naturam vero per loca et tempora generatam, ceterisque accidentibus ambitam, intervallo a conditore omnium praedefinito perituram, nemo sapientiae studiis instructus potest ambigere. His igitur et hujusmodi sensibilis mundi et universaliter et particulariter motibus, recursionibus [9], certissimisque a principio motuum restitutionibus ad id [10] ipsum principium — dum enim motus rerum ab eo incipit, principium, dum vero in ipsum desinit, finis solet appellari; nam et apud Graecos principium τέλος, id est finis, appellatur, indiscrete quidem dicentes principium et finem τέλος — quid aliud nobis mystice intimatur [11], nisi reditus nostrae naturae ad principium suum, a quo facta est, et in quo et per quod movetur, et ad quod redire semper tendit [12]? Generaliter in omnibus hominibus, sive perfecti sint, sive imperfecti, sive puri, sive contaminati, sive veritatem cognoscentes in Christo renovati, sive in tenebris ignorantiae in veteri homine detenti, unus atque idem naturalis appetitus est essendi, et bene essendi, et perpetualiter essendi, et [13], ut sanctus Augustinus breviter comprehendit, beate vivendi miseriamque fugiendi. Motus namque iste feliciter vivendi et subsistendi ab eo, qui semper et bene est [14] et [15] omnibus inest. Et si omnis motus naturalis necessario non desinit, neque quiescit, donec perveniat ad finem, quem petit, quid potest humanae naturae necessarium motum [16] prohibere, compescere, sistere, ne ad id, quod naturaliter appetit, valeat pervenire? Nulla enim creatura est, quae velit vel appetat [17] nihil esse; fugit autem, ne ei contingat non esse, praesertim dum omne, quod ab eo, qui vere est, et super esse est [18], factum est, ad nihilum redire difficile est [19]. Si vero aliqua occasione natura Deo similis a principio sui per dissimilitudinem remota fuerit, semper ad suum principium [20] redire contendit, ut similitudinem, quam corruperat, recipiat. Si enim ignis iste visibilis, in aliqua materia ardens, flammarumque suarum comas erigens, semper in altum tendit, nulloque suae flagrantiae motu ima petit: qua ratione ignis ille intelligibilis [21] substantiae ad imaginem Dei creatae credibile sit in imis mortis atque [22] miseriae posse semper detineri, ut in sublimia vitae beatitudinisque naturali appetitu, et conditoris gratia ad vitam [23] non valeat erigi? Hoc [24] autem dicimus, non quod natura in omnibus aequaliter futura sit beata, sed quod in omnibus morte et miseria futura sit libera. Esse enim et vivere et aeternaliter esse commune erit omnibus et bonis et malis; bene autem et beate esse solis actione et scientia perfectis proprium et speciale erit. Aut quomodo verisimile potest approbari, ut piissimus rationabilis naturae conditor rationabilem ipsius motum, ne eum attingat, prohibeat? Nec solum ad haec cogitanda, credenda, intelligenda, hoc est, quod omnia ad principium motus et causas principales naturali lege cogente redeunt, exempla rerum sensibilium attrahunt, verum etiam, quae solo mentis contuitu considerentur: ut sunt disciplinae, quas philosophi liberales vocant [25], ex quibus pauca ad id, quod suadere volumus, introducere necessarium video, si tibi morosum non sit atque superfluum.

4. Disc. Neque mihi morosum, neque superfluum videtur, sed valde utile et commodum, ut, quomodo ex motibus rerum sensibilium quaedam exempla de reditu naturae assumpta sunt, ita etiam ex intelligibilium contemplationibus, quae sola mentis conceptione percipiuntur, ad eundem reditum suadendum introducantur, praesertim cum majoris virtutis sint ad faciendam rei dubiae fidem argumenta, quae ex inconcussis verarum artium regulis, quam quae ex corporalium sensuum conjecturis comparantur; licet et illa sine rationis et intelligentiae ducatu nec inveniri nec approbari possint. Rerum namque sensibilium veram cognitionem solo corporeo sensu impossibile est inveniri. Mag. Quid tibi videtur? Nonne ars illa, quae a Graecis dicitur Dia-

VARIAE LECTIONES.

[1] *igitur* om. A. [2] A *latinaeve.* [3] Sic CF; A *unde.* [4] Sic CF; A *quod.* [5] A *φύσις est.* [6] CF *sensibilium rerum.* [7] *vera* om. A. [8] Sic CF; A *incommutabilis.* [9] A *recursionibusque.* [10] *id* om. A. [11] A *intimant.* [12] Sic CF; A *tendit redire semper.* [13] *et* om. A. [14] Sic CF; *est* om. A. [15] *et* om. F. [16] *motum* om. A. [17] Sic CF; A quae *vult* vel *appetit.* [18] *est* om. A. [19] *est* om. A [20] Sic CF; A *ad principium suum.* [21] Sic CF; A *ignem illum intelligibilem.* [22] A *et.* [23] Sic CF; A *adjuta.* [24] Sic CF; A *Nos.* [25] A *quas vocant philosophi liberales.*

lectica, et definitur bene disputandi scientia, primo omnium circa οὐσίαν, veluti circa proprium sui [1] principium versatur, ex qua omnis divisio et multiplicatio eorum, de quibus ars ipsa disputat, inchoat per genera generalissima mediaque genera usque ad formas et species specialissimas descendens, et iterum complicationis regulis per eosdem gradus, per quos degreditur, donec ad ipsam οὐσίαν, ex qua egressa est, perveniat, non desinit redire in eam, qua semper appetit quiescere, et circa eam vel solum vel maxime intelligibili motu convolvi. Quid de Arithmetica dicendum? Nunquid et ipsa a monade incipiens, perque [2] diversas numerorum species discedens, iterum facta resolutione ad eandem monada redit, ultra quam ascendere nescit? Nec immerito, cum omnes [3] numeri numerorumque species ab ea incipiant, et in eam desinant, et in ea vi et potestate subsistant, quemadmodum omnia genera omnesque species rerum continentur in οὐσίᾳ atque salvantur. Non aliter in Geometria sentiendum, quae eadem ratione a principio sui, quod Graeci σημεῖον, Latini signum vocant, incipiens, per plana solidaque schemata, superficies, et latera, angulos quoque componens, longitudinis et [4] latitudinis, profunditatis etiam spatia perficit. Quibus omnibus resolutis ad proprium sui principium, quod est signum, in quo tota virtus artis consistit, regreditur. Quid de Musica? Nonne et ipsa a principio sui [5] incipit, quod vocant tonum, et circa symphonias, sive simplices, sive compositas, movetur, quas denuo resolvens, tonum sui, videlicet principium, repetit, quoniam in ipso ipsa tota vi [6] et potestate subsistit? Quis autem ignorat Astrologiam [7], cujus maxima vis est, motus siderum per loca et tempora considerare, ab atomo cursum suum incipere, inque ipsum resolutis temporum spatiis suum recursum terminare. Videsne itaque, quomodo praedictae rationabilis animi [8] conceptiones principia sua repetunt, in quibus finem motus sui constituunt? Principium quippe et finis in his omnibus, ut praedictum est, id ipsum est. Disc. Plane video, et modus iste argumentationis, qui ex intelligibilibus sumitur, ad rem, de qua nunc agimus [9], credibilem faciendam multum valet, ut arbitror. Agitur autem de reditu naturae. Veruntamen cum ex liberalibus disciplinis praefatas attraxeris argumentationes, cur Grammaticam et Rhetoricam praetermiseris, non satis video. Mag. Non unam ob causam praetermissas esse cognosce. Primum quidem, quia ipsae duae artes veluti quaedam membra Dialecticae multis philosophis non incongrue existimantur. Deinde brevitatis occasione. Postremo, quod non de rerum natura tractare videntur, sed vel de regulis humanae vocis, quam

A non secundum naturam, sed secundum consuetudinem loquentium subsistere Aristoteles cum suis sectatoribus approbat, vel de causis atque [10] personis specialibus, quod longe a natura rerum distat. Nam dum [11] Rhetorica de communibus locis, qui ad [12] naturam rerum pertinent, tractare nititur, non suas, sed Dialecticae arripit partes. Hoc autem dico, non quod omnino Grammatica et Rhetorica [13] suis veluti principiis caruerint, cum una ex litera, altera ex hypothesi, hoc est, finita quaestione incipiant [14], et in easdem resolvantur, bene scribendi quidem scientia in literam, bene dicendi vero peritia in hypothesin, sed quod validioris vigoris sint ad approbandas [15] vel negandas quaestiones, quae de rerum incertarum inquisitionibus fiunt, argumenta ex natura rerum sumpta, quam ex humanis inventionibus excogitata. Humanis siquidem argumentationibus et bene scribendi et bene dicendi ars et facta et reperta est. Disc. Cur itaque in numero liberalium disciplinarum computantur, si secundum naturam non sunt, sed secundum humana machinamenta? Mag. Non aliam ob causam video, praeter quod matri artium, quae est Dialectica, semper adhaereant [16]. Sunt enim veluti quaedam ipsius brachia rivulive ex ea manantes, vel certe instrumenta, quibus suas intelligibiles inventiones humanis usibus manifestat. Disc. Huic responsioni non usquequaque contradixerim. veri namque similis [17] est. Potest enim rationabilis anima intra semetipsam de liberalibus disciplinis tractare, absque vocis articulatae disertaeque orationis strepitu. Sed quod instat et ad praesentem actionem attinet, videndum est. Mag. Quid estne [18]?

5. Disc. Quid, nisi ut auctoritate approbes, principium naturalium motuum finemque id ipsum esse, et in nullo distare. Mag. Si hoc quaeris, audi beatum Maximum in decimo nono capitulo de Ambiguis loquentem. *Omne*, inquit [19], *quod secundum naturam movetur, per causam omnino movetur, et omne, quod per causam movetur, per causam omnino et est; omne autem, quod per causam est, et per causam movetur, principium quidem habet omnino essendi ipsam, per quam est, et ex qua ad esse inchoatum est, causam; finem vero movendi eandem, per quam movetur, et ad quam adducitur, causam. Omne autem, quod per causam et est et movetur, et* [20] *genitum prorsus. Si autem moti finis est ipsa, per quam movetur, causa, eadem prorsus est ei* [21], *per quam factum est, et causa. Una igitur omnis utcunque existentis et moti secundum naturam ut principium et finis causa, per quam et est et movetur omne, quod est et movetur. Activa namque subsistens potentia et facit facta divinitus, ut principium, et prae-*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *suum*. [2] A *per*. [3] A *omnis*. [4] *et* om. A. [5] Sic CF; A *suo*. Sic CF; A *et* vi. [7] A *Astrologiam ignorat*. [8] A *animae rationabilis*. [9] Sic CF; A *agitur*. [10] Sic CF; A *aut*. [11] Sic CF; A *cum*. [12] Sic CF; A *quoad*. [13] A *Grammatica et Rhetorica omnino*. [14] CF *incipiat*. [15] Sic CF; A *probandas*. [16] Sic CF; A *adhaerent*. [17] Sic CF; A *verisimile namque* est. [18] Sic C; AF Quid *istuc?* [19] *inquit* om. A. [20] *et* om. A. [21] Sic CF; A *ei est*.

mittit et attrahit mota, proinde ut finis et finit. Si autem omne, quod movetur, est et factum, per causam est, et movetur, et factum est; omne, quod non per causam est, neque factum est, neque profecto mobile. Non enim movetur, quod per omnia in omnibus essendi causam non habet: si autem, quod caret causa, omnino etiam immobile, immobile igitur divinum; essendi quippe nullam habet causam, et omnium, quae sunt, subsistit causa. Animadverte, quomodo causam omnium rerum et finem id ipsum esse evidentissime disputat. Disc. Animadverto. Sed quid ad praesentem quaestionem pertineat, non intelligo. Non enim de Deo, qui est principium et finis omnium, quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia, videris discutere, sed de principiis sensibilium rerum temporalibus, sive per generationis, sive per localitatis motum, deque contemplativis intelligibilium inchoamentis, quae animo percipimus. Ac per hoc quorsum istaec [1], quae a te dicta sunt, de Deo exempla tendant, nondum mihi clare patescit.

6. Mag. Miror, cur tantae tarditatis sis, ut, quorsum talia tendunt, non clare perspicias. Num [2] omnia argumenta, quae ex natura sensibilium et intelligibilium introduximus, ad hoc respiciunt, ut, quemadmodum unumquodque ad suum principium, sive sensibile, sive intelligibile, naturaliter cogitur redire, ita etiam humanam naturam ad suum principium, quod nihil aliud est praeter Dei Verbum, in quo et facta est et incommutabiliter subsistit et vivit, reversuram esse incunctanter credamus [3], certissimisque rerum argumentationibus roborati intelligamus [4]? Si enim omnium rerum, quae sunt, et quae non sunt, earum dico, quae corporeis [5] sensibus animique contemplationibus succumbunt, earumque, quae et [6] corporales sensus mentisque contuitum prae nimia suae substantiae et [7] subtilitate et altitudine fugiunt, Deus principium est, et ipsum appetunt, et appetitus earum nulla ratione, ne illuc perveniat, prohibetur: quid mirum, si de humana natura, quae specialiter ad imaginem et similitudinem unius et communis omnium principii facta est, et credatur et intelligatur, quod illuc reversura sit, unde profecta est, praesertim cum non ita inde profecta sit [8], ut omnino principium sui deseruerit; *in ipsò* enim, ut ait Apostolus, *vivimus, et movemur, et sumus;* sed quod quadam dissimilitudine propter peccatum decolorata est, dicitur recessisse. Similitudo namque fecit proximam, dissimilitudo longinquam. Non enim gressibus corporis, sed affectibus mentis elongatur a Deo, aut ei appropinquatur. Localibus intervallis solari [9] luce non receditur, sed vel oculorum privatione, vel conniventia [10], A vel lucis ipsius occasu. Sanitas non loco deseritur, sed dolore. Similiter vita, beatitudo, sapientia, omnesque virtutes non aliter relinquuntur nisi [11] suis privationibus, morte scilicet, miseria, stultitia, vitiisque. Et sicut cutis humani corporis leprae contagione deformitateque percutitur, sic humana natura superba inobedientia infecta et corrupta est, deformisque, et conditori suo dissimilis facta. De qua lepra cum divinae gratiae medicina liberata fuerit, in pristinam revocabitur formositatem: magisque dicendum, quod ipsa natura, quae ad imaginem Dei facta est, suae pulchritudinis vigorem integritatemque essentiae nequaquam perdidit, neque perdere potest. Divina siquidem forma semper incommutabilis permanet, capax tamen corruptibi- B lium poena peccati facta est. Quod ex verbis beati Gregorii Nyssaei possumus approbare. Ait enim in capitulo vicesimo et [12] septimo de Imagine, tractans de resurrectione: *Non est incredibile*, inquit [13], *ex communione quattuor generalium elementorum mundi ad proprium statum naturae de corpore occulto et incorruptibili, quod resurget* [14], *resolutionem, hoc est, reditum resurgentium corporum fieri. Non enim per omnia, quod nostrum est, in fluxu et transmutatione est. Si enim esset, reprehensibile* [15] *universaliter fuerit, quod nullum statum ex natura habet; sed juxta subtiliorem rationem eorum, quae in nobis sunt, quaedam quidem stant, quaedam vero ex mutabilitate proveniunt. Mutatur enim per augmentum* [16] *et diminutionem corpus, veluti vestimenta quaedam, consequen-* C *tes aetates indutum. Stat vero per omnem conversionem* [17] *intransmutabilis in se ipsa forma, insitis* [18] *sibi semel ex natura signis non desistens, sed in omnibus secundum corpus transmutationibus cum suis notis ingenitis* [19] *apparet. Subtrahetur* [20] *autem per Dei Verbum ipsa, quae ex passione est, mutatio, quae formae superaccidit. Nam veluti facies quaedam aliena, ipsa per infirmitatem deformitas formam deprehendit, qua deformitate per Dei Verbum* [21] *circumablata, sicut in Naaman Syro, seu in illis leprosis, qui in Evangelio narrantur, iterum occulta sub passione species per sanitatem in suis notionibus relucebit. Igitur in deiformitate* [22] *animae non fluxile per mutabilitatem et transmutabile est* [23], *sed quod permanet, similiterque in nostra concretione habet, hoc* D *insitum est.* Animadverte, quam clare, quam aperte praefatus Nyssaeus astruit, quod non solum forma animae ad imaginem Dei facta est [24], verum etiam naturalis forma corporis, quae imaginem animae imitatur, semper incorruptibilis et incommutabilis permaneat: quicquid vero naturali corpori ex concretionibus elementorum, et animae ex sordibus irrationabilium motuum superadditum est, in fluxu et

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic A; C rad. corr. *ista*; F *istac*. [2] Sic CF; A *Nam*. [3] Sic CF; A *credimus*. [4] Sic CF; A *intelligimus*. [5] Sic CF; A *corporis*. [6] *et* om. A. [7] *et* om. A. [8] Sic CF; A profecta *est*. [9] A *a* solari luce. [10] Sic A; F *coniuitione*, C corr. *contuitione*. [11] Sic CF; A *in* suis. [12] Sic F; *et* om. A; C in cap. xx *et in* VII. [13] *inquit* om. A. [14] *de corpore occulto — resurget* om. CF. [15] Sic CF; A *incomprehensibile*. [16] Sic CF; A *augmentationem*. [17] Sic CF; A *eversionem*. [18] Sic CF; A *in suis*. [19] Sic CF; A *ingenuis*. [20] Sic CF; A *Subtrahatur*. [21] A *per verbum Dei*. [22] C et corr. F *deformitate*. [23] *est* om A. [24] *est* om. F.

corruptione semper est. Et hoc, ut ait ipse, sub figura Naaman Syri, et illorum decem, quos Evangelium purgatos a Domino fuisse narrat, pulchre insinuatur. Ille namque Syrus, ipsique decem, humanam effigiem non perdiderant, sed solummodo tumore et turpitudine leprae percussi et cooperti sunt, ut per hoc intelligamus, naturam nostram non esse perditam vel mutatam, sed vitiorum deformitate decoloratam. Et vide, quantum incunctanter ipse Syrus humanae naturae gesserit figuram. Naaman quippe *decorus* interpretatur, Syria vero *caelestium contemplatio*. Nunquid et sic humana natura fieret, si non superbiret? Decora enim et ad caelestium contemplationem condita est, sed praevaricationis causa [1] lepra est percussa. At descendens in Judaeam Naaman, rediensque iterum in Syriam, jubente propheta Elisaeo, in Jordane flumine lepram deposuit, cutisque corporis ipsius renovata est. Num et nostra natura, dum languorem suum turpitudinemque suorum vitiorum recognoverit, in confessionem miseriae suae descendet [2], inque se ipsam reversura purgabitur? Et quis eam purgabit? Elisaeus, Dei videlicet salvator, vel Dei salus. Nonne noster Elisaeus est Dei Verbum Dominus noster Jesus Christus, qui est Dei salvator et Dei salus? In redeundo in Syriam nostram salvabit naturam, hoc est, dum ad pristinum statum, in contemplationem videlicet intelligibilium virtutum, reverti nos jusserit. Et ubi purgabit [3]? In Jordane: cujus interpretatio est *descensus Domini*, vel *descensus judicii*, vel *potentia*, vel *terra extrema*, vel *ascensio eorum*. Et quando credimus et speramus salutem et reditum naturae nostrae [4] in Syriam caelestis contemplationis, nisi quando descendet Dominus in gloria sua, descendet ad judicium vivorum et mortuorum, suam [5] potentiam manifestaturus in terra extrema, hoc est in fine mundi, quando caelum et terra transibunt in ascensione eorum, hoc est, in exaltatione Sanctorum in aeternam beatitudinem, vel certe in communi omnium resurrectione? Siquidem resurrectio communis omnium ascensio est ex morte in vitam, ex animali corpore et corruptibili in spirituale et incorruptibile. Tota autem lepra humanae naturae et corruptio exaggerabitur et convertetur in Giezi. Giezi interpretatur *videns vallem*, vel *discissio a visione*; typice diabolum significans, qui, dum sit nequam Salvatoris nostri servus, sine cujus jussionibus aut permissionibus malitiae suae machinamenta non sinitur peragere, semper in profundum perditionis aeternaeque mortis non desinit prospicere, et ex veritatis contemplatione merito suae superbiae divisus discedere. Lepra itaque nostra, quae livore ipsius invidiae imaginem Dei contaminaverat, in ipsum redigetur, quia dolore salutis et restaurationis nostrae superfusus, poena ejus cumulabitur. Quid dicam de decem leprosis? Num et ipsi ejusdem

A nostrae naturae charactera gessere, quae a suo Redemptore redempta est, et quotidie in singulis redimitur, et in consummatione mundi universaliter in omnibus et redimetur et liberabitur? Humana quippe natura denaria quantitate solet significari: anima namque et corpore constare dubium non est. Corpus autem quinario numero pollet, quattuor videlicet elementis corporalibus, et forma, quae illa componit elementa et formificat. Anima quoque quinario numero non dissonat. Subsistit namque intellectu, et ratione, et duplici sensu, interiori profecto et exteriori, vitalique motu, quo corpus administratur. Denariam hominis quantitatem habes, ut opinor, quae conditoris et Redemptoris sui gratia de omni superaddita sibi miseria veluti de quadam lepra B liberabitur, et in unum redigetur, ut non denaria quantitas, sed solus intellectus simplicis veritatis pura contemplatione unitus remaneat. Quod significari arbitror per ipsum leprosum, qui solus ad Dominum reversus est, gloriam Deo de sua mundatione referens, ac veluti alienigena de longinquitate dissimilitudinis rediens, liberatori et purgatori suo adhaeserat. Ceteri autem novem non jam reperti sunt. Tota siquidem humana natura in solum intellectum refundetur, ut nil in ea remaneat, praeter illum solum intellectum, quo Creatorem suum contemplabitur.

7. Sed antequam de purgatione naturae humanae, deque adunatione ipsius sibimet et conditori suo, ad cujus imaginem facta est, tractemus, de C ipso reditu quaedam dicenda esse non incongruum existimo. Nisi enim quis prius edisserit, quorsum cecidit, et unde incipit reditus naturae, et per quos gradus ascendit, et quid appetit, et in quo desinit, non facile, quod astruit, suadebit. Disc. Nil verius, ut arbitror. Quis enim naturae reditum facile suaserit, si non ante, quo cecidit, et quo et quomodo reversura sit, certis ratiocinationis argumentationibus [6] approbarit? Mag. Unde cecidit, et quo pervenit, nulli fidelium incognitum est, Psalmista dicente: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Deseruit itaque honorem divinae imaginis, caelestiumque virtutum aequalitatis, cecidit D autem in similitudinem irrationabilium animalium. Terrenis namque cupiditatibus, carnalibusque desideriis opprimitur natura, quae ad caelestia appetenda et diligenda naturaliter est condita; irrationabili motu volvitur, quae ratione frui comparabatur. Non enim est bestialis motus, qui non in homine, postquam peccavit, non deprehendatur; et, ut certa docet ratio, reprehenditur in homine, quod laudatur in bestia. Quare? Quia in bestia irrationabilis motus naturaliter subsistit, in homine vero contra naturam. Quicquid autem secundum naturam insitum est, bonum est; quicquid vero contra

VARIAE LECTIONES.

[1] *causa* om. CF. [2] Sic CF; A *descendens*. [3] Sic CF; A *purgabitur*. [4] A *nostrae naturae*. [5] A *et suam*. [6] CF *argumentationibusque*.

naturam superadditum est, quamvis in bestiali substantia bonum sit, homini tamen inconveniens et alienum. Nec aliunde humanae naturae irrationabiles motus supervenerunt, nisi ex bestiarum substantiali impetu, quibus peccando similis facta est. Quod etiam idem Gregorius Nyssaeus testatur in capitulo decimo octavo de Imagine [1], dicens : *Arbitror ex hoc principio, similitudine videlicet irrationabilium animantium, etiam singulas passiones, veluti ex fonte quodam inundationem* [2], *in humana vita conditas. Hanc autem rationem confirmat* [3] *ipsa passionum cognatio, aequaliter et in nobis, et irrationabilibus manifestata* [4]. *Non enim justum est, in humana natura* [5] *ad divinam speciem formata* [6] *passibilis affectus perhibere* [7] *principia. Nam non secundum furorem est ipsa hominis ad Deum similitudo, neque ex voluptate ipsa supereminens natura formatur. Formido quoque, et ferocitas, et ad id, quod plus est, desiderium, et ad id, quod minus est, odium, et omnia hujusmodi longe* [8] *divinae pulchritudinis charactere sunt. Haec itaque ex irrationabili parte humana natura ad seipsum attraxit. In quibus enim irrationabilis vita ad conservationem suam munita est, haec ad humanam vitam translata, passiones factae sunt.* In hos itaque irrationabiles motus, qui bestiali vitae naturaliter, humanae vero passibiliter insunt, hominem cecidisse nullus sapientum ambigit, et ex his iterum in mortem corporis et solutionem corruit. Neque enim plus inferiusve ruere [9] potuit. Siquidem in natura rerum nihil inferius est vita, ratione, et sensu carente; infimum autem omnium corpus corruptibile, quoniam ad nihilum redire nulla natura sinitur, et ubi ruinae suae finem posuit, inde iterum redire inchoavit. Finis autem ruinae solutio corporis est. Ex solutione itaque corporis reditus naturae proficiscitur; ac per hoc plus utilitatis humanae naturae contulit mors carnis, quam vindictae, quamvis poena peccati fuisse aestimata sit; in tantum, ut carnis solutio, quae mortis nomine solet appellari, rationabilius mors mortis dicatur, quam mors carnis. Si enim humana vita in hac corruptibili carne recte a sapientibus mors vocitatur, qua ratione finis ipsius vitae mortis vocabulo censeretur [10], dum plus de morte liberat, quam mortem morientibus infert? Hinc beatus Maximus in vicesimo octavo capitulo de Ambiguis : *Finem*, inquit, *praesentis hujus vitae injustum est, ut arbitror, mortem nominare, sed a morte alienationem, et a corruptione segregationem, et a servitute libertatem, et a perturbatione quietem, et bellorum interitum, et a* [11] *confusione transitum, et a tenebris reditum, et a doloribus requiem, et ab ignobili pompa silentium, et ab* [12] *instabilitate otium, et turpitudinis velamen, et a passionibus refugium, et peccati abolitionem* [13], *et omnium, ut comprehendens dicam, malorum terminum.* Finis itaque praesentis vitae initium est futurae, et mors carnis auspicium naturae restitutionis, et in antiquam incolumitatem reditus.

8. *Prima* igitur humanae naturae reversio est, quando corpus solvitur, et in quattuor elementa sensibilis mundi, ex quibus compositum est, revocatur. *Secunda* in resurrectione implebitur, quando unusquisque suum proprium corpus ex communione quattuor elementorum recipiet. *Tertia*, quando corpus in spiritum mutabitur. *Quarta*, quando spiritus, et, ut apertius dicam, tota hominis natura in primordiales causas revertetur, quae sunt semper et incommutabiliter in Deo. *Quinta*, quando ipsa natura cum suis causis movebitur in Deum, sicut aer movetur in lucem. Erit enim Deus omnia in omnibus, quando nihil erit nisi solus Deus. Nec per hoc conamur astruere, substantiam rerum perituram, sed in melius per gradus praedictos redituram. Quomodo enim potest perire, quod in melius probatur redire? Mutatio itaque humanae naturae in Deum non substantiae interitus [14] aestimanda est, sed in pristinum statum, quem praevaricando perdiderat, mirabilis atque ineffabilis reversio. Si enim omne, quod pure intelligit, efficitur unum cum eo, quod intelligitur, quid mirum, si nostra natura, quando Deum facie ad faciem contemplatura sit [15], in his, qui digni sunt, quantum ei datur contemplari, in nubibus *theoriae* ascensura, unum cum ipso et in ipso *fieri possit?* Nec hoc dicimus, illorum sensum refellentes, qui dicunt, nullum corpus posse [16] mutari in vitam, neque ullam vitam mutari in corpus, praesertim cum sanctus Pater Augustinus hoc docere [17] videatur, sed quod in hac disputatione de naturae reditu Gregorium sequimur Theologum, ejusque expositorem Maximum, nec non et sanctum Ambrosium in explanatione Evangelii secundum Lucam; neque cuipiam suademus credere, quod ei incredibile videtur. Praedictorum namque reversionis naturae graduum quidam sunt, in quibus theologorum traditio universaliter consentit, quidam, in quibus omnino discrepat. Nam de reditu corporis in elementa, ex quibus venit, deque ipsius resurrectionis tempore in seipsum recursu, nullus dissonat ab altero. De transitu vero, id est transmutatione corporis in animam, vel animae in causas, vel omnium in Deum, valde dissimilis sententia est, variumque fere in omnibus dogma. Multi enim de solutione [18] solummodo corporis in elementa, deque ejus reditu resurrectionis momento in suum proprium statum disputant, et neque plus ascendere videntur, quoniam in qualitate corporum post resurrectionem disputationis suae finem constituunt;

VARIAE LECTIONES.

[1] *In capitulo decimo octavo de imagine* om. CF. [2] Sic CF; A *in inundatione*. [3] *confirmat* om. A. [4] Sic CF; A *manifestat*. [5] Sic CF; A *humanae naturae*. [6] A *non* formatae. [7] Sic CF; A *referre*. [8] Sic CF; A longe *a* divinae. [9] Sic CF; A *inferius vivere*. [10] Sic CF; A *censetur*. [11] *a* om. CF. [12] *ab* om. CF. [13] CF *abolicitatem*. [14] Sic CF; A non *in substantiae interitu*. [15] A contemplatura *est*. [16] *posse* om. A. [17] Sic CF; A *dicere*. [18] Sic CF; A *dissolutionem*.

transfusionem vero corporum in animas, et animarum in causas, et causarum in Deum quidam penitus negant, quidam caute dubitant, in tantum, ut etiam humanitatem Christi in divinitatem conversam fuisse dicere non audeant. Et quoniam illorum non est praetermittenda auctoritas, quid de hoc sentiant [1], breviter commemorare debemus. Beatus Aurelius Augustinus in decimo Exemeri sui : *Primum*, inquit, *illud firmissime teneamus, animae naturam nec in naturam corporis converti, ut, quae jam fuit anima, fiat corpus, nec in naturam animae irrationalis, ut quae fuit anima hominis, fiat pecudis, nec in naturam Dei, ut quae fuit anima, fiat quod est Deus* [2], *atque ita vicissim nec corpus, nec animam irrationabilem, nec substantiam, quae Deus est, converti et fieri animam humanam.* Vides, quemadmodum negat, B animam humanam, hoc est naturam rationabilem, converti posse in Deum, neque corpus in animam. Boethius quoque in secundo libro de Trinitate : *Non est*, inquit, *humana anima in divinitatem, a qua assumpta est, permutata. Quod si neque corpus, neque anima in divinitatem potuit verti, nullo modo fieri potuit, ut humanitas converteretur in Deum. Multo minus vero credi potest, ut utraque in se converterentur, quoniam neque incorporalitas transire ad corpus potest, neque rursus e converso corpus ad incorporalitatem, quandoquidem nulla his materia subjecta communis est, quae alterutris substantiarum qualitatibus permutetur.* In his verbis praedictorum auctorum nil aliud datur intelligi, quam nullam corpoream naturam in incorpoream posse mutari. Quorum senten- C tiam non solum non reprehendimus, verum etiam libenter accipimus; theologos autem, qui graece locuti sunt, aliter sensisse non ignoramus. Quorum dicta quamvis in praecedentibus disputationis hujus libris frequenter de reditu naturae introduxerimus, eadem et nunc repetere necessarium judicamus. Beatus Gregorius Theologus in Epitaphio fratris sui Caesarii de resurrectione disputans : *Paulo post autem*, inquit, *et congenitum, carnale corpus videlicet, receptura est anima, cum quo, quae illic sunt, hoc est, in futura vita, philosophata est, per ipsam et datam et creditam terram, carnem profecto, in modum, quem novit, qui ea colligavit et dissolvit, Deus, huic cohaereditabit illic gloriam : et quemadmodum laborum ejus,* D *animae videlicet, per congenerationem participavit corpus, sic ex jucunditatibus suis tradet totum in seipsam, corpus scilicet, consumptura, et futura cum ipso unus et* [3] *spiritus, et animus, et Deus, absorpto a vita et mortali et fluenti.* Quam sententiam Maximus explanans : *Ut enim*, inquit, *absorpta est per peccatum caro a corruptione, a carne vero anima terrena operationibus suis facta, ab anima autem per consummatam ignorantiam cognitio Dei, ut neque, si Deus est, cognosceret : sic omnino tempore resurrectio-* A *nis secundum bene futuram conversionem in Spiritu sancto per gratiam incarnati Dei absorbebitur caro ab anima in spiritu, anima vero a Deo, qui est vere vita; ipsum quippe singularissimum per omnia totum tota anima manifeste habitura est. Et simpliciter dicendum : per conversionem a praesentibus, circa quae nunc sumus et convolvimur, omnia in futuro ostendet, quae nostra sunt, ipsa divina resurrectionis gratia, ut, sicut hic nos absorpsit mors valida per peccatum, sic illic illa juste infirmata deponatur per gratiam.* Intuere, quam clare et aperte praefati theologi reditum corporis in animam incunctanter edocent. Et ne quis forte nos existimet, nullum latinae linguae auctorem, qui huic rationi adunationis naturae, hoc est, de reditu inferiorum in superiora faverit, posse B invenire, beati Ambrosii sententiam introducere convenit in expositione in Lucam, eo loci, ubi de muliere illa Evangelica tractat, tria sata similae abscondente, donec fermentarentur in unum. *Apostolus*, inquit, *non in carne, sed in spiritu ambulare nos praecepit, ut sanctificati per lavacrum regenerationis, veterem hominem cum suis desideriis exuentes, induti novum, qui secundum Christum creatur, non in vetustate literae, sed in spiritus novitate gradiamur, quo possit nobis resurrectionis tempore incorrupta corporis et animae et spiritus manere communio.* Et paulo post : *Itaque si in hac vita tres mensurae, corporis videlicet et animae et spiritus, in eodem fermento, hoc est, in unitate Ecclesiae permanserint, donec fermententur et fiant unum, ut aequalitatum nulla* C *distantia sit, nec compositi ex trium diversitate videamur, erit in futuro* [4] *diligentibus Christum incorrupta communio, nec compositi manebimus. Nam et qui compositi nunc sumus, unum erimus, et in unam substantiam transformabimur. Neque enim in resurrectione aliud erit alio inferius, sicut nunc fragilis in nobis est carnis infirmitas, et corporalis habitudo naturae vel vulneribus patet, vel injuriis subjacet, vel sui oneris mole depressa supra terras nequit extollere altius atque elevare vestigium, sed in simplicis creaturae gratiam figurabimur, cum completum fuerit quod dictum est a Joanne : Carissimi* [5], *nunc filii Dei sumus, et nondum revelatum est quid erimus; sed scimus, quia, cum revelatum fuerit, similes ei* D *erimus. Itaque cum Dei natura sit simplex, spiritus enim Deus est, nos quoque in eandem imaginem figurabimur, ut qualis caelestis, tales et caelestes. Igitur sicut portavimus imaginem illius terreni, portemus et imaginem hujus caelestis, quam* [6] *animus noster debet induere.* Sed non ita hunc excelsissimum, Ambrosium dico, magistrum debemus intelligere, veluti substantiarum confusionem, vel transmutationem velit suadere, sed adunationem quandam ineffabilem atque inintelligibilem nostrarum substantiarum evidentissime docuisse. In humana siquidem

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *sentiunt*. [2] A *Deus est*. [3] *et* om. A. [4] Sic CF; A in *futurum*. [5] Sic CF; pro *kmi* A *cap*. 5. [6] Sic CF; A *quia eum*.

natura nil subsistit, quod spirituale et intelligibile non sit. Nam et substantia corporis profecto intelligibilis est, atque ideo non est incredibile, nec rationi resistens [1], intelligibiles substantiae sibi invicem adunari [2], ut et unum sint, et unaquaeque proprietatem suam et subsistentiam habere non desistat, ita tamen, ut inferiora superioribus contineantur. Non enim vera ratio sinit, superiora inferioribus vel contineri, vel attrahi, vel consumi. Inferiora vero a superioribus naturaliter attrahuntur, et absorbentur, non ut non sint, sed ut in eis plus salventur, et subsistant, et unum sint. Nam neque aer suam perdit substantiam, cum totus in solare lumen convertitur, in tantum, ut nihil in eo appareat nisi lux, cum aliud sit lux, aliud aer; lux tamen praevalet in aëre, ut sola videatur esse. Ferrum aut [3] aliud aliquod metallum, in igne liquefactum, in ignem converti videtur, ut ignis purus videatur esse, salva metalli substantia permanente. Eadem ratione existimo corporalem substantiam in animam esse transituram, non ut pereat, quod sit, sed ut in meliori essentia salva sit. Similiter de ipsa anima intelligendum, quod ita in intellectum movebitur, ut in eo pulchrior Deoque similior conservetur. Nec aliter dixerim de transitu, ut non adhuc dicam omnium, sed rationabilium substantiarum in Deum, in quo cuncta finem positura sunt, et unum erunt. Sed quod de adunatione humanae naturae absque singularum substantiarum proprietatis abolitione diximus, beati [4] Maximi sententia possumus approbare. Exponens namque magnum Gregorium Nyssaeum in sermone de Grandine, ubi ait : *Et nos quidem lux ineffabilis accipiet, et sanctae ac regalis contemplatio Trinitatis illuminantis planius et purius, et totius toti animo mixtae, quam etiam solum regnum caelorum ego pono*, consequenter adjunxit, dicens : *In omni creatura rationabili angelorum et hominum, quicunque nullam secundum motum, qui ad finem est naturaliter compactarum eis divinarum rationum ab ipso Creatore per negligentiam corruperunt, magis autem seipsos temperanter salvaverant, totos inconversibiliter utpote divinae organa naturae et esse, et futuros esse scientes, quos per totum totus circumspirans Deus, in modum animae veluti membra corporis compacta, optimo Domino factos ad voluntatem tractat, et propria implet gloria et beatitudine, vitam dans et donans aeternam atque ineffabilem, et omnibus modis universa liberam cognitione constitutae proprietatis praesentis, et per corruptionem consistentis vitae, quam, videlicet vitam aeternam, non aer inspirans, neque sanguinis rivuli hepate fluentis* [5] *constituunt, sed Deus totus totis participatus, et animae in modum ad corpus animae* [6], *et per medium animum ad corpus factus, sicut novit ipse, ut ea quidem anima inconversibilitatem accipiat, illud vero corpus immortalitatem, et totus homo deificetur per inhumanati Dei gratiam*

A *deificantis, totus quidem homo manens secundum animam et corpus per naturam, et totus factus Deus secundum animam et corpus per gratiam, et convenientem sibi* [7] *per totum divinam beatae gloriae claritatem, post quam nihil est ad intelligendum lucidius aut excelsius. Quid est* [8] *θεώσεως, id est deificatione dignis amabilius, per quam θέωσιν* [9] *Deus diis factis* [10] *unitus omnino universitatem suam facit per bonitatem?* Animadverte, quod ait, totus homo manens secundum animam et corpus per naturam, et totus factus Deus secundum animam et corpus per gratiam. Naturarum [11] igitur manebit proprietas, et earum erit unitas, nec proprietas auferet naturarum adunationem, nec adunatio naturarum proprietatem.

DISC. Istaec [12], quae a te dicta sunt, quamvis verae B rationi videantur similia, minus tamen capacibus rerumque naturam considerantibus videbuntur, ut opinor, veluti quaedam deliramenta, ac sibimet contradicentia. Magnus siquidem Gregorius Nyssaeus ait, ut dicis, *quod anima suum totum corpus in seipsam consumptura sit, et cum ipso unus et spiritus, et animus, et Deus futura*. Cui etiam favet Maximus, dicens : *Omnino tempore resurrectionis secundum bene futuram conversionem in Spiritu sancto per gratiam incarnati Dei absorbebitur caro ab anima in spiritu, anima vero in* [13] *Deo*. Addidisti quoque beati Ambrosii sententiam de adunatione humanae naturae, hoc est, de reditu in unum, ne videreris Graecorum solummodo auctorum auctoritatem sequi, nullo auxilio latialiter loquentium, imo etiam de C natura rerum disputantium suffultus. Ipse siquidem docet tres humanae naturae subsistentias, corpus videlicet, et animam, et intellectum, veluti tria quaedam sata farinae, ut non dicam confundendas, sed veluti fermento quodam caritatis vinculo resurrectionis tempore adunandas, non ut aliqua compositio nostrae naturae, sed omnino simplicitas et inseparabilis unitas efficiatur. *Non enim, ut ipse ait, aliter ad imaginem Dei restaurabitur, si non simplex spiritus, omnique compositione libera futura sit*. Et nunc iterum post praedictorum Patrum de simplicissima humanae naturae non solum in seipsa, verum etiam in Deo adunatione sententias, ejusdem Maximi dicta introduxisti, quae sunt hujusmodi : *Totus quidem homo manens secundum animam et* D *corpus per naturam, et totus factus Deus secundum animam et corpus per gratiam*. Quibus verbis quid aliud datur intelligi, nisi naturam corpoream in seipsa semper permansuram, et nullo modo nec in animam, nec in animum, nec in ipsum Deum transituram, quamvis resurrectionis gloria beata et incorruptibilis sit futura animae et animo et Deo adunanda? Simili modo de animae natura animique non aliter intellexisse opinor, non transituras, sed singulas quasque in propria substantia permansuras. Neque enim parva differentia est inter animam et animum, dum

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *subsistens*. [2] Sic CF; A *si* intelligibiles s. s. i. *adunentur*. [3] Sic A; CF Ferrum *ut* aliud. [4] *beati* om. A. [5] CF. *epare fluentes*. [6] *animae* om. A. [7] *sibi* om. CF. [8] Sic CF.; A *Quid enim*. [9] *θέωσιν* om. [10] A *factus*. [11] Sic CF; A *naturae*. [12] CF. *istac*. [13] CF *a Deo*.

ille circa divina solummodo, illa vero circa creaturas moveatur. At si ista sic se habeant [1], quomodo non contradictoria videbuntur?

9. MAG. Cur te talia movent, multum admiror, cum tibi, prout potui, suaserim, intelligibilium naturarum adunationem fieri posse sine cumulo et compositione, proprietatibus observatis et incommutabiliter manentibus. Tria etenim sunt, quae in omni substantia, sive corporibus adhaerente, sive omni corpore absoluta, si tamen aliqua substantia est praeter Deum, quae sive intelligibili sive sensibili corpore careat, incommutabilia et inconversibilia permanent, ut in prioribus libris multipliciter perdocuimus: essentia, virtus, et naturalis operatio. Nunquid haec tria unum sunt, et non unum compositum, sed simplicissimum unum et inseparabilis unitas? Horum enim nullum sine altero esse potest, quoniam unius ejusdemque substantiae sunt: et tamen ratione consulta nonnulla differentia discernuntur. Aliud est enim esse, aliud posse aliquid efficere, aliud ipse effectus. Aliud est arbori esse, aliud posse crescere, aliud crescere. Aliud homini est esse, aliud posse intelligere, aliud intelligere quod potest intelligere. Et haec tria omni creaturae visibili et invisibili inesse dubium non est.

10. Accipe aliud exemplum de adunatione naturarum sine confusione, vel mixtura, vel compositione. Nam in una specie multi numeri substantiales sunt, et in uno genere multae species, et in una essentia multa genera, et ita sunt, ut vera edocet ratio, ut in una οὐσία unumquodque genus suas proprias rationes possideat, alterius generis rationibus discretas, neque confusas, neque mixtas, neque compositas, adunatas tamen, atque, ut ita dicam, unum quoddam [2] multiplex et simplex? Similiter de speciebus in genere, et de numeris specialissimis in specie intelligendum est. Horum namque singula quaeque et proprietatem suam et adunationem possident, omni compositione remota. Aliud exemplum intuere ex numeris materia absolutis. Nonne omnes numeri sive finiti sive infiniti, hoc est, sive rationis contemplationibus et nominationibus comprehensibiles, sive humanae adhuc in hac vita contemplationis et ratiocinationis virtutem superantes, in monade unum subsistunt? Et quidem in ipsa nulla numerorum compositio, vel confusio, vel mixtura numerorum est: singuli autem suas singulares rationes in ea vi et potestate custodiunt. Quis enim recte disputantium dixerit, binarium numerum vel ternarium in monade compositos esse, ita ut binarius in ea bis singulis, et ternarius ter singulis subsistat? Si enim hoc fieret, non esset monas, sed multarum diversitatum et partium exaggeratio, et discrepantium numerorum cumulus. Est autem monas, in qua omnium numerorum mirabili quadam adunatione fons unus manat. In ipsa enim binarius et ternarius unum sunt, et proprias rationes custodiunt, qua [3] sibi invicem conveniunt [4], absque ulla mole corporea, absque ulla humanarum cogitationum phantasia seu phantasmate, seu phantasiae et phantasmatis copulatione, sed solo simplici et intelligibili intellectu subsistunt, unde in res corporeas sive incorporeas procedunt actu et opere seu naturae [5], hoc est, seu naturali seu artificiali operatione [6], seu arithmeticae. Non aliter, sed eadem ratione de omnibus numeris a monade progredientibus, et in eandem resolutis intelligendum. Quid de puncto dicendum, a quo omnes lineae egrediuntur, et in quod resolvuntur, et in eo unum sunt, neque illud unum compositum, sed ex rationibus diversis adunatum? Nec talium exempla etiam in rebus sensibilibus desunt. Non negabis, ut existimo, oculorum radios, caelestiumque corporum fulgores, ceterorumque luminarium sensibiles atque corporeos esse. DISC. Quis negarit? Si enim luminarium splendor corporeus est, cur non etiam oculorum? Nam fortassis loca non implerent, et localiter non porrigerentur, si corporales non essent. MAG. Age jam [7], sive lux oculorum et luminarium corporea sit, vel non sit, sensibilem [8] esse nemo denegarit. DISC. Nemo. Sed quare haesitas, ac veluti dubius videris de luce, utrum corpus sit, an non? Atque ideo velim certam inde sententiam audire.

11. MAG. De ratione lucis nunc non agitur: sed quid de ipsa sentio, quoniam a me exigis, breviter dicam. In natura rerum tria rationabilis inquisitio invenit. Omne enim, quod est, aut corpus est, aut incorporeum, aut medium, quod corporale dicitur, et neque corpus est, neque incorporeum, in corporibus tamen sentitur, et propterea corporale dicitur. Et est quidem [9] corpus omne, quod longitudine, et latitudine, et altitudine extenditur, sive naturale sit, sive geometricum. Incorporeum est omne, quodcunque praedictis spatiis omnino caret, ut est vita, omni materia carens. Corporale vero est, ut color, et forma, et similia, quae neque corpus sunt, quia circa corpora intelliguntur, neque incorporea sunt, quia semper corporibus adhaerent. Si ergo lux color est, et formas rerum sensibilium detegit, quid impedit, ne dicatur, neque corpus esse, neque incorporeum, sed medium quoddam, quod corporale dicitur atque sensibile? DISC. Redi ad propositum: neque enim [10] hic diutius immorandum. Facillime quippe crediderim, lumen oculorum seu ceterorum luminarium colorem esse, et neque corpus neque incorporeum. Sed adhuc non satis video, utrum ille radius, verbi gratia, solaris, vel oculorum animalium, corpus quoddam sit, an corporale, ac solummodo color circa corpora sensibilis: ideoque definias optarim,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF.; A *habent*. [2] CF quiddam. [3] Sic CF; A *quae*. [4] *fons unus est — conveniunt* om. C. [5] Sic CF; A *natura*. [6] *hoc est seu naturali seu artificiali operatione* om. CF. [7] *jam* om. A. [8] A *sensibile*. [9] *quidem* om. A. [10] *enim* om. A.

quid sit radius. MAG. Radius est, ut opinor, igneum quiddam, simplex, tenuissimum, purum, velox, mobile, lucifluum, ex quo splendor procedens loca et corpora, quae penetrat, illuminat atque declarat. DISC. Talis definitio verisimilis videtur. Sed quorsum istaec [1]?

12. MAG. Non aliorsum, nisi ut intelligas, quomodo [2] multorum et innumerabilium hominum, seu ceterorum animalium, videndi sensus capacium, visus circa aliquod visibile uno eodemque momento temporis volvatur. Verbi gratia, aurea sphaerula, in summitate altissima turris posita, simul ab omnibus undique circumstantibus potest videri, et unusquisque illam aspicientium obtutus sui radios in ea [3] infigit, et nullus alii dicit, Tolle tuum visum, ut et ego videam quod vides, quia simul omnes possunt aspicere. Si ergo tot radii in unum confluunt, et nullus alteri confunditur, vel miscetur, vel componitur, quoniam singuli intuentium quique proprietatem suam [4] obtinent, dum circa unam eandemque rem mirabili quadam adunatione versantur : quid mirum, si tota humana natura in unitatem quandam ineffabilem redigatur, proprietatibus et corporis, et animae, et intellectus incommutabiliter permanentibus? Aliud exemplum ex sensibilibus intuere, quod etiam beatus Dionysius Areopagita de talibus disputans introduxit. Ponamus veluti in quadam ecclesia multas lucernas simul ardentes, et ex diversis sedibus lampadum fulgentes : nonne unum lumen efficiunt, ita ut nullus corporeus sensus sit, qui proprietatem luminis singularum lampadum ab alterius lumine possit discernere? Eo autem argumento incunctanter apertissimum est, multarum lampadum lumina nullo modo esse confusa, sed solummodo adunata. Nam si quis, verbi gratia, lucem unius lampadis ex ipsa domo, in qua lucent, subtraxerit, et aliorsum duxerit ardentem, de suo proprio lumine inter ceterarum lampadum splendores nihil relinquet, nihil aliarum luminis subtrahet. Sic de ceteris omnibus lampadibus sentiendum. Nam si et ipsae subtractae fuerint, nil alieni luminis secum subtrahent, nil proprii dimittent.

13. Num simili modo de humanis organicisque vocibus intelligitur? Singula quaeque vox, sive humana, sive fistularis, vel lyrica, qualitatem suam habere non desistit, dum unam harmoniam inter se plures unitate congrua analogia efficiunt. Ubi etiam apertum argumentum de sonis datur, quod in se invicem non confunduntur, sed solummodo adunantur. Nam si aliqua vox ex ipsis siluerit, sola silebit, nec de melodia silentis inter adhuc sonantes quicquam resultat. Ex quo manifestum est, quod, quando inter ceteras sonuit, proprietatem suae qualitatis observavit. Nam si aliis [5] confunderetur, non posset totam se silendo subtrahere. Quod enim confunditur vel miscetur, non facile in suam proprieta-

A tem resolvitur. His itaque atque hujusmodi rerum intelligibilium et sensibilium exemplis facillime possumus cognoscere, adunationem humanae naturae fieri posse, proprietatibus singularum substantiarum observatis. Sed quoniam de reditu sermo est, necessarium quaerere, quid corporis in animam [6] reversurum sit, ut fiat cum ipsa, sicut Gregorius Theologus ait, *unus et spiritus* [7] *et animus et Deus*, vel *ut fermentetur in unum incompositum*, ut beatus Ambrosius edocet, si substantia ipsius, corporis dico, semper incommutabiliter absque ulla transmutatione [8] permansura sit. Idem itaque sanctus Gregorius praefatus paucis verbis hanc quaestionem solvit, dicens : *Absorpto a vita et mortali et fluxili.* Ac si aperte diceret : Dum absorptum fuerit a vita,
B quicquid mortale et fluxile est in corpore. Quod etiam Apostolus manifestissime docet. Ait enim : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Item : *Dum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem.* Moles itaque terrena, mortalis, fluxilis, quae ex diversis qualitatibus sensibilium elementorum et assumpta et composita est, sub forma hac, quae sensibus corporeis succumbit [9], sicut in praecedentibus libris tractavimus, quoniam merito peccati naturali corporis substantialique superaddita est, solvetur, et in melius mutabitur, in spiritum stabilemque substantiam, quae nescit fluere vel mori, resurrectionis tempore reversura. Sanissima namque et catholica fide credimus, divinorum virorum, Theologi videli-
C cet Gregorii et Maximi, de talibus inconcussas rationes reddentium dogmate imbuti, quod conditor humanae naturae totam simul eam creavit, nec animam ante corpus, nec corpus ante animam condidit. Ideoque non irrationabiliter tenemus, in ipsa prima conditione animam simul et corpus absque ulla corruptibilitatis et mortis capacitate substitisse. Non enim rectae rationi convenit putari, conditorem naturae simul factae partem ejus immortalem et incorruptibilem, animam dico, partem mortalem et corruptibilem, corpus videlicet, creasse. Ideoque totam naturam hominis, animam et corpus, immortalem et incorruptibilem creatam fuisse, non incongrue, ut arbitror, aestimamus. Nam et angelos ta-
D les creatos fuisse sapientes tradunt. Eos siquidem spiritus incorporeos et spiritualia corpora omni corruptione carentia constitutos esse non dubitant : hominibus vero et praevaricantibus angelis poena peccati terrena et corruptibilia corpora aëreaque superaddita esse, terrena quidem hominibus, aërea vero angelis. Sed quod nobis superadditum est, quoniam ex Redemptore nostro assumptum, qui seipsum exinanivit, formam servi accipiens, movebitur in spiritum, et in ipsam substantiam primitus a Deo creatam, *quando absorbebitur mors in victoriam*, et totus

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *istac.* [2] *quomodo* om. CF. [3] CF in *eam.* [4] *suam* om. CF. [5] Sic CF; A *cum* aliis. [6] Sic F; A *anima*; C quid corporis *humani* reversurum sit. [7] *et spiritus* om. CF [8] Sic CF; A *commutatione.* [9] A *succumbunt.*

homo, exterior videlicet et interior, sensibilis et intelligibilis, in unum adunabitur. Si cui autem incredibile videtur, corpus quidem terrenum mutari posse in spiritum, videat, quomodo sensibilium rerum qualitates in semetipsas transmutantur, manentibus substantiis, quarum qualitates sunt: videat, quomodo aquatilis qualitas in igneam vertitur qualitatem: videat, quomodo nubes de aëre conglobatae in aëra purissimum resolvuntur, ita ut nihil de densitate earum remaneat: videat, quomodo et ipse aer, ut saepe diximus, solari claritate consumitur: videat, quomodo fumus in flammam vertitur: videat, fortissimam ratiocinationis virtutem. Si enim qualitates rerum visibilium incorporales sunt, unde nullus recte disputantium dubitat, et si omnia terrena corpora ex ipsarum qualitatum exaggeratione conglobantur: quid mirum vel incredibile est [1], quod ex incorporalibus qualitatibus conficitur, in [2] res incorporales posse redire? Disc. Plane intuentibus rerum substantias et qualitates, transfusiones quoque et compositiones, nec non et adunationes et progressiones ex primordialibus causis, inque easdem reditus, fortassis nec mirum nec incredibile videbitur. Mihi autem nullius sententiam praescribenti, vel litigiose refellenti, etsi de talibus aliter senserit, satis actum. Non enim plus quaero certis rationibus suaderi substantiarum adunationem absque ullis confusionum, vel mixturarum, compositionumve perturbationibus seu transmutationibus, qualitatum quoque, ex quibus haec omnia sensibilia corpora [3] compacta sunt, reditum et solutionem in ipsas substantias, sine quibus subsistere non possunt. Nulla enim qualitas, seu quantitas, seu quodcunque aliud accidens per se valet subsistere. Ac per hoc non temere, ut arbitror, dixerim, ipsum reditum, de quo nunc tractamus, non substantiarum, quae immutabiliter et insolubiliter in se permanent, sed qualitatum et quantitatum aliorumque accidentium, quae per se et mutabilia sunt et transitoria, locis temporibusque subjecta, generationibus et corruptionibus obnoxia, futurum esse. Et si ita est, ut vera ratio suadet, non transcunda, sed diligenti consideratione investiganda sequitur quaestio. Mag. Dic, quaeso, quae et qualis sit illa, acuta inquisitione inventioneque digna.

14. Disc. Utrum rerum conditarum substantiae, et essentiae, et rationes ex primordialibus causis per generationem in locis temporibusque, diversorumque accidentium capacitatem procedunt atque descendunt, ut iterum finitis temporibus, hoc est mundo sensibili terminato, in easdem causas, ex quibus profluxerint, redeant: an semper in suis causis ultra omnem generationem et solutionem, ultra omnia loca et tempora, et, ut breviter dicam, ultra omnia accidentia incommutabiliter permanent, ita ut ipsarum sola insita eis naturaliter et superaddita συμ- A βάματα, hoc est accidentia, quae rationabiliter a sapientibus passiones solent appellari, ab eis progrediantur materialiter ad hunc mundum visibilem procreandum, ut eo iterum soluto illa solvantur, et in suas substantias revertantur, ut in eis quiescant, terminumque suae mutabilitatis constituant, omni fluxu generationis et corruptionis per incrementa et decrementa in locis, temporibus, libera, suisque subjectis substantiis unita, ut aeternaliter unum cum ipsis, inseparabile, et incommutabile ineffabili adunatione efficiantur. Mag. Nimis ista inquisitio alta, ac nondum in civilem animi conceptionem promulgata. Sed quia abs te cautissime et ordinate proposita est, non multa et laboriosa reseratione indiget; fere namque a te ipso soluta est. Causas itaque B omnium rerum in sapientia creatas et substitutas in ipsa aeternaliter et incommutabiliter non dubitas, ut opinor, permanere, et ab ipsa nusquam nunquam recedere, vel fluxum aliquem pati ad ea quae inferiora sunt. Non enim per se subsisterent, si aliquo modo ab ipsa recederent. Disc. De causarum omnium incommutabili perseverantia in ipsa divina sapientia, quod est Verbum Dei Patris, in quo et per quod et facta sunt et subsistunt, nullo modo dubitarim. Illud siquidem et divina Scriptura, et sanctorum Patrum traditio incunctanter asserit. Mag. Quid tibi videtur de substantiis rerum, quae in praedictis causis [4] et factae et substitutae sunt? Num verisimile, imo verissimum, ut credamus, etiam ipsas, substantias dico, in suis causis semper et in- C commutabiliter permanere, et ab eis nunquam nusquam nullo modo recedere? Ut enim ipsae causae primordiales non deserunt sapientiam, sic ipsae substantiae non deserunt causas, sed in eis semper subsistunt. Et quemadmodum causae extra substantias [5] nesciunt esse, ita substantiae extra causas non possunt fluere. Disc. Nil verisimilius, et ad intelligendum facilius, et veritati propinquius, quam ut ita et credamus, et inconcusse teneamus. Mag. Restat itaque, de qualitatibus substantiarum — qualitates autem dico, sicuti solent sapientes omnia, quae substantiis accidunt, appellare, quia mutabiles sunt, et circa substantias suas volvuntur — hunc mundum fabricatum compactumque fuisse, et in easdem resolvendum fore. Omne enim, quod temporaliter per D generationem incipit esse, necesse est essendi finem habere. Nec sic tamen praedictas substantiarum qualitates suas substantias, circa quas volvuntur, omnino deserere, et in materiem sensibilis mundi convenire arbitramur; sed mirabili et ineffabili modo, soli fabricatori illius cognito, et circa suas substantias, quibus inseparabiliter adhaerent, semper permanent, et hunc mundum modo [6] quodam intelligibili compositionibus suis perficiunt atque componunt. Nam supra universitatem visibilem causas et substantias omnium corporum sive catholicorum sive particula-

VARIAE LECTIONES.

[1] *est* om. CF. [2] *in* om. A. [3] *corpora* om. A. [4] *causis* om. A. [5] Sic CF; A *substantiam*. [6] Sic A, CF *motu* quodam.

rium, quibus constituitur, non irrationabiliter credimus esse. Ex incorporalibus enim et intelligibilibus [1] corporalia et sensibilia originem ducunt.

15. DISC. Restat : nec alius exitus de praesenti quaestione videtur posse inveniri. Adhuc tamen velim breviter definias, qualis inter causas et substantias differentia sit. Utraeque namque incorporales et intelligibiles sunt. MAG. Causas dicimus generalissimas omnium rerum simul rationes in Verbo Dei constitutas. Substantias vero singulas [2] et specialissimas singularum et specialissimarum rerum proprietates et rationes, in ipsis causis distributas et constitutas. DISC. Aperte ac breviter est discretum. Ex ipsis itaque causis et substantiis mundus iste, coagulatis videlicet illarum qualitatibus, processerat, et in easdem [3] iterum suae resolutionis tempore reversurus et transiturus erit. MAG. Nil verius veritatique propinquius credendum est et intelligendum. Ipsa siquidem Veritas ait : *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* [4]. Sed quorsum caelum et terra transibunt? Nunquid in nihilum? DISC. Absit. Non enim illud ullo modo dicendum. Nihilum autem nunc dico absentiam et privationem omnium, quae sunt, et quae non sunt, in quod [5] nulla creatura et visibilis et invisibilis occasura sit.

16. MAG. Quorsum igitur caelum et terram cum omnibus, quae in eis sunt, transitura? Quod enim veritas promisit, inevitabiliter erit. DISC. Non aliorsum, ut censeo, nisi in ea, ex quibus processerunt. Processerunt autem ex causis generalissimis et specialissimis substantiis, per compactas in materiam qualitates, addita forma. In easdem igitur incunctanter transibunt. Sed quae sunt illa verba veritatis, quae nunquam transibunt, nosse velim. Non enim illa, quae ictu aëris proferuntur, quibus ipsa veritas, dum praesens in carne fuerat, hominibus locuta est, crediderim esse. Transitoria namque erant, sicut et ceterorum hominum verba. MAG. Non alia dixerim verba veritatis, vel, ut ita dicam, verba Verbi, quia veritas Verbum est, nisi causas praefatas et substantias, hoc est incommutabiles rerum rationes in sapientia Dei factas, secundum quas visibilia et invisibilia condita sunt, et in quas caelum et terra transibunt. Ipsa [6] autem nunquam nusquam transibunt [7], quoniam in Verbo Dei unigenito veluti quaedam verba ineffabilia et incommutabilia perpetualiter manent. Quae verba, ut opinor, audivit Apostolus, quando in paradisum raptus est. Quis enim angelorum vel hominum fari verbis vel mente cognoscere possit, quas, et quales, et quantas rationes rerum in principio, Verbo videlicet suo, Pater ante omnia tempora et ante omnem creaturam fecerit. DISC. Non itaque causas et substantias rerum, in Verbo Dei substitutas, in numero computas creaturarum? Di- A xisti enim, eas ante omne tempus omnemque creaturam factas fuisse. MAG. Non computo; nec sine ratione, quoniam proprie creaturae vocabulo significantur, quae per generationem motu quodam temporali in species proprias sive visibiles sive invisibiles profluunt. Quod autem ante omnia tempora et loca substitutum est, quoniam ultra tempora et loca est, creatura proprie non dicitur, quamvis modo quodam loquendi συνεκδοχικῶς universalitas, quae post Deum est, ab ipso condita creatura vocitetur.

17. Sed rursum quaeritur, utrum omne, quod temporaliter movetur, localiter etiam moveri necessarium sit. In qua quaestione multorum non solum catholice, verum etiam seculariter de mundo disputantium sententia variatur. Sunt enim, qui dicunt, B haec duo, locum dico et tempus, circa et extra corpoream creaturam esse, et ab eis contineri et circumscribi. Et quia naturali ratione plus est quod continet, quam quod continetur, non intra partes mundi, sed extra ipsius universitatem loca et tempora computanda existimant : praesertim dum incorporalia sunt, in numero corporalium non recte connumeranda esse judicant. Alii vero loca et tempora intra mundanam universalitatem concludunt. Aiunt [8] enim, simul cum ceteris, quae intra mundum continentur, congenita et concreata fuisse, et quemadmodum cuncta ex causis suis prolata sunt, ita et illa. Rationes siquidem [9] locorum et temporum, priusquam in mundo crearentur, *in Verbo Dei*, in quo facta sunt omnia, praecesserunt. Addunt C etiam ratiocinationem : si loca et tempora ante mundum fuere, profecto aeterna sunt; et si aeterna sunt, aut Deus sunt, aut principales omnium causae in sapientia divina substitutae : quod stultissimum est aestimari. Duo enim maximi errores sunt hominum, ut ait Augustinus : *loca supra caelum, et tempora ante mundum putare*. Ac per hoc concluditur [10], tempora secularia simul cum mundo orta et coorta esse, et nullo modo ipsum praecessisse. In numero itaque eorum, quae intra mundum continentur, locum et tempus connumerandum vera ratio cogit, ac per hoc, non solum in ipsis, quicquid in mundum venit, generari — locorum namque temporumque numeris et nascitur et movetur — verum etiam omnibus, quae in eis generantur, congenerari, et D ex generalibus causis, quae mundum praecedunt, prodire. Quod autem proposuimus, utrum omne, quod movetur temporaliter, necesse sit etiam localiter moveri, eodem modo catholicorum auctorum [11] traditio dissimiliter sentit. Primum quidem Deum solum per seipsum sine loco et tempore moveri, absque ulla discrepantia dogmatizant. De motu vero spiritualis creaturae, omnis materiae corpulentia liberae, nonnullis dissonant theoriis. Quidam etenim ipsum solo tempore, sine loco, moveri affirmant,

VARIAE LECTIONES.

[1] A *intelligibilibusque*. [2] A *singulas vero substantias*. [3] A *eadem*. [4] CF *transient*. [5] Sic CF ; A in *quo*. [6] A *Ipsae*. [7] CF *transient*. [8] Sic CF ; A *Dicunt*. [9] A *quidem*. [10] Sic A ; CF *includitur*. [11] Sic CF ; A *doctorum*.

omnem vero corporalem creaturam non solum temporaliter, verum etiam localiter mutabilem esse non incongrue arbitrantur. Nec [1] ibi omnes dissonant. Quorum sententiae beatus etiam [2] Augustinus favet, de Deo loquens : *Movet*, inquit, *seipsum sine loco et tempore, movet conditum spiritum per tempus sine loco, movet corpus per tempus et locum.* Alii vero locum et tempus, teste Maximo in Ambiguis, Gregorium Theologum sequentes [3], inseparabilia esse incunctanter astruunt, in tantum, *ut omne temporale locale sit, et conversim omne locale temporale, et nullo modo in natura rerum inveniri, quod solo tempore sine loco, vel solo loco sine tempore possit moveri.* Sed quid horum convenientius tenendum sit, non est nostrum dijudicare [4]; unusquisque de talibus disputantium intra seipsum deliberet, quid sibi rationabilius sequendum sit : nos autem redeamus ad propositum. Disc. Caute ac vigilanter. Non enim debemus de sententiis magnorum et venerabilium virorum temere judicare. Nam si unum dixerimus rectius sensisse, videbimur alterum refellere ; quae maxima et promptissima causa litigandi solet evenire.

18. Mag. Nullus pie atque catholice philosophantium, divinaeque Scripturae virtutem considerantium dixerit, ut opinor, loca et tempora ante mundum fuisse. Disc. Istaec [5] credentibus et intelligentibus non contradixerim. Sanissime enim credunt, et purissime intelligunt. Quidnam [6] praecederet mundum, nisi sola aeternitas, praesertim cum scriptum sit : *Omnia in momento oculi facta sunt ?* Loca autem et tempora in numero omnium sunt. Item : *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Mag. Quid ergo dicemus, si loca et tempora ante mundum non fuere, sed sola aeternitas ipsum praecessit ? Nunquid verisimile est, ut eodem modo credamus, nec post mundum remansura ? Si enim in universitate mundi loca et tempora computantur, qua ratione, soluto mundo, permanebunt ? Totum siquidem aut universaliter manet, aut universaliter perit ; ut autem ex parte maneat, ex [7] parte pereat, impossibile est. Si enim una pars ex toto perierit, totum interit. Una namque dempta, totum non est. Similiter si una pars salva fuerit, et ceterae interierint, totum interit. Totus itaque mundus aut totus interibit, aut totus semper erit. Peribit autem. Totus igitur peribit, neque ulla pars sui post suum interitum remanebit sine interitu. Sunt autem partes ejus locus et tempus. In ipso igitur et cum ipso peribunt locus et tempus. Locum nunc dico non rerum definitionem, quae semper manet in animo, sed spatium, quo corporum quantitas extenditur. Nam quod Graeci duas illas mundi partes, locum dico et tempus, ὧν ἄνευ, hoc est, sine quibus ceterae partes esse non possunt, appellant, tamdiu illud vocabulum non temere dixerim in eis praevalere, quamdiu totum illud, cujus partes sunt, permanserit. Eo vero transeunte simul et illius vocabuli virtus evacuabitur [8]. Cum enim non fuerit, quod locari et circumscribi indigeat, quomodo erit locus ? Si enim [9] nihil locaverit, locus non erit. Eo siquidem pereunte, quod collocatur [10], qua ratione locus erit ? Locus quippe omnino non est, quod quid non collocat. Non aliter de tempore. Quando enim nullus motus erit, quem mensura temporis non dividet et comprehendet, quomodo tempus erit ? Est enim tempus morarum vel motuum certa et naturalis dimensio. Pereunte igitur, quod mensuratur, et illud, quod metitur, necessario peribit. In quo enim intelligetur tempus, quando nullus sentietur motus ? Ut enim motus in quodam moto continetur, ita tempus in quodam dimenso motu. Sicut ergo motus non erit, quando nulla pars mundi movebitur, ita tempus, quando nullus mensurabitur motus. De interitu autem mundi ac de fine nullus catholicorum ambigit. Non enim sola ratio et naturalis necessitas, quod interiturus sit, verum etiam divinarum literarum verissima auctoritas comprobat. Maximi namque ob hoc [11] sapientes mundi non ausi sunt docere vel concedere, hunc mundum temporali principio per generationem inchoasse, ne cogerentur fateri, finem temporis per occasum habiturum esse. Nam si mundum temporali principio inchoare concederent, fine quoque temporis terminari negare non possent. Ideoque illorum quidam mundum totum, hoc est materiem ejus et formam, coaeternum Deo fuisse, quidam solam informem materiem astruere conati sunt, formam solam et formationem mundi Deo attribuentes, materiem vero ejus aeternam et coaeternam Deo per seipsam substitisse, Dei tamen formatoris indiguisse, et se ipsam formare non valuisse.

19. Sana autem et ecclesiastica doctrina firmissime credit, et luculentissime perspicit, unum et omnipotentem Deum, principium causamque omnium, quae sunt, et quae non sunt, materiem dedisse mundo et formam, quando voluit, finemque daturum esse, quando statuit : qui fecit omnia in aeternalibus causis, priusquam fierent temporalibus momentis : qui est finis omnium, quia in ipsum revertentur, quae ab ipso profecta sunt, et in ipso moventur et stant. Dominus ipse de transitu mundi, ut paulo superius introduximus, ait : *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Et ne quis transitum mundi de loco in locum, vel de tempore in tempus, vel de forma visibili in formam visibilem, vel de qualitate in qualitatem, vel de quantitate in quantitatem in his verbis arbitretur [12] posse intelligi, audiat Prophetam fabricatori mundi dicentem : *Opera manuum tuarum sunt caeli ; ipsi peribunt, tu autem permanes.* Ille autem aperte dixit, *peribunt*, ut intelligas, quid

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF ; A *Non.* [2] *etiam* om. A. [3] Sic A ; CF *sequens* (*pro sequente*, sc. Maximo). [4] A *dijudicari.* [5] C *Ista*, F *Istac.* [6] Sic CF ; A *Quid enim.* [7] Sic CF ; A *aut ex* parte. [8] Sic CF ; A *revocabitur.* [9] *enim* om. CF. [10] Sic CF ; A *locatur.* [11] *ob hoc* om. A. [12] Sic CF ; A *putet.*

sit *transibunt*. Si autem *caeli transibunt*, quid de his, quae intra ambitum ejus continentur, existimandum? Si enim excellentissima pars mundi peritura sit, nunquid putandum, inferiores remansuras esse? Et si, quod continet et ambit, perierit, nunquid, quod continetur et ambitur, salvabitur? Non enim verisimile, quod melius, obire, et quod deterius, salvari, praesertim cum Propheta non dixerit, opera manuum tuarum sunt caelum; ipsum peribit: sed *opera manuum tuarum sunt caeli; ipsi peribunt*. Ubi aperte datur intelligi, quod [1] non solum illud astrigerum caelum, quod universitatem sensibilis creaturae circumscribit et ambit, verum etiam caelum aethereum, in quo septem planetae cursus suos peragunt, et aereum caelum, quod inter terram et lunam coartatur, periturum sit. Aer namque corpulentus terraeque proximus aliquando nomine caeli vocatur, ut in Genesi, quando volatilia sub firmamento caeli tranare [2] facta sunt, aliquando nomine terrae, ut in Psalmo: *Laudate eum de terra, dracones*. Si igitur omnia mundi intervalla, tenuissimaque corpora peritura sunt [3], putasne aquas terrasque mansuras, dum illarum natura passibilior sit, et ad corruptionem facilior plus quam ignis et aëris? Joannes [4] theologus in Apocalypsi sua dixit [5], de consummatione mundi prophetans: *Primum enim caelum, et prima terra abiit, et mare jam non est*. Salomon item: *Omne*, inquit, *quod fuit, ipsum, quod erit, et non est omne recens sub sole*. Ac si aperte diceret: Solus Deus, omniumque in eo causae, ante mundum fuit, et ipse post mundum, et in eo cunctorum causae, solus erit: ipse vero mundus, qui sub sole est, et ab aeternis causis ortum accepit, in [6] easdem causas reversurus est. Non enim [7] erit, quod nunc est. Omne enim, quod incipit esse quod non erat, et desinit esse quod est, jam non est. Animadverte apertissimas divinae Scripturae de interitu mundi sententias. Dominus generaliter extremitates ejus colligens: *Caelum*, inquit, *et terra transibunt*. Propheta interiora spatia aetheris et aëris: *Opera manuum tuarum sunt caeli; ipsi peribunt*. Evangelista Joannes: *Mare*, inquit, *jam non est*. Ex his incunctanter docemur, nullam mundi partem remansuram esse, quae interitura non sit. Disc. Quid ergo dicemus? Nam [8] et idem Salomon ait: *Generatio venit, generatio vadit; terra vero in aeternum stat*. Si transierit, quomodo stat, et stabit in aeternum? Mag. In his verbis Salomonis non illam partem mundi, quae media et infima est, quoniam infra eam nihil est, in qua genus humanum adhuc mortale et corruptibile possidet generationi et corruptioni obnoxium, accipimus, sed illam terram, de qua Propheta dicit: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in seculum seculi*; incom-

A mutabilem videlicet naturarum omnium stabilitatem in essentialibus et substantialibus causis, quarum immobile fundamentum est [9] sapientia Patris, quae non inclinabitur in seculum seculi. Solet namque Scriptura sacra terrae nomine naturarum stabilitatem incommutabilem significare, et maxime humanae naturae soliditatem. Hinc Apostolus: *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quae sunt super terram*. Tanquam diceret: Mortificate vitia vestra, quae sunt supra soliditatem naturae, ut eradicatis eis virtutum germina crescant. Ipsa est terra repromissionis, in quam populus fidelium de Aegypto, hoc est, de labore seu tenebris — nam utrumque Aegyptus [10] interpretatur — liberatus, et per mare baptismatis introductus, et in deserto praesentis vitae exercitatus

B reversurus est. Ipsa est terra, quam filii spiritualis Israel possidebunt, quando Deum facie ad faciem contemplaturi sunt. Eademque Abraham patriarchae figurate monstrata est, et in aeternam possessionem data. Sed si tibi praedictae divinarum Scripturarum de interitu hujus terrenae molis, in qua nunc vivimus in similitudinem jumentorum procreati, non sufficiunt sententiae [11], aliae ex eadem Scriptura addendae sunt. Vertex apostolorum, Petrus videlicet, in Epistola secunda [12]: *Caeli autem*, inquit, *qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in die judicii et perditionis impiorum hominum*. Joannes in Apocalypsi: *Vidi*, inquit, *caelum novum et terram novam; primum enim caelum et prima terra abiit, et mare jam non est. Caelum*

C *autem novum et terram novam*, vel, ut ait Petrus: *Novos caelos et novam terram*, beatum Gregorium Nazianzenum theologum sequentes, de restauratione humanae naturae in pristinum statum, deque ejus in antiquam dignitatem reditu non longe, ut video, a veritate remoti intelligimus. Disc. De interitu mundi, imo etiam ipsius reditu in aeternas causas, ex quibus defluxerat, satis est disputatum. Sed quo fine terminabitur, apertius audire velim.

20. Mag. Miror, quare hoc interrogas, dum tu ipse paulo superius incunctanter definieris finem mundi, suas videlicet aeternas causas in Verbo Dei aeternaliter et incommutabiliter subsistentes, et in superioribus inter nos confectum est, in omnibus, quae in motu vel in statu [13] sunt, vel certe, ut ita

D dicam, in mobili statu et in motu stabili, non aliud esse principium, aliud finem, sed unum et id ipsum. Si ergo principia mundi sunt causae, ex quibus ortus est [14], nonne fines ejusdem eaedem causae, in quas reversurus? Non enim in nihilum redigetur, sed in causis suis, motu suo finito, perpetualiter salvabitur et quiescet. At si Verbum Patris, in quo et sunt, et facta sunt omnia, causa omnium causarum est visibilium et invisibilium: nunquid ipsa causarum causa

VARIAE LECTIONES.

[1] *quod* om. CF. [2] Sic CF; A *terra, mare*. [3] CF peritura *sint*. [4] Sic CF; A *Johannesque*. [5] Sic CF; A *dixerit*. [6] Sic CF; A *et* in. [7] *enim* om. A. [8] Sic A; CF *Num*. [9] *est* om. A. [10] Sic A; CF *Aegyptum*. [11] Sic CF; A *sententiae* supra interposuit sic: praedictae divinarum Scripturarum *sententiae* de interitu etc. [12] Sic CF; A in secunda *sua* epistola. [13] A in *statu vel in motu*. [14] *est* om. CF.

finis mundi est [1], in quam desinet, quando omnia, A quae in motu sunt, in eo, quod appetunt, in ipso videlicet Dei Verbo, motus sui finem constituant [2], ultra quem finem nullus ullius [3] creaturae appetitus erit? Non enim habet ulterius, quo tendat, vel quid petat. Universalis quippe totius creaturae finis Dei Verbum est. Principium itaque et finis mundi in Verbo Dei subsistunt, et, ut apertius dicam, ipsum Verbum sunt, quod est multiplex sine fine finis et principium ἄναρχον [4], hoc est, sine principio praeter Patrem. Hinc etiam breviter colligere possumus, quod multis ratiocinationibus suadere conamur, ac sic definire: Ab ipso et ad ipsum omnia; est enim principium et finis. Quod etiam Apostolus apertissime conclusit dicens: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum omnia.* Et hoc etiam naturarum B omnium, quae factae sunt, quinquepertita divisio, *quae ab apostolica auctoritate*, ut Maximus in Ambiguis tricesimo septimo capitulo scribit, *tradita est*, lucidissime declarat, reditusque iterum et adunatio earundem per easdem divisiones et convolutiones totius creaturae in unum, et postremo in ipsum Deum. *Prima* siquidem omnium naturarum divisio est, quae creatam a non creata, quae est Deus, segregat. *Secunda* creatam dividit in sensibilem et intelligibilem. *Tertia* sensibilem in [5] caelum discernit et terram. *Quarta* separat paradisum et orbem terrarum. *Quinta* omniumque ultima divisio est hominis in masculum et feminam. In quo, videlicet homine, omnis creatura visibilis et invisibilis condita est. Ideoque *officina omnium* dicitur, quoniam in eo C omnia, quae post Deum sunt, continentur. Hinc etiam *medietas* solet appellari, extrema siquidem longeque a se distantia, spiritualia scilicet et corporalia, in se comprehendit et in unitatem colligit, corpore et anima consistens [6]. Ideoque in consummatione rerum omnium fabricationis ipsum divina introduxit historia, significans, universitatem factarum rerum in ipso contineri. Proinde ex adunatione divisionis hominis in duplicem sexum praedictarum divisionum incipit ascensus et adunatio. In resurrectione enim sexus auferetur, et natura adunabitur, et erit solummodo homo, sicut fieret, si non peccaret. Deinde orbis terrarum paradiso [7] adunabitur, et non erit nisi paradisus. Deinde caelum et terra adunabuntur, et non erit nisi solum caelum. Et notandum, D quod semper inferiora in superiora transmutantur. Sexus quippe in hominem movetur, quoniam inferior est sexus homine. Orbis terrarum, qui inferior est, in paradisum. Terrena, quia inferiora sunt, in caelestia mutabuntur corpora. Deinde totius sensibilis creaturae adunatio et in intelligibilem transmutatio sequitur, ita ut universa creatura intelligibilis efficiatur. Postremo universalis creatura Creatori adunabitur, et erit in ipso et cum ipso unum. Et hic est finis omnium visibilium et invisibilium, quoniam omnia visibilia in intelligibilia, et intelligibilia in ipsum Deum transibunt mirabili et ineffabili adunatione, non autem, ut saepe diximus, essentiarum aut [8] substantiarum confusione aut interitu. Et hoc totum Dominus et Salvator noster Jesus Christus resurgendo a mortuis in seipso et perfecit, et exemplum omnium, quae futura sunt, praemonstravit. Resurgens quippe nullum sexum habuit. Quamvis enim in ipso sexu, masculi videlicet, in quo ex virgine natus, et inter homines usque [9] ad passionem conversatus, post resurrectionem discipulis suis ad confirmandam illorum fidem apparuit; non enim aliter ipsum cognoscerent, nisi in habitu illis cognito se ipsum manifestaret: nulli tamen [10] fidelium licet credere, vel [11] ullo modo cogitare, ipsum post resurrectionem ullo sexu detineri. *In Christo enim Jesu neque masculus est neque femina*, sed solum verum et totum hominem, corpus dico, et animam, et intellectum, absque ullo sexu vel aliqua comprehensibili forma, quoniam haec tria in ipso unum sunt, et Deus facta, sine proprietatum transmutatione vel confusione. Totus namque Deus est, et totus homo, una substantia, vel, ut usitatius dicam, una persona, locali et temporali motu carens, dum sit super omnia loca et tempora Deus et homo, absque ulla forma, cum sit forma omnium et paternae substantiae character, absque ulla similitudine, dum omnia similia ei esse appetunt [12]. Humanitas siquidem Christi unum cum Deitate facta nullo loco continetur, nullo tempore movetur, nulla forma seu sexu circumscribitur, quia super haec omnia exaltata est, et non solum super haec, verum etiam *super omnes virtutes, et potestates*, ceterosque spirituales ordines, quia *sedet ad dextram Patris*, quam sessionem nulla creatura potest attingere. Proinde non immerito redarguendi sunt, qui corpus Dominicum post resurrectionem in aliqua parte mundi conantur constituere [13], et localiter et temporaliter moveri, et in eo sexu, in quo apparuit mundo, intra mundum detineri. Quomodo enim inter omnia potest esse corpus, quod in unitate divinitatis super omnia exaltatum est? Deinde considerandum, quod ipse resurgens a mortuis in paradisum reversus est. Non enim credendum est, aliquod spatii temporis inter reditum ipsius a mortuis, et paradisi introitum fuisse, nec ipsum paradisum, in quem a mortuis resurgens intravit, localem esse, vel in aliqua parte hujus mundi sensibilis contineri. Neque, quando manifestabat se discipulis suis, credendum est, extra paradisum fuisse, sed simul et in paradiso erat, et se ipsum suis discipulis demonstrabat. Ille enim jam in paradiso erat, quia in ipso humana natura restaurata est: illi vero, quibus se manifestavit, nondum in paradiso, hoc est nondum restaurata in natura erant [14]. Neque quando evane-

VARIAE LECTIONES.

[1] A finis *est mundi*. [2] Sic CF; A *constituent*. [3] Sic CF; A *nullus nullius*. [4] A ἄναρχος. [5] A *inter*. [6] Sic CF; A *subsistens*. [7] Sic CF; A *in* paradiso. [8] Sic AC; F *et*. [9] Sic CF; A *quousque*. [10] *tamen* om. A. [11] A *aut*. [12] Sic CF; A *ei esse appetunt similia*. [13] Sic CF; A *astruere*. [14] *Ille enim jam in paradiso erat — erant* om. CF.

scebat ab oculis eorum, localiter ab eis recedebat, sed in subtilitatem spiritualis corporis carnalibus adhuc apostolorum oculis inconspicuam se [1] occultabat. Hinc datur intelligi, non aliud esse paradisum, in quem resurgens ingressus [2] est, praeter ipsam humanae naturae integritatem, quam in seipso restauraverat, et in qua primus homo, si non peccaret, gloriosus permaneret. Ipse est paradisus, qui sanctis promittitur, in quem ex parte, anima videlicet, jam ingressi sunt, ex parte, corpore dico [3], extra adhuc sunt. Adunavit itaque in se orbem terrarum paradiso. Ipsi siquidem orbis terrarum paradisus erat. Totum namque, quod de orbe terrarum acceperat, materialem videlicet carnem cum suis accidentibus absque peccato, et virilem habitum, in spiritualem in seipso mutavit naturam. Ac deinde non solum humanitatem, quam acceperat et renovaverat in seipso, in aequalitatem angelicae naturae exaltavit et reduxit, quod per ascensionem ejus in caelum significatum est, quando videntibus discipulis elevatus est in aëra, nube eum suscipiente ab oculis eorum, quae et claritatem ipsius et spiritualitatem indicabat; dixit enim, priusquam pateretur: *Pater, clarifica Filium tuum:* verum etiam super omnes angelos et virtutes caelestes, et, ut breviter dicam, super omnia, quae sunt et quae non sunt, sublimavit. Et quod in seipso particulariter perfecit, generaliter resurrectionis tempore in tota humana natura perfecturus est, hoc est, non solum omnia, quae ipsa post peccatum de hoc mundo materiali attraxerat, convertet in spiritum, verum etiam ad aequalitatem caelestis gloriae, quam angeli possident, perducet. Et ne mireris, quod de talibus in aliis libris hujus nostrae disputationis multa tractata sunt, et nunc iterum recapitulantur, quoniam sic ordo et necessitas inveniendarum rerum, quas inquirimus, exigit, ut easdem sententias et argumentationes multipliciter repetamus et revolvamus, ac [4] veluti quadam ἀνακεφαλαιώσει in memoriam revocemus. Hoc autem dico, quoniam in superioribus libris multa [5] de reditu naturae beati Maximi sententias introducentes [6] praegustavimus: sed nunc plenius tractare debemus. Idem itaque Maximus non solum in Ambiguis, verum etiam in scholiis de adunatione creaturarum disputat quadragesimo octavo capitulo, ubi turrium, quas Ozias aedificavit in Jerusalem, theoriam exposuit. *Angulos fortassis,* inquit, *sermo Scripturae dixit ipsas per Christum factas differentes separatarum creaturarum adunationes. Adunavit enim hominem, ipsam secundum masculum et feminam differentiam mystice in spiritum auferens, et proprietatibus, quae per passiones sunt in ambobus, liberam naturae rationem constituens. Adunavit autem et terram, quae est secundum sensibilem paradisum et orbem terrarum, separationem expellens. Adunavit et terram et caelum, ostendens unam apud semet ipsam visibilium naturam. Adunavit sensibilia et intelligibilia, unamque ostendit existentem eorum, quae facta sunt, naturam, quadam mystica ratione coaptatam. Adunavit per rationem supernaturalem ac modum creatam naturam non creatae.* Disc. Quid igitur dicemus? Qua ratione vel similitudine credendum est, Dominum absque ulla sensibili et circumscripta forma, et maxime absque illa, quam nascendo ex Virgine accepit, resurrexisse? Et quoniam ille exemplum *generalis* atque futurae resurrectionis et erat, et est, si absque ullo sexu resurrexit, necessario sequitur, ut omnes homines in resurrectione et post resurrectionem universaliter sexu careant. Mag. Hoc superfluum est quaerere, quoniam in prioribus [7] libris multipliciter et ratione suasum est, et sententiis beati Gregorii ejusque expositoris, Maximi dico, est conclusum, quod in futura vita post resurrectionem natura hominum omnino sexu, hoc est, virili et feminea forma carebit, quoniam in ipsam formam, quae ad imaginem Dei facta est, reversura est. Imago autem Dei non est masculus neque femina; ista enim divisio naturae propter peccatum facta est. Disc. In futura itaque vita neque masculus erit, neque femina, si sola simplicitas naturae duplicem, qui nunc est, sexum in seipsam absorpserit. Mag. Cur de hoc haesitas, cum de hominibus in resurrectione generaliter Veritas dicat: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in caelo?* Nunquid angelos ex intellectu et spirituali corpore constare credimus? Omni tamen circumscripta forma eos carere non dubitamus. Nam quod saepe in humana effigie apparuisse illos divina narrat historia, non nos cogit aestimare, eos tali effigie naturaliter detineri. Illud enim pro tempore factum est, quoniam aliter hominibus apparere [8], et cum hominibus loqui, aut impossibile aut non facile erat. Si ergo angeli omni forma circumscripta carent, quid mirum, homines, dum aequales angelis fuerint, omni sexu [9] et formarum circumscriptione carituros? Neque enim aliter aequales eis erunt, neque hoc incredibile videtur. Quaedam namque corpora sunt liquida ac spiritualia, circumscriptis formis carentia. Quod autem liquidum et [10] spirituale est, purissimaeque substantiae, corporalibus quantitatibus ac lineamentis seu aliqua mole circumscripta contineri posse non video, quoniam vera ratio talia existimare non me sinit. Quattuor siquidem simplicia mundi elementa nullis coartantur formis; ubique enim in mundo sunt, cujus nulla pars est illorum concursu carens. Quod autem ubique est in mundo, quomodo aliqua forma circumscribi possit? Sunt igitur corpora formis sensibilibus carentia. Quid de radiis oculorum dicendum? Nonne et ipsi corporei sunt, omni forma carentes? Si autem dixeris angelos intelligibiles formas [11], ha-

VARIAE LECTIONES.

[1] *se* om. A. [2] Sic CF; A *regressus* est. [3] Sic CF; A ex parte *animae* videlicet jam *ingressae* ex parte *corpora* dico. [4] A *et*. [5] Sic CF; A *multas*. [6] Sic CF; A *introducendas*. [7] Sic CF; A *superioribus*. [8] *apparere* om A. [9] Sic CF; A omni *et* sexu et formarum. [10] A *ac*. [11] A *formas intelligibiles*.

bere, omnino concedo, ac per hoc homines etiam in resurrectione [1] similiter intelligibiles formas habituros esse, non solum non denego, verum etiam affirmo. Sed quae et quales nunc in angelis sunt, et in hominibus futurae, omnino me ignorare fateor, *donec transeat*, ut ait Augustinus, *corpus meum in affectum voluntatis meae.* Non ignoro tamen multos magnosque sapientes, qui omnino aliter de humanis corporibus post resurrectionem sentiunt, quorum sententias in processu hujus libri non pigebit introducere, ne videamur eos vel spernere vel non legisse. Disc. Consequens disputationis ordo exigit, ut, quid quisque ecclesiasticorum sapientum, quos legisti — non enim omnes te legisse opinor, quod cuiquam impossibile est — de talibus senserit, proferas, ut in arbitrio legentis ponatur, quem [2] velit sequi. Nunc autem a te quaero, qua ratione dicitur perire, quod in primordiales causas, vel certe in ipsum Deum perhibetur reversurum, dum plus pronunciandum sit vivere et permanere, quam interire et transire?

21. Mag. Huic tuae interrogationi breviter ac facile respondeo, beati Dionysii Areopagitae propheticam sententiam exponentis sensum considerans: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Sanctorum siquidem mortem non aliam in hoc versu Prophetam dixisse astruit, praeter illorum transitum in Deum contemplationis celsitudine, omnia visibilia et invisibilia superantes adhuc in corpore constituti. Num et Petrus ille apostolorum vertex mortuus erat omni creaturae, et transivit in Deum, quando Domino interroganti, quem se esse diceret, respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Num similiter Joannes evangelista omnibus, quae facta sunt, defunctus est, altitudine theoriae cuncta superans et clamans: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, totaque ipsius mirabilis et ineffabilis Theologi theoria? Audi Apostolum adhuc mortali corpore detentum, mortuum tamen se et crucifixum pronunciantem: *Mihi mundus crucifixus est*, inquit, *et ego mundo.* Talis itaque est interitus sanctorum contemplationis virtute in ipsum Deum transeuntium, et omnia, quae sunt, et seipsos deificati [3] altitudine divinae gratiae superantium. Eo itaque modo, quo ii, qui virtute atque scientia implentur, adhuc in hac vita constituti solo animo intereunt, totus mundus, quando terminabitur, interibit. In ipsum enim, qui propter superessentialitatem suae naturae nihil dicitur, reversurus [4] est, non ut totus deificetur, aut cum Deo unum efficiatur, ut caelestes virtutes, et humani animi illuminati, purgati, perfecti, sed ut unumquodque [5] eorum, quibus constituitur [6], in suas, ut saepe diximus, revertatur causas. Causas autem omnium in Deo esse substitutas, nemo fidelium dubitat. Qui enim dubitat, aut infidelis est aut insipiens. Proinde omne, quod in causam suam reducitur, in Deum redire cur dubitaretur? Et ne rearis, me temere Deum vocasse nihil, et nulla auctoritate suffultum, audi beatum Dionysium Areopagitam in primo capitulo de divinis Nominibus: *Diximus*, inquit, *cum theologicos characteres exposuimus, unum, incognitum, superessentiale, per se optimum, quod quidem est, trinam unitatem dico*, ὁμόθεον *et* ὁμοάγαθον, *neque dicere neque intelligere possibile est: sed et sanctarum virtutum angelicae unitates, quas sive speculativas, sive acceptivas oportet dicere, superincognitae et superlucentis bonitatis, et arcanae sunt et incognitae, et solis ipsis subsistunt, qui super scientiam angelicam, dignis suis* [7] *angelis. His deiformes angelica imitatione* [8], *quantum licet, coadunati humani animi, quoniam* [9] *secundum omnem intellectualem operationem requiescunt, talis autem fit deificatorum animorum ad summum lumen*, Deum videlicet, [10] *unitas* [11]*: laudant ipsum potissime per omnium, quae sunt, ablationem. In hoc vere et supernaturaliter illuminati ex beatissima cum ipso unitate, quae omnium quidem est, quae sunt, causale, ipsum autem nihil, ut omnibus, quae sunt, superessentialiter exaltatum.* Animadverte praefatum theologum, quomodo incunctanter summum lumen, Deum videlicet, qui omnem intellectualem et rationalem illuminat creaturam, nomine quod est *nihil*, insinuat. Et subjecit rationem, cur nihil vocatur. *Quia super omnia, quae sunt, superessentialiter exaltatur.* Commune igitur omnium, quae facta sunt, veluti quodam interitu redire in causas, quae in Deo subsistunt; proprium vero intellectualis et rationalis substantiae, unum cum Deo virtute contemplationis, et Deus per gratiam fieri. Disc. Plane perspicio, non aliud esse mundo perire, quam in causas suas redire, et in melius mutari. Sed quia pars sensibilis mundi maxima est corpus humanum, non mole sed dignitate rationalis animae, qua formatur et vivificatur et regitur et continetur, de ipsius reditu tractare ordo rerum exigit et disputationis series, ni fallor.

22. Mag. In hoc non falleris; ita enim instans via carpenda est. Disc. Ingredere itaque. Mag. Reditum secundum humani corporis — nam primus in elementa solutio ejus est — resurrectionem ipsius esse, communiter omnis Ecclesia fatetur. Disc. Omnium proprie recteque credentium communis confessio est, non aliud esse reditum secundum [12] corporum praeter eorum resurrectionem, et ex quattuor mundi elementis, in quae [13] solvuntur, revocationem. Utrum vero resurrectio corporum secundum gratiam, an secundum naturam, an utraque [14] con-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *post resurrectionem.* [2] Sic CF; A *quod.* [3] *deificati* om. A. [4] Sic CF; A *reversus* est. [5] Sic CF; A *unum quod.* [6] Sic CF; A *constituatur.* [7] Sic CF; A *dignantur illis* angelis. [8] Sic CF; A *unitate.* [9] A *quia.* [10] *Deum videlicet* om. CF. [11] Sic CF; A *unio.* [12] *secundum* om. A. [13] A *qua.* [14] A *utroque.*

currente sit, quaerendum; nam fere paucos de hoc tractantes reperi.

23. Mag. Nec ego recordor, me in latinis codicibus legisse, non quod fortassis de hac quaestione tractatum a quodam nobis adhuc incognito non sit, ut opinor; non enim putandum est, Romanae linguae auctores hanc magnam quaestionem intactam praetermisisse, aut notatam non tractasse: sed quod in manus nostras [1], si quid inde definitum est, non pervenit. Ideoque dum diu per me ipsum de hoc cogitabam, nil aliud mihi occurrebat, praeter quod resurrectio mortuorum generaliter bonorum malorumque non nisi sola Redemptoris mundi gratia futura sit, nulla naturali virtute cogente, in tantum, ut si Deus Verbum caro factum non fieret, et inter homines conversatus non esset, et totam humanam naturam non reciperet, in qua passus est et resurrexit, nulla mortuorum resurrectio foret. Et ut sic intelligerem, eo quod ipse dixit, attractus eram: *Ego sum resurrectio et vita;* ac si per solam incarnationem ipsius [2] generale hoc donum, nullo excepto, genus humanum acceperit [3], resurrectionem videlicet a mortuis, hoc est restitutionem et redintegrationem totius hominis naturae, quae corpore et anima constituta est. Si autem Dei Verbum humanam naturam non susciperet, et in ea ex mortuis non resurgeret, nullus omnino resurrectionis gratiam haberet, sed, sicut ceterorum animalium cadavera, in terreno pulvere perpetualiter humana corpora permanerent. Hoc etiam putabam, audiens Apostolum dicentem, quod *Deus Verbum sit primitiae mortuorum.* Haec erat mea de resurrectione mortuorum opinio. Sed postquam sancti Epiphanii, episcopi Constantiae Cypri, Ancoratum [4] [seu] [4*] sermonem de Fide legi, magnique Gregorii Theologi de Imagine disputationem, mutavi sententiam, ut illorum auctoritati consentiens, meamque opinionem parvipendens [5], resurrectionem mortuorum naturali virtute futuram esse concederem. Ideoque eorundem verba huic nostrae praesenti disputationi inserere non incongruum judicavi. Praefatus itaque Epiphanius, de resurrectione disputans, Graecosque resurrectionem omnino negantes convincens, haec ait: *Graeci quidem penitus resurrectionem negant, Deum [6] ignorantes ejusque mandata; veruntamen resurgent etiam nolentes. Ipsa enim creatura plane eos redarguit, manifestans quotidie resurrectionis formam. Occidit namque dies, et mortuorum imbuimur [7] modum; ablata nocte oritur dies, nos inspirans, et resurrectionis signum insinuans. Colliguntur fructus, et status praesentium secatur, nostrae hinc transmutationis definita specie; seminatur terra et producit, quia deposita semina post messem*, id est, post collectionem frugum, *resurgent. Locusta mortua et sepulta, quod ex ea projectum, concipitur [8] in terra, et post tempus terra, quae ei commendata sunt, reddit. Semina germinum seminantur, et primum moriuntur; si enim non moriuntur, non vivificantur. Signacula in nobis Deus fecit resurrectionis per ungues decem et decem, testimonium perhibens de nostra spe. Sed et sic per coronam capitis, perque capillos nostram resurrectionem praedicat. Quod enim videtur in nobis mortuum corpus, hoc est, capilli, quotidie secati, et ungues iterum crescunt [9], significantes resurrectionis spem. Et non est fabulosum dicere propter incredulos exempla naturae. Palumbes aves, animalia non simul velociter volantia, moriuntur semenstres, et post quadraginta dies continuo reviviscunt. κάνθαροι, hoc est scabrones, futuram sui mortem sentientes, in sphaeram fimi se ipsos abscondunt, sepelientes ipsam sphaeram in terra et obruentes; ac sic ex suo humore iterum inveniuntur ex suis reliquiis reviviscentes. De Phoenice ave Arabica superfluum mihi est dicere; jam namque in aures multorum venit fidelium et infidelium. Haec est autem ipsius causa. Quingentesimum annum peragens praenoscit tempus mortis suae instare. Sepulcrum enim operatur aromatibus, illudque ferens venit in civitatem Aegyptiorum, quae vocatur Eliopolis, id est solis civitas, et plantis suis pectora sua multum percutiens, ignem de suo corpore proferens, incendit subjectam in loco sepulcri materiam, ac sic seipsum totum comburit, et [10] totas carnes suas cum ossibus. Divina autem administratione nubes mittitur, et pluit, et exstinguit corpus avis consumentem [11] flammam, mortua quidem jam existente ave, et penitus ardente; exstincta autem flamma reliquiae carnis ejus consumptae relinquuntur, et per unam diem non apparentes, vermem gignunt, qui vermis plumescit, et novus fit, tertia die solidatur, et solidatus locum inquirentibus et ministrantibus loco se ipsum manifestat, et iterum in suam recurrit patriam, unde venit, et combustus juvenescit.* Audisti Epiphanium. Si ergo in restaurandis rebus humanique corporis partibus naturalis vis operatur, inque animalibus irrationabilibus resuscitandis, ut praefati auctoris approbant exempla: quid mirum, si vitalis et naturalis virtus, quae nunquam substantiam humanorum corporum deserit, in tantum praevalet, ut ipsius operatione ipsa corpora ad vitam restituantur, et ad totius humanae naturae integritatem? Ceterorum namque animalium, omniumque rerum sensibilium diversa et specialia corpora, quoniam et in ipsis vitalis motus, dum formis suis continentur, viget et movet, dum solvuntur, silet, nequaquam tamen eorum substantiam deserit, generaliter cum mundo transibunt [12], eo modo transeundi, de quo plura superius tractavimus. Et quoniam cuncta sensibilia et intelligibilia in humanae naturae plenitudine condita sunt, num rationi resi-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *meas.* [2] Sic CF; A *ejus.* [3] CF *acciperet.* [4] Sic C; CF *accuratum.* [4*] *seu* om. ACF; add. ex conj. [5] A *parum pendens.* [6] A *Dominum.* [7] Sic CF; A *imitatur.* [8] Sic CF; A *conspicitur.* [9] Sic CF; A *crescent.* [10] A *ac.* [11] CF *consumantem.* (sic!) [12] Sic CF; A *transibit.*

stit, si totum mundum cum omnibus suis partibus tempore restitutionis ipsius naturae, in qua totus continetur, generali quadam resurrectionis specie resurrecturum deliberemus? Praesertim cum omnium sensibilium, dum in se ipsa [1] consideratur natura, una eademque perspicitur, et in hoc mundo non magnitudinem corporeae molis, sed incorporalium substantiarum adunationem absque omni cumulo et partium exaggeratione vel compositione vera considerat ratio : sicut in monade et in centro non quantitatem vel qualitatem numerorum et linearum, sed solam virtutem, quae nulla mole, nullo spatio, nulla quantitate et qualitate circumscribitur, perspicit. Est enim tota per totum in seipsa, nullo loco ambita, nullo tempore mota. Proinde si in universitate sensibilium humana praecellit natura, et superiora semper inferiora ad se attrahunt; non enim ratio sinit superiora ab inferioribus consumi, inferiora autem in superiora transire certissimis approbationibus approbat : num verisimile est, humanam naturam cuncta intra se et infra se condita sibimet copulaturam et adunaturam in fine omnium existimare? De spirituali autem humanorum corporum post resurrectionem subtilitate ejusdem Epiphanii sententiam non praetereundam esse arbitror. Nam de corpore Christi post resurrectionem, in quo perfectissimum totius humanae resurrectionis praecessit exemplum, disputans haec ait : *Intravit januis clausis ; carnale enim ipsius corpus spirituale resurrexit : et [2] non aliud praeter quod est. Et quod est, Deitati coadunavit [3*] in subtilitatem spiritus ornatum. Si enim ibi non erat subtilitas quaedam spiritus, corpus ponderosum accepit. Sed ut ostenderet, quia hoc corruptibile nostrum induetur incorruptionem in veritate ; nam si mortale est, induetur immortalitatem : intravit quidem januis clausis, ut ostenderet crassimembre subtilimembre, et mortale immortale, et corruptibile incorruptibile. Ut autem omnes redargueret incredulos in nostra salute, dico autem resurrectione, in subtilem transmutans corpus spiritum, contemperavit resurrectionem.* Intuere, quantum incunctanter spiritualium corporum resurrectionem et in subtilitatem incomprehensibilem reditum, omni tarditate et qualitate terrenae molis, totiusque ponderis corporeis sensibus succumbentis, localibusque spatiis circumscripti, ab spiritu absorpta pronuntiat, purissime intelligens Apostolum dicentem : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Disc. Intueor, et magni viri auctoritatem amplector. De spiritualitate siquidem et illocalitate omnium generaliter humanorum corporum post resurrectionem, quando humana natura, quae corpore et anima constat, aequalis erit angelis, et sanctorum Patrum auctoritate mihi jam [4] suasum est [5], et intra me perspexi rationem, consultans, nil aliud probabilius veritatique propinquius occurrere, quam corpora in caelestem qualitatem conversa, omneque terrenum universaliter deponentia existimari, sensibus mortalium incomprehensibilia [6], omnique locali circumscriptione libera. Si enim simplicia mundi hujus corruptibilis elementa, ut saepe diximus, omne, quod intra ambitum ejus continetur, penetrant, nulliusque circumscripti corporis densitas obstat, ne ubique in omnia diffundantur : quisnam de visibilis hujus machinae natura diligenter disputantium, ejusque catholicorum [7] subtilitatem ac veluti quandam incorporalitatem mentis contuitu investigantium, non incunctanter asserat, aëra tenuissimum omnia caelestia et terrestria, necnon et aërea et Neptunia, nullo obstaculo demorante, penetrare, eoque mirabilius et spirituali tenuitati propinquius igneum spiritum, simplex [8], purum, omni corporeo sensu remotum, non solum cuncta mundi spatia implere et ambire, verum etiam ipsum tenuissimum aëra nimia sui subtilitate et incorporalibus naturis similitudine, dum sit intimus omnium, tranare [9]. Similiterque de aqua simplici et terra sentiendum ; nam et ipsa ubique omnibus corporibus insunt secundum suam analogiam. Quid mirum, resurrectionis corpora ultra omnem sensibilem qualitatem ascendentia, omni mole et localitate absoluta, et, ut ita dicam, in spiritum omnino conversa, vitaeque simillima, super omne, quod sensus corporeus potest attingere, ineffabili sua spirituali subtilitate exaltari? De eo vero, quod resurrectio corporum naturali virtute cooperatrice sit futura, et non per solam incarnati Verbi gratiam [10], nunc primum incipio cogitare, et ubi prius titubabam, in operatione videlicet naturali, utrum resurrectionis sit effectiva — humani quippe corporis redintegrationem soli Redemptoris gratiae tribuebam, sicut et tu aliquando — ibi jam certus efficior ratione duce. Nullum enim miraculum in hoc mundo contra naturam Deum fecisse legimus : sed causis naturalibus administrativis et effectricibus, jussu Dei movente, factas esse quascunque virtutum theophanias, divina narrat historia. Et si miraculum miraculorum est generalis mortuorum resurrectio, cujus maximum exemplum praecessit in Christo, in tantum, ut cetera fere omnia naturalia argumenta in praefiguratione ipsius facta fuisse recte intelligantur : num veritati putandum est non convenire, nos existimare, ex causarum naturalium effectiva potentia divinae voluntati subdita ipsam, resurrectionem dico, futuram? Mag. Ambabus itaque cooperatricibus, ipsa quidem natura et gratia, resurrectio perficietur. Disc. Crediderim. Sed quid ad gratiam, quid ad naturam proprie in hac resurrectionis actione pertineat, non satis conspicor. Nullam siquidem inter eas esse nemo solerter sapientiae secreta rimantium dixerit

VARIAE LECTIONES

[1] *ipsa* om. CF. [2] *corpus* om. CF. [3] *et* om. A [3*] Sic CF ; A praeter quod *fuerat sed illud ipsum* in subtilitatem. [4] *jam* om. CF. [5] *est* om. CF. [6] CF *immortalium comprehensibilia.* [7] Sic CF ; *catholicorum* om. A. [8] Sic A CF ; F corr. *simplicem.* [9] F *trasnare.* [10] Sic CF ; A non *sola* i. v. *gratia.*

differentiam. MAG. Imo magnam, diligentique inquisitione lucidaque inventione dignam. In ea siquidem theoriae parte [1] tria quaedam intueri debemus: et primo inexhaustam divinae bonitatis infinitamque per ea et in ea, quae facta sunt, diffusionem, deinde ipsius divisionis [2] generalem bipertitamque scaturiginem in ea, quae dantur, et ea, quae donantur. Tria itaque sunt consideranda, bonitas, ejusque data, et dona: quae a se invicem discernit rationis acies, propriaque singulis coaptat. Datum itaque divinae bonitatis est universitatis substitutio, et secundum generales et speciales rationes cunctarum creaturarum distributio, quam superessentialis bonitas, quae Deus est, universaliter omnibus largitur a summo usque deorsum, hoc est, ab intellectuali natura, quae summa omnium creaturarum est, usque ad corporalem, quae imum et extremum universitatis possidet locum. Summa igitur bonitas dat universae conditae naturae esse, quoniam ipsam ex non existentibus in existentia adduxit. Hinc beatus Dionysius quarto capitulo [3] de caelesti Ierarchia: *Primum*, inquit, *omnium illud dicere verum, ut bonitate universali superessentialis divinitas eorum, quae sunt, essentias substituens ad esse adduxit* [4]. *Est enim hoc omnium causae* [5] *et super omnia bonitatis* [6] *proprium, ad communionem* [7] *ea, quae sunt, vocare, ut unicuique eorum, quae sunt, ex propria definitur analogia* [8]. *Omnia igitur, quae sunt, participant* [9] *providentiam ex superessentiali et causalissima* [10] *Divinitate manantem* [11]. *Non enim fortassis essent eorum, quae sunt, essentiae, nisi a principio assumerent* [12]. *Existentia igitur omnia esse ejus participant; esse enim omnium est, superesse* [13] *divinitas*. Hactenus Dionysius. Et non solum superessentialis bonitas dat omnibus esse, verum etiam aeternaliter esse. Omnis quippe essentia et substantia non aliunde et est et subsistit, nisi ab ea superessentiali et supersubstantiali [14] bonitate, quae per se vere est et subsistit. Nullum namque substantiale vel essentiale bonum per se est, praeter ipsam solam, cujus participatio dat omnibus bona esse, solis electis donat deificari. Nulla enim essentia vel substantia [15] est divina bonitate condita, quae non aeternaliter et incommutabiliter permaneat. Ea siquidem, quae perpetuo perseverare nequeunt, accidentia sunt substantiis superaddita, et circa eas conglobata, inque eas reversura. Est itaque datum divinae bonitatis natura omnis, quae in essentiam ducta est, et perpetualiter custoditur, ne pereat. At vero quoniam inter esse et aeternaliter [16] esse medietas quaedam constituitur, quae dicitur bene esse, sine qua ipsae extremitates, esse videlicet et semper esse, nec vere sunt, quamvis sint, nec recte dicuntur esse [16*] — esse enim et semper esse, sublato bene esse, nec vere esse est, nec vere semper esse: illud enim vere et est et semper est, quod bene ac beate subsistit — illa insita medietas, hoc est bene esse, donum divinae bonitatis est, libero ac bono voluntatis intellectualis et rationalis creaturae motu adjuncto. His enim duobus efficitur bene esse, *libera* videlicet voluntate, donoque divino, quod *gratiam* sacrosancta vocat Scriptura. Sed illud donum non omnibus generaliter distribuitur. Soli quippe angelicae humanaeque naturae donatur deificatio. Neque illis universaliter, sed solis angelis, qui Creatoris sui dilectione ardentes, stabiliti [17] in contemplatione veritatis [18] permanent, solisque hominibus *secundum propositum vocatis*. Huc accedit, quod donum gratiae neque intra terminos conditae naturae continetur, neque secundum naturalem virtutem operatur, sed superessentialiter et ultra omnes creatas naturales [19] rationes effectus suos peragit. Itaque si per solam divinam gratiam resurrectio mortuorum fuerit, omnino naturalis virtus evacuabitur, vitalisque motus, qui rerum substantias nunquam deserit, sive vi et potestate siluerit, ut in monade numeri, sive actu et operatione aperta [20] sit, ut numeri a monade procedentes, ceteraque, quae ex occultis causis in apertos effectus prodeunt. Et iterum [21], si naturalis virtus resurrectionis effectiva est absque adjutorio gratiae, quomodo Redemptoris humani generis virtutem in resurrectione mortuorum praevalere possibile est credere, cum ipse dixerit: *Ego sum resurrectio et vita?* Non enim hanc Dominicam sententiam de resurrectione animarum, quae est de morte injustitiae et impietatis ad justitiae et pietatis vitam, hoc est in veritatis contemplationem, solummodo debemus accipere, verum etiam de resurrectione corporum, cujus principale exemplum in sua propria carne praemonstravit. Sana itaque fide possumus attribuere resurrectionis virtutem et dato divinae bonitatis secundum naturalem effectivam potentiam, et dono ejusdem bonitatis secundum superexcellentem omnes naturas gratiam. Nam et haec duo, datum dico et donum, a se invicem segregavit Jacobus apostolus, dicens: *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum*. Ac si aperte diceret: *Omnis* naturarum data substitutio et restauratio, quae ex dato et dono conformatur, omnisque perfecta eorum,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF, A *theoria id est de resurrectione* tria. [2] A *divisionis ipsius*. [3] A *capitulo quarto*. [4] Sic CF; A *Primum, inquit, omnium illud dicimus secundum veritatem quod Deus omnes creaturas bonitate non necessitate substituit*. [5] A *causae omnium*. [6] A *Dei bonitatis*. [7] A *communicationem*. [8] A vocare, *juxta analogiae cujusque definitionem*. [9] A *divinam* participant. [10] *et causalissima* om. A. [11] A *Deitate emanantem*. [12] A *Quomodo enim quidquam erat, si rerum causam non participabant*. [13] A *superessentialis* Divinitas. [14] Sic CF; A *substantiali*. [15] Sic CF; A *essentialis substantia*. [16] Sic AF; C *perpetualiter*. [16*] *esse* om. CF. [17] Sic A; CF *stabilitati*. [18] A *veritatis contemplatione*. [19] *naturales* om. A. [20] Sic CF; A *reperta sit*. [21] A *verum*.

qui digni sunt aeterna beatitudine, deificatio, quam Graeci θέωσιν dicunt, ab uno fonte manat, hoc est, de sursum [1] a Patre luminum. Itaque datum, ut praediximus, in universaliter [2] creaturarum substitutione substantiali, donum vero specialiter [3] in deificatione electorum superessentiali accipere debemus. Non enim aliter divina providentia universitatis, quam condidit, ordinem substituere voluit, nec fieri debuit, nec possibile fuit, nisi ut primo daret essentias et substantias, quibus postea distribueret ornamenta, hoc est, virtutes donaret juxta dignitatem et angelorum et hominum, quos *praescivit et praedestinavit conformes fieri unigeniti Dei Verbi* [4]. Ut igitur breviter concludamus [5] : natura est datum, gratia vero donum : natura ex non existentibus in [6] existentia adducit, donum vero quaedam existentium ultra omnia existentia in ipsum Deum evehit. Eos enim, qui divinam super omnia communionem participant, inter omnia connumerari vera non sinit ratio. De se ipsa [7] namque Veritas ait : *Ubi ego fuero, illic et minister meus.* Ipsum [8] incunctanter super omnia esse credimus. Ministri igitur ipsius super omnia sunt, ceteri vero, qui [9] virtutem purae contemplationis [de ordine theophaniarum [10]] non attingunt, inferiores ordines obtinent, sive in theophaniis, sive in inferiorum naturarum sublimitatibus. In theophaniis autem dixi pluraliter, quoniam nec intellectuales nec rationales naturae eodem modo veritatem contemplaturae sunt, sed unicuique earum secundum propriam analogiam altitudo theoriae distribuitur atque definitur. Hoc dicit de angelica et humana natura, quae sublimissimum universitatis conditae obtinent locum [11]. Hoc autem dicimus, non quod ulla creatura praeter Verbi humanitatem [12], ultra omnes theophanias possit ascendere, eumque, *qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem*, nulla theophania interposita attingere, sed quod theophaniarum quaedam tantae altitudinis sunt, ut supra [13] omnem creaturam proxima Deo contemplatione intelligantur exaltari, ac veluti theophaniarum theophaniae credantur esse. Deus enim omnino nulli creaturae visibilis per seipsum est, sed in nubibus theoriae videtur [14] et videbitur, sicut ait Apostolus : *Rapiemur in nubibus obviam Christo*, *et sic semper cum ipso erimus* [15]. Ceterae vero naturae, quas condidit ipsa veritas non ad se

A contemplandam [16], sed ut per eas contemplativae virtutes ipsam laudarent, in suis ordinibus et semper sunt et erunt quietae, absque locali circumscriptione et temporali mutabilitate. Finito namque mundo qui localibus spatiis et temporalibus motibus ambitur, quid erit localiter circumscriptum aut temporali mutabilitati subjectum [17]? Erunt enim omnia quieta, quando nihil per generationem in mundum veniet, nihil per corruptionem in mundum resolvetur. Mundus quippe peribit, nullaque ipsius pars remanebit : ac per hoc neque totum. Transibit enim in suas causas, ex quibus processit, in quibus neque loca sunt, neque tempora, sed locorum temporumque simplices sinceraeque rationes, in quibus omnia unum sunt, neque ullis accidentibus discernuntur. Omnia enim simplicia, omni compositione B substantiarum accidentiumque carentia, et ut sic dicam, unitas simplex, et multiplex adunatio omnium creaturarum in suis rationibus et causis, ipsarum autem causarum et rationum in Verbo Dei unigenito, in quo et facta sunt et subsistunt omnia. Habes igitur differentiam et proprietatem naturae et gratiae, dati videlicet et doni, eorumque communionem. DISC. Habeo, planeque [18], ni fallor, intelligo, ac per hoc breviter colligam, quae a te dicta sunt. MAG. Collige. DISC. [19] Naturam dixisti esse datum, gratiam vero donum [20]. MAG. Ita. DISC. Addidisti etiam utriusque proprietatem, et naturae dedisti de nihilo esse et semper manere, gratiae vero deificare, hoc est, efficere homines [21] in Deum transire C eos, quos [22] affluentia divinae bonitatis gratis, absque naturae subsidio [23], nullis praecedentibus meritis, exaltat super omnia quae sunt et quae continentur intra universitatis conditae terminos. Commune vero earum, naturae dico et gratiae, intelligitur esse humanae substantiae resurrectio, hoc est, mortalium corporum in immortalia transitus, et corruptibilium in incorruptibilia, et animalium in spiritualia, et temporalium et localium in aeterna omnique circumscriptione libera. MAG. Recte [24] collegisti ; haec enim suadere volui, et, ut video, tibi [25] suasi. DISC. Adhuc tamen haesito, quoniam non tam clare contemplor, quomodo non solum humanae naturae resurrectionem, verum etiam omnium rerum sensibilium, quas hujus mundi ambitus comprehendit, videris D asserere. MAG. Mirari non desino, cur tam frequenter

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic A; CF *deorsum*. [2] *universaliter* om. A. [3] *specialiter* om. A. [4] Sic CF; A *unigenito Dei verbo*. [5] A *concludamus breviter*. [6] *in* om. CF. [7] *ipsa* om. A. [8] Sic CF; A *Ipsam*. [9] Sic CF; A *cetera vero quae*. [10] Sic A, ex margine, opinor, illata; *de ordine theophaniarum* om. CF. [11] Sic CF; *in theophaniis autem dixi pluraliter — obtinent locum* om. A. [12] Sic CF; *præter verbi humanitatem* om. A. [13] Sic CF; A *super*. [14] Sic CF; A *et* videtur. [15] Post verbum *erimus* A haec habet : *In theophaniis autem dixi pluraliter quum nec intellectuales, nec rationales naturae eodem modo veritatem contemplaturae sunt, sed unicuique hoc dicit, de angelica et humana natura, quae sublimissimum universitatis conditae locum obtinent, earum secundum propriam analogiam altitudo theoriae distribuitur atque definitur*. Ceterae vero naturae cet. [16] Sic CF; A *quas ipsa veritas* n. a. s. *contemplandam fecit*. [17] Sic CF; A *subditum* [18] Sic CF; A *plane et*. [19] Sic CF; MAG. *Collige*. DISC. *om*. A. [20] *Gratiam vero donum* om. CF. [21] *efficere homines* om. CF. [22] Sic CF; A *eosque*. [23] Sic CF; A *subdito*. [24] CF *Rate* collegisti. [25] CF *te* suasi.

de talibus haesitas, cum suasum tibi [1] saepe concesseris, omnia in homine creata esse [2], visibilia dico et invisibilia, ac post hoc resurrectura. Verum de resurrectione invisibilium nunc tractare non est nostri propositi. De resurrectione vero corporalium [3] sensibilium, hoc est, de eorum reditu in suas [4] causas disputamus. Si ergo [5] humana natura ex intelligibilibus et corporalibus [6] sensibilibus composita est, anima [7] dico et corpore : quid mirum, si universitas omnium sensibilium in humano corpore resurgat, et quocunque transierit, transeat? In causas tamen solummodo dico, non in ipsam deificationem, quae solis purgatissimis intellectibus donabitur. Et si maximam [8] argumentationem de hoc audire desideras, attentus esto, et in ea, quae restant, intuere. Ac ut de [9] fidei catholicae simplicitate disputare incipiamus [10], ex qua omnis assensus in purissimam rerum cognitionem inchoat : credis, ut opinor, omnia quae sunt et quae non sunt, hoc est, quae sensui et intellectui [11] succumbunt, et quae sensum omnem et intellectum superant, et tamen post Deum, ut et verbis sancti Dionysii Areopagitae utar, circa Deum volvuntur, inferioribus se naturis incognite in Verbo Dei facta esse.

24. Disc. Hoc incunctanter et credo, et, quantum illuminor superno lumine, intelligo, audiens sacram Scripturam dicentem : *In principio fecit Deus caelum et terram;* principium appellans unigenitum Verbum, in quo Pater fecit omnia, caeli vero terraeque vocabulis invisibilem et visibilem creaturam significans. Et alibi simpliciter, hoc est universaliter ait : *Omnia in sapientia fecisti;* omnia dicens, omnium creaturarum universalitatem in Verbo Dei factam conclusit. Mag. Putasne igitur omnia, quae in sapientia Dei facta sunt, vivere, an vita carere: vel, ut verius et apertius dicam, utrum omne, quod in Dei sapientia factum est, vita et sapientia est, vitaeque et sapientiae particeps, necne? Et si vita et sapientia est omne, quod in divina sapientia factum est [12], utrum temporaliter coepit esse, an semper erat, et non erat quando non erat? Et si ita est, nunquam erit, quando non erit; nam si ex tempore coepit esse, necesse est cum tempore finiri. Disc. Absit a corde fidelium hoc existimare, ut omne, quod in Verbo Dei factum est, vita non sit et vita sapiens et aeterna, absque ulla temporali inchoatione, absque ullo temporali termino. Nam et corpora, omnisque sensibilis creatura, in ipso vita sapiens et aeterna est, ita ut ineffabili et incomprehensibili modo, credibili tamen [13], omnis creatura in ipso vivat et vita sit; et cum extra ipsum nihil sit, de seipso, veluti extra, creaturas conditas produxit. Nam et intra ipsum et extra ipsum universam creaturam dicimus esse, ea ratione, ut intra ipsum dicantur causae rerum et rationes propter similitudinem earum et simplicitatem, extra vero ipsum [14] effectus earum [15] causarum et rationum propter quandam dissimilitudinem; locis enim et temporibus variantur, generibus et speciebus, proprietatibus et accidentibus discernuntur. Ideoque veluti extra simplicitatem divinae sapientiae dicuntur esse, cum extra ipsam nihil sit, et in ipsa omnia, universalis et simplex vita est. Quid enim in sapientia Dei esset, quod vita careret, aut vita non esset, cum et ipsa vera vita sit, et plusquam vita, et nihil in ipsa, quod aut ipsa non est, aut sui simillimum? Praesertim cum Theologus Joannes dicat : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est : in ipso vita erat.* Mag. In Verbo igitur, quod est sapientia Dei [16], omnis creatura et est et vivit, et omne, quod in ipso est, perire non potest. Si enim, quod continet, semper et incommunicabiliter manet et vivit, imo etiam vita est et vita aeterna : omne, quod in eo continetur, necessario et est, et semper manet, et aeterna vita est [17]. Disc. Hinc dubitare et impium et stultissimum est, cum omnis divinae historiae auctoritas, omnesque Theologi perhibeant, omnem creaturam in Verbo Dei [18] aeternaliter esse. Hinc sanctus Augustinus in decimo sexto capitulo duodecimi libri de Civitate Dei evidentissime ac breviter sententiam protulit de eo, quod Deus non solum omnium creator creaturarum semper fuit, verum etiam et dominus, et sicut nunquam fuit non creator, ita nunquam non fuit dominus, disputans. Quapropter, inquit, *si Dominus* [19] *Deus semper dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui servientem, veruntamen non de ipso* [20] *genitam, sed ab ipso de nihilo factam, nec ei coaeternam. Erat quippe ante illam, quamvis nullo tempore sine illa, non eam spatio transcurrente, sed manente* [21] *perpetuitate praecedens. Sed si respondero eis, qui requirunt, quomodo semper* [22] *creator semper dominus fuit, si creatura serviens non semper fuit, aut* [23] *quomodo creata est, et non potius creatori coaeterna est, si semper fuit : vereor, ne facilius judicer affirmare, quod nescio, quam docere quod scio.* Ac si aperte praelatus Pater diceret, minus aeternitatem [24] creaturarum capacium tarditatem redarguens : Si asseruero, quod firmissime scio, Deum videlicet et semper creatorem et dominum creaturae fuisse, ac per hoc et semper creaturam servientem substitutam non defuisse; nam si semper serviens creatura non fuit, sequitur, neque creatorem, neque creaturae semper dominatorem extitisse; at vero quia et semper creator et dominus

VARIAE LECTIONES.

[1] CF suasum *te* saepe. [2] A *esse creata.* [3] *corporalium* om. CF. [4] *suas* om. CF. [5] A *igitur.* [6] *corporalibus* om. CF. [7] Sic F ; A *animo,* C *animi.* [8] A *maxime.* [9] Sic supra adscr. corr. F; A Ac *vera* fidei, CF Ac *ut* fidei. [10] Sic CF; A *incipiam.* [11] Sic CF ; quae *sensu et intellectu.* [12] A *in sapientia factum est divina.* [13] Sic CF; A incomprehensibili, *credibili tamen modo.* [14] Sic CF ; A *extra ipsum vero.* [15] *earum* om. CF. [16] Sic CF; A sapientia *divina.* [17] Sic CF; A et *vita aeterna* (*est* om. A). [18] *Dei* om. A. [19] *Dominus* om. A. [20] Sic CF; A de *seipso.* [21] Sic CF ; A *permanente.* [22] *semper* om. A. [23] Sic CF; A *et* quomodo. [24] sic CF ; A *in aeternitate.*

erat, necessario sequitur, semper creaturam servientem creatam [1] substitisse; non enim accidens Creatori omnium est creasse quae creavit, sed sola perpetuitate superascendit [2] et praecellit quae creavit: vereor ironice suggillans, ne forte judicer affirmare, quod nescio, quam docere, quod scio. Incunctanter siquidem intelligo, semper et creaturam et Creatorem ejus, et Dominum et servientem sibi inseparabiliter fuisse; non quod creatura Creatori, vel [3] serviens Domino coaeterna sit; Creator siquidem Creaturam, et Dominus servientem aeternitate praecedit, non tempore, sed [4] ea ratione, qua Creator et Dominus principium creaturae et servientis est, Creator autem et Dominus ἄναρχος, hoc est carens principio. Creatorem autem nostrum [5] et Dominum dicimus unum et solum Deum, summam videlicet et sanctam Trinitatem, unam essentiam in tribus substantiis; quae dum per se cogitatur, solus in ea Pater ἄναρχος creditur; nam et [6] Filius et Spiritus sanctus non omnino ἄναρχοι sunt, dum principium, Patrem dico, habent. Filius namque ab ipso genitus [7] est, sanctus vero Spiritus procedens. Mag. Primordiales causas in Deo solummodo creatas fuisse, ac Domino suo servisse, non autem earum effectus, quibus hunc sensibilem mundum compositum non incongrue credimus, arbitraris, ut opinor. Disc. Non aliter arbitror. Causas etenim rerum semper creatas fuisse, earum vero effectus definitis locorum ac temporum interstitiis in hunc mundum processisse, et adhuc procedere, et processuros esse, opinor. Mag. Haec opinio neque a fide catholica, neque vera intelligentia recedere existimanda. Quid igitur? Putasne, causas solummodo rerum aeternas fuisse, effectus vero earum temporales, ac per hoc solas causas semper mansuras, effectus vero perituros? Disc. Ita semper cogitare solitus eram; sed postquam hujus praesentis disputationis semitam tecum carpere inchoavi, rationis acumen ac veluti inevitabilis rerum consequentia coepit me attrahere, ut non solum causas, verum etiam earum [8] processiones, quas sapientes effectus vocant, perpetualiter permansuras concesserim, eo tamen tenore, ut non ipsae processiones in semetipsis, sed in suas causas reversurae permaneant. Mag. De hoc adhuc haesitare te video? Disc. Negare non possum. Nam quae per me de his cogitabam, vera ratio nutare [9] cogit: incognita vero, quae introducere vis, nondum mihi liquide patefacta sunt [10]. Mag. Dic, quaeso, quid pure liquideque perspicis, et de quibus adhuc aut penitus titubas, aut partim intelligere incipis, partim obscuritas atque subtilitas aciem tuae mentis effugit. Disc. De causis aeternaliter factis, semperque manentibus, et in infinitum permansuris, nequaquam mentis meae

A contuitus caliginem patitur: clare siquidem ac sine ulla nebula illud intueor, ea maxime ratione ductus, qua in sapientia Dei [11] creatas esse non solum credo, verum etiam intelligo incunctanter. Nam omne, quod in sapientia Dei creatum subsistit, nullus nisi [12] impius vel insipiens semper permansurum dubitarit [13]. De effectibus vero, quos processiones causarum sapientes sequens vocasti, jamdudum delibero, utrum, sicut suae causae, permansuri, an cum mundo perituri, ita ut non in causas suas redeant et in eis salventur, sed in nihilum, de quo facti sunt, redigantur [14], ut penitus ulterius non sint. Mag. Effectus nunc causarum dicimus totum mundum sensibilem cum omnibus suis partibus, quibus constat. Nam de mundo intelligibili indubitabilis sententia est, quod
B nunquam periturus, quoniam in illo nihil est corruptioni obnoxium; ipse siquidem semper subsistit, quemadmodum et causae, quarum effectus est, caelestes dico essentias, quamvis beatus Dionysius Areopagita asserat [15], quasdam angelicas virtutes in altiorem divinae theoriae gradum [16], quam nunc sunt, ascensuras, *dum Deus omnia in omnibus fuerit.*

25. Disc. De effectibus causarum invisibilium, de invisibili [17] dico mundo, adhuc titubo, deliberans, qua ratione dicitur, quod periturus sit et permansurus; haec enim sibi invicem pugnare videntur, perire dico et permanere. Quomodo enim perit, quod permanet, vel permanet quod perit? Mag. Num paulo superius confessus es, quod ea ratione maxime introductus fueras, ut nullo modo dubitares de aeternitate
C causarum, quoniam in Verbo Dei factae sunt; non enim potest perire omne, quod semper vivens Verbum continet, et in quo omnia semper [18] vita sunt, nulli corruptioni et defectui subjecta. Disc. Ad hoc sane productus sum, in tantum, ut prius dicam, me penitus non esse, quam illud ignorare posse, audiens Apostolum dicentem: *In quo vivimus, et movemur et sumus.* Si enim in ipso non sum, omnino non sum: et si hoc ignoro, in [19] insipientiae et ignorantiae interitu perditus sum. Mag. Dic igitur, num Dei Verbum, in quo causae omnium aeternaliter subsistunt, venit in causarum effectus, hoc est, in hunc mundum sensibilem, necne. Disc. Quisquis hoc negaverit, omnino vera [20] religione, qua unus Deus
D colitur, et incarnatio Verbi Dei [21] praedicatur, alienus est. Ait enim Theologia: *Et Verbum caro factum est*, hoc est, Verbum homo factum est; carnem pro toto homine posuit, eo modo loquendi, quo totum a parte significatur. Itemque ipsum Verbum incarnatum de seipso praedicans: *Exivi*, inquit, *a Patre, et veni in mundum, et iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Ac si aperte diceret: Ego, qui secundum divinitatem aequalis sum Patri, unius ejusdemque

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; *creatam* om. A. [2] Sic CF; A *semper ascendit.* [3] Sic CF; A *ut.* [4] Sic A; *sed* om. CF. [5] Sic A; pro *nostrum* CF *nunc.* [6] *et* om. A. [7] A *generatus.* [8] *earum* om. CF. [9] Sic CF; A *mutare.* [10] *sunt* om. CF. [11] Sic CF; A in sapientia *divina.* [12] Sic CF; A nullus *non* impius. [13] Sic CF; A *dubitabit.* [14] Corr.; ACF *redigentur.* [15] Sic CF; A *asseverat.* [16] *gradum* om. CF. [17] CF de *visibili* dico m. [18] *semper* om CF. [19] *in* om. A [20] Sic CF; A *a* vera. [21] Sic CF; A verbi *divisim* praedicatur.

essentiae, cujus et ipse est, existens, exivi ab illo, hoc est exinanivi meipsum, formam servi accipiens, caro videlicet factus sum, totamque humanam naturam accepi, et iterum relinquo mundum et vado ad Patrem, hoc est, servilem formam, totamque humanam naturam, corpus videlicet et animam et intellectum, et universaliter omne, quod ex ipsa creatura, quae constat ex visibili et intelligibili existentia, sumpsi, ultra omnem mundum in Deitatem meam convertens, salva naturarum, ex quibus subsisto, ratione manente, super omnia, quae sunt et quae non sunt, exalto [1]. Exivit igitur a Patre, et venit in mundum, humanam videlicet naturam accepit, in qua totus mundus subsistit; nihil enim in mundo est, quod non in humana natura comprehendatur: et iterum reliquit mundum, et ivit ad Patrem, hoc est, humanam quam acceperat naturam super omnia visibilia et invisibilia, super omnes virtutes caelestes, super omne quod dicitur et intelligitur, suae Deitati, quae Patri aequalis est [2], adunans sublimavit. Quanquam enim totam humanam naturam, quam totam accepit, totam in seipso et in toto humano genere totam salvavit, quosdam quidem in pristinum naturae statum restituens, quosdam vero per excellentiam ultra naturam deificans: in nullo tamen nisi in ipso solo humanitas Deitati in unitatem substantiae adunata est, et in ipsam Deitatem mutata omnia transcendit. Hoc enim proprium caput Ecclesiae sibi ipsi reservavit, ut non solum ejus humanitas particeps Deitatis, verum etiam ipsa Deitas, postquam ascendit ad Patrem, fieret; in quam altitudinem nullus praeter ipsum ascendit, nec ascensurus est. Et hoc est, quod alibi aperte de seipso dicit: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis, qui est in caelo.* Ac si manifeste diceret: nemo ascendit in Patrem, nisi qui ex Patre descendit, et dum a Patre descendit, Patrem non deseruit; qui semper in Patre est, quoniam Pater in illo inseparabiliter, et ille in Patre semper est: *Ego enim*, ait, *et Pater unum sumus.* In quam unitatem solus ille suam humanitatem subvexit, ceteros autem, quos deificat, sola participatione suae Deitatis [3] unumquemque secundum altitudinem propriae contemplationis post [4] se constituit, ordinans in seipso, veluti in quadam domo [5], omnes, quos conformes sibi [6] fieri elegit. Deus itaque Dei Verbum, in quo omnia facta sunt causaliter et subsistunt, secundum suam divinitatem descendit in causarum, quae in ipso subsistunt, effectus, in istum videlicet sensibilem mundum, humanam accipiens naturam, in qua omnis visibilis et invisibilis creatura continetur. Disc. In hoc incunctanter catholica fides consentit. Ipsum namque Dei Verbum homo factum, postquam resurrexit a mortuis, suos discipulos erudiens dixit: *Praedicate evangelium omni creaturae*, omnem creaturam appellans hominem. Non enim irrationabilibus animalibus, seu omnibus creaturis sensu carentibus, suum evangelium praedicari jussit [7], sed soli homini, in quo omnis natura creata continetur. Mag. Omnis itaque creatura in homine est? Disc. Hoc indubitanter fatendum. Mag. Fateris ergo, Verbum Dei, in quo, et per quod, et ad quod facta sunt omnia, secundum suam divinitatem in *effectus* causarum descendisse secundum suam humanitatem? Disc. Firmissime fateor. Mag. Quare descendit? Disc. Dic, quaeso. Mag. Non aliam ob causam, ut opinor, nisi ut causarum, quas secundum suam divinitatem aeternaliter et incommutabiliter habet, secundum suam humanitatem effectus salvaret, inque suas causas revocaret, ut in ipsis ineffabili quadam adunatione, sicuti et ipsae causae [8], salvarentur. Ac si aperte diceret: Si Dei sapientia in effectus causarum, quae in ea aeternaliter vivunt, non descenderet, causarum ratio periret: pereuntibus enim causarum effectibus nulla causa remaneret, sicut pereuntibus causis nulli remanerent effectus; haec enim relativorum ratione simul oriuntur, et simul occidunt, aut simul et semper permanent [9]. Disc. Totus itaque mundus in Verbo Dei unigenito, incarnato, inhumanato adhuc specialiter restitutus est, in fine vero mundi generaliter et universaliter in eodem restaurabitur. Quod enim specialiter in seipso [10] perfecit, generaliter in omnibus perficiet. Non dico *in omnibus* hominibus solummodo, sed in *omni sensibili* creatura. Ipsum siquidem Dei Verbum, quando accepit humanam naturam, nullam creatam substantiam praetermisit, quam in ea [11] non acceperit [12]. Accipiens igitur humanam naturam, omnem creaturam accepit. Ac per hoc si humanam naturam, quam accepit, salvavit et restauravit, omnem profecto creaturam visibilem et invisibilem restauravit. Hinc non incassum credimus et intelligimus, incarnationem Verbi Dei non minus angelis, quam hominibus profuisse; profuit namque hominibus ad suam [13] redemptionem suaeque naturae restaurationem, profuit angelis ad cognitionem. Incomprehensibile quippe erat Verbum omni creaturae visibili et invisibili, hoc est intellectuali et rationali, angelis videlicet et hominibus, priusquam incarnaretur, quoniam remotum et secretum super omne, quod est et quod [14] non est, super omne, quod dicitur et intelligitur: incarnatum vero quodammodo descendens, mirabili quadam theophania et ineffabili et multiplici sine fine in cognitionem angelicae humanaeque naturae processit, et super omnia incognitum [15] ex omnibus naturam, in qua cognosceretur, assumpsit, mundum sensibilem et intelligibilem in seipso incomprehensibili harmonia adunans. Et lux inaccessibilis omni

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *exaltata*. [2] Sic CF; A *est aequalis*. [3] Sic CF; A *divinitatis*. [4] Sic CF; A *pro* se. [5] CF *domu*. [6] CF conformes *suos* fieri elegit. [7] Sic CF; A *jussit praedicari*. [8] Sic CF; A *ipsa causa*. [9] *Ac si aperte diceret — permanent* om. CF. [10] Sic CF; A *in seipso specialiter*. [11] *in ea* om. A. [12] Sic CF; A *accepit*. [13] *suam* om A. [14] *quod* om. CF. [15] Sic CF; A *incognitam*.

creaturae intellectuali et rationali praebuit accessum. Hinc est, quod communiter angelicam hymnologiam universalis Ecclesia in caelo et in terra intelligibili et sensibili voce cantare non desinit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Ac per hoc breviter concludendum, in ipso omnia [1] visibilia et invisibilia, hoc est sensibilis et intelligibilis mundus, restaurata, inque unitatem ineffabilem revocata sunt : adhuc in spe, in futuro vero in re : adhuc in fide, in futuro in specie : adhuc in argumento, in futuro in experimento : jam in ipso homine, quem specialiter accepit factum, in futuro in omnibus generaliter perficiendum. Non itaque quis parvipendat, quod Dei Verbum inhumanatum sit, ac veluti humanam naturam solummodo salvarit [2], sed firmissime credat, et purissime intelligat, quod per inhumanationem Filii Dei omnis creatura in caelo et in [3] terra salva facta est. Omnem vero creaturam dico corpus, et vitalem motum, et sensum, et super haec rationem et intellectum. Extra quae putasne praeter Deum ullam naturam esse? MAG. Nullam. Totius enim [4] creaturae nulla alia partitio invenitur. Si enim est, aut intellectus cognitus vel incognitus est, aut ratio, aut sensus, aut vita nutriens augensque corpora, aut corpus ipsum [5] erit, et haec omnia Verbum Dei incarnatum accepit. DISC. Quid itaque dicturi sumus? Num irrationabilia animalia, ligna etiam et herbae, omnesque hujus mundi partes a summo usque deorsum in Verbo Dei incarnato restaurata sunt [6]? MAG. Miror, cur toties eandem rem repetis. Nonne Verbum assumens hominem, omnem creaturam visibilem et invisibilem accepit, et [7] totum, quod in homine accepit, salvum fecit? At [8] si omnem creaturam accepit, humanam accipiens naturam, profecto omnem creaturam salvavit, et in aeternum salvaturum [9] erit. DISC. Corporeae igitur moles, localibus spatiis distentae, multis diversisque partibus compositae, nec non etiam visibiles species, quibus moles ipsae, ne fluant in unum, continentur, resurrecturae sunt in generali hominum [10] resurrectione? Ac per hoc si partes ipsae in suas moles formasque et species, quibus visibilis mundus et ornatur et componitur, resurgant, sequitur, quod totus mundus non periturus sit, sed in eundem statum reversurus. Nam si partes restaurabuntur, cur non et totum [11]? MAG. Visibilium et sensibilium corporum moles et species resurrecturas non dicimus, sed, ut saepe inter nos convenerat, in suas causas et rationes, quae in homine factae sunt, in resurrectione hominis cum homine et in homine reversuras, in quibus plus animalia omnia dicenda sunt animalia esse, quam in ipsis effectibus corporeis ac sensibilibus. Ubi enim subsistunt, ibi veraciter animalia sunt. Similiter de

A omnibus sensibilibus, sive caelestibus sive terrenis, intelligendum. Omnia siquidem, quae locis temporibusque variantur, corporeisque sensibus succumbunt, non ipsae res substantiales vereque existentes, sed ipsarum rerum vere existentium quaedam transitoriae imagines et resultationes intelligenda sunt. Cujus rationis exemplum est vox ejusque imago, quae a Graecis ἠχώ vocatur, seu corpora ipsorumque umbrae, quae sive in puro aëre formatae, sive de aquis, sive de qualicunque re, unde solent resultare, resultant : quae cuncta non res, sed falsae rerum imagines probantur esse. Itaque sicut imagines vocum umbraeque corporum per se non subsistunt, quia substantia non sunt : sic corpora ista sensibilia veluti rerum subsistentium quae- B dam similitudines sunt, et per se subsistere nesciunt. Nam et humana corpora, quae nunc [12] localiter distenduntur, incrementis decrementisque variantur et [13] moventur, species quoque eorum [14], sive generales illae, quas [15] omnia corpora humana [16] participant, sive speciales, quibus [17] singulorum corporum quantitas circumscribitur, in resurrectione futura non erunt [18], sed in spiritualem naturam, quae locis temporibusque, propriis quoque speciebus, quae ex qualitate et quantitate sumuntur, nescit circumscribi, transituras [19] esse naturalis ratio edocet. Hoc autem dicimus non praescribendo sententias eorum, qui aliter de resurrectione corporum omnino disputant. Affirmant enim, humana corpora in ea quantitate et specie, in qua unumquodque cecidit, fu- C tura esse, sexumque eorum, virilem dico femineumque, permansurum autumant. De quibus postmodum commemorabimus. Quod autem animalia ea ratione, qua diximus, hoc est, in causis suis iterum futura sint [20], ex verbis sancti Dionysii incunctanter possumus argumentari. Capitulo sexto de divinis Nominibus de divina vita disputans : *Immortalium,* inquit, *angelorum vita et immortalitas, et imperdibile ipsum angelicae semper motionis, ex ipsa,* divina videlicet vita, *et per ipsam est et subsistit ; idcirco et viventes semper et immortales dicuntur, et non immortales iterum, quia non a seipsis habent immortaliter esse et aeternaliter vivere, sed ex vivifica et totius vitae factrice et continuatrice causa. Et sicut in onte* [21] *dicimus,* hoc est de essentia tractantes ; ὂν enim a Graecis D essentia dicitur divina [22], ut [23] et *οὐσία, quia et ejusdem esse est causalis, sic et ibi iterum,* in vita videlicet, *quia et per seipsam vita est divina vita, vitalis et substantialis, et omnis vita, et vitalis motus ex vita ipsa, quae est super omnem vitam et omne principium totius vitae. Ex ipsa et animae imperdibile habent* [24], *et animalia omnia et germina secundum novissimam consonantiam animae habent vivere. Qua ablata,* tam [25]

VARIAE LECTIONES.

[1] *omnia* om. A. [2] Sic CF ; A *salvavit.* [3] *in* om. F. [4] *enim* om. A. [5] A *ipsum corpus.* [6] Sic CF ; A *sint.* [7] Sic CF ; A *ac.* [8] Sic CF ; A *Ac.* [9] Sic CF ; A *salvaturus* erit. [10] *hominum* om. A. [11] Sic CF ; A *totus.* [12] *nunc* om. A. [13] *et* om. CF. [14] Sic CF ; A *illorum.* [15] Sic CF ; A *generalis illa, quam.* [16] *humana* om. CF [17] A *specialis qua.* [18] Sic CF ; A *sunt.* [19] A *transitura* esse. [20] Sic CF ; A *sunt.* [21] Sic CF A in ὄντι. [22] *divina* om. CF. [23] A *sicut.* [24] A *habent imperdibile.* [25] *tam* om. CF.

generali videlicet vita quam speciali et singulari [1], *juxta eloquium deficit vita omnis ad terram, et deficientia ad participandum eam infirmitatem, iterum conversa, iterum animalia fiunt*. In quibus verbis praefati theologi non resurrectionem animalium irrationabilium, seu rerum sensu carentium restitutionem [2] in pristinas species quantitatesque, quibus mundus iste impletur, futuram intelligimus, sed in causas suas, ex quibus procedunt, et in quibus subsistunt, reditum esse futurum. Non enim dixit, divinam vitam angelicae solummodo et humanae, hoc est, intellectualis et rationalis vitae causam esse, sed universaliter omnis vitae. Omnis autem vita aut rationalis est, ut in superioribus libris copiose disputatum [3], aut irrationalis, aut nutritiva corporum et auctiva [4], hoc est aut angelica, aut humana, aut animalis, aut sensu carentium, ut sunt ligna et herbae ceteraque similia, in quibus vitalis solummodo motus operatur. Ac per hoc non de sola humana vita, sed de omnibus praedictis vitae speciebus, nec de corporibus solummodo humanis, sed de omnibus quae spiritus vitae vegetat, divinum pronuntiat eloquium : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.* Nulla enim vita, seu rationalis, seu animalis, seu nutritiva, diu, ut non [5] dicam semper, corruptibilia et mortalia corpora vivificare et administrare potest; ideoque deserit, eaque [6] deserente deficient [7] corpora, et in pulverem suum revertentur. Et hoc est quod ait : *Et deficient* [8], id est animalia et germina ad participandum eam infirmitatem [9]; non enim semper participare vitam possunt, propter corruptibilium terrenorumque corporum infirmitatem et fragilitatem. Naturalis autem operatio vitae in corporibus, sive ea regendo sive deserendo, ad Creatorem omnium refertur. Propterea dicit : *Auferes spiritum eorum*, non quod Deus auferat spiritum ullius corporis, sed quod sinat [10] spiritus corruptibilibus corporibus gravatos [11] ab eis deficere ad tempus, in eandem incorruptibilitatem et spiritualitatem conversa [12] iterum naturali motu reversuris. Quod enim eis congenitum est in hunc mundum, non possunt semper deserere, sed quandoque finito mundo recipient, dum in causis, quod regit [13] et quod regitur [14], mirabili quadam [15] harmonia unum inseparabile futurum sit. Ideoque ait : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur.* Ac si diceret : spiritum vitalem, quem fecisti, emitte, hoc est, emitti et redire in corpora, quae temporaliter deseruit, naturali appetitu volentem redire permitte. *Et renovabis faciem terrae*, hoc est, adunatis inseparabiliter corporibus suis vitalibus speciebus, restaurabis integritatem naturae, quae terrae vocabulo [16] mystice significatur. Quod si cuipiam incredibile videtur et contra naturalem rationem, irrationabilia sensuque carentia in humanam transire naturam, primum intentus conspicetur, quod inferiores humanae naturae partes, sensum dico corporeum et nutritivam vitam ipsumque corpus, irrationabilium sensuque carentium nec non et [17] terrenorum corporum conditionibus simillimae sunt. At si ita est, quid mirum aut incredibile [18], si similia transeant in sui similia, ut ex multis similibus unum quiddam sibi simile efficiatur, ita tamen inferiora similia [19] in superiora, quorum similitudines sunt, transeant. Non enim naturalis ratio sinit superiora in inferiora mutari, inferiora vero superiora naturaliter appetunt eisque volunt [20] adunari. Perspiciat quoque passiones irrationabilis creaturae, quas post [21] casum hominis a dignitate divinae imaginis insertas sibi poena quadam peccati humana natura attraxerat, quasque [22] insitas naturaliter ante lapsum non habebat, moveri posse in his, qui perfecti sunt, in virtutes naturales. Passiones autem dico voluptatem et tristitiam, concupiscentiam atque timorem, et quae ex his nascuntur, quas in virtutes posse mutari dubium non est. Verbi gratia, concupiscentia quidem intellectualis divinorum appetitus desiderantium operatur motum; voluptas vero innocuam nutritivae animi operationis laetitiam; timor quoque futurae in delictis providam ultionis curam; item tristitia correctricem in praesenti *malorum poenitentiam*. Si ergo passiones, quas rationabilis natura ex irrationabili in seipsam deduxerat, in naturales animae possunt mutari virtutes, cur incredibile sit, ipsam irrationabilitatem in altitudinem rationabilitatis transmutari? Nam et superbia, quae veluti caput totius malitiae perhibetur, in amorem caelestis excellentiae, et in despectum terrenae infirmitatis in bonis hominibus vertitur, dicente Apostolo : *Quae sursum sunt sapite, non* [23] *quae super terram.* Breviterque dicendum, nullum vitium esse, quod in sapientibus, divina gratia in eis [24] operante, mutari in virtutem non possit. Ac sic de malitia solet fieri bonitas, de bonitate autem nequaquam malitia. Virtus siquidem bonitatis contrarium sui in seipsam consumit [25]. Malitiae vero dedecus bonitatis pulchritudinem decolorare impossibile est. Si itaque vitia in virtutes, cum sibi invicem contraria sint, moveri non negamus : cur naturas inferiores in naturas superiores, dum sibi nullo modo adversantur, mirabili quadam adunatione transfundi negaverimus? Satis de his dictum [26] Disc. Satis plane.

26. Mag. Quoniam vero de eo, quod resurrectio corporum naturali virtute, divina gratia cooperante,

VARIAE LECTIONES.

[1] CF quam *speciales et singulares*. [2] A *restaurationem*. [3] Sic CF; A *disputavimus*. [4] Sic CF; A *activa*. [5] A ut *ne*. [6] CF *ea, quo*. [7] Sic A; CF *deficiunt*. [8] Sic A; CF et *deficientia*. [9] CF *infirmitate*. [10] Sic CF; A *desinat*. [11] Sic CF; A *gravatus*. [12] Sic CF; A *converso*. [13] Sic CF; A *tegit*. [14] Sic CF; A *tegitur*. [15] *quadam* om. CF. [16] A *vocabulo terrae*. [17] *et* om. A. [18] A incredibile *est*. [19] Sic CF; A si similia *in sui similia, id est* in superiora etc. [20] *volunt* om. A. [21] Sic CF; A *propter*. [22] A *quas* (-*que* om. A.) [23] A *et* non. [24] *in eis* om. A. [25] Sic CF; A *mutat* in *seipsam*. [26] *dictum* om. CF.

per Salvatoris mundi inhumanationem futura sit, beati Epiphanii testimonium introduximus, necessarium arbitror, magni [1] quoque theologi Gregorii sententiam de eadem ratione introducamus. Disc. Necessarium. Nam et sic promissum, [2] et *quod in ore duorum idoneorum testium constituitur, inconcussum esse videtur.* Mag. Vicesimo itaque et secundo [3] capitulo sermonis de Imagine disputans, quod resurrectio non tantum ex praedicatione Scripturae, quantum ex ipsa rerum necessitate speratur: *Sed non sic est*, inquit, *fortis [4] malitia, ut bonitatis vincat virtutem: neque enim melius neque singularius, hoc est simplicius, nostrae naturae inconsultum, insipientiam dico, quam Dei sapientia. Non enim possibile est, conversibile atque mutabile potentius esse atque singularius, quam quod semper similiter se habet, atque in bono fixum est [5]. Nam [6] divinum quidem consilium semper et [7] immutabile ubique [8] se [9] habet: convertibile autem nostrae naturae non in malo fixum manet. Quod enim semper omnino movetur, si quidem ad bonum processionem habuerit, propter eximietatem rei perquirendae nunquam desinet ab ipso, qui sursum est, meatu. Non enim inveniet terminum quaesiti, qui [10] nanciscentis stabilitabit unquam motum. Sin [11] ad id, quod contrarium est, motum [12] susceperit, ubi [13] cursum malitiae peregerit, et in sublimissimam mali mensuram pervenerit: tunc quod semper impetu movetur, nullum ex natura statum inveniens, cum [14] spatium, quod in malitia est, transcursum fuerit, secundum necessitatem ad [15] bonum convertit motum. Nam dum malitia in infinitum non progreditur [16], sed necessariis finibus comprehenditur, consequenter boni successio finem malitiae excipiet. Ac sic, ut dictum est, semper-mobile nostrae naturae ultimo recurret in bonam viam [17], dum ex memoria priorum infelicitatum castigatur, ne in aequales recidat [18]. Rursus igitur erit [19] nobis cursus in bonis, eo quod finibus necessariis malitiae natura circumterminatur. Ut enim superiorum periti [20] luminis quidem omnem mundum plenum esse dicunt, tenebras vero oppositione terreni corporis obumbrationem fieri, quum quidem a solis radiis a tergo secundum formam rotundi corporis umbra instar coni claudatur [21]; sol enim multipliciter magnitudine terram superans, illamque* A *radiis undique complectens, in summitate coni commissuras luminis connectit; itaque secundum hypothesin sin fieret alicui virtus transgrediendi mensuram, in quam extenditur umbra [22], omnino in lumine esset, a tenebris illaesus: sic arbitror oportere etiam de nobis cogitare [23], quia transeuntes malitiae terminum, cum in summitate umbrae peccati fuerimus, iterum in lumine conversabimur, secundum infinitam multiplicationem, quantum ad malitiae mensuram, bonorum natura abundante. Iterum ergo paradisus, iterum omne illud lignum, quod etiam vitae est lignum, iterum imaginis gratia et principii dignitas.* Animadverte, quam clare et rationabiliter et indubitanter astruit: primum quidem malitiam non posse esse perpetuam, sed ex necessitate rerum B ad certum terminum perventuram, et quandoque [24] desituram [25]. Si enim divina bonitas, quae semper non solum in bonis, verum etiam in malis bene operatur, aeterna et infinita est [26], contrarium ejus necessario non erit aeternum et infinitum; alioquin non erit contrarium, nec ex diversa [27] parte oppositum. Aeterna siquidem, quamvis qualitate discrepant, sola aeternitatis aequalitate sibimet conveniunt. Divina namque pietas atque severitas qualitate dissonant, dum una delicta punit, altera indulget: ambae tamen aeternae sunt. Divinae autem bonitati malitia omnino opponitur. Malitia itaque consummationem accipiet, et in nulla natura remanebit, quoniam in omnibus bonitas divina et operabitur et apparebit. Ac per hoc naturam nostram C non esse in malo fixam, nec futuram esse semper malitia detentam, sed ad bonum finito omni malo reversuram, praefatus auctor asserit. Sicut enim umbra terrae, quam noctem appellant, in aëris et aetheris spatia per infinitum non porrigitur, sed intra centum viginti [28] sex millia stadiorum, ut physici perhibent, coartantibus eam undique solaribus radiis circa terram diffusis, instar coni acuminatur, ita ut penitus deficiat: sic malitia, quae veluti quaedam umbra delictorum nostrorum nostram occupat naturam, abundantia supernae aeternaeque [29] bonitatis coartabitur, et omnino abolebitur, dum irrationabiles humanae animae motus ad rationabiles veritatis affectus convertentur [a]. Deinde nostram

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ut* magni. [2] A *permissum.* [3] Sic CF vicesimo et II. A vicesimo *primo.* [4] A sic est *fortis inquit.* [5] CF quam quod semper *similiter habet in bono faciens.* [6] CF *Sed.* [7] CF *atque.* [8] CF *ubique immutabile.* [9] *se* om. CF. [10] Pro *qui* CF *nihil non* nascentis. [11] CF *Neque.* [12] CF *momentum.* [13] pro *ubi* CF *cum vero.* [14] CF *dum.* [15] CF *in.* [16] CF *progrediatur.* [17] CF nostrae naturae *iterum firmiter in bonam recurret viam.* [18] CF dum ex memoria priorum *calamitatum ad essendum iterum in his quae recta sunt, compescitur.* [19] Pro *Rursus igitur erit* CF *Non ergo iterum.* [20] CF Ut enim *qui aetheria sapiunt spatia* luminis quidem cet. [21] CF obumbrationem fieri. *Sed hoc quidem per figuram sphaeriformis corporis considero solari radio coni figuram concludente.* [22] CF *Solem vero* multipliciter magnitudine terram *superare undique ipsam radiis in giro comprehendens*, in summitate coni commissuras luminis *copulando, ita ut* secundum *materiem si* fieret *cuipiam* virtus transgrediendi mensuram, in quam *umbra extenditur.* [23] CF *intelligere.* [24] Sic CF; A *quandocunque.* [25] Sic CF; A *defecturam.* [26] A aeterna *est* et infinita. [27] Sic CF; A *adversa.* [28] A centum *et* viginti. [29] A *et* aeternae.

NOTAE.

[a] Ea, quae Joannes Scotus jam de abolitione mali deque poenis ac suppliciis impiorum, sive hominum, sive daemonum, cet. disputat, veritati catholicae omnino repugnare, vix est, quod moneamus. Cf. de Joanne Scoto Commentationem P. II, § 57 supra col. 78 et 79.

A naturam semper moveri, quod etiam fere omnes divini philosophi approbant, incunctanter asserit, et nihil aliud appetit, nisi summum bonum, a quo veluti principio incipit moveri, et ad quod veluti finem [1] motum suum accelerat. Tota siquidem rationalis creatura, quae proprie in hominibus intelligitur subsistere [2], etiam in delictis suis perversisque anfractibus Deum [3] suum, a quo est, et ad quem contemplandum condita est, semper quaerit. Rationabilis quippe natura nunquam malum appetit, in multis tamen fallitur et decipitur, falsa pro veris approbans, quod proprium est erroris, et non rectam viam ingredientis [4] ad summum bonum, quod semper quaerit. Perversus autem ipse motus vocabulo malitiae non incongrue appellatur. Malitia B namque est animae intellectualis naturalium bonorum oblivio, et ad finem insitarum naturae virtutum operationis defectus, naturaliumque potentiarum per fallentem judicationem in aliud praeter finem irrationabilis motus. Finem vero dico eorum, quae sunt, causam, quam naturaliter appetunt omnia. Proinde ipso irrationabili motu, qui totius mali et malitiae et [5] causa et plenitudo est, bonitatis amplitudine circumscripto penitusque terminato, rationabiliter secundum insitas sibi naturales virtutes humana natura movebitur, sursum versus erecta, causam suam semper appetens, et in paradisum, delicias dico virtutum, quas naturaliter sibi insitas [6] peccando perdiderat, rediens, escamque ligni vitae, Dei videlicet Verbi contemplationem, ardenter desi- C derans, divinaeque imaginis, ad quam facta est, dignitatem recipere festinans. Sed quoniam [7], quod quaerit et appetit, dum recte movetur vel non recte, infinitum est, omnique creaturae incomprehensibile, necessarieque [8] semper quaeritur, ac per hoc [9] semper movetur : semper quaerit, mirabilique pacto [10] quodammodo invenit, quod quaerit [11], et non invenit, quia invenire non potest. Invenit autem per theophanias, per naturae vero divinae per seipsam contemplationem non invenit. Theophanias autem dico visibilium et invisibilium species, quarum ordine et pulchritudine cognoscitur Deus esse [12], et invenitur non quid est, sed quia solummodo est, quoniam ipsa Dei natura nec dicitur nec intelligitur; superat namque omnem intellectum lux inaccessi- D bilis. Et hoc est quod Psalmista dicit : *Quaerite Dominum et confirmamini; quaerite faciem ejus semper.* Et haec est spiritualis illa via, quae in infinitum tendit, quam purae perfectaeque animae ingrediuntur, Deum suum quaerentes. Nam et virtutes caelestes Deum suum semper quaerunt, in quem semper prospicere concupiscunt. Ipsa est caligo, de qua Dionysius Areopagita Dorotheo scribens ait : *Divina caligo est inaccessibile lumen* [13], *in quo habitare Deus dicitur; dum invisibilis existit* [14] *propter supereminentem claritatem, et inaccessibilem superexcellentiam* [15] *superessentialis luminum manationis* [16], *in hoc fit omnis Deum scire et videre dignus, dum ipse non videt, nec cognoscit vere lumen, in quo super visionem et cognitionem factus est, hoc solum sciens, eum in omnibus sensibilibus et intelligibilibus esse, et prophetice dicens : Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam. Quemadmodum etiam divinus Paulus Deum cognovisse dicitur, cognoscens illum super omnem intelligentiam et cognitionem existentem ; propter quod et investigabiles esse vias ejus ait, et inscrutabilia judicia ejus, et inenarrabiles donationes ejus, et pacem ejus superantem omnem intellectum, sic inveniens eum super omnia, et hoc super intelligentiam cognoscens, quia supra omnia est, omnium causalis existens.* Idem in epistola ad Gaium monachum : *Tenebrae quidem*, inquit [17], *obscurae sunt in lumine, et magis in multo lumine. Ignorantiam occultant scientiae, et magis multae scientiae. Haec enim* [18] *supereminenter, sed non secundum privationem accipiens, approba* [19] *super vere, quia latet* — etiam qui habent incomprehensibile lumen, nesciunt quid sit quod habent, testante Evangelista : *Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt;* ideoque divinum lumen tenebrarum vocabulo, quoniam incomprehensibile est, vocitatur; similiter et gnostica virtus contemplantium illud, quoniam ab eo repercutitur, tenebrarum nomine frequens appellatur, quia habentes lumen et rerum scientiam latet — *secundum Dominum ignorantia ; et superpositae ipsius tenebrae velantur ab omni lumine, et abscondunt omnem scientiam. Et si quis videns Dominum intellexit quod vidit, non ipsum contemplatus est, sed quid eorum ab ipso existentium et cognitorum ; ipse autem super animum et super essentiam collocatus, universaliter non cognoscitur, neque videtur, sed est superessentialiter et super animum cognoscitur. Et ipsa secundum quod melius est perfectissima ignorantia, scientia est ejus super omnia cognita.* Neque hoc evangelista praetermisit dicens : *Deum nemo vidit unquam.* Et ut ait Ambrosius : *Sicut nunquam visibilis fuit, ita nunquam visibilis erit.* Et quod [20] ipsa Veritas dicit : *Nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater.* Sed utrum Dei Verbi humanitas, sicut et ejus divinitas, incomprehensibilis est omni creaturae, omnemque superat intellectum, postquam in deitatem Verbi assumpta est, unaque cum ipsa substantia facta absque ulla confusione utriusque naturae divinae

VARIAE LECTIONES.

[1] A veluti *ad* finem. [2] A *subsistere intelligitur.* [3] A *Dominum.* [4] CF *ingrediens.* [5] *et* om. CF. [6] A *insertas.* [7] *quoniam* om. A. [8] Sic A ; CF *necessario.* [9] A ac *semper movetur per hoc quod quaerit.* [10] Sic CF ; A mirabilique *modo.* [11] A *quodammodo quod quaerit invenit.* [12] A *Deum* esse. [13] A *lumen inaccessibile.* [14] A *et cum quidem sit invisibilis.* [15] A *et inaccessibiles propter exuberantiam.* [16] A *effusio-* [17] A *inquit quidem.* [18] *enim* om. CF. [19] Sic CF ; A *enuntia.* [20] CF *quid.*

scilicet atque [1] humanae, ex quibus unus Christus Dominus noster atque Salvator constare creditur et intelligitur ab his, qui orthodoxae fidei participes sunt, an intra terminos universitatis conditae rationabili et intelligibili naturae cognoscibilis circumscribitur, hoc est, intra numeros qui cognosci possunt detinetur, unusquisque [2] prout vult suam sententiam proferat. Ego autem incunctanter vestigia eorum sequor, qui non temere praedicant humanitatem Domini nostri Jesu Christi suae divinitati unitam, ita ut unum, salva naturarum ratione, in ipsa et cum ipsa sit, quoniam una substantia est, et ut usitatius dicam, una persona humanitas Christi et divinitas. Et quemadmodum divinitas ejus omnem superat intellectum, ita et humanitas, quae super universalitatem visibilis et intelligibilis creaturae, super omnia loca et tempora, super omnem circumscriptionem et definitionem, super omnes caelos, super omnes virtutes et potestates, super omne, quod dicitur et intelligitur, super omne, quod post Deum est, exaltata est et superessentialis facta, est omni creaturae incomprehensibilis et ininvestigabilis. Et hoc in superiori hujus operis textu docuimus.

27. Disc. De exaltatione incarnati Verbi cum carne, quam de Virgine accepit, totoque homine copulato sibi in unitatem substantiae super omnia superessentialiter, et a te copiose suasum, et a sanctis Patribus est roboratum. Sed utrum tota natura humana, quam solam partim in electis liberandam putaveram, partim semper [3] in reprobis aeterno igne torquendam detineri, solutis ipsius malitiae retinaculis penitusque disruptis, ut superior docet ratio, ascensura est, quo primitiae ipsius, humanitatem Christi dico, ascendit [4], jam dubius delibero, quoniam inter se multa in hac quaestione colluctantur. Si enim tota illuc ascensura est, et, ut apertius dicam, reditura in eum, quem peccando deseruit; si eam totam redimendo suscepit: quid dicturi sumus? Nonne consequens erit, nullam aeternam mortem miseriae, nullam impiorum poenam remansuram? Quid enim in eis torquebitur, postquam tota natura, cujus et [5] boni et mali participes sunt, non solum omni morte atque malitia liberabitur, verum etiam in ipsum Deum revertetur? Ubi ergo [6] aestus ille flammarum ignis aeterni, in quem severitas justissimi judicis malos missura est, dicens [7]: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus?* Ubi erit supplicium aeternum, in quod ituri sunt impii, si nulla pars humanae naturae remanserit, quae aeterno supplicio obnoxia sit? Finita namque omni malitia, quis malus remanebit? Omnis enim malus malitia malus est, ac per hoc pereunte malitia peribit etiam et malus. Deficiente quippe causa necessarium est effectum sui deficere. Eadem est ratio [8] de morte et vita. Si enim omnino [9] *absorbebitur mors a vita*, quemadmodum a bonitate malitia et a beatitudine miseria: quis a morte et miseria torquebitur, quando extra vitam et beatitudinem nemo residebit? Si vero quis asseruerit, partem humanae naturae in Deum redituram, partem in poenis semper mansuram: quanta incommoda, veraeque rationi reluctantia assertionem ejus consequentur? Cogetur siquidem fateri, Deum [10] Verbum non totam humanam naturam, sed partem ejus sumpsisse, ac per hoc neque totum humanum genus salvare voluisse, nec salvasse; quod absurdum credere. Vera item ratio puraque rerum speculatio eum deridebit simplicitatem humanae naturae in partes [11] dividentem, ac veluti ex multis dissimilibus vel similibus compositam esse docentem, cum sit una, et simplex, omnique compositione et dissimilitudine et multiplicitate partium libera: alioquin non jam ad imaginem Dei facta est, sed ad mortalium et corruptibilium corporum multiformem varietatem, quod existimare et stultissimum est, et turpissimum, et omnino a [12] veritate alienum. Porro si humana natura imago et similitudo Dei est, profecto et tota per totum in se [13] ipsa est, et tota in singulis eam participantibus, nullam in seipsa vel in aliquo suae uniformiter simplicitatis divisionem vel partitionem, seu possibilitate dividendi vel partiendi, seu actu et opere recipiens. Si enim una et individua Divinitas est, ad cujus imaginem humanitas facta est, necessario et ipsa una et individua est, et omnes homines, nemine excepto, in ea unum sunt. At si quis humanitatis simplicitatem et impartibilitatem me dixisse nulla praerogativa [14] sacrorum Patrum auctoritate adjutum [15] existimet, audiat beatum Origenem in libro tertio in Epistolam [16] ad Romanos: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi*, et addidit: *Omnes*. Quae adjectio omne simul sub hoc titulo humanum connexuit genus. Denique in consequentibus dicit: *Vos autem ut homines moriemini. Unde et illud, quod scriptum est: Et recogitavit Deus quia fecit hominem super terram, et poenituit in corde suo, et dixit Deus: Deleam hominem, quem feci, a facie terrae, non solum pro excidio diluvii dictum puto, sed aliquid ex hoc etiam sub mysterio de futuris praedictum, ut eo modo sentiatur, quod dictum est: Deleam hominem, quod* [17] *et per prophetam dicit Deus* [18]*: Ecce enim deleo sicut nubem iniquitates tuas* [19]*, ut videatur delens eum secundum hoc, quod homo est, post haec facere eum Deum, tunc, cum erit Deus omnia in omnibus.* Magnum quoque theologum Gregorium in decimo septimo capitulo sermonis de Imagine disputantem de humanitate legat, ubi ait: *Quid est, quod de his cogitamus? Sermo, qui dicit: Fecit Deus hominem, infinita significatione omnem humanitatem ostendit.*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *et*. [2] CF *quisquis vult*, prout vult. [3] A *semper partim*. [4] Sic A CF. [5] *et* om. A. [6] A *vero*. [7] CF *dictura*. [8] CF *ratio est*. [9] *omnino* om. A. [10] A *divinum*. [11] *in partes* om. A. [12] *a* om. CF. [13] *se* om. A. [14] *praerogativa* om. A. [15] Sic A; CF *adiutus*. [16] A in *epistola*. [17] CF *quo*. [18] A *Deus dicit*. [19] A deleo iniquitates tuas *ut nubem*.

Non enim nunc connominatur creaturae Adam, sicut in sequentibus historia dicit, sed nomen creato homini non aliud quoddam universaliter est. Non igitur universali[1] *naturae vocatione tale aliquid suspicari introducimur*[2], *quia in divina praescientia*[3] *et virtute omnis humanitas in prima constitutione comprehensa est. Oportet enim nil Deo infinitum in his, quae ab eo facta sunt, aestimare, sed uniuscujusque eorum, quae sunt, finis et mensura circumponderans factoris sapientia est. Quemadmodum igitur aliquis homo corporis quantitate coartatur, et mensura sibi substantiae magnitudo est, quae in superficie corporis perficitur: sic arbitror veluti in uno corpore totam humanitatis plenitudinem prognostica virtute a Deo omnium comprehensam fuisse. Et*[4] *hoc docet sermo qui dicit: Quia fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum. Non enim in parte naturae imago, neque in quodam eorum, quae secundum ipsam considerantur, gratia*[5] *est, sed in totum genus aequaliter talis pervenit virtus. Signum vero est omnibus similiter animus collocatus*[6], *dum omnes intelligendi et consiliandi virtutem habeant, et alia omnia, ex quibus divina natura in eo, quod secundum ipsam factum est, imaginatur. Similiter se*[7] *habet et ipse in prima mundi*[8] *constitutione ostensus homo, et post universitatis consummationem futurus, aequaliter in seipsis divinam ferunt imaginem*[9]. *Propterea unus homo nominatum est omne genus humanum,*[10] *quia in virtute Dei nihil praeterit, nihil instat, sed et quod spectatur, aequaliter praesenti comprehensiva universitatis operatione*[11] *continetur. Omnis itaque natura humana*[12] *quae a primis usque ad*[13] *novissima pervenit, una quaedam vere existentis imago est; ipsa vero in masculum et feminam generis differentia novissime constitutioni formationis adjecta est.* Proinde si Dei[14] Verbum humanitatem accepit, non partem ejus, quae nulla est, sed universaliter totam accepit. Et si totam accepit, totam profecto in seipso restituit, quoniam in ipso restaurata sunt omnia, et nihil humanitatis, quam totam accepit, perpetuis poenis insolubilibusque malitiae, quam tormentorum calamitas sequitur, nexibus obnoxium reliquit; in nullo enim damnat Deus, quod fecit, sed quod non fecit, punit. Nam et praevaricantium angelorum naturam non punit, nec puniturus est; illorum vero malitiam et impietatem nocivamque potentiam, quemadmodum et malorum hominum eis adhaerentium, extinguet, et fortassis illorum erit aeterna damnatio suae malitiae impietatisque universalis abolitio. Inter haec itaque sibi invicem repugnantia, veluti inter aestuantis oceani fluctus cautesque, quas allidunt, afflictus longa et inextricabili deliberatione fatigatus convolvor, nullamque viam evadendi reperio. Si enim, ut breviter colligam, quae late superius dicta sunt, totam humanitatem Verbo Dei[15] assumptam, ac per hoc

A in ipso salvandam naturali resurrectionis virtute cooperatrice, quae nullam naturam perire sinit, neque perpetuo puniri dixero: quid erit, quod aeternae damnationi attribuatur? Divinaeque Scripturae auctoritati resistere videbor, quae incunctanter diabolo, omnibusque ejus membris, aeterna tormenta minatur esse futura. Si autem neque totam humanitatem a Christo assumptam atque salvandam, neque naturali resurrectionis virtute totam liberandam, sed ex parte in divinae imaginis dignitatem redituram, ex parte in aeterna calamitate captivam remansuram docuero: nonne confestim vera ratio divinaque simul auctoritas me redarguet? Ratio quippe evidentissime docet, nil summae[16] bonitati vitaeque ac[17] beatitudini ex diametro contrarium perpetuo esse B posse. Bonitas enim circumscribit malitiam, penitusque consumit, similiter vita mortem, beatitudo miseriam, virtus vitia, vitiorumque[18] causas, ceteraque id genus. Divina auctoritas clamat: *Ero mors tua, o mors, et morsus tuus, o inferne.* Item: *Novissimus inimicus destruetur mors*, hoc est diabolus auctor mortis, vel certe ipsa mors. Hujus nomen apud Graecos est θάνατος; ita quidem scriptum est ἐχθρὸς θάνατος, inimicus θάνατος. In visionibus quoque Daniel prophetae angelus inquit: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consumetur praevaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et ad ducatur justitia sempiterna.* Mystico videlicet septuaginta hebdomadum numero abbreviatarum totum tempus a primo adC ventu Salvatoris usque ad secundum significans. Septenario siquidem numero cursus hujus vitae, septenis dierum revolutionibus convolutus insinuatur. Qui cursus abbreviatus dicitur. Omnia namque tempora in comparatione aeternitatis brevia sunt. In hac itaque[19] acie, inter haec tela veluti ex utroque latere confixus, ignorans, quo tendam, et quid potius sequar, anxius consisto. Non enim levis consideratio est, unum e duobus eligere: aut aeternas poenas impiorum angelorum et hominum destruere, aut divinam bonitatem et beatitudinem, absorpta omni malitia miseriaque, non ubique in omni creatura regnaturam. Mag. Patiens esto; aderit lux mentium, quae illuminat abscondita tenebrarum, abstrusa[20] aperit, incognita revelat, fugitiva revocat, D incircumscripta circumscribit, indefinita definit, ambigua ad certam quodammodo sententiam adducit. Ac primum quidem contemplari oportet, *quid inter* nos confectum, inque inconcussam definitionem pervenit, quid adhuc in fluctuanti deliberatione aestuat, quid de cetero quaerendum sit. Disc. Non aliam naturarum inquisitionem ratio exigit. Mag. Multa definita rationabiliterque reperta in tua deliberativa theoria perspicio. Sed quoniam adhuc veluti in am-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *universalis.* [2] A *introducimus.* [3] A *praesentia.* [4] *Et* om. A. [5] A *gratiam.* [6] A *animum collocari.* [7] *se* om. CF. [8] *mundi* om. CF. [9] A in *seipso divinam imaginem feret.* [10] *genum humanum* om. A. [11] A *optatione.* [12] *humana* om. A. [13] *ad* om. CF. [14] A Proinde *fidei* verbum. [15] A *divino.* [16] *summae* om. A. [17] *utraque.* [18] Sic CF; A *mortuorumque.* [19] *itaque* om. A. [20] *aperit abstrusa.*

biguo posita, ut tu ipse fateris, tibi videntur, necessarium arbitror, ea repetere, in quibus titubare videris, ut sedatis animorum fluctibus firmam de his, quae inter nos quaerimus, proferam sententiam, ne diutius amphiboli [1] videamur, nil ad purum discutientes. Disc. Ita fiat. Mag. Divino animo omnia contineri nullus recte naturas rerum intelligens dubitat. Disc. Hinc dubitare ridiculum, dum omnes sapientes nullo modo in hoc dissentiunt, audientes Apostolum dicentem : *Ex ipso et per ipsum et in ipso et ad ipsum sunt omnia.* Dionysius Areopagita capitulo septimo de divinis Nominibus : *Omnis*, inquit, *animi et rationis, et sensus omnis, divina sapientia et principium et causa et substantia et consummatio et custodia et fons dicitur* [2] *et est.* Beatus Ambrosius in expositione in Lucam introducens apostolum : *In Domino*, inquit, *Jesu omnia condita sunt in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Ceterorum Patrum sententias de hoc ponere longum est, et non necessarium. Mag. Si ergo [3] in animo divino subsistunt omnia, nihil extra ipsum conficitur esse. Disc. [4] Supra quem vel [5] infra vel extra nihil est. Mag. Omnino itaque [6] ipse est omnia. Disc. Omnino. Quid enim aliud omnia sunt, nisi eorum in divino animo scientia, sicut ait in praefato capitulo Dionysius : *Divinus animus omnia continet, omnibus remota scientia, juxta omnium causam in seipso omnium scientiam praeambiens, priusquam angeli fierent, sciens et adducens angelos, et alia omnia ab intus, et ab eo, ut sic dicam, principio sciens et in essentiam ducens. Et hoc arbitror tradere eloquium, cum ait : sciens omnia ante generationem eorum. Non enim ex existentibus existentia addiscens novit divinus animus, sed ex se et in se secundum causam omnium scientiam et cognitionem praefert et ante-coambivit : non secundum speciem singula contemplans, sed secundum unam causae circumstantiam omnia sciens et continens, sicut et lux secundum causam in seipsa cognitionem tenebrarum praeambit, non aliunde videns tenebras quam a lumine. Semel igitur divina sapientia cognoscens cognoscit omnia immaterialiter materialia, et non partite partita, et multa universaliter, in se* [7] *ipso uno omnia et cognoscens et adducens. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradit : secundum eandem unicam causam scivit omnia, ut* [8] *ex ipso existentia, et in ipso ante substituta; et non ex existentibus accipiet eorum scientiam, sed et ipsis singulis eorum scientiae erit largitor.* Mag. Divinus itaque animus nullum malum nullamque malitiam novit. Nam si nosset, substantialiter extitissent, neque causa carerent. Jam vero et causa carent, ac per hoc in numero conditarum naturarum essentialiter non sunt, ideoque omnino divina alienantur notitia. Disc. Aliter intelligi vera non sinit ratio. Divina nam-

A que scientia causa est existentium, ideoque, quicquid novit, necesse est in natura rerum fieri. Quod autem in natura rerum non invenitur, nullo modo in divina scientia inveniri possibile est. Mag. Deus itaque impios nescit et angelos et homines, omnesque divinae legis praevaricatores. Disc. Illorum substantias omnemque, quod in eis fecit, et in ipso subsistit, novit: quod autem illorum perversis motibus naturae ab ipso substitutae accidit, omnino ignorat. Nam quicquid non fecit, sua scientia penitus alienum est. Mag. De divinae naturae, omniumque, quae in ipsa et per ipsam et ad ipsam et ex ipsa facta sunt, aeternitate, et quod ipsa sola vere ac [9] singulariter aeterna sit, et quod omne aeternum participatione aeternitatis sit aeternum [10], non dubitas, credo. Disc. Quomodo dubitarim, dum talia et B ratio et divina auctoritas approbat? Si enim unus Deus est causa omnium ac [11] finis, sequitur, quod solus singulariter aeternus sit, et omne, quod cum participat, solummodo aeternum esse. Quid enim aeternum esse potest praeter ipsum, et quod in ipso et ab ipso factum est? Mag. Malitiam pedissequasque ejus, mortem dico et miseriam, diversorumque depictorum poenas arbitrarisne a Deo factas, aut divinae virtutis participes esse? Nam quod scriptum est : *Mors et vita a Domino Deo est*, non de illa morte, qua moritur humanitas peccando, poenaque peccati subsequente per corruptionem solvitur, arbitror esse dictum, sed de illa, de qua Psalmista dicit : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, hoc est, pretiosus purgatissimarum animarum in intimam C veritatis contemplationem, quae vere vera beatitudo est et aeternitas, transitus. Et haec est mors, qua religiose viventes, pie [12] casteque Deum suum quaerentes, adhuc in hac mortali vita constituti moriuntur, in speculo et aenigmate, quod quaerunt, videntes, in futuro vero in pristinam divinae imaginis dignitatem, ad quam facti sunt, reversuri, ipsum *Deum facie ad faciem*, quantum creaturae comprehensibili et intelligibili fas [13], incomprehensibilem et intelligibilem universalitatis causam, super omnia exaltati, facie ad faciem, hoc est, proxima illi theophania visuri sunt, sicut ait Apostolus : *Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*, faciem appellans comprehensibilem quandam humano intellectui divinae virtutis, quae D a nulla creatura per seipsam perspicitur, apparitionem. Porro si malitia et mors et miseria naturae adeo conditae repugnans, neque in causa omnium facta, neque ejus particeps est, miror, qua ratione deliberas, et haesitas, malitiam mortemque aeternorum tormentorum in humanitate, quam totam Dei Verbum in seipso assumptam liberavit, aeternaliter permansuram, cum vera ratio doceat, nullum contrarium divinae bonitati vitaeque ac beatitudini posse esse coaeternum. Divina siquidem bonitas

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *amphibologi*. [2] Sic CF; dicitur *esse* et est. [3] A *igitur*. [4] *esse* Disc. om. A. [5] *vel* om. A. [6] AD; *omnino* Mag. Itaque. [7] *in se* om. A. [8] Sic CF; A *et*. [9] A *et*. [10] A aeternitatis *ejus aeternum sit*. [11] A *et*. [12] *pie* om. A. [13] *fas* om. CF.

consumet malitiam, aeterna vita absorbebit [1] mortem, beatitudo miseriam. Scriptum est enim: *Ero mors tua, o mors, et morsus tuus, o inferne.* Nisi forte adhuc ambigis, Dominum Jesum humanae naturae acceptorem et salvatorem non totam ipsam, sed quantulamcunque partem ejus et [2] accepisse et salvasse; quod credere superiores rationes refutant. Disc. Jam video undique me captum, nullamque rationem reperire, qua possim astruere, malitiam, mortemque, ac miseriam in humanitate, aut in tota, aut in aliqua parte ejus, dominaturam, perpetuoque permansuram, quoniam in Verbo Dei, quod eam totam in unitatem [3] suae substantiae suscepit, universaliter et redempta et liberata est; ac per hoc rectae ratiocinationis virtute superatus cogor fateri, totam humanitatem in omnibus eam participantibus liberandam, omnibusque malitiae vinculis mortisque atque miseriae absolvendam, quando in suas causas, quae in suo Salvatore subsistunt, reversura est. Adhuc tamen delibero, securus jam de humanitate factus, utrum universaliter in omni creatura malitia abolebitur, an in sola humanitate. Aestimo namque, diabolicos animos nunquam malitia omnibusque eam consequentibus cariturus. Ac per hoc, licet in sola humanitate dono divinae gratiae naturalique virtute cooperatrice malitia penitus aboleatur, in daemonum tamen natura sine fine perseveraturam puto, et in ipsis [4] divinae bonitati coaeterna erit, ideoque non in omni abolebitur natura [5]. Mag. Nondum clare perspicis, ut opinor, Deum nullam creaturam, quam fecit, punire, nec in humana, nec in daemonum substantia; sed quod non fecit, in omnibus punit, hoc est irrationabiles perversae voluntatis motus. Ac ne de hoc diutius haesites, audi beatum Augustinum in undecimo libro Exemeri sui dicentem, de natura daemonum malitiaque disputans: *Nonnulli*, inquit, *eum*, diabolum videlicet, *non in hanc malitiam libero arbitrio voluntatis [6] esse deflexum, sed in hac omnino creatum putant, quamvis a Domino Deo summo et vero naturarum omnium creatore; adhibentque testimonium de libro Job, quoniam ibi scriptum est, cum de illo sermo esset: Hoc est initium figmenti Domini quod fecit, ut illudatur ab angelis ejus. Cui sententiae congruit, quod in Psalmo scriptum est: Draco hic, quem finxisti ad illudendum ei, nisi quod hic « quem finxisti » dixit, non autem sicut ibi, « hoc est initium figmenti Domini; » tamquam initio eum ita finxisset, ut malus, ut invidus, ut seductor, ut omnino diabolus esset, non voluntate depravatus, sed ita creatus. Haec opinio quomodo non sit adversa ei, quod scriptum est: Fecit Deus omnia et ecce [7] bona valde? Ubi invenitur diabolus non propria voluntate depravatus, sed ab ipso Domino Deo factus malus valde? Quamvis conentur ostendere. Nec [8] insulse etiam* A *vel inerudite asseritur [9], non tantum conditione prima, sed etiam nunc depravatis tot voluntatibus, in summa tamen omnia, quae creata sunt, id est universam omnino creaturam bonam esse valde, non quod boni sint in ea mali, sed quod non efficiant malitia sua, ut sub Dei administratoris imperio, virtute sapientiae [10], decus et ordo universitatis aliqua ex parte turpetur sive turbetur [11], cum suis quibusque voluntatibus etiam malis tribuantur certi et congrui limites potestatum et pondera meritorum, ut etiam cum ipsis convenienter justeque ordinatis universitas pulchra sit: tamen quia cuilibet occurrit, et verum est atque manifestum, justitiae ipsius [12] esse contrarium, ut nullo praecedente merito hoc ipsum in quoquam [13] Deus damnet, quod in eo ipse creaverit [14],* B *certaque et evidens damnatio diaboli et angelorum ejus ex Evangelio recitatur, ubi se dicturum Dominus praenunciavit [15] eis, qui a sinistris sunt: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus, nullo modo in eo naturam, quam Deus creavit, sed malam propriam voluntatem poena ignis aeterni plectendam esse credendum est.* Daemonum autem malitiam non esse perpetuam beatus Ambrosius in expositione in Lucam apertissime docet, dicens: *Coepit orare daemon, ut introeundi in porcos acciperet facultatem. Et primum clementiam Domini debemus advertere, quod nullum prius [16] ipse condemnat, sed unusquisque sibi auctor est poenae. Non mittuntur in porcos daemones, sed ipsi petunt, quia caelestis luminis claritatem sustinere non poterant,* C *ut, qui oculos dolent, radium solis ferre non possunt, sed tenebrosa eligunt, ut splendentia derelinquant [17]. Fugiunt ergo daemones splendorem lucis aeternae, et ante tempus debita sibi tormenta formidant, non praedivinantes, quae futura sunt, sed quae prophetata sunt, recordantes. Dixit enim Zacharias: Et erit in illa die, disperdet Dominus nomina idolorum de terra, et non erit ulterius memoria eorum, et spiritum immundum exuram de terra. Docemur ergo, quod non semper manebunt, nec malitia eorum possit esse perpetua. Nunc igitur illam metuentes poenam, aiunt: Venisti perdere nos ante tempus? Sed quia adhuc esse desiderant jam ab hominibus recedentes, propter quos poenam sciunt sibi esse subeundam petunt mitti in porcos.* D Et ne forte existimes, non solum in diabolo malitiam, verum etiam substantiam esse perituram — substantiam enim dicit non a Deo factam naturam, sed omnem suae apostasiae consequentiam, id est propositum superbiae, et inimicam voluntatem, et immunditiam idololatriae; his enim et similibus veluti membris subsistit omne, quod diabolus dicitur: potest etiam intelligi de aëreo corpore, quod ei est superadditum [18] — et quod non in omni rationali creatura mors aculeusque ejus, peccatum dico,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *absorbet.* [2] *et* om. A. [3] Sic CF; A in *unitate.* [4] Sic CF; A *ipsos.* [5] *ideoque non in omni — natura* om. A. [6] A *voluntatis arbitrio.* [7] A *ecce* om. A. [8] A *ut* insulse. [9] A *asseratur.* [10] Sic CF; A *sapientia.* [11] A *turbetur aut turpetur.* [12] Sic CF; A *ipsi.* [13] CF in *quoquo* (sic!). [14] Sic CF; A *creavit.* [15] A *pronuntiavit.* [16] A *primus.* [17] A *relinquant.* [18] *substantiam enim dicit — superadditum* om. CF.

omnisque malitia interitura sit, sed in parte creaturae interimentur, in parte permanebunt, audi magnum Origenem, diligentissimum rerum inquisitorem, in tertio libro περὶ Ἀρχῶν de consummatione mundi, hoc est de summo bono, ad quod universa rationabilis natura festinat, ut Deus omnia in omnibus sit; non enim alia consummatio mundi est praeter Deum omnia in omnibus esse tractantem et dicentem [1]. *Quae sint ergo ista* [2] *omnia, quae Deus futurus sit in omnibus, requiramus. Et ego quidem arbitror, quia hoc, quod in omnibus omnia esse dicitur Deus, significet etiam in singulis eum omnia esse. Per singulos autem omnia erit hoc modo, ut, quicquid rationabilis mens, expurgata omni vitiorum faece, atque omni penitus abstersa nube malitiae, vel sentire vel intelligere vel cogitare potest, omnia Deus sit, nec ultra jam aliquid aliud nisi Deum videat, Deum teneat, omnis motus sui Deus modus et mensura sit; et ita erit omnia Deus. Non enim jam ultra mali bonique discretio, quia nusquam malum. Omnia enim ei Deus est, cui jam non adjacet malum; nec ultra ex arbore sciendi bonum et malum edere concupiscet, qui* [3] *semper in bono est, et cui omnia Deus est. Si ergo* [4] *finis ad principium reparatus, et rerum exitus collatus initiis, restituet illum statum, quem tunc habuit natura rationabilis, cum de ligno sciendi bonum et malum* [5] *edere non egebat, ut amoto omni malitiae sensu, et ad* sincerum [6] *purumque deterso, solus, qui est unus, Deus bonus hic ei fiat omnia, et non in paucis aliquibus vel pluribus, sed ut in omnibus ipse sit omnia, cum nusquam mors, nusquam aculeus mortis, nusquam omnino malum: tunc vere Deus omnia in omnibus erit. Verum istam perfectionem ac beatitudinem rationabilium naturarum ita demum quidam permanere in eo statu, quo supra diximus, putant, id est, ut Deum omnia habeant, et Deus eis sit omnia, si nullatenus eas societas naturae corporalis* [7] *amoveat* [8]. *Alioquin aestimant, gloriam summae beatitudinis impediri, si materialis substantiae interseratur admixtio. De qua re plenius a nobis, quae in superioribus occurrere potuerunt, pertractata atque digesta sunt. Nunc vero, quoniam apostolum Paulum mentionem spiritualis corporis fecisse invenimus, qualiter etiam inde sentiri debeat de hoc, tantummodo, prout possumus, requiramus. Quantum ergo sensus noster capere potest, qualitatem spiritualis corporis talem quandam esse sentimus, in quo inhabitare* [9] *deceat non solum sanctas quasque perfectasque* [10] *animas, verum etiam omnem illam creaturam, quae liberabitur a servitute corruptionis. De quo corpore etiam illud Apostolus dixit: Domum habemus, non manufactam, aeternam in caelis, id est mansionibus beatorum. Ex hoc ergo conjecturam capere possumus,*

A *quantae puritatis, quantae subtilitatis, quantae gloriae sit qualitas corporis illius, si comparationem faciamus ejus ad ea, quae nunc, licet caelestia sint et splendidissima corpora, manufacta tamen sunt et visibilia. De illo* [11] *autem dicitur domus esse non manufacta, sed aeterna in caelis. Quia ergo, quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt, omnibus his corporibus, quae sive in terris, sive in caelis videmus, et quae videri possunt, et manufacta sunt,* [*et aeterna facta sunt*] [12], *et aeterna non sunt, multa longe praelatione praecellit illud, quod et visibile non est, nec manufactum est, sed aeternum est. Ex qua comparatione conjici potest, quantus decor, quantus splendor, quantusque fulgor sit corporis spiritualis; et verum esse illud quod dictum est:* B *Quia oculus non* [13] *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* [14] *ascendit, quae praeparavit Deus his* [15] *qui diligunt eum. Non autem* [16] *dubitandum est, naturam corporis hujus nostri voluntate Dei, qui talem fecit eam, usque ad illam qualitatem* [17] *subtilissimi et purissimi ac splendidissimi corporis posse a Creatore produci, prout rerum status vocaverit, et meritum rationabilis naturae poposcerit. Denique cum varietate et diversitate mundus indiguit, per diversas rerum facies speciesque omni famulatu praebuit se materia conditori, utpote Domino et Creatori suo, quo diversas caelestium terrenorumque* [*de simplicitate et unitate corporum post resurrectionem*] [18] *ex ea duceret formas. Cum vero res ad illud coeperint festinare, ut sint omnes unum, sicut est Pater cum Filio unum,* C *consequenter intelligi datur, quod, ubi omnes unum sunt, jam diversitas non erit. Propterea, namque etiam* [19] *novissimus inimicus diabolus, qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque diversum sit, ubi non est inimicus. Destrui sane novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus, quae a Deo facta est, pereat, sed ut propositum et voluntas inimica, quae non a Deo, sed ab ipso processit, intereat. Destruetur ergo non ut non sit, sed ut inimicus et mors non sit. Nihil enim omnipotenti impossibile est, nec insanabile est aliquid factori suo. Propterea enim fecit omnia, ut essent et ea, quae facta sunt, ut essent, nec esse non possent* [20]. *Propter* D *quod immutationem quidem varietatemque recipient, ita ut pro meritis vel in meliore, vel in deteriore habeantur statu; substantialem vero interitum ea, quae a Deo ad hoc facta sunt, ut essent et permanerent, recipere non possunt.* Itaque, quod Ambrosius in ambiguo reliquerat, Origenes declarat. Nam quod ille ait: *Docemur, quod non semper daemonia manebunt, ne malitia eorum possit esse perpetua,* dubium est, quid velit, utrum substantia daemonum simul et eorum malitiae periturae sint, an solummodo ma-

VARIAE LECTIONES.

[1] *tractantem et dicentem* om. A. [2] A ergo, *inquit*, ista. [3] Sic CF; A *quia*. [4] A *igitur*. [5] *et malum* om. A. [6] CF ad *incertum* purumque. [7] Sic CF; A *corporali*. [8] Conj., AF *admoveat*; C *admoneat*. [9] A *habitare*. [10] A *perfectas*. [11] Sic CF; A *Ille*. [12] *et aeterna facta sunt* om. A. [13] A *nec*. [14] A *hominum*. [15] A *eis*. [16] A *enim*. [17] *qualitatem* om. A. [18] *de simplicitate et unitate corporum resurrectionem* om. CF. [19] *etiam* om. A. [20] Sic CF; A propterea c. f. o. u. *essent ideo non esse non possunt*.

litia, qua sola daemonia vocantur, manente eorum incorruptibiliter natura. Iste vero indubitanter astruit, quod in ipsis substantia a Deo facta semper permansura, malitia vero perversa illorum voluntate reperta in aeternum peritura. Talia siquidem nomina *daemonium* [1], *Diabolus, novissimus inimicus, et mors*, non sunt naturae, sed pravae voluntatis vocabula. Audisti igitur sanctum Augustinum dicentem, quod *Deus in diabolo non, quod fecit, sed, quod non fecit, puniturus est* [2]; audisti Origenem affirmantem, diaboli substantiam nunquam perituram, sed ejus solummodo malitiam. Et ut hoc firmius et [3] credas et cognoscas, lege magnum Dionysium Areopagitam in libro de divinis Nominibus de eo, quod in natura daemonum malum non sit, eamque nullo modo corrumpi vel minui posse disputantem.

28. *Sed neque daemones*, inquit, *natura mali. Etenim si natura mali* [hoc dicit, quia daemones ex bono creati sunt, et naturaliter subsistunt, et conversi a bono sunt deserentes illud] [a], *neque ex bono, neque in existentibus, neque ex bonis conversum* [4] *natura et semper mali existunt. Sequitur, sibimet sunt mali an aliis? Siquidem sibimet; an corrumpunt seipsos? Si autem aliis; quomodo corrumpunt, essentiam an virtutem an* [5] *actionem? Siquidem essentiam; primum quidem non juxta naturam. Natura enim incorruptibilia non corrumpunt, sed acceptiva corruptionis*, [hoc est nullam naturam corrumpunt, quia nulla natura acceptiva est mali]. *Sequitur* [6], *neque hoc omni* [7] *et omnino malum, sed neque corrumpitur quidquam* [8] *existentium, secundum quod essentia et natura, sed defectu* (ordo verborum : sed infirmatur ratio harmoniae et commensurationis defectu naturalis ordinis) *juxta naturam ordinis, harmoniae et commensurationis ratio infirmatur manere similiter* [9] *habens*, (id est, dum similiter natura manet). *Infirmitas* [10] *autem non est* [11] *perfecta : si enim perfecta esset* [12], *et corruptionem et subjectum tolleret* [13], *esselque talis corruptio et suimet interitus* [14], *ideoque ut talis* [15] *non malum, sed deficiens bonum. Quod enim omnino expers est* [16] *boni, neque in existentibus erit. Eadem etiam est ratio de potentiae et actionis corruptione* [17]. [Sicut natura corrumpi non potest, ita virtus et actio naturalis corruptionem non recipiunt]. *Deinde, quomodo daemones ex Deo facti* [18] *sint mali? Bonum enim bona adducit et substituit. Verum dicet aliquis* [19], *dicuntur mali, sed non secundum quod sunt, ex bono* [20] *enim sunt, et bonam sortiti sunt* [21] *essentiam, sed secundum quod non sunt, infirmi, ut Eloquia aiunt, servare suum principium. In quo enim, dic mihi, daemonas vitiari dicimus* [22], *si non in cessatione habitus et operationis, quae versantur circa divina bona?* [23] *Alioquin* [24], *si natura mali sunt daemones, semper sunt mali : atqui malum instabile est. Si itaque semper eodem modo se habent, non sunt mali : semper enim idem esse boni proprium est. Si vero non semper mali, neque natura mali sunt, sed angelicorum bonorum indigentia. Sed non omnino expertes sunt boni, secundum quod et sunt, et vivunt, et intelligunt, et omnino est quidam in illis appetitus motus : mali autem esse dicuntur, eo quod in naturali operatione sunt infirmi. Depravatio igitur est eis malum, et rerum illis convenientium desertio frustratioque, atque imperfectio et impotentia, facultatisque in eis perfectionem conservantis infirmitas, et abactio, et dilapsio. Quid vero aliud in daemonibus malum? Furor irrationalis, concupiscentia demens, imaginatio praeceps. Sed haec etsi in daemonibus sunt, non omnino, neque in omnibus, neque haec per se mala. Etenim in aliis animalibus non habitus horum, sed privatio est et corruptio animalium et malum; habitus vero animalis naturam, quae isthaec habet, servat et constituit. Non itaque malum est daemonica gens, qua secundum naturam est, sed qua non*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *Daemonum*. [2] Sic CF; A *sit*. [3] *et* om. A. [4] Sic CF; A *conversi si*. [5] A *ac*. [6] Pro *sequitur* A *deinde*. [7] CF; *omnino* et omnino. [8] CF *quid existentium*. [9] Sic CF; A ratio *eodem modo se habens* (id est dum similiter natura manet) *non potest manere*. [10] Sic CF; A *imbecillitas*. [11] *est* om. CF. [12] *esset* om. CF. [13] CF *interimit*. [14] CF *et erit ipsa* corruptio et suimet *corruptio*. [15] CF *itaque hujusmodi*. [16] *est* om. CF. [17] *Et de virtute et actionis corruptione eadem ratio*. [18] CF *ex Deo facti deamones*. [19] Pro *verum dicet aliquis* CF *et quidem* dicuntur mali *dixerit quis*. [20] CF ex *optimo*. [21] CF *optimam sortiebantur*. [22] CF *vitiari dicimus daemonas*. [23] CF si non in cessatione *divinorum bonorum habitudine et actione*. [24] Pro iis, quae usque ad finem sequuntur, CF haec proferunt : *Sed itaque si natura mali daemones semper mali; et quidem malum instabile est. Non igitur, si semper sic se habent, non mali : quod enim semper, id ipsum optimi proprium. Si autem non et semper mali, non naturales, sed indigentiae angelicorum bonorum. Sed non omnino expertes boni, secundum quod et sunt, et vivunt, et intelligunt, et omnino est quidam in eis concupiscentiae motus. Mali autem esse dicuntur propter quod infirmantur circa naturalem operationem. Falsa ergo conversio est eis malum, et a cognatis suis egressio et informitas et imperfectio et impotentia, et salvante eis perfectionem virtute infirmitas, et fuga, et casus. Sed itaque quid in daemonibus malum? Furor irrationabilis, amens concupiscentia, phantasia proterva. Sed haec etsi sunt in daemonibus, non omnino neque in omnibus, neque haec secundum se mala. Etenim in aliis animalibus non motus talium, sed interemptio est, et corruptio animali et malum; habitus enim salvat, et esse facit, haec habentem animalis naturam. Non igitur malum daemonia gens, quantum est juxta naturam, sed quantum non est. Et non mutatum est datum in eis totum bonum, sed ipsi dato ceciderunt toto bono. Et datas eis angelicas donationes nunquam ipsas commotas fuisse dicimus, sed sunt et integri, et clarissimi sunt, etsi ipsi non viderint participantes boni conspectivas virtutes. Itaque quod sunt, et ex optimo sunt, et optimi, et bonum et optimum concupiscunt, et vivere et intelligere existentium appetentes; et privatione et fuga et casu connaturalibus sibi optimis dicuntur mali, secundum quod non sunt, et quod non est appetentes malum appetunt.* Intuere cet.

NOTAE.

[a] Ea, quae hoc capite vides uncis inclusa, desunt in codicibus CF.

est. Neque totum bonum illis datum, mutatum est, sed ipsi a toto bono dato exciderunt. Neque dicimus angelicas donationes illis datas unquam mutatas fuisse, sed et integri sunt, et plane conspicui, quamvis ipsi non vident, dum facultatem claudunt, qua bona sua possunt intueri. Itaque quod sunt, et ex bono sunt, et boni, et bonum pulchrumque appetunt, dum esse, et vivere, et intelligere existentia desiderant; et privatione, et fuga, et prolapsione bonorum eis convenientium dicuntur mali, suntque mali, secundum quod non sunt; et non existentis cupidi, malum appetunt. Intuere vim [1] verborum, et quantae subtilitatis sunt. Primo quidem universaliter breviterque comprehendens, daemones natura malos non esse, dicendo *sed neque daemones natura mali*, rationem subjunxit : *etenim si natura mali, neque ex bono*, Deo videlicet, qui solus a scipso bonus est, *creati sunt*; omne quippe, quod ab eo creatum est, bonum est, non enim ex bono malum fieri potest; neque in existentium naturarum numero computantur; *neque ex bonis conversum* [2] *natura*, hoc est, neque ex bonis angelis natura in malitiam perversae voluntatis conversi sunt. Haec enim vocabula praefatus auctor praevaricatoribus angelis solet imponere. *Conversum* [3], hoc est conversionem ex bonorum natura, et casum a sapientia. *Et semper mali existunt*; a superioribus assumitur negatio : *et neque* [4] *semper mali existunt.* Nam quod natura malum est, non potest semper existere. Naturam quippe mali et malitiae aeternam [5] esse impossibile est. Substantia autem daemonum nunquam peribit. Natura itaque mali non sunt. Deinde argumenta per interrogationes subdidit, dicens : *Sequitur, sibimet sunt mali, an aliis?* Ac si dixisset : si natura mali sunt, necessario aut sibimet mali sunt, aut aliis. Et *siquidem sibimet, an corrumpunt seipsos?* Utique corrumpunt. Quod impossibile est fieri; nulla siquidem natura seipsam corrumpere potest; accidens est enim omni naturae sui corruptio. Ac per hoc si natura daemonum mala est, sibimet non est mala, quoniam seipsam non sinitur corrumpere; malum quippe non mali, sed boni est corruptio. *Si autem aliis* natura bonis mali sunt, *quomodo ea corrumpunt, utrum essentiam eorum, an virtutem, an* [6] *actionem?* Ac si diceret : harum trium nullam [6] possunt corrumpere. Haec enim tria, essentiam dico, et virtutem, et actionem in omnibus incorruptibilia sunt, quoniam in his tribus omnis natura subsistit. Et hoc est quod sequitur : *Siquidem essentiam; primum quidem non juxta naturam*, hoc est, non illam essentiam, qua subsistit natura. *Natura enim incorruptibilia*, essentiam videlicet, virtutem, et actionem, *non corrumpunt, sed acceptiva corruptionis*, hoc est, quae possunt corrumpi, ut sunt naturalia accidentia, qualitates dico et quantitates, celeraque, quae augeri ac minui possunt, et in subjecto quodam intelliguntur. Sed neque illa corrumpuntur a malo; augeri enim accidentia substantiae, vel minui, neque malum est, neque corruptio, sed profectus quidam [7] atque defectus capacitatis substantiarum. Ideo ait : *Neque hoc omni* [8] *et omnino malum*, hoc est, neque acceptiva corruptionis a malo corrumpuntur, quia neque omnino malum. Nam in hoc loco una negatio bis ponitur sic : *neque hoc omni* [9] *et neque omnino malum.* Quid enim corrumperet, quod omnino non est? Nam omnis corruptio, quae in natura rerum mutabilium intelligitur, aut defectus perfectionis est, aut de specie in speciem transitus materiae, aut generalium in specialia et specialium in generalia transmutatio, quae omnia non mala, sed mutabilium rerum naturales qualitates et quantitates et conversiones [10] intelliguntur. Cetera vero hujus capituli plana sunt, et expositionis non indigent. Apertissime namque docet, nihil eorum, quae sunt, secundum essentiam et naturam posse corrumpi, defectum vero naturalis ordinis, et commensurationis infirmitatem, quibus duobus mutabilia eodem modo semper manere non possunt, corruptionis vocabulo vocitari, et quod ipsa corruptio non malum sit, sed deficiens bonum. Si enim malum esset, in natura rerum non existeret. Docet etiam, daemones non secundum quod sunt, malos esse, ex optimo enim sunt, optimaeque participes essentiae [11], sed secundum quod non sunt, mali dicuntur. Et quid in eis malum dicitur, aperte declarat, infirmitatem videlicet eorum, qua servare suum nolunt principium, summum scilicet bonum, ex quo sunt, negligentiam quoque eorum, qua divinorum bonorum habitudine et actione vacant [12], celeraque, quae de miseria daemonum luculentissime a praefato magistro dicta sunt, deque naturae eorum bonitate, et quod nihil donationum, quas in conditione sui acceperunt, in eis commutatum sit aut ab eis demptum, *sed integritatem et claritatem suae naturae semper manere, quamvis non intelligant* [13] *suas speculativas virtutes*, quas ad contemplationem sui Creatoris, si vellent, insitas habent, *fugientes a vero lumine, et cadentes ex connaturalium sibi optimorum* angelorum contemplativa virtute, appetentes, quod non est : et hoc est totum, quod in eis malum et malitia dicitur. Vidisti ergo, quod natura daemonum et bona sit, et a summo bono facta, et quod non secundum quod sunt, sed secundum quod non sunt, mali dicuntur. Ac per hoc naturali necessitate sequitur, quod in eis est a summo Deo factum, solummodo in eis permansurum; nullo modoque puniendum, quod autem ex Deo non est, illorum videlicet malitia [14], periturum, ne in aliqua creatura, sive humana, sive angelica, ma-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *tenorem.* [2] Sic CF; A *conversi.* [3] Sic CF; A *conversi.* [4] CF *Natura — aeternam* esse [5] A *ac.* [6] A *nulla.* [7] Sic CF; A *perfectio quaedam.* [8] CF *omnino* et omnino [9] CF *omnino* [10] *et conversiones* om. A. [11] A *optimamque sortiuntur essentiam.* [12] Sic CF; A *vacant et actione.* [13] A *intelliqunt* [14] A *hoc est illorum malitia.*

litia possit fieri [1] perpetua et bonitati coaeterna. Similiter de morte et miseria intelligendum, ne vitae et beatitudini quid contrarium atque coaevum intelligatur. Porro si universaliter malitia, et mors, aculeusque ejus, quod est peccatum, omnisque miseria, insuper etiam novissimus inimicus, nequitia videlicet diabolica, universalisque impietas, [aut ipsa certe mors] [2], de natura rerum abolebitur : quid restat, nisi ut sola universalis creatura omni faece malitiae et impietatis purgata, omni morte corruptionis libera, penitusque absoluta remaneat? Et haec est generalis universae creaturae, quae a servitute liberabitur, resurrectio, mysticaeque terrae, naturae videlicet, renovatio [3]. De qua Propheta praedixit : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur ; emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Qui etiam *laetari Dominum in operibus suis* dicit, *deficientibus peccatoribus a terra et iniquis, ita ut non sint.* Quomodo enim quis ex peccato [4] nominabitur, peccato non existente; aut iniquus, iniquitate destructa? Sicut ait idem Propheta : *Non resurgent impii in judicio.* Nam quando humanitas in resurrectione restaurabitur, omni impietate et malitia et morte absolvetur. Ac per hoc neque mali, neque impii resurgent; sola siquidem natura resurget [5], impietas vero et malitia aeterna damnatione peribunt. Disc. Quis est ergo ille aeternus ignis, quod supplicium, ardensque sulphurei [6] stagnum ignis, vermis quoque non moriens, ceteraque tormenta, quae divina eloquia diabolo omnibusque ejus membris futura esse pronuntiant? Si secundum historiam rerumque visibilium proprietatem putantur fore, necessario in aliqua parte mundi sensibilis sensibiliter erunt. Et si ita est [7], mundus iste aut totus aut aliqua pars ejus reservabitur, in qua damnandi perpetuo damnabuntur. Ac per hoc non solvetur omnino, neque consummabitur, hoc est, in causas suas non reversurus est [8], quando *Deus omnia in omnibus erit.* Ipsa est enim [9], ut praediximus, consummatio mundi, et non alia, Deum omnia [10] in omnibus esse. Et quod est gravius, quid punietur, si nullum [11] substantiale subjectum, quod puniri possit, nullo [12] modo remanserit? Porro si totus mundus, universaliterque tota creatura, quae a Deo facta est, in aeternas causas, in quibus subsistit, non est reversura, tota adhuc nostra ratiocinatio irrita penitusque dissoluta residebit. Mag. In vanum laboravimus, si ita fuerit, sententiaeque sanctorum Patrum, quas introduximus, redigentur in risum, quod absit. Disc. Succurre itaque, deque praedictis tormentorum speciebus, quas divina non mendax promittit historia, probabilem redde rationem.

29. Mag. Diversas suppliciorum formas non localiter in quadam parte, vel in [13] toto hujus visibilis creaturae, et, ut simpliciter dicam, neque intra universitatem totius naturae a Deo conditae futuras esse credimus; et neque nunc esse, et nusquam, et nunquam, sed in malarum voluntatum corruptarumque conscientiarum perversis motibus, tardaque poenitentia et infructuosa, inque perversae potestatis omnimoda subversione, sive ab [14] humana sive angelica creatura. Subvertitur autem, quod omnino extinguitur. Extinguetur omnino omnis *facultas* peccandi, malefaciendi, impie agendi. *Facultate* autem totius malitiae penitus subtracta, nonne sola occasio, perversa videlicet voluntas, remanebit veluti extincta? Ut enim *fides sine operibus mortua est*; silet enim [15] : ita peccatum absque possibilitate peccandi, et malitia absque maleficio, et impietas absque idolorum cultu. Quamvis enim in perversis voluntatibus perverse agendi appetitus ardorque semper permanserit, quoniam quod appetitur, perfici non sinitur, et in nullo, nisi in semetipsa, flamma malevolae cupiditatis ardet : quid aliud relinquitur, nisi foetida cadavera, omni vitali motu, hoc est, omni naturalium bonorum virtute atque substantia privata? Et fortassis tales sunt gravissimi cruciatus malorum hominum et angelorum, et ante judicium futurum, et post, malefaciendi cupiditas, et perficiendi difficultas. Quod autem non *in localibus* spatiis corporalibusve carceribus diabolus cum membris suis punietur, sed unusquisque intra suae malae voluntatis terminos poenas luet, beatus Ambrosius in expositione in Lucam manifeste declarat, illum locum Evangelii exponens : *Tolletur manibus et pedibus ligatus [16], et mittetur [17] in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium. Quae sunt tenebrae exteriores? Nunquid illic quoque carcer aliquis latumiaeque subeundae sunt? Minime. Sed quaecunque extra promissa sunt caelestium mandatorum, in tenebris exterioribus sunt, quia mandata Dei lumen sunt : et quicunque sine Christo est, in tenebris est, quia lumen interius Christus est [18]. Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum est corporalium, neque vermis est corporalis, sed haec ideo, quia, sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes, ita, si quis non decoquat peccata sua velut quadam interposita sobrietate abstinentiae, sed miscendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quandam contrahat [19] veterum et recentium delictorum, igne aduretur proprio, et suis vermibus consumetur. Unde et Isaias ait : Ambulate in lumine ignis vestri, et flamma, quam accendistis. Ignis est, quem generat moestitia delictorum; vermis est, eo quod irrationabilia animae peccata mentem rei sensumque compungant, et quaedam exedant viscera con-*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *fieri possit.* [2] *aut ipsa certe mors* om. A. [3] Sic CF; A *revocatio.* [4] Sic CF; A quis *peccator* nom. [5] *sola siquidem natura resurget* om. CF. [6] Sic F; A *sulphur et*; C *sulfure* stagnum. [7] *est* om. A. [8] *est* om CF. [9] A *enim est.* [10] *omnia* om. A. [11] Sic ACF. [12] Sic ACF. [13] Pro *vel in* A *veluti.* [14] Sic CF; *ab* om. A. [15] *silet enim* om. A. [16] A *ligatis.* [17] Sic F; AC *mittite.* [18] CF *est Christus.* [19] Sic CF; A *contrahit.*

scientiae, quae tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. Denique id Dominus per Isaiam declaravit, dicens : Et videbunt membra hominum praevaricantium in me, et vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur [1]. *Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque poeniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, quod tam pervicaci improbitate deliquerit.* Vide igitur, qualia loca tormentorum praefatus describit Theologus. Ubi Judas Salvatoris nostri proditor torquetur? Nunquid alibi nisi in sua polluta conscientia, qua Dominum tradidit? Qualem poenam patitur? Seram profecto poenitentiam et inutilem, qua semper uritur. Quid patitur dives ille in inferno? Nonne splendidarum epularum, quibus in hac vita vescebatur, egestatem? Qua flamma consumitur impurissimus rex Herodes, nisi suo furore, quo in necem exarsit innocentium? Haec exempla de pravis malarum voluntatum motibus, quos in semetipsis vitiorum torquet justissima vindicta, diversarumque libidinum cicatrices sufficiunt. Unusquisque enim impie viventium ipsa vitiorum libidine, qua in carne exarsit, veluti quadam flamma inextinguibili torquebitur. De diabolicarum vero perversarum voluntatum supplicio quid aliud intelligendum, praeter illarum aeternam refrenationem, suaeque impietatis aeternum interitum? Quae enim gravior poena impio, quam impie agere et neminem laedere posse [2]? Haec est [3] catena, qua Dominus noster Jesus Christus, descendens in infernum, diabolum ligavit, eos videlicet, qui in eum pie perfecteque credunt, ejusque mandata custodiunt, perdere non valere, quamvis ante judicium non puniri daemones [4] precentur [5], sed mitti in porcos, libidinosos videlicet homines, in quibus adhuc vim suam exerceant [6] : durius ligandus, quando de potestate illius post judicium omnis liberabitur creatura, omninoque absolvetur a servitute, in principium suum, Deum videlicet, qui est principium omnium et finis, reversura, dum *visibilium administratio circa generationem et corruptionem finem accipiet per magnam*, ut ait beatus Maximus, *communemque resurrectionem, quae gignit in immortalitatem hominem secundum subsistentiam immutabilem, propter quem visibilium natura esse per generationem suscepit, et cum quo* [7] *accipiet per gratiam secundum essentiam non corrumpi. Ad hanc igitur visibilis creaturae servitutem solvendam Verbum Dei homo ex hominibus corporaliter nascitur sine peccato per hominem, et baptizatur in filiolitatem spiritualem, pro nobis voluntarie subiens nativitatem, Deus secundum essentiam, et Dei Filius secundam naturam; ut nativitatem ex corporibus destrueret, corporaliter nascitur sine peccato, et ex baptismate in spiritualem filiolitatem pro nobis subire recepit nativitatem natura Deus. Adam quippe in deificationem ex spiritu nativitatem sponte sua relinquens, natus est corporaliter in corruptionem, sed hoc damnavit optimus et clemens pro nostro delicto factus homo, et condemnavit seipsum nobis* [8] *solus liber peccato, et ex corporibus nasci dignatus nativitate, in qua potentiam nostrae condemnationis superavit, mysticaeque in spiritu direxit nativitatem, et corporalis nativitatis solvens pro nobis in seipso vincula, dedit nobis potestatem per nativitatem ex spiritu, filios Dei, pro carnis et sanguinis, fieri, credentibus in nomine ejus.* Et haec est invidia, qua maxime intra semetipsam diabolica punitur iniquitas; torquetur enim, magnam communemque resurrectionem humanae substantiae omniumque in ea visibilium in immutabilem immortalitatem, deque sua potestate elapsam prospiciens [9], quam, videlicet substantiam, subditam sibi atque captivam penitus abolere, inque aeterna morte [10] perpetuis poenis obnoxiam detinere decreverat. Dum enim vicissitudo nascendi ex corporibus et in corruptionem redeundi desierit, in quo potestas antiqui hostis remanebit? In nullo.

30. Disc. Haec omnia probabili auctoritate et ratione subnixa esse arbitror. Sed adhuc restat difficillima illa, ut mihi videtur, quaestio, in quo supplicia illa erunt [11], quae non solum diabolo, verum etiam impiis hominibus futura divina testatur auctoritas. Verbi gratia, ut pauca ex multis introducam. Dominus in Evangelio promittit se dicturum : *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Ubi ostendit, aeterno igne diabolum et angelos ejus arsuros. Et quod scriptum est in Apocalypsi : *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris quo et bestia et pseudoprophetae cruciabuntur* [12] *die et nocte in secula seculorum.* Ubi vocabulo diei intelligimus apertam angelicis humanisque puris intellectibus impiorum damnationem, noctis vero tropo divinae sententiae incognitam omnibus profunditatem. Et animadverte, quod nunc non quaero de qualitate suppliciorum et localitate. Satis namque in superioribus auctore Ambrosio [13] suasum est, nulla corporalia vel localia vel sensibilia vel temporalia futura. Nec immerito; nam post consummationem mundi neque corpora sensibilia [14] erunt, neque loca, neque tempora, in quibus tormenta intelligantur esse posse. Haec enim omnia finem accipient cum mundo, dum finis fuerit omnium corporum spiritualitas, omnium locorum simplicitas omnino spatiis carens, omnium temporum aeternitas. Ideoque aeternitatem ignis, de quo Dominus dicturus est : *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*, et alibi : *Ibunt isti in supplicium aeternum*, item in Apocalypsi : *Et cruciabuntur die nocteque in secula*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *moritur... extinguitur.* [2] CF *neminemque* laedere *non* posse. [3] Sic CF; A Haec est *enim* catena. [4] *daemones* om. A. [5] A *precetur.* [6] A *exerceat.* [7] Sic CF; A et *eum quod.* [8] Sic CF; A *pro* nobis. [9] CF *perspiciens.* [10] A *vique in aeternam mortem.* [11] *erunt* om. CF. [12] CF *et* cruciabuntur [13] CF *auctoritate Ambrosio.* [14] Sic CF; A neque *corporalia neque* sensibilia.

seculorum, non de diuturnitate, deque infimis temporalium revolutionum prolixitatibus, verum de irrevocabili et incommutabili justissimi judicis sententia intelligere debemus. Eadem ratio est de aeternitate beatae vitae, in qua etiam nulla temporalia spatia intelliguntur, quoniam in seipsa immutabiliter permanens, super omnia tempora, nullo principio seu fine concluditur. Hinc confectum, omne, quod aeternum dicitur, in Deo solummodo intelligi, ne ulla aeternitas existimetur extra eum, qui solus aeternus est et aeternitas. Aut enim inconcussa justissimorum ejus judiciorum severitas, qua puniri sinit in impiis irrevocabiliter quod non fecit, aut ineffabilis et supernaturalis ejus gratia, qua *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis* [1] *Filii sui*, deificat ac super omnia exaltat, aeternitatis nomine rectae rationis contuitu accipitur, quoniam nihil Deo coaeternum est, aut ex diametro contrarium. Ipse siquidem solus in his, quae in ipso sunt, et feliciter vivunt, aeternus est per gratuitam gratiam; in his vero, quae extra ipsum sunt, quoniam ab ipso non sunt [2], ideoque, quamvis dicantur esse, omnino non sunt, aeternus est per severam sententiam. Non itaque te nunc interrogo de corporalitate, seu localitate, seu temporalitate suppliciorum; spiritualiter enim futura impiorum tormenta intelligenda sunt: sed adhuc quaero, in qua re debemus ea credere, vel intelligere futura esse? Non enim putandum est subjecto aliquo carere; accidentia quippe sunt supplicia [3]. Si autem nullum accidens est nisi in subjecto, et omne subjectum res aliqua est per se subsistens: supplicia igitur in subjecto aliquo per se subsistente futura esse necesse est. Porro, si omne, quod per se subsistit, ab eo, qui omnium subsistentium causa est, substitutum est; omne quippe, quod a causa omnium substitutum non est, penitus nihil est, et in numero existentium non subsistit: sequitur, ut in aliqua substantia a Deo substituta suppliciorum calamitas constituatur. Si autem hoc datum fuerit, confestim illa ratio vacillabit, quae approbat, divinam justitiam in nulla creatura, quam fecit, punire quod fecit, quoniam omne, quod in omnibus, quae ab eo, qui impassibilis est et incorruptibilis, factum est, profecto impassibile et incorruptibile est, nullisque [4] passionibus obnoxium. Passiones autem nunc dico non illas, quae naturaliter insunt, ut corporei sensus [5], sed quae contra naturam sunt, circaque corporalem [6] materiam versantur in hac adhuc mortali vita; ipsius autem naturae trinitatem, quae est essentia, virtus, operatio, nec attingere nec corrumpere possunt, quamvis eam oppugnare videantur appetere [7]. Hae autem passiones sunt generatio ex corporibus ad similitudinem irrationabilium animalium, incrementa

A et decrementa [8] corporum, omnesque eorum corruptiones, et extrema omnium [9] corporalis compaginis solutio, irrationabiles quoque rationalis [10] animae motus, qui ex materia nascuntur, et circa eam volvuntur: quae cuncta non ex prima conditione humanitatis, sed ex generali ejus peccato initium sumpserunt, ideoque simul cum ipsa materia, quam inficiunt, peribunt, quando ipsius humanitatis prima conditio ab his omnibus similibusque sibi passionibus liberabitur, igneque spirituali divinae gratiae et bonitatis purgabitur. Et hoc propheta Isaias sub figura Jerusalem praedicens: *Sanctificabo*, inquit, *eam in igne ardente, et devorabit sicut foenum materiam*, ignem appellans non impios torquentem justissima poena, sed sordes naturae purgantem clementissima

B gratia. At si divina justitia in omni creatura non sinit puniri omne, quod a summo bono creatum est, non solum ut esset, verum etiam ut semper impassibile et incorruptibile contrariis passionibus permaneret: quomodo puniri potest, aut suppliciis subjectum esse [11], quod omnino in natura rerum non intelligitur esse? Aut quomodo impiorum tormenta naturali subjecto, quod torqueant, possunt carere? Mag. Nodosa nimis difficilisque, ut dixisti, ad solvendum perplexio. In hac enim quaestione tria nobis occurrunt, et unum ex iis eligere, alia [12] *duo infirmare* necesse est. Cogimur namque fateri, aut quod penitus non est in rerum natura, per se absque ullo subjecto posse puniri; et hoc rationi valde videtur resistere; quomodo enim punitur, quod non in ali-

C quo subsistit? — aut quoddam [13] naturale subjectum supplicia pati, quod non minus, imo plus rationi et auctoritati contrarium esse vides; omne quippe, quod in natura rerum a summo bono substitutum est, sive secundum substantiam, sive secundum accidens, divina justitia atque pietate provida prohibetur puniri, ne quid triste miserumve in universa creatura reperiatur — aut puniri, quod non est, tamen [14] in subjecto aliquo, quod est, omnique poena liberum punitur. Horum trium elige, quid sequendum. Disc. Tertium, et ex duobus praecedentibus compositum, si tamen probabiliter potest inveniri. Torqueri enim, quod non est, et in natura rerum non invenitur, aut naturale subjectum poenas solvere [15], rationes praedictae incunctanter refellunt.

D Puniri autem vitium, quod non est, in aliquo tamen, quod est, et impassibile est, quoniam pati poenas non sinitur, credibile mihi videtur, verique *simillimum*. Quamvis mentis meae contuitum adhuc fugere videatur, utrum tale quiddam ita sit. Mag. Veritas quaerentibus se pie ac devote amat occurrere, seque ipsam aperire, et quae mentes eorum fugiunt, prodere. Denique eam inter nos quaeramus, rationabili incessu gradientes, et vicissim me praecedentem

VARIAE LECTIONES.

[1] A *imagini*. [2] A *sint*. [3] Sic CF; A *simplicia*. [4] CF *nullis* (*-que* om.) [5] A naturaliter *ut corporei sensus insunt* [6] Sic CF; A *corruptibilem*. [7] Sic CF; A quamvis videantur *appetere eam oppugnare*. [8] CF *detrimenta*. [9] *omnium* om. A. [10] *rationalis* om. A. [11] *esse* om. CF. [12] A *et* alia. [13] CF *quiddam*. [14] A *et* tamen. [15] Sic CF; A poenas *pati*.

sequere, et ego te praegredientem subsequar [1]. Disc. Praecede.

31. Mag. De reditu humanitatis, omniumque, quae in ipsa et propter ipsam facta sunt, in ipsa et cum ipsa in principium suum tractamus. Non enim nunc de substantia daemonum, quam conditor omnium bonam et incorruptibilem in eis fecit, sermo nobis est, utrum et ipsa purgata convertetur ad principium suum, quod praevaricando deseruit, an semper a contemplatione veritatis sua perversitate exorbitata fugiet. Hoc interim solummodo ad purum de ea cognoscimus, quod non punitur, nec unquam punietur, et quod dignitas suae primae conditionis, priusquam superbiret, hominemque deciperet, semper immutabiliter absque ulla demptione in ea manet, manebitque in aeternum, et quod impietas, quam superbiendo attraxerat, penitus peribit, ne divinae bonitati coaeterna fieri possit. De salute autem ejus, aut conversione, seu in causam suam reditu propterea nihil definire praesumimus, quoniam neque divinae historiae, neque sanctorum Patrum, qui eam exposuere, certam de hoc auctoritatem habemus; atque ideo illam obscuritatem silentio honorificamus, ne forte, quae extra nos sunt [2], quaerere conantes, plus cadere in errorem, quam ascendere in veritatem nobis contingat. Proinde quod extra nos non est, nostram naturam [3] dico, duce Deo quaerere debemus. Disc. Ita oportet. Nam non solum nos ipsos non prohibemur, verum etiam jubemur quaerere, dicente Salomone: *Nisi cognoveris teipsum, vade in vias gregum.* Non enim longe a brutis animalibus distat, qui seipsum communemque humani generis naturam ignorat. Moyses item: *Attende tibi ipsi*, ait, et lege veluti in libro, operationum animae historiam. Si enim nos ipsos nosse et quaerere nolumus, profecto ad id, quod supra nos est, causam scilicet nostram, redire non desideramus, ac per hoc in grabbato carnalis materiae morteque ignorantiae jacebimus. Nulla quippe alia via est ad principalis exempli purissimam contemplationem praeter proximae sibi suae imaginis certissimam notitiam. Inter principale namque exemplum imaginemque et similitudinem sui, hoc est inter Deum et humanitatem, nullum interstitium constitutum est. Hanc rationem intuentes Graeci humanitatem ἀνθρωπίαν appellavere, hoc est ἀνωτροπίαν, sursum versus conversionem, vel ἄνω τηροῦσα ὀπίαν, hoc est, sursum servans visum. Ad Creatoris sui siquidem contemplationem, nulla alia interposita creatura, humanitas creata est. Mag. Age itaque. Dic quaeso, putasne illam humanitatem, inter quam et suum Creatorem nulla creatura intercluditur, unam quandam simplicem, inseparabilemque, partitione in se ipsa carentem [4] naturam subsistere? Disc. Non aliter existimo. Alioquin imago Dei non est, qui unus et unitas inseparabilis est, et una essentia in tribus substantiis, ad cujus imaginem trinitas quoque humanitatis intelligitur, quae est *esse, velle, scire*, ut sanctus Augustinus in libris Confessionum suarum disputat. Beatus autem Dionysius Areopagita eamdem trinitatem essentiam, virtutem et operationem perdocet. Nec inter se dissonant, nisi in significationibus vocabulorum. Neque hoc in omnibus; ambo siquidem esse dicunt, unus autem velle, alter virtutem. Nec in hoc juxta rerum speculationem inter se discrepant; nulla enim naturalior et substantialior virtus est humanitatis, quam bene velle. Unus item ait scire, alter operationem. Et quae est rationabilis naturae operatio, praeter seipsam et Deum suum, quantum datur sciri [5], quis superat omnem scientiam, scire? Haec namque est naturalis nostra operatio, quae non extra nos, sed intra nos constituta est. Quid enim nosse appetimus, nisi causam nostram intra nos ineffabili providentia, et ultra nos incomprehensibili virtute? Ac de his in superioribus libris satis inter nos est actum, ut arbitror. Mag. Satis profecto: sed eadem repetere, ut clarius elucescant, non te pigeat nec pudeat. Disc. Nequaquam. Mag. Est igitur humanitas simplex quaedam, et in rationibus suis in infinitum multiplex creatura, quemadmodum et sua causa in seipsa simplex est et plusquam simplex, et in occasionibus rerum ab ea factarum infinita et plusquam infinita. Est autem causa ejus summa ac [6] sola per se bonitas, cui simillima est humanitas. Ut enim illa tota ubique in seipsa est, ita et ista, quoniam [7] simillima imago est [8], ubique in seipsa tota est. Et quemadmodum divina bonitas in omnibus participantibus se tota est, et nullius malitia, seu stultitia, seu ignorantia prohibetur penetrare universitatem ab ea conditam: ita humanitas in omnes homines diffunditur, et tota in omnibus est, et [9] tota in singulis, sive boni sint sive mali. Nullius enim stultitia repellitur, nullius malitia detinetur, nullius vitio corrumpitur, sordibusve polluitur, pura in omnibus, in superbis non inflatur, in pusillanimis non tabescit, in majoribus corporibus non est major, neque in minoribus minor, aequalis in omnibus, aequaliter in suos participes proveniens, melior in bonis non est quam in malis, neque deterior in malis quam in bonis, in integris corporibus non est integrior, quam in his, quae [10] occasione aliqua integritatem suam aut perdunt aut non attingunt. Paradigma: solaris radius munda penetrat et immunda, dum sit in omnibus mundus, neque purior in nitidis [11], quam in sordibus incontaminatus. Est enim in omnibus, quae illuminat, lucet in tenebris, et, mirabile dictu, tenebras in se non sinit, dum tenebrarum causas intra se comprehendit, non solum umbrarum, verum etiam absentiarum ratione. Nullae quippe tenebrae sunt in natura rerum, quae lumine non circumscribuntur.

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *sequar*. [2] *sunt* om. CF. [3] A *naturam nostram*. [4] Sic CF; A *inseparabilem in se ipsa partitione* carentem. [5] Sic CF; A *scire*. [6] A *et*. [7] A *quam*. [8] A *et*. [9] *et* om. CF. [10] A *qui*. [11] Sic CF; A *mundis*.

Si enim in corporibus sunt, quamvis longissime protendantur, postremo tamen solari luce ambiuntur. Si in spiritibus, quorum tenebrae ignorantia veritatis sunt, sapientiae claritate finem accipiunt. Similiter nulla absentia est, quae non ab eo, cujus absentia est, causam nascendi accipiat; nam si lumen non praecesserit, absentia ejus, quae tenebrae sunt, non sequetur. Ideóque ex uno genere sunt absentiae, et res, quarum absentiae sunt, ut lux et tenebrae, sonus et silentium, forma et informitas, ceteraque id genus. Sed quis dignis laudibus imaginem Dei demonstrare, congruisve similitudinibus comparare potest? Et ut cognoscas aequalitatem humanitatis in omnibus hominibus, intuere communem speciem humanorum corporum. Nullus enim homo alio homine humanior est; nam si aliqua deformitas contigerit, vel formarum differentia, non ex natura evenit, sed vel ex corruptione corporeae integritatis, vel quibusdam accidentibus, quae extrinsecus adveniunt, quasdamque singulis hominibus differentias addunt, dum sit una species et generalis omnibus ex natura uniformiter impressa. Unus sensus corporeus quinquepertitus communiter omnibus inest, quamvis in multis ipsius organa [1] deficiant, oculos dico, auresque, ceteraque instrumenta, in quibus exterior [2] sensus operatur. Quid dicam de ratione et intellectu? Nonne omnibus generaliter insunt, quamvis non omnes eis bene recteque utantur? Multi siquidem naturalibus bonis abutentes aeternae suae damnationis causas invenerunt. Similiaque manifesta indicia communionis in omnibus humanae naturae. Quae cum ita sint, quis recte [3] philosophantium pureque naturas rerum inspicientium non continuo pronunciaret [4], irrationabiles motus malarum voluntatum posse puniri in his, qui naturam bonam et rationabilem et impassibilem participant? Et quemadmodum mala voluntas naturale bonum non contaminat, ita etiam tormentum ejus [5], malae voluntatis dico [6], naturale subjectum, cui accidit, et in quo continetur, non torquet. Ipsa siquidem natura, sicut libera est, penitusque absoluta ab omni peccato, ita universaliter libera et absoluta est ab omni poena peccati. Nam et secularium causarum judices, si tamen non libidine vindictae, verum correctionis gratia reos suppliciis dignos examinant, non naturam in eis, sed delictum torquéri appetunt. Quoniam vero delicta per se, naturali subjecto segregata, punire non possunt [7], propterea corpus simul cum delicto puniunt. Naturarum autem optimus conditor, piissimus provisor, justissimus delictorum in his, qui se spernunt aut [8] nesciunt, ultor, punit in natura, quam fecit, delictum, quod non fecit, liberans ex delicto, separansque, quod fecit, ineffabilique modo in eo, quod fecit, impunito punit, et ut verius dicam, puniri sinit,

A quod non fecit. Non enim peccata naturalia sunt, sed voluntaria. Etenim causa totius peccati est, sive in angelo, sive in homine, propria perversaque voluntas: ipsius autem perversae voluntatis causa in naturalibus motibus rationabilis et intellectualis creaturae non invenitur. Etenim bonum causa mali non potest esse [9]; incausalis itaque est, omnique naturali origine carens. Hinc illud mirabile et inexplanabile oritur, quomodo mala voluntas praevaricantium angelorum et hominum, dum sit incausalis, totius peccati totiusque poenae peccati causa efficax est. Et si quis dixerit, initium omnis peccati [10] esse superbiam, videat eam in natura rerum non subsistere. Neque enim essentia est, neque virtus, neque operatio, neque accidens ullum naturale; est autem
B intimae virtutis defectus, perversusque dominationis appetitus, sicut scriptum est: *Quid superbit terra et cinis, quoniam projecit intima sua in vita sua?* Et initium dicitur, non causa, quia prima progressio est et manatio primordialis peccati, in quo omnes peccaverunt. At si omnino nihil est, quis sapiens constituerit ipsam [11] inter causas, cum in nullo naturaliter subsistat? Punitur itaque irrationabilis motus perversae voluntatis in natura rationabili, ipsa videlicet natura ubique in seipsa, et in omnibus eam participantibus bona, salva, integra, illaesa, incontaminata, incorruptibilis, impassibilis, immutabilis [12] participatione summi boni permanente, ubique beata, gloriosissimaque [13] in electis, in quibus deificatur [14], optima in reprobis, quos continet, ne illorum sub-
C stantialis proprietas ad nihilum redigatur, hoc est, ne naturalium bonorum, quae ex conditione sua attraxerant, patiantur interitum; gaudet contemplatione veritatis in his, qui perfectam beatitudinem possident; gaudet administratione substantialitatis in his, qui suorum delictorum poenas solvunt; in omnibus tota, perfecta, suo similis Creatori, cunctis vitiorum sordibus, quibus in hac mortali carne veluti lepra quadam deformari et violari extrinsecus patitur, purgata, in pristinum conditionis suae statum restituta revertetur, redemptoris et susceptoris sui gratia revocata. Hinc datur intelligi, quod in natura rerum, post mundi hujus sensibilis consummationem, nulla malitia, nulla mors corruptionem inferens, nulla miseria fragilem in hac adhuc vita mate-
D riem inficiens relinquetur. Omnia quippe visibilia et invisibilia in suis causis quiescent; sola vero illicita voluntas malorum hominum et angelorum, sauciata pravorum sui [15] morum memoria conscientiaque in seipsa torquebitur, cum de his, quae in hac vita sibi optaverat, et futura sibi cogitaverat, nihil inveniat. *In illa enim [16] die peribunt omnes cogitationes eorum.* Cogitationes dixit perituras, non autem substantias. Sed quas cogitationes ait? Vanas pro-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *organa ejus.* [2] *exterior* om. CF. [3] CF *rite* philosophantium. [4] Sic C; A *pronuntiat*, F *pronuntiarit.* [5] *eius* om. A. [6] *dico* om. A. [7] A *possint.* [8] A *ac.* [9] A *esse non potest.* [10] A *omnis peccati initium.* [11] A *eam.* [12] Sic ACF; F rad. corr. *immutabili.* [13] Sic CF; A *gloriosissima.* [14] Sic CF; A *deificat.* [15] *sui* om. A. [16] *enim* om. A

fecto rerum sensibilium, quibus in hac vita insano A inhiant amore, phantasias, quas irrationabilibus obcaecatae per malitiam animae affectibus attrahunt. Quibus phantasiis ipsi, qui eas fingunt, simillimi erunt. Nullam quippe vere veri soliditatem invenient, sed veluti inanibus somniis torquebuntur [1]. Hinc Maximus decimo sexto de Ambiguis capitulo : *Qui divina*, inquit, *sapienter meditantur verba, perditionem et infernum et filios perditionis et similia appellant eos, qui, quod non est, sibimet secundum* [2] *mentis affectum subsistentiam faciunt, et sic phantasiis per omnia similes fiunt*. Quid dicam de sancto Augustino in duodecimo libro Exemeri sui, disputante de eo, quod animae adhuc in hac [3] carne mortali constitutae, non alibi nisi in phantasiis, aut quasdam inanes laetitias, aut quasdam inanes poenas patiantur, in futura vero vita, receptis corporibus, solida veritatis contemplatione justi gaudebunt, impii vero inanes rerum sensibilium imagines patientes flebunt, salva et impunibili in utrisque substantia. Duo namque genera passionum sunt : unum, quo deificati in conditoris sui purissimam cognitionem rapiuntur, alterum vero [4], quo impii in profundissimam veritatis ignorantiam merguntur. Et quid mirum, si impii, quod in hac vita adhuc in carne corruptibili detenti per somnia, et post eam phantastice patiuntur in inferno, spiritualibus corporibus suis [5] receptis, ac veluti gravissimo quodam somno evigilantes [6], expressius patiantur per supplicia, ita ut semper, sicut ait Augustinus, verae poenae eis sint, falsae vero imagines in non veris, vera tristitia, verus luctus pavorque, sera poenitentia, urens cogitationum flamma. E contrario autem justi patientur, quibus, receptis corporibus, deificatisque mentibus, verae beatitudines erunt in veris contemplationibus, verum gaudium, vera laetitia, quoniam omne, quod in hac vita per fidem accipiunt, in futuro per speciem considerabunt. Sed qualis ipsa species sit, unusquisque in seipso videbit experimento : *In domo* [7] enim, inquit Veritas, *Patris mei mansiones multae sunt*. Utrisque tamen erunt phantasiae veluti facies quaedam expressae, justis quidem divinarum contemplationum; nam non per seipsum, sed per quasdam suas apparitiones secundum altitudinem uniuscujusque sanctorum contemplationis videbitur Deus. Hae [8] quippe sunt nubes, de quibus ait Apostolus : *Rapiemur in nubibus obviam Christo*, nubes videlicet appellans divinarum phantasiarum diversas apparitiones secundum uniuscujusque deificati altitudinem theoriae. Impiis vero mortalium rerum semper erunt phantasiae ac diversae falsaeque species, secundum diversos malarum suarum cogitationum motus. Et quemadmodum deificati per innumerabiles divinae contemplationis gradus ascendent, sicut scriptum est : *Ibunt sancti* [9] *de virtute in virtutem*, in nubibus visionis rapti, *videbuntque Deum deorum in Sion*, hoc est, non per seipsum, sed in speculo [10] divinae phantasiae : ita a Deo elongati semper descendent [11] per diversos vitiorum suorum descensus in profundum ignorantiae, inque tenebras exteriores, in quibus *erit fletus et stridor dentium*. In utrisque tamen, justis dico et impiis, salva, et integra, et incontaminata, omnique contraria passione libera erit et semper erit humana natura : utrisque erit similis corporum spiritualitas ablata omni animalitate, similis incorruptibilitas subtracta omni corruptione, similis naturae gloria, quando auferetur omnis contumelia, similis essentia, similis aeternitas. Haec sunt in regeneratione B generalia naturaliaque bona totius humanitatis, omnibusque participantibus eam communia. Haec sunt *data de sursum a Patre luminum descendentia*, in omnes generaliter diffusa, quorum participatione nemo excluditur, nemo privatur, quoniam nemo sine his subsistit; nullius malis [12] meritis impediuntur, ne dentur; nullius bona merita praecedunt, quibus praestentur; omne meritum praeoccupant; sola divina bonitatis largiflua plenitudine omnibus per omnia universaliter inexhausta effusione manant; in nullo augentur; in nullo minuuntur; aequaliter omnibus insunt, et bonis et malis; a nullo retrahuntur; aeternaliter in omnibus et substantialiter permanebunt, omni corruptione contrariaque passione absoluta. Attamen sunt contrariarum C qualitatum, bonarum dico malarumque voluntatum, virtutis ignominiaeque capacia. Et bonae quidem voluntates atque virtutes ex natura et gratia eis adsunt, pravae vero voluntatis obnoxii [13] motus, qui vere proprieque superflua naturae dicuntur, ex nulla causa naturali seu supernaturali eis accidunt, ideoque extra se simul et intra se impassibiliter eos sustinent. Non enim ex natura, vel gratia provenit, quod per privationem nihil est, quoniam neque substantia est, neque naturale accidens, neque virtus [14] naturalis quadriformis, qua rationalis anima ornatur, prudentiam dico, temperantiam, fortitudinem, justitiam; neque harum bicornis fons, sophia [15] videlicet et [16] mansuetudo, quae ex caritate manant [17]; neque ulla virium, quae ab eis erumpunt, D de quibus nunc tractare longum videtur, propositoque alienum; neque supernaturalis excellentia ineffabilis deificationis ultra omnem creaturam, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendere* potest. Non enim inter omnia, sed super omnia comparatur; nec intra potestates naturae conditae includitur. Et ne mireris, quod dixi, humanam naturam contrariorum capacem esse, ex quibus nihil patitur, neque suae simplicitatis sere-

VARIAE LECTIONES.

[1] CF torquentur. [2] Sic CF; A sibimet *et* secundum. [3] *hac* om. A. [4] *vero* om. CF. [5] A *suis corporibus*. [6] CF *evigilantibus*. [7] C in *domu*. [8] A *Haec*. [9] Sic CF; A *iusti*. [10] CF in *specula*. [11] Sic CF; A *descendunt*. [12] Sic CF; A *mali*. [13] Sic CF; A *obnoxios*. [14] Sic CF; A *virtutis*. [15] Sic CF; A *caritas*. [16] Sic AC; F *ac*. [17] *quae ex caritate manant* om. A.

nitas perturbatur, accipe paradigmata. Aer iste [1], quo circumfundimur, et quo spirantia et respirantia per pulmones veluti per fabrinos folles ignem cordis semper sufflant, nulloque temporis momento sopiri eum natura sinit animalium, lucidas simul tetrasque fert nubes, illas quidem solaris radii receptivas, illas vero repulsivas; illae ex superioribus tenuitatem fulgidam, aethereae puritati propinquam, qua lucent, accipiunt; illae vero [2] ex inferioribus densitatem tenebrosam, terrenis sordibus similem, qua lucem respuunt, attrahunt: ipse autem aer in omnibus suae semper subtilitatis et serenitatis immobilem custodit qualitatem, nec in nubibus corporascit, nec cum perturbationibus, quas suffert, perturbatur; lucis capax et tenebrarum, dum sua natura neque luce augetur, neque tenebris minuitur, calorem recipit et frigus, dum substantia ipsius nihil calore neque frigore patitur. Corpulentia siquidem, quam ex terrenis aquaticisque [3] vaporibus accipit, calet in eo aut friget, in nubes conglobatur, vertitur atque movetur in ventos, densatur in pluvias imbresque, coagulatur in nives grandinesque, ceterasque species, quas ex praedictis vaporibus, quos Graeci ἀτμίδας vocant, nascentes simplex, at [4] spiritualis natura aëris, donec in terrena [5] humidaque pondera [6] graventur, sustinet; ipse vero, ut praediximus, puritatem suam et spiritualitatem incorruptibilem possidet, neque purior neque spiritualior in luce, quam in tenebris, neque subtilior, neque plus inferiora se corpora penetrat in serenitatibus, quam in perturbationibus suis. Hinc a philosophis Graecorum vocabulum sibi attributum est condignum. Aer enim dicitur, id est spiritus, ideoque simplex ac spirituale corpus a Physicis vocitatur, quod ab his, qui Olympi montis verticem ascendunt, indubitanter approbatur, quoniam illuc [7] nulla ἀτμίς, hoc est vaporatio, seu de terra seu de aqua, potest exaltari. Quod autem inferior pars ejus, aëris dico, vapores recipit ad mortalium animalium utilitatem, quae absque flatu aëreo vivere non valent, divina providentia administrante dispositum est. Si enim simplicitas illius absque ulla humiditate quadamque corpulentia interposita mortalium corporum pulmones inflaret, nequaquam ignea natura, quae cordibus inest, arderet, ac per hoc totum corpus frigesceret, caloris virtute desertum, per quam vitalis motus mortalia membra ministrat. Ut ergo subtilitas aëris adjunctis sibi vaporibus in pulmones intraret, fortioremque impetum faciens ignem cordis incenderet, propterea inferior pars aëris circa terras aquasque diffusa, humiditatis corpulentiaeque capax facta est, absque suae simplicissimae serenissimaeque naturae vel corruptione, vel detrimento, vel additamento, vel ulla mutatione, vel transmutatione. Propterea autem dixi, aëreum solum spiritum ad ignem cordis A incendendum, seu ad alia corpora sensu carentia nutrienda non sufficere absque ulla corpulentia intermixta, quoniam igneum aëreumque elementum per se sibi invicem junguntur, ita ut nullum motum sensibilem efficiant, prae nimia suae naturae subtilitate, quae semper quieta est, omnique perturbatione remota. Dum vero inferioribus se elementis, terrae dico et aquae, miscentur, in illorum corpulentiori qualitate vim suam exercent, motusque suos, quibus corpora sensibilia administrant, manifestos depromunt. Hoc autem paradigma propterea introduximus, ut incunctanter cognoscamus, humanam naturam in regeneratione ejus serenissimam esse futuram, dum in ea nil terrenum seu humidum seu ponderosum relinquetur, omnino in spiritum conversa; diver- B sarum tamen qualitatum capacem fore absque ulla restitutionis suae permutatione aut contraria sibi passione. Ut enim aer iste, ex quo similitudinem quandam humanitatis [8] accepimus, aethereos desuper splendores, deorsum vero concretas ex terra et aqua recipit fumigationes: ita humanitas, ad imaginem Dei facta, irrationabilibus autem suis motibus in amorem rerum sensibilium, inque corpora corruptibilia, quae eam aggravant, miserabiliter lapsa, dum tempore regenerationis in antiquum revocabitur statum, divinis radiis, in se et supra se splendentibus, in his qui deificabuntur fulgebit, temporalium vero [9] mortaliumque rerum, quibus in hac vita inficitur, phantasticam memoriam infra se et extra in his, qui omni beatitudine privabuntur, C sustinebit, non ut ipsa in seipsa poenas luat, sed ut illa, quae contra voluntatem Creatoris sui attraxerat, extra ipsam damnentur, penitusque pereant, malitiam dico, et impietatem, ceteraque nequitiae membra, quae ex operibus carnis, hoc est, carnaliter animae viventis, merito originalis peccati occasionem sumpserunt; quae dum per se quaeruntur, nihil sunt, quoniam in numero eorum, quae a conditore omnium substituta sunt, non sunt. Ex irrationabilium quippe animalium similitudine rationabili naturae subrepsere, ideoque in ea omnino damnabuntur, ne ei perpetuo noceant, quamvis in propriis impiorum voluntatibus recordationes eorum, quibus torquebuntur, permansuras esse non sit negandum. Aliud est enim, omnem malitiam generaliter in omni humana natura D penitus aboleri, aliud phantasias ejus, malitiae dico, in propria conscientia eorum, quos in hac vita vitiaverat, semper servari, eoque modo semper puniri: quemadmodum aliud est, eandem humanam naturam in suam gratiam, quam peccando perdiderat, divinae videlicet imaginis dignitatem restitui, aliud uniuscujusque electorum propriam in bonis meritis conscientiam, qua in hac vita Deo suo in omnibus servierunt, super omnem humanitatis virtutem deificari, eoque modo semper ac beate vivere, et super omnia,

VARIAE LECTIONES.

[1] A *aeris de*. [2] *vero* om. CF. [3] A *et aquaticis*. [4] A *et*. [5] Sic CF; A *interna*. [6] Sic CF; A *pondere*. [7] Sic CF; A *illic*. [8] CF *humanitati*. [9] A *autem*.

quae sunt, exaltari. Ibi enim erunt, ubi est ille, quem in hac vita dilexerunt, et semper eum videre appetiverunt.

32. Hinc [1] occurrit quintuplex rationalis creaturae theoria. Prima enim speculatio ipsius est in generali illa et communi substantialique virtute, qua omnes homines simul et semel in prima ejus conditione eam participant, sive boni sint sive mali. Secunda in processionibus ipsius in hanc vitam mortalem per singulorum hominum ex corporibus generationem. Tertia in reditu ipsius generaliter per seipsam in angelicum statum, quem deseruit in hunc mundum sensibilem cadens. Quarta in his, qui eam participant, et in hac mortali carne viventes, seipsos communemque suam naturam, ac super omnia Creatorem omnium quaerentes, merito suae propriae ac bonae voluntatis, gratia duce [2], ad communem suae naturae integritatem redire adepti sunt, ac deinde dono divinae gratiae super omnia, post se relinquentes omnia, in ipsum Deum transferentur [3]. Quinta speculatio est eorum, qui universaliter insita naturae [4] bona, quae omnibus, nemine excepto, divina largitate praestantur et praestabuntur, possidebunt: ad summa tamen dona [5] divinae gratiae, quae solis justis reposita ac praeparata sunt, pervenire non poterunt, quoniam in hac vita Deo servire noluerunt, temporalium rerum amore detenti; quo videlicet amore in alia vita, sive in solis animabus sive receptis corporibus, velut inextinguibili flamma ardebunt, dum illic non invenient ea, quibus hic intemperanter inhiabant, sed eorum vanas falsasque phantasias videbunt, quas cum veluti veras res comprehendere voluerint, umbrarum instar evanescent [6], quoniam naturali subsistentia non fulciuntur. Erunt enim, sicut scriptum est: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Ipsae erunt cogitationes, de quibus Psalmista ait, quod etiam paulo superius introduximus: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Ac si diceret, omnes cogitationes, quas in hac vita de rebus terrenis temporalibusque animabus, suis carnalibus [7] desideriis dediti infixerant, in illa die, hoc est, in apparitione veritatis peribunt, quando de his, quae viventes in carne cogitaverant, resurrecturi in spiritu nihil invenient. Quid enim perfidus Judaeus, arrogans Ismaelita, exorbatus impietate paganus de falsa felicitate, quam sibi vana opinio in futura vita promittit, inventuri sunt? Aut quanta tristitia, quantus dolor, qualis flamma perpetuae egestatis eos torquebit, quando nihil terrenarum cupiditatum mortaliumque deliciarum, quas spe vana imbiberant, reperturi, nihilque eis remanebit praeter vacuam incomprehensibilemque rerum, quas sibi futuras esse crediderant, umbram fugitivam? Quam semper comprehendere volentes et non valentes [8], quoniam nihil est, poenas luent aeternas, ut non

A dicam de his, qui fidem catholicam profitentur, carnalia tamen sibi et localia et temporalia et sensibilia bona futura esse existimant, similiter etiam de suppliciis infernalibus arbitrantur. Ubi datur intelligi, quod nihil in natura rerum poenas patietur, praeter vanas impiarum animarum cogitationes in semetipsis extra omnem naturam, quoniam in numero naturarum non sunt; ex mala enim voluntate terrenisque desideriis occasionem acceperunt. Ut enim, quod saepe diximus, ultra omnes naturales virtutes justorum beatitudo per conditoris gratiam exaltabitur, ita infra omnem naturam impiorum supplicium [9] per ejusdem conditoris justitiam deprimetur. Quid enim inferius est, extraque omnem naturam demersius vanitate vanitatum falsisque imaginationibus

B rerum, quae semper peribunt? Hinc illud mirabile et inexplanabile nascitur. Attamen vera ratione, divinaeque Scripturae auctoritate ita fieri et non aliter probatur, quomodo [10] ultra omnia naturalia bona beatificantur justi, ac veluti ex contraria parte infra eadem naturalia bona puniuntur impii, et quomodo natura illa, quam et boni participant et mali, veluti [11] medietas quaedam constituitur, ita ut neque beatitudine bonorum augeatur, neque infelicitate malorum minuatur, suis solummodo naturalibus bonis subnixa contentaque, omnium substantias continens, omnia sua omnibus participantibus se ministrans [12]. Siquidem inde est generalis omnium forma, qui eam participant; inde singulorum specialissima species, pluralitatisque infinitus numerus;

C inde numeri incrementorum corporalium per loca et tempora. Tempora nunc dico spatia, quibus corpus humanum ad perfectum sui incrementum pervenit, loca vero sedes singulorum corporis membrorum. Inde [13] naturalia accidentia corporum animarumque procedunt. Et quid dicam? Ita illa humanitas omnium generalis a conditore suo intra duas sibi invicem oppositas extremitates, inter felicitatem dico electorum et infelicitatem reproborum librata est, ut in his, qui boni sunt, quandam ineffabilem pulchritudinem ultra suas virtutes gratia largiente de sursum accipiat, in his autem, qui mali sunt, nullam turpitudinem deorsum justitia prohibente [14] in seipsam attrahat. In ipsa siquidem nullius turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Suus conditor

D omne, quod in ea fecit, exornat, et nullo modo punit; omne autem, quod in ea non fecit, in ea sustinet et sinit, et impunitum fieri non permittit. Sed illa poena dupliciter intelligitur: aut enim delicta in his, qui ad principium suum revertuntur, per indulgentiam puniuntur; aut in his, qui a principio suo semper fugiunt, perpetuo torquentur.

33. Si autem a me quaeris, qua ratione ea, quae a Deo facta non sunt, intra ea, quae ab eo facta sunt, continentur [15], aut quomodo ea, quae extra

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic C F; A *Hic.* [2] *gratia duce* om. A. [3] Sic CF; A *transferentes.* [4] A *naturae insita.* [5] CF *bona.* [6] A *evanescunt.* [7] Sic CF; A suis *et* carnalibus. [8] *et non valentes* om. A. [9] A *suppliciorum.* [10] Sic CF; A *quoniam.* [11] *veluti* om. A. [12] Sic CF; A *ministrandae bonis naturalibus* (*bonis naturalibus* om. CF.) [13] Sic CF; A *unde.* [14] CF *exhibente.* [15] CF *sustinentur.*

humanam naturam computantur, intra eam puniri possunt, primo tibi respondebo juxta simplicitatem catholicae fidei : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* et quoniam *investigabiles sunt* [1] *viae illius in omni tempore.* Aut [2] quomodo in operibus ejus et providentia et bonitate et justitia ratio quaeritur, qui omnem rationem superat et intellectum, et super omne, quod dicitur et intelligitur, exaltatur? Et [3] si de talibus rationem exigis, exige similiter, qua ratione omnia de nihilo facta sunt, qua ratione mundus iste solvetur, et in causas suas revertetur, qua [4] ratione mortalia nostra corpora non solum in spiritualia, verum etiam in animas nostras, ut Gregorio placet [5], transibunt, qua ratione nos, qui in hac vita veluti [6] ex tribus satis similae, corpore scilicet [7] et anima et spiritu, compositi sumus, in futuro veluti in unam quandam massam simplicem fermentabimur in inseparabilem spiritualitatem, ut Ambrosio placet [8]; qua ratione homines mortales per naturam, omne enim, quod a seipso non accepit esse, mortale dicitur, in immortalem Deum mutabuntur per gratiam? Ac ne longius praesenti negotio transitum facere videamur, si quaeris a me, qua ratione, quod non est secundum naturam, sed extra naturam, expellitur intra naturam [9] et sustinetur et punitur, ipsa natura impunita permanente, omnibusque contrariis passionibus illaesa, quaeram a te, qua ratione ea, quae virtutes [10] naturae excellunt, qui intra terminos naturae continentur, possidebunt, hoc est, qua ratione sancti et naturae suae fines non excedent, et ea, quae ultra naturam sunt, dona videlicet gratiae suscipient? At si in his omnibus non solum humana, verum etiam angelica deficit ratio [11] et intelligentia, patiens esto, divinaeque [12] virtuti incomprehensibili locum da, eamque silentio honorifica, quoniam, dum ad eam pervenitur, omnis ratio deficit et intellectus, et inter cetera, quae omnem rationem et intellectum exsuperant [13], humiliter concede posse fieri divina providentia administrante ea, quae et extra et contra naturam sunt, virtute naturae sustineri et intra eam puniri, ipsa semper in seipsa incolumi omnino [14] perseverante. At si dixeris, haec omnia divinae virtutis inscrutabilia miracula, quamvis omni creaturae rationabili et intelligibili cognoscere impossibile est [15], cur omnia, quae facta sunt, et [16] quomodo facta sunt, non tamen in omnibus cognitionem fugiunt [17], ut de eis nulla reddatur ratio, cur facta sunt. Propterea siquidem, inquis, omnia de nihilo facta sunt, ut divinae bonitatis amplitudo et largitas per ea, quae fecit, et ostenderetur et laudaretur. Nonne hoc docet psalmus iste prophetico spiritu cantatus, in quo omnis creatura invisibilis et visibilis Creatorem **A** omnium laudare jubetur : *Laudate Dominum de caelis* et cetera? In cujus fine mirabili Theologiae contuitu apertissime datur intelligi, quod omnia in spiritualem naturam reversura sunt. Ita enim concluditur : *Omnis spiritus laudet Dominum.* Si enim sola intra semetipsam divina bonitas quieta absque ulla operatione perseveraret, non fortassis laudis suae occasionem faceret; jam vero in omnia visibilia et invisibilia seipsam diffundens, et in omnibus omnia existens, rationabilem intellectualemque creaturam ad seipsam cognoscendam convertens, ceterarum vero rerum pulchras et innumerabiles species rationabili et intellectuali creaturae in materiem suae laudis praestans, ita omnia fecit, ut nulla creatura sit, quae non aut per seipsam et in seipsa, aut per **B** aliud summum bonum non laudet. Alia ratio est, qua omnia de nihilo facta sunt. Summum bonum, quod a seipso et in seipso subsistens bonum est, non debuit abstinere a conditione bonorum, quae nec a semetipsis, nec in semetipsis, sed ab ipso et in ipso bona sunt. Ac per hoc ex non existentibus existentia creavit, ne veluti invidiae reprehenderetur, retrahens se a substitutione eorum, quae potuit substituere. Alioquin neque Dominus esset, neque conditor naturarum, neque suorum bonorum copiosissimus et in nullo deficiens largitor, neque justissimus meritorum judex, neque omnium provisor, si nihil crearet.

34. Cur autem mundus iste solvetur, inque suas causas revertetur, talis ratio redditur. Omnia, quae ex causa omnium procedunt, et [18] ex primordialibus **C** causis in ea constitutis naturali motu suum principium semper appetunt, extra quod quiescere nequeunt. Alia ratio : Omnia, quae ex fonte omnium manant, vilescerent, imo etiam penitus perirent, si ad fontem suum redire neque possent neque redirent. At si visibilium reditus in suas invisibiles causas prohiberetur, valde naturali omnium desiderio non solum contrarium, verum etiam fieret nocivum. Mortalia vero corpora nostra [19] non solum in spiritualia, verum etiam in animas nostras propterea transibunt, quoniam naturalis necessitas cogit, ut, quemadmodum anima rationalis ad imaginem Dei facta in eum, cujus imago est et similitudo, revertetur, ita et corpus, quod ad imaginem animae, ac veluti imago imaginis est factum, in suam causam, **D** quae est anima, ac per eam veluti medietatem quandam in ipsum Deum, qui est unica omnium causa, vertatur, omni terreno pondere et corporalitate absolutum. Cujus rei paradigmata *manifestissima* [20] promuntur. Videmus enim humorem in fumum, et fumum in flammam, ac per hoc humorem in flammam, flammam vero in igneum transire elementum. Physici etiam perhibent, solarem radium de mari,

VARIAE LECTIONES.

[1] A *sint.* [2] Sic F; C *et*; *Aut* om. A. [3] Sic CF; A *At.* [4] A *et* qua. [5] *ut Gregorio placet* om. A. [6] *veluti* om. A. [7] *scilicet* om. A. [8] *ut Ambrosio placet* om. A. [9] Sic C F; A *in natura.* [10] Sic CF; A *virtute.* [11] A *ratio deficit.* [12] A *et divinae.* [13] A *superant.* [14] *omnino* om. A. [15] A *esse.* [16] *cur omnia — et* om. C F. [17] Sic C F; A *supra* cognitionem *fiunt.* [18] Sic AF; C *et.* [19] A *nostra corpora.* [20] Sic CF; A *manifesta.*

deque fluminibus, omnibusque aquarum collectionibus madoribusque terrenis in seipsum attrahere, inque suam naturam veluti quaedam alimenta consumere.

35. De eo autem, quod nos, qui in hac vita compositi sumus, in simplicem quandam unitatem adunabimur, talis ratio est. Oportebat siquidem imaginem unius ac summae Trinitatis, quae in seipsa inseparabilis et simplex et incomposita est, in unitatem et inseparabilem simplicitatem redigi; alioquin dignitatis amplitudinem perderet, et pulchritudinem deformaret, quod fieri divina clementia non sinit. Non enim principale exemplum imaginem sibi similem a seipso et secundum seipsum factam, elongari semper a se quadam deformitate et dissimilitudine aut aliqua compositione, sua simplicitate remota, permittit. Eadem ratio est de reditu mortalium hominum, qualicunque modo mortales dicantur, seu quia nec a seipsis nec in semetipsis subsistunt, seu quia poena originalis peccati mortalitate absorpti sunt in Deum suum, qui solus immortalis est. Non enim conveniret immortalis Creatoris bonitati, imaginem suam aeterna morte detineri. Nam quod eam merito perversae suae [1] voluntatis, qua sibi obedire noluerat, mortalem fieri morique permiserat, plus misericordiae suae [2] quam vindictae manifestat. Siquidem corrigere eam, correctamque ad seipsam revocare, non autem incorrectam, semperque expulsam et in infinitum elongatam [3] voluit. Si itaque de talibus non, quomodo facta sunt, sed qua ratione facta sunt, conaris astruere; unum quippe omnem superat intellectum, alterum quodammodo theoreticis speculationibus comprehensibile [4] non denegatur, ut nulla de eo reddi possit ratio : et ego nonnullam rationem de praesenti quaestione conabor reddere. Videtur enim mihi propterea totius universitatis conditae Creatorem et ordinatorem irrationabiles motus perversae malorum et hominum et angelorum voluntatis intra eam puniri sivisse, ipsa videlicet universitate omnibus contrariis passionibus absoluta omninoque libera semper subsistente, *ut ex collatione*, sicut ait sanctus Augustinus, *perversae voluntatis impiorum laudaretur et exaltaretur rata voluntas justorum. Etenim*, ut ipse ait, *nigrum colorem inter ceteros colores ars picturae interserit, ut ex comparatione ipsius, dum obscurus cernitur, aliorum colorum claritas probetur.* Nam quod deforme per seipsum in parte aliqua universitatis existimatur, in toto non solum pulchrum, quoniam pulchre ordinatum est, verum etiam generalis pulchritudinis causa efficitur : et est sapientia ex collatione insipientiae, scientia ex collatione ignorantiae, quae est [5] per defectum et privationem, vita ex comparatione mortis per defectum, lux ex oppositione tenebrarum per privationem laudibus digna [6]; et, ut breviter dicam, omnes virtutes ex oppositis sibi vitiis non solum laudem comparant, verum etiam sine illorum comparatione laudem non adquirerent. Eadem ratione beatitudo justorum gloriam sibi [7] invenit ex suppliciis impiorum, gaudiumque bonae voluntatis ex tristitia perversae; et ut vera ratio pronunciare non trepidat, omnia, quae in partibus universitatis mala, inhonesta, turpia, misera, suppliciaque ab his, qui simul omnia considerare non possunt, judicantur, in contemplatione universitatis, veluti totius cujusdam picturae pulchritudinis, neque supplicia sunt, neque misera, neque turpia, neque inhonesta, neque mala sunt. Quicquid enim divinae providentiae administrationibus ordinatur, bonum et pulchrum et justum est. Quid enim melius est, quam ut ex oppositorum comparatione et universitatis et conditoris omnium laus ineffabilis comparetur? Quid justius, quam ut bene meriti sublimissimum rerum ordinem, male vero meriti infimum obtineant? Quid honestius, quam ut ex propriis singulorum habitudinibus universitas rerum omnium ornetur? Nemo itaque recte philosophantium existimat, ullam malitiam malumve, ullam impietatem impiumve, ullam miseriam miserumve, ullam poenam punitumve, ullum supplicium suppliciove obnoxium, ullam turpitudinem turpeve, ullam inhonestatem inhonestumve, in bona, et optima, et religiosissima, et felicissima, et impunibili, et beatissima, et pulcherrima, et honestissima harmonia totius universitatis conditae [8], et ab eo, qui summa honestas est, summa pulchritudo, summa beatitudo, summa quies, summa felicitas, summae religionis, summum bonum [9], ordinatae, posse esse [10]. Aliud est enim [11] considerare singulas universitatis partes, aliud totum. Hinc conficitur, ut, quod in parte contrarium esse putatur, in toto non solum non contrarium, verum etiam pulchritudinis augmentum [12] reperitur. Infernus itaque cum a Graecis ἄδης, hoc est tristitia vel deliciarum privatio, dum per seipsum consideratur, malum malis cognoscitur; dum vero in universitatis pulcherrima ordinatione constituitur, bonum bonis efficitur, quoniam non solum justissimi judicis severitas, aeternaque [13] sententia in eo manifestatur, verum etiam beatorum hominum et angelorum laus felicitatis acquiritur, et pulchritudo cumulatur. Quare itaque intra terminos naturae fieri non sineretur, unde laus ejus et [14] adquiritur et pulchritudo augetur? Cur autem diversa impiorum supplicia inferni vocabulo Latini solent significare, ex opinione vulgi, ut sanctus Augustinus in duodecimo libro Exemeri sui explanat, tractatum est. Antiqui enim spes suas fabulis animasque sepulcris dantes, quemadmodum cadavera corporum obruta sepulcris, ita etiam animas cum ipsis cadaveribus detentas in

VARIAE LECTIONES.

[1] *suae* om. A. [2] *suae* om. A. [3] *elongatam* om. A. [4] A comprehensibile *esse*. [5] *est* om. A. [6] *vita ex comparatione* — *digna* om. A. [7] *sibi* om. CF. [8] Sic CF; A *honestissima totius universitatis conditae ordinatione.* [9] Sic CF; A *summum bonum summae religionis.* [10] *posse esse* om. A. [11] A *enim est.* [12] A *argumentum.* [13] A *aeterna namque.* [14] *et* om. CF.

iisdem sepulcrorum cavernis putabant. Hinc infernum quasi infra terram positum vocabant. Inde falsa crevit opinio, animas videlicet locales esse sub terra. Graeci autem solito more res acutius considerantes expressiusque significantes, ἅδην, ut diximus, hoc est tristitiam appellaverunt infernum. Naturam siquidem rerum visibilium et invisibilium diligenter rimantes, locum suppliciis invenire non potuerunt, nisi in libidinosae voluntatis malorum hominum et angelorum egestate, rerumque, quas intemperanter amaverant, defectu et privatione, ex quibus tristitia nascitur, in [1] qua rationabilium animarum irrationabiles appetitus sive in hac vita sive in futura torquentur, egestate quidem non valentes invenire, quod sibi optant fieri, defectu vero et privatione, dum quod illicito perniciosoque amore possidere putaverant, omnino ab eis aufertur, diutiusque eo abuti non sinuntur. Et hoc est totum, quod dicitur malarum cogitationum irrationabiliumque cupiditatum poena atque supplicium, dolor videlicet atque tristitia, quibus duobus impiorum conscientia intra semetipsam punitur; quae duo propterea mala non sunt, quoniam justissima divinae providentiae administratione his, quos torquent, accidunt, et quoniam, quod ubique in omnibus malum non est, malum dici non potest. Est autem tristitia bona in his, qui sua lugent delicta, sicut ait Dominus in Evangelio : *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* Similiter bonus dolor in his, quibus tardum morosumque videtur, donec ad promissam sibi beatitudinem perveniant. Quo dolore Apostolus laborabat, dicens : *Cupio* [2] *dissolvi et esse cum Christo.* Quid dicam de doloribus eorum, qui Christi [3] martyres facti sunt [4]? Tristitia autem dolorque impiarum cupiditatum, sive in hac vita sive in altera, propterea mala non sunt, quoniam mala desideria puniunt : urit enim tristitia, quae nascitur ex egestate rerum temporalium, veluti quaedam inextinguibilis flamma imperfectos appetitus; mordet veluti vermis non moriens, dolor, qui putredine libidinosae concupiscentiae nascitur, dum quod concupiscitur, aufertur. Est et alia ratio, quae tristitiam et dolorem impiorum mala non esse perhibet. Sunt enim veluti quaedam materia copiosissimae laudis, aeterni gaudii, aeternaeque salutis, quibus, qui in Deum transeunt, fruuntur. Repertum est itaque, ut arbitror, illud tertium quod quaerebas, ceterisque duobus praeferebas, hoc est, posse puniri, quod in natura rerum nec secundum substantiam, nec secundum naturale accidens, nec omnino a Deo factum est, in aliquo subjecto naturali et substantiali et [5] a Deo facto, quod per seipsum neque punitur, neque in se punito compatitur. Et hac ratione recte intelligitur, quod verissime creditur, Deum videlicet in nulla natura a se condita punire quod fecit; quod autem non fecit, punit. Disc. Repertum sane; quamvis adhuc non omni caligine remotum. Non enim jam clare perspicio, et absque ulla nebula luculenter, quomodo potest puniri quod non est, et, quod est, puniri non potest. Facilius namque crediderim posse puniri quod est, quam quod non est. Mag. Ecce iterum quasi obliviscens praeteritarum rationum videris, et quem putaveram ex praesentis negotii profundo emersum et absolutum, denuo demersum atque detentum te esse vereor. Disc. Non adeo te oportet vereri. Siquidem de talibus, quae inter nos conveniunt, quaedam mentis acumine, veluti aethereum lumen, purissime penetro, quaedam vero caliginose ac veluti aëra intercisas [6] ruptas nubeculas conspicor. Ideoque non me pudet, nec piget repetere, ut lucidius aspiciam, quae adhuc mentis meae obtutibus non omnino patefacta sunt. Mag. Age igitur, dic, num omnia, quae sunt, ab eo solo, qui vere est, et totius essentiae superessentialis causa, ex non existentibus in existentia deducta sunt, et utrum quiddam in natura rerum est, quod ab eo substitutum non est [7]? Disc. Cur me interrogas de eo, quod omnibus recte philosophantibus notissimum est, et incunctanter definitum? Ab uno enim omnia, et nihil est, quod ab eo non sit. Mag. Putasne itaque, omne, quod ab ipso est, posse corrumpi? Disc. Nec hoc dixerim. Omne enim, quod in essentiam duxit, non, ut esset, tantummodo duxit, sed ut semper esset, quoniam semper causaliter in eo erat. Omne autem, quod semper est, aeternum est; et omne [8] aeternum verum : omne autem verum nulla vi potest corrumpi. Nullum igitur ab uno omnium principio factum recipit sui corruptionem. Quid enim illud corrumpere posset? Non enim verum, neque verisimile est, ut a Creatore corrumpatur, quod, ut semper esset, ab eo constitutum est. Et si aliqua natura creata melior illo est, inferiorem se naturam corrumpere impossibile est, quoniam bonum nullius boni corruptionis causa fieri potest [9]; sin autem inferior se creatura est [10], difficilius est, inferius corrumpere quod superius est. At si aequale sibi bonum est, nullum bonum aequale sibi bonum corrumpere appetit, dum ejusdem virtutis sint et operationis et essentiae. Relinquitur ergo, nullam naturam alteram naturam [11] corrumpere vel [12] velle vel posse. Est et alia ratio, quae indubitanter asserit, nullum [13] eorum, quae ab uno Deo conditore omnium sunt, corruptionem nec recipere vel [14] corrumpi posse. Si enim corrumpi inchoaret, corruptionis ejus finis sequeretur. Omne siquidem, quod inchoat pati, passionis suae *duplicem* finem expectat. Aut enim penitus, ut non sit, sua corruptione consummabitur, suaque *corruptio* secum extinguetur, consumpto quippe corruptibili corruptionem ejus perire necesse est, *quando* non invenit, quod corrumpat : aut ad talem finem cor-

VARIAE LECTIONES.

[1] *in* om. A. [2] ACF *Utinam* dissolvi; sed F. supra adscr. *Cupio.* [3] A *pro Christo.* [4] A *fiunt.* [5] *et* om. A. [6] Sic CF; A *aëre intervisas.* [7] CF substitum non *sit.* [8] A *omne autem* aeternum. [9] CF *potest fieri.* [10] Sic CF; A *sit.* [11] *naturam* om. A. [12] *vel* om. A. [13] Sic CF; A *ullum.* [14] Sic CF; A *nec*

ruptio perveniet, ut in eo, quod corrumpit, aliquid incorruptibile remaneat, quod corrumpi non potest, eoque reperto ipsa corruptio necessario deficit; corruptio quippe, quando nihil corrumpit, in seipsa extinguitur. Sed haec duo vera refutat ratio. Nulla enim natura potest corrumpi, ut penitus non sit, et ad nihilum redigatur. Ad hoc quippe creata est, ut semper subsistat. At si inchoaret corrumpi, et ad talem finem perduceretur, ut penitus sua corruptione interimeretur, profecto ad nihilum redigeretur. Quod virtus essentiae a summo bono conditae penitus excludit. Nulla itaque natura corrumpi inchoat, neque finem interemptionis suae expectat. Si autem quippiam a Deo factum incipit corrumpi, et tamen in eo relinquitur quod corrumpi impossibile est, nullamque corruptionem recepit, B profecto ipsum est, quod solum et totum a Deo incorruptibile factum est, quod corruptionem non recipit, ac per hoc nusquam nunquam corrumpi inchoavit. Nullum itaque eorum, quae a summo bono [1] condita sunt, corruptionem vel corrumpendi possibilitatem recipit. MAG. Video te resipiscere, ac de his, quae tibi caliginosa visa sunt, claram indubitabilemque rationem reddere. Hac itaque de incorruptibilitate rerum a Deo conditarum definita sententia considera, num omne, quod corrumpi non potest, potest puniri. DISC. Qua ratione id fieri possit [2], non intueor. Videtur enim mihi omne, quod corrumpi non potest, puniri non posse, sicut omne corruptibile punibile arbitror esse. Corruptionem siquidem quandam poenam fieri quis negarit? Nam C dum corpora nostra mortalia ipsum dolorem, qui repentina sanitatis corruptio definitur, patiuntur, ea puniri sentimus. Animas quoque adhuc in eis detentas eisque compatientes quodammodo puniri nullus ambigit, cum ratio doceat, simplicem animae naturam neque corrumpi, neque puniri, neque passionibus corporeis infici; compati tamen dicitur, dum congenito sibi corpore et compaginato auxilium praestare laborat, ne destruatur. Semper enim appetit corpus sibi superadditum in unum [3] colligere, in unoque, ne fluat et corrumpatur, continere. MAG. Anima itaque ad imaginem Dei facta, sicut nunquam corrumpitur per seipsam, ita nunquam punitur. DISC. Non aliter praefata docet ratio. Si enim nulla spiritualis substantia per seipsam puniri potest, D quanto magis illa, quae ad imaginem Dei facta est. MAG. Quid ergo dicemus de corpore? Numquid quoniam corrumpitur, punitur? DISC. Puniri non dicimus, nisi quod suam poenam sentit, ideoque si solus animae sensus est, quod ex mortuis cadaveribus datur intelligi, corrumpitur solummodo corpus, non autem punitur. Nam et corpora rerum omni sensu carentium, ut sunt ligna et lapides, herbarumque germina, corrumpi dicimus, non autem puniri. Sed si sensus exterior non solum ad animam, verum

A etiam ad corpus pertineat, non magnopere negandum, corpus mortale et animale et corrumpi et puniri posse. MAG. Corpora igitur mortalia, si sensus sint capacia, corrumpi et puniri, sin vero sensu carentia, corrumpi solummodo videntur posse, non autem puniri [4]. DISC. Ita existimo. MAG. Omnia itaque corpora mortalia, sive solummodo corrumpantur, sive simul et corrumpantur et puniantur, a Deo facta non sunt. Praedictis siquidem rationibus confectum est, omne, quod a summo bono factum est, nullam corruptionem, ac [5] per hoc nullam poenam recipere. DISC. Mundum istum visibilem sensibilibus corporibus maxime subsistentem a Deo factum esse, quis nisi insipiens negare praesumat? MAG. Quomodo ergo illius corpora corrumpuntur B vel puniuntur? DISC. Duobus modis corruptionem dicimus. Quorum unus quidem ille, qui generalium elementorum coitum per visibiles species in generationem procedere docet, et iterum specialium corporum resolutionem, in catholica elementa ex quibus compacta sunt reditum; alter, quo nullius creaturae essentiam et virtutem et operationem posse vitiari affirmantes, rationabilis intellectualisque creaturae voluntates irrationabilibus motibus corrumpi approbamus. Et primus quidem modus temporalium localiumque rerum et sensibilium plus videtur docere in se invicem transfusionem et transmutationem, quam corruptionem, quoniam omne, quod divina providentia ordinatum est, pulchritudinem infert universitati, non corru- C ptionem. In his enim omnibus et naturalis [6] substantiarum integritas, et qualitatum naturalium mutabilitas custoditur; quibus duobus sensibilis creaturae plenitudo componitur, ac per hoc abusive temporalium rerum varietas per incrementa et resolutiones incrementorum corruptionis nomine appellatur. In hac forma locutionis intelligitur Apostolus dixisse, de fragilitate humani corporis disputans: *Corruptibile hoc induetur incorruptionem, et mortale immortalitatem.* Et alibi: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Quibus verbis non solum humani corporis adhuc fragilis atque mortalis solutionem in elementa simplicia, quorum qualitatibus in se [7] invicem convenientibus componitur, D verum etiam ex ipsis iterum revocationem, inque spirituales incorruptibilesque qualitates reditum significat, terreni corporis mutabilitatem corruptionis vocabulo appellans. Non enim propterea ista sensibilia et temporalia spernuntur ab his, qui spiritualia desiderant et aeterna, quasi mala sint, sed quia instabilia et mutabilia sunt, finemque transmutationis suae in melius expectant, et in comparatione stabilium immutabiliumque nullum transmutationis suae finem in melius expectantium veluti contemptibilia penitusque deserenda et postponenda judican-

VARIAE LECTIONES

[1] *bono* om. A. [2] A *potest.* [3] Sic CF; A in *hoc* colligere. [4] *non autem puniri* om. A. [5] A *et.* [6] Sic CF; A *naturalium.* [7] *in se* om. A.

tur. Secundus vero modus non in rerum mutabilium transfusionibus intra naturam versatur, sed in propriarum voluntatum perturbationibus, quae extra naturam sunt, quoniam, quae ex Deo non subsistunt, corruptiones, quae vere dicendae sunt perversae voluntatis vitia, considerat. Proinde hujus mundi corpora non corrumpi, sed in seipsa naturali motu ac varietate transfundi existimanda sunt, ac per hoc neque puniri. Naturales siquidem passiones poenarum vocabulo juxta rerum proprietatem [1] nullo modo appellandae sunt. Et si quis dixerit, sensibilium corporum in semetipsis transfusiones per generationem et solutionem propter peccatum humanae naturae fieri, ac per hoc veraciter corruptiones posse vocari, videat totius visibilis creaturae ordinem et pulchritudinem non nisi in vicissitudinibus rerum per loca et tempora constare, illasque vicissitudines ac varietates non aliunde nisi divina providentia et administratione causas ducere, et plus ad humanae naturae eruditionem, et ad Creatorem suum revocationem factas fuisse, quam ad peccati ultionem. Eo enim modo spiritualis medicinae imaginem suam Deus voluit et in seipsam et ad seipsum [2] revocare, ut rerum mutabilium taedio fatigata et exercitata, immutabilium aeternorumque stabilitatem contemplari desideraret, ardenterque verorum incommutabiles species appeteret, in quarum absque ulla varietate pulchritudine quiesceret. Hinc conficitur, quod etiam in superioribus praesentis disputationis plurimis locis est conclusum atque definitum, nullam aliam sedem corruptionibus poenisque posse reperiri, praeter rationabilis et intellectualis creaturae perversos illicitosque propriae voluntatis motus, qui nec ex Deo, nec ex natura condita occasiones accipiunt, incausales enim sunt, quoniam per seipsos dum quaeruntur, nihil aliud in eis invenitur praeter licitae et naturalis voluntatis privationem atque defectum. Mag. Omne itaque, quod corrumpi non potest [3], puniri posse ratio non sinit; omne autem, quod ex una omnium causa factum est, incorruptibile esse necesse est. Omne igitur, quod ex una omnium causa factum est, poenas pati impossibile est. Porro si impiorum supplicia futura esse divina testatur auctoritas, quae nullo modo fallit vel fallitur, sequitur, ut in aliquo, quod ex Deo factum est, ideoque [4] non abusive dicitur esse, et probabiliter concluditur impassibile, corruptiones poenasque atque supplicia constituas, et ad id, de quo haesitare videbaris, intrepidus redeas, et incunctanter dicas, solummodo posse puniri, quod non est, in eo, quod est, hoc est perversam voluntatem, quae penitus substantialis non est, in phantasiis rerum sensibilium, quae videlicet [5] phantasiae, quoniam de naturalibus formis in memoria exprimuntur, non omnino non esse intelligendae sunt; quod autem est, omnino impunibile [6] esse necesse est, dum virtute sua, quod punitur, sustineat et puniri sinat. Ac per hoc verissime de divina praedicatur justitia, quod in nulla creatura, quam fecit, puniri permittit, quod fecit; punit autem quod non fecit. Disc. Satis et copiose de hoc negotio est actum. Mag. Satis plane, si purissime ac sine ulla cunctatione perspicis ita esse, et non aliter. Disc. Clare perspicio, omnique caligine remota intelligo, universitatem creaturae a Deo conditae impunibilem esse, omnique corruptione absolutam. Mag. Redeamus ergo ad propositum, hoc est, ad reditum universitatis conditae in suas causas.

36. Disc. Prius considerandum, arbitror, qua ratione aeterna erunt supplicia, quando nulla malitia erit [7], ne sit bonitati coaeterna, et omnis impietas, ne sit divino cultui coaeterna, peribit, et omnis nequitia, ne sit divinis legibus infesta, de natura rerum abolebitur, et, quod vera exigit ratio, deficiente malitia nullus erit malus; malus enim malitia malus est. Pereunte impietate nullus impius remanebit; omnis enim impius impietate impius est: abolita iniquitate quis iniquus relinquetur? Malitiam autem et impietatem et iniquitatem perituras esse nemo sapientium dubitat, considerans, malitiam non posse fieri, nisi ubi invenit, cui noceat. In futuro autem, quando *omnia in omnibus Deus erit*, et omnis creatura [8] liberabitur a servitute, cui malitia nocebit? Nulli. Impietas quoque [9] eadem ratione, quod peritura sit, intelligitur. Quomodo enim impietas erit et impius, quando falsorum deorum cultus omnino extinguetur, et unus Deus ab omnibus electis et reprobis in omnibus cognoscetur? Iniquitas quomodo manebit [10], quando nemo leges divinas praevaricare poterit? Et hoc apertissime divina declarat Scriptura, quae dicit: *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint.* Non enim substantiam illorum, sed peccatum et iniquitatem defectura esse credendum est: et quod beatus Hieronymus in expositione Ezechiel ab Isaia propheta de generali totius humanae naturae purgatione [11] in figura Jerusalem introduxit: *Sanctificabo*, inquit [12], *eam in igne ardente, et devorabit sicut foenum materiem.* Quoniam in ipso loco dupliciter materiem intelligimus; aut enim materies informis, quae de nihilo facta est, et ex qua diversitate formarum sibi adjuncta hujus mundi sensibilis componitur structura, significatur, quae videlicet materia sicut foenum ardebit, quando sanctificabitur, id est, purgabitur in [13] ipsa natura ad imaginem Dei facta, ita ut nil in ea materiale, vel temporale, vel terrenum, vel visibile, vel transitorium mutabileve remaneat, quoniam omnino in spiritualem vertetur stabilitatem et uniformitatem; aut cunctorum vitiorum et malefa-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *proprietatem rerum.* [2] Sic CF; A ad *seipsam.* [3] A *posse.* [4] A *ideo* (-que om.) [5] *videlicet* om. A. [6] Sic CF; A *impassibile.* [7] A *erit malitia.* [8] *creatura* om. A. [9] A Impietas *autem.* [10] A *remanebit.* [11] A *purgatione totius humanae naturae.* [12] *inquit* om. A. [13] *in* om. A.

ctorum occasiones, hoc est malitiam, impietatem, iniquitatem materiae vocabulo propheta voluit [1] insinuare, aut utrumque [2]. Quomodo ergo supplicia erunt, quando nil dignum supplicio in natura rerum relinquetur? MAG. In superioribus sufficienter de his est actum [3], et ad purum, ut arbitror, definitum. Ideoque nunc breviter, quoniam exigis, colligendum. Siquidem inter nos subtracta omni controversia consederat [4], omnem malitiam malosque, omnem impietatem impiosque, omnem iniquitatem iniquosque, justissima divini judicii sententia, ne naturarum integritati semper impediant, veluti quasdam sordes purgandas penitusque de natura rerum adimendas aboleri; et hoc non solum auctoritate sanctorum Patrum divinaeque Scripturae, verum etiam recte ratiocinationis investigationibus est firmatum; vanas autem cogitationes hominum in falsis rerum temporalium phantasiis in eorum animabus, qui solummodo integritatem naturae recepturi sunt, non autem in gloriam immutabuntur, semper mansuras, seraque poenitentia de rebus, quas in hac vita illicite atque inordinate concupiverant, veluti quadam inextinguibili flamma arsuras. Proinde, ut mihi videtur, ambiguum posuere [5] exemplum, qui rationabilem naturam et semper mansuram, et suppliciorum flammis semper arsuram docere volentes, asbestum lapidem semper manere semperque ardere dicunt, ita ut et substantia ejus, et quantitas, et qualitas nullo modo minuatur vel corrumpatur, dum flamma in ea non extinguitur. Hac enim similitudine non [6] irrationabilius [7] uti possent ad suadendum, quod non solum naturalia bona rationabilis naturae [8] semper absque ullo detrimento permanebunt, verum etiam in his, qui purgati et sanctificati ultra omnia naturalia bona deificationem accipient, aeternae beatitudinis gloria [9], veluti in extinguibili divinae gratiae flamma fulgebunt, ita ut in eis et naturalis pulchritudo perpetuo maneat, et deificationis claritas super omnia eluceat. Discernis itaque, ut opinor, inter ea, quae penitus peribunt, et ea, quae aeternis attribuuntur suppliciis. DISC. Discerno; video enim, quod vitia vitiorumque occasiones de natura rerum penitus delebuntur, phantasiae autem rerum temporalium, quibus imperfectae animae in carne constitutae seducuntur, aeternis suppliciorum ardoribus attributae manebunt, ut in eis pravae torqueantur cupiditates pravorum. Sed adhuc non parva mihi obstat quaestio. Si bonitati et beatitudini ceterisque divinis virtutibus, quae de Deo praedicantur, nil erit coaeternum, cur veritati aliquod [10] coaeternum opponitur, hoc est, falsum et falsitas? Ut enim, ni fallor, [sicut] [11] veritati opponitur falsitas, ita vero falsum. Si igitur omnis phantasia falsa est, ac per hoc et falsitas: quis phantasiam veritati esse contrariam negarit? At si phantasia rerum temporalium suppliciis distribuitur aeternis, profecto aeternae erunt phantasiae, perpetuoque opponentur veritati. MAG. Non immerito talis caligo tibi occurreret, si prius clarissimo ipsius veritatis, de qua quaestio est, radio illuminatus, ad purum dignosceres, id ipsum esse, absque ulla differentia, falsum [12] et phantasiam, ita ut omnis phantasia sit falsa, et omne falsum phantasia. Nunc autem quoniam magna differentia est inter falsum et phantasiam, relinquitur, ut illud, quod proprie dicitur falsum, solummodo opponatur veritati, phantasiam vero [13] veritati non esse contrariam. DISC. Expone, quaeso, quae sit illa differentia, quae falsum segregat a phantasia. MAG. Suis definitionibus discernuntur. Est enim falsum, quod appetit esse, quod non est; aliter enim vult se videri quam est, quia non ita est ipsa res, de qua praedicatur, quomodo de ea praedicatur. In quo genere quaedam fabularum sunt [14] constitutae, ut volatus Daedali, quae fabula nec vera est, nec veri similis, sed falsa omnino opinio, quae fallit insipientes. Nunquam enim Daedalus volavit, navigasse autem de Creta in Euboeam fertur [15]. Ideoque falsum dicitur, quia fallit et decipit judicium eorum, qui falluntur, falsa pro veris approbantes; quod est proprium erroris. Et hoc est, quod vere dicitur falsum, quamvis saepe in dialecticis propositionibus negationes falsi nomine vocitentur, saepeque affirmationes: negationes quidem, ut omnis homo animal non est falsum est; affirmationes autem, ut omnis homo justus est falsum est. Phantasia vero est imago quaedam et apparitio de visibili vel invisibili specie memoriae impressa. Dum enim nulla res corporea vel incorporea per seipsam mortalibus adhuc sensibus conspicua sit, natura rerum constituit, ut in sensu exteriori sensibilium rerum imagines, in interiori vero intelligibilium exprimantur; ac deinde veluti ex duobus fontibus, sensibilibus dico et intelligibilibus, duo quaedam flumina in memoriam confluunt, et unum quidem flumen ex inferioribus per sensum corporeum, alterum vero superioribus per eum sensum, qui solius [16] animae est, meatum trahit. Et omne, quod ex his memoriae infigitur, phantasia proprie nominatur, hoc est apparitio, ut superius diximus. Siquidem phantasia ex verbo graeco, quod est φαίνω, cujus interpretatio est *appareo*, etymologiam ducit. Qua igitur ratione phantasia veritati opponeretur [17], cum et ipsa veritas per seipsam inconspicua in suis phantasiis, quas vocant theophanias, quaerentibus se occurrit et ineffabili modo manifestat [18]? Et dum omnis phantasia quaedam

VARIAE LECTIONES.

[1] *voluit* om. A. [2] *aut utrumque* om. A. [3] A *actum est*. [4] Sic CF; A *consideratum*. [5] A *Proinde non mihi videntur conveniens posuisse* exemplum. [6] *non* om. A. [7] A *rationabilius*. [8] A *creaturae*. [9] A *gloriam*. [10] A *aliquid*. [11] Sic CF; *sicut* om. A. [12] *nunquam enim Daedalus—fertur*, quae infra legis, A hoc loco inter verba *differentia* et *falsum* inseruit. [13] *vero* om. A. [14] Sic CF; A *sint*. [15] A *Nunquam enim Daedalus — fertur* A supra inseruit. [16] A *solus*. [17] Sic CF; A *opponetur*. [18] Sic CF; A *manifestatur*.

naturalium rerum similitudo sit animae impressa, cur, quod ex natura procedit, veritati contrarium judicaretur, cum nulla natura veritati contrarietatis ratione obsistat? Et hoc approbat vera ratio, quae firmissime astruit, nullam phantasiam de eo, quod intra naturarum numerum non continetur, posse in sensibus seu memoria exprimi. Omne quippe, quod omnino caret substantia et forma et qualitate, nulla potest imaginari similitudine seu apparitione, ac per hoc nulla phantasia. Siquidem phantasiae, quae de falsis fictisque corporibus immundorum spirituum in sensibus hominum, quos deludunt, effigiantur, umbrae proprie appellandae sunt, non autem phantasiae. Disc. Phantasia igitur aliquod bonum est, quoniam naturalium rerum imaginatio est. Mag. Illud negare non possum : omne siquidem, quod ex naturalibus causis oritur, bonum esse non denegatur. Disc. Puniri ergo bonum posse cogeris fateri. Dixisti enim, rerum temporalium phantasias suppliciis aeternis esse [1] distribuendas. Mag. Nullatenus. Non enim dixi, ipsas phantasias suppliciis torquendas, sed in ipsis irrationabiles motus perversarum voluntatum suppliciis aeternis subigendos. Consideravimus enim, quod non est, non posse puniri, nisi in aliquo bono, quod est. Disc. Recordaris, ut opinor, supradictae ratiocinationis tuae, qua incunctanter conclusisti, phantasias rerum temporalium animabus infixas, sive in hac vita, sive postmodum in altera, omnino nihil esse; ideoque [2] in eis perversae voluntates puniuntur, quoniam, cum comprehendi posse in aliquo putantur, fugiunt se comprehendere cupientes, et evanescunt. Mag. Recordor; nec me poenitet talia dixisse, quoniam phantasias substantiale bonum non omnino [3] dixi, substantialibus autem bonis [4] adhaerere, et ex eis nasci indubitanter probavi. Et sive in eis impiorum supplicia, sive justorum praemia disponentur, ubique tamen bonas esse non dubitavi asserere, quoniam et beatorum felicitas, quae in contemplatione veritatis constituitur, in phantasiis, quas propter differentiam [5] aliarum phantasiarum theologi theophanias appellant, administrabitur. Ipse Deus [6] enim per seipsum semper invisibilis est et erit, *qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem*. De eo [7] autem, quod falsum et falsitas non perpetuo et [8] vero et veritati opponentur, ne coaeterna sint, nullus sapiens dubitare debet. Quis enim futurae vitae statum rectis ratiocinationibus inquirens dixerit, falsitatem esse futuram, quando veritas in omnibus apparebit, et omne falsum non solum de natura rerum, verum etiam de judicio totius rationabilis et intellectualis creaturae auferetur; ubi nemo fallit, et fallitur nemo, dum natura rerum in suas causas revertetur; in quibus nil aliud considerabitur praeter verum et veritatem, in quantum unicuique electorum juxta donationis suae altitudinem contemplari eam permittetur. Quamvis enim non eodem modo, sed multiplicius in infinitum divinarum visionum ascensionibus et descensionibus et [9] justis et injustis [10] apparebit, omnibus tamen apparebit, quando in omnibus injustis, sola injustitia punita et interempta, ipsa purgata et intemerata relinquitur natura, in ipsos gradus, de quibus peccando corruerat, reversura. De quo reditu quod restat, discutiendi tempus est. Disc. Tempus plane. Prius tamen noscere velim, quoniam me valde perturbat, quomodo universitas naturarum omnium, si in Deum reversura est, ulla supplicia intra se contineri patietur. Non enim supplicium in Deo esse credibile est. Mag. Dic quaeso, num omne, quod inferni et suppliciorum nomine vocitatur, est an non est? Disc. Coartor undique. Si enim dixero est, confestim [11] dicturus eris, quid mirum tibi videtur, si, quod est, in eum, a quo sunt omnia, inter cetera, quae sunt, reversurum sit? Sin autem dixero, non est, respondebis, cur computas inter omnia, quae in Deum reversura sunt, id, quod non est? Et iterum si dedero, omne, quod inferni nomine significatur, extra universitatem esse, absque mora concludar, omni ratione desertus, invitusque cogar fateri, non esse mirum, quod intra ea, quae sunt in Deo, non est, intra ipsum quoque Deum non esse; et deridebit me ratio, quae incunctanter praedicat, extra Deum et universitatem ab eo conditam nihil recte [12] cogitari vel intelligi posse. Omne enim, quod est et quod non est, Creatore ambitur et creatura. Si autem dixero, intra, coactus fatebor, non solum ea, quae sunt, verum etiam, quae non sunt, intra terminos divinae bonitatis et justitiae et providentiae et judicii contineri. Non enim solummodo ea, quae sunt, verum etiam ea, quae non sunt, sive per superexcellentiam ultra omnem intellectum, sive per privationem eorum, quae sunt, infra omnia, quae intelliguntur esse, divina virtute credimus et intelligimus administrari, extra quam omne, quod est et quod non est, egredi non potest. Nam omnia, quae extra beatorum ordinem expelluntur, extra divinas leges, intra quas [13] omnia [14] continentur, evadere non possunt, et quae a superioribus ordinibus cadunt, in inferiores ordines decidere, inque eis detineri coguntur. Omnis autem [15] ordo, sive summus sursum versus, sive extremus deorsum versus, sive medius, et a Deo est constitutus, et intra eum custoditur, extra quem nihil est, et intra quem omne, quod est, et omne, quod non est, mirabili et ineffabili modo comprehenditur. Sive ergo dixero infernum esse, quod Scriptura divina testatur [16], sive negavero in natura rerum esse [17], negare non

VARIAE LECTIONES.

[1] *esse* om. CF. [2] A *ideo*. [3] Sic CF; A non *esse* omnino. [4] Sic CF; A *bonum*. [5] Sic CF; A *differentias*. [6] *Deus* om. CF. [7] A *Dico* autem. [8] *et* om. A. [9] *et* om. A. [10] Sic CF; A impiis. [11] Sic CF; A confestim *tum* dicturus eris. [12] *recte* om. A. [13] A *in quibus* [14] *omnia* om. A. [15] A *enim*. [16] A *testatur divina*. [17] Sic CF; A *non* esse.

potero, intra ea, quae in Deum reversura sunt, contineri, ipsoque, qui omnia ambit, ambiri, et extra quem nihil potest vel cogitari, vel credi, vel intelligi, praesertim dum inconcusse intelligo, tenebras intra lucem [1] contineri, silentium intra sonitum, umbram intra corpus, ceteraque similia, quae causas suas in his, quibus e contrario respondent, constituunt. Sive enim absentia rerum sint, sive defectus et privationes, sive opposita atque contraria, absque his, quorum absentiae, defectus, privationes, oppositiones [2], contrarietates sunt, nullo modo esse intelligi possunt. Esse autem dico ea ratione, qua non solum substantialia et naturalia, verum etiam, quae eis ex adversa parte respondent, esse dicuntur. Nullum namque vitium est, quod non ex positione virtutis, cui ex diametro resistere conatur, B continetur. MAG. Laetor valde, quando retia, quae tu ipse tetendisti, tuae contemplationis viribus illaesus, nulloque modo [3] detentus evasisti. Et jam, ni fallor, intelligis, non solum omne, quod ab uno Deo creatum est, verum etiam omne, quod irrationabilis motus rationabilis et intellectualis creaturae supermachinatus est, et nunc intra ordinem [4] divinae providentiae contineri, et tunc post universalis creaturae in suas causas reditum inque ipsum Deum ordinandum fore, quando totius universitatis conditae plenissima perficietur pulchritudo. Neque hoc mirum, dum nulla natura aliam naturam punire, nullum vitium virtutem, qua continetur, possit corrumpere; et non solum hoc, sed ex his omnibus intra divinas leges ordinatis [5] omnium plenitudo C naturarum et formositas complebitur, omnium visibilium et invisibilium consona absque ulla [6] dissonante harmonia modulabitur. DISC. Non falleris. Nam retia, quae tetendi, hoc est problemata, quae proposui, propterea a me tensa sunt, ne diutius in eis caperer, sed ab eis absolutus libero mentis contuitu clare perspicerem universae naturae adunationem ex diversis sibique oppositis copulari [7], musicis rationibus admonitus, in quibus conspicor, nil aliud animo placere pulchritudinemque efficere, nisi diversarum vocum rationabilia intervalla, quae inter se invicem collata musici modulaminis efficiunt dulcedinem. Ubi mirabile quiddam datur intelligi, et solo mentis contuitu vix comprehensibile, quod non [8] soni diversi, verbi gratia, fistularum organi, vel D chordarum lyrae, seu foraminum tibiae, qui quoddammodo sensibus percepti, in numero rerum esse videntur, harmonicam efficiunt suavitatem, sed proportiones sonorum et proportionalitates, quas, sibi invicem collatas, solius animi interior percipit et dijudicat sensus. Quae videlicet proportiones et proportionalitates vocum sensibilium sonorumque merito dicuntur esse, quoniam non solum nil ab eis corporeus sensus patitur, verum etiam ultra omnem

A sensum acutissimis rationabilis animi obtutibus veluti supra rerum naturam considerantur, et dum inter ea, quae non sunt, computantur, his, quae sunt, honestissimam praestant et administrant concordiam: sive intelligat qui sonis auscultat, quid in iis dulcedinem et pulchritudinem efficiat, sive non intelligat, inest tamen omnibus interior sensus, quem rata rerum collatio [9] conveniensque adunatio non latet. Quis enim senarii numeri virtutem, qui totius harmoniae intelligitur fundamentum; quis collationes ipsius cum suis sesquialteris, sesquitertiis, duplis quoque [10] intra naturas rerum potest cognoscere, dum rerum omnium visibilium et invisibilium universitas in eo veluti in quodam principali exemplo constituta sit? Quid ergo mirum, si ex his, B quae sunt substantialiter, et naturalibus accidentibus, et ex his, quae non sunt, sive per excellentiam, sive per defectum et privationem, totius creaturae harmonia componatur, dum in omnibus, quae sunt et quae non sunt, nulla malitia vel malum, quod bonitati omnium, nulla turpitudo vel deformitas, quae pulchritudini et formositati in causas suas conditoremque suum reversurae resistat [11], omnino non remanebit. Ac per hoc non me movet, dum audio, ex suppliciis malarum voluntatum et praemiis bonarum pulcherrimam harmoniam futuram esse, quoniam supplicia bona sunt, dum sint justa, et praemia, dum sint plus gratuita, quam bonis meritis retributa, quando video graves acutosque sonos, eorumque medios quandam symphoniam inter se invicem in [12] proportionibus C et proportionalitatibus suis efficere. Et si quis ad haec objecerit, perversas voluntates malorum hominum et angelorum, quibus debentur supplicia, malas esse, ac per hoc in restauratione ac reditu naturarum malum semper esse remansurum, suppliciaque passurum; et si ita est, sequitur, non omnino pulchritudinem naturarum turpitudine malitiae non [13] infectam esse futuram: huic respondebo duce Deo ac vera ratione, primum quidem intra rerum naturam vel extra eam nullum malum inveniri, sicut Dionysius Areopagita in libro de divinis Nominibus multiplicibus astruit rationibus, quas nunc introducere et longum et superfluum videtur; deinde perversos perversarum voluntatum motus malos non esse, sed illicitos. Quod enim ex libero rationabilis D creaturae arbitrio processit, quis malum esse dixerit? Si enim libertas naturae rationabilis ad imaginem Dei conditae a Deo data est; non enim imago Dei ullis legibus detineri debuit coacta: necessario omne, quod ex ipsa libertate evenit, malum seu malitia recte dici non potest, ne in aliquo malum et malitia concludatur. Et si libera voluntas rationabili et intelligibili creaturae non ideo concessa sit, ut per eam peccaret, sed ut per eam pulchre et rationabiliter Conditori suo inserviret, tamen, in suis

VARIAE LECTIONES.

[1] A *in luce*. [2] A *et* oppositiones. [3] A nullo *modoque*. [4] CF intra *ordines*. [5] A *ordinatur*. [6] CF absque *ullo*. [7] Sic CF; A *coaptari*. [8] Pro *quod non* A *non enim*. [9] Sic CF; A *ratio*. [10] Sic CF; A *duplisque*. [11] Sic CF; A *restat*. [12] *in* om. A. [13] Sic CF; A *non omnino non*.

licet veluti captiva irrationabilibus motibus ad illicita attracta sit, non inde malum nascitur, sed aliquod corrigendum divina justitia et revocandum divina misericordia, si correctionibus suis et emendationibus liberae voluntatis arbitrium fuerit obediens; sin vero contumax superbiaque [1] inflatum in suis perversis motibus perseverare voluerit, impetus ejus libidinosus retinebitur, ne, quod illicite appetit, apprehendat. Et hoc est totum, quod dicitur liberae ac [2] perversae voluntatis supplicium, hoc est, ab illicitis suis motibus prohiberi, ne ad finem suae cupiditatis possit pervenire. Hoc autem dico, ne beatissimi Dionysii Areopagitae auctoritati resistere videar, qui non solum in aliqua natura seu substantia, verum etiam in nullis irrationabilibus rationabilis naturae affectibus malum sinit inveniri, seu aliqua ratione concedi. Nullum enim rationabilis creaturae vitium est, quod non in aliqua irrationabili bonum sit, ideoque quod ubique prohibitum non invenitur, sed in aliquo, in eo, in quo prohibetur, non malum, sed illicitum vocari oportet. Et ut de hac ratione pauca introducamus exempla, superbia, ut ait B. Dionysius Gregoriusque Theologus, in equo bonum est, in homine vero illicitum atque [3] inconveniens. Ferocitas in leone bonum est, et sine qua leo dici non potest; mitis enim leo leo [4] non est, perdita qualitate naturali: ipsa autem ferocitas in natura rationabili vitium est et inconcessum. Spurcitia porcorum est proprium, in homine alienum: et similia, quae dum in bestiis considerantur, naturalia bona sunt, in homine vero vel [5] angelo vitia contra naturam pugnantia, in nullo [6] tamen mala. Quod enim, ut diximus, in toto malum non est, malum fieri in parte non potest, quamvis videatur esse illicitum, atque purgandum seu refraenandum. Nihil ergo relinquitur, quod plenitudinem et pulchritudinem totius universitatis minuat seu [7] dehonestet, sive hic, dum adhuc sensibilis mundus cursum suum peragit, sive illic, dum in causas suas reversurus sit [8], inque eis quietus permanebit. Sed ista theoria paucis recte sapientibus nunc perspicua, in futuro vero omnibus erit patefacta, dum veritas per omnia in omnibus elucescet, quae naturarum omnium secreta incunctanter absque ulla caligine aperiet. Non enim solis justis [9] in hac vita viventibus, veritatemque rite quaerentibus, verum etiam injustis, pravisque suis moribus corruptis, lucemque veram odientibus et fugientibus ipsa veritas per omnia fulgebit in futuro. Omnes enim videbunt gloriam Dei. Nec obstat, quod scriptum est: *Tolletur* [10] *impius, ne videat gloriam Dei. Videat* namque divinum eloquium [11] posuit pro *fruatur*, ac si diceret, tolletur [12] impius, ne fruatur gloria Dei. Etenim oculorum passionibus gravatos non luce perfrui videmus, verum etiam eam [13] fugere volentes, inque tenebris se abscondere appetentes, non quid [14] sit lux, et quantum utilis sit [15], valentes eam perspicere ignorantes, sed in infirmitate oculorum suorum causam fugiendi a lumine constituentes. Eodem modo et impii in suppliciis detenti causam odiendae veritatis impietati suae reputabunt, sera inutiliter compuncti poenitentia. Et hoc datur intelligi ex ipso divite in inferno [16] poenas patiente, qui *elevans oculos suos, dum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinibus ejus.* Vidit igitur Abraham et Lazarum in gloria divinae contemplationis, sed ipsius gloriae delectationibus privatus est, seraque poenitentia compunctus petiit Abraham, ut mitteret ad suos fratres, quos in hac vita reliquerat, ne, sicut ipse vixerat [17], viverent, et ut tormentorum loca devitarent. MAG. Non te ergo moveant stultissima et falsissima mortalium cogitationum judicia inanesque opiniones, quibus his, quae sibi mala et turpia videntur, bonitatem et pulchritudinem et aequitatem universitatis minui et corrumpi existimant, ignorantes, quod in omnibus, quae intra universitatem comprehenduntur, nullum malum, vel turpe, vel injustum invenitur. Neque enim haec summa bonitas et pulchritudo et aequitas sapienter omnia disponens in his, quae sunt et quae [18] non sunt, fieri permittit, nec unquam permissura est. Et si quis dixerit: unde igitur haec, quae dicuntur mala et inhonesta et injusta, et ubi? Cui respondendum: non aliunde, neque alibi, nisi ex vanitatibus vanitatum, inque falsis argumentationibus, quae fingunt esse, quod penitus non est, blasphemantes, et putantes omne, quod libidinosis suis affectibus obstat, eosque prohibet atque refraenat, malum esse, quia eis nocet. Inde est, quod etiam [19] divinae providentiae administrationem redarguunt, dicentes, impetum liberae voluntatis in aliquo impediri vel retrahi vel extingui malum esse, ignorantes hoc totum ad divinae bonitatis piissimam clementiam pertinere. Optimi quippe serenissimique conditoris est, bono, quod fecit, providere, ne pereat, inque suis propriis nocivisque motibus evanescat. Illud quoque veluti malum in omnium misericordissimum ordinatorem refundunt, punire quod fecit, garrientes, ad hoc multos Deus fecit, ut eos puniret, eo modo irae suae viam invenire volens, non animadvertentes, Deum in nullo, quod fecit punire; quod autem non fecit, puniri permittit. Turpia quoque inhonestaque facta sua in Deum referunt; aiunt enim, si hoc Creatori omnium displiceret, nequaquam fieri in natura, quam fecit, sineret. Jam vero non solum pulchra et honesta, verum etiam inhonesta et turpia creaturae suae mixtim [20] inserere praedestinavit, ut ex his justitiae manifestandae occasiones inveniret, pulchre quidem honesteque juxta divinas leges vi-

VARIAE LECTIONES.

[1] A superbia (-*que* om.) [2] A *et.* [3] A et. [4] *leo* om. A. [5] A *et.* [6] in *nulla.* [7] A vel. [8] Sic CF; A *reversus fuerit.* [9] Sic CF; A *juste.* [10] A *Tollatur.* [11] A *eloquium Dei.* [12] A *tollatur.* [13] *eam* om. A. [14] A *quod.* [15] *sit* om. A. [16] *in inferno* om. A. [17] *vixerat* om. A. [18] *quae* om. CF. [19] Sic CF, A *Inde etiam est, quod.* [20] Sic CF; A *mixtum.*

ventibus praemia, transgressoribus vero turpitudinisque et inhonestatis sordibus contaminatis supplicia redditurus, utrisque autem juste secundum praedestinationum suarum inevitabile propositum. Ac per hoc, ut ait Apostolus, *voluntati ejus quis resistit?* Et [1] sic totius perversae suae conversationis incommutabiles [2] causas divinis praedestinationibus ascribunt [3], non valentes occaecato et insipienti corde intueri summam bonitatem et pulchritudinem, et, ut expressius dicam, totius bonitatis et pulchritudinis et honestatis inexhaustum et non deficientem fontem, sicut nullius mali vel malitiae, ita nullius turpitudinis vel turpis, nullius inhonesti vel inhonestatis auctor est vel praedestinator. Haec enim omnia irrationabilium cupiditatum inventa sunt. Nam si ex divina praedestinatione profluerent, necessario in B natura rerum semper permanerent. Omne quippe, quod divina praedestinatione est dispositum, quis dubitarit semper esse mansurum? Haec autem in aeternum peribunt, et universaliter de natura rerum abolebuntur. Non igitur ex aeternalibus causis divinae praedestinationis profecta sunt. Eadem blasphemia est de divina aequitate. Dicunt enim, Deum inaequalem, ut non dicam injustum esse, quoniam, ut aiunt, non aequaliter omnibus [4] bona sua distribuit, quosdam exaltans, quosdam spernens, alios pauperes relinquens, alios autem divites magnificans, alios stultitiae caligine occaecans, alios sapientiae lumine illustrans, quosdam dominos, quosdam servos faciens, et cetera, in quibus humanae conditionis diversa et infinita varietas in hac C adhuc mortali vita perspicitur, non intuentes primum quidem, temporalia et transitoria hujus vitae bona vere bona non esse, quoniam non possunt semper manere, et plus amatores suos decipiunt quam eis prosunt, umbrae quippe inanes sunt, ideoque bonis et malis distribuuntur, quoniam ab omnibus auferentur [5], tamen [6] inordinate et inconfuse [7] omnibus dantur. Non enim solummodo aeterna perpetuoque permansura, verum etiam temporalia et caduca certis ordinationibus suis dispensantur, in quibus pulchritudo et aeternorum et temporalium constituitur. Deinde non [8] considerant, quomodo [9] justissimus omnium conditor, sapientissimus ordinator, unicuique secundum providentiae suae leges impertitur largissimae suae bonitatis dationes et [10] donatio- D nes, et in nullo fallitur; mortalium vero falsa sunt judicia de divina providentia et administratione, dum, quid in hac republica universitatis visibilium et invisibilium agatur, nesciunt. Insuper etiam insipientissimos eorum animos fugit, quod aequissimus bonorum omnium largitor naturalia bona aequaliter omnibus partitur; naturalia enim bona eodem modo et bonis et malis tribuuntur, quae in his sensibilibus transitoriisque rebus nullo modo possunt apparere,

A in intimis autem naturae sinibus adhuc occultantur, donec in restauratione universae creaturae [11] in manifestum procedant, quando veritas in omnibus apparebit, praefataeque vanitates et falsae mortalium de Creatore et creatura cogitationes peribunt, quando *Deus omnia in omnibus erit*, nullumque malum vel turpe vel inhonestum vel injustum in ordine et pulchritudine rerum omnium invenietur, et omne, quod vanissimis mortalium opinionibus machinatum est, evacuabitur, ideoque penitus interimetur, quoniam nihil est. O quantum beati sunt, qui simul omnia, quae post Deum sunt, mentis obtutibus vident, et visuri sunt! Quorum judicium in nullo fallitur, quoniam in veritate omnia contemplantur; quibus in universitate naturarum nihil offendit vel B infestum est. Non enim de parte judicant, sed de toto, quoniam neque intra partes totius, neque intra ipsum totum comprehenduntur, sed supra totum ejusque partes altitudine contemplationis ascendunt. Nam si in numero partium totius, seu in ipso toto concluderentur, profecto neque de partibus, neque de toto recte possent judicare, ideoque ei, qui de partibus ac de toto recte judicat, necesse est, prius omnes partes omneque totum universitatis conditae mentis vigore et [12] puritate superare, sicut ait Apostolus: *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur.* Sed quorsum ascendit spiritualis ille homo, qui de omnibus judicat, et de quo nemo judicare potest, nisi ipse solus, qui fecit omnia? Nunquid in eum, qui omnia superat et am- C bit, et in quo sunt? In ipsum itaque Deum ascendit, qui universitatem creaturae simul contemplatur, et discernit, et dijudicat; neque ejus judicium fallitur, quoniam in ipsa veritate, quae nec fallit nec fallitur [13], quia est, quod ipsa [14] est, omnia videt. Virtute siquidem intimae speculationis spiritualis homo in causas rerum, de quibus judicat, intrat. Non enim juxta exteriores sensibilium rerum species discernit omnia, verum juxta interiores earum rationes, et incommutabiles occasiones, principaliaque exempla, in quibus omnia simul sunt, et unum sunt. Ibi ergo spiritualis homo judicat omnia, ubi omnia unum sunt, et vere et immutabiliter vivunt et subsistunt, et quo omnia, quae ex [15] primordialibus suis causis profecta sunt, reversura sunt, et quorum nihil extra relinquetur temporalibus mutabilitatibus subjectum, seu localibus circumscriptionibus inclusum, quando universitas [16] naturae super omnia localia et temporalia spatia in causas suas, in quibus omnia unum sunt, finito sensibili mundo revertetur. Nam et ipsa loca et tempora cum omnibus, quae in eis adhuc in hac vita ordinantur et moventur et circumscribuntur, in suas aeternas rationes redire necesse est, quas rationes tempora aeterna divina vocat historia. Quomodo enim remanebunt tempora secula-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *Ut*. [2] A *immutabiles*. [3] A *ascribant* [4] *omnibus* om. A. [5] Sic CF; A *auferuntur*. [6] *tamen* om. A. [7] Sic CF; A *confuse*. [8] *non* om. A. [9] A *quoniam*. [10] *dationes et* om. A. [11] A *naturae*. [12] A *ac*. [13] Sic CF; A *nec fallitur nec fallit*. [14] Sic CF; A *ipse*. [15] *ex* om. A. [16] Sic CF; A *universitati*.

ria, quando nihil erit temporale? Quomodo loca, ubi nihil locale? Et haec est ratio, quae nullum locum sensibilem et corporalem in natura rerum inferno permittit, vanasque opiniones eorum destruit, qui infernum vel sub terris, vel terrarum in gremio, vel alicubi circa terram [1] fallacibus suis cogitationibus autumant, ignorantes, quod ipsa terra, sublus quam, vel intra quam infernum constituunt, penitus sit peritura. Si autem terra peribit, profecto nihil sub ipsa et in ipsa, quod inferni vocabulo dignum sit, relinquetur, ac per hoc nullus locus intra sensibilem corporalemque creaturam inferno datur, neque aeterno igni, in quo impii ardebunt, neque vermibus nunquam morituris. Haec enim omnia tormentorum nomina figurate in sacra Scriptura posita sunt, sancto Ambrosio attestante, graecisque vocabulis, quae, ut praediximus, expressius informant, quid [2] divina Scriptura inferni nomine insinuat. Ἅδης quippe dicitur, hoc est, ut paulo superius expositum, absque deliciis, vel absque voluptatibus, vel insuavitas. Item λύπη vocatur, cujus interpretatio est tristitia, vel moeror, vel luctus. Ἄχος quoque solet appellari, hoc est desperationis gravitas, quae demersas oppressasque malas cupiditates, egestate [3] temporalium rerum, quas in hac vita intemperanter concupiverant, afflictas veluti in profundissimam quandam voraginem, inque vanarum phantasiarum rerum sensibilium caligines, in quibus cruciantur, obruit, divinaeque sententiae incommutabili mole perpetualiter calcatas et irrevocabiliter contemptas. Quae cunctae significationes apud Graecos infernum cum omnibus suis suppliciis non esse localem vel temporalem vel sensibilem, seu in aliqua parte quattuor elementorum, quibus mundus iste [4] constituitur, neque in toto ipsius constitutum, sed quiddam lugubre lacrimabileque, gravemque [5], desperationis plenum inevitabilemque carcerem, omniumque [6] bonorum egestatem in phantasticis vanissimisque visionibus incunctanter pronunciant. DISC. De inferno, deque ejus [7] tormentis satis est actum. Nam luculentissime suasum est, non esse eum substantialiter [8] in natura visibilium et invisibilium, quoniam neque corpus est, neque spiritus, sed justissima damnatio pravae et illicitae cupiditatis abutentium naturae bono, hoc est liberae voluntatis arbitrio, ipsamque damnationem bonam esse, non solum quia justa est, omne siquidem justum bonum, verum etiam quia intra divinas leges et comprehenditur et ordinatur, intra quas quicquid est, bonum et justum esse et honestum necesse est. Ipsae etiam phantasiae in quibus erit, bonae sunt. Nam et umbras corporum, quas vanas esse nemo ambigit, splendore luminis undique coartari et oriri videmus, nil turpitudinis seu inhonestatis pulchritudini lucis inferentes. Vide quantum ornamenti laudisque perfectarum animarum virtutibus comparatur, dum intra se vitia coambiunt atque coartant, suoque dominatui subigunt ac [9] refraenant, legibusque divinis ordinant, ne in profundum malitiae animas, quas conantur corrumpere, mergant. Saepe etiam penitus ea, vitia dico [10], extinguunt, saepe in semetipsas transfundunt, ita ut et vitia in virtutes vertantur. Quae ratio docet, non omnino vitia mala esse, sed illicita. Si enim mala essent, nequaquam in virtutes mutari [11] possent, ceteraque similia, quae cum contra naturam ex perversis motibus abusionis libera voluntate rationabilis naturae seipsam sponte sua captivantis videntur [12] insurgere, universitatis tamen ordinationibus non sinuntur nocere, magis autem ornare eas coguntur aeternis legibus divinae providentiae atque judicii ambita. Haec [13] dum ita sint, remota omni ambage ac deliberatione luce clarius conspicor [14], et universitatis conditae plenitudinem in causas suas, inque ipsum Deum, in quo omnia subsistunt, reversuram [15], et justissimas poenas [16] irrationabilium cupiditatum aequissimi judicis sententiis illatas seu inferri permissas inconcusseque definitas intra ipsam plenitudinem perpetuo permansuras, quoniam non solum in aliquo non nocebunt, verum etiam laudis ipsius et pulchritudinis ineffabiles [17] administrabunt occasiones. Ac per hoc non temere quis dixerit, poenas ac [18] praemia non localibus spatiis, sed diversitatibus qualitatum disgregari, ita ut et [19] simul sint, quoniam ex ipsis duobus respublica totius creaturae ordinatur, et simul non sint propter diversos eorum effectus. Peccatorum quippe effectus sunt luctus, gemitus, tristitia, sera poenitentia, ardor insatiabilis cupiditatis, quae in aliquo nullam inveniet quietem, scatens delictorum putredo ac vermiculatio, profundae ignorantiae densissima obscuritas, in qua nulla verorum vel ipsius veritatis cognitio, id est, ea veritate [20] fruendi beatitudo. Ligatis quippe [21] pedibus difficultas in divinis legibus ambulandi, ligatis manibus difficultas bonorum actuum, qui secundum virtutes sunt peragendi, typice insinuatur [22], hisque similia, quae enumerare et longum est et impossibile. Meritorum vero effectus sunt gaudium, laetitia, pax, beatitudo, felicitas, gloria, beatissimis angelis aequalitas, ac breviter dicendum, theosis, id est deificatio, in qua *Deus diligentibus se praeparavit, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Ubi autem causarum effectus inter se invicem contraria sunt, ibi necesse est, et ipsas causas disparari. Et si quis dixerit, quomodo a se invicem longe distantia simul et in uno coadunari possunt, hoc est, intra

VARIAE LECTIONES.

[1] *vel alicubi circa terram* om. A. [2] A *quod.* [3] Sic CF; A *egestates.* [4] A *iste mundus.* [5] Sic F; AC *graveque.* [6] A *et omnium.* [7] *eius* om. A. [8] A *substantialiter eum.* [9] A *et.* [10] *dico* om. A. [11] CF *moveri* posssent. [12] A *videtur.* [13] Sic CF; A *Quae.* [14] A *conspicor clarius.* [15] A *reversura.* [16] *poenas* om. A. [17] A *ineffabilis.* [18] CF *et.* [19] *et* om. A. [20] *veritate* om. A. [21] *quippe* om. A. [22] *typice insinuatur* om. A

terminos naturae et virtutes et vitia, videat in magna domo [1] atque regali diversisque ornatibus constructa sanum et imbecillem, orbum et videntem, laetum et tristem, securum et curiosum, divitem et egenum, verberibus caesum, ut servus, honoribus exaltatum, ut dominus, carcere inclusum, ut reus, omnibus vinculis absolutum, ut innocuus omnique crimine absolutus, ceterisque similiter uno eodemque loco ac tempore simul posse contineri. Quod si ita est, omnibusque fere aequaliter patefactum: quid mirum, si credamus et intelligamus, in una harmonia universitatis restauratae inque causas suas [2] reversurae [3] totam rationabilem creaturam gratia Redemptoris sui, qui eam totam accepit, sanam futuram [4], languidam vero perversae voluntatis imbecillitatem, quae ipsi, videlicet naturae, extrinsecus adhaeserat, suis congruis ordinibus disponendam, condignasque suis operibus retributiones passuram? Quid si ipsa natura non solum sanata, verum [5] etiam illuminata, caecitas malarum voluntatum perpetuis absentiae naturarum restauratoris obstruatur tenebris? Quid si natura ad imaginem Dei condita non solum sanata et illuminata, verum etiam in paradisum, quem spiritualium deliciarum locum sapientes interpretantur, reducta, leprositas, quae merito peccati eam deformaverat, omnibus deliciis privata, aeternis pruritibus exardeat, et cetera, quibus discernitur natura [6] et culpa, praemium et poena, dum mirabili et ineffabili modo natura omnino libera phantasias sustineat, in quibus culpa, quod deliquerat, luat.

MAG. Haec omnia verisimilia, probabilibusque argumentationibus comparata videntur. Sed occurrunt nobis in hoc loco qui carnaliter spiritualia tractant, dicentes: Quid ergo oberit paganis sua impietas, qua idola colunt, verum Deum ignorantes? Quid Judaeis sua perfidia, qua Dei Verbum incarnatum, Dominum nostrum Jesum Christum, consubstantialem et coaeternum et in omnibus secundum suam divinitatem Patri suo aequalem esse negant? Quid ceteris nationibus veritatem respuentibus sua superstitiosa [7] falsissimaque machinamenta nocebunt, si in futura vita tota eorum natura salvabitur, ita ut neque corpus, neque anima, neque ulla pars naturalis aeternis poenis torquenda relinquatur? Quibus suaderi aut difficillimum est aut impossibile, ad justitiam Dei nullo modo pertinere, sed omnino ab ea alienum esse, punire in omnibus, quae fecit, quod fecit, suum vero esse punire quod non fecit, quoniam omnia, quae in malis omnibus redarguuntur, aeternisque suppliciis digna judicantur, non ex natura, sed ex propriae voluntatis uniuscujusque malorum pravissimis motibus, quos discretiva rerum speculatio naturae vitia solet appellare — nec immerito,

A quia [8] naturalibus affectionibus reluctantur — profluxere, et ab originali peccato, in quo generaliter, excepto humanitatis Redemptore, omnes homines peccaverunt, quod etiam naturae attribuitur, ejusque peccatum vocitatur, non quod ipsa natura ad imaginem Dei facta illud commiserit, sed quod liberae voluntatis, quae a Deo data est, rationabili bono irrationabilis abusio, et in amorem sensibilium conversio ipsam naturae pulchritudinem, in qua ex principio conditionis suae substituta est, dissimulavit, propriamque dignitatem abscondit. Nam si culpam referas in naturam, in ipsum naturae conditorem eandem referre videberis. Si enim culpae causa attribuitur naturae, ipsius naturae causae, quae Deus est [9], peccatum naturae
B necessario attribuetur. Natura siquidem ad imaginem Dei facta non omnino principali exemplo suo similis est, si causam peccandi in seipsam recipit. Ut enim principale exemplum nullius peccati vel malitiae causa subsistit, ita et natura ad imaginem et similitudinem ejus facta. Ridiculosissimum quippe est [10] dicere, humanam naturam imaginem et similitudinem Creatoris sui prius perdidisse, ac deinde causas peccati in se suscepisse. Quisquis enim hoc dixerit, cogetur quaerere, quo peccato natura imaginem et similitudinem Creatoris sui perdiderit, siquidem non eam perderet, si in aliquo non peccaret. Porro, si humana natura nunquam imaginem et similitudinem conditoris [11] sui perdidit; imago
C quippe et similitudo inter naturalia bona et data computantur, naturalia autem data et [12] bona non solum ab humana natura, verum etiam ab omnibus, quae largitore et substitutore omnium bonorum facta sunt, nullo modo auferuntur, in nullo minuuntur vel augentur: quis nisi amens dixerit, naturalia bona causarum peccandi acceptiva esse posse, vel ab eis peccatum oriri? Si enim acceptiva [13] sunt [14], naturalis in eis pulchritudo corrumpitur, dignitas minuitur, immutabilitas vacillat, ordo titubat. Hinc conficitur, nullam rationabilem naturam causarum culpae capacem esse, ne Creatori suo dissimilis redarguatur. Sed merito quaeritur: si propterea peccati causa in naturam non refertur, ne iterum per eam in Creatorem referatur, quoniam omne, quod ab
D ipso est, nullius peccati vel peccandi causae receptivum est, cur non quis dixerit, eadem ratione neque in liberum arbitrium peccandi occasio referenda est, ne in eum, qui illud naturae concessit, culparum causa referatur. Qui enim naturam dedit, ipse et liberum arbitrium in ea creavit; et quemadmodum natura bonum est [15] et incorruptibile bonum, ita et liberum voluntatis arbitrium. Ac per hoc necessario sequitur, ut, sicut culparum causae in natura non [16] constituuntur, ita nec in libero arbitrio;

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *domu*. [2] A *suas causas*. [3] Sic CF; A *reversae*. [4] Sic CF; A *factam*. [5] A *sed*. [6] Sic CF; A *meritum* et culpa. [7] CF *superstitia*. [8] A *quoniam*. [9] A *est Deus*. [10] *est* om. CF. [11] A *creatoris*. [12] *et* om. CF. [13] C *et* acceptiva. [14] *sunt* om. A. [15] *est* om. A. [16] *non* om. A.

in nullo quippe bono causa mali constituenda est. Proinde, si nullum peccatum ex naturalibus oritur causis, quaerendum, unde accepit occasionem. Et si quis responderit, quod verum et verisimile est, probabilibusque argumentationibus approbatur, non aliunde originem ducere [1] peccatum, nisi ex irrationabilibus motibus rationabilis naturae, abusioneque liberi arbitrii bono, continuo videbitur irrationabilis motus occasionem in natura rationabili constituere [2]. Relativo siquidem modo [3] aestimabitur pronunciare, irrationabilem motum rationabilis naturae esse, ideoque ex ipsa occasionem ducere. Quod si ita est, cogetur etiam fateri, irrationabilium motuum causas in Deo praecessisse [4]. Nam si omnis naturalis causa rationabilis naturae in Deo substituta est, necessario, quicquid ad eam refertur, ad causam ejus referetur. Sin autem vera ratio irrationabilem motum non relativo modo ad rationabilem naturam referri, sed omnino e contrario opponi protendit [5], quemadmodum irrationabile rationali, relinquitur ad inquisitionem, unde igitur ille irrationabilis motus, in quo causa peccati constituitur, originem ducit? Quo in loco nihil aliud verisimilius occurit, in quo causa irrationabilis motus intelligatur, praeter naturalibus bonis [6] abusionem divinis legibus prohibitam, quod proprium est perversae et illicitae cupiditatis uniuscujusque liberi arbitrii, bono male utentis. Cujus abusionis exempla tam late patent, ut nullus ferme sit, qui non ipsa in seipso uberrime probare possit. Sed notandum, neminem summis naturae nostrae bonis male uti valere. Naturalis siquidem virtus essentia, virtute et operatione nullum sinit abuti, sicut neque sapientia et intellectu et ratione, quoniam haec sunt, quae principalem naturae nostrae possident sedem. Mediis autem naturae bonis, ut est ingenium et sensus corporis, et ipso corpore extremisque bonis, ut sunt ea, quae extra nos sunt in rerum sensibilium ordinibus constituta, et bene uti et male potestas datur. Ingenium quippe naturale bonum est, hominibusque a Deo datum ad cogitanda [7] et invenienda utilia et honesta. Et [8] tamen perversa voluntas eo [9] abutitur, quaerens nocivas et perniciosas occasiones, quibus decipiat et perdat quos decipere et perdere cupit. Oculorum sensus, ut de ceteris taceam, naturale bonum est, et a Deo datum ad corporalis lucis receptionem, ut per eam et in ea rationalis anima formas et species numerosque sensibilium rerum discerneret, inque licitos suos usus ex eis acciperet [10] verum : et ipso male abutuntur, qui libidinoso appetitu visibilium formarum pulchritudinem appetunt, sicut ait Dominus in Evangelio : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo*, mulierem videlicet appellans generaliter totius sensibilis creaturae formositatem. Quid dicam de extremis bonis sensibilibus? Nonne luce clarius est, quod eis boni bene, mali vero male utuntur? Boni quidem ad laudem et servitutem bonorum omnium largitoris, mali vero ad perficiendos impetus suae perversae cupiditatis. Causas autem illicitae abusionis atque perversae cupiditatis [12] si quis vult invenire, sollicitus quaerat. Ego autem securus sum, incunctanter perspiciens [13], quod nemo eas potest reperire. Ut enim malum incausale est, et nullo modo invenitur, unde est, ita et [14] naturalibus bonis [15] illicita abusio ex nulla naturali nascitur causa. Hoc autem dico, beatum Dionysium Areopagitam in libro de divinis Nominibus, et S. Aurelium Augustinum in libris de libero Arbitrio sequens. Stultum quippe est, eorum causas quaerere, quae nullo genere, nulla forma vel specie, nullo numero bonorum, quae a summo bono et conditore omnium et facta et ordinata sunt, continentur, quoniam penitus incausale et insubstantiale est omne, quod ab eo factum non est. Hinc mihi videntur rectius rerum proprietates considerare, qui dicunt, libidinosum appetitum, non autem malam voluntatem suppliciorum causam esse, ne quis existimet duas voluntates in una eademque natura comprehendi, una quidem bona, altera vero mala, dum una voluntas humanitati inest, quamvis saepe in bono, saepe in malo accipiatur : libido autem non solum naturalibus bonis omnino excluditur, verum etiam aut vix aut nunquam in significatione boni in divina Scriptura reperitur. Nam et primus homo, in quo omnes peccaverunt, libidine dominandi et [16] super omnia exaltandi deceptus est, atque peccavit suadente diabolo ac dicente : *In quocunque die comederitis ex eo*, prohibito videlicet ligno, *aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*. O quanta libido superbiae in illo erat, qui sua virtute Deus esse cupiebat! Non ergo paganorum impietas, vel Judaeorum perfidia, vel aliarum nationum fabulosa deliramenta ex naturalibus causis, sed ex libidinosis cupiditatibus vanarum cogitationum profluxere, ideoque in nullo eorum natura punietur, sed libido. Omnia quippe vitia, quae virtutibus contraria sunt, naturamque corrumpere appetunt, generali [17] libidinis vocabulo solent appellari. Turpissima itaque libido impiorum in falsorum Deorum cultu, perfidorumque [18] Judaeorum [19] in negatione veritatis, aliarumque gentium in fabularum ludibrium [20] deliramentis, in vanissimis phantasiis eorum, quae sibi futura fingunt, dum nihil in eis invenient praeter incomprehensibiles umbras, suppliciis relinquitur torquenda, universitate naturarum [21] bonorum totiusque naturae a Deo creatae integra, plenissima, impunitaque permanente. Ceterum generalis omnium impiorum

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *sumere*. [2] Sic CF; A *construere*. [3] Sic CF; A *Relative siquidem*. [4] Sic CF; A *a Deo processisse*. [5] Sic CF; A *contendit*. [6] Sic CF; A *naturalis boni*. [7] Sic CF; A *et* cogitanda. [8] *Et* om. A. [9] A *eo* tamen p. v. abutitur. [10] Sic CF; A *accipiet*. [11] A *in* eis. [12] *cupiditatis* om. CF. [13] A *prospiciens*. [14] *et* om. A. [15] A *naturalis boni*. [16] CF *ac*. [17] A *generaliter*. [18] A *perfidorum*. [19] *Judaeorum* om. A [20] Sic CF; A *falsarum libidinum*. [21] A *naturalium*.

poena erit, ut saepe diximus, luctus et tristitia de absentia et perditione rerum, quibus in hac vita delectabantur, quarum phantasias semper veluti prae oculis habebunt, quas comprehendere ardenter cupientes nequibunt, quoniam nihil sunt, cupientes consolationem habere in [1] his, quae desperationem ingerunt et inquietudinem. Hinc oritur sera poenitentia. inutilisque consolationis postulatio, quod per linguam divitis guttulam aquae de summo digito pauperis Lazari petentis et dicentis, *quia crucior in hac flamma*, significatur. Lingua quippe postulationis auxilii flamma tardae de delictis poenitentiae, aqua refrigerii, digitus, distributionis meritorum, qua creduntur sancti post hanc vitam posse praestare auxilium his, qui in poenis sunt, typum gerit. Ex hoc enim loco datur intelligi, non solum viventes adhuc in carne [2], verum etiam spoliatas carne animas auxilium sanctorum petere posse, sive ut penitus liberentur a poenis, sive ut minus [3] crucientur in eis; incassum tamen petere, si in hac vita in profundum malitiae cecidere, hoc est, si nullum bonum in hac vita peregerunt, quo mereantur misericordiam in futura. Est etiam alia forma poenarum omnibus impiis communis, quae omnia vitia in hac vita perpetrata, et in quibus usque ad separationem corporis et animae absque ulla poenitentia aut aliqua occasione purgationis post corpus perseveratur, in trucibus horribilibusque veluti ferocium bestiarum speciebus ad cumulum tormentorum administrat, ut, quae hic delectabiliter [4] impie viventibus arrident, illic terribiliter appareant justissimo puniendi modo. Quid enim aequius est divinaeque ordinationi congruentius, quam ut ea, quae in hac vita illicito amore ardentes sequuntur injusti, in alia vita, quae rectius aeternae mortis vocabulo significatur, ingenti pavore territi fugiant puniti, nec tamen evadere valituri? Haec autem omnes ceteraeque ineffabiles et innumerabiles poenarum [5] varietates in phantasiis rerum sensibilium futurae sunt. Phantasiae autem in latissimis memoriae campis [6] sive hic sive illic ordinatissime [7] disponuntur. Quorum primus est earum, quae per visum, secundus earum, quae per auditum, tertius earum, quae per olfactum, quartus earum, quae per gustum, quintus earum, quae per tactum, veluti per quinque portas civitatem animae intrant. Quarum phantasiarum duae formae sunt. Una earum, in quibus his, qui in hac vita bene, sed non summe vixerunt, praeparantur praemia; alia, in quibus his, qui male vivunt, dispensantur supplicia. Siquidem sancti, qui adhuc in carne constituti, virtute actionis et scientiae carnem et mundum [8] seque ipsos superantes usque ad ipsum Deum altitudine contemplationis ascenderunt, non in phantasiis rerum sensibilium, sed in theophaniis divinarum virtutum laboris sui mercedem, insuper etiam deificationis gratiam accipient. Aliud est enim intra naturae bona manere, quod generaliter omnibus divina largitate praestabitur, aliud [9] omnem naturam ejusque bona superare, et ad ipsum Deum pervenire, quod proprium est divinae gratiae. *Ubi* enim *fuerit corpus*, hoc est veritas, *illuc congregabuntur aquilae*, hoc est animi, qui eam contemplaturi sunt. Et iterum eorum, qui terminos naturalium bonorum non excessuri sunt, in formis [10] imaginalibus [11] speculatio est. Aliter enim considerantur in his, qui merito bonae conversationis simplicisque innocentiae non solum omnes poenas evasuri, verum etiam praemia sibi condigna ac soli Deo cognita recepturi, ita ut et [12] naturalia bona possideant, et superaffluentis divinae largitatis quodammodo participes fiant, non tamen deificati: aliter in his, in quibus solummodo naturae integritas restaurabitur, malefica [13] vero et libidinosa carnalis eorum vitae intemperantia aeternis punietur suppliciis. Quae videlicet supplicia divinis legibus ordinata, naturae, intra cujus virtutem et sustinentur et comprehenduntur, nusquam nunquam sunt nocitura, ejusve pulchritudinem nec in toto, nec in parte infectura. Unusquisque itaque in sua conscientia intra semetipsum aut praemia recipiet, aut poenas luet; ipsa vero [14] natura in omnibus libera permanebit. Hactenus de his: nunc ad reditum creaturae in pristinum statum, de quo principaliter sermocinatio est, redeundum. Disc. Redeundum sane, ac tempus exigit prolixitasque disputationis. Et vereor, ne forte his, qui lecturi sunt, multiplex perplexaque earundem rerum repetitio fastidium gignat. Mag. Perplexa materia difficillimarumque rerum anfractus multiplicem perplexamque ratiocinationem exigunt, et fortassis non deerunt, quibus magis placebit frequens earundem rerum repetitio, quam brevis cursimque ingrediens de his, quae saepe mentis aciem fugiunt, intimatio, quae solet facilius cludere obtrusa quam aperire, et amphiboliam inferre quam expellere. Disc. Ingredere, quo et quali modo vis; tantum ut principalem quaestionem, quae de reditu est, absque ullis incidentibus quaestionibus discutias. Incidentes quippe quaestiones finem disputationi impediunt imponere. Mag. De generali totius sensibilis creaturae in causas suas reditu finito mundo docuimus, et nunc iterum specialiter de reditu humanae naturae docere debemus. Tota itaque humanitas in ipso, qui eam totam assumpsit, in pristinum reversura est statum, in Verbo Dei videlicet incarnato. Qui reditus duobus modis consideratur, quorum unus est, qui totius humanae naturae docet in Christo restaurationem, alter vero, qui non solam ipsam restaurationem generaliter perspicit, verum etiam eorum, qui in ipsum Deum ascen-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *ex his*. [2] A *in carne adhuc*. [3] Sic A; CF *mitius* crucientur. [4] Sic CF; A *delectabilia*. [5] *poenarum* om. A. [6] Sic CF; A *cavis*. [7] Sic CF; A *ordinatissimi*. [8] A carnem *mundumque*. [9] A aliud *autem* omnem naturam. [10] A *biformis* speculatio. [11] Sic F; *imaginalibus* om. A; C *imaginibus*. [12] *et* om. A. [13] Sic CF; A *maleficia*. [14] *vero* om. CF.

suri sunt, beatitudinem et deificationem. Aliud enim est in paradisum redire, aliud de ligno vitae comedere. Legimus quippe, primum hominem ad imaginem et similitudinem Dei factum, in paradiso positum fuisse, sed non legimus, eum de ligno vitae comedisse. Esus siquidem prohibiti ligni [1] praeoccupatus dulcedine ligni vitae [2] est expulsus : futurum quippe erat ei de ligno vitae edere, si divinis praeceptis voluisset parere; feliciter tamen vixisset, etiam priusquam de ligno vitae comederet [3], si absque mora, postquam creatus est, non peccaret. Ubi datur intelligi, quod tota nostra natura, quae generaliter vocabulo hominis ad imaginem et similitudinem Dei facti significatur, in paradisum, hoc est, in pristinam conditionis suae dignitatem reversura sit, in his autem solummodo, qui [4] deificatione digni sunt, ligni vitae fructum participabit. Ligni autem vitae, quod est Christus, fructus est beata vita, pax aeterna in contemplatione veritatis, quae proprie dicitur deificatio. *Est enim beata vita*, ut ait Augustinus, *gaudium de veritate, quae est Christus.* Et fortassis hoc est quod ait Apostolus : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Sic enim multi ac [5] pene omnes hunc locum Apostoli de Graeco in Latinum transtulerunt. Ac si aperte diceret : Omnes nos, qui homines sumus, nemine excepto, in spiritualibus corporibus et integritate naturalium bonorum resurgemus, et in antiquitatem primae conditionis nostrae revertemur, sed non omnes immutabimur in deificationis gloriam, quae superat omnem naturam et paradisum. Itaque sicut aliud est generaliter resurgere, aliud [6] specialiter immutari : ita aliud est in paradisum redire, aliud de ligno vitae comedere. In uno siquidem [7] naturae significatur restauratio, in altero electorum commendatur [8] deificatio. Hoc autem dico, non ignorans hunc locum apostolicum aliter ab aliis esse translatum. Quidam enim interpretati sunt, *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*, quidam, ex quibus est Joannes Chrysostomus, *omnes quidem immutabimur, sed non omnes dormiemus.* Quorum interpretationes ad praesentis operis negotium non pertinent, ut opinor. Disc. Cur non pertinuerint [9] ignoro. Qui enim de creaturae sensibilis reditu disputat, nunquid non de resurrectione corporum tractat ? Profecto. Non enim aliud est resurgere, aliud redire. Nam ex mortuis resurrectio quid aliud est, quam in statum naturalem recursio? Expone itaque breviter cursimque, quid volunt praedictae interpretationes, quas penitus intactas praeterire voluisti. Mag. Qui interpretati sunt, *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*, videntur mihi Apostoli verba ita intellexisse, ac si diceret : Omnes quidem [10] moriemur; quis enim est [11], qui vivit, et non videbit mortem : sed non omnes immutabimur. Nam qui ab initio mundi usque ad secundum Domini adventum, hoc est, usque ad finem seculi mortui sunt, et moriuntur, et morituri sunt [12], non continuo absque ulla mora, verum interpositis temporalibus spatiis resurrectionem corporum [13] communem expectant, praeter eos, qui cum Christo resurrexerunt : illi vero, quos in carne viventes finis mundi et adventus Domini inveniet, non solum dormient, verum etiam immutabuntur; nullo quippe temporali spatio interposito simul dormient et evigilabunt, hoc est, morientur et resurgent, sicut ipse apostolus dicit, in momento, in ictu oculi, ita ut plus immutatio in eis, quam mors perficiatur. Quomodo enim mors intelligitur, ubi nullum spatium inter exitum de hac vita, et transitum in alteram interponetur ? Qui autem transtulerunt, *omnes quidem immutabimur, sed non omnes dormiemus*, nihil aliud videntur velle, nisi quod omnes homines in resurrectione futura de praesenti vita in futuram, alii morte corporis interposita, alii non interposita, immutabuntur, *quando*, ut idem Apostolus ait, *corruptibile hoc*, corpus videlicet [14], *induetur* [15] *incorruptionem, et mortale hoc induetur* [16] *immortalitatem, et absorbebitur mors in victoriam, et novissimus inimicus* [17] *destruetur mors*, sed non omnes dormiemus, hoc est, non omnes mortem carnis patientur, priusquam de vita temporali in vitam immittentur aeternam. Nam quos adventus Filii hominis vivos jam in carne reperiet, mors corporis non dissolvet, nec separationem corporis et animae patientur, sed solummodo in momento, in ictu oculi immutationem habebunt, ideoque non dormient, sed semper, nulla morte carnis interposita, vivent. Cui sensui omnino favet sanctus Augustinus et Joannes Chrysostomus. Fides etiam catholica videtur hoc approbare, quae incunctanter credit, Dominum nostrum Jesum Christum judicare vivos et mortuos venturum, vivos quidem, quos adventus judicis manentes adhuc in carne reperiet, mortuos vero, qui jam solutionem corporis et animae perpessi sunt. Disc. Non [18] ergo omnes, qui in paradisum redituri sunt, hoc est in pristinam naturae humanae conditionem, ligni vitae fructum participabunt? Mag. Non omnes plane, sed soli, qui mundum et carnem vicerint, sicut in Apocalypsi scriptum est : *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* Ex [19] gratia siquidem et natura, ut in superioribus tractatum est, omnibus hominibus communiter praestatur in paradisum redire, sola vero gratia solis deificatis de ligno vitae edere. Disc. Cur itaque in medio paradisi lignum vitae esse Scriptura testatur, si non omnibus, qui in paradisum redituri sunt, de fructu ejus edere permittitur et perdonatur? Mag. Attende, quod divina Scriptura non simpliciter li-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *ligni vitae prohibiti.* [2] *ligni vitae* om. A. [3] *Esus siquidem — comederet* om. C. [4] A *qui solummodo.* [5] A *et.* [6] A aliud *est.* [7] Sic CF; A *quidem.* [8] Sic CF; A in altero *vero commendatur electorum* deificatio. [9] CF *pertinuerit.* [10] *quidem* om. A. [11] *est* om. A. [12] *sunt* om. CF. [13] Sic CF; A *corporis.* [14] A *videlicet corpus.* [15] Sic CF; A *induet.* [16] Sic CF; A *induet.* [17] A *novissima inimica.* [18] Sic CF; A *Nonne.* [19] A *Et.*

gnum vitae in paradiso esse testatur, sed expressius *in medio paradisi*, ut vocabulo paradisi totam humanam naturam, quam omnes homines [1] et boni et mali participant, intelligas, medii vero ejus significatione secretissimos intimosque ejusdem naturae sinus, in quibus imago et similitudo Dei expressa est, ubi lignum vitae, hoc est Dominus noster Jesus Christus, plantatum, cujus contemplatione nemo nisi purgatissimus fide et actione, et illuminatissimus scientia, et perfectissimus sapientia et divinorum mysteriorum intelligentia frui sinitur. Et hoc, ut arbitror, in mystica Salomonis templi aedificatione praefiguratum est. Omnes siquidem, nemine excluso [2], et boni et mali, circumcisi et incircumcisi, masculi et feminae, omnesque totius mundi nationes, sive orationis sive negotii causa undique illuc confluerent, in extremas porticus intrabant, ibique negotia sua peragere sinebantur: soli vero sacerdotes et [3] Levitae in porticum Sacerdotum et in porticum Salomonis ingrediebantur. Deinde sacerdotes loti et purgati in mari aeneo, quod erat in porticu Salomonis, in sanctum templum exterius, ubi erant panes propositionis et candelabra, introibant, nulli vero ultra velum in Sancta Sanctorum, ubi erat arca et altare thymiamatis, et propitiatorium, et duo Cherubim, nisi summo sacerdoti introire [4] licebat [5]. Ex hoc datur intelligi, omnes homines [6] intra terminos naturalis paradisi, veluti intra quoddam templum, unumquemque [7] in suo ordine contineri, soli vero in Christo sanctificati interiora intrabunt, et iterum in Sancta Sanctorum, veluti in interiora interiorum, ipsi, qui in summo pontifice, Christo videlicet, sunt, et unum cum ipso, et in ipso facti sunt, introducentur; ubi Christus est, qui significatur per altare, quoniam sua [9] soliditate sustinet omnia, et non solum altare, sed thymiamitis altare; odor siquidem illius, hoc est laus et gloria, implet omnia. Ipse est arca, in qua omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt absconditi. Ipse est [10] virga, quia [11] regit et mensurat omnia, et manna, quia pascit omnia. Ipse propitiatorium, quia semper pro nobis intercedit ad Patrem, ostendens ei generale sacrificium, et mundi pretium, humanitatem videlicet suam, quam sacrificavit et tradidit pro purificatione et redemptione totius generis humani, nemine excepto. Nam quemadmodum in nullo invenit, absque peccato, quod non acceperit, ita in nullo reliquit, quod non redemerit, et redimendo salvavit et sanctificavit, quoniam ipse est redemptio et salus, purgatio, et illuminatio, et perfectio universae humanitatis in omnibus et singulis, circa quem Cherubim, ordines videlicet angelorum discurrunt, per quos visibilia et invisibilia ordinat atque disponit [12]. Et fortassis ideo bini Cherubim circa arcam, id est

A Christum describuntur, quia angelica natura sensibilem et intelligibilem mundum administrat; quamvis non irrationabiliter unus Cherubim in figura intellectualis in angelis, alter vero in typo rationalis naturae in hominibus accipiatur. Intelligibiles quippe rationabilesque substantias proximas Christo esse [13] nemo sapientum dubitat. Videsne ergo, quam altum et supernaturale est, tale lignum in medio paradisi, humanae videlicet naturae, plantatum adire [14], eoque frui. Ad hoc remotum ab omnibus lignum, solisque deificatis concessum Paulus raptus est in tertium naturae nostrae caelum, hoc est super omne corpus et spiritum vitalem in ipsum intellectum, in quo Dei Verbum, quod est lignum vitae, ineffabili modo super omnem essentiam et virtutem et operationem

B in luce habitat inaccessibili, ultra et intra naturam ad imaginem Dei factam. In ipsum itaque paradisum, veluti in amplissimum secretissimumque [15] templum omnes homines, unusquisque secundum suam analogiam intrabit; et habitabit in eis ipse, qui dixit: *Ego ero in medio eorum*. Hinc Propheta: *Vota mea* inquit, *reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem* [16]. Jerusalem siquidem *visio pacis*, seu *templum pacis* interpretatur, et ipsa est domus Domini in monte supernae contemplationis aedificata, ad quam propheta hortatur omnes homines per virtutum gradus et speculationum altitudines ascendere, dicens: *Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob*. Non enim

C alibi habitat Deus, nisi in humana et angelica natura, quibus solis donatur contemplatio veritatis. Neque has duas naturas veluti duas domus debemus accipere, sed unam eandemque domum ex duabus intelligibilibus materiis constructam. De hac domo [17] videtur Dominus dixisse, *in domo Patris mei mansiones multae sunt*. In atriis domus hujus omnes homines mansiones [18] possidebunt, dum in causas suas redituri sunt, sive bene in carne sive male vixerint. Nullus enim pulchritudinem ejus potest corrumpere, neque honestatem turpificare, neque amplitudinem minuere vel augere. Extra quam quid esse posset, intra quam quid esse non valeret, in qua nullius turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat, cujus pulchritudinem immundorum spirituum nequitia, seu homi-

D num impiorum irrationabiles motus non solum non contaminant, verum etiam adaugent? Nulla enim pulchritudo efficitur, nisi ex compaginatione similium et dissimilium, contrariorum et oppositorum; neque tantae laudis esset bonum, si non esset comparatio ex vituperatione mali. Ideoque quod malum dicitur, dum per se consideratur, vituperatur; dum vero ex ejus comparatione bonum laudatur, non omnino vituperabile videtur. Quod enim boni laudem cumulat, non omnino [19] laude caret. Nunquid omnium

VARIAE LECTIONES.

[1] *homines* om. CF. [2] CF nemine *recluso*. [3] CF *atque*. [4] *introire* om. CF. [5] A *licebit*. [6] *homines* om. A. [7] CF *unusquisque*. [8] *in* om. A. [9] A *suae*. [10] Sic AC; *est* om. F. [11] Sic CF; A *quae*. [12] Sic CF; A *ordinata disponit*. [13] A *esse Christo*. [14] A *audire*. [15] Sic CF; A *serenissimumque*. [16] *Jerusalem* om. A. [17] CF *domu*; sic ubique. [18] *homines mansiones* om. CF. [19] CF *omni*.

bonorum conditor, malorum ordinator, in universitate, quam condidit, malum sineret, si nihil utilitatis conferret? Quod etiam ex collationibus rerum sensibilium, aut ex humanis moribus facillime conjicitur. Ex infructuoso quippe ligno [1] fructiferi laus amplificatur, ex libidinoso homine casti. In paradiso itaque humanae naturae unusquisque locum suum secundum proportionem conversationis suae in hac vita possidebit, alii exterius veluti in extremis porticibus, alii interius tanquam in propinquioribus atriis divinae contemplationis [2], alii in amplissimis divinorum mysteriorum templis, alii in intimis super omnem naturam in ipso et cum ipso, qui superessentialis et supernaturalis est, theophaniis. Beati sunt, qui adyta [3] intrant sapientiae, quae est Christus; qui accedunt [4] in obscurissimas tenebras excellentissimae lucis, in qua simul in causis suis vident omnia; ubi non locorum vel temporum intervalla bonos a malis, sed meritorum distantia segregat; non quantitas et pulchritudo corporum, sed honestas et magnitudo virtutum laudatur; non personarum, sed morum dignitas et nobilitas quaeritur; una omnibus communis natura, diversa autem gratia; ubi omnes simul sunt, et simul non sunt, simul sunt similitudine substantiarum, simul non sunt dissimilitudine affectuum. Simul erant dives et Abraham in spiritualibus substantiis, quas una eademque humana colligit et inseparabiliter jungit essentia; sed non simul erant per differentiam spiritualium qualitatum. Chasma magnum inter eos erat [5]; Abraham quippe in aeterna quiete gaudebat, dives in flamma inextinguibili lugebat; propterea vidit dives [6] de longe Abraham. Quis verbis potest exprimere, quantum interstitii est [7] inter laetitiam et tristitiam [8] etiam in hac vita, quanto magis in altera, in qua nulla tristitia sequetur justorum laetitiam, neque ulla laetitia sequetur impiorum tristitiam, divina sententia dignas singulis incommutabiliter attribuente retributiones! Et hoc est chasma magnum et impermeabilis hiatus, dividens inter praemia et supplicia. Dives tamen [9] non de longe, sed juxta ad Abraham [10] loquebatur, ut intelligas, eum non natura segregatum fuisse ab Abraham, sed culpa. Una siquidem essentia jungit, quos meritum dissimile dividit. Paulo priusquam Dominus [11] pateretur, simul in uno coenaculo Judas Iscariotes et Simon Petrus cum Christo coenabant, sed unus juxta Christum, alter longe erat a Christo. Unus qui cum Christo intingebat manum in paropsidem, humanitatis Christi erat traditor, alter qui non legitur intinxisse manum cum Christo [12] in paropsidem, divinitatis Christi erat contemplator: unus

A avarus vendidit hominem Deum, alter Theologus cognovit Deum hominem: unus osculo corporis corpus tradidit, alter osculo mentis divinam mentem dilexit. Hoc autem dico, ut cognoscas, quod non locorum intervalla, sed meritorum qualitates faciunt hominem appropinquare Christo, aut ab eo elongari. Hinc datur intelligi, omnes homines unius ejusdemque naturae, quae in Christo redempta est, omnique servitute, sub qua adhuc congemiscit et dolet, liberata, participes esse, et in ea unum omnes subsistere: meritorum vero qualitates et quantitates, hoc est bonorum actuum malorumque differentias, quibus unusquisque in hac vita bene vixit, adjutus Deo per gratiam, seu male, desertus Deo per justitiam, longe a se invicem et multipliciter et in infinitum disparari:
B omnia autem haec in illa una et amplissima domo ordinari et comprehendi, in qua respublica universitatis a Deo et in Deo conditae [13] per multas diversasque dispensatur [14] mansiones, hoc est meritorum et gratiarum ordinationes. Domus autem [15] illa Christus est, qui omnia et [16] ambit virtute, disponit providentia, regit justitia, ornat gratia, continet aeternitate, implet sapientia, perficit deificatione, *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia.*

37. Disc. Quae a te dicta sunt, recta fide credentibus, rectoque intuitu rerum naturam [17] perspicientibus non solum rationabilia, verum etiam verisimillima [18] probantur esse: quamvis his, qui nihil esse extra [19] ea, quae localiter et temporaliter intra hunc mundum sensibilem continentur, cogitant, in-
C credibilia ac veluti vana deliramenta videantur; affirmantes, hunc mundum sensibilem in suas causas non rediturum, neque penitus periturum, sed suis qualitatibus solummodo permutatis in melius, permansurum, suis corporibus compositum, suis locis discretum, suis temporibus distinctum, suis numeris multiplicatum, suis extremitatibus ambitum [20] in parte sui veluti inferiori corporibus animabusque impiorum aeterni ignis ardore torquendis locum praebentes. De quo et in superioribus libris tractavimus, et nunc iterum in memoriam revocantes breviter repetimus. Quidam enim spatium, quod lunam [21] segregat a terra, tormentorum loco distribuunt: quidam inferiorem corpulentioremque, um-
D brarum capacem, terrisque proximam, praefati spatii, quod aëris vocabulo nuncupatur, partem; quidam intimos telluris sinus, veluti profundissima et amplissima antra, densissimarumque perpetuo caliginum plena, ac veluti filiis tenebrarum condigna. Ipsa autem impiorum corpora in ea quantitate, in [22] qua ceciderunt, inque eorum sexu ac [23] forma, numeroque membrorum resurrectura, eodemque

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *ligni*. [2] CF *contemplationi*. [3] Sic CF; A *in abdita*. [4] Sic CF *occidunt*. [5] Sic CF; A *Chaos enim magnum erat inter eos*. [6] *dives* om. A. [7] Sic CF; A *interstitit*. [8] A inter *tristitiam et laetitiam*. [9] Sic CF; A *autem*. [10] ad *Abraham* om. A. [11] *Dominus* om. CF. [12] CF cum Christo *manum in*. [13] Sic CF; A *condita*. [14] Sic CF; A *dispensata*. [15] *autem* om. A. [16] *et* om. A. [17] Sic CF; A *naturas*. [18] Sic CF; A *verisimilia*. [19] Sic CF; A *inter ea*. [20] Sic A; CF *compositus — discretus — distinctus — multiplicatus — ambitus*. [21] A *luna*. [22] *in* om. A. [23] A *et*.

omnino modo, quo in hac vita vixere, futura praedicant, eo excepto, quod de mortalibus temporalibusque in immortalia mutabuntur et aeterna, de animalibus in spiritualia : neque hoc ad virtutem naturae divinaeque bonitatis refertur largitatem, sed ad strenui judicis durissimam et incommutabilem austeritatem, data naturae et dona gratiae in crudelitatem vindictae transfundentes. Aiunt enim, impiorum corpora non aliam ob causam immortalia, aeterna, spiritualiaque resurrectura, nisi ut perpetua sustineant supplicia. Ignem quoque, in quo ardebunt, corporeum sensibilemque esse non dubitant. Similiter de vermibus non morituris, deque stagno sulphureo nescio quid somniant. Corporalia tamen atque localia haec omnia esse incunctanter affirmant : masculos in sexu masculino, feminas in sexu femineo [1], propriosque singulorum habitus resurrecturos publice clamant, nec non et singulorum membrorum officia, sed non necessaria, non defutura, ceteraque deliramenta [2], quae vera plus deridet quam astruit ratio. Duobus enim commatibus concludit eos Apostolus, de generali omnium humanorum corporum resurrectione praedicans : *Seminatur in contumelia, surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Si ergo omnia corpora surgent in gloria et virtute, ablata omni contumelia et infirmitate : qualis gloria erit his, qui aeternis damnabuntur suppliciis, vel qualis virtus? Nec obstat quod alibi idem Apostolus ait : *An non habet potestatem figulus luti, aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam?* Non enim de resurrectione corporum eo loci [3] disputat, sed adversus eos ait, qui Deum conantur reprehendere veluti iniquum, alios quidem eligentem, alios vero repellentem, et illos quidem vasa misericordiae facientem, illos autem vasa irae deserentem [4]. Si autem quis dixerit, Apostolum non [5] de generali omnium humanorum corporum, sed de speciali justorum his verbis praedicasse [6], videat, quid ipse Dominus, dum Lazarum resuscitaverat, de seipso dicebat : *Ego sum*, inquit, *resurrectio.* Non dixit specialiter, ego sum resurrectio justorum, sed universaliter, *ego sum resurrectio.* Si ergo ipse est resurrectio, profecto uniformiter his, quos resuscitat, seipsum praestat, quemadmodum ipse, ut Pater suus, *solem suum* [7] *oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Et fortassis ipse est sol, qui omnibus similiter oritur, et pluvia, quae similiter super omnes pluit; generaliter quidem omnibus resurrectionis et vitae gratiam praestans, specialiter vero in se credentibus non solum mortem carnis, sed etiam mortem mentis, qua Deus ignoratur et quae maxima impiorum poena est, veluti quandam umbram [8] auferens. Itaque [9] sicut aequaliter dedit omnibus hominibus esse, ita aequaliter daturus est resurgere, et angelicae naturae similitudinem possidere. Superiora vero mundi sensibilis spatia, quae dicuntur aetherea, a luna videlicet sursum versus usque ad extremum stelligerae sphaerae ambitum, corporibus sanctorum in possessionem segregant, rationabili, ut eis videtur, distributione, infimas quidem caliginosasque mundi partes dignis supplicio, summas vero lucidasque praemio honorificandis ordinare. Ipsa etiam sanctorum corpora localia, suisque quantitatibus corporalium membrorum, propriisque staturis circumscripta, sexu quoque virili femineoque discreta futura esse praedicare non trepidant; mutata tamen in spirituales qualitates subtilissimasque substantias, aethereorum corporum instar, ita ut, quae hic terrena et caduca, illic caelestia et aeterna, quae hic gravia et corruptibilia, illic omni pondere carentia, omni corruptione libera, ut mirabili celeritate, quorsumcunque velint, motum suum oculorum radiis simillima exerceant; omnia tamen corporalia organa, id est, corporalia membra suis discreta locis habitura [10], oculos scilicet, ceteraque sensuum instrumenta, caput humerorum tenus, brachia, thoracem, pedes, ceteraque membra suis sedibus disposita. Sed dum talia in libris sanctorum Patrum lego, stupefactus haesito, maximoque horrore concussus titubo, et, dum intra me ipsum cogito, cur spiritualissimi [11] viri ultra omnes operationes localium temporaliumque cogitationum ascendentes, totumque sensibilem mundum virtute contemplationis superantes, hujusmodi dicta [12] suis scriptis commendaverunt posteritatique tradiderunt, facilius ducor existimare, non aliam ob causam ad haec excogitanda et scribenda attractos fuisse, nisi ut saltem vel sic terrenis carnalibusque cogitationibus deditos, simplicisque fidei rudimentis nutritos ad spiritualia cogitanda sublevarent. Nam qui ultra hunc mundum sensibilem nihil esse excogitant, promptiores sunt ad negandam quam ad confitendam veridicam naturarum speculationem. Audientes siquidem, neque loca, neque tempora, neque corpora, neque corporalia post finem hujus mundi esse futura, confestim inflammati erumpunt et proclamant, dicentes : Nihil igitur erit, si nihil talium remanserit; et insultant his, qui sola spiritualia promittunt, rerumque sensibilium opiniones auferunt. Haec itaque, ut opinor, magni divinique considerantes [13], timidisque fidelium simplicium cogitationibus consulentes [14], utilius visum est eis [15] praedicare terrenorum sensibiliumque corporum transmutationem in caelestia spiritualiaque corpora [praedicare] [16], quam penitus corpora et corporalia et sensibilia omnia nunquam esse futura. Tolerabilior

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *foeminino.* [2] *deliramenta* om. A. [3] Sic CF; A *eo loco.* [4] Sic A; CF *eligens — repellens — faciens — deserens.* [5] A *quod* non (*Apostolum* om. A.) [6] A *praedicaverit.* [7] *suum* om. A. [8] *veluti quandam umbram* om. A. [9] A *Ita.* [10] Sic CF; A *habitatura.* [11] Sic CF; A *specialissimi.* [12] *dicta* om. CF. [13] A *auferunt opiniones.* [14] Sic CF; A *magnis divinisque considerantibus* cet. *consulentibus.* [15] *eis* om. A. [16] *praedicare* om. A.

quippe carnaliter cogitantibus videtur ad credendum terrenorum corporum in caelestia transitio, quam totius corporalitatis negatio. Eodem condescensionis modo locutus est Apostolus, ut existimo, de resurrectione terreni corporis disputans: *Seminatur*, inquit, *corpus animale*, *surget corpus spirituale.* Ac si dixisset: Corpus terrenum et animale, quod seminatur in mortis et corruptionis solutione, surget corpus spirituale et caeleste, terrena videlicet quantitate et qualitate in caelestem qualitatem et quantitatem transmutata; et, ut breviter dicam, sicuti[1] multi ac pene omnes haec verba Apostoli volunt intelligere, de terreno erit caeleste, de corporali erit spirituale, semper tamen corpus erit; de ponderoso in subtile mutabitur; nunquam tamen aetherea corpora transcensurum, neque corporeas[2] qualitates amissurum, sed a[3] terrenis qualitatibus in caelestes transiturum, sicut fumus vertitur in flammam. Quisquis autem sancti Ambrosii Gregoriique Theologi, nec non et[4] expositoris ejus, Maximi dico, diligentius dicta inspexerit, inveniet profecto, non mutationem corporis terreni in caeleste corpus, sed omnino transitum in ipsum purum[5] spiritum, non in[6] illum, qui aether, sed in illum, qui intellectus vocitatur. Ambrosius siquidem omnem compositionem aufert, ita ut post resurrectionem corpus et anima et intellectus unum sint, et unum simplex, neque ex tribus conjunctum, sed in unam ineffabilem harmoniam compactum, et quae hic tria videntur, illic unus intellectus efficietur[7]. Gregorius similiter et incunctanter astruit mutationem corporis tempore resurrectionis in animam, animae in intellectum, intellectus in Deum; ac sic omnia in omnibus Deus erit, sicut aer vertitur in lucem. Et hoc Apostolus, si quis subtiliter verba ipsius[8] intimaverit, non silet; ait enim: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale,* hoc est, corpus, quod animale seminatur, id ipsum corpus spirituale, hoc est mutatum, surget in spiritum, et, ut apertius dicam, de corpore erit spiritus. Quod etiam aperte declarat, dicens: *Seminatur in contumelia, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Quae enim gloria est seu virtus, terrenum corpus in qualitate siderum et subtilitate aetherea surgere, seu celeritate moveri? Nec obstat quod idem Apostolus ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella autem a stella differt in claritate; ita et resurrectio mortuorum.* Similitudinem quippe introduxit ex corporibus excelsissimis clarissimisque sensibilis mundi, ut suaderet resurrectionis gratiam, et divinarum apparitionum per singulos regenerationis participes differentiam, hoc enim est, *stella autem a stella differt in claritate*, pulchre et convenienter ex comparatione caelestium luminum[9] varietatis multiformem

A infinitamque retributionem, secundum quam justissimus judex reddet unicuique secundum[10] opera sua, egregius Doctor insinuans. Non enim audiendi sunt, qui autumant, humana corpora post futuram resurrectionem[11] ita in aethereis spatiis fulsura, ut unumquodque tantum claritatis accipiat, quantum in hac vita conversationis merito gessit, sive bene sive male; et ut[12] justorum corporalis claritas soli lunaeque fulgentibusque stellis, impiorum vero obscuritas minus splendentibus comparetur; contra quos vera ratio ait, divinis adjuta Scripturis, manifeste docens omnium humanorum corporum communem eamdemque gloriam et virtutem in eadem spiritualitate, immortalitate, aeternitate futuram. Haec enim omnia generaliter omnibus et indifferenter ex natura

B praestabuntur et gratia. Et quid lucri[13] confert justo radiosum corpus instar solis; aut quid damni impio caliginosum, veluti quaepiam obscurissimarum stellarum, habere, cum neque justi gloria in claritate corporis, sed in puritate contemplationis, qua Deus facie ad faciem videbitur, neque impii contumelia in membrorum turpitudine, sed in divinae speculationis privatione futura sit? Praesentia siquidem veritatis faciet[14] beatum, absentia miserum. Exempli gratia; duos homines ponamus, statura et aetate, forma et pulchritudine, sanitate etiam corporis, nobilitate generis, sensuum integritate, virium valetudine, membrorum agilitate, ceterisque[15] corporalibus bonis sibimet absque ulla differentia si-

C millimos; quorum tamen unus sapiens, moribus honestus, omnibus virtutibus, quibus anima decoratur, comptus; alter vero insipiens, moribus turpis, omnibus vitiis, quibus anima deformis efficitur, corruptus: quid utrisque[16] prosunt bona corporalia similiter possessa, dum unus nihil aliud considerat, nisi ut ad summum bonum, ad quod tendit, perveniat, cognoscens non aliud esse suum[17] bonum, nisi summo bono adhaerere, in eoque quiescere, aeternaliterque gaudere; hic incipiens, illic perficiens, beatitudinem suam; semper quaerens totum suum, corpus dico et animam et mentem, supra[18] omnem creaturam ad eum, qui super omnia exaltatur, sublevare: alter vero adhuc in carne mortali constitutus, initium tormentorum suorum in aeterna tristitia, insi-

D pientiae suae caligine obcaecatus non sentit, neque cogitans, quod simul et inseparabiliter hujus vitae deliciae futurique dolores nascuntur, dum adhuc in carne versatur[19], verum dum in praesenti stadio concurrunt, solae deliciae diligentibus eas arrident, et intra[20] eas futura tristitia seipsam latitat; dum vero ad finem mortalis cursus pervenitur, deficientibus deliciis sola illa tristitia, quae jamdudum occulta ac veluti extincta putabatur, inextinguibili ardore, hoc est cupiditate libidinum, quas perdiderat, lugebit.

VARIAE LECTIONES.

[1] A *sic* multi. [2] Sic CF; A *corporales.* [3] *a* om. A. [4] *et* om. A. [5] *purum* om. A. [6] *in* om. A. [7] Sic CF; A *efficitur.* [8] Sic CF; A *ejus.* [9] Sic CF; A *luminarium.* [10] Sic CF; A *juxta.* [11] CF post futuram *regenerationem.* [12] *ut* om. A. [13] Sic CF; A quid *lucrum.* [14] CF *facit.* [15] A *certisque.* [16] CF *utrique.* [17] Sic CF; A *summum.* [18] Sic CF; A *super.* [19] CF *conversatur.* [20] A *inter.*

A Hinc apertissime conficitur [1], nihil aliud appetendum, nisi gaudium de veritate, quae est Christus; et nihil aliud fugiendum, nisi ejus absentiam, quae est una ac sola causa totius [2] aeternae tristitiae. Tolle a me Christum, nullum bonum mihi remanebit, nullum tormentum me terret; ejus siquidem privatio et absentia totius rationabilis creaturae tormentum est, et nullum aliud, opinor. Sed de his multa dici possunt: redeamus ad ea, quae restant. MAG. Priusquam ad finem praesentis libri perveniamus, pauca, ut existimo, dicenda sunt adversus eos, qui nobis objiciunt quasdam divinae Scripturae sententias, quibus conantur astruere, sensibilia ista elementa, totamque mundanae molis amplitudinem semper mansuram, intra quam humanorum quoque corporum post regenerationem stationes motusque, ut
B dicunt, ordinabuntur; nulla corpora ultra hunc mundum ascensura credentes, vel in spiritum transitura. Aiunt itaque: Si caelum et terra peribunt, ita ut nihil de corporalitate, vel localitate, vel de quantitate, vel de motibus temporalibus, vel localibus, vel de spatiis magnitudinum, vel de intervallis positionum in eis remanserit: quid est, quod ait Scriptura: *Erit caelum novum et terra nova?* Quibus verbis non solum caeli et terrae non promittitur destructio, verum etiam in novitatem quamdam certa perhibetur restauratio. Quibus respondemus, quod usitatissimus in divina Scriptura loquendi modus est, totum a parte significari, vel partibus, vel ex maxima divisione universae creaturae ipsam
C universitatem simpliciter comprehendi [3]. Itaque quoniam totius mundi sensibilis constitutio inter duas extremas sui partes sibi invicem oppositas ac veluti contrarias, caelum dico et terram, disposita est, pulchre Propheticus spiritus totius visibilis conditionis innovationem, hoc est in spirituales substantias transmutationem, caeli novi terraeque novae typo significavit, ut caeli vocabulo aetherea caelestiaque omnia corpora extrema, terrae vero inferiora mediaque intelligas; ac per hoc simul totum visibilem mundum in suas spirituales causas transiturum. Si autem quis dixerit, hac divisione caeli novi terraeque novae universitatem visibilis et invisibilis creaturae significatam esse, non elongabitur a veritate, ut opinor. Rationabiliter quippe per innovationem
D caeli spiritualis naturae, terrae autem innovatione corporalium rerum restitutio praefiguratur. Testatur siquidem Apostolus, *omnia, quae in terra sunt et in caelo, in Christo et per Christum restaurari.* Non enim sensibiles solummodo, verum etiam intelligibiles creaturae ineffabili modo Deoque soli cognito in suas causas transibunt, hoc est, in suarum causarum purissimam cognitionem, per quam eis adunabuntur ea ratione, qua id, quod pure intelligit, et id, quod pure intelligitur, unum efficiuntur. Quod etiam, ut arbitror, Dominus in Evangelio significare

A voluit, dicens: *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* [4]. Potest etiam [5] specialiter intelligi, *erit caelum novum et terra nova*, de humanae naturae innovatione et in seipsam adunatione. Nostra siquidem natura adhuc in hac vita ex duabus substantiis composita est, constat enim ex corpore et anima; et quoniam haec tanta dissimilitudo [6] nostrarum substantiarum, ex quibus nunc constituimur, ex praevaricatione humanitatis in prima conditione processerat, ad veterem hominem pertinere testatur Apostolus, docetque nos spoliari veterem hominem, et indui novum, Christum videlicet, in quo nostra natura, corpus dico et animam et intellectum, renovata est, et in unum simplificata, et de composita incomposita facta; et quod in capite
B totius humanae naturae, in ipso videlicet Domino nostro Jesu Christo, jam peractum est, in tota natura perficietur, dum terra nova corporis nostri in caelum novum, hoc est, in novitatem animae mutabitur; ac deinde superiori ascensu corpus simul et anima, in spiritum, spiritus in ipsum Deum: et hoc totum in Christo et per Christum perficietur, qui finis est nostrae naturae et consummatio. Et iterum dicunt, veluti fortissimis acutissimisque ac necessariis argumentationibus nos convincere posse sibimet promittentes: si terra ista omnium corporum gravissima, medium imumque in creaturis obtinens locum, peritura sit, necessario confinis ei luna proximaque siderum terris peribit: et si luminare minus, profecto etiam et luminare majus; nam si totum
C perierit, nulla pars remanebit. Et si ita evenerit, quid est, quod per prophetam promittitur: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum.* Non enim hic quaerimus, inquiunt, allegoriam lunae intelligi de Ecclesia, quae in Christo, qui est Sol justitiae, fulgebit, et de ipso Christo, in quo septem dona Spiritus sancti manifestissime omnibus, qui eum contemplaturi sunt, apparebunt, sed nudam historiam de amplificatione claritatis duorum maximorum caelestium corporum. Si autem haec duo luminaria non solum non peribunt, verum etiam manentibus illorum corporibus splendoris eorum gratia cumulabitur: quid obstat, si similiter, quod de mediis [7] mundi partibus credimus,
D de extremitatibus quoque ejusdem credamus, praesertim cum beatus Augustinus in ultimis de Civitate Dei libris non ipsa mundi corpora transitura, sed eorum qualitates in melius mutandas videatur docere; quemadmodum et humanorum corporum neque formae, neque quantitates [8], neque sexus transibunt, sed solummodo spirituales qualitates et immortales induentur: et in epistola ad Dardanum incunctanter astruit, corpus Domini post resurrectionem in caelo localiter esse in eadem forma carnis atque substantia [9], in qua apparuit mundo, ad-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; *efficitur*. [2] A *totius causa*. [3] Sic AC; F *comprehendere*. [4] CF *transient*. [5] A *autem*. [6] Sic CF; A *similitudo*. [7] Sic CF; A *medii*. [8] Sic CF; A *qualitates*. [9] Sic CF; A *substantiae*.

jecta solummodo immortalitate, non ablata natura, ac per hoc non ubique esse, sicut Deus, neque in divinitatem conversum ultra omnia loca et tempora, ultra omne quod dicitur et intelligitur; sed de aliquo loco visibiliter et corporaliter descendet, judicare vivos et mortuos. Sed huic argumentationi non tantum laboriose, quantum illi existimant, possumus occurrere. Dicimus enim, universam sensibilem creaturam lunae tropo insinuari; nec immerito; ut enim luna incrementis decrementisque [1] obnoxia est, sic et totus mundus iste generationi et corruptioni partium sui; nihil enim in eo firmum vel stabile; omne quippe, quod comprehendit, quoniam incipit oriri, necessarium est occidere : solaris autem cursus et claritatis typo spiritualium rerum, quae uniformiter et stant et moventur, pulcherrimam dispositionem significari. Erit ergo lux lunae sicut lux solis, quando transmutabitur corporalium rerum multiformis mutabilisque varietas et incomprehensibilis discursio, nunc sensibus apparens, nunc ab eis recedens, nunc perfectam, nunc imperfectam speciem praestans, in spiritualium substantiarum plenissimam immutabilemque claritatem uniformemque pulchritudinem et honestatem; lux vero solis, hoc est, spiritualium rerum pulchra formositas erit septempliciter, sicut lux septem dierum, hoc est principalium causarum, quae in sublimissimae sapientiae claritate substitutae sunt, quae etiam septenario numero typice solent figurari, quoniam sex primis mysticis intelligibilibusque diebus in Verbo Dei factae sunt, septimoque die earum perfecta consummatio in eo, in quo creatae sunt, requievit. Et hoc est intelligibile sabbatum, quod et in conditione rerum praefiguratum est et inchoatum, et in earum fine manifestabitur et perficietur, quando omnis sensibilis creatura in intelligibilem, et omnis intelligibilis in causas, et causae in causarum causam, quae Deus est [2], mutabuntur, aeternaque requie gaudebunt, ineffabilique claritate fulgebunt et sabbatizabunt. Et qui [3] nobis Augustinum opponunt, tanquam ipsi majorem doctrinae illius reverentiam, quam nos, praebere velint [4], et frequentius studiosiusque sententias ejus de talibus legerint, videant, quid ipse in eisdem libris de Civitate Dei de interitu, deque destructione illius sensibilis et corporei caeli, omniumque, quae intra ambitum ejus, in quibus etiam carnem Christi post resurrectionem includi ipsum beatum magistrum putant existimasse, disseruerit, et quomodo acutissimae intelligentiae homo senserit duo sibimet contraria, caelum scilicet corporeum penitus interiturum, et carnem Christi post resurrectionem in eo constitutam localiter et circumscripte in ea forma, qua inter homines verus homo ex hominibus factus vixit. Itaque credibilius arbitrandum est de magno divinarum humanarumque rerum et solertissimo inquisitore et copiosissimo expositore, secundum capacitatem singulorum, quibus scripsit, scripsisse, quam a sanctis Patribus, qui eum praecesserunt ordine temporum, ab Ambrosio dico Gregorioque Theologo, quorum auctoritate in aliis locis non discrepat, dissensisse. Ego autem nulli derogans, cum nullo contendens, indubitanter intelligo, quod ipse Dominus dixit : *Ego et Pater unum sumus*, non de sola sua divinitate, sed de tota sua substantia, homineque Deoque [5] dixisse; ac per hoc totus Christus, Verbum videlicet et caro, ubique est, nulloque continetur loco, nec in toto, nec in parte sui, hoc est, neque in divinitate, neque in humanitate, quibus veluti duabus partibus tota ipsius substantia constituitur. Et hoc ex sententia sancti Hilarii Pictaviensis episcopi possumus approbare; in libro siquidem tertio de Trinitate exponens, quod Dominus Patrem suum orans ait : *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum ea claritate, quam habui, priusquam mundus esset*, haec [6] protulit : *Verbum caro factum non amiserat quod erat, sed coeperat esse quod non erat; non de suo* [7] *destiterat, sed, quod nostrum est, acceperat; profectum* [8] *ei, quod accepit, ejus claritatis expostulat, unde non destitit. Ergo quia Filius Verbum, et Verbum caro factum, et Deus Verbum, et hoc in principio apud Deum, et Verbum ante constitutionem mundi* [9] *Filius, nunc caro factus, orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse, quod Verbum, ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, qui sine tempore est, acciperet, ut in Dei virtutem et in- spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur.*

38. Si ergo transformata caro Christi est in Dei virtutem et spiritus incorruptionem, profecto ipsa caro virtus est et incorruptibilis spiritus. At [10] si Dei virtus et spiritus ubique est, non solum supra [11] loca et tempora, verum etiam supra [11] omne, quod est, nulli dubium, ipsam carnem in virtutem et spiritum transformatam nullo loco contineri, nullo tempore mutari [12], sed sicuti Dei virtus et spiritus, Verbum videlicet, quod eam jam [13] in unitatem sibi substantiae acceperat, omnia loca et tempora, et universaliter omnem circumscriptionem excedere [14]. Sat est igitur, praefati magistri, Augustini videlicet [15], unam sententiam, cum multae sint, ponere de caelo et terra, quae nunc sunt, quid post judicium futura erunt; in vicesimo de Civitate Dei libro, tredecimo capitulo : *Postea*, inquit, *peracto judicio tunc esse desinet hoc caelum et haec terra, quando incipiet esse caelum novum et terra nova; mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus.* Unde et Apostolus dicit : *Praeterit figura hujus*

VARIAE LECTIONES.

[1] CF *detrimentisque.* [2] A *est Deus.* [3] Sic A ; CF *quid.* [4] A *voluerint.* [5] *homineque Deoque* om. A. [6] Sic CF; A *hoc protulit verbum*, Verbum cet. [7] Sic A CF; sed F supra adscr. corr. non de suo *esse* destiterat. [8] Sic CF; A *profecto.* [9] A *mundi constitutionem filius*, filius. [10] Sic CF; A *ac.* [11] A *super.* [12] Sic CF; A *quin ipsa caro . . . transformata . . contineatur. . mutetur.* [13] Sic CF; A *etiam.* [14] A *excedat.* [15] *Augustini videlicet* om. A.

munat, volo vos sine sollicitudine esse. Figura ergo praeterit, non natura. Dic, quaeso, ubi dissonat ab his, quae diximus de transitu mundi hujus in suas causas, quas ipse naturam vocavit? Ille dicit, hoc caelum et hanc terram post judicium esse desitura [1], solam vero eorum naturam immutabiliter manere; similiter et nos docuimus vestigia ejus et aliorum similium sequentes [2], omne, quod in hoc mundo sensibile et locale et temporale, omneque mutabilitati obnoxium periturum, hoc est, transiturum in ipsam substantiam, hoc est, naturam [3]; naturam vero ejus, quae incorporaliter et intelligibiliter in primordialibus rerum omnium [4] causis immutabiliter et incorruptibiliter continetur, semper mansuram. Si quis autem dixerit, hujus mundi naturam atque substantiam sensibilem corporeamve esse, locis temporibusque, generationibus et corruptionibus subditam, vera ratione elongatus, omni responso [5] indignus efficitur [6], omnibus physicis sapientibus dum sit definitum, naturam substantiamque corporum incorpoream esse. Si autem dixerit, carnem Christi post resurrectionem intra ambitum hujus corporei caeli usque ad diem judicii mansuram, eo vero defecturo ultra omnia loca et tempora, ultra omnes virtutes caelestes ascensuram, profecto non intelligit, quod de toto Christo catholica confitetur Ecclesia, dicens: *Ascendit in caelum, sedet ad dextram Patris.* Et quis nisi amens dixerit, caelestes virtutes ultra hunc mundum esse, intra ipsum vero carnem Christi, versam jam in spiritum, imo in ipsum Deum, detineri, cum videamus, crassissimas nubes solari igne consumi, inque eum converti? Si dixerit, quid mirum, si Christum secundum carnem in aliquo loco hujus corporei caeli, vel ubicunque in eo voluerit, localiter [7] stare vel moveri credamus, secundum vero animam vel divinitatem ubique esse, si tamen anima ejus, sicut et divinitas, ubique praesens est atque diffusa, cum fateamur [8], angelicos spiritus ultra omnem corpoream creaturam subsistere, et ultra omnem locum illocaliter moveri, eorum vero corpora, quibus hominibus solent apparere, et localia esse, et intra ambitum sensibilis creaturae contineri: respondemus, neque angelicos spiritus, neque spiritualia eorum corpora, quae causaliter in ipsis spiritibus subsistunt, intra septa corporeae creaturae omnino comprehendi. Non enim materialia, ex qualitatibus mundi hujus elementorum composita possident corpora, sed spiritualia, intellectibus suis coadunata, in quibus, quando, et ubi, et quomodo volunt, humanis sensibus ad tempus apparent; nec [9] tamen phantastice, sed veraciter. Ex veris quippe rationibus vera corpora procedere et spiritualia, dubium non est. In tali corpore Christum suis discipulis post resurrectionem apparuisse credimus, non

A quod aliud illud, aliud quod natum est ex virgine, suspensum in cruce, resuscitatum a mortuis, sed ipsum de mortali in immortale, de animali in spirituale, de terreno in caeleste mutatum. In talibus corporibus humanae naturae numerositas ex secretis suis sinibus, si non peccaret, pullularet. Inest siquidem unicuique hominum occulta corporis sui ratio, in quam resurrectionis tempore hoc terrenum mortaleque mutabitur, et in qua angelicis corporibus assimilabitur, quando homines *aequales angelis erunt.* Nulla itaque ratio nobis obstat, ut non incunctanter et credamus et intelligamus, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus suis naturis, in inseparabilem suam substantiam adunatis, ubique esse, nullamque sui partem ullo vel loco vel tempore, seu aliquo modo, quo creatura definitur, circumscribi. B Totus enim Deus est totus ubique, totus super omne, quod dicitur et intelligitur, exaltatus, totus in Patre, et cum Patre unum effectus, totus Deus in toto homine, et totus homo in toto Deo, rationibus utriusque naturae in semetipsis permanentibus. Ac sic ineffabiliter et supernaturaliter nostri capitis harmonia coaptata est, in quam omnia membra ipsius sibi invicem coadunata reversura sunt, *quando occurrent in virum perfectum, in plenitudinem aetatis Christi*, et unus in omnibus, et omnes in uno unum [10] et erit et apparebit, et erunt et apparebunt [11]. Non enim audiendi sunt, qui aliter putant accipiendum, quod ait Apostolus: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et cognitionis Filii Dei, in virum perfectum,* C *in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Arbitrantur quippe, hoc dictum fuisse de perfecta statura corporis Christi tricesimo anno aetatis suae in carne, in qua statura et aetate corporali omnes homines resurrecturos conantur asserere, sive [12] abortivi, sive [12'] decrepiti, sive in quibuslibet incrementis decrementisve [13] corporalibus solvantur [14] a corpore. Quorum falsissima deliramenta ipsius Apostoli verba manifestissime destruunt atque convincunt. Non enim de incrementis Christi secundum carnem, quam acceperat, seu mensura ejus, vel aetate, sed de corpore ejus, quod est Ecclesia ejus [15], talia dicta sunt. Cujus corporis, Ecclesiae videlicet, mensura et perfectio et plenitudo aetatis spiritualis ipse est, qui et caput perfectissimum et intellectuale est sui corD poris intellectualis, qui est finis omnium et consummatio. Intuere Apostolum ad Ephesios dicentem: *Omnia dedit sub pedibus* [16] *ejus, et eum dedit caput super omnia membra* [17] *Ecclesiae, quae est corpus ejus, et plenitudo omnia in omnibus implentis.* Et post aliquanta iterum in eadem Epistola intuere, quibus membris Christus corpus sibi aedificare voluit et aedificat: *Ipse dedit*, inquit, *quosdam quidem apostolos, quosdam vero prophetas, quosdam evangelistas,*

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *defutura.* [2] A *requirentes.* [3] *hoc est naturam* om. A. [4] *omnium* om. A. [5] Sic CF; A *responsione.* [6] Sic CF; A *efficietur.* [7] *localiter* om. A. [8] Sic CF; A *confiteamur.* [9] A *non.* [10] *unum* om. A. [11] Sic CF; *et erunt et apparebunt* om. A [12] A *sint.* [12'] A *sint.* [13] CF *detrimentisve* [14] Pro *solvantur* A *quando solvuntur.* [15] *ejus* om. A. [16] A sub *pedes.* [17] *membra* om. CF.

quosdam pastores et magistros. Vidisti membra; vidisti materiem. Interroga eundem Apostolum, ad quid haec membra parantur. Respondet : *Ad perfectionem sanctorum, in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et cognitionis Filii Dei.* Vide initium aedificationis, unitatem quidem fidei; aedificationis perfectionem cognosce, unitatem videlicet cognitionis Filii Dei. Hic igitur incrementa corporis Christi incipiunt, illic perficientur, quando Christus cum toto et in toto suo corpore quidam perfectus et unus vir, caput in membris et membra in capite, apparebit, quando mensura et plenitudo aetatis Christi non corporalibus oculis, sed virtute contemplationis in omnibus sanctis suo capiti adunatis clarissime videbitur, quando spiritualis aetas, hoc est virtutum plenitudo, quae in Christo et Ecclesia sua constituta est, consummabitur, et cetera, quae de aeterna felicitate et perfectione beatitudinis in Dei Filio intelligi possunt. In resurrectione autem humanorum corporum, quod unusquisque in ea statura et magnitudine, ad quam perfecto sui corporis incremento pervenit in juvenili aetate, sive perventurus [1] esset, si morte non praeoccuparetur, vel quam deseruit in seniles defectus decidens, resurrecturus [2] sit, beatus Augustinus in libris de Civitate Dei incunctanter affirmat. Quod vero immortalia et spiritualia corpora nullis corporalium formarum lineamentis, vel qualitatibus, vel quantitatibus circumscribentur, propter ineffabilem eorum spiritibus incircumscriptis adunationem indiscretamque simplicitatem, beatum Gregorium Theologum, sanctum quoque Ambrosium, nec non et Maximum venerabilem magistrum certis rationibus approbare saepe diximus. Causam tamen erroris eorum, qui in statura corporis Dominici omnia humana corpora resurrectura dogmatizant, non ignoramus. Minus enim intelligentes, quod in Graeco est scriptum, εἰς μέτρον ἡλικίας, hoc est, in mensuram aetatis, existimabant, ἡλικίαν proprie ad perfectam corporis aetatem pertinere, cum ἡλικία plus animae in virtutibus, quam corporis per localia et temporalia incrementa perfectam significet [3] mensuram. Hinc est, quod philosophi animam rationalem ἐνδελέχειας filiam, hoc est, perfectae aetatis in virtutibus asserunt esse, veluti ἔνδον ἡλικίας, id est intus aetatis [4]. Ac per hoc nemo sane intelligens praefata Apostoli verba de perfectione aetatis corporis, sed de plenitudine Ecclesiae in capite suo, quod est Christus, hoc est, de perfectione [5] gratiae et beatitudinis et incomprehensibilis adunationis accipiat. Et miror de his, qui talia nobis opponunt de amplificatione corporalium mundi luminum, cur non intendunt, quod in Evangelio de defectu totius mundi sensibilis per defectum partium ipsius Domi-

(A) nus ipse prophetat, dicens : *Statim autem post tribulationem dierum illorum,* hoc est, post [6] persecutionem Antichristi, *sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo.* Quibus verbis intelligimus, solem et lunam post defectum sui luminis non remansuros, neque stellas deficiente aethere et sphaera, in quibus dispositae sunt. Neque enim in hac Dominica prophetia allegoricum solummodo sensum, verum etiam totius mundi destructionem solutionemque corporum accipimus. Quam, destructionem dico, multi nolentes credere, ad solius allegoriae leges recurrunt, et per defectum solis titubationem fidei etiam perfectissimorum virorum, qui tunc temporis, quando filius iniquitatis apparebit, futuri sunt, [intelligunt] [6*]. Cujus persecutio in (B) tantum tenebras erroris et perfidiae inducet, ut non solum in caelo ecclesiae carnales, qui per lunam, verum etiam spiritualiores, qui per stellas, summi quoque et spiritualissimi doctores ejus, qui per solem mystice praefigurantur, lumen orthodoxae fidei aut ad tempus abscondent, aut territi minuent, aut ab eo penitus labentur. Quam theoriam neque nos refellimus. Verumtamen audiendi non sunt, qui hunc locum evangelicum violenter secundum historiam conantur astruere, putantes, quod nunquam caelestium corporum casus luminis in fine mundi futurus sit, sed illorum splendor superabitur nimia claritate supervenientis judicis, caelestiumque essentiarum cum ipso descendentium, quando venturus est judicare vivos et mortuos. Addunt etiam (C) paradigma ex orientis solis radiis, qui impetu suo fulgorem aliorum siderum obtundunt [7], imo etiam ab oculis nostris auferunt; in se namque ipsis sui luminis vibratum indiminutum semper custodiunt, quoniam sol, a quo lumen accipiunt, semper praesens eis est. Nec obstat, quod aliquoties lunari globo interjectus terrae solares aufert radios. Erroris autem eorum, qui talia somniant, causa est, ut opinor : arbitrantur enim judicium futurum in aliquo loco intra septa hujus mundi agendum fore, judicem quoque cum suis sanctis angelis de superioribus sensibilis naturae partibus localiter et corporaliter descensurum. Hinc est, quod quidam sedem judicii in confinio aëris et aetheris, quo physici lunarem circulum describunt, quidam, Ju(D)daeis consentientes, in valle Josaphat delirant, non animadvertentes virtutem nominis, quod est Josaphat; compositum quippe est ex ἰαὼ et σαφάτ. Et ἰαὼ quidem multas habet interpretationes; interpretatur enim *invisibilis* [8], aut *Dominus*, aut *gloria*, aut *existens*, aut *erat, et est, et futurus est*; σαφάτ autem vertitur in *judicium*. Josaphat igitur [9] invisibile judicium, vel Domini judicium, vel gloriosum judicium, vel erat, et est, et futurus est, qui judicat. Videns itaque Joel, prophetico spiritu illuminatus,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A sive *robore* perventurus. [2] *esset si — resurrecturus* om. A. [3] A *significat.* [4] Sic CF; A *interioris aetas.* [5] *hoc est de perfectione* om. A. [6] *post* om A. [6*] *intelligunt* om. ACF addidi ex conj. [7] A *obtundet.* [8] Sic CF; A *visibilis.* [9] Sic CF; A *autem.*

divini judicii profunditatem et invisibilem virtutem, omnibusque remotam, typice vallem introduxit Josaphat, et personam Domini, cujus gloria in altitudine [1] judicii sui apparebit, qui erat, et est, et futurus est, accipiens et in seipsum infundens proclamat: *Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Ac si dixisset, consurgant omnes ex mortuis, et ascendant in judicii mei altitudinem, arcanumque profundum, quod superat omnem intellectum. Hos itaque, qui talia somniant, clara veraque deridet ratio. Quomodo enim Dominus noster Jesus Christus, cui Pater dedit judicium, localiter et temporaliter movebitur, postquam humanitatem suam super omnia loca et tempora, super omne, quod dicitur et intelligitur, in unitatem suae divinitatis exaltavit; ubi sedet aeternaliter et incommutabiliter ad dextram sui Patris, et sessurus est; unde regit et judicat omnia, et recturus et judicaturus est! Nam quod in ecclesiastico symbolo fides catholica confitetur, dicens: *Inde venturus judicare vivos et mortuos*, non ita debemus cogitare, ut localem motum ipsius, seu ex intimis naturae sinibus in hunc mundum processionem quandam intelligamus, donec visibilibus membris corporeis sensibus judicandorum appareat; sed adventum ipsius unusquisque bonorum et malorum intra seipsum videbit in sua conscientia, quando aperientur libri, et revelabit Deus abscondita tenebrarum, et unusquisque suarum actionum et cogitationum judex erit. Hinc Augustinus vicesimo [3] libro de Civitate Dei, decimo tertio capitulo: *Quaedam*, inquit, *vis est intelligenda divina, qua fiet, ut unicuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur* [4], *ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita et omnes et singuli judicentur.* Quae nimirum vis divina libri nomen accepit; in eo quippe quodammodo legitur, quicquid ea faciente recolitur, sicut ait Apostolus: *Omnes enim stabimus ante tribunal Domini, ut ferat unusquisque, quae per corpus gessit, sive bonum sive malum*, tribunal Domini appellans majestatis ejus excelsitudinem, quae omnibus ubique in omnibus apparebit, qua et [5] manifestata *videbunt impii, in quem pupugerunt* [6], *et plangent se omnes tribus terrae.* Ac sic signum filii hominis, hoc est, honor et gloria crucis ejus cunctis fulgebit. Et fortassis illa est flamma ultima, quae totum mundum et implebit et consumet [7], apparitio videlicet Dei Verbi in omni creatura, quando nil aliud et [8] bonis et malis in omnibus splendebit, nisi intelligibilis lux, quae nunc implet omnia occulte, et tunc aperte impletura est. Illa est flamma, ut opinor, quae de seipsa loquens ait: *Ego sum ignis consumens;* consumet enim omnia, quando omnia in omnibus erit, et solus in omnibus apparebit. In Evangelio quoque suo: *Ignem*, inquit [9] *veni mittere in terram; et* [10] *quid volo, nisi, ut ardeat?* terrae vocabulo omnem sensibilem creaturam, ignis vero ardentis, suae manifestationis claritatem in omnibus futuram, suique judicii ferventiam typice significans. Cui sensui beatus Augustinus adstipulatur in expositione quinquagesimi psalmi: *Quid est enim holocaustum totum igne consumptum? Quando totum pecus imponebatur arae igne consumendum, holocaustum dicebatur. Totos nos ignis ille absumet, et fervor ille arripiet. Quis fervor? Nec est, qui se abscondat a calore ejus. Quis fervor? De quo dicit Apostolus: Spiritu ferventes. Non tantum anima nostra absumatur ab illo divino igne sapientiae, sed et corpus nostrum ab immortalitate. Sic levetur holocaustum, ut absorbeatur mors in victoriam* [11]: et cetera, quae typice de futuro judicio divina tradit historia; de quibus nunc tractare longum est.

Disc. Longum quidem; vellem tamen breviter audire, quae sint nubes illae, in quibus sancti rapientur obviam Christo in aëra; et quis ille [12] aër, in quo cum Christo in ipsis nubibus semper erunt. Ait enim Apostolus: *Nos autem, qui relinquimur, qui residui sumus*, hoc est, qui nondum in altitudinem deificationis ascendimus, *rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum illo erimus.*

Mag. De his nubibus et in prioribus hujus [13] disputationis libris beatum Maximum sequentes pauca praefati [14] sumus, et nunc iterum sancti Ambrosii sensum addentes dicemus. Unusquisque igitur Sanctorum, ut ait Maximus, suam habebit nubem, propriam videlicet suae contemplationis virtutem et altitudinem. In quantum quippe quisque cogitationi veritatis appropinquabit, in tantum rapietur obviam Christo in aëra, hoc est, in purissimae intelligentiae altitudinem et claritatem, ac sic semper in nube contemplationis suae in divinis theophaniis et erit et gaudebit. Item secundum Ambrosium nubes sunt patriarchae, verbi gratia Abraham, Isaac et Jacob, in quorum fide et actione et scientia, veluti in quibusdam nubibus clarissimis, haeredes Novi Testamenti obviam Christo rapientur. Similiter legislator Moses ceterique prophetae, apostoli quoque, qui ipsius Domini virtutes et doctrinam praesentialiter perspexere, nubes sunt, in quorum fidei et actionis, spei quoque et caritatis, scientiae et sapientiae, ceterarumque virtutum exemplis, veluti quibusdam nubibus, qui in hac vita illorum vestigia sequuntur, rapientur obviam Christo, sicut et ipsi, sive viventes adhuc in carne, rapti, sive carne soluti. Dic, quaeso, quo raptus est Enoch, quo Elias, qui [15] adhuc in carne constituti, rapti sunt? Nonne obviam Christo, quem spiritu cognoverunt venturum esse in mundum? Quo Abraham, de quo Dominus ipse dicit: *Vidit Abraham diem meum, et gavisus est?* Quid mo-

VARIAE LECTIONES.

A in *altitudinem.* *sui* om. A. [3] A *in* vicesimo. [4] CF *cernentur.* [5] *et* om. A. [6] CF *pupunxerunt.* [7] Sic CF; A *consummabit.* [8] *et* om. A. [9] *inquit* om. A. [10] *et* om. A. [11] *Cui sensui beatus Augustinus — victoriam* om. A. [12] Sic CF; A et quis *est* ille. [13] *hujus* om. A. [14] A *praefati pauca* sumus. [15] *qui* om. CF.

ror? Quo Job, qui dixit: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te?* Quo Moses, ascendens in montem Sinai? Quo ceteri prophetae, praevidentes Verbum Dei in carne venturum, eique spiritu occurrentes? Quo Petrus raptus est, Domino suo respondens: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Quo Paulus in tertium caelum ascendens? Nonne omnes isti, eorumque similes obviam Christo juxta uniuscujusque propriam communemve theoriam rapti cum illo sunt et in illo, in spirituali aëre virtutum et contemplationum? Has omnes ceterasque similes et [1] intelligibiles nubes illa sensibilis nubes praefigurabat, quae tempore ascensionis Dominum accepit ab oculis discipulorum, quando elevatus est in caelum. Non enim indigebat ipse cujusdam vehiculi ex nubibus conglobati ad se sublevandum in aëria aethereaque spatia, cum fuerit ille post resurrectionem purior leviorque omni visibili et invisibili creatura, nullumque localem motum in spiritualitatem sui corporis post regenerationem receperit, aut siverit [2] remanere; typice autem voluit suis discipulis visibiliter ostendere modum, quo invisibiliter ipse in cordibus diligentium sequentiumque se ascendit. Ipse siquidem ascendit in contemplationibus ascendentium ad se; nullus quippe ad illum sine illo potest ascendere. *Nemo* enim, ut ipse ait, *ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit*, nec caelum deserit, dum in sanctis intellectibus eos secum sublevans ad seipsum ascendit. Propterea subsecutus: *Filius*, inquit, *hominis, qui est in caelo*, caelum appellans Patrem, a quo exivit per incarnationem, et ad quem reversus post [3] resurrectionem. Ubicunque enim [4] legimus in Evangelio, Dominum sublevasse oculos in caelum, Patrem suum intelligere debemus, qui solus major illo est, ea ratione, qua Pater praecedit causa Filium. Tribus autem modis Sancti in puritate contemplationis cum Christo et in Christo fieri intelliguntur. Fiunt enim et adhuc in carne detenti, fiunt a corpore soluti, fiunt corporibus receptis. Horum trium modorum manifestissima exempla in transformatione Domini in monte manifestata sunt; viventium siquidem in carne Elias, solutorum corpore Moyses, resurgentium ipse Dominus typum gestabat. Resurrectionis siquidem omnium formam in transfiguratione sui corporis discipulis ostendit. Et ne existimes, Eliam adhuc in corpore suo viventem de locali aliquo paradiso, seu Moysen de sede aliqua animarum, seu recepto corpore ad Christum tunc convenisse, peractoque transfigurationis mysterio ad loca illa, unde venerant, reversos fuisse: verum incunctanter fideliterque crede et intellige, non aliunde processisse, nisi ab eo, cum quo apparuerunt [5] in monte, hoc est, in sublimitate spiritualis visionis, quae tunc facta est extra sensus corporeos [6], et in quo, priusquam apparerent, erant, et quem, cum apparerent, non deseruerant, et in quem finito apparitionis sacramento reversi sunt, non aliorsum, sed in ipsum, in quo et cum quo unum sunt. Quod apertissime significatum est per illos tres electos discipulos in arcana transformationis [7], qui elevatis oculis neminem viderunt, nisi Jesum solum [8]. Et ut credibilius haec [9] cognoscas, lege sanctum Ambrosium in expositione in Lucam. *Cognosce*, inquit, *nubem istam non fumigantium esse montium nebuloso humore concretam, et coacti aëris caliginem piceam, quae caelum tenebrarum horrore subtexat, sed lucidam nubem, quae nos non pluvialibus aquis, et humentis alluvione imbris immadidet, sed de qua mentes hominum voce Dei omnipotentis emissa fidei ros rigavit, et dum fit vox, inventus est Jesus solus. Itaque cum tres essent, unus est factus: tres in principio videntur, unus in fine; perfectae enim fidei unum sunt. Denique hoc etiam Dominus orat Patrem* [10], *ut omnes unum simus; nec solum Moyses et Elias in Christo unum sunt, sed etiam nos unum corpus Christi sumus. Ergo et illi tanquam in uno corpore* [11] *recipiuntur in Christi corpus, quia et nos unum erimus in Christo Jesu.* DISC. De nubibus, in quibus Sancti obviam Christo rapiuntur, satis est actum. Sed quales sunt nubes illae caelestes, cum quibus Filius hominis venturus est, merito quaeritur. Ac per hoc eas vellem, quales sint, cursim edisseras. MAG. Nubes caeli, cum quibus Filius hominis venturus est [12], non alias esse dixerim, nisi ipsas caelestes substantias, quae semper virtute contemplationis circa Christum volvuntur. Quoniam vero incomprehensibilem omnique intellectui invisibilem summam ac sanctam Trinitatem, quae superat omnem intellectum, non per seipsam aspiciunt, sed in theophaniis comprehensibilibus sibique connaturalibus, propterea nubes caeli dicuntur. Ex ipsis siquidem apparitionibus divinis, in quibus Deum vident, caelestes substantias nubium vocabulo Dominus ipse significavit, cum quibus et in quibus adventus ejus, hoc est, majestatis illius clarissima omnibus bonis et malis amplitudo declarabitur. Nam et caelestes substantias localiter moveri spiritualis suae naturae ratio non patitur; moventur autem spiritualiter, cum, quod in causa omnium faciendum esse perspiciunt, in ipsa natura, quae per eos administratur, et cui praesident, peragunt absque suo locali et temporali motu, loca, et tempora, omniaque, quae in eis circumscribuntur, disponentes. Dicuntur etiam venire, quando in aliquo visibili his, qui digni sunt, apparent, recedere vero, quando omni sensu corporeo omnino removentur. Nec te moveat, quod dixi, spirituales substantias temporalem motum non pati, dum sanctus Augustinus proclamat, *solum Deum sine loco et tempore a seipso movere, conditum vero spiritum per tempus sine loco, corpus autem per locum et tempus ab eo, qui movet*

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A [2] A *sineret.* [3] Sic A; CF *per* resurrectionem. [4] *enim* om. A. [5] Sic CF; A *apparuerant.* [6] *hoc est in sublimitate — corporeos* om. A. [7] Sic A CF. [8] A *solum Jesum.* [9] Sic CF; A *hoc.* [10] CF *Patrem orat.* [11] *in uno corpore* om. CF. [12] *est* om. CF

omnia, motum pati. Hoc enim dixi Graecorum auctoritatem sequens, quae incunctanter astruit, omne, quod localiter movetur, temporaliter moveri; omne autem, quod locali motu caret, sequitur temporali etiam carere. Haec enim duo, locum dico et tempus, aut simul erunt, aut simul auferentur, quoniam a se invicem disgregari non patiuntur. Disc. De auctoribus utriusque linguae non est nostrum contendere : sequatur quis quem vult, nulli derogans. Et quoniam de nubibus intelligibilibus, quamvis breviter, est dictum, redi, quaeso, ad reditum, nostramque fluctuantem navem fessosque nautas ad portum dirige. Mag. Reditum [1] omnium, quae in suas causas reversura sunt, quando mundus iste sensibilis solvetur, et mundus ille intelligibilis, qui super nos est, in Christo implebitur, dupliciter intelligitur. Est enim generalis, et est specialis : generalis quidem in omnibus, qui ad principium conditionis suae redituri sunt; specialis vero in his, qui non solum ad primordia naturae revocabuntur, sed etiam ultra omnem naturalem dignitatem, in causam omnium, quae Deus est, reditus sui finem constituent. Exempla autem ac similitudines utriusque reversionis ex divinis Scripturis comparare debemus. Et quoniam naturali ordine genus praecedit speciem, prius de generali reditu dicendum. Exemplum itaque generis praecessit in populo Dei, qui de jugo servitutis intelligibilis Pharao, hoc est diaboli, satellitumque ejus liberatus, duce spirituali Moyse, Christo videlicet, siccis [2] pedibus mare Rubrum transiens, solidam videlicet [3] humanae naturae [4] viam discissis irrationabilium [5] motuum cerulis [6] deambulans [7], rebellesque gentes, vitiorum scilicet [8] turmas superans atque prosternens, defunctis suis corporibus, carnalibus dico cogitationibus, in deserto virtutum, quo omne mortale et corruptibile consumitur, spiritualiter solummodo in filiis bonorum operum in terram repromissionis reversus est. Quod autem duo ex omnibus, qui venerunt [9] de Aegypto, vivi adhuc in carne in terram promissam intraverunt [10], mystice insinuat duplicem nostram naturam, corpus videlicet et animam, in Salvatore nostro, quem praefigurabat Jesus filius Nave, hoc est pulchritudinis eorum, in terram, quam peccando deseruimus, reversuram, Caleb comitante, hoc est, libero nostro cordis arbitrio. Caleb quippe interpretatur sicut cor [11] vel omne cor. Ut enim uniuscujusque cordis devotio divina gratia adjuta fuerit, ita Salvatorem suum in regionem sequetur viventium, naturalibusque bonis utentium. Hac autem ratione ducimur ad intelligendum totius humanitatis reditum ad pristinum naturae statum per Israelitici plane [12] populi de Aegyptiaca captivitate revocationem [13], quoniam Scriptura nullum de populo Dei in Aegypto remansisse commemorat, sed

A omnes unanimiter ex ipsa fugisse, et nemine excepto de manibus crudelissimae potestatis liberatos fuisse. Quod autem nullus eorum, qui de Aegypto reversi sunt, obrutus est fluctibus vel mersus, sed omnes, ut ait Apostolus, *sub nube fuerunt*, sub divina videlicet protectione, *et omnes mare transierunt, et omnes sub Moyse baptizati sunt in nube et in mari*, praefigurabat generale illud baptisma, quod in fine mundi perficietur, quando mysticus Moyses populum suum, universum videlicet genus humanum, sanguine suo redemptum, omnique impietate atque malitia detersum, de morte ducet ad vitam, quando in nullo homine nihil praeter simplicitatem naturae apparebit, merito ipsius, qui eam totam accepit, totamque sanavit, quando intelligibilis rex Aegypti, princeps B profecto hujus mundi, cum innumerabili exercitu malitiae suae, omnibusque vitiis, quibus imaginem Dei in homine creatam captivam detinuerat, fluctibus Rubri maris, hoc est, profundissima copiosissimaque atque infinita effusione gratiae, quae in pretium sanguinis Christi humanae naturae diffusa est, obruetur. Ut enim hominibus sanguis Christi profuit in redemptionem, et proficiet ad pristinam naturae suae restaurationem, ita diabolo et angelis ejus nocuit ad eorum destruendum imperium, et nocebit ad augendum supplicium. Inundatio siquidem Erythraei [14] maris, hoc est diffusio Dominici cruoris, quemadmodum humanam naturam ab aeternae mortis profundo in vitam emersit aeternam, ita diabolicam malitiam in perpetuam suffocavit damnationem. C Nullam quippe majorem poenam diabolica patietur superbia, nullamque graviorem tristitiam, quam humanae saluti invidiam, pedisequamque ejus desperationem. Non quod et ille, si vellet, ad Creatorem naturae suae converti non posset, sed quod malevolentiae suae nexibus ligatus dulcedinem beatitudinis perpetualiter in odio habebit, lapsos de manibus suis assiduis cruciatibus dolens. Isaias quoque propheta salutem humani generis generaliter in Christo non tacet, sed clamat dicens : *Terra Zabulon, et terra Nepthalim, via maris trans Jordanem Galileae. Gentium populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, et sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* Et quis est ille populus, qui sedebat in tenebris, et in regione umbrae mortis, D nisi infinita solique Deo cognita humanitatis numerositas, quae, postquam lucem paradisi deseruit, in tenebris ignorantiae et in regione umbrae mortis sedebat, non solum ipsius, qua anima segregatur a corpore per corruptionem, verum etiam, qua Deus animam deserit per peccatum? Ex qua duplici morte totum genus humanum liberat lux illa, quae omnibus orta est, quae de seipsa dicit : *Ego sum lux mundi.* Nunc quidem partim idolorum

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *reditus*. [2] A *suis* pedibus. [3] A *scilicet*. [4] Sic CF; A humanae *vitae*. [5] Sic CF; A *rationabilium*. [6] Sic F; A *coelis*. [7] C *deambulans cerulis*. [8] Sic CF; A *videlicet*. [9] Sic CF; A *venerant*. [10] Sic CF; A *intraverint*. [11] Sic CF; pro *cor* A *omne*. [12] *plane* om. A. [13] A revocationem *intelligere*, quoniam. [14] Sic CF; A *Rubri*.

servitium destruens, in his, quos ad cultum et agnitionem veri Dei convertit, sordesque vitiorum inundatione baptismatis deluit [1], et inflammatione poenitentiae exurit : in fine [2] autem non solum generaliter mors corporis, verum etiam mors mentis destruetur, ac penitus idololatriae ritibus omnibusque omnium nationum superstitionibus iniquitatibusque ventilatis unius veri Dei cognitio universae praestabitur creaturae. Cuncti siquidem boni et mali, quando stabunt ante tribunal Domini, cognoscent, quia *unus Deus est, et non alius praeter eum.* Tunc quippe erit generalis omnibus unius Dei confessio, quando nulla erit veritatis negatio. Nam et caeci lucem, quam non vident, negare non possunt videntibus lucere. Quod autem in Christo totius nostrae naturae salus jam peracta sit, ex interpretationibus praedictorum nominum, quisquis voluerit, facillime cognoscet. Zabulon quippe *habitaculum virtutis* interpretatur. Illa itaque lux, quae sedentibus in tenebris orta est, virtus et sapientia Patris est. Et quod est [3] ejus habitaculum? Nonne nostra natura, in qua per incarnationem habitare voluit? Audi Evangelistam : *Et Verbum*, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Proinde spiritualis Zabulon humanitas Christi est, in qua nos omnes salvi facti sumus, et salvati habitamus, et in aeternum habitabimus; ipse est enim virtus nostra et fortitudo. Nepthalim [4] quoque *latitudo* dicitur. Et quae est [5] nostra latitudo [6], nisi Christus, cujus caritas et clementia totum genus amplectitur humanum, qui pro impiis mortuus est, *cum pro bono forsitan quis audeat mori?* qui [7] omnes homines aequaliter dilexit, quando pro omnibus seipsum tradidit. Haec est enim amplissima lex naturae, quam in seipso implevit, mortem pro omnibus subiens. Lex quippe naturae est communis omnium hominum dilectio absque ulla personarum acceptione, quae in Christo perfectissime impleta est, et a Patre processit, *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Est etiam alia ratio, qua Christus latitudo intelligitur. Latitudo quippe est apparitio et superficies, ideoque graia significatione *epiphania* dicitur. Christus itaque est nostra epiphania, hoc est apparitio et superficies, quia cum tres sint [8] substantiae summi boni, una illarum in homine Christo, Verbo videlicet incarnato, nobis apparuit, sensibusque corporeis comprehensibilem se fecit. Nemo enim Patrem, nemo Spiritum sanctum in unitate substantiae cum creatura [9] vidit. Et Ezechiel quoque sub figura trium civitatum reditum totius humanae naturae prophetice denuntiat. Dicitur enim : *Jerusalem* [10], *et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quae justificasti sorores tuas;* ac deinceps subditur [11] :

A *Et tu et filiae tuae revertemini in antiquum statum, et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariae et filiarum ejus, et convertam reversionem tuam* [12] *in medio earum.* Ex quo, ut ait sanctus Hieronymus, perspicuum est, non esse naturalem iram Dei, sed nostris vitiis clementissimum et mansnetissimum Deum ad iracundiam provocari. Sequitur : *Et soror tua Sodoma et filiae ejus revertentur ad antiquitatem suam, et Samaria et filiae ejus revertentur ad antiquitatem suam, et tu et filiae tuae revertemini ad antiquitatem vestram.* Septuaginta : *Et sorores tuae* [13] *Sodoma et filiae ejus restituentur, sicut fuerunt a principio; et Samaria et filiae ejus restituentur, sicut erant a principio* [14]; *et tu et filiae tuae restituemini, sicut fueritis in principio* [15].

B Haec verba prophetae, imo Domini per prophetam beatus Hieronymus exponens : *Judaei*, inquit, *inter ceteras fabulas et interminabiles genealogias et deliramenta, quae fingunt, etiam hoc somniant de adventu Christi sui, quem nos scimus Antichristum, et in mille annorum regno Sodomam restituendam in antiquum statum, ita ut sit quasi* [16] *paradisus Dei, et Samariam pristinam recipere felicitatem, ut de Assyriis revertantur in terram Judaeam; Jerusalem quoque tunc esse fabricandam.* Et paulo post : *Nos autem*, inquit, *horum perfectam scientiam Dei judicio relinquentes* [17], *imo liquido confitentes, dicimus, post secundum adventum Domini Salvatoris nihil humile, nihil futurum esse terrenum, sed regna caelestia, quae primum in Evangelio promittuntur* [18]. Cetera autem, quae de his

C praefatus [19] interpres exponit, propterea intermisimus, quia moralia sunt, et de reditu gentilium haereticorumque et peccatricum solummodo animarum ad catholicam fidem disputant. Mysticam quoque legalemque septimanam, quam quinquagesimus sequebatur annus, qui [20] hebraice JOBEL, hoc est *libertas* vocabatur, quoniam in ipso omnes libertatem accipiebant, et unusquisque ad pristinam habitationem revertebatur, omni lege, qua detinebatur, absolutus, hunc reditum, de quo agitur, aperte significare non incongrue quis dixerit, finita septenaria praesentis vitae revolutione. David rex et propheta renovationem naturae promittit, dicens : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Quid dicam de evangelicis parabolis, de prodigo videlicet filio, qui

D in terra aliena partem substantiae, quam a patre acceperat, dissipans, egestate coactus seipsum recognoscens, poenitentiaque ductus, ad patrem suum reversus est, a quo piissime clementissimeque receptus non solum pristinam adeptus est gratiam, verum etiam pro reverentia sui vitulus saginatus occisus est? Quis est ergo filius iste? Nonne homo ad imaginem Dei factus? Pater siquidem caelestis duas ma-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic CF; A *diluit.* [2] Sic CF; A *Infinite.* [3] *est* om. A. [4] CF *Neptaleim.* [5] *est* om. A. [6] A *latitudo nostra.* [7] Sic CF; A *quia.* [8] Sic CF; A *sunt.* [9] A *creata.* [10] CF *in* Hierusalem. [11] Sic CF; A *subjungitur.* [12] A *tuarum.* [13] A *soror tua.* [14] *et Samaria — a principio* om. CF. [15] *sicut fueritis in principio* om. CF. [16] *quasi* om. CF. [17] Sic CF; A *relinquemus.* [18] Sic CF; A *promittuntur.* [19] Pro *praefatus* CF *beatus.* [20] CF *quia.*

turam ad se cognoscendum creavit, angelicam videlicet et humanam, quibus duabus [1] filiolitatis gratiam donavit. Sed homo adolescentior filius dicitur, angelus vero major aetate, quoniam prius Scriptura conditionem angeli, posterius hominis commemorat. Partem itaque angelicae numerositatis, quae nunquam conditorem suum deseruit, major filius, adolescentior totum hominem lapsum et a Creatore suo peregrinantem insinuat; postmodum tamen ad Patrem suum reversurus, et primam stolam, id est, primum habitum naturae recepturus. Insuper etiam ambitum virtutis, quae per anulum significatur, praemium quoque mortis Christi, quod [2] per calceamenta in pedibus formatur, accipiet, aeternam videlicet vitam, quae universaliter humano generi merito mortis Domini rependitur. Et tunc vitulus saginatus adducetur et occidetur. Et quis est ille vitulus, nisi homo Christus, septena sancti Spiritus gratia plenus, vel certe pinguedine literae visibilisque naturae incrassatus? His enim duobus, litera videlicet et visibili creatura, veluti quaedam corpulentia Christi [3] apparet, quoniam in eis et per eas intelligitur, quantum intelligi potest. Spiritus enim legis est Christus, *et invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et aeternitas*; seu, ut beatus Maximus dicit, exponens Gregorium Theologum in sermone de Nativitate dicentem « Verbum crassatur » : *Verbum*, inquit, *dum sit simplex et incorporeum, et omnes consequenter ac spiritualiter nutriens, divinas in caelo potentias per suam in carne praesentiam ex nobis, propter nos, secundum nos, sine peccato incrassari dignatum est.* Quod autem iste filius figuram generis humani gestat, ut non dicam Joannis Chrysostomi sententias de hac parabola, quoniam prolixae sunt, testimonium beati Ambrosii in expositione in Lucam sat est ponere. *Potest*, inquit, *in uno*, filio videlicet prodigo, *species accipi generis humani. Fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo perierunt omnes. Homo igitur in illo homine, qui perierat, reformatur, et ille, ad similitudinem Dei factus et imaginem, divina patientia et magnanimitate reparatur.* Videsne igitur, quod ista parabola non partem generis humani, sed totum restaurandum esse in Christo typice doceat? Eadem interpretatio est de drachma perdita, et post eversionem hujus mundi, veluti cujusdam domus, inventa a muliere, Dei videlicet sapientia, quae eam fecit et possedit. Decima etiam ideo computatur, quoniam humana natura non solum novem ordinibus angelorum aequalis facta est, verum etiam nullus angelicus ordo est, cui humana natura post restaurationem [4] suam juxta intelligibiles gradus non interseratur, donec perfectum denarium caelestis compleat civitatis, teste Dionysio Areopagita in libro de caelesti Ierarchia. Quod etiam ei futurum erat, si non peccaret. Simili modo

A de ove centesima intellige, quae erraverat caelestem gregem deserens, quam bonus pastor, qui est Christus, quaesivit et reperit, repertamque in [5] humeros suos acceptam ad gregem, quem errando deseruerat, reportat. Quae propterea centesima connumeratur, quoniam post lapsum humanae naturae perfectio, quae per centenarium numerum innuitur, caelestis Jerusalem, quae est mater nostra, diminuta est, cujus numerositas, veluti centenarii numeri latitudo, ad integrum implebitur, dum humanum genus in capite suo, quod est Christus, in eam revertetur. Quo in loco illa non parva quaestio oritur, jam divulgata, sed non jam, ut arbitror, soluta; et si soluta, nondum in nostras manus [6] venisse fatemur. Quaeritur enim, si tantus numerus homi-

B num in consortium caelestis civitatis, hoc est, societatis beatae multitudinis sub uno Deo degentis reversurus est, quantus praevaricantium angelorum inde lapsus. Sequitur, ut aut numerositas humanae multiplicationis a primo homine usque ad finem mundi tanta sit, quanta apostatarum angelorum, ita ut illorum caelestes sedes, quas superbiendo reliquerant, ad totum genus humanum capiendum illic redeundo suffecerint: aut, si minor est cadentium angelorum numerositas, quam humani generis multiplicitas, pars humanae naturae non necessaria, qua labentium angelorum numerum exuperat, remanebit extra superae [7] civitatis consortium — non enim illuc poterit ascendere, qua sedem non sinitur invenire — pars autem, quae eis, lapsis dico, aequipa-

C ratur, reversura est; ac per hoc incunctanter dabitur, non omnes homines redemptos fuisse in eo, qui vult omnes homines [8] salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Et quidem paene omnes auctores utriusque linguae indubitanter astruunt, tot homines in caelestem civitatem intraturos, quot angeli fugitivi ab ea egressi sunt. Et si ita est, unum e duobus eligere cogemur, aut aequalem numerositatem esse omnium hominum numerositati malorum angelorum, aut numerosiorem humani generis multitudinem apostatae multitudinis numerositate, ac per hoc non omnes humanitatis participes ad principium suae conditionis redituros, quod praecedentes rationes de salute totius humanitatis in Christo incunctanter

D roboratae omnino prohibent assumi. Et quoniam de hac ratione, hoc est, restituendorum hominum et lapsorum angelorum comparatione, sanctorum Patrum sententias introducere prolixum, uno sancti Patris Augustini testimonio contenti simus [9]. In primo capitulo vicesimi secundi libri de Civitate Dei, de natura daemonum eorumque lapsu disputans: *Natura*, inquit, *quae frueretur Deo, optimam se institutam docet etiam ipso vitio, quod* [10] *ideo misera est, quia non fruitur Deo, qui casum angelorum voluntarium justissima poena sempiternae infelicitatis obstrinxit, atque in eo summo bono permanentibus*

VARIAE LECTIONES.

[1] A *duobus*. [2] A *quae*. [3] A *Christi corpulentia*. [4] CF post *resurrectionem* suam. [5] A *inque*. [6] *manus nostras*. [7] Sic CF; A *supernae*. [8] *homines* om. A. [9] A. contenti *sumus*. [10] Sic CF; A *quo*.

ceteris, ut de sua sine fine permansione certi essent, tanquam ipsum praemium scientiam [1] *permansionis dedit, qui fecit hominem etiam ipsum rectum cum eodem libero arbitrio, terrenum quidem animal, sed caelo dignum, si suo cohaereret auctori, miseria similiter, si eum desereret, qualis naturae hujusmodi conveniret; quem videlicet praevaricatione legis Dei per Dei desertionem peccaturum* [2] *esse praescierat* [3]. *Nec illi ademit liberi arbitrii potestatem, simul praevidens, quid boni de malo ejus esset ipse facturus, qui de mortali progenie, merito justeque damnata, tantum populum gratia sua collegit, unde suppleat et instauret partem, quae lapsa est, angelorum, ac sic illa delecta et superna civitas numero civium non fraudaretur, quin etiam fortassis et uberiore laetaretur.* Quae sola conclusio sanctissimi magistri suffecerit nobis ad intelligendum, uberiorem numerum humani generis in sanctam civitatem caelestem reversurum eo numero, qui ex ea lapsus est. Et id ipsum arbitror David prophetam dixisse : *Annuntiavi*, inquit, *et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* De his enim dixit, qui per sacrificium corporis Domini purgati et redempti sunt, qui multiplicati sunt super numerum angelicum, per superbiam unius refugae de beatitudinis gloria ruentem. Quod apertissime sequens versus insinuat : *Sacrificium*, inquit, *et oblationem noluisti ; corpus autem perfecisti mihi holocaustum.* Ac si diceret : sacrificium legis et oblationem pro purgatione et redemptione peccati generis humani dare noluisti, corpus autem Christi perfecisti mihi, hoc est, pro me holocaustum igne passionis in altare crucis ; ac per hoc pro peccato nostro nihil aliud postulasti. Superabundat enim gratia delictum ; incomparabiliter quippe plus nobis contulit Christi passio ad vitam, quam Adam transgressio ad mortem. Sive itaque aequalis sit numerus praevaricantium hominum et angelorum, sive uberior et multiplicior, nil obstat credere, totum genus humanum et in Christo redemptum, et in caelestem Jerusalem reversurum. Si enim aequalis sit [4], ut multis, qui de talibus tractant, videtur, ad laudem redemptoris nostri [5] suffecerit, cujus providentia tantum humanae numerositatis praeordinavit, quantum posset mundi hujus Principi insultare, a quo non solum totum regnum nostrae naturae abstulit, verum etiam ejus haereditatem, ex qua inflatus superbia dejectus [6] est, nobis in aeternam possessionem distribuit, ut duplicis tristitiae poena torqueretur, una quidem, qua regni sui, quod primum hominem seducendo adeptus est, juste amissione secundum hominem occidendo injuste ; altera, qua inimicis suis caelestem suam haereditatem, quam deseruerat, possidentibus invidendo cruciatur. Sin vero uberior, uberiorem profecto laudem gratiae ipsius debemus [7] solvere, qui non solum possessiones antiqui nostri hostis nobis in caelo divisit, verum etiam numerosiores nos ad habitationem caelestis patriae praeparavit his, qui ea lapsi sunt. De generali reditu in paradisum praefata sufficiunt paradigmata, ut opinor. Disc. Sufficiunt plane ; omnia enim talium symbola, quae sparsim sacrae Scripturae insita sunt, in unum colligere et longum est, et fortassis fastidiosum. Vellem tamen scire, quid senioris filii invidia adversus adolescentiorem ad patrem suum revertentem, vituloque saginato occiso epulantem insinuat. Multum siquidem me movet, si duo illi fratres humanam angelicamque naturam significant, qualis invidia bonorum angelorum de salute humani generis intelligitur, deque ejus reditu ad Patrem suum, cujus substantiam, hoc est, imaginis gratiam in villa mortalis hujus vitae serviens diabolo dissipavit [a]. Legimus enim, sanctos angelos de interitu hominis condolere, ei autem invidere nequaquam ; concives enim sunt caelestis civitatis, paternaeque substantiae et haereditatis possessores. De reperta quippe ove, inque humeris pastoris sui reducta, angelicas virtutes congratulari Dominus ipse testatur, per unum peccatorem humanum genus [8] insinuans. Et si senior filius universitatem bonorum angelorum symbolizat, quomodo de agro legitur venisse, haedumque postulans patri succensuisse, ceteraque angelicae caritati repugnantia ? Mag. Nodum hujus quaestionis ad solvendum difficilem uno modo arbitror enodari posse, qui parabolarum transitus vocari potest. Parabolarum siquidem duae species sunt. Quarum una est, quae continuum vigorem uniformemque de una eademque re absque ullo transitu in aliam figuram obtinet, altera, quae transitum in diversas conformat figuras, qua specie multos sanctorum Patrum, maximeque beatum Ambrosium hanc parabolam exposuisse comperimus. Prima itaque parabolae pars, quae in divisione paternae substantiae, et senioris filii cum patre perseverantia, adolescentiorisque peregrinatione, partis quoque substantiae suae, quam a patre susceperat, dissipatione, ceterisque incommodis, quae casum humanitatis secuta sunt, complasmata est, duplicem incunctanter naturam, intellectualem dico in angelis et rationalem in hominibus, specificat ; in reversione autem prodigi filii parabola inchoat transitum facere. Ipsa siquidem reversio biformem interpretandi recipit modum : intelligitur enim generaliter de reditu totius humani generis propter vituli saginati occisionem, Christi videlicet pro salute totius mundi passionem ; et specialiter, ubi transitus parabolicae figurae in-

VARIAE LECTIONES.

[1] *scientiam* om. A. [2] CF *peccatorem esse.* [3] Sic CF ; A *praesciret.* [4] *sit* om. CF. [5] Sic CF ; A *sui.* [6] Sic A : C *adjectus* est ; F *abjectus* est. [7] Sic CF · A *deberemus.* [8] A *genus humanum.*

NOTAE.

[a] Verbis : *in villa mortalis hujus vitae serviens diabolo dissipavit* finitur cod. C.

cipit, de reditu gentilis populi, quasi junioris filii, A per fidem Christi ad Patrem caelestem, cujus imaginem idololatriae sordibus monstruosisque imaginationibus contaminavit, propter invidiam Judaici populi, veluti senioris filii, de conversione gentium ad fidem per apostolicam praedicationem. Qui videlicet populus, quamvis saepissime cultu daemonum fuerit corruptus et praevaricatus, nunquam tamen omnino Deum Patrum suorum, ut ei videtur, abnegavit; abnegavit autem et adhuc abnegat Christum Filium Dei esse, ac per hoc et Patrem ejus. Qui enim Filium negat, negat et Patrem, qui [1] Filio negato Pater non est. Haedum a Patre Christi, quem negat, perfidus flagitat: sed a Patre Christi haedum non accipiet [2]; accipiet autem a Patre suo, de quo Jesus Christus, quem Filium Patris esse negat, B ait: *Vos ex patre diabolo estis*, deque fide gentilis populi in eum torquetur. Ideoque non vitulum saginatum, id est, Christum Domini petit a Patre ad epulandum, sed haedum foetidum petulcumque, in omnemque libidinem pronum, Antichristum dico, in quo se [3] epulaturum et regnaturum vanissime somniat, postulat et expectat: ac de agro veniens, hoc est de terrenis operibus, laboriosoque [4] colendae legis secundum literam servitio [5], audivi [6] symphoniam et chorum, hoc est, consonam undiqueque [7] convenientem gentilis populi in Christo epulantis et ad Patrem suum redeuntis catholicam in fide perfecta, inque [8] spirituali cognitione veritatis harmoniam, ac de suae libertatis et redemptionis munere laetitiam. C Et ob hoc invidia commotus fratri suo similitudine naturae, inimico vero dissimilitudine Judaicae perfidiae et Christianae religionis irascitur, patremque suum de receptione filii, qui bona naturae suae perdidit, increpat, dum plus ipse naturae suae divitias dissipat, qui unicum Dei Filium Creatorem et Salvatorem omnium negat. Perfidi siquidem Judaei per invidiam, nationes autem incredulae per ignorantiam Verbum Dei abnuunt. Et quoniam tolerabilius peccatum est ignorantiae quam invidiae, minus gentilium quam Judaeorum populus naturales perdidit thesauros. Ideoque receptae sunt gentes, tenebris ignorantiae absolutae, et in lucem veritatis revocatae: Judaei vero perfidi, Filium negantes, in passionibus ignominiae invidiaeque gravissimis dolori- D bus relicti sunt, donec in fine mundi ineffabili divinae bonitatis magnanimitate recipiantur, quando *convertentur ad vesperam, et famem patientur, ut canes, et circumibunt civitatem*, societatem videlicet catholicae fidei, volentes in eam recipi, et, quod alibi idem ait propheta, implebitur: *Confundantur et revereantur* [9] *omnes inimici mei, convertantur retrorsum, et confundantur valde velociter*. Hac igitur parabola pro paupertate ingenioli nostri, spiritualium philosophorum semitas carpentis [10], exposita, de symbolis specialis humanae naturae reditus breviter tractandum. DISC. Tempus exigit ita fieri, nostraeque disputationis cursus jamdudum finem expectat. Et mihi valde arridet duplex ista Evangelicarum parabolarum species. Non enim solummodo in parabolis, verum etiam in multis divinae Scripturae locis talis formae locutionis divinum nectar eructat, facilemque interpretationis viam studiosis mysticorum sermonum theoriae praestant. Non enim alio modo sanctorum prophetarum multiplex in divinis intellectibus contextus potest discerni, nisi per frequentissimos non solum per periodos, verum etiam per cola et commata transitus ex diversis sensibus in diversos, et ab eisdem iterum in eosdem per [11] occultissimas crebrissimasque [11*] reversiones. Saepissime enim unam eandemque expositionis speciem absque ullo transitu in diversas figurationes sequentibus aut error aut maxima difficultas innascitur interpretandi; concatenatus quippe est divinae Scripturae contextus, Daedalicisque diverticulis et obliquitatibus perplexus. Neque hoc Spiritus sanctus invidia voluit [12] intelligendi, quod absit existimari, sed studio nostram intelligentiam exercendi, sudorisque et inventionis praemii reddendi; praemium quippe est in sacra Scriptura laborantium pura perfectaque intelligentia. O Domine Jesu, nullum aliud praemium, nullam aliam beatitudinem, nullum aliud gaudium a te postulo, nisi ut ad purum absque ullo errore fallacis theoriae verba tua, quae per tuum sanctum Spiritum inspirata sunt, intelligam. Haec est enim summa felicitatis meae, finisque perfectae est contemplationis [13], quoniam nihil ultra rationabilis anima etiam purissima inveniet, quia nihil ultra est. Ut enim non alibi aptius quaereris, quam in verbis tuis, ita non alibi apertius [14] inveniris, quam in eis. Ibi quippe habitas, et illuc quaerentes et diligentes te [15] introducis; ibi spirituales epulas verae cognitionis electis tuis praeparas, illic transiens ministras eis. Et quis est iste [16], Domine, transitus tuus, nisi per infinitos contemplationis tuae gradus ascensus? Semper enim in [17] intellectibus quaerentium et invenientium te transitum facis. Quaereris enim ab eis semper, et semper inveniris, et non inveniris semper: inveniris quidem in tuis theophaniis, in quibus multipliciter, veluti in quibusdam speculis, occurris mentibus intelligentium te, eo modo, quo te sinis intelligi, non quid es, sed quid non es, et quia es [18]; non inveniris autem in tua superessentialitate [19], qua transis et exuperas omnem intellectum volentem et ascendentem comprehendere te. Ministras igitur tuis praesentiam tuam ineffabili quodam modo apparitionis tuae; transis ab eis incomprehensibili excelsitudine et infinitate essentiae tuae. Quaeso

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic F; A *quia*. [2] F *accipiat*. [3] *se* om. F. [4] A *laborioseque*. [5] A *servitii*. [6] F *audiunt*. [7] A *undique*. [8] Pro *perfecta inque* A *perfectamque*. [9] A *revertantur*. [10] F *carpentes*. [11] *per* om. A. [11*] Sic AF. [12] *voluit* om. A [13] A perfectae *est* contemplationis. [14] A *aptius*. [15] *te* om. F. [16] *iste* om. F. [17] *in* om. A. [18] F quo te sinis intelligi, *non quid es, sed quia es*. [19] A in tua *semper essentialitate*.

itaque ad specialis reditus considerationem accelerare, ut in ea nostrae disputationis limitem constituamus. Non enim diutius est immorandum in his, quae multipliciter apertioris persuasionis gratia repetita sunt, ne forte plus in verbis, quam in [1] intellectibus nostram disputationem implesse videamur.

MAG. Totius rationabilis creaturae, quae specialiter in homine creata est, et cui naturaliter inest affectus beatitudinis, et cognitionis summi boni facultas, hoc est excelsissimae Trinitatis, ex qua manat omne bonum, ipse Dominus in Evangelio decem virginibus assimilavit universitatem; quae accipientes lampadas suas, hoc est capacitatem aeternae lucis cognoscendae, exierunt obviam sponso et sponsae, Christo videlicet et Ecclesiae, quae jam in caelo est, partim in sanctis angelis, partim in purgatissimis hominum animabus, in quibus primitiae naturae humanae [2], quae adhuc in captivitate est, mortalis vitae fragiliumque membrorum caelestis patriae civibus inseruntur. Sed quare obviam? Quia videlicet redemptor et sponsus rationalis naturae ineffabili clementiae suae condescensione et solertia semper ad recipiendos nos spiritualiter venit, caelestibus virtutibus et [3] animabus sanctis ei commeantibus, affectione salutis nostrae commotae. Ille siquidem sponsus in aure cordis generaliter universo generi humano clamat dicens : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Venit ergo obviam omnibus cum sponsa sua, Jerusalem videlicet caelesti, qui recipere omnes devotus est in consortium suae civitatis. Et animadverte, quod tota humanitas denario numero comparatur, quoniam decimam in aedificatione superae [4] civitatis possidet regionem. Decem itaque virgines, hoc est, tota humanae naturae numerositas naturali appetitu obviam diligenti se et ad eam venienti exit, non gressibus corporis, sed affectibus mentis. Sed quamvis aequalis motus sit rationalis naturae ad finem suum, qui est Christus, aequalisque aeterni luminis, quae per lampades significatur, appetitio, non tamen [5] aequaliter lucem illam, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc [6] mundum, participat. *Unum est* enim, ut beatus Dionysius Areopagita ait, *quod omnia naturaliter participare appetunt; sed non aequaliter omnia unum participant.* Nullum tamen est in natura rerum, quod ejus participatione omnino privetur, ideoque non aequaliter obviam [7] sponso et sponsae virgines exibunt. Nam qui non solum capacitatem veri luminis, verum etiam et ipsum lumen, quod oleum conformat, possident, ad ipsum sponsum pervenient, et cum ipso in spirituales nuptias intrabunt. Qui vero solam luminis capacitatem possident, non autem ipso lumine illuminantur et ornantur [8], obviam Christo procedent, hoc est, non solo naturaliter insito [9] appetitu, sed etiam reipsa et experimento ad sola naturalia humanitatis bona, quae in Christo subsistunt, ascendent [10], non autem ad supernaturalem deificationis in eo gratiam et laetitiam pervenient. Et hoc est, quod denariae quantitatis divisio insinuat. Ait enim : *Quinque autem ex eis erant fatuae*, id est imprudentes, *et quinque prudentes*. Sed fatuae solas lampadas, non autem oleum secum sumpserunt; prudentes vero non solum lampadas, verum etiam oleum in lampadibus suis acceperunt. Vasa itaque similia sunt prudentium et imprudentium virginum, quoniam ratio, quae veluti naturalis divini luminis sedes est, uniformiter integritati veluti cuipiam virginitati naturae incorruptibilis, quae in nullo augetur vel minuitur [11], distributa est, quamvis [12] non uniformiter divinum lumen accipiat. Nec hoc in culpa ipsius luminis, aut invidia, aut inopia constituitur, quoniam omnibus praesens est, omnibusque aequaliter superfulgens, et inexhausta effusione omnibus aequaliter profluens : sed quoniam non eadem virtus est oculorum, quibus lux mentium percipitur, sequitur, ut alii plus, alii minus ea fruantur, alii penitus ab ea excludantur; ut immundi spiritus, qui ad eam nolunt converti, non quod et ipsi secundum intellectualem substantiam, in qua a summo bono creati sunt, participatione vere existentis luminis secludantur; alioquin ad nihilum penitus redigerentur; omne siquidem participatione ejus privatum omnino in natura rerum non est, in quantum vero irrationabilibus perversae suae voluntatis motibus contaminantur, verae lucis excluduntur participatione; non enim ad illam, sed ad semetipsos, hoc est, ad nequitiam suam convertuntur. Si enim ad naturam suam respicerent, et ad ejus Creatorem, profecto beati fierent. Et si quis dixerit : Quare aequaliter intuendi divini [13] luminis universae rationali naturae non datur [14] possibilitas, non autem intuendi illud data est aequaliter virtus et actio, sive in hac vita, sive in futura [15]? interroget illum, qui stupefactus et inaccessibili luce repercussus acclamat [16], dicens : *O altitudo divitiarum scientiae et sapientiae Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus in omni tempore! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Et quis prior dedit illi, ut retribuatur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia.* Interroget etiam, cur omnium bonorum largitor non aequaliter omnibus ordinibus angelorum virtutem contemplationis suae distribuerit? Altius siquidem liquidiusque propinquiusque illum contemplantur Seraphim et Cherubim et Throni, quam Virtutes et Potestates et Dominationes · et ipsae

VARIAE LECTIONES.

[1] *in* om. A. [2] *humanae* om. A. [3] *et* om. A. [4] A *supernae*. [5] *tamen* om. F. [6] *hunc* om. F. [7] *obviam* om. A. [8] A *coronantur*. [9] A non *solum* naturaliter *in suo*. [10] A *ascendunt*. [11] A *augel vel minuit*. [12] A *quam*. [13] *divini* om. F. [14] *non datur* om. F. [15] A sive in futura *vita*. [16] A *clamat*.

iterum excellentius clariusque, quam Principatus et Archangeli et Angeli. Et quis huic interrogationi respondebit? Nemo, nisi cogitans intra seipsum, quod scriptum est: *Omnia in mensura et numero et pondere*, id est ordine, *fecit Deus*. Et qualis pulchritudo universitatis a Deo conditae foret, si omnia Deus aequaliter constitueret? Nam et sensibilis harmoniae dulcedo et pulchritudo non ex similibus sonis, sed ex diversis, ratis tamen proportionibus sibi invicem compactis ordinatur. Proponat item: si primus homo non peccaret, cujus peccati ultione per masculum et feminam multiplicatur genus humanum — et non per masculum et feminam propagaretur [1], sed ex intimis naturae sinibus aut simul [2] omnes homines in species proprias numerosque prodirent, quemadmodum et omnes angeli ex suis causis simul prodiere, aut ordine temporum constituto unusquisque absque ulla corruptione et similitudine generationis jumentorum in hunc mundum procederet — num omnes homines aequalis ejusdemque virtutis et ordinis essent, an, sicut angeli, ita et homines suis ordinibus secundum divinam providentiam et sapientiam disponerentur? Respondebit illi, credo, qui promittit hominibus post resurrectionem, quod *erunt sicut angeli in caelo*. Angeli autem propriis ordinibus disponuntur; disponentur itaque et homines diversis virtutum ordinationibus. At si ita futuri sunt, licet post peccatum, profecto futuri essent si non peccarent, hoc est, non eodem modo contemplatione veritatis fruerentur. Porro si [3] primus homo, ut ait sanctus Augustinus, in prima sua conditione, priusquam peccaret, neque sapiens erat neque insipiens — si enim sapiens, non Deum desereret, ut uxori suae consentiret, neque incaute ageret, ne diabolicae astutiae superbiam imitaretur; non enim seductus est, sed superbia inflatus: si autem insipiens, quis crediderit Deum fecisse hominem insipientem ad imaginem et similitudinem suam — profecto quadam medietate libratus inter sapientiam et insipientiam conditus est, et futurum ei erat sapiens fieri, si mandatum Dei servaret. Non enim ait Scriptura [4]: Faciamus hominem imaginem et similitudinem nostram, sed *ad imaginem et similitudinem nostram*. Ac si plane diceretur: Ad hoc faciamus hominem [5], ut, si praeceptum nostrum custodierit, imago nostra et similitudo fiat. Non ergo sapiens factus est, sed capax, si vellet, sapientiae. Potuit enim sapientiam capere, et ad habitum ejus [6] pervenire, si divinum consilium noluisset spernere. Quoniam vero non sursum versus per custodiam mandati ad sapientiam se erexerat, sed pronus per ejus [7] transgressionem in libidinem temporalium et sensibilium rerum sua propria voluntate corruerat, plus insipiens atque imprudens existimandus est, etiam priusquam peccaret, quam sapientiae et prudentiae appetitor; praecessit enim insipientia et imprudentia peccatum. Neque hoc accepit ex causis conditionis, sed mutabilitate propriae voluntatis, quae ex naturalibus causis nequaquam nascitur; insipiens igitur erat, et imprudens ante transgressionem mandati per seipsum factus est. Attamen si mandatum non transgrederetur, fortassis neque ex paradiso expelleretur, sed solis naturae suae bonis, quae in prima conditione sui acceperat, frueretur, inque eis quadam felicitate laetaretur, quamvis participatione summae sapientiae et prudentiae merito suae stultitiae et fatuitatis privaretur. Multos siquidem ac paene omnes improvidos et insipientes, laetos tamen [8] et contentos esse videmus [9] de nobilitate generis, de pluribus consanguineis, de honestate corporis viribusque et sanitate, de astutia mentis, de verborum lepiditate, de pulchra morigeraque [10] uxore, de fecunditate prolis, terrenarumque rerum affluentia, ut non dicam de dignitatibus [11] et honoribus, ceterisque, quibus mundus iste arridet, in tantum, ut optarint perpetuo sic vivere, nihil de spiritualibus deliciis audire vel cogitare volentes. Ad hunc itaque statum primorum hominum ante delictum, hoc est, ad sola naturalia bona absque virtutum ornamentis, partem humani generis unam, quae typo fatuarum quinque [12] virginum configuratur, reversuram; ad ipsam vero excelsitudinem, ad quam homo per gratiam [13], si non peccaret, ascensurus esset, hoc est, ad participationem summae sapientiae omniumque virtutum, quam, participationem dico, deificatio et contemplatio veritatis sequitur, alteram humanae numerositatis partem, cujus symbolum est quinarius prudentium virginum numerus, sublimandam ultra omnia bona naturalia, et ad spirituales nuptias sponsi sui intraturam [14], non incongrue existimandum [15]; ad quas nemo intromittitur, nisi sapientiae luce refulgens, divinique amoris inflammationibus ardens, quae duo, sapientiam dico et caritatem, pinguedine scientiae et actionis nutriuntur; et ad eas nuptias nullus scientiae et actionis expers, quamvis naturalibus bonis integerrime et pulcherrime floruerit, sinitur ascendere, sed omnino ab eis secluditur. Non enim illuc natura humanam mentem sublevat, sed gratia, et mandatis Dei obedientiae, purissimaeque [16], quantum in hac vita datur, Dei per literam et creaturam cognitionis meritum subvehit. Intuere itaque hujus parabolae medullam, et quomodo transitum facit de genere [17] ad speciem, quemadmodum in praefata parabola de duobus filiis patris sui substantiam inter se partientibus. In ea siquidem totius generis humani generalis reditus primo, deinde specialis gentilis populi conformatur: in hac autem similiter [18] per decem virgines obviam sponso exeuntes totius humanae numerositatis generalis ad pri-

VARIAE LECTIONES.

[1] *et non per masculum — propagaretur* om. A. [2] A *similiter*. [3] *si* om. A. [4] F *Scriptura ait*. [5] F *hominem faciamus*. [6] A *eius habitum*. [7] A *eius per* transgressionem. [8] *tamen* om. A. [9] A *audimus*. [10] A *et morigera*. [11] A *dignitate*. [12] A *quippe* virginum. [13] *per gratiam* om. A. [14] A *in naturam*. [15] A *existimatur*. [16] A *purissimae*. [17] F *de genere facit* ad speciem. [18] A *similitudine*.

stinum naturae statum reversio; specialis autem per quinque prudentes omnium Sanctorum. Species enim humani generis est electorum numerus. Non solum igitur [1] ad antiquum naturae principium reditus in generalitatem humanitatis, verum etiam ultra naturam in ipsum Deum in specialitate deificationis ineffabilis insinuatur ascensus. Omnes quippe in paradisum, ut praediximus, sunt reversuri, sed non omnes de [2] ligno vitae sunt fruituri; vel certe omnes de ligno vitae sunt accepturi, sed non aequaliter. Nam et naturalia bona, quorum omnes aequaliter participes erunt, fructum ligni vitae esse, stultus qui ignorat. Πᾶν ξύλον quippe, ut in superioribus tractavimus, id est, omne lignum vocatur Christus; quippe omnium bonorum lignum est fructiferum, quia ipse est omne bonum omniumque bonorum largitor. Fruentur itaque omnes homines ipsius fructu participatione naturalium bonorum generaliter; fruentur electi sui excelsitudine deificationum ultra omnem naturam specialiter. Deificationes itaque, quas soli justi participabunt, spiritualibus figurantur nuptiis, in quas prudentes intraverunt virgines [3]. Non enim omnes supernaturalibus fruentur bonis, sed illi soli, *quibus*, ut Gregorius ait Theologus, *licet superata materia* [4] *et carne, veluti quibusdam nubibus et velaminibus transcensis, per rationem et contemplationem cum Deo fieri, et purissimo* [5] *lumine teneri, quantum possibile est humanae naturae.* Isti sunt beati, hinc ascensione, et illic deificatione. Sed hujus nominis, deificationis dico, in latinis codicibus rarissimus est usus; intellectum vero ejus apud multos et maxime apud Ambrosium invenimus. Sed quare hoc evenit, non satis nobis patet. An forte quia [6] sensus ipsius nominis, quod est Theosis, quo maxime Graeci utuntur, significantes sanctorum transitum in Deum non solum anima, sed etiam et corpore, ut unum in ipso et cum ipso sint, quando in eis nil animale, nil corporeum, nil humanum, nil naturale [7] remanebit, altus nimium visus [8], ultraque carnales cogitationes ascendere non valentibus incomprehensibilis et incredibilis, ac per hoc non publice praedicandus. Sed de eo inter sapientes tractandum. Multa quippe divina mysteria a sanctis Patribus intacta ob hanc causam praetermissa sunt; infirmi siquidem oculi claritatem luminis sufferre nequeunt. Sufficiunt, ut arbitror, haec pauca paradigmata, ex divinis parabolis assumpta, ad generalem specialemque humani generis suadendum reditum in principium suum, primordialem dico conditionem, inque ipsum Deum, in his, qui sincerissima ejus participatione digni sunt frui, deque totius sensibilis creaturae, quae in homine et propter hominem fabricata est, in causas suas reversione, quando erit non solum generale sabbatum in omnibus divinis operibus, verum etiam et speciale sabbatum sabbatorum in sanctis angelis, sanctisque hominibus, et implebitur domus Dei, in qua unusquisque ordine sibi congruo constituetur [9], alii inferius, alii superius, alii in sublimitate naturae, alii super omnem naturalem virtutem circa ipsum Deum. Ac sic coena illa magna ordinabitur et celebrabitur, ex qua nullius substantia, quia ex Deo facta est, respuetur, nullius vitium, quia ex Deo factum non est, introducetur. Purgabitur enim natura, ventilabitur vitium, recondentur substantialia grana, flamma divinae sententiae delictorum ardebit palea, illuminabuntur abscondita tenebrarum, omnia in omnibus videbitur Deus. Disc. Sufficiunt sane; sed hujus parabolae residua breviter exponas flagito. Mag. Quae sunt illa? Disc. Mora sponsi, dormitus, et dormitatio omnium virginum, ceteraque, quae intacta reliquisti. Mag. Mora sponsi est, ut existimo, temporale intervallum, quod inter primum Domini et secundum transcurrit adventum; vel certe ab initio mundi usque ad finem ejus. Nullum enim tempus transactum est, vel transigetur per sex mundi aetates, in quo virginitas, hoc est, integritas humanae naturae, quae in nullo corrumpitur, quamvis in omnibus excepto Christo contaminata sit, *obviam* sponso suo non velit ascendere [10], in quibusdam fatua, in quibusdam prudens, in omnibus *conditoris* sui supernaeque patriae, quam deseruerat, appetitrix; appetitus quippe beatitudinis omnibus sapientibus et insipientibus, bonis et malis, communiter et naturaliter inest. In praefato intervallo mundani cursus per ordinata tempora quidam dormiunt, quidam dormitant. Dormiunt quidem, qui jam mortui sunt, et adhuc morituri; dormitare autem dicuntur, quos finis mundi vivos in carne inventurus est. Qui non dormire, sed dormitare perhibentur, quoniam perfecta morte non sunt morituri, nullove [11] spatio temporali in ea erunt detenti, sed veluti gravati somno, non autem prostrati, nulla morte interposita in aliam vitam mutabuntur. Quo in loco videtur [12] sanctus Augustinus consentire his, qui dicunt, tantillam mortem in ipso velocissimo raptu eorum, qui in fine mundi vivi futuri sunt, esse futuram. Ait enim in vicesimo libro de Civitate Dei capite vicesimo primo: *Si sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit: Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius* [13] *moriatur; sive ubi dicit: Omnes quidem resurgemus, aut omnes dormiemus, quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi qualibet morte paululum tamen ante moriantur, ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitione praecedunt, quamvis brevissima, non tamen nulla.* Media nox, in qua clamor

VARIAE LECTIONES.

[1] *igitur* om. A. [2] *de* om. A. [3] *virgines* om. A. [4] A *malitia* [5] A *purissime.* [6] *quia* om. A. [7] *nil humanum nil naturale* om. A. [8] A *casus.* [9] A *constituitur.* [10] *quae in nullo — velit ascendere* om. A. [11] nullo *vero.* [12] A *videatur.* [13] *prius* om. A.

factus est, et sponsus venit, incertum mundi finem, A remotumque ab omni [1] scientia spiritualis sponsi adventum insinuat, sicut ipse dixit : *De die autem illa et hora illa nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius hominis, nisi Pater solus.* Et in fine praesentis parabolae : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Clamor ille significat apertissima signa, quae praecedent destructionem mundi, et adventum Domini, de quibus ipse sedens super montem olivarum discipulis prophetavit. Surrectio omnium virginum regenerationem totius humani generis praesagit. Prudentes virgines lampadas suas, rationabiles videlicet motus, bonae actionis pinguedine, puraeque conscientiae claritate exornant; quibus duobus, actu dico et scientia, fatuae virgines carent. Quod autem prudentes virgines de oleo suo B fatuis virginibus impertiri abnegant, nil aliud verisimilius, ut opinor, typice conformat, quam prudentes animas, quibus vilia et non sufficientia in illa die intellectuali, in qua unusquisque profunda conscientiae suae rimabit, merita apparebunt, aeternaeque felicitati nullo modo comparanda, sicut ait Apostolus : *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Hinc Dominus ipse : *Beati pauperes*, inquit, *spiritu*, hoc est, beati, qui et seipsos et merita sua pro nihilo ducunt, et omnino se in divitiis virtutum egenos judicant, *quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Ideoque dicturae sunt petentibus a se auxilium, *ne forte non sufficiat nobis et vobis.* Quod duplici modo intelligi potest : aut enim negative poni- C tur *ne*, et producitur, aut haesitative et corripitur, sicut in libro Geneseos : *Ne forte extendat manum suam, et sumat de ligno vitae.* Et ne forte viderentur quadam invidia meritorum suorum paupertatem impertiri fatuis noluisse, abnegantes oleum, dant consilium, respondentes : *Ite potius ad vendentes, et emite vobis*, hoc est, ite ad eos, qui eximietate et affluentia suorum meritorum non solum sibimet sufficiunt, verum etiam his, qui eos in hac vita honorificare poterant, possent praebere auxilium, futuraeque beatitudinis meritum. Hac autem tarditate et negligentia interposita venit sponsus, et paratas virgines, inque suo adventu ornatas praeoccupavit, et ad suas nuptias introduxit, hoc est, in suam deificationem, qua perfectissimos animos D supernaturali contemplationis suae gratia [2] glorificat, ceteris in naturalium bonorum plenitudine relictis, et excelsitudine ineffabilis deificationis, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, exclusis. Et hoc est quod ait : *Et clausa est janua*, introitus videlicet contemplationis divinae [3] facie ad faciem, ad quam incaute in hac vita viventes, oleumque actionis et scientiae in rationis suae receptacula non infundentes, etiamsi clamaverint [4], sera quandoque poenitentia compuncti, non intrabunt, dicentes : *Domine, Domine, aperi nobis.* Ista autem geminatio Dominici nominis aut assiduum humanae naturae appetitum ad contemplationem conditoris sui, nulla ignorantiae nebula interposita, in his, qui in hac vita nullis bonae [5] conversationis subsidiis suffulti vixere, vel certe simplicium fidelium minus [6] catholicae fidei altitudinem considerantium ignaviam significat, putantes Dominum nostrum Jesum Christum duabus substantiis esse compositum, dum sit una substantia in duabus naturis, et petunt, quae sibi non conveniunt. Ideoque respondetur [7] eis : *Petitis et non accipitis, quia male petitis.* Quanti sunt, qui divinam essentiam in tribus substantiis, et tres substantias in una essentia aut penitus ignorant, aut penitus abnegant, et per suas falsas cogitationes carnalesque opiniones [8] ad internas divinae puraeque contemplationis nuptias postulant intrare! Quanti sunt, qui Dominum Jesum Christum ita segregant, ut neque divinitatem illius humanitati, neque humanitatem divinitati in unitatem substantiae, seu ut Latini usitatius dicunt, in unitatem personae adunatam vel credant, vel intelligant, cum ipsius humanitas et divinitas unum et [9] inseparabile unum sint, salva utriusque naturae ipsius ratione [10]. Geminantibus itaque substantiam Christi et dicentibus : *Domine, Domine, aperi nobis*, juste congrueque [11] respondetur : *Amen dico vobis, nescio vos*, hoc est, intimas secretasque meae divinitatis et humanitatis nuptias, quas meis purissime intelligentibus, priusquam fieret mundus, praeparavi, et ad quas jam finito mundo introduxi, nescire vos permittam. Non enim dum adhuc in carne vixistis, dignos vos illarum laetitia praeparastis. Intra tamen naturalium bonorum, quae in vobis creavi, terminos residere vos concedo. Similiter promittit, se responsurum his, qui in die judicii clamabunt : *Domine, Domine, nonne in tuo nomine virtutes multas fecimus?* Dicetur enim eis : *Nescio vos, recedite a me*; et alibi : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum.* Verbum itaque adunatum carni, et caro adunata Verbo in unitatem inseparabilem unius ejusdemque substantiae ex duabus naturis, divina videlicet et humana, non alios recipit, nisi eos, qui simplici perfectae contemplationis oculo unitatem substantiae suae intuentur, ita ut et homo in Verbo vere filius Dei, et Verbum in homine vere Filius hominis absque ulla naturarum [12] transmutatione, unus idemque Filius Dei et hominis Dominus noster Jesus Christus intelligatur. Celerem parabolae expositiunculam, juxta quod nobis visum est, verisimilem habes. DISC. Habeo sane [13]. MAG. Quid ergo restat, et finem operi impedit imponere? DISC. Nihil video [14], nisi ut totius operis materiae, hoc est, universalis naturae

VARIAE LECTIONES.

[1] F ab *omnium* scientia. [2] A *gloria.* [3] A *divinae contemplationis.* [4] F *clamaverunt.* [5] A *bonis.* [6] A *nimis.* [7] A *respondebitur.* [8] A *carnalis opinionis.* [9] *unum et* om. A, [10] A *significatione.* [11] A *congruenterque.* [12] A *creaturarum.* [13] A *plane.* [14] A *ut* video.

divisionis aliquantulam ἀνακεφαλαίωσιν subjicias.

39. MAG. Quadriformem universalis naturae, quae in Deo et creatura intelligitur, fecimus divisionem. Cujus prima species est, quae naturam creatricem et non creatam, secunda, quae naturam et creatam et creatricem, tertia, quae creatam et non creantem, quarta, quae neque creatam neque creatricem considerat atque discernit. Et prima quidem et quarta forma de Deo solummodo praedicatur, non quod ipsius natura, quae simplex et plusquam simplex est, dividua sit, sed quod duplicis theoriae modum recipit. Dum enim ipsam esse rerum omnium principium et causam intueor, occurrit mihi vera ratio, quae fiducialiter suggerit, divinam essentiam, vel substantiam, bonitatem, virtutem, sapientiam, ceteraque, quae de Deo praedicantur, a nullo creari, quia divinam naturam nihil superius praecedit; omnia autem, quae sunt et quae non sunt, ab ea, et per eam, et in ea, et ad eam creari. Dum vero eandem esse finem omnium intransgressibilemque terminum, quem omnia appetunt, et in quo limitem motus sui naturalis constituunt, conspicor, invenio, eam neque creatam esse, neque creantem. A nullo siquidem creari potest natura, quae a seipsa est. Neque aliquid creat. Cum enim omnia, quae ab ipsa per generationem intelligibilem seu sensibilem processerunt [1], mirabili quadam et ineffabili regeneratione reversura sint ad eam, et in ea omnia erunt quieta, quoniam ulterius nihil ab ea per generationem profluet [2], nihil dicitur creare. Quid enim [3] creabit, dum ipsa omnia in omnibus fuerit, et in nullo nisi ipsa apparebit? De duabus autem mediis formis in superioribus satis est actum, prompteque eas quaerentibus claro lumine circumfusae occurrunt. Una enim in causis perspicitur primordialibus, altera in causarum effectibus. Et ea quidem, quae in causis constituitur, in unigenito Dei Filio, in quo et per quem omnia facta sunt, creatur, et omnia, quae ab ea profluunt, hoc est, omnes effectus suos, sive intelligibiles sive sensibiles, creat. Ea vero, quae in effectibus causarum substituta est [4], solummodo a causis suis creatur, nihil autem creat, quia nihil in natura rerum inferius est ipsa; ideoque maxime in rebus sensibilibus ordinata est. Nec obstat, quod angeli vel homines, sive boni sint [5] sive mali, aliquod novum humanisque usibus incognitum in hoc mundo saepe putantur creare, dum nihil creant, sed de creatura materiali, a Deo facta in effectibus per causas [6], aliquid efficiunt divinis legibus obedientes et jussionibus, si boni sunt; fallacibus vero diabolicae astutiae machinamentis commoti atque decepti, si mali sunt. Omnia tamen divina providentia ordinantur, ut nullum malum in natura rerum substantialiter inveniatur, nec aliquid quod rempublicam civilemque rerum omnium dispositionem perturbet. Et post quadrifariam universalis naturae theoriam in praedictis quatuor speciebus, quarum duas quidem in divina natura propter rationem principii et finis, duas in natura condita, ratione videlicet causarum et effectuum, contemplati sumus, visum est nobis, quasdam theorias de reditu effectuum in causas, hoc est, in rationes, in quibus subsistunt, subjungere. Cujus iterum reditus triplex occurrebat modus. Quorum primus quidem generaliter in transmutatione totius sensibilis creaturae, quae intra hujus mundi ambitum continetur, hoc est, omnium corporum, seu sensibus corporeis succumbentium, seu eos prae nimia sui subtilitate fugientium, consideratur [7], ita ut nullum corpus sit intra textum corporeae naturae, sive vitali motu solummodo, seu occulte, seu aperte vegetatum, seu irrationabili anima corporeoque sensu pollens, quod non in suas occultas causas [8] revertatur per vitae suae medietatem [9]; ad nihilum enim nihil [10] redigetur in his, quae substantialiter a causa omnium substituta sunt. Secundus vero modus suae speculationis obtinet sedem in reditu generali totius humanae naturae in Christo salvatae in pristinum suae conditionis statum, ac veluti in quendam paradisum in divinae imaginis dignitatem, merito unius, cujus sanguis communiter pro salute totius humanitatis fusus est, ita ut nemo hominum naturalibus bonis, in quibus conditus est, privetur, sive bene sive male in hac vita vixerit. Ac sic divinae bonitatis et largitatis ineffabilis et incomprehensibilis diffusio in omnem humanam naturam apparebit, dum in nullo punitur, quod a summo bono manat. Tertius de reditu theoriae modus versatur in his, qui non solum in sublimitatem naturae in eis substitutae ascensuri, verum etiam per abundantiam divinae gratiae, quae per Christum et in Christo electis suis tradetur, supra omnes naturae leges ac terminos superessentialiter in ipsum Deum transituri sunt, unumque in ipso et cum ipso futuri. Quorum recursio veluti per [11] quosdam gradus septem discernitur. Ac primus erit mutatio terreni corporis in motum vitalem; secundus vitalis motus in sensum; tertius sensus in rationem; dehinc rationis in animum, in quo finis totius rationalis creaturae constituitur. Post hanc quinariam [12] veluti [13] partium nostrae naturae adunationem, corporis videlicet, et vitalis motus, sensusque, rationisque, intellectusque, ita ut non quinque, sed unum sint, inferioribus semper a superioribus consummatis, non ut non sint, sed ut unum sint, sequentur alii tres ascensionis gradus, quorum unus transitus animi in scientiam omnium, quae post Deum sunt, secundus scientiae in sapientiam, hoc est, contemplationem intimam veritatis, quantum creaturae conceditur, tertius, qui et summus, purgatissimorum animorum in ipsum Deum super-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *processerint*. [2] A *profluit*. [3] *enim* om. A. [4] *est* om. A. [5] *sint* om. A. [6] *in effectibus per causas* om. A. [7] A *considerantur*. [8] A *causas occultas*. [9] *per vitae suae medietatem* om. A. [10] *nihil* om. A. [11] A *post*. [12] Conj. A *quinque*, F *quinū*. [13] A *veluti quinque*.

naturaliter occasus, ac veluti incomprehensibilis et inaccessibilis lucis tenebrae [1], in quibus causae omnium absconduntur : et tunc nox sicut dies illuminabitur, hoc est, secretissima divina [2] mysteria beatis et illuminatis intellectibus ineffabili quodam modo aperientur. Tunc perficietur octonarii numeri veluti supernaturalis cubi [3] perfectissima soliditas, in cujus typo sextus titulatur psalmus, *Psalmus David pro* [4] *octava*. Resurrectio quoque Domini non aliam ob causam octava die facta est, nisi ut beata illa vita, quae post septenariam hujus vitae per septem dies revolutionem est futura post mundi consummationem, mystice significaretur, quando humana natura, ut praediximus, in suum principium per octonariam ascensionem reditura sit; quinariam quidem, intra naturae terminos; ternariam vero, supernaturaliter et superessentialiter intra ipsum Deum; quando quinarius creaturae numerus ternario Creatoris adunabitur, ita ut in nullo appareat nisi solus Deus, quemadmodum in aëre purissimo nil aliud arridet [5] nisi sola lux.

40. Haec est itaque hujus operis, quod quinque libris includitur, universalis materia. De qua si quis nos invenerit adhuc [6] incognitum aut [7] superfluum aliquid scripsisse, nostrae intemperantiae incuriaeque imputet, pioque corde humanae intelligentiae [8], carnis adhuc habitaculo gravatae, humilis contemplator indulgeat. Nil enim perfectum est in humanis studiis adhuc, ut opinor, in hac caliginosa vita, quod omni errore careat, quando et justi non ideo justi dicuntur jam in carne viventes, quod justi sint, sed quod se justos esse velint, perfectamque justitiam futuram appetentes, solo mentis affectu denominati. Non enim crediderim, ullum mortalibus membris carnalibusque sensibus gravatum, excepto Christo, ad perfectum virtutis habitum veraeque contemplationis altitudinem pervenisse, Joanne Evangelista attestante : *Si dixerimus*, inquit, *quia* [9] *peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*. Item Apostolus : *Videmus nunc per speculum in aenigmate*; et alibi : *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus*. Sin autem in eo utile et ad aedificationem catholicae fidei pertinens arriserit, soli Deo, qui solus abscondita tenebrarum reserat, et quaerentes ad se ipsum nullo errore deceptos, sed [10] ab erroribus emendatos introducit, de-

A putet, unanimisque in caritate spiritus gratias universali omnium bonorum causae, sine qua nihil possumus facere, nobiscum referat, nulla reprehensionis libidine attractus, nullis facibus invidiae succensus [11], quae sola prae ceteris vitiis caritatis et fraternitatis vinculum rumpere laborat. In pace autem omnium, quae inter nos confecta sunt, benevole recipientium, puraque mentis acie intuentium, seu malevole respuentium, et priusquam cognoscant, quid et qualia sint, praejudicantium, hoc opus primo omnium Deo, qui dixit : *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis*, subinde dilectissimo tibi, frater in Christo Wulfade [12] [a], et in studiis sapientiae cooperatori, et examinandum offero, et corrigendum committo. Nam et tuis exhorta-
B tionibus est inchoatum, tuaque solertia, quoquo modo sit, ad finem usque perductum. Si autem de his, quae in contextu hujus operis [13] gravitate materiae rerumque exponendarum copia coactus praetermisi [14], deque eis quantulamcunque quandoque rationem me redditurum promisi [15], solicitus, ac veluti promissorum exactor fueris [16], opere recurso [17], omnibusque [18] promissionibus repertis, inque unum collectis cursim capitulatimque pro viribus tractabitur [19]. Interim de his, quae jam discussa sunt, lectores [20] contentos esse flagito, non mei ingenioli [21] virtutem, quae aut vix [22], aut nulla est, sed solicitudinis meae [23] infimae, devotae [24] tamen, circa divinarum [25] rerum investigationes facultatem considerantes; quam non minus viribus acutissimae
C tuae [26] intelligentiae, quam meae contemplationis obtusae [27] lucubrationibus, ut [28] non dicam cum aemulis, saltem cum amicis et veritatis inquisitoribus defendere studeas [29]. Nec multum in hoc, ut opinor, laborabis [30]. Mox enim ut talia in manus recte philosophantium pervenerint, si [31] illorum disputationibus conveniunt, non solum libenti animo recipient, verum etiam ut sua osculabuntur. Sin vero in eos, qui promptiores sunt ad reprehendendum, quam ad compatiendum, incurrerint [32], non magnopere cum eis colluctandum. Unusquisque in suo sensu abundet, donec veniat illa lux, quae de luce falso philosophantium facit tenebras, et tenebras recte cognoscentium [33] convertit in lucem. *Explicit liber περι φυσεων μερισμου, hoc est de Na-*
D *turae divisione* [34].

VARIAE LECTIONES.

[1] F *tenebras*. [2] *divina* om. A. [3] F *cybi*. [4] A *per*. [5] *arridet* om. A. [6] *adhuc* om. A. [7] A *atque*. [8] A *indigentiae*. [9] A *quod*. [10] F *aut* ab erroribus. [11] A *accensus*. [12] *Wulfade* om. A. [13] *operis* om. A. [14] A *coacti praetermisimus*. [15] A *nos reddituros promisimus*. [16] A *solliciti eritis* ac v. p. *exactores fueritis*. [17] A *curso*. [18] A *omnibus*. [19] A pro viribus *nostris tractabimus*. [20] A *vos* contentos cet. [21] A *ingenii*. [22] A quae *vix parva*. [23] A sed *vestrae* solicitudinis *nieaeque* [24] F *devota*. [25] *divinarum* om A. [26] A *vestrae*. [27] *obtusae* om. F. [28] *ut* om. A. [29] A *debetis*. [30] A *laborabitis*. [31] A *quoniam*. [32] A *incurrent*. [33] A tenebras *recognoscentium*. [34] Sic A; F *Explicit quintus*.

NOTAE.

[a] *Uulfade* (sic!). Jam Petrus Alixius, teste Thoma Gale, Wulfadum Remensem canonicum, deinde Bituricensem episcopum, innui conjecerat. Cf. de div. Nat. ed. Oxonii 1681, Append. p. 80.

JOANNIS SCOTI

LIBER

DE EGRESSU ET REGRESSU ANIMAE AD DEUM.

FRAGMENTUM.

Cod. collect. membran. n° 596, 4° bibliothecae Christinae Romae fol. 9. — Cf. Carl. Greith Spicilegium Vaticanum Frauenfeld 1838, p. 80 sq.

. . . . Possident fluere et non stare. Ludus merito dictum est Dei a magistro, veluti per haec transducentis nos in ea, quae vere sunt, et nullo modo moventur.

Alia in idipsum theoria

Si vero et nos ipsi secundum dominantem in praesenti nostrae naturae consequentiam tum quidem juxta similitudinem ceterorum in terra animalium nati, deinde pueri facti, deinde floris oximori [1] instar juventute in horrorem vetustatis advenientis mortui, et ad aliam vitam translati, ludus dicti sumus Dei ab isto deifero magistro. Neque extra consequentiam. Ad futuram siquidem divinae veraeque vitae principalem formam praesens vita comparata ludus est, et omne, si quid aliud de hoc efficacius constitutum est. Ipse siquidem in epitaphio [2] in Caesarium sui [3] fratrem apertius ostendit, sic dicens : *Talis vita nostra, fratres, viventium ad tempus, qualis in terra ludus. Non existentes efficimur, et facti resolvimur, somnium sumus instabile, volatus avis transeuntis adhuc eo longius*. Ad ipsam siquidem proprie divinarum rerum πρωτοτύπων, id est, principalium exemplorum veritatem praesentium visibiliumque rerum comparata dispositio, neque omnino esse aestimabitur his, qui viam carpere, quantum possibile est, ad divinae speciositatis formam digni facti sunt, sicut neque ludibrium verae cuipiam et existenti rei comparatum esse universaliter judicatur.

Alia in idipsum theoria.

Fortassis autem et transmutabile materialium rerum, quas commendamus, in aliam aliter transferentium et translatarum privationem, ac nullum habentium fundamentum praeter primam rationem, per quam feruntur, sapienter provideque et ferunt, et, dum aestimantur a nobis teneri, perfugiunt magis, quam tenentur, et desiderium nostrum in se patiuntur teneri; magis vero nos ipsos utpote repulsos et tenere et teneri non valentium. Ponderatam quippe suae naturae definitionem [4].....

VARIAE LECTIONES.

[1] Corr., cod. *ocimori* c. glossa ł *i. amigdali. Amigdalarum* vero in vocabulario vetere theotisco interpretatio est *mandalnuz*. Cf. Graff Diut. II p. 43. [2] Cod. *ephitaphio*. [3] Sic. cod.; f. *suum?* [4] Cod. *diffinitionem*.

JOANNIS SCOTI

VERSIO

OPERUM S. DIONYSII AREOPAGITAE.

Editio Coloniensis a 1556.	A
Editionis ejusdem variae lectiones.	A'
Cod. ms. Ratisb. S. Emmeram. 137 bibl. reg. Monacensis, membran., sec. XI.	B
Cod. ms. 971 bibl. Caesareae Vindobon., membran., sec. XI.	C
Cod. ms. 754 bibl. Caesareae Vindobon., membran., sec. XII.	D
Cod. ms. bibl. Darmstad., olim Colon. 30, membran., sec. XII.	E
Cod. ms. Vatic. 177, membran., sec. XIV.	F
Cod. ms. Vatic. 176, membran., sec. XIV.	G
Cod. ms. lat. Fürstenfeld. 9 bibl. Reg. Monacensis, sec. XV.	H

TESTIMONIA.

I.

Nicolai P. I ad Carolum Calvum literae de Joanne Scoto Operum S. Dionysii Areopagitae interprete, ann. 861 vel 862.

Naudaei Collect. *ex bibl. Oxoni.* [i. e. Oxoniensi, vel Oxomensi]; ed. Bulaeus Historia Univers. Paris t. I, p. 184.

NICOLAUS S. S. D. dilecto filio CAROLO glorioso Francorum regi.

Sane plurimum nos laetificat, quod in imperio et regno vestro, et specialiter Parisius, bonarum artium studia praedecessorum vestrorum cura stabilita repullulent, quarum seminibus Ecclesia Dei fructificat, et animi vegetantur ad illius defensionem. Sed nuper doluimus, ut relatum est apostolatui nostro, quod opus Dionysii Areopagitae, quod de divinis Nominibus et caelestibus Ordinibus graeco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, natione Scotus, nuper transtulit in Latinum: quod juxta morem Ecclesiae nobis mitti, et nostro judicio debuit approbari; praesertim cum idem Joannes multae scientiae esse praedicetur olim, sed non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Hinc est, quod dilectioni vestrae vehementer rogantes mandamus, quatenus apostolatui nostro praedictum Joannem repraesentari faciatis, aut certe Parisius in Studio, cujus capital jam olim fuisse perhibetur, morari non sinatis, ne cum tritico sacri eloquii grana zizaniae et lolii miscere dignoscatur, et panem quaerentibus venenum porrigat. Datum an. III.

II.

Ejusdem epistolae fragmentum ex Decreto Ivonis Carnotensis episcopi.

Ivo. Carnot. ep. Decret. P. IV c. 104.

Relatum est apostolatui nostro, quod opus beati Dionysii Areopagitae, quod de divinis Nominibus vel caelestibus Ordinibus graeco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, et nostro debuit judicio approbari, praesertim cum idem Joannes, licet multae scientiae esse praedicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, et nobis praefatum opus sine ulla cunctatione mittat, quatenus, dum a nostri apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

III.

Anastasii S. Romanae Ecclesiae bibliothecarii ad Carolum Calvum literae de Joanne Scoto, Operum S. Dionysii Areopagitae interprete.

Editio Basileensis a. 1503. . . . . P
Editio Usserii in Epistolarum Hibernicarum sylloge, p. 45 . . . . U
Cod. ms. Florentin. Blut. LXXXIX., sup. 15, membran., sec. XI vel XII. . . . . J

Inter cetera studia, quae tam laudabilis actio, quam saluberrima commonitio, quin etiam [1] odorifera volans opinio de virtutum ac morum qualitate [2] tuorum, o Dictator inclyte, mortalium mentes excitat, et ad effodiendam sapientiam [3] hortatur velut thesauros [4], illud quoque non mediocriter [5] est admiratione stupendum, quod non solum latinos Patres, sed et graecos rimari non cessas, et romana lingua pollentes pelasgarum [6] facis rerum non [7] expertes. Tu quippe facis, qui ad faciendum suscitas et hortaris, quia et nos saepe magnam domum fecisse dicimur, non tamen manibus, sed affatibus. Beatus itaque Areopagita Dionysius, Atheniensis antistes, quem inter cetera constat industria tua, praestantissime principum [8], in romanum sermonem translatum, tantum est, ut ipse patentius [9] nosti, ad intelligendum difficilis, quantum sermone [10] sublimis: imo quanto difficilia sunt intellectu, et alta mysteriis, quae ipse perscrutatus [11], superna revelante gratia didicit, et arcana theologiae, divina se ducente manu, ingressus in sanctuarium Dei ablato velamine penetravit.

Mirandum igitur [12] est, quia pietas tua nec talia indiscussa reliquit, sed, hic licet in terra ambulat [13], tanquam in caelis conversans ambit [14], ita ut, veluti quidam, ut ita fateamur, angelus vel caelestis homo

VARIAE LECTIONES.

[1] J *et.* [2] PU *quantitate.* [3] Sic PJ; U ad *effodiendum sapientiae.* [4] J *velut thesauros hortatur.* [5] J *mediocri.* [6] J glossa *i. e. graecarum.* [7] *non* om. J. [8] J *princeps.* [9] J *potentius.* [10] J *in* sermone. [11] J *perscrutatur.* [12] J *ergo.* [13] J *in terris ambulet.* [14] J *adit.*

Sancta Sanctorum ingredi contemplatione videaris, et ad abdita et adyta divinae ineffabilitatis, quantum possibile est mortalibus, acutis spiritualium oculorum visibus accessisse [1] credaris.

Mirandum est quoque [2], quomodo vir ille barbarus, qui [3] in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguae dictione [4] longinquus, talia intellectu capere, in aliamque linguam transferre valuerit [5]: Joannem innuo Scotigenam, virum, quem [6] auditu comperi per omnia sanctum [7]. Sed hoc operatus est ille artifex [8] Spiritus, qui hunc ardentem pariter et loquentem fecit [9]. Nisi enim ex gratia ipsius igne caritatis flagrasset, nequaquam donum linguis loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc magistra caritas docuit, quod ad multorum instructionem et aedificationem patravit [10].

Verum etsi ad mensuram datus est ei Spiritus, ipse tamen, paternis doctrinis imbutus, quantum potuit, fecit, et prodesse proximis ultra vires tentavit. Siquidem praeter illa, quae hunc latuisse probantur ex his, quae sparsim a quibusdam de praedicti Patris sermonibus et epistolis ante nos interpretata inveniuntur, plurimum utilitati [11] subtraxit, quia tanto studio verbum e [12] verbo elicere [13] procuravit, quod genus interpretationis, licet et ipse plerumque [14] sequar, quantum illustres interpretes vitent, tua profecto sollers experientia non ignorat. Quod eum non egisse ob aliam causam [15] existimo, nisi quia, cum esset humilis spiritu, non praesumpsit verbi proprietatem deserere, ne aliquo modo a sensus veritate decideret [16]. Unde factum est, ut tantum virum, qui per se, quoniam [17] intima et ardua quaeque utriusque philosophiae penetralia rimari proposuit, perplexus nostris intellectibus videbatur, intra cujusdam labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodammodo collocaret, et quem interpretaturum susceperat [18], adhuc redderet interpretandum.

Quapropter ipse, merito [19] anxius, coepi sedulo quaerere, si forte reperiri potuisset praeceptor quisquam vel aliquod scriptum, quo enucleante tantus Pater nobis liquidius illucesceret, et, quia jam per interpretis industriam linguae nostrae fuerat traditus, nostris quoque [20] patulus [21] redderetur perfectius intellectibus: cum ecce repente paratheses [22] sive scholia in eum, quae Constantinopoli positus videram, ad manus venere, quibus utcunque interpretatis mihi aliquantulum magis emicuit, quae videlicet [23] in marginibus interpretati codicis ejus, ut in Graeco reperi, mox interpretata utcunque, donec a docto melius interpretarentur [24], respondentibus signis interpres ego satis imperitus apposui, vestraeque gloriosae [25] sapientiae potissimum fore mittenda non immerito judicavi, ut scilicet, quae fuit alterius interpretationis hortatrix et auxiliatrix, sit etiam nostrae qualiscunque susceptrix et approbatrix. Ipsorum autem scholiorum sive [26] paratheseon quaecunque in calce sui signum vivificae crucis habent, a beato Maximo confessore et monacho inventa [27] narrantur, cetera vero sancti Joannis, Scythopolitani [28] episcopi [29], esse feruntur. Sane ubi a verbis interpretis scholia ipsa dissentire vidi, ut lector, quid de apposita dictione interpres senserit, quid scholion insinuet, indifficulter [30] agnoscat, et verba interpretis scholio inserui, et, qualiter ea scholii compositor praetulerit, innui. Sed et, sicubi opportunum fore conspexi [31], ex me quoque, quoniam esse aliter [32] non potuit, paucissima quaedam, et quae facilius ab intelligente agnosci poterant [33], interposui.

Praeterea notandum est, quod [34], licet tantae gloriae tantaeque scientiae sive [35] antiquitatis iste sanctus Dionysius fuerit, nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse, nisi fallor [36], quaecunque orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani pontifices, videlicet Gregorius [37], Martinus, et Agatho, dictorum ejus in [38] conscriptis suis mentionem fecerint [39], et ea per haec probabilia judicantes admiserint [40], Gregorius scilicet in homelia capituli evangelici [41] de centum ovibus et decem drachmis, Martinus in synodo sua, quam Romae contra haereticos celebravit, et Agatho in epistola, quam ad sextam synodum destinavit. Unde ego [42] veram esse Graecorum opinionem conjicio perhibentium [43], libros ejus a prioribus haereticis occultatos, donec longo post tempore ex opusculis ejus solus codex, qui nunc habetur, est Romae repertus, ceterisque nondum inventis in Graeciam asportatus. Edidit enim et [44] alios, ut ipse innuit [45], libros, quos nec Graecus quisquam, nec adhuc potuit invenire Latinus.

Et quidem Lucas in Actibus apostolorum [a], Eusebiusque Pamphili, et Dionysius Corinthi [46] antistes,

VARIAE LECTIONES

[1] Sic J; PU *accepisse*. [2] J *Mirandum quoque est*. [3] J *ille vir* barbarus, *ille* qui. [4] Sic PJ; U *distinctione* [5] J *voluerit*. [6] J *quantum*. [7] J *sacrum*. [8] J *artifex ille*. [9] J *facit*. [10] J *paravit*. [11] J *utilitatis*. [12] PU verbum *de* verbo. [13] Sic PJ; U *dicere*. [14] Sic J; PU *plurimum*. [15] J *aliam ob causam*. [16] J *caderet*. [17] U *quia*. [18] J *ceperat*. [19] *ipse merito* om. J. [20] Sic J; *quoque* om. U; P *nostrisque*. [21] Sic J; PU *patulis*. [22] J *parathesis* [23] *videlicet* om. U. [24] PJ *interpretentur*. [25] J *religiosae*. [26] J *seu*. [27] J *a beato ac monacho maximo confessore* inventa. [28] PU *Sycopolitani*. [29] J *antistitis*. [30] J *indifficiliter*. [31] J *inspexi*. [32] J *aliter esse*. [33] P *poterunt*, J *possunt*. [34] J *quia* [35] J *seu*. [36] J *ni fallor*. [37] J *Gregorius videlicet*. [38] *in* om. J. [39] J *fecerunt*. [40] J *admiserunt*. [41] U *Evangelii*. [42] *Ego* om. J. [43] U *prohibentium*. [44] *et* om. U. [45] J *meminit*. [46] J *Corinthiorium*.

NOTAE.

[a] Act. XVII, 34.

de eo quaedam miranda tradunt: quae vero scripserit [1], nisi me oblivio fallat, omnino non tradunt. Suadet autem ad hoc ita [2] credendum etiam [3] illud, quod nemo probabilium tractatorum, sicut eis moris est, priorum dicta excerpendi [4] et suis opusculis inserendi, scriptis ipsius utitur, aut horum cujuspiam reminiscitur. Denique vir magnus et apostolicae vitae praeceptor [5] Constantinus philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriae Adriano juniori Papa veniens, S. Clementis corpus sedi suae restituit, quique totum codicem saepe memorati et memorandi Patris memoriae commendaverat [6], et quantum utilitatis medulla ejus habebat [7], auditoribus commendabat, solitus erat dicere, quod [8]; si sanctos, videlicet priores institutores nostros, qui haereticos quosque [9] vix et quodammodo cum fuste decollaverunt [10], Dionysium contigisset habere, cum acuto illos gladio procul dubio [11] trucidassent, innuens profecto hujusmodi dicto [12], quia, quorum os laboriosius et forte tardius obstruxerunt, facilius et acutius, sive velocius — ὀξὺ quippe et *acutum* significat [13] et *velox* — obmutescere coegissent. At vero [14] post praelatorum sanctorum sedis apostolicae praesulum memoriam tam sanctae [15] septima et octava synodus, quam latini et graeci doctores, non solum, quia [16] venerabilis hic Pater scripserit [17], innuunt [18], sed et testimonia ex scripturis [19] ejus frequenter assumunt, ut scilicet sensus suos et dicta tanti viri reddant auctoritatis pondere gravida, et cunctis mortalibus approbanda pariter et sectanda [20].

Deus omnipotens gloriam tuam a terrenis ad caeleste regnum transferat quandoque [21]. Explicit. Data X Kal. April., indict. VIII a [22].

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic J; PU *scripsit*. [2] *ita* om. J. [3] J *et*. [4] Sic J; PU *exponendi*. [5] U apostolicae *sedis* praeceptor. [6] Sic J; PU *commendabat*. [7] J *habeat*. [8] J *quia*. [9] Sic J; *quosque* om. U; P *quos*. [10] *decollaverint*. [11] J *procul dubio gladio*. [12] J *haec dicens*. [13] J *signat*. [14] Sic J; P *At nec*; U *Ac*. [15] Sic J; *sanctae* om. PU. [16] Sic PUJ. [17] J *scripsit*. [18] J *innuit*. [19] J *scriptis*. [20] J *consectanda*. [21] J *quandoque transferat regnum*. [22] *explicit. Data* cet. om. PU. In cod. legi *indict.* XVIII, sed numerus X repetitio literarum *ct* verbi *indict.* esse videtur.

JOANNIS SCOTI

VERSIO

OPERUM S. DIONYSII AREOPAGITAE.

PRAEFATIO.

Hanc libam [1] sacro Graecorum nectare fartam [2]
  Advena Joannes σπένδω [3] meo Carolo.
Maxime Francigenum, cui regia stemmata [4] fulgent,
  Munera votiferi [5] sint tibi grata tui.
Vos, qui Romuleas [6] nescitis temnere τέχνας [7],
  Attica [8] ne pigeat sumere gymnasia [9].
Quorum si quaedam per me scintilla relucet,
  Usibus [10] Ausoniis [11], si libet, aspicite [12]
Molestum si non [13] nostrum munire [14] laborem,
  Firmetur vestri [15] pondere judicii.
Si quid nodosum, durumve notatur [16] in ipso,
  Parcite Cecropidis [17], Attica tela sequor.
A At si mendosus declinat [18] tramite recto,
  Mellifluo vestro [19] famine corrigite.
Quod si quorundam mordetur dente feroci,
  Hoc leve; namque meo contigit Hieronymo [20].
Ut vero stabilis maneat fundamine firmo,
  Regali σταθμῷ [21] figere sufficiet.
Crediderim, multos tangentum [22] summa sophiae [23]
  Non despecturos demula nostra fore,
Sudorisque gravis tentabunt carpere fructum;
  Forsan [24] virtutem vilia verba tenent.
Saepe solent spinis redolentes crescere flores;
  Nodosae vitis sumitur uva ferax.

VARIAE LECTIONES.

[1] B glossa *a libando*, F glossa i. *oblationem*. [2] F glossa *i. e. plenam*. [3] Sic Angelo Mai class. Auctt., Tom. V, p. 448; BCDFGH *spondo*; E *spondeo*. [4] F glossa *i. e. insignia sive coronae*. [5] FG *vociferi*. [6] F glossa *i. e. latinas*. [7] F glossa *i. e. artes*, B *glosa tecas*. [8] F glossa *i. e. graeca*. [9] F glossa *i. e. labores sive exercitia*. [10] H *Versibus*. [11] F glossa *i. e. latinis*, B *occidenti*. [12] Sic BCDEH; FG *accipite*. [13] B supra adscr. *scilicet est*. [14] F *munite*. [15] H *nostri*. [16] Sic codices; Usserius in Epistolarum Hibernicarum sylloge *notetur*. [17] FG *cieropidis*; B glossa *Cecrops rex athenarum*. [18] Usserius *declinet*. [19] H *nostro*. [20] F *yeronimo*; C *ieronimo*. [21] F glossa *i. e. pondere vel auctoritate*. [22] Sic BCDEFG; H *tangentium*; Angelo Mai corr. *tangentes*; Usser. *tangentum*. [23] F glossa *i. e. sapientiae*. [24] F *forsitan*.

—

Gloriosissimo catholicorum regum Carolo JOANNES *extremus sophiae studentium salutem.*

Valde quidem admiranda dignisque virtutum laudibus est exaggeranda catholicorum virorum religiosissima sollicitudo, qui, dum vitae humanae periculosis exagitari videntur [1] aerumnis, fixa tamen mentis intentione, divinarum rerum laboriosis investigationibus purgati [2], fructuosis inventionibus illuminati, perpetuis immutabilibusque veritatis atque divini [3] amoris contemplationibus perfecti, non inter mortales habitare, sed in caelestem conversationem mutatos [4] penitus esse judicandi sunt. In quorum vos numero [5] esse constitutos nullus recte vestros affectus intuentium dubitare permittitur, piissime gloriosissimeque Regum, quandoquidem civilium plusque quam [6] civilium bellorum maximis assiduisque perturbationibus, insuper [7] etiam paganarum [8] gentium barbaricis incursibus, christianorum regnum passim invadentibus allisi, non tamen regalis animi stabilitate dejecti, quasi quoddam immobile saxum, Neptuni limite naturaliter defixum, crispissimos validissimosque cerularum [9] tumultus stabili duraque fronte repellens, toto vestrae [10] mentis intuitu, totaque cordis devotione sanctarum Scripturarum secreta, ducente Deo et rationis lumine, investigatis, investigantesque diligitis, et non solum latialis [11] eloquii maximos sanctissimosque auctores perquiritis, verum etiam in augmentum aedificationis catholicae fidei novis [12] editionibus in laudem christiani dogmatis Ἑλλήνας [13] Patres addidicistis [14] consulere. Hinc est, quod et ingenioli nostri parvitatem non dedignati estis impellere, nec nos velut otiosos inertiaeque somno sopitos perpessi estis dormire, ne, dum hesperiis [15] solummodo apicibus [16] studium impendimus, ad purissimos copiosissimosque Graium latices recurrere, haustumque inde sumere non valeremus. Jussionibus itaque vestris neque volentes neque valentes obsistere, rudes admodum tirones adhuc helladicorum studiorum [17], fatemur. — quid enim pudeat nos fateri vestrae serenitudini? — ultra vires nostras, ipso tamen duce, qui est lux mentium et illuminat abscondita tenebrarum, libros quattuor sancti patris Dionysii Areopagitae, episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum, episcopum Ephesiorum, et decem epistolas ejusdem de Graeco in Latinum transtulimus, opus valde, ut opinamur, A anfractuosum [18], longeque a modernis sensibus remotum, multis invium, paucis [19] apertum, non solum propter antiquitatem, verum etiam caelestium altitudinem mysteriorum. Fertur namque praefatus Dionysius fuisse discipulus atque adjutor Pauli apostoli, a quo Atheniensium constitutus est episcopus, cujus Lucas [20] commemorat in Actibus apostolorum, et Dionysius, episcopus Corinthi, vir antiquus, beatus quoque Polycarpus in epistola ad ecclesiam Athenarum, Eusebius item Pamphili in ecclesiastica historia, nec non etiam [21] sanctus Papa Gregorius in homelia sua, ubi breviter angelorum ordines exposuit. Hunc eumdem quoque non praefati viri, sed alii moderni temporis [22] asserunt, quantum vita ejus a fidelibus viris tradita testatur, temporibus B Papae Clementis, successoris videlicet Petri apostoli, Romam venisse, et ab eo praedicandi Evangelii gratia [23] in partes Galliarum directum fuisse, et Parisii [24] martyrii [25] gloria coronatum fuisse cum beatissimis suis consortibus, Rustico scilicet atque [26] Eleutherio. Haec igitur nostra qualiscunque sit [27] translatio non quidem prolixae indiget, ut arbitror, apologiae [27*], cum omnibus ejus aemulis, quicunque et qualescunque sint, facillima una responsione possimus [28] occurrere, vestrae videlicet celsitudini neque potuisse neque debuisse non obedire. Si quis autem nimis tardae aut nimis inusitatae redarguerit elocutionis, attendat, non me [29] tantum, sed et se [30] ipsum nihil [31] posse plus accipere, quam quod ipse distribuit, qui dividit singulis propria, prout vult. Sin C vero obscuram minusque apertam praedictae interpretationis seriem judicaverit, videat, me interpretem hujus operis [32] esse [33], non expositorem. Ubi valde pertimesco, ne forte culpam infidi [34] interpretis incurram. At si aut [35] superflua quaedam superadjecta esse, aut de integritate graecae constructionis quaedam deesse arbitratus fuerit, recurrat ad codicem graecum, unde ego interpretatus sum; ibi fortassis inveniet, itane est [36] necne. Hoc tamen [37] mihi idoneum fore arbitratus sum, omissis aliorum conjecturis illius [38] solius arbitrio succumbere, cui [39] oportet me obtemperare. Sanctus ergo Dionysius, ut praediximus [40], Areopagita, ex vico videlicet Martis denominatus — Ares [41] namque a Graecis D bellum vocatur — primis juventutis suae floribus academiae studiis eruditus, deinde divino atque ineffabili miraculo solaris eclipseos, quae facta est confixo Domino nostro Jesu Christo [42] crucis patibu-

VARIAE LECTIONES.

[1] E *videantur*. [2] F *purgate*. [3] *divini* om. F. [4] Usserius *mutati*; F *putati*. [5] Sic BCDH; EFG *numero vos*; Usser. *numero vos*. [6] pro *plusque quam* F *plusquam*. [7] Usser. *et* insuper. [8] H *paganorum*. [9] F glossa *i. e. undarum*. [10] Sic EF et Usser.; *vestrae* om. BCDH. [11] F *latiaris* c. glossa *i. e. latini*. [12] E *novis modernis* editionibus, F et Usser. *novis modernisque* editionibus. [13] Sic restitui; BCDEH *ellinas*, BCDH c. glossa *i. e. graecos*; FG *ellinos* c. glossa *i. e. graecos*; Usser. *Hellados* patres. [14] F *addidistis*; E et Usser. *pio affectu addidistis*. [15] F glossa *i. e. latinis*. [16] E glossa *i. e. litteris*. [17] F *elladicarum gymnasiarum*. [18] F *tenebrosum*. [19] Usser. *paucisque*. [20] Usser. cujus *et* Lucas. [21] H *et*. [22] *quoque non-temporis* om. F. [23] *gratia* om. F. [24] *Parisii* om. E et Usser. [25] EF et Usser. *martyrum*. [26] CDH *et*. [27] *sit* om. E et Usser. [27*] F glossa *i. e. excusationis* [28] CDH *possumus*. [29] H *me non*. [30] *se* om. E. [31] E *nil*. [32] Usser. *hujus operis interpretem*. [33] EF *esse hujus operis*. [34] EF *fidi* interpretis. Usser. *fidei* interpretis. [35] *aut* om. E. [36] E et Usser. *esse*. [37] BCDE *tantum*. [38] EF et Usser. *unius*; F c. glossa *libri*. [39] F c. glossa *libro*. [40] ut *praediximus* om. F. [41] BCDH *aris*. [42] F *Domino nostro Jesu Christo confixo*.

lo [1], commotus — ipse siquidem, ut in quadam suarum epistolarum [2] commemorat, dum esset juxta Heliopolim cum Polycarpo episcopo ceterisque, qui tunc aderant, divina procurante providentia mirabilem in modum conspexerat lunam soli subeuntem, ac per hoc [3] solem defecisse — moxque sanctissimum virum, apostolorum discipulum [4], Ierotheum [5] videlicet episcopum, secutus, cujus in tertio hujus operis libro memoriam facit, eundemque magistrum suum venerabilem nominat, ceterisque tunc temporis coepiscopis post apostolos in theologia praeferre non dubitat, cum quo multisque [6] aliis sanctis in unum convenientibus Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus [a], aderantque [7] ibi, ut ipse ait, Jacobus, frater Domini, et Petrus, vertex apostolorum — talibus ac tantis admonitus, divinarumque [8] Scripturarum mysteriis illuminatus, scripsit hos libros, hortante ac postulante sancto Timotheo, aliisque [9], quorum nomina in processu hujus operis saepissime declarat, doctrinamque breviter insinuat. Sed praesentis operis intentionem breviter intimare necessarium duximus, quo facilius lector studiosus ingrediatur. Primus itaque liber, qui inscribitur [10] de caelesti Ierarchia, quod nos, non verbum, sed sensum exprimentes, possumus latine dicere de caelesti pontificatu, seu de summo [11] sacerdotio, novem caelestium virtutum dispositiones enumerat, ordinat, segregat, conjungit, earumque sanctis theologis [12] divinitus manifestatas symbolicas, hoc est significativas vel mysticas imaginationes [13] luculenter exponit. Ordinat quidem in superiores et medias et ultimas, segregat vero in ternas [14] ter Ierarchias, conjungit primas ultimis et ultimas primis per medias, mirabili extremitatum et medietatum ratione coadunans. Dissimilium quoque formarum descriptiones in propheticis visionibus plus quam similium caelestes substantias expressius insinuari [15] confirmat, nullamque visibilium seu invisibilium naturarum ab initio intellectualis creaturae usque ad extremum terrenumque vermiculum nominari, ex qua divina theologia quandam similitudinem ad significandam omnium rerum [16] causam, Deum videlicet, non introducat, et cetera [17]. Secundus vero, cui est inscriptio de Ecclesiastica Ierarchia, humanae naturae, Salvatoris nostri sanguine redemptae, unitatem denuntiat, ad similitudinem videlicet caelestis sacerdotii, quantum possibile est mortalibus, ad hoc [18] ordinatam. Cujus summus pontifex est ipse [19], qui eam sibi per gratiam suam coaptavit, qui etiam totius Ierarchiae, caelestium quidem et terrestrium, principium est et medium et finis, ad quem omnia referuntur. Haec itaque nostra Ierarchia instar caelestis tripartita est, in tres scilicet Ierarchias. Quarum prima temporali quidem ordine, ultima vero dignitate legale est [20] sacerdotium, quod in variis valdeque obscuris symbolis per legislatorem Moysea [21] plane carnali adhuc populo, literaeque, non spiritui servienti distributum est. Cujus maximus character erat tabernaculum illud in Arabico monte figurate monstratum. Secunda vero, quae et media, sacerdotium, quod nunc est, Ecclesiam dico Novi Testamenti, sub gratia quidem constitutam, partim symbolis visibilium sacramentorum dispositam, partim vero veritatis contemplatione perfectam. Et est finis praeteritae primae, initium vero futurae Ierarchiae, quae est tertia, nunc [22] ex parte inchoata in primitiis contemplationis, perficienda vero post gloriam futurae resurrectionis, quando visibilium sacramentorum velaminibus sublatis ipsam veritatem perspicua claritate contemplabimur. Ideoque praesens ecclesiastica Ierarchia, ut diximus, media est inter legalem praeteritam et caelestem futuram, quoniam non solum aeternarum rerum symbola peragit et visibiliter considerat, ut legalis praeterita, sed et spiritualem eorum [23] intelligentiam investigare invenireque non cessat [24], ut caelestis futura, et cetera. Tertius dehinc continet divinarum nominationum virtutes, ideoque de divinis Nominibus vocitatur. In eo [25] secretissima subtilissimaque reserantur mysteria de unitate et trinitate divinae essentiae, hoc est, quae nomina [26] discretam, quae unitam insinuent [27] Deitatem, quae per se incarnato [28] Filio conveniant [29], quae sit unius solius omnium causae in primordiales causas prima processio, ac per eas iterum a summo usque deorsum multiplex theophania, in genera quidem, in species numerosque [30] visibilium et invisibilium naturarum.

VARIAE LECTIONES.

[1] CDH *patibulo crucis*. [2] EF *epistolarum suarum*. [3] *hoc* om. E. [4] H *discipulorum*. [5] E *ierothecum*. [6] FH *multis*. [7] B glossa *vel quippe*. [8] BCDH *sanctarumque*. [9] Male E *aliosque*. [10] F *inscribatur*. [11] E et Usser. seu de *caelesti summo* sacordotio. [12] F *theologiis*. [13] E et Usser. *significativas imaginationes mysticas* (*vel* om.). [14] BC vero *internas* ter. [15] EF *insinuare*, Usser. *insunuare*. [16] E *rerum omnium*. [17] Quae jam usque ad versus *Lumine sidereo* etc. leguntur, in codice F desunt. [18] E et Usser. *adhuc*. [19] Usser. *ipse est*. [20] E et Usser. *sit*. [21] Sic BCDEFGH; Usser. *Moysen*. [22] Usser. *jam*. [23] *eorum* om. E et Usser. [24] *non cessat* om. E. [25] Usser *quia in eo*. [26] E *nomine*. [27] E et Usser *insinuent*. [28] E et Usser. *inhumanato*. [29] E et Usser. *conveniunt*. [30] E *numeros*.

NOTAE.

[a] Ad vocem *contemplatus* D haec animadvertit: *Noveris hic translatorem non bene sensisse in eo, quod beatum Dionysium Christum post resurrectionem corporaliter contemplatum astruit, ex verbis scilicet ipsius sancti Dionysii, qui scribens ita loquitur: « Quando et nos, ut aestimatur, et tu, et multi sanctorum nostrorum fratrum in visionem vitae inchoantis et Deum recipientis corporis convenimus, aderat autem et Dei frater Jacobus, »* etc. *Non corpus Christi, sed beatae Mariae vult auctor intelligi, ad cujus obitum apostoli et ipse Dionysius et alii sancti fratr convenerunt*

Ubi supernaturali contemplatione docere perspicitur, similia esse et appropinquare Deo ea, quae non sunt, quam quae [1] sunt, non tamen privatione substantiae, sed superexcellentia naturae; quid distet [2] inter causas; et causativas malum nihil esse, neque in rerum natura subsistere, neque substantiae neque virtuti neque operationi nocere; ea quoque, quae per privationem de Deo dicuntur, per excellentiam in ipso intelligenda esse. Quartus de mystica theologia, qui, quantum ceteris est coar- A tior [3] in sermonibus, tantum largior in sensibus. Unde et in duas maximas logicae disciplinae dividitur partes, cataphaticam plane et apophaticam, id est, in esse et non esse. Ubi analyticae artis regulis utitur, et nos praeclarissime commonet, per privationem omnium, quae dici seu intelligi possunt, oportere ad veritatem, quae est causa omnium, quae ab ea et per eam et in ea et ad eam creata sunt [4], per excellentiam essentiae recurrere.

INCIPIUNT LIBRI SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE [5],
QUOS JOANNES IERUGENA [6]
TRANSTULIT DE GRAECO IN LATINUM,
JUBENTE AC POSTULANTE REGE [7] CAROLO LUDOVICI IMPERATORIS FILIO.

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE

LIBER PRIMUS

DE CAELESTI IERARCHIA

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI [8].

VARIAE LECTIONES.

[1] H quam *ea, quae* sunt. [2] E et Usser. *distat.* [3] Sic FH; B quantum *coartior est ceteris*; E quantum *coartior fit ceteris*; Usser. q. c. *sit* ceteris. [4] Usser. et ad eam *et propter eam* creata sunt. [5] E litteris miniatis *In hoc volumine continentur libri sancti Dionysii Areopagitae.* [6] Sic BCDH; E *Eriugena*; item cod. Florentinus *Eriugena*. Codicibus FG locus ille desideratur. [7] E et ille codex Florentinus postulante *Domino gloriosissimo* Rege cet. [8] E *Haec sunt in hoc de Ierarchia caelesti totum capitula* XV. [9] E *provisa.* [10] *et* om. FH. [11] F *et.* [12] EF *est.* [13] EF *significat* [14] EF *dicuntur.* [15] CEH *earum.* [16] EF *vocantur.* [17] EF *vocantur.* [18] EF *dicitur.* [19] E *significat.* [20] F *quae ora, quae aures.* [21] G *qui pedes, quae dorsa.* [22] B *quod.*

NOTAE.

[a] E enumerat hoc ordine: *Quae formativae angelicarum virtutum imagines. Quid igneum, qui oculi, quae aures, quis tactus, quae supercilia, qui dentes, quae brachia vel manus, quae pectora, qui pedes, quae nuditas, quis lucidus amictus, quae zonae, quae arma, qui geometrici funes, quae nubes, quod electrum, quae leonis forma, quae humana effigies, quae nares, quae ora, quae palpebrae, quis auditus, qui humeri, quod cor, quae dorsa, quae alae, quis amictus, quis sacerdotalis, quae virgae, quae secures, qui venti, quod aes, qui colores diversorum lapidum, quae aquilae species, qui equi, quae differentiae equinorum colorum, quae flumina, qui currus, quae rotae, quod dictum gaudium angelorum.*

LIBER SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE, EPISCOPI ATHENARUM, AD TIMOTHEUM, EPISCOPUM EPHESIORUM [1].

Epigramma in beatum Dionysium de caelesti Ierarchia.

Angelicae sapientiae fulgores multos projecisti hominibus, manifestasti videre animo compositam pulchritudinem.

Compresbytero TIMOTHEO DIONYSIUS presbyter de caelesti Ierarchia[a].

Lumine siderio Dionysius auxit Athenas
Areopagites, magnificusque σοφός,
Primo commotus Phoebo [3] subeunte selena [4],
Tempore, quo σταυρῷ [5] fixus erat Dominus.
Mox et [6] conversus, mira stupefactus eclipsi [7],
Consequitur gaudens Jerothea ducem.
Qui mox edoctus, praeclarus namque magister,
Pneumatis [8] excelsi fonte renatus erat.
A Nec mora; perfulgens [9] caelestis luce sophiae [10]
Ἀτθίδα [11] edocuit, de quibus ortus et est [12].
Namque ferunt Paulum, qui Christum sparsit [13] in orbem,
Ipsi felices imposuisse manus.
Ast [14] mox perfectus, doctoris symmachus [15] instans [16]
Rexit Κεκροπίδας [17] pervigil ἀρχιερεύς [18]
Alta dehinc volitans Paulum [19] super [19] astra secutus,
Empyrei caeli tertia regna videt.
Suspicit [20] ac [21] Seraphim primos, sanctosque Cherubim,
Aetheriosque Thronos, quo sedet ipse Deus.
Post hos Virtutes, Dominatus, atque Potentes
Agminibus sacris enitet ordo sequens.
B Ἀρχῶν, ἀρχαγγέλων τε χορῶν ἀγγέλων τε τηλαυγῶν [22]
Mentibus [24] uraniis [25] tertia τάξις [26] inest.
Hos igitur numeros, terno ter limite septos,
Praedicti Patris mystica dicta docent.

INCIPIT LIBER DE CAELESTI HIERARCHIA.

CAPITULUM PRIMUM.

Quomodo omnis divina illuminatio secundum bonitatem varie in praevisa proveniens manet simpla, et non hoc solum sed et unificat illuminata.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum[a]. Sed et omnis Patre moto manifestationis luminum processio, in nos optime ac large proveniens, iterum ut unifica virtus restituens nos replet et convertit ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem. Etenim ex ipso omnia, et in ipsum [b] [27], ut divinum ait Verbum. Ergo [28] Jesum invocantes Paternum lumen, quod est quod verum est [29], quod illuminat omnem hominem venientem in mundum [30] [c], per quem ad principale lumen, Patrem, accessum habuimus [d] [31] in sacratissimorum eloquiorum Patre traditas illuminationes, quantum possibile [32], respiciemus, et ab ipsis symbolice [33] nobis et anagogice [34] manifestatas caelestium animorum Ierarchias, quantum potentates C sumus, considerabimus, et principalem et superprincipalem divini Patris claritatem, quae angelorum nobis in figuratis symbolis manifestat beatissimas Ierarchias [35], immaterialibus et non trementibus mentis oculis recipientes [36], iterum ex ipsa in simplum suum restituimur [37] radium. Etenim neque ipse usquam unquam propria singulari unitate deseritur; sed anagogicam vero et unificam eorum, quae provisa sunt, contemperantiam optime et pulchre multiplicatur et provenit, manetque [38] intra se munite, in incommutabili similitudine uniformiter fixus, et in se, quantum fas est, respicientes proportionaliter eis [39] extendit et unificat secundum simplicem sui unitatem. Etenim neque possibile est, aliter lucere nobis [40] divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, et his, quae secun- D dum nos sunt, providentia paterna connaturaliter et proprie praeparatum. Propter quod et sanctissimam nostram Ierarchiam teletarchis [41] sacrorum positio [42]

VARIAE LECTIONES.

[1] E episcopum *de caelesti Ierarchia.* [2] F glossa *i. e. sapiens.* [3] F *i. e. soli*; Usser. *Phoebum*; B *phebo.* [4] F glossa *i. e. luna.* Angelo Mai. σελήνην. [5] F glossa *i. e. cruce*; BCDH *stayro*; E *tauro.* [6] Sic BCDFGH; E, Usser., et Angelo Mai *ut.* [7] F glossa *i. e. defectus solis.* [8] F glossa i. e. *Spiritus sancti.* [9] Sic codd., F *praefulgens.* [10] F glossa *i. e. sapientiae.* [11] Conj., BDH *Atticas*, C *Attichas*, EFG *Attidas* (F c. glossa *i. e. Athenienses*); Usser. *Attitas.* [12] Sic BCDH; E et Usser. ortus *adest*; F ortus *erat.* [13] F *spargit.* [14] F *At.* [15] F glossa *i. e. coadjutor.* [16] Angelo Mai. *ipse.* [17] codd. *cecropidas.* [18] codd. *archiereus*, CDH *archierus*; F glossa *i. e. archiepiscopus seu princeps sacerdotum.* [19] Usser. *supra.* [20] F et Usser. *suscipit.* [21] E et Usser. *ad*; F *at.* [22] F glossa i, *e. potentatus.* G glossa *i. e. potestates.* [23] Sic versus ad codicum fidem restituendus est. Usserius eum omisit quia in codice suo pessumdatus erat. Male Angelo Mai Ἀρχῶν Ἀρχαγγέλων τε *chorus* αγελῶν τε τελαυτῶν. [24] F glossa *i. e. spiritibus.* [25] Sic F c. glossa *i. e. caelestibus*; BCDH *oyranis.*; E *oyraniis.* [26] BF glossa *i. e. ordo.* [27] E in *ipso.* [28] BH *Nos* ergo. [29] *est* om. E; BH *quod est verum.* [30] AE in *hunc* mundum. [31] BH *habemus.* [32] A possibile *est.* [33] BH *i. e. significative.* [34] BH *i. e. contemplative.* [35] BH *i. e. summa sacerdotia.* [36] A *respicientes*; A *recepturi.* [37] Sic A; BH *restituemus*; E *restituimus*, [38] A *et manet.* [39] A *se* eis. [40] BE *nobis lucere.* [41] A *perfectissima.* [42] A *dispositio.*

NOTAE.

[a] Jacob. I.
[b] Rom. XI.
[c] Joan. I.
[d] Ephes. II.

caelestium Ierarchiarum supermundana imitatione dignam judicans, et dictas immateriales Ierarchias materialibus figuris et formalibus compositionibus varificans tradidit, ut proportionaliter nobis ipsis a sacratissimis formationibus in simplas et non figuratas ascendamus altitudines et similitudines, quoniam neque possibile est [1] nostro animo, ad immaterialem [2] illam ascendere caelestium Ierarchiarum et [3] imitationem et contemplationem, nisi ea, quae secundum ipsum est, materiali manuductione utatur, visibiles quidem formas invisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans, et [4] sensibiles suavitates figuras invisibilis distributionis, et immaterialis luculentiae imaginem materialia lumina, et secundum intellectum contemplativae plenitudinis pervias [5] sacras disciplinas, et adunati ad divina, et ordinati habitus earum, quae hic sunt, dispositionum ordines; et Jesu participationis ipsam divinissimae eucharistiae assumptionem, et quaecunque alia caelestibus quidem essentiis supermundane, nobis vero symbolice tradita sunt. Propter hanc ergo nostram [6] conrationabilem theosin misericors perfectionis principium, et caelestes Ierarchias nobis manifestans, et comministram earum perficiens nostram Ierarchiam, ad virtutem nostram similitudine deiformis suae [7] sanctificationis, sensibilibus imaginibus supercaelestes descripsit intellectus in sacroscriptis eloquiorum compositionibus, quatenus [8] nos reduceret [9] per sensibilia in intellectualia, et ex sacre figuratis [10] symbolis in simplas caelestium Ierarchiarum summitates.

CAPITULUM II.

Quam pulchre divina et caelestia etiam per dissimilia symbola manifestantur.

Oportet ergo, ut aestimo, primum exponere, quam quidem esse speculationem omnis Ierarchiae aestimamus [11], et quid ipsius unaquaeque divinis profuit laudatoribus; deinde caelestes Ierarchias laudare secundum ipsarum in eloquiis manifestationem, consequentibusque his dicere, qualibus divinis formationibus caelestes figurant ordines eloquiorum sacrae descriptiones, et ad qualem oportet [12] ascendere per formas veritatem, ut non et nos eodem modo multis immunde aestimemus, caelestes et [13] deiformes animos multipedes esse quosdam, et multorum vultuum, et ad boum pecudalitatem, aut ad [14] leonum bestialem imaginationem formatos, et ad aquilarum curvo rostro speciem, aut ad volatilium tripartitam alarum commotionem effiguratos, A et rotas quasdam igneas super caelum imaginemus, et thronos materiales Divinitati ad recubitum necessarios, et equos quosdam multicolores, et armiferos archistrategos, et quaecunque alia ex eloquiis nobis sacre et formabiliter [15] in varietate manifestativorum symbolorum tradita sunt [a]. Etenim valde artificialiter theologia factitiis sacris [16] formationibus in non figuratis intellectibus usa est, nostrum, ut dictum est, animum revelans, et ipsi propria et connaturali reductione providens, et ad ipsum reformans anagogicas sacras [17] Scripturas. Si cui autem videtur, sacras quidem recipi compositiones, tanquam simplicium in seipsis ignotorumque nobis et incontemplabilium subsistentium, inconvenientes vero aestimat sanctorum intellectuum in eloquiis B sacras descriptiones, et omne, sic dicere, durum hoc angelicorum nominum theatrum: et debuisse ait theologos ad corpoream facturam universaliter incorporalium venientes, propriis ea, et, quantum possibile, cognatis et reformare [18] et manifestare figurationibus ex [19] apud nos pretiosissimis et immaterialibus [20] quoquomodo et supereminentibus essentiis et [21] non caelestibus et deiformibus simplicitatibus terrenas et [22] novissimas circumpositas multiformitates. Hoc quidem et nostrum sublimius futurum esset, et supermundanas manifestationes non deduceret in [23] inconvenientes dissimilitudines [24]. Hoc etiam in divinas illegitime [25] non injuriam faceret virtutes, et aeque nostrum non seduceret animum in immundas se inserentem compositiones. Et forC tassis etiam aestimabuntur supercaelestia leoninis quibusdam et equinis multitudinibus repleri, et mugitiva laudum oratione, et volatili angelorum principatu, et animalibus aliis, et materiis ignobilioribus, tanquam ad inconsequens et ignobile et passibile reclusa describendo [26] per omnia deformes clare manifestativorum eloquiorum similitudines. Sed veritatis, ut aestimo, inquisitio ostendit, eloquiorum sacratissimam sapientiam [b] in animorum caelestium formationibus utrumque valde providisse, ita ut neque in divinas, sic [27] forsitan diceret quis, injuriam faceret virtutes, neque nos in viles passibiliter infigeret imaginum humilitates. Quia quidem enim pulchre procuratae sunt informium formae, et D figurae carentium figuris, non unam causam diceret, [28] quis esse nostram analogiam, non valentem immediate in invisibiles extendi contemplationes, et desiderantem proprias et connaturales reductiones, quae possibiles [29] nobis formationes praetendunt

VARIAE LECTIONES.

[1] B quoniam impossibile. [2] A non materialem. [3] et om. A. [4] et om. A. A discursas. [6] nostram om. E. [7] A earum. [8] A ut [9] A perduceret. [10] A sacris figuratis. [11] Sic EH; A aestimemus. [12] Sic AE; A oporteat. [13] et om. H. [14] ad om. AH. [15] A formaliter. [16] A sacris poeticis. [17] A sanctas. [18] A formare. [19] ex om. A. [20] E materialibus. [21] B ex. [22] et om. BE. [23] in om. A. [24] Sic AE; BH dissimulationes. [25] A simul injuste. [26] A dum describuntur. [27] AE si sic forsitan; BH si forsitan. [28] A dicet. [29] B passibiles.

NOTAE.

[a] Ezech. I; Apoc. IV; Isaiae VI; Dan. VII; Zachar. I; Apoc. VI; Ezech. XXIII; Job XVI; Sapient. V; Josue V; II Mac. III.
[b] Ezech. XXVIII; Job XXXVIII.

informium supernaturaliumque speculationum. Sed A quia et hoc mysticis eloquiis est decentissimum, per incomprehensibilia et [1] divina aenigmata occultare, et inviam multis ponere sacram abditamque supermundanorum intellectuum veritatem. Est enim non omnis sacer, neque omnium, ut eloquia aiunt, scientia [a]. Si autem deformes imaginum descriptione [2] causas aestimaverit quis dehonestari [3], dicens referri sic turpes formationes deiformibus et [4] sanctissimis dispositionibus, sufficit ad eum [5] dicere, quomodo duplex est sanctae manifestationis modus, unus quidem quasi consequens, propter similes provenientium [6] sacrarum figurarum imagines, alter vero propter dissimiles formarum facturas, in omnino inconsequens et indecorum formatus. Itaque colendam superessentialis θεαρχίας [7] beati- B tudinem manifestativorum eloquiorum mysticae traditiones aliquando quidem ut rationem et intellectum et essentiam laudant, divinam rationalitatem [8] et sapientiam ejus declarantes, et vere existentem subsistentiam, et eorum, quae sunt, subsistentiae causam veram, et quasi lumen eam reformant [9], et vitam vocant, tantis mirabilibus reformationibus gloriosioribus quidem existentibus [10], et materiales formationes excellere quoquomodo [11] probatis, deficientibus et sic thearchica [12] ad veritatem similitudine. Est enim super omnem essentiam et vitam, nullo quidem [13] ipsam lumine characterizante, omnique ratione et intellectu similitudine ipsius incomparabiliter derelictis. Aliquando vero dissimilibus manifestationibus ab ipsis eloquiis [b] C supermundane laudatur, eam invisibilem, et infinitam, incomprehensibilemque [14] vocantibus, et ea [15], ex quibus, non quid est, sed quid non est, significatur. Hoc enim, ut aestimo, potentius est in ipsa, quoniam quidem, ut occulta et sacerdotalis traditio subintroduxit, non esse secundum quid eorum quae sunt, eam vere dicimus [16]; ignoramus autem superessentialem ipsius et invisibilem et ineffabilem infinalitatem. Si igitur depulsiones [17] in divinis verae, intentiones [18] vero incompactae, obscuritati arcanorum magis apta est per dissimiles reformationes [19] manifestatio. Et nunc itaque non turpes replent caelestes ornatus eloquiorum sacrae descriptiones, dissimilibus eos formarum facturis manifestantes, et per has ostendentes materialibus D simul omnibus supermundalium [20] excellentias. Quia vero et nostrum animum reducunt magis dissimiles

similitudines, non aestimo quemquam bene sapientum contradicere. In [21] quidem enim pretiosioribus [22] sacris formationibus [23] consequens est et [24] seducti auriformes quasdam aestimantes esse [25] caelestes essentias, et quosdam viros fulgureos, decora indutos vestimenta, candide et ignee innocueque resplendentes [26], et quibuscunque aliis similibus imaginatis formis theologia caelestes figuravit intellectus. Quod quidem ne paterentur, qui nihil visibilibus bonis altius intelligunt, sanctorum theologorum restitutiva sapientia et [27] ad indecoras dissimilitudines mirabiliter descendit, non concedens materiale nostrum in turpibus imaginibus manens [28] requiescere [29]; purgans vero sursum versus [30] animam [31], et suggerens deformitate compositionum, tanquam neque justo neque vero probante esse, neque valde materialibus, quia sic turpibus similia secundum veritatem sunt supercaelestia et divina spectacula. Sed itaque et hoc intelligere oportet, nihil eorum quae sunt, esse universaliter boni participatione privatum. Siquidem, ut eloquiorum veritas ait, *omnia bona valde* [c]. Est ergo ex omnibus intelligere bonas speculationes, et invisibilibus et intellectualibus ex materiis reformare [32] dictas dissimiles similitudines: altero modo intellectualibus habentibus, quae sensibilibus aliter distributa sunt. Etenim furor irrationabilibus quidem ex passibili motu inest, et omni irrationabilitate [33] est repletus furibundus eorum motus. Sed intellectualibus altero modo oportet irascibile intelligere, declarans, ut aestimo, eorum virilem rationabilitatem et immitem [34] quietem in divinis et immutabilibus fundamentis. Eodem modo concupiscentiam quidem esse dicimus in irrationabilibus inconsultam quandam et materialem ex naturali motu aut consuetudine in mutabilibus incontinenter ingenitam passibilitatem, et irrationabilem corporalis voluptatis continuitatem, simul omne animal compellentis in secundum sensum concupiscibile. Cum vero dissimiles similitudines intellectualibus circumponentes, concupiscentiam eis circumformemus [35], amorem divinum ipsam intelligere oportet super rationem et [36] intellectum immaterialitatis, et inflexibile et non indigens desiderium superessentialiter castae et impassibilis contemplationis, et ad illam puram et sublimissimam claritatem, et invisibilem et formificam pulchritudinem aeternae vere et invisibilis societatis, et veluti [37] potentiam excipit quidem in sufficienti et inconversibili, et a nullo affligi valente [38]

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A. [2] E *descriptionis*. [3] A *inhonestum*. [4] A *ac*. [5] A *hunc*. [6] A *pervenientium*. [7] BEH *s. e. divinitatis*. [8] Sic AE; BH *rationabilem*. [9] A *formant*. [10] A *formationibus castioribus manentibus*. [11] BH *quomodo*. [12] A *divina*. [13] A *lumine ipsa*. [14] A *et incomprehensibilem*. [15] A *quae*. [16] A *didicimus*. [17] A *negationes*. [18] A *affirmationes*. [19] A *formationes*. [20] BH *supermundialium*. [21] Pro *In* A *Per*. [22] A *preciosiores*. [23] A *sacras formationes*. [24] *et* om A. [25] *esse* om. A. [26] *candidum* et *igneum innocue respergentes*. [27] *et* om. A. [28] A *remanens*. [29] A *quiescere*. [30] A *ferens*. [31] A *animae*. [32] A ex *materialibus formare*. [33] A *omnis irrationabilitatis*. [34] A *immanem*. [35] A *circumformamus*. [36] *et* om. A. [37] *veluti* om. B. [38] A a *nullo* affligitur virtute.

NOTAE.

[a] Matth. VII; I Cor. II.
[b] Rom. XI; I Tim. VI; Psal. CXL.
[c] Gen. I.

per inconfusum et incommutabilem [1] divinae pulchritudinis amorem, et universalem revocationem in id, quod vere est appetendum. Sed et ipsam irrationabilitatem et insensualitatem in quidem irrationabilibus animalibus, aut inanimatis materiis, defectum rationis et sensus proprie vocamus: in autem immaterialibus et intellectualibus essentiis, sancte et decenter supereminens [2] earum, ut supermundalium, confitemur nostra transitoria et corporali ratione et materiali alienato incorporalibus animis sensu [3]. Est itaque non et [4] dissonas reformare [5] caelestibus formas, et ex vilibus materiae partibus, quoniam et ipsa ex vere bono subsistentiam possidens, per omnem sui materialem dispositionem resonantias [6] quasdam intellectualis pulchritudinis habet, et possibile est per eas reduci ad immateriales primas formas dissimiliter, ut dictum est, similitudinibus acceptis [7], et eisdem [8] non similiter, compacte autem et pulchre intellectualibusque et sensibilibus proprietatibus definitis. Haec mysticos theologos inveniemus non solum caelestium dispositionum declarationibus mirabiliter circumformantes, sed et [9] ipsis aliquando thearchicis [10] manifestationibus. Et aliquando quidem ipsam ex luminibus pretiosis laudant, ut solem justitiae, ut stellam matutinam, in animum sancte orientem, et ut lumen incircumvelate [11] et intellectualiter [12] resplendens [a]: aliquando vero ex mediis, ut ignem innocue splendentem, ut aquam vitalis plenitudinis datricem, et symbolice dicendum, in ventrem subeuntem, fluminaque redundantem, immensurabiliter refluentia: aliquando autem ex novissimis, ut unguentum suave, ut lapidem angularem [b]. Sed et bestialem ipsi formam circumponunt, et leonis ei [13] et pantheris [14] speciem [15] coaptant, et pardaliniam vestiunt et ursam saevientem [c]. Addam vero et quodomnium vilius esse et magis significare visum est, quia et vermis specie ipsam seipsam circumformantem divini [16] sapientes tradiderunt [d]. Sic omnes theosophi, et occulta inspiratione prophetae, sanctis incontaminatis distinguunt sancta sanctorum, et dissimilem sanctam figurationem honorant, ut neque divina immundis tractabilia [17] sint, neque mirabilium agalmatum [18] studiosi contemplatores tanquam veris remaneant figuris. Et [19] divina itaque honorificant veris negationibus, et ad novissima compactarum resonantiarum [20] diversis similitudinibus. Nihil ergo inconsequens, si et caelestes essentias ex inconvenientibus dissimilibus similitudinibus reformant [21], secundum dictas causas. Non enim fortassis aeque non [22] nos in quaestionem quidem ex indigentia, in anagogen quoque [23] per diligentem divinorum scrutationem veniremus, nisi deformitas nos extorqueret manifestatoriae angelorum reformationis [24], non sinens nostrum animum remanere in dissimilibus formarum facturis, sed Inctantem negare materiales passibilitates, et assuescentem pure extendi per visibilia in supermundanas altitudines.

Tanta quidem a nobis dicta sunt propter materiales et inconvenientes divinorum eloquiorum angelicarum [25] imaginum descriptiones. Deinde autem segregare [25*] oportet, quid ipsam quidem esse Ierarchiam aestimemus [26], quidve ipsa Ierarchia prosit [27] Ierarchiam sortientibus [28]. Dux vero sit sermonis Christus, si quidem mihi fas dicere, meus, totius Ierarchicae manifestationis inspiratio. Tu vero, o puer, secundum sanctam nostrae sacerdotalis traditionis legislationem, ipse sancte et decenter ausculta mirabiliter dictorum, divinus in Deo et [29] in doctrina factus, et secreto animi, quae sancta sunt, circumtegens ex immunda multitudine, tanquam uniformia custodi. Non enim fas, ut eloquia aiunt, in porcos projicere invisibilium margaritarum inconfusum et luciformem beneficumque ornatum [e].

CAPITULUM III.

Qnid sit [30] Ierarchia, et quae per Ierarchiam utilitas.

Est quidem Ierarchia secundum me ordo divinus, et scientia, et actio, deiformi quantum possibile, simulata [31], juxta [32] inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens. Divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut teletarchica [33], pura quidem est universaliter omni dissimilitudine; distributiva vero, secundum dignitatem uniuscujusque proprii luminis; et perfectiva in sacrificio divinissimo, secundum ad seipsam perfectorum compacte immutabilem formationem. Interpretatio igitur Ierarchiae est, ad Deum, quantum possibile, similitudo et unitas, ipsum habens omnis sanctae et scientiae et actionis ducem, et ad suum divinissimum decorem immutabiliter quidem deficiens, quantumque [34] possibile reformans [35], suos laudatores agalmata divina perficit, specula clarissima et munda, receptiva principalis lumiqis et divini

VARIAE LECTIONES.

[1] A *immutabilem.* [2] A *supereminentias.* [3] Sic BE; AH *nostram transitoriam et corporalem rationem et materialem et alienatum incorporalibus animi sensum excellentes.* [4] *et* om. A [5] A *formare.* [6] A *imagines.* [7] H *acceptatis.* [8] A *easdem.* [9] *et* om. A. [10] A *divinis.* [11] A *circumvolute.* [12] A *invisibiliter.* [13] *ei* om. A. [14] AH *pantherae.* [15] A *specialitatem.* [16] A *divina.* [17] A *recte accepta* sint. [18] A *imaginum.* [19] *Et* om. A. [20] A *imaginationum.* [21] A *formant.* [22] Pro *aeque non* A *utique.* [23] *quoque* om. A. [24] A *formationis.* [25] A *angelicas.* [25*] Sic ABEH. [26] A *aestimamus.* [27] A *quidque ab ipsa Ierarchia prosunt.* [28] A *sortientes.* [29] Pro *in Deo et* A *divina.* [30] E *est.* [31] A *simulans.* [32] A *et ad.* [33] A *consummativa.* [34] A *quantum vero est* possibile. [35] A *reformat et.*

NOTAE.

[a] Malach. I; Apoc. II.
[b] Exod. III; Joan. I, V.
[c] Cant. I; Isai. XXVIII; Ose. V, X.
[d] Psalm. XXI.
[e] Matth. VII.

radii, et indita quidem claritate [1] sacre repleta, eamque iterum copiose in ea, quae sequuntur, declarantia, secundum divinas leges. Non enim fas est sanctorum perfectoribus aut sancte perfectis, operari quid [2] omnino praeter proprias teletarchias [3] aut sacras ordinationes; sed neque subsistere aliter, nisi [4] divinam ipsam [5] claritatem appetant [6], et ad ipsam sacre et decenter respiciant [7], et reformentur [8] secundum uniuscujusque sanctorum intellectuum analogiam. Nonne ergo Ierarchiam qui dicit, sacram quandam universaliter declarat dispositionem [9], imaginem divinae speciositatis in ordinibus et scientiis Ierarchicis, propriae illuminationis sacrificantem mysteria, et ad proprium principium, ut licet, assimilatam? Est enim unicuique Ierarchiam sortientium perfectio, hoc est, secundum propriam analogiam in Dei imitationem ascendere, et omnium divinius, ut eloquia aiunt, Dei cooperatorem fieri [a], et ostendere divinam in seipso actionem, secundum quod possibile est, relucentem; utpote quoniam ordo Ierarchiae est, quosdam quidem purgari, quosdam vero purgare; et quosdam quidem illuminari, quosdam vero [10] illuminare; et quosdam quidem [11] perfici, quosdam vero perficere, unicuique deiforme adunationi qualicunque modo. Divina beatitudo, quantum in hominibus dicendum, pura quidem est simul omni [12] dissimilitudine, plena vero [13] luminis aeterni, perfecta, et non indigens simul omnis perfectionis, purgans et illuminans et perficiens. Magis autem purgatio sancta et illuminatio et perfectio super purgationem, super lumen, ante perfecta, per seipsam perfecta, per seipsam perfectionis principium, et omnis quidem Ierarchiae causa, omnisque sacri secundum supereminentem excelsitudinem. Oportet itaque, ut aestimo, purgandos quidem puros perfici omnino, et omni liberari dissimilitudinis confusione: illuminandos vero repleri divini luminis [14], ad contemplativam habitudinem et virtutem in [15] castissimis mentis oculis renovandos: ex imperfecto [16] restaurandos participes fieri exploratorum sacrorum perfectivae scientiae: purgatores vero, magnitudine [17] purgationis aliis tradere propria castitate: illuminatores autem, ut luculentiores animos, et ad participationem luminis et distributionem proprie habentes, et ditissime sanctae repleti claritatis [18], omnino suum superexcellens lumen in eos, qui digni sunt lumine, supervehere: perfectores vero, tanquam praeceptores perfectivae traditionis, perficere perficiendos sacratissima

A doctrina per inspectorum sacrorum scientiam. Non [19] ergo unusquisque Ierarchicae dispositionis ordo secundum propriam analogiam reducitur ad divinam cooperationem, illa perficiens gratia et Deo data virtute, quae thearchiae [20] naturaliter et supernaturaliter unita sunt [21], et ab ea superessentialiter acta, et ad possibilem Deum diligentium animorum imitationem ierarchice manifestata.

CAPITULUM IV.

Quid significet angelorum cognominatio.

Igitur Ierarchia hac [22] quid sit [23], ut aestimo, bene [24] a nobis definita, angelicam Ierarchiam [25] consequenter [26] laudandum [27], et mirabiles [28] ejus in eloquiis formarum facturas [29] supermundanis oculis intuendum [30], ut ascendamus in deiformosissimam eorum

B simplicitatem per mysticas reformationes [31], et simul omnis ierarchicae scientiae principium laudabimus in divinitus praefata [32] religiositate et teletarchicis [33] gratiarum actionibus. Primum simul omnium illud dicere verum, ut bonitate universali superessentialis thearchia [34], eorum quae sunt, essentias substituens, ad esse adduxit. Est enim hoc omnium causae, et super omnia bonitatis proprium, ad communionem suam ea, quae sunt, vocare, ut unicuique eorum, quae sunt, ex propria definitur analogia. Omnia igitur, quae sunt, participant providentiam, ex superessentiali et causalissima divinitate manantem. Non enim fortassis essent, nisi eorum, quae sunt, essentiam ex principio assumerent [35]. Existentia igitur omnia esse ejus participant; esse enim

C omnium est super esse divinitas [36]: viventia autem eadem super omnem vitam vivifica virtute [37]: rationalia [38] et intellectualia eadem [39] super omnem et rationem et intellectum per se perfecta et anteperfecta sapientia [40]. Clarumque, quia circa eam illae essentiarum sunt, quaecunque innumerabiliter ab ea acceperunt. Sanctae ergo caelestium essentiarum dispositiones super ea, quae tantum sunt, et irrationabiliter viventia, secundum nos rationalia ierarchicae traditionis participatio [41] factae sunt. Invisibiliter enim in divinam imitationem seipsas reformantes, et ad thearchicam similitudinem supermundane aspicientes, et formare [42] appetentes intellectualem suam speciem, copiosiores pulchre habent ad eam communiones, adtendentes quidem

D sunt [omnem vitam. Ipsae ergo sunt primo et innumerabiliter [43]], et semper ad summum, quantum fas, in confirmatione [44] divini et inflexibilis amoris inten-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *inditae* q. *claritatis.* [2] A *quidem.* [3] A *propria hostiarum mysteria.* [4] A *si.* [5] A *ipsius.* [6] AE *appetunt.* [7] AE *respiciunt.* [8] AE *reformantur.* [9] B *sacra quadam... dispositione.* [10] H *et quosdam.* [11] *quidem* om. A. [12] A *ab omni simul.* [13] A H *veri.* [14] A *divino lumine.* [15] *in* om. A. [16] A *reducendos: et imperfectos.* [17] BH *magnitudinem.* [18] A *caritatis.* [19] Sic codd.; A *Nonne.* [20] A *divinitati.* [21] A et supernaturaliter *insunt.* [22] *hac* om. A. [23] A *est.* [24] A *bene ut aestimo.* [25] A *angelica Ierarchia.* [26] A *deinde.* [27] A *laudanda.* [28] A *mirabilesque.* [29] A *facturae.* [30] A *intuendae.* [31] A *formationes.* [32] A *divina.* [33] A *perfectissimis.* [34] A *divinitas.* [35] A *essentiae et principii assumptione.* [36] Sic E; AB *divinitatis.* [37] A *eandem* s. c. v. *unificam virtutem.* [38] A rationalia *autem.* [39] A *eandem.* [40] A *perfectam* et *anteperfectam sapientiam.* [41] AH *participatione.* [42] H *reformare.* [43] A *multipliciter. omnem vitam — innumerabiliter* supervacanea sunt, et e periodo sequenti videntur huc illata esse. Extant vero in omnibus codicibus. [44] B *confirmationem.*

NOTAE.

[a] I Cor. III; III Joan. I; Matth. V.

tae, et principales illuminationes immaterialiter et pure recipientes, et ad ipsas ordinatae, et intellectualem habentes omnem vitam. Ipsae ergo sunt primo et innumerabiliter [1] in participatione Dei factae, et primo et multipliciter manifestatrices divinae occultationis. Propterea et ultra omnia cognominatione angelica selectim dignae factae sunt, eo quod primo in seipsas [2] edunt divinam illuminationem, et per se in nos deferunt, quae supra nos sunt, manifestationes. Siquidem, ut theologia ait, per angelos nobis donatae sunt, et gloriosos quoque ante legem nostros patres angeli ad divinum reducebant, quod agendum introducentes, et ad rectam veritatis viam ex errore et vita immunda reducentes, aut ordines sacros mysteriórum supermundalium, aut occultas visiones, aut divinas quasdam antepraedicationes prophetice revelantes [a]. Si autem quis dixerit, et inde immediate fuisse quibusdam sanctorum theophanias, discat et hoc sapienter ex sacratissimis eloquiis, quomodo hoc quid et quale [3] est Dei occultum, nemo vidit neque videbit [b]. Theophaniae autem sanctis factae sunt secundum praedictiones a Deo [4] per quasdam sacras videntibus proportionalium visionum manifestationes. Ipsa igitur sapientissima theologia visionem illam, quae in ipsa est descripta, revelavit divinam, quasi in forma informium similitudinum, ex videntium in divinum reductione, pulchre vocari theophaniam, quasi per ipsam ex [5] videntibus divina facta illuminatione, et quid divinorum ipsis mire perdocentibus [6]. Has autem divinas visiones gloriosi patres nostri eruditi sunt [7] per medias caelestes virtutes. An [8] non et sacram legislationem eloquiorum traditio velut per se [9] quidem dicit ex Deo Moysi donatam, ut etiam nos vere doceat, divinos eam esse et sacros characteres [c]? Docet autem et hoc sapienter theologia, per angelos eam in nos provenire, tanquam divino legali ordine illud legaliter ponente, hoc est, per prima secunda in divinum [10] reduci. Etenim non solum et in superpositis et subjectis animis, sed et in aeque potentibus ipsa lex definitur superessentiali omnium ordinationis principio, hoc est, per unamquamque lerarchiam primas et medias et ultimas esse et ordinationes, et virtutes, et minorum esse diviniores doctores et manuductores, in divinam adductionem et illuminationem et communicationem. Video autem [11], quia et divinum Christi humanitatis mysterium angeli primum

A docuere, deinde per ipsos in nos scientiae gratia descendit [d]. Sic ergo divinissimus Gabriel Zachariam quidem summum sacerdotem mysteria edocuit [e], hoc est, prophetam [12] fore ex ipso contra spem gratia divina nasciturum puerum divinitus et salutariter mundo manifestandae virilis *Jesu* divinae operationis. Mariamque [13] quomodo in [14] ipsa foret divinum ineffabilis divinae formationis mysterium [f]. Ast alius angelorum Joseph erudiebat, quomodo vere implerentur divinitus promissa progenitori David [g]. Alius vero pastores, tanquam multorum reditu [15] et silentio conversos [16] evangelizavit, et cum eo multitudo exercitus caelestis illam valde laudabilem tradebant his, qui in terra sunt, doxologiam. Respiciamque ad excelsissimas eloquiorum luminis apparitiones.

B Video enim, quoniam et ipse Jesus, supercaelestium essentiarum superessentialis essentia, ad id, quod secundum nos est, immutabiliter veniens, non resilit [17] sub se et militari et electa humana bona [18] ordinatione, sed obediens subditur Patris et Dei per angelos dispositionibus. Et per medios ipsos annuntiatur Joseph a patre disposita filii ad Aegyptum recessio, et iterum ad Judaeam ex Aegypto transductio [h]. Et per angelos ipsum videmus sub paternis legislationibus ordinatum [i]. Iusto enim dicere ut scienti nostris sacerdotalibus traditionibus expressa, et de angelo ipsum Jesum confortante; aut quia et ipse Jesus per nostram salutarem beneficientiam [19] et manifestatoriam veniens ordinationem, angelus magni consilii appellatur. Etenim, ut ipse

C angelus [20] praedictus ait [21], quaecunque audivit a Patre, annuntiavit nobis [j].

CAPITULUM V.

Quare omnes caelestes essentiae communiter angeli dicuntur.

Haec quidem est, quantum ad nos, causa angelicae in eloquiis cognominationis. Scrutari autem, ut aestimo, oportet, ob quam causam theologi omnes quidem simul caelestes essentias angelos vocant: ad manifestationem autem venientes supermundalium ipsarum dispositionum, ordinem angelicum specialiter nominant, completive terminantem divinas et caelestes res: ante ipsum vero superpositae archangelicos ordinant ornatus, principesque et potestates

D et virtutes, et quascunque his superfirmatas essentias eloquiorum cognoscunt manifestatoriae

VARIAE LECTIONES

[1] A *multipliciter.* [2] BH in *seipsis.* [3] A hoc *quidem quod* est. [4] A secundum *decentes Deum.* [5] *ex* om. A. [6] A quidem *divinis ipsis sancte perficientibus.* [7] A *perceperunt.* [8] A *Aut.* [9] BE *inde.* [10] H *divina.* [11] *autem* om. BH. [12] BH *per prophetam.* [13] A Mariam *quoque.* [14] *in* om. A. [15] BH *relatu.* [16] A *purgatos.* [17] EH *relisit.* [18] A resilit *a se ordinata et assumpta humana* ordinatione. [19] A *beneficam.* [20] BE *angelo.* [21] A angelus *dixit.*

NOTAE.

[a] Gen. XIX, XXII et XXXI; Judith. VI; Dan. VII; Matth. II; Act. X; Apoc. IV.
[b] Num. XII; I Tim. VI.
[c] Deut. IX.
[d] Matth. I, Luc. I, II.
[e] Luc. I.
[f] Luc .
[g] Matth. I; Luc. II.
[h] Matth. II.
[i] Luc. XXII.
[j] Joan. XV; Isai. IX.

traditionis. Dicimus autem, quia per omnem sanctam dispositionem excellentes quidem ordines habent et [1] inferiorum dispositionum illuminationes et virtutes, non autem participantes se [2] excellentium sunt ultimi. Ergo sanctissimos excellentissimarum essentiarum ordines et [3] angelos vocant theologi; etenim sunt manifestatores et ipsi thearchicae illuminationis [a]. Ordinem vero extremum animorum caelestium non habent rationem archas aut thronos, aut seraphim nominare [4]. Neque enim est in participatione excellentissimarum virtutum: sed sicut ipse nostros divinos summos sacerdotes reducit ad cognitos ei divinitatis fulgores, sic et ante se essentiarum adhuc immundae virtutes reducunt, et ad divinum sunt consummantis angelicas Ierarchias dispositionis. Nisi quidem quis et hoc dixerit, communes ergo [5] esse omnes angelicas nominationes, secundum omnium virtutum caelestium in deiforme et ex Deo datum lumen subjectionem et supereminentem communicationem. Sed ut magis a nobis ratio dijudicata sit, considerabimus sacre in eloquiis expressas sanctas et decoras proprietates uniuscujusque caelestis dispositionis.

CAPITULUM VI.

Quae prima caelestium essentiarum dispositio, quae media, quae ultima.

Quanti quidem sunt et quales supercaelestium essentiarum ornatus, et quomodo secundum eos Ierarchiae perficiuntur, solam diligenter scire dico contemplativam eorum teletarchiam; adhuc et eos non cognoscere [6] proprias virtutes et illuminationes, et suam sacram et superornatam ordinationem. Impossibile enim, nos scire supercaelestium animorum mysteria, et sanctissimas eorum perfectiones, nisi ibi dixerit quis, quaecunque per eos nos [7] tanquam propria bene scientes Divinitas mysteria docuit. Non ergo nos quidem nihil [8] proprio motu dicimus. Quaecunque autem angelicarum speculationum a sanctis theologis contemplata sunt, haec docentes nos, quantum potentes sumus, exponemus. Omnes theologia caelestes essentias novem vocavit manifestativis cognominationibus [b]. Quas [9] divinus noster sanctus perfector in tres segregat ternas dispositiones. Et primam quidem esse dicit circa Deum existentem semper, et attente ipsi et ante alias immediate uniri traditam. Sanctissimos enim Thronos et oculosos et pennosos ordines, Cherubim Hebraeorum voce et Seraphim nominatos, secundum omnibus superpositam propinquitatem, circa Deum immediate collocari ait tradere divinorum eloquiorum manifestationem. Trinum ergo hunc ornatum, quasi unam et aeque ordinatam, et vere primam Ierarchiam, communis noster dixit dux: qua [10] non est alia deiformior, et per se praeoperantibus Divinitatis illuminationibus immediate [11] intentior. Secundam vero esse ait ex Potestatibus et Dominationibus et Virtutibus completam. Et ternarum novissimam caelestium Ierarchiarum, angelorum et archangelorum et principatuum [d] dispositionem.

CAPITULUM VII.

De Seraphim et Cherubim et Thronis et de prima eorum Ierarchia.

Hunc nos recepturi sanctarum Ierarchiarum ordinem dicimus, quia omnes [12] caelestium intellectuum cognominationes declarationem habent uniuscujusque deiformis proprietatis. Et quidem sanctam Seraphim nominationem, qui [13] Hebraeorum sunt scientes, aut incendentes manifestavere [14], aut calefacientes; eam vero Cherubim multitudinem scientiae, aut fusionem sapientiae. Pulchre igitur prima caelestium Ierarchiarum ab excellentissimis essentiis sanctificatur, ordinem habens omnibus altiorem, hoc est, circa Deum immediate collocari, et primo operantes theophanias et perfectiones in eam tanquam proximam principalius deferri [15]. Calefacientes ergo nominantur et Throni, et fusio sapientiae, manifestativo deiformium suarum habitudinum nomine. Mobile enim semper eorum circa divina, et incessabile, et calidum, et acutum, et superfervidum intentae [16] et non indigentis et inflexibilis semper motionis, et superpositorum reductive et active assimilativum, tanquam recalefaciens illa et resuscitans in similem calorem [17], et igneum caelitus et holocauste purgativum, et incircumvelatum et inextinguibile, habens sicsic [18] semper luciformem et illuminativam proprietatem, omnis tenebrosae obscurationis persecutricem et manifestatricem, Seraphim nominationem aut manifestationem docet. [19] Ipsa vero Cherubim cognoscibile eorum et deividum, et altissimae luminum dationis acceptivum, et contemplativum in prima operatrice virtute divinae pulchritudinis, et sapientificae traditionis repletum, et communicativum copiose ad secunda fusioni donatae sapientiae. Ipsa autem altissimarum et compactarum sedium omni diligenter exaltari ignominia subjectionis, et ad summum supermundanae sursum ferens, et omni extremitate inflexibiliter [20] in sublimissimum [21] et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum, et divini superadventus, in omni impassibilitate et immaterialitate acceptivum, et

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. A. [2] E *participant esse.* [3] *et* om. A. [4] A *nominandi.* [5] *ergo* om. AE. [6] Sic BEH; A *ignorare.* [7] *nos* om. A. [8] BH quidem *quid.* [9] A *Has.* [10] *est* om. A. [11] E *in medietate.* [12] *de* om. EH. [13] AE *quae.* [14] A E *manifestare.* [15] A *collocatur... deferuntur.* [16] A et *forsitan intimae.* [17] AE *caliditatem.* [18] Sic B., *A habentemque se sic*; E *habentem sic sic*, H *habens sic.* [19] A * *nominationes aut manifestationes habent.* [20] A *ineffabiliter.* [21] A * *submissum.*

NOTAE.

[a] Heb. I.
[b] Coloss. I.
[c] Eph. III; Coloss. I.
[d] I. Thes. IV.

deiferum, et familiariter in divinas susceptiones A apertum.

Haec quidem nominum ipsorum, quantum ad nos, declaratio. Dicendum vero, quam Ierarchiam eorum aestimamus. Omnis quidem enim Ierarchiae speculationem Deum imitanti deiformitate dependentem inflexibiliter esse, et dividi omnem Ierarchicam actionem in participationem sacram et traditionem purgationis purae, et divini luminis, et perfectivae scientiae, sufficienter jam a nobis dictum esse arbitror. Nunc autem dicere digne persequamur [1] excelsissimos intellectus, quomodo jam secundum eos Ierarchia ab eloquiis manifestatur. Primis essentiis, quae post substantificam earum thearchiam collocatae, et veluti in vestibulis ipsius ordinatae, omnem sunt invisibilem et visibilem superexcellentes factam [2] virtutem, propriam aestimandum est esse et omnino aequiformem Jerarchiam. Puras igitur eas aestimandum, non ut immundis maculis et inquinationibus liberatas, neque ut materialibus receptas phantasiis [3], sed ut omni subjectione [4] mundas et altiores, et omni superfirmato templo secundum excelsissimam [5] castitatem, omnibus deiformosissimis virtutibus supercollocatas, et proprio per se motu, et eodem motu, secundum diligentis Deum inconversibile ordinis inflexibiliter receptas, et in subjecta contumeliam omnino nescientes, sed incasualem et intransmutabilem habentes propriae deiformis specialitatis purissimam collocationem. Contemplativasque iterum sensibilium symbolorum, aut intellectualium speculationes, neque ut varietate sacrae Scripturae theoriae in divinum reductas, sed ut omni immateriali scientia altioris luminis repletas, et formificae et principalis pulchritudinis, et superessentialis et terlucentis [6] contemplatione, quantum fas est, refertas, communicatione autem Jesu similiter digne factas, non in imaginibus sacre fictis [7] formative figurant deificam similitudinem, sed ut vere ipsi approximantes in prima participatione scientiae deificum ejus luminum [8], et quia Deo simile ipsis subjectissime [9] donatum est, et communicant hujusmodi, ut possibile, in praeoperatrice virtute deificis ipsius et humanis virtutibus. Perfectas autem similiter, non ut sacra varietate analyticam scientiam illuminatas, sed ut primae et superemi-D nentis deificationis repletas, secundum excelsissimam [10], quantum in angelis, divinorum operum scientiam. Non enim per alias sanctas essentias, sed ab ipsa thearchia sanctificatae, in ipsam immediate extenduntur, omnes [10'] supereminenti virtute et ordine, et ad castissimam omnino fortitudinem collocantur, et ad immaterialem et invisibilem pulchritudinem, quantum fas, in contemplationem adducuntur, et divinorum operum scibiles rationes, ut primae et circa Deum essentiae flectuntur, et ab ipso perfectionis principe excelsissime sanctificatae sunt. Hoc ergo theologi aperte declarant, suppositas quidem caelestium essentiarum dispositiones superfirmatis ornate erudiri deificas scientias: omnium vero altiores ab ipsa thearchia, quantum fas, doctrinis [11] illuminari. Quasdam enim earum introducunt a prioribus sacre eruditas, Dominum esse caelestium virtutum, et regem gloriae in caelos humanitus receptum [a]. Quasdam vero apud ipsum Jesum quaerentes, et pro nobis suae divinae actionis scientiam discentes, et eas ipsum Jesum immediate docentem, B et praelargiens eis manifestantem suam humanam benignitatem [12]. *Ego enim*, inquit, *disputo justitiam et judicium salutaris* [b]. Miror autem, quia et caelestium essentiarum primae, et tantum simul omnes supereminentes thearchicis illuminationibus, ut mediatae quaestiones reverenter appetant [13]. Etenim non inde interrogant, *quare tui rubra vestimenta*, apud seipsas vero deliberant ante interrogare, ostendentes quidem, quia discunt, et deificam scientiam appetunt, non autem praesilientes per divinam processionem inditam illuminationem. Non ergo prima caelestium intellectuum Ierarchia ab ipsa thearchia sanctificata, quo in eam immediate extenditur, sanctissima [14] purgatione multo lumine anteperfectae consummationis proportionaliter eam implens, C purgatur et illuminatur et perficitur, omni quidem minoratione pura, primi vero luminis plena, et prime datam cognitionem et scientiam participans perfecta. Comprehendens autem et hoc dixerim *fortassis* non immerito, quia et purgatio est, et illuminatio, et perfectio divinae scientiae assumptio, ignorantia quidem utpote purgans, secundum ordinem indita scientia perfectiorum doctrinarum, illuminans autem ipsa divina cognitione, per quam et purgat non prius contemplantem [15], quam manifestat per altiorem illuminationem, et perficiens iterum ipso lumine secundum habitum scientia lucidissimarum doctrinarum. Ipsa ergo est, quantum ad nostram scientiam, prima caelestium essentiarum dispositio, in circuitu Dei et circa Deum immediate stans, et simpliciter et D incessanter circumiens aeternam ejus scientiam, secundum excellentissimam, quantum in angelis, semper mobilem [16] collocationem, multas quidem et beatas videns pure contemplationes, simpliciter vero et immediato fulgore [17] illuminata, et divino alimento repleta; multa quidem primo data *fusione*, sola vero

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic. codd., A *prosequamur*. [2] A' *facturam propriam*. [3] A *materialium receptarum phantasiarum*. [4] A *diminutione*. [5] A' *excellentissimam*. [6] BH *perlucentis*. [7] A' *sacrefactis*. [8] A *lumen*. [9] A *substantialiter*. [10] A'E *excellentissimam*. [10'] A' *omnibus*. [11] A *doctrina*, E *doctrinas*. [12] Sic ABE; H *benignam humanitatem*. [13] A *appetunt*. [14] *quo in eam — sanctissima* om. BH. [15] H *contemplative*. [16] BH *mobile*. [17] AE *simplos vero etimmediate fulgores*

NOTAE.

[a] Psal. XXIII.

[b] Isaiae LXIII.

domestica et unifica divinae refectionis unitate: multaque communione Dei et cooperatione digna effecta, ad eam, ut possibile, similitudinem [1] bonarum habitudinum et actionum: multaque divinorum superposite cognoscens, et divinae scientiae et cognitionis in participatione, secundum quod fas est, facta. Propterea et laudes ipsius theologia his, qui in terra sunt, tradidit, in quibus mirabiliter manifestatur excelsissimae ipsius illuminationis eminentia. Alii quidem ejus, sensibiliter dicere, tamquam vox aquarum reboant: *Benedicta gloria Domini ex loco suo.* Alii autem illam valde laudabilem et piissimam reclamant theologiam: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth, plena omnis terra gloria ipsius* [a]. Has autem excelsissimas caelestium animorum hymnologias jam quidem in his quae sunt de divinis laudibus, quantum possibile, aperuimus, et [2] dictum est de his in illis, quantum ad nos, sufficienter. Ex quibus in admonitionem [3] sufficit dicere tantum secundum praesens tempus, quia theologicam scientiam [4] ipsa prima dispositio, quantum fas, illuminata est a thearchica bonitate, quae tanquam deiformis Ierarchia, et aliis quidem eandem deinde tradidit, illud per brevitatem dicere subintroducens, ipsam piissimam et superlaudabilem et laudabilissimam thearchiam fas est benedictam esse a theodochis, quantum possibile cognosci et laudari intellectibus. Ipsi enim sunt tanquam deiformes divini loci thearchicae, ut eloquia aiunt [b], quietis. Et quia monas est et unitas tres substantialiter, et supercaelestibus essentiis usque novissima terrae extendens bonitatem suam in omnia, quae sunt, providentiam, tanquam omnis essentiae superprincipale principium et causa, et omnium superessentialiter immensurabili continentia circumligans

CAPITULUM VIII.

De Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus, et de media earum Ierarchia.

Transeundum autem nunc nobis in medium caelestium intellectuum dispositionem, Dominationes illas supermundanis oculis, quantum possibile, explorantibus, et vere potentia speculamina [5] divinarum Potestatum et Virtutum. Etenim unaquaeque super nos essentiarum cognominatio Dei imitatorias earum significat deiformes proprietates. Igitur sanctarum Dominationum manifestativam nominationem aestimo declarare absolutam quandam et omni ignominia minorationis liberam anagogen, non ad similitudinem [6] tyrannicarum dissimilitudinum ullo modo universaliter eam inclinatam, liberaliter severam Dominationem, omni minutivae servituti superpositam, non indigentem subjectionis omnis, et remotam ab universa dissimilitudine, et kyriarchiae incessanter appetentem, et ad ipsam [7] illius ipsius naturaliter subsistentis virtutis similitudinem, quantum possibile, et seipsam et quae post eam sunt, deiformiter conformantem, ad nullum vana [8] videntium, sed ad proprie ὂν universale conversam, et kyriarchicae semper deiformitatis in participatione, secundum quod possibile est, ipsi factam. Ipsam vero sanctarum Virtutum fortem quamdam et incommutabilem virilitatem, in omnes secundum earum deiformitatem operationes, ad nullam susceptionem inditarum ei divinarum illuminationum imbecilliter informatam [9], potenter in imitationem Dei reductam, non relinquentem suimet imbecillitate deiformem motum, sed firmiter ferentem insuper essentialem et potentificam virtutem, et ipsius imaginem virtutis [10] similem, juxta quod licet, factam, et ad ipsam quidem ut principalem virtutum potenter conversam, ad secundam vero virtutis datricem et deiformiter provenientem. Ipsam autem sanctarum Potestatum aequipotentem divinarum Dominationum et Virtutum bene ornatam et inconfusam circa divinas susceptiones ordinationem, et ordinatam [11] supermundanae et intellectualis potestatis, non tyrannice in ea, quae inferiora sunt, potestativis virtutibus praecipitatae, sed potenter in divina post bene ordinatas reductae, et post se deiformiter reducentis, et ad potentificam exusiarchiam, quantum fas est, assimilatae, et eam, ut possibile, angelis revelantis in bene ordinatis [12] per ipsam ordinibus potestativa virtute. Has habens deiformes proprietates media caelestium animorum dispositio purgatur quidem et illuminatur et perficitur, quemadmodum dictum est, a divinis illuminationibus, inditis sibi secundo per primam Ierarchicam dispositionem, et per mediam illam secunda manifestatione delatis. Itaque per alium dictionem venire in alium angelum auditum, symbolum faciemus a longe superperfectae et per processionem occultae in sequentia perfectionis. Nam [13] sapientes circa sacras nostras immolationes aiunt, per scipsas lucentes divinorum plenitudines, per alteras contemplativarum participationum esse perfectiores. Sic aestimo et angelicorum ordinum immediatam participationem primo in Deum extentorum, perfectiorem esse per mediotatem perfectorum. Propter quod et a nostra sacerdotali traditione perfectivae, lucificae, et purgativae virtutes primi intellectus nominantur inferiorum, tanquam per se in omnium superessentiale principium reductorum, et teletarchicarum [14] purgationum et illuminationum et perfectionum in participatione, secundum quod eis fas, factorum. Hoc est enim

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic H; ABE *similitudine.* [2] Sic codd., A *ut.* [3] A *recordationem.* [4] AB *theologica scientia.* [5] A' *speculativa.* [6] E non *assimilat* tyrannicarum. [7] *ipsam* om. ABH. [8] AE *vane.* [9] AE *infirmatam.* [10] AE *virtutis* similem. [11] A'E *ordinatum.* [12] A'E bene *ornatis.* [13] BE *Enim.* [14] A *mysticarum.*

NOTAE.

[a] Ezech. I; Ezech. III; Isaiae VI; Apoc. IV.

[b] Psal. IX, XLVI, LXXIX; Isa. LXVI.

omnino divina taxiarchia divinitus promulgatum, A per prima secunda divinis participare illuminationibus. Invenies autem hoc et multoties theologis expressum. Quando enim divina et paterna humanitas Israel conversibiliter pro sacra ejus salute erudiens [1], et ulciscentibus et immitibus nationibus in correctionem tradens, omnigena provisorum in melius traductione, et in captivitatem dimisit, et ad priorem clementer reduxit constantiam [2], vidit [3] theologorum unus Zacharias unum primorum, ut aestimo, et circa Deum angelorum, commune enim, ut dixi, est omnibus hoc angelica cognominatione, ab ipso Deo discentem de hoc consiliaria [4], ut dictum est, verba: alterum vero subjectorum angelorum, in occursum primi provenientem, tanquam ad illuminationis susceptionem et metalepsim [5]; deinde ab ipso divinum consilium tanquam a summo sacerdote eruditum, et hoc docere theologum conversum, quoniam fructuose habitabitur Jerusalem a multitudine hominum [a]. Alter autem theologorum Ezechiel [b], et ab ipsa dicit hoc sacratissime promulgatum esse Cherubim superfirmata gloriosissima Divinitate. Enim Israel, ut dictum est, exercitativa humanitas per disciplinas in melius traducens, justitia divina obnoxios contemnat, innoxios justificat. Hoc docet [6] primus post Cherubim, lumbos saphiro praecinctus, qui poderem [7] juxta symbolum ierarchicum induebatur. Reliquos autem angelos, qui secures habebant, divina taxiarchia imperat a priori doceri de hoc divinum judicium [c]. Et quidem enim dixit, mediam pertransire Jerusalem, et dare signum in frontes innoxiorum virorum; aliis: Exite in civitatem post eum, et percutite, et nolite parcere oculis vestris, ad omnes autem, super quos est signum, ne appropinquetis [d]. Quid fortassis quis dixerit de dicente angelo ad Daniel: Exivit sermo; aut de ipso primo, ignem ex medio Cherubim recipiente? [e] Aut illud ejusdem abundantius in ordinis angelici ostensionem, quoniam et Cherubim immittit ignem in manus sanctam stolam induti [f]. Aut de vocante divinissimum Gabriel, et dicente ei: *Fac illum intelligere visionem* [g]? Aut quaecunque alia a sacris theologis dicta sunt de caelestium thearchiarum deiformi ornatu. Ad quem nostrae ierarchiae ordinatio, secundum quod possibile est assimilata, angelicam pulchritudinem, quantum in imaginibus habebit, formata per eum et reducta ad superessentialem simul omnis ierarchiae taxiarchiam [7*].

CAPITULUM IX.

De Principibus et Archangelis et Angelis et de ultima eorum Ierarchia.

Reliquus nobis in contemplationem ornatus, angelicas concludens Ierarchias, a deiformibus Principibus, Archangelis et Angelis dispositus. Et primum [8] quidem dicere necessarium aestimo, secundum quod mihi possibile, sanctarum earum cognominationum manifestationes. Manifestat enim ipsa quidem caelestium principum illud deiformiter principale et ductivum [9] cum ordine sacro et principativis [10] decentissimis virtutibus, et ad superprincipale principium eas universaliter converti, et alias ierarchice duci, et ad illud ipsum, quantum B possibile, reformari [11] principificum principium, manifestareque superessentialem ejus taxiarchiam ornatu principalium virtutum. Ipsa autem sanctorum archangelorum, aequipotens quidem est caelestibus principatibus. Est enim et eorum et angelorum, ut dixi, Ierarchia una et dispositio. Veruntamen quoniam quidem non est Ierarchia, non et primas et medias et ultimas virtutes habens, archangelorum sanctus ordo communicative Ierarchicae medietati extremorum recipitur. Etenim sacratissimis Principatibus communicat, et sanctis Angelis. Ipsis quidem, quia ad superessentiale principium principaliter convertitur, et ad ipsum, ut possibile, reformatur, et angelos unificat secundum bene ornatos ejus et ordinatos et invisibiles ducatus. Istis C vero, quia et eis ypofetico est ordine divinas illuminationes ierarchice per primas virtutes suscipiens, et angelis eas deiformiter annuntians, et per angelos nobis manifestans, secundum sacram uniuscujusque divinitus illuminatorum analogiam. Ipsi enim angeli, sicut praediximus, completive consummant omnes caelestium animorum dispositiones, secundum quod consummandum est, ut in caelestibus essentiis habentes angelicam proprietatem, et magis apud nos angeli, quam priores, aptius nominati, quantum et circa significantius ipsis est Ierarchia et magis circumornatus.

Excellentissimam quidem enim, ut dictum est dispositionem, tanquam ipsi occulto primitus ordinate [12] proximantem, clam formans, aestimandam D sanctificare secundam. Secundam vero, quae completur a sanctis Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus, ejusque est Principibus et Archangelis et Angelis Ierarchiae principari [13], prima quidem Ierarchia manifestius, ea vero quae est post

VARIAE LECTIONES.

[1] A *corripiens.* [2] A *beneficentiam.* [3] AE *Videt.* [4] AE *consolatoria.* [5] A *perceptionem.* [6] AE *docetur.* [7] E *poderam.* [7*] *taxiarchiam* om. BEH. [8] AF *vrimas.* [9] A principale *eductivum.* [10] A *principalibus.* [11] A *formari.* [12] A *ordinare* [13] A. *praeesse.*

NOTAE.

[a] Zach. II.
[b] Ezech. VIII.
[c] Ezech. X.
[d] Ezech. IX.
[e] Dan. IX.
[f] Ezech. X.
[g] Zach. I.

eam, occultius. Principatuum autem et Archangelorum et Angelorum manifestativam dispositionem humanis Ierarchiis per consequentiam praecipere, ut sit per ordinem ad Deum reductio, et conversio, et communicatio, et unitas, attamen et a Deo omnibus Ierarchiis optime indita, et communicative superveniens, et cum ornatu sacratissimo processio. Inde theologia nostram Ierarchiam angelis distribuit, principem Judaeorum populi Michael nominans [a], et alios gentium amicos. Statuit enim excelsus terminos gentium secundum numerum angelorum Dei [b]. Si autem quis dixerit, et quomodo Hebraeorum populus reductus est solus in thearchicas illuminationes, respondendum, quia non angelorum rectas scientias accusari oportet aliarum gentium in non existentes Deos errore, sed illos ipsos propriis inflexionibus ex ea, quae est in divinum, recta reductione recidentes, amore proprio, et superbia, et ipsis opinionum divinitus et [1] corrationabiliter cultu. Hoc perhibetur et ipse Hebraeorum populus perpessus esse. *Cognitionem enim Dei*, ait, *repulisti, et post cor tuum existi* [c]. Neque enim coactam habemus vitam, neque per provisorum propriam potestatem divina lumina providae illuminationis obcaecantur: sed intellectualium visionum dissimilitudo, superplena paterna bonitate, lucis donationem aut omnino non paticipatam facit, et ad earum reformationem non distributam, aut participationes facit differentes, parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius et simplicis et semper eodem modo se [11] habentis et superexpansi fontalis radii. Deinde quia et aliis gentibus, ex quibus et nos respeximus in illud omnibus paratum in traditionem et apertum divini luminis et magnum et copiosum pelagus, non alienigenae quidam imperabant dii, unum autem omnium principium, et ad ipsum reduxerunt sequentes, secundum unamquamque gentem principantes angeli. Melchisedech intelligendum summum sacerdotem, existentem Dei amicissimum existentibus, non existentium, sed ipsius [2] vere existentis excelsi Dei. Etenim sic simpliciter Melchisedech ipsi [3] theosophi non amicum Dei tantum, sed et sacerdotem vocaverunt [d]. An ut sapientibus aperte significarent, quia non solum in ipsum [4], qui vere est, Deum convertit, adhuc autem et aliis, ut summus sacerdos, eduxit ea, quae est ad veram et solam divinitatem, reductione. Et hoc autem tuam summe sacerdotalem intelligentiam admonebimus, quia et Pharaoni apud ipsos Aegyptios imperante angelo [e], et Babyloniorum principi praeside proprio omnium providentiae et dominationis providum et potestativum secundum visiones distributum est, et gentibus illis veri Dei ministri duces statuti sunt, formationum ab angelis visionis manifestatione angelorum, continuo sacris viris Daniel et Joseph ex Deo per angelos revelata [f]. Unum enim est omnium principium et providentia. Et nullo modo aestimandum, Judaeos quidem pleniter duxisse divinitatem, Angelos autem specialiter, aut aeque honorabiliter, aut oppositis [5], aut Deos quosdam alteros imperare aliis gentibus: sed et eloquium illud, secundum ipsam sacram intelligentiam accipiendum, non ut partiente [6] Deo cum alteris diis aut angelis nostrum ducatum, et Israel in gentis principatum et gentis ducatum contento, sed ut ipsa quidem una simul omnium excelsa providentia, omnes homines salutariter propriorum angelorum restitutoriis manuductionibus distribuente, solo fere ultra omnes Israel in veri Domini illuminationem et cognitionem converso. Unde theologia quidem seipsum possedisse Israel in vere Dei famulatum significans, *facta est portio Domini*, ait [g]. Ostendens autem, et eum viritim ceteris gentibus distribuisse cuidam sanctorum angelorum, in cognoscendum per eum unum omnium principium, Michael dixit Judaicum duxisse populum [h], aperte nos edocens, unam esse omnium providentiam, simul omnibus invisibilibus et visibilibus virtutibus superessentialiter supercollocatam, omnes autem per singulas gentes imperantes angelos, in ipsum ut proprium principium sequentes, voluntate essentiali quasque virtutes extendere.

CAPITULUM X.

Repetitio et congregatio* [7] *angelicae ordinationis.

Connexa est itaque sic ipsa quidem honorabilissima circa Deum animorum dispositio, ex teletarchica illuminatione sanctificata [8], in eam immediate ascendendo, occultior et manifestior divinitatis illuminatione purgatur et illuminatur et perficitur [9]. Occultior quidem, tanquam invisibilior, et magis simplificata et unificata: manifestior vero, ut ante data, et primo lucens [10], et universalior, et magis in eam, ut oportet, forma effusa. Ab ipsa autem iterum proportionaliter secunda, et a secunda tertia, et ex tertia secundum nos Ierarchia, secundum ipsam bene ornantis taxiarchiae legem, in harmonia divina et analogia, ad simul omnis boni ornatus superprincipale principium et consummationem ierarchice reducitur. Manifestatores autem omnes et angeli eorum, qui ante ipsos sunt; ipsi quidem honorabilissimi Dei moventis, proportionaliter autem ceteri ex Deo motorum. Tantum enim omnium superessentialis harmonia

VARIAE LECTIONES.

[1] et om. E. [11] se om. BE. [2] ipsius om. A. [3] ipsi om. A. [4] BH in ipsum. [5] BH oppositos. [6] BH parante. [7] E synagoge. [8] A ordinata. [9] et illuminatur et perficitur om. B.I. [10] AE lucet

NOTAE.

[a] Dan. X.
[b] Deut. XXXII.
[c] Osee IV; Jerem. II.
[d] Gen. XIV.
[e] Gen. XLI.
[f] Dan. II.
[g] Psal. CXXXIV; Deut. XXXII; Isa. XIX.
[h] Dan. X.

unicuique rationalium et intellectualium sacro ornatu et ordinata ductione praevidit, quantum ipse lerarchiarum unusquisque ordo sacre et decenter positus est, et omnem lerarchiam videmus in primas, et medias, et ultimas virtutes divisam. Sed et ipsam per singulas, specialiter dicendum, dispositionem ipsis divinis harmoniis discrevit : propter quod et ipsos divinissimos Seraphim ipsi theologi aiunt alterum ad alterum clamare [a], aperte in hoc, ut aestimo, declarantes, quoniam theologicas scientias ipsi primi secundis tradunt. Addiderim autem fortassis et hoc non incongrue, quia et secundum seipsum unusquisque et caelestis et humanus animus speciales habet et primas et medias et ultimas ordinationes et virtutes, addictas per unumquodque [1] ierarchicarum illuminationum proprias anagogas proportionaliter manifestatas [1*], per quas unumquodque in participatione fit, sicut idipsum et fas est et possibile, superincognitissimae purgationis plenissimi luminis anteperfectae perfectionis. Est enim nihil per se perfectum, indigens universalis perfectionis, nisi vere perfectissimum et ante perfectum.

CAPITULUM XI.

Quare omnes caelestes essentiae communiter Virtutes [2] caelestes vocentur [3].

His autem definitis, illud dignum intelligere, ob quam causam omnes similiter angelicas essentias virtutes caelestes vocare consuevimus. Non enim est dicendum, ut in angelis, quoniam omnium novissima est dispositio ipsa sanctarum Virtutum, et quidem novissimarum sancta et decora illuminatione, superpositarum essentiarum dispositiones participant; ultimae vero primarum nullo modo: et cujus gratia caelestes quidem virtutes omnes divini intellectus nominantur, Seraphim autem et Throni et Dominationes nullo modo. Participatae enim extremae excelsissimis sunt universalibus proprietatibus. Ipsi namque Angeli, et ante Angelos Archangeli, et Principatus, et Potestates, post Virtutes ab ipsa theologia ordinati, communiter saepe a nobis similiter aliis sanctis essentiis caelestes virtutes vocantur. Dicimus autem, quia communiter in omnibus utentes caelestium nominatione virtutum, non confusionem quandam uniuscujusque dispositionis proprietatum introducimus : sed quoniam in tria dividuntur secundum se supermundana ratione omnes divini intellectus, in essentiam et virtutem et operationem, cum simul omnes aut eorum quosdam inobservate caelestes essentias, aut caelestes vocamus virtutes, eos periphrasticōs, de quibus sermo est, significare nos aestimandum ex ea, quae per singulos eorum est, essentia vel virtute. Neque enim superpositam proprietatem jam bene a nobis discretarum sanctarum virtutum, et minoribus omnino annectere essentiis, in conversione inconfusae angelicorum ornatuum taxiarchiae. Juxta enim saepe a nobis recte redditam rationem ipsae quidem superfirmatae dispositiones abundanter habent et minorum sacras proprietates, ultimae vero majorum superpositas universitates non habent, particulariter in eas primo apparentibus illuminationibus, per primas [4] proportionaliter eis distributis.

CAPITULUM XII.

Quare secundum homines lerarchae angeli vocentur [5].

Quaeritur autem et hoc intelligibilium eloquiorum studiose intuentibus: si enim participantia excelsiorum universitatum non sunt ultima, ob quam causam secundum nos summus sacerdos angelus Domini omnipotentis ab eloquiis nominatur [b]? Est autem non contraria ratio, ut aestimo, ante definitis. Dicimus enim, quia universali et superpositi majorum ornatuum virtute relinquuntur ultimi. Media enim et proportionali participant juxta unam simul cunctorum et conjunctivam societatem: quale est, sanctorum Cherubim ordo participat sapientia et scientia altiori; sub ipsos autem essentiarum dispositiones participant quidem et ipsae sapientia et scientia, particulari tamen ad illos et subjecta. Et quidem omnino in participatione sapientiae esse [6], et scientiae, commune est omnibus deiformibus intellectualibus [7] : attente autem, et primo, aut secundo, aut infra, nequaquam commune, sed sicut unicuique ante propria definitur analogia. Hoc autem et de omnibus divinis mentibus non fortassis quis errans definiet. Etenim sicut primi abundanter habent minorum sanctas pulchrasque proprietates, sic habent ultimi eas priorum, non tamen similiter, sed infra. Nihil ergo, ut aestimo, inordinatum, si et secundum nos summum sacerdotem angelum theologia vocat, juxta virtutem propriam participantem angelorum hypofetica proprietate, et ad manifestativam eorum similitudinem, quantum possibile hominibus, extentum. Invenies autem, quia et deos theologia vocat et caelestes et superuas essentias, et apud nos amicissimos Dei et mirabiles viros, et quidem divina obscuritate superessentialiter simul omnibus et remota et supercollocata, et nullo ab ea eorum, quae sunt, simili nominari proprie et omnino valente. Veruntamen quaecunque et intellectualium et rationalium ad unitatem ejus qualiscunque virtus universaliter convertitur, et ad divinas ipsius illuminationes, quantum possibile, incessabiliter [8] extenditur, secundum virtutem, si justum dicere, divina imitatione, et divina univocatione digna facta est.

VARIAE LECTIONES.

[1] E *unum quodcunque.* [1*] E *Manifestas.* [2] E *angeli* virtutes. [3] E *vocantur.* [4] BH *prima.* [5] E *vocantur.* [6] *esse* om. A. [7] A *intellectibus.* [8] E *incessanter.*

NOTAE.

[a] Isai. VI. [b] Malach. II, 7; Apoc. II.

CAPITULUM XIII.

Quare a Seraphim dicatur purgatus fuisse propheta Isaias.

Age, et hoc secundum virtutem inspiciamus, utquid a theologis Seraphim missus fuisse dicatur [a]. Etenim exponeret quisquam, quia non suppositorum quis angelorum, sed unus quidam maximis essentiis innumeris purgat sacerdotem. Quidam ergo aiunt, quia juxta jam ante redditam cunctorum intellectuum societatis definitionem, non unam circa Deum primarum mentium nominat eloquium in theologi purgationem venisse; quendam vero praestantium nobis angelorum, sanctificantem prophetae purgationem, Seraphim aequivocatione [1] vocatum fuisse propter igneam et caelestem dictorum ablationem peccatorum, et purgati in divinam obedientiam resuscitationem. Et eloquium unum ex Seraphim simpliciter dixisse aiunt, non circa Deum collocatarum, sed nobis praestantium purgativarum virtutum. Alter autem non nimis inconvenientem quandam praestitit mihi apologiam super hujusmodi statu. Ait enim, quia propriam purgativam sacrificationem magnus ille, qui tunc erat, visionem formans angelus in docendum divina theologum, in Deum et post Deum in praeoperatricem Ierarchiam reposuit. Et numquid igitur haec ratio verax est? Ait enim qui hoc dixit: Quomodo divina virtus in omnia veniens implet, et per omnia immensuraliter pervenit, et omnibus iterum est invisibilis, non solum quasi ab omnibus superessentialiter remota, sed et quasi occulte in omnia permittens providas suas operationes, sed tamen et omnibus intellectualibus proportionaliter superlucet, et propriam illuminationem ingerens pretiosissimis essentiis, per eas quasi primas in subminitas se bene ornate distribuit, secundum uniuscujusque dispositionis contemplativam commensurationem. Quam ut apertius dicam, et per propria exempla, etsi deficientia Deo omnibus remoto, veruntamen nobis manifestiora: solaris radii distributiones in primam materiam bene distributae, implent omnium lucidiorem, et per eam manifestius proprios declarant [2] splendores; accedens vero crassioribus materiis, obscuriorem habet distributivam superapparitionem, ex illuminandarum materiarum [3] ad illuminationis distributivum habitum inopportunitate, et paulo post ex hoc ad perfecte fere indistributum coartatur. Iterum ignis caliditas magis seipsam distribuit in capaciora, et ad similitudinem suam bene convenientia et bene ducta: ad [4] vero reformationibus contrarias essentias ipsa nullum absconso primitivae operationis vestigium manifestat. Et hoc eo amplius, quia his, quae non sunt cognata, per opportuna sibi habentia admittitur primum, utpote ignita faciens ab igneis facile mobilia, et per

A haec aut aquam, aut alterum quid non facile ignescentium proportionaliter calefícans. Juxta hanc igitur naturalis ordinationis rationem, supernaturalis ipsa omnis boni ornatus visibilis et invisibilis taxiarchiae, congruae dilucidationis claritatem primo apparentem, ut in copiosissimis effusionibus excellentissimis manifestat essentiis; et per eas, quae post sunt essentiae, divino participant radio. Hae enim [5] primae cognoscentes Deum, et divinam supereminenter desiderantes virtutem, et praeoperatrices fieri, quantum possibile, Deo simili virtute et actione dignae effectae sunt, et post se essentias ipsae ad similem virtutem, ut virtus, deiformiter extendunt, copiose ipsis tradentes ex superveniente in eas claritate, et illae iterum subjectis: et per B singulas prima ei, quae est post eam, tradit. Ipsa aqua nonne et in omnes proportionaliter pervenit? Est ergo simul cunctis illuminatis principium illuminandi Deus quidem natura et vere et proprie, ut luminis essentia, et ipsius esse et videre causalis. Hoc deiformiter et Deo simile permanet, superposita ei post se unaquaeque divina lumina per se in illam transvehere. Ergo excellentissimam caelestium animorum dispositionem simul omnium reliquarum essentiae, secundum quod consequens est, post Deum principium mirantur omnis sacrae et divinae scientiae, et divinae imitationis, tanquam per illas in omnes et nos divina illuminatione distributa. Propter quod et omnem sacram et Deo similem operationem in Deum quidem quasi causalem referunt: C deinde primos deiformes intellectus, tanquam primos operatores divinorum et magistros. Non ergo prima sanctorum angelorum dispositio magis simul omnibus habet [6] igneam proprietatem, et effusam divinae sapientiae traditionem, et mysticam excelsissimam divinarum illuminationum scientiae, et sessivam proprietatem gestantem, divinam susceptionem significantem? Ipsae vero suppositarum dispositiones essentiarum, ignea, sapiente, sciente, Dei susceptoria virtute participant quidem infra, et ad primas aspicientes, et per eas ut imitatione divina, praeoperative digne factas in deiformitatis possibile reductae. Dictas ergo sanctas proprietates, quarum participatio per primas post eas subsistentes fiunt, ipsis illis post Deum tanquam Ierarchiis reponunt. D Ait ergo haec dicens [b], visionem ab illo [7] susceptam fuisse theologo per unum imperantium nobis sanctorum et beatorum angelorum, et ante illuminativam ipsius manuductionem in illam sanctam contemplationem reposuisse. Et sedere vidit excelsissimas essentias, quantum in symbolis dicendum, post Deum, et circa Deum collocatas, superprincipalem summitatem in medio superfirmatarum virtutum supercollocatam. Didicit ergo visionibus ipse

VARIAE LECTIONES.

[1] A* *aequivoce.* [2] H *declarent.* [3] A* *rerum.* [4] EH *at.* [5] A* Hae *etenim*, E *Eae enim.* [6] AEH *habent.* [7] AE ab *illa.*

NOTAE.

[a] Isa. VI.

[b] Isa. VI.

theologus, quia juxta omnem superessentialem supereminentiam incomparabiliter supercollocatum est divinum simul omni visibili invisibilique virtute; atqui, quia omnium est remotissimorum, ut universale, neque primis eorum, quae sunt, essentiis simile. Adhuc et omnium ipsum principium et causam substantificam esse, et eorum, quae sunt, secreta singularitate immutabile fundamentum, ex quo et esse, et bene esse, etiam ipsis summe munitis [1] est virtutibus. Deinde easdem sanctissimorum Seraphim edoctus est deiformes virtutes, sacra quidem ipsorum cognominatione, quod est ignitum, de quo paulo post nos dicemus, quantum nobis possibile, subintroducere in deiforme ignitae virtutis anagogas. Alarum vero expansa sacra formatione in divinum, in primis, in mediis, in ultimis intellectibus absolutam et altissimam extensionem. Sed et eorum multificum et multiforme videns intellectualis theologus, et alis distingui eam subtus pedes, et eam subtus facies visionem, et eum in mediis alis semper motum, ad invisibilem eorum, quae visa sunt, ab ipsa reductus est scientiam, manifestata ei altissimorum intellectuum multivia et multivida virtute: et eorum sacra formidine, quam habent supermundane in altiorum et graviorum superbam et audacem et impossibilem scrutationem: et in commensuratione Deum imitantium actionum incessabile et altivolum semper motionis. Sed et illam divinam et multum preciosam hymnodiam eruditus est, formante visionem angelo secundum virtutem ipsi theologo, et tradente propriam sacram scientiam. Docuit ergo eum et hoc, quia purgatio est quantumcunque purgatis ipsa divinae claritatis incognitae, quantum possibile, participatio. Haec autem ex ipsius divinitatis remotis causis, qua omnes sacros intellectus superessentialiter occultatione perficiens, altissimis circa se virtutibus manifestior quomodo est, et magis semetipsam manifestat et distribuit. Deinde ex secundis aut novissimis, aut nostris intellectualibus virtutibus, quantum ab ipsa unaquaeque secundum deiforme extitit, sic manifestam suam illuminationem conducit ad propriae occultationis laudandum ignotum. Lucet autem per singula secundis per prima, et si oportet breviter dicere, primo ex occulto ad manifestum ducitur per primas virtutes. Hoc ergo theologus didicit ex lucem ducente eum angelo, hoc est, purgationem et omnes divinas operationes per primas essentias relucentes in omnes reliquas distribui secundum uniuscujusque ad deificas participationes analogiam. Propter quod et ignite purgativam proprietatem ipsis Seraphim consequenter post Deum reposuit. Nihil ergo inordinatum, si purgare dicitur theologum Seraphim. Sic enim Deus purgat omnes, quorum totius purgationis est causa. Magis autem, proxime enim utemur exemplo, sicut secundum nos summus sacerdos per suos ministros aut sacerdotes purgans aut illuminans, ipse dicitur purgare et illuminare, per ipsum purgatis ordinibus, per se in ipsum reponentibus proprias sacras operationes: sic et propriam purgativam scientiam et virtutem ipse purgationem theologi perficiens angelus, in Deum quidem veluti causalem, deinde in ipsum Seraphim, tanquam primo agentem summum sacerdotem, reponit; veluti fortassis quis dixerit, cum angelica reverentia purgatum edocens, quia in te ante me perficiendae purgationis principium quidem est excelsum, et essentia, et Creator, et causalis, primasque essentias ad esse adducens, et circa se collocatione continens, et observans inconversibiles et casu carentes, et seipsum movens in primas propriarum providarum operationum participationes. Hoc enim haec me docens ait ipsius Seraphim manifestare missionem [2]. Summus autem sacerdos et post Deum dux, ipse praestantium essentiarum ornatus, a quo ego purgare deiformiter eruditus sum, ipse igitur est per me te purgans, per quem proprias providas actiones ex occulto et in nos produxit ipsa totius causa et opifex purgationis. Haec quidem ille docuit me, tibi autem ego trado. Tua autem concesseris intellectuali et discretiva scientia, aut alteram partem dictarum causarum absolvi dubitatione, et eandem honorare ante alteram, tanquam consequens et rationabile et neque verum habentem; aut a te ipso, quod vere veri vicinius, invenire, aut ab altero discere, Deo videlicet dante, et prius recipientibus angelis, et angelorum amicis nobis revelare per ejus magis amabilem contemplationem.

CAPITULUM XIV.

Quid significet [3] traditus angelicus numerus.

Et hoc autem dignum, ut aestimo, intellectuali cognitione, quia eloquiorum de angelis traditio milies milia esse ait [a], et decem [4] milia decies milies, secundum nos sublimissimos numerorum in seipsam revolvens et multiplicans, et per hos aperte significans innumerabiles caelestium essentiarum ordinationes. Multae enim sunt beatae militiae supermundalium intellectuum, infirmam et coartatam superantes materialium secundum nos numerorum commensurationem, et a sola gnostica definitae, secundum ipsam supermundanae et caelestis intelligentiae et scientiae ditissime eis donationem sanitate divina multae scientiae sapientificae, omnium simul quae sunt superessentialiter existentis principii, et causae substantificae, et continentis virtutis, et ambientis consummationis.

CAPITULUM XV.

Quae sint formativae angelicarum virtutum imagines.

Per quod restat, remittentes nostrum, si videtur, intellectualem oculum circa sublimes contemplatio-

VARIAE LECTIONES.

[1] *munitis* om. EH. [2] A *jussionem* [3] E *significat*. [4] Sic AE: BH et *centena*.

NOTAE.

[a] Dan. VII, 10.

nes angelico vigore, ad dividuam et multipartitam latitudinem multiformis angelicarum specificationum varietatis, descendentes iterum in ipsis tanquam inconsequentibus in simplicitatem caelestium animorum analytice reflexis. Unum autem sit tibi praecognitum, quomodo sacrae formatarum imaginum resolutiones easdem aliquando caelestium essentiarum dispositiones sanctificantes significant, et iterum sanctificatas, et novissimas sanctificantes, sanctificatasque primas, et easdem, ut dictum est, primas et medias et ultimas habentes virtutes, nulla inordinata ratione introducta, secundum hujusmodi reserationum modum. Si quidem enim sanctificari quasdam a prioribus diceremus, deinde earumdem sanctificantes priores, iterum sanctificantes ultimarum sanctificari ab ipsis illis sanctificatis, vere inordinatione res et confusione multa interposita. Si vero easdem et sanctificare et sanctificari dicimus, nunquam autem eorumdem aut ab eisdem, sed eas singulas sanctificari quidem a prioribus, sanctificare autem novissimas: non inconsequenter fortassis quis dixerit, in eloquiis sacre factas formas, eas aliquando posse et primis et ultimis et mediis virtutibus pulchre et vere circumdare. Et sursum igitur conversibiliter [1] extendi, et erga semetipsas firmiter convolvi, propriarum existentes custoditivas virtutum, et erga venientia sociabili processione, providas eas in participatione virtutis esse, omnibus non falso coadunabit [2] caelestibus essentiis, etsi aliis quidem superposite et universaliter, ut saepe dictum est, aliis vero particulariter et subjecte. Inchoandum autem ratione, et quaerendum in prima formarum resolutione, ob quam causam theologia fere ultra omnes invenitur honorans ignitam sacram descriptionem. Invenies ergo eam non solum rotas igneas conformantem, sed et animalia ignita, et viros quasi ignis fulgurantes [3], et circa eas caelestes essentias cumulos carbonum ignis circumponentem, et flumina immensurabili sonitu igne flagrantia [a]. Sed et Thronos ait igneos esse, et ipsos excelsissimos Seraphim caelitus ardentes ex cognominatione significare: et ignis proprietatem et operationem ipsis distribuit, et omnino sursum deorsumque ignitam honorat selectim formarum facturam. Ergo igneum significare censeo caelestium animorum deiformissimum. Ipsi enim sancti theologi [b] superessentialem et informem essentiam in igne saepe describunt, tanquam habente multas divinae, si fas dicere, proprietatis, quantum in visibilibus imagines. Ignis enim sensibilis est quidem, sic dicendum, in omnibus et per omnia clare venit, et removetur omnibus. Et lucidus [4] est simul et quasi occultus, incognitus ipse per seipsum, non accumbente materia, in quam

A propriam manifestet [5] actionem. Immensurabilisque et invisibilis per seipsum, potens simul omnium, et quaecunque in eis sunt [6], fiunt ad actionem propriam, mobilis, tradens seipsum omnibus quoquomodo proximantibus. Renovativus naturae custodia, illuminativus circumvelatis splendoribus, incomprehensibilis, clarus, discretus, resiliens, sursum ferens, acute means, excelsus, non receptus contumelia minorationis, semper motus, per seipsum motus, movens alterum, comprehendens, incomprehensus, non indigens alterius, latens vere, crescens a seipso, et ad susceptas materias manifestans suimet magnitudinem, activus, potens, simul omnibus praesens invisibiliter, neglectus non esse putatur, attritu autem, sicuti quadam vindicta connaturaliter et proprie subito B relucens, et iterum incomprehensibiliter impalpabilis, non minutus in omnibus ditissimis suimet traditionibus. Et multas fortassis quis inveniet ignis proprietates pulchras, ut in sensibilibus imaginibus divinae operationis. Hoc ergo scientes theosophi, caelestes essentias ex igne conformant, significantes earum deiforme et, quantum possibile, Dei imitabile. Sed et humaniformes ipsas describunt, propter intellectuale, et sursum habendo intuitivas virtutes, et figurae [7] rectum et luculentum, et secundum naturam principale et regale, et secundum sensum minimum quidem, quantum ad reliquas irrationabilium animalium virtutes, omnium vero potentissimum secundum intellectus magnitudinem virtute, et secundum rationabilem scientiam continuitate [8], et secundum C natura animae liberum et potentissimum. Est autem et per singula, ut aestimo, corporalis nostrae multiplicis partitionis invenire caelestes virtutes, dicentes, conspectivas quidem significare virtutes ipsum ad divina luminaria clarissimum respectum, et iterum teneram et liquidam et non repercussam, sed acute mobilem, et puram, et planam impassibiliter divinarum susceptionem illuminationum. Olfactuum vero discretivas virtutes, illud super intellectum suave olentis distributionis, quantum possibile, receptivum, et non hujusmodi scientia discretivum et omnino refugitivum. Aurium vero virtutes, illud participes et gnosticum divinae inspirationis susceptivum. Gustativas autem, invisibilium escarum plenitudinem, et divinarum et alentium promotuum D susceptivum. Tactivas vero, convenientis aut nocentis in scientia diagnosticum. Palpebras deinde et supercilia, divinarum visionum intelligentiae custoditivum. Juvenilem vero et adultam aetatem, illud innovantis semper vitalis virtutis. Dentes autem, divisivum inditae nutrientis perfectionis. Unaquaeque enim essentia intellectualis donatam sibi a diviniore uniformem intelligentiam provida virtute dividit et

VARIAE LECTIONES.

[1] B *conversabiliter.* [2] A *coadunavit.* [3] BEH *fulgorantes.* [4] EH *lucidius.* [5] AE *manifestat.* [6] *et quaecunque in eis sunt fiunt* om. BH. [7] DH *figura.* [8] BH *continuante.*

NOTAE.

[a] Ezech. I; Dan. VII; IV Reg. II.
[b] Hebr. X.

multiplicat ad inferioris ductricem analogiam. Humeros autem et brachia, et iterum manus, factivum et operativum et activum. Cor vero symbolum esse deiformis vitae, propriam vitalem virtutem deiformiter in ea, quae praeintellecta sunt, seminantis. Pectora iterum significare durum et custoditivum, ut a supposito corde vivificae distributionis. Dorsa vero, continuum simul cunctarum fertilium virtutum. Pedes autem, mobile et velox et cursile in divina semper euntis motionis. Propter quod et pennatos theologia sanctorum intellectuum figuravit pedes [a]. Pennatum namque significat anagogicam velocitatem, et caeleste sursum versus itineris activum, et ab omni humili per sursum ferens remotum. Ipsa vero pennarum levitas nihil terrenum, sed totum munde et sine gravitate in excelsum ascendens. Nudum quoque et discalceatum [b] et dimissum et absolutum, et immensurabile et purum, eorum, quae extra sunt, appositione, et ad simplicitatem divinam, quantum possibile, assimilativum. Sed quoniam iterum simpla et multum varia sophia et nudos vestit, et vasa quaedam dat ipsis circumferre, fer [1] et animorum caelestium sacros amictus et organa, secundum quod nobis possibile, aperiamus. Claram quidem enim vestem igneamque [c], significare aestimo deiforme juxta ignis imaginem et luculentum, propter in caelo quietes, ubi lumen et omnino invisibile dicendum aut intellectualiter illuminans, aut intellectualiter illuminatum. Sacerdotalem vero, ad divina et mystica speculamina ductivum et totius vitae votum. Zonas quoque, fecundarum ipsarum custoditivum virtutum, et congregantem eas habitum in seipsum unite converti, et circulariter cum facilitate casu carente naturae similitudine circa seipsum circumferri. Virgas etiam, regale ac ducale, rectaque [2] omnia definiens. Tela vero et secures, dissimilitudinum separativum, et discernentium virtutum acumen, et efficax et actuosum. Geometrica et tectonica vasa, fundativum et aedificativum et perfectivum, et quaecunque alia reducentis et convertentis sunt secundorum providentiae. Est autem quando et in nos divinorum judiciorum sunt symbola illa, quae acta sunt, a sanctis angelis organa, aliis quidem declarantibus corrigentem disciplinam, aut punientem justitiam, aliis vero angustiae libertatem, aut disciplinae finem, aut prioris constantiae [3] resumptionem, aut oppositionem aliorum donorum, parvorum aut magnorum, sensibilium aut invisibilium [d]: et omnino forsan non dubitarit perspicax animus pulchre invisibilibus adunare visibilia. Ipsos etiam ventos nominari eorum velocitatem significat, et in omnibus fere

A absque mora pervenientem effectum, et desursum in ea quae deorsum, sursum transvectivum motum, erigentem quidem secunda ad superiorem celsitudinem, moventemque prima ad communicativam et providam minorum processionem [e]. Dicet autem fortassis quis, aërei spiritus ventosam cognominationem deiforma caelestium significare. Habet enim et hoc divinae operationis imaginem et formam, ut in symbolica theologia per tetrasticam dijudicationem per plura demonstratum est, secundum naturae motivam, et gignentem, et velocem, et potentem capacitatem, et ignotum nobis et invisibile latibulum moventium principiorum et consummationum. Nescis enim, inquit, *unde venit aut quo vadit* [f]. Sed et nubis ipsis speciem theologia circumformat, significans per hoc sacros intellectus occulti quidem

B luminis supermundane superrepletos, prima apparitione primam manifestationem pompose accipientes, et ipsam copiose in ea, quae sunt secundo, lucide et proportionaliter distribuentes: et, quia genitale eis et vivificum et activum et perfectivum subsistit, juxta intellectualem imbrium conceptionem, quae excipiens sinus humidis pluviis in vitales partus evocatur. Ipsa autem et [4] aëris et electri et lapidum multicolorum speciem theologia caelestibus essentiis circumponit [g]. Electrum quidem, quasi auriforme simul et argenteum, significat imputribilem, ut in auro, et simul largum, et non minutum, et incontaminatum splendorem, et apertam, ut in argento, et luciformem, et caelestem claritatem. Chalco autem

C secundum traditas rationes aut igneum, aut auriforme attribuendum. Lapidum vero multicolores species significare aestimandum, aut quasi albas luciforme, aut quasi rubeas auriforme, aut quasi pallidas juvenile et novum; et per singulas species invenies anagogicam typicarum imaginum dijudicationem. Sed quoniam quidem haec secundum virtutem a nobis sufficienter dicta esse arbitror, transeundum in sanctam reserationem caelestium animorum sacre figuratae bestialis formationis. Leonem enim significare censendum principale et robustum, et indomitum et abditum ineffabilis divinitatis, ut virtus assimilativum intellectualium vestigiorum circumvelamine et mystice fortassis pompose amictu, secundum divinam illuminationem in semet

D restituto itinere. Ipsam vero bovis, validum et novum, et [5] intellectuales sulcos latum in susceptionem caelestium et gignentium imbrium, et custoditivum et potentissimum. Ipsam dehinc aquilae, regale et altiferum, et citivolum, et ad potentificum alimentum acutum et sobrium, et agile, et bene machinatum, et ad copiosum et multolucentem radium

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *sed*. [2] BH *rectaeque*. [3] A *beneficentiae*. [4] *et* om. A. [5] BH *ad*.

NOTAE.

[a] Ezech. I.
[b] Gen. XVIII, XIX.
[c] Apoc. I.
[d] Ezech. X; Judic. VI; II. Mac. V; Ezech. XXXXI; Apoc. XXI; Apoc. III; Zach. VIII.
[e] Gen. XXVIII; Joan. I.
[f] Joan. III, 8; Isaiae V.
[g] Isaiae LV; Apoc. I; Dan. II.

divini solis desiderio in speculativarum virtutum A sanis obtutibus, immediate, recte, et inflexibiliter contemplativum. Illam vero equorum, obediens et frenabile; et album quidem, vere lucidum, et quasi maxime divini luminis cognatissimum; eorum autem, qui nigri sunt, abditum; rubrum vero, igneum et activum; commixtorum quoque ex albo et nigro, perfectiva virtute extremorum conjunctivum, et prima secundis, et secunda primis [1] conversibiliter ac provide connectens. Sed si non sermonis conspicaremus commensurationem, et per partes animalium dictorum proprietates, et omnes corporales eorum conformationes adunassemus fortassis non incongrue caelestibus virtutibus secundum dissimiles similitudines. Furibundum quidem in ipsarum intellectualem fortitudinem, cujus novissimus furor est B sonus; ipsam vero iterum concupiscentiam, in amorem divinum: et summatim [2] dicendum, simul omnes irrationabilium animalium et sensus et multiplices partes in [3] immateriales caelestium essentiae intelligentias et uniformes virtutes reducentes. Sufficiunt autem sapientibus non solum haec ipsa, sed et unius significativae imaginis dijudicatio in proximarum simili modo declarationem. Inspiciendumque et hoc, fluvios dictos fuisse, et rotas, et currus connexos caelestibus essentiis [a]. Ignea quidem enim flumina significant divinos promotus, copiosam ipsis et non deficientem affluentiam donantes, et vivifica nutrientes fecunditate. Currus autem, conjunctivam similitudinum societatem [b]. Rotae autem, pennatae quidem cum sint, inque ea, quae ante conspectum C sunt, inconversibiliter et inflexibiliter euntes, per rectam et justam viam eximiae operationis earum virtutem in eamdem sine flexu et recte sectam viam, simul omni earum intellectuali rotatu supermundane directo. Est autem et per aliam anagogen dijudicare intellectualium rotarum imaginariam descriptionem. Vocitatum est enim eis, ut ait theologus, הגלגל [4] [c]. Significat autem hoc, juxta hebraicam vocem, revolutiones vel revelationes [5]. Igneae siquidem et deiformes rotae revolutiones quidem [6] habent circa idipsum optimum semper mobili motu: revelationes [7] vero secretorum manifestatione, et circumsubjectorum reductione, et altarum illuminationum in ea quae subjecta sunt deductiva perfectione. Reliquus nobis in explanationem de gaudio caelestium dispositionum sermo. Etenim acceptrices omnino non sunt ejus, quae secundum nos est, passibilis delectationis. Congaudere autem Deo [d] dicuntur perditorum inventione, juxta deiformem epulationem, et in providentia et salute in Deum redeuntium deiformitate, et copiosissima laetitia, et illa constantia ineffabili, in cujus participatione saepe facti sunt et viri sancti per deificos divinarum illuminationum superadventus. Tanta a me et de sanctis reformationibus dicta sunt: diligenti quidem earum manifestatione deficimus. Haec autem consummata, ut aestimo, ad non humiliter nos remanere in figurativis phantasiis. Si autem et hoc dixeris, quomodo non omnium deinde angelicarum in eloquiis virtutum, aut operationum, aut imaginum fecimus memoriam: respondemus verum, quia quarum quidem supermundanam scientiam ignoravimus, in ipsis nos alterius lucidi duci docentis egemus [e]. Quaedam autem tanquam dictis aeque potentia praetermisimus, commensurationi sermonis providentes, et super nos secretum silentio honorificantes. *Explicit liber de caelesti Ierarchia. Angelicarum descriptionum illuminationes defudisti, hominibus revelasti videre animo compositum astrum.*

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE

LIBER SECUNDUS

DE ECCLESIASTICA IERARCHIA.

EPIGRAMMA IN BEATUM DIONYSIUM DE ECCLESIASTICA IERARCHIA.

Symbola divinorum mirabilium sacrorum uniformi fabula, in singularitate recipiens unius luminis unam claritatem.

INCIPIUNT CAPITULA DE ECCLESIASTICA IERARCHIA [8].

D Compresbytero TIMOTHEO DIONYSIUS Presbyter.

VARIAE LECTIONES.

[1] *et secunda primis* om. EH. [2] E *consummatim*. [3] *in* om. AEH. [4] Conj.; codd. et textus graec. γελ γελ γελ. [5] *vel revelationes* om. BE. [6] *et deiformes — quidem* om. BH. [7] Sic AE; BH *revolutiones*. [8] E *Haec sunt in hoc de ecclesiastica Ierarchia totum capitula* VII.

NOTAE.

[a] Dan. VII; Ezech. I, X.
[b] IV Reg. I; Ezech. I.
[c] Ezech. X, 12.
[d] Luc. XVI.
[e] Tob. XII.

VI. De perficiendorum ordinibus.
VII. De perficiendis in dormientibus.

Praecumbentium capitulorum doctrinam secundum duplicem perficit modum. Primum enim exponit hoc, quomodo perficitur mysterium capituli, ac deinde theoriae quandam traditionem : utpote mysterii illuminationis expositio primum; deinde secunda theoria ejus. Iterum mysterii συνάξεως expositio; deinde theoria ejus.

INCIPIT LIBER DE ECCLESIASTICA IERARCHIA.

CAPITULUM I.

Quae sit ecclesiasticae Ierarchiae traditio, et quae ejusdem speculatio.

Quia quidem secundum nos Ierarchia puerorum divinorum sacratissima intenta atque divina habetur deifica scientia et operatione et consummatione, ex supermundanis et sacratissimis nos ostendere oportet eloquiis sacrae perfectionis mysteriorum τελετὴν his, qui ex ierarchicis sacramentis et traditionibus perfecti sunt. Sed vide, quomodo non ex principio, si sancta sanctorum revenerare. Si autem et quae sunt secreta Dei intellectualibus et invisibilibus scientiis honorificabis, imparticipata quidem haec et incontaminata ab imperfectis conservans, sacris autem solis, sacrorum cum sacra illuminatione, sancte et pulchre communicans. Sic enim, ut theologia Deum laudantibus nobis tradidit, et ipse Jesus divinissimus animus et superessentialis, omnis Ierarchiae et sanctificationis et deificationis principium et essentia et divinissima virtus, beatis et nostrum melioribus essentiis significantius simul et intellectualius illucet, et eas ad proprium lumen assimulat secundum virtutem, nostrasque ad se extentatas, et nos extendente bono amore complicat multas alteritates, et in uniformem et divinam consummans vitam, habitum et actionem, sanctam et pulchram donat divinae sacerdotalitatis [1] virtutem. Deinde in sanctam venientes divini sacerdotii operationem, propius quidem nos efficimur super nos essentiarum secundum virtutem similitudini manentis et immutabilis earum sacrae collocationis, et [2] hac ad beatam Jesu et divinam claritatem respicientes, et quaecunque videre possibile, explorantes sacre et speculationibus scientiae illuminati, mysticam disciplinam consecrati et consecrantes, luciformes et deifici, perfecti et perfectiores fieri poterimus. Quaedam igitur Angelorum est et Archangelorum Ierarchia, et supermundalium Principum, et Potestatum, et Virtutum, Dominationumque, et divinorum Thronorum, aut aequipotentium Thronis essentiarum, quas theologia attente et semper circa Deum esse et post Deum tradit, Cherubim eas Hebraeorum voce et Seraphim nominans : ornatum eorum et Ierarchiarum sanctos ordines et divisiones consequens invenies in eis nostram, non condigne quidem, ut possibile autem, et ut theologia sacratissimis Scripturis subintroduxit, juxta eas Ierar-
A chiam laudantibus. Tantum tamen dicere necessarium, quomodo et illa et omnis nunc laudans supra nos Ierarchia unam habet et eandem per omnem Ierarchicam actionem virtutem, ipsumque summum sacerdotem, quomodo juxta eum essentia et analogia et ordo habet perfici secundum divina, et deificari, et subjectis tradere secundum dignitatem unicuique, facta ei divinitus sacra deificatione. Ipsosque subditos sequi quidem meliores, extendere vero minores in ea quae ante sunt. Quosdam autem et praeesse, et, quantum possibile, alios ducere, et per hanc divinam et ierarchicam harmoniam vere subsistente bono et sapienti et optimo participare unumquodque quaeque virtutes. Sed ipsae quidem super nos essentiae et ordinationes, quarum jam
B memoriam sacram fecimus, et incorporales sunt et invisibiles, et supermundana est secundum ipsas Ierarchia : eam vero secundum nos videmus proportionaliter nobis ipsis sensibilium symbolorum varietate multiplicatam, ex quibus ierarchice in uniformem theosin in commensura, quae secundum nos est, reducimur, Deumque et divinam virtutem. Ipsae quidem, ut intellectus, intelligunt juxta quod eis fas est : nos vero sensibilibus imaginibus in divinas, quantum possibile est, reducimur contemplationes. Vereque dicendum, unum quidem est, cujus omnes uniformes appetunt, participant vero non uniformiter eodem et uno ente, sed sicut unicuique divina juga [3] distribuunt juxta dignitates partem. Sed haec quidem nobis in ea, quae est de
C visibilibus [4] et sensibilibus, actione multo latius dicenda sunt. Nunc vero nostram Ierarchiam, principiumque ejus et essentiam, quantum possibile est, dicere tentabo, omnium Ierarchiarum principium et consummationem Jesum invocans. Est quidem Ierarchia omnis, secundum honorabile nostrae sacrae traditionis, omnis subjectorum sacrorum ratio, aut universalissima hujus fortassis Ierarchiae, aut hujus sacrorum consummatio. Nostra igitur Ierarchia dicitur et est continens omnium, quae juxta eam sunt, sacrorum actio : secundum quam divinus Ierarches perfectus omnium habebit, quae secundum ipsum sunt, sacratissimorum participationem, utpote Ierarcha cognominatus. Sicut enim Ierarchiam qui dicit, omnium simul comprehensam dicit sacrorum dispo-
D sitionem : sic Ierarchen dicens, declarat mirabilem et divinum virum, omnis sacrae eruditum scientiae, in quo pure sua Ierarchia omnis perficitur et cogno-

VARIAE LECTIONES.

[1] BE *sacerdotalis*. [2] BH *ex*. [3] BH *jura*. [4] ABE *de invisibilibus*, (*de* om. E).

scitur. Hujus principium Ierarchiae, fons vitae, essentia bonitatis, una existentium causa Trinitas, ex qua et esse et bene esse subsistentibus per bonitatem. Hac omnium summitate divinissima principali beatitudine, trina unica, vere existente, secundum nobis incomprehensibile, huic desiderabilissima voluntas quidem est rationalis salus et secundum nos et super nos essentiarum. Haec autem non aliter fieri potest, nisi deificatis salvatis. Deificatio autem est ad Deum, quantum possibile, et similitudo et unitas. Omni autem hoc commune Ierarchiae summum, ad Deum et divina attenta dilectio, divinitus atque potenter sacrificata, et ab eorum contrariis perfecta et inconversibilis reversio, cognitio eorum, quae sunt, quae ea, quae sunt, est, intellectualis veritatis et visio et scientia, uniformis consummationis divina participatio, ipsius unius, quantum possibile, contemplationis refectio, nutriens invisibiliter et deificans omnem in se extentum. Dicamus itaque, quomodo divina beatitudo, natura divinitas, principium deificationis, ex quo deificari deificatis bonitate divina Ierarchiam in salute et unitate omnium et rationalium et intellectualium essentiarum donavit. Et supermundanis quidem et beatis quietibus immaterialius et intellectualius. Non enim extrinsecus eas Deus in divina moveret, invisibiliter autem et intrinsecus illuminatas eam in se puram et immaterialem divinissimam voluntatem. Nobis autem, quod illis et uniformiter et connexim donatur, ex Deo traditis eloquiis, quantum nobis possibile, in varietate et multitudine separabilium symbolorum donatum est. Essentia enim nostrae Ierarchiae est Deo tradita eloquia. Sanctissima autem eloquia haec dicimus, quaecunque a divinis nostris sacre perfectoribus in agiographis nobis et theologicis donata sunt deltis. Atqui et quaecunque ab ipsis sacris viris immaterialiori doctrina et minore quomodo jam caelesti Ierarchia, ex intellectu in intellectum per medium verbum corporale quidem, immaterialius vero tamen extra scripturam duces nostri eruditi sunt. Neque haec divini summi sacerdotes in sacrificii commune, non velatis invisibilibus, sed in symbolis sacris tradiderunt. Est enim non omnis mundus, neque omnium, ut eloquia aiunt, scientia [a]. Necessario igitur primi nostrae Ierarchiae duces ex superessentiali deitate, ipsi divino repleti dono, et in idipsum deinde praeire ex divina bonitate [1] missi, et ipsi vero copiose amantes, tanquam Dii, eorum, qui post se sunt, reductionis et deificationis, sensibilibus imaginibus supercaelestia et varietate et multitudine connexim, et in humanis divina, et in materialibus immaterialia, et his quae secundum nos sunt superessentialia, scriptis suis et non scriptis doctrinis, secundum sacras nobis dederunt leges : non propter immundos solum, quibus nec symbola tangere fas, sed quia et symbolica quaedam est. Quod quidem dixi proportionaliter nobis ipsis nostra Ierarchia, desiderans sensibilia in eam ex eis ad invisibilia diviniorem nostram reductionem. Revelandae tamen sunt symbolorum rationes divinis sacris perfectoribus. Quas non est justum educere in adhuc perficiendos, scientes, quomodo sacrorum Deo tradente legislatores ornatuum statutis et inconfusis ordinibus, et unoquoque secundum dignitatem accipiente proportionibus et sacris distributionibus Ierarchiam ordinaverunt. Propter quod et tuis sacris confessionibus credens, recordari enim earum sanctum est, sic omnem quidem superpositam Ierarchicam sanctam laudem [2] non trades alteri, contra aeque ordinatos tibi deiformes sacros perfectores. Eosque patieris confiteri secundum legem ierarchicam, mundorum quidem munda tangere, communicareque solis deificativorum divinis, et perfectorum perfectivis, sanctisque sanctissimorum. Aliorumque ierarchicorum tibi et hoc tradidi divino dono.

CAPITULUM II.

De perficiendis in photismate.

Dictum est igitur a nobis sacre, quomodo ipsa est secundum nos Ierarchiae interpretatio, ad Deum nostra, quantum licet, et similitudo et unitas. Hujus autem, ut divina docent eloquia, piissimorum mandatorum dilectionibus et sacris actionibus jucunde perficimur. *Servabit enim*, inquit, *diligens me verbum meum, et Pater meus* [3] *diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [b]. Quoddam ergo est principium sanctissimorum mandatorum sacrae actionis, ad aliorum divinorum eloquiorum et sacrarum actionum susceptivam opportunitatem formans animales nostros habitus, ad supercaelestis quietis anagogen nostrum iter faciens sacrae et divinissimae nostrae regenerationis traditio. Ut enim communis noster ait dux, secundum intellectum quidem in divina primordialis motus est Deo divinaque dilectione, ad sacram operationem divinorum mandatorum principalissima processio, essendi divinitus nos ineffabilissima creatio. Si enim esse divinitus est divina generatio, numquid non [4] aliquando quid nosceret Deo traditorum? Neque quidem [5] operaretur, qui neque subsistere divinitus habuit. Aut numquid et nos humanum dicimus subsistere oportet primum, deinde operari secundum nos? Quomodo an non existentis neque motum, sed neque subsistentiam habentis [6] illud solummodo operantis aut patientis, in quibus esse natus est? Sed hoc quidem, ut aestimo, apertum. Deinde autem divina [7] divinae generationis inspiciemus symbola. Et mihi nullus imperfectus in contemplationem veniat. Etenim non

VARIAE LECTIONES.

[1] H *pietate*. [2] E *Ierarchicam secundum laudem*. [3] *meus* om. DE. [4] A *nequaquam* [5] H *enim*. [6] E habentis *existentis*, illud ; A habentis, *existens* illud. [7] *divina* om. BH.

NOTAE.

[a] Joan. XIII; I Cor. VIII. [b] Joan. XIV, 23.

solares fulgores in infirmis pupillis intueri non periculosum, neque his, quae supra nos sunt, audere innocuum. Siquidem vera est juxta legem Ierarchia, Oziam quidem, quia sacris abusus est, subvertens; Chore vero, quia supra se sacris; Nadab autem et Abiud, quia propriis prophane abusi sunt [a].

Mysterium photismatis.

Summus quidem sacerdos, assidue ad Deum similitudine omnes homines volens salvos esse, et in agnitionem veritatis venire [b], praedicat omnibus ea, quae vere sunt, Evangelia, Deum propitium his, qui in terra sunt, ex propria existentem et naturali bonitate, sufficienter venire ad unitatem suam per humanitatem digne aestimantem, et ad se unitati instar ignis assimilare sibi unita secundum ipsum propositum coaptantem. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* [c]. Qui autem horum diligit vere supermundalium divinam participationem, veniens ad quendam eruditorum, suadet se duci ab eo ea, quae est ad summum sacerdotem, via. Ipse autem universaliter subsecuturum esse promittit tradituros, et digne accessionis ejus, et simul omnis in id quod deinceps est, vitae cognitionem recipere, eum quidem illius salute sacre interrogante. Ad vero rei altitudinem contra mensurantem humanum, horror quidem subito et impossibilitas circumstant : obeuntibus tamen eis perficit, quod petitum est deiformiter confessus est. Et qui accipit eum, ducit ad ab Ierarchia cognominatum. Ipse vero cum laetitia tanquam in humeris ovem recipiens [d] ambobus viris, ut diximus, primum quidem laudat per intellectuales Eucharistias et corporalem adorationem unum benignum principium, ex quo vocata vocantur, et salvata salvantur. Deinde omnem sacram dispositionem in cooperatione quidem et confestivitate salutis viri, Eucharistiae quoque divinae bonitatis, in sacrum chorum congregans, in principio quidem quendam eloquiis incumbentem omnibus Ecclesiae plenitudinibus hymnum psallit. Et post hoc divinam salutans mensam, ad virum advenientem accedit, et interrogat eum, quid volens venit. Eo vero religiose accusante, juxta anadochi traditionem, incredulitatem, ignorantiam veri boni, divina vita desidiam [1], dignanteque per sacram suam medietatem Deo divina consequi, testatur quidem ipsi profuturam universalem fore propitiationem, tanquam perfectissimo et immaculato Deo. Et divinam ei conversationem introducens, et interrogans, si sic conversatus est, post confessionem imponit ejus capiti manum, et signans, describi imperat sacerdotibus virum et anadochum. Ipsis autem describentibus

A orationem sacram facit, et nunc omni sic Ecclesia complente, subintroducit quidem eum, et exuit per ministros. Dein statuens in occiduis intentum, et manus erigentem ad ipsam conversas regionem, exsufflare quidem ipsi ter jubetur Sathana, et adhuc quae sunt abrenuntiationis, confiteri. Et ter ei abrenuntiationem contestans, confitentem ter hoc, transducit ad orientem, et ad caelum respicientem, et manus extendentem, jubet coordinari Christo et omnibus Deo traditis sacris eloquiis. Eo vero et hoc faciente, testatur iterum ter confessionem. Et iterum ipso ter confitente, orans benedicit, et manus imponit. Et ad summum exuentibus eum ministris, afferunt quidem sacerdotes unctionis sacrum oleum. Ipse autem unctionem per signationem B ter incipiens, ceterum sacerdotibus virum ungere omni corpore tradens, ad matrem filiolitatis venit, et tunc aquam sacris invocationibus sanctificans, et tribus sanctissimi chrismatis cruciformibus effusionibus perficiens illam, et chrismatis sacratissimis immissionibus aequali numero sacrum Deo acceptabilium prophetarum inspiratione melodema consonans, jubet virum afferri. Et quodam sacerdote ex descriptione ipsius anadochum praedicante, ipse quidem a sacerdotibus ad aquam ducitur, ad summi sacerdotis manum : et ad eum manuductus, ipse summus sacerdos desuper stans, reclamantibus iterum ad summum sacerdotem juxta aquam nomen perficiendi sacerdotibus, ter quidem ipsum summus sacerdos baptizat, tribus perficiendi dimersionibus C et emersionibus trinam divinae beatitudinis invocans substantiam. Accipientes autem eum sacerdotes, porrigunt accessionis et anadocho et duci, et cum ipso accipientes vestimenta perficiendorum adunatim [2], ad summum sacerdotem iterum reducunt. Ipse vero deificantissimo unguento virum signans, participem manifestat de cetero sacre perfectissimae Eucharistiae. Haec autem perficiens, ab ista [3] in sequentia processione, iterum in primorum extenditur contemplationem, quasi per nullum tempus aut modum in alieno quodam praeter propria conversurus, sed a divinis in divina attendens, semper divino Spiritu transordinandus.

Theoria.

D Haec quidem, quantum in symbolis, sacrae hostiae divina generatio nihil indecorum aut immundum, neque ex sensibilibus habens characteribus, sed Deo dignae contemplationis aenigmata naturalibus et hominem decentibus speculis imaginans. Quid enim, si apparet, peccat, et diviniorem rationem perficiendorum silentem consulit, et divina doctrina advenientis vivificationem sacre peragens, et omnis simul malitiae per eximiam et divinam vitam

VARIAE LECTIONES.

[1] *Divina vita desidiam* om. BH. [2] AE *adunatum*. [3] AE *ipsa*.

NOTAE.

[a] II Paral. XXVI; Num. XVI; Levit. X.
[b] I Tim. II
[c] Joan. I, 12.
[d] Luc. XV.

purgatione per aquam naturali corporalius ipsi denuncians? Haec ergo etsi nihil aliud divinius haberet perficiendorum symbolica traditio, non immunda esset, ut aestimo, doctrinam quidem rectae vitae introducens [1], perfectamque in malitia conversationis solutionem, universaliter corpore naturaliter purgato per aquam, confirmans. Sed sit quidem haec imperfectis introductiva animarum actio, et ierarchica et uniformia, quantum fas, a multitudine distinguens, et commoderans immundis ordinibus incompactam altitudinem. Nos autem ascensionibus sacris in perfectorum principia respicientes, et ea divinitus eruditi, cognoscemus quorum sunt characterum effigies, et quorum invisibilium imagines. Sunt enim, ut in eo, quae est de invisibilibus et sensibilibus, actione aperte disputatum est [2], quaedam quidem sensibiliter sacrae invisibilium [3] imaginationes, et in ea manuductio et via. Invisibilia vero eorum, quae secundum sensum sunt, ierarchicorum et principium et scientia. Dicamus igitur, quomodo est divinae beatitudinis bonitas, semper juxta eadem et similiter habens proprii luminis beneficos radios, in omnes copiose expandit intellectuales vultus. Si quis ergo discesserit ab invisibili lumine aut invisibilibus, superbus, per se potens, malitiae amore condocens naturaliter inspersos ei ad illuminandum virtus, suspenditur praesentis ipsa luminis non discedentis, sed superlucentis ipsa aspiciens et avertens occurrentis deiformiter. Sique ejus moderate ipsi dati visibilis visiones supersilierit, et ad ipsas super suum vultum claritates obtueri fiducialiter audebit, lux quidem operabitur praeter lucem nihil; ipsa vero perfectos imperfecte concupiscens, eo quidem quo inconsequentes non etiam intelliget, humilemque inornate despiciens, per seipsam refellit. Verumtamen, quod quidem dixeram, benefice semper intellectualibus vultibus divinum expansum est lumen, inestque eis recipere praesente eo, et semper ad Deum decentem propriorum traditionem existente paratissimo. Ad hanc divinus summus sacerdos reformatur imitationem, luciformes suae divinae doctrinae claritates copiose in omnes expandens, et advenientem illuminare Dei imitator paratissimus ens, non invidiose, neque immunde priori apostasia immoderata quidquam semper usurus, sed divinitus semper provenientibus suis in lucem ductionibus ierarchice relucens in bono ornatu et ordine et analogia uniuscujusque ad sacra commensurationis. Sed quoniam sanctae ordinationis est principium Deus, secundum quod seipsos cognoscunt sacri intellectus, ad consequens naturae visibile recurrens, in principio quidem quis, quando est, ipse videbit: et hoc accipiet primum, ex respectu ad lumen sacrum donum. Qui autem propria bene impassibilibus oculis inspicit, ex non lucentibus quidem revertetur ignorantiae obscuris, Dei autem perfectissima unitate et participatione qui imperfectus est, ipse non inde [4] concupiscet, in brevi vero per ipsa sui prima, deinde adhuc priora, et per illa in praestantia, et perfectus in sublimissimam divinam in ordine et sacre ascendet communionem. Hujus est ornatus et sacri ordinis imago, advenientis confusio, et eorum, quae secundum seipsum [5] sunt, cognitio, ad summum sacerdotem viae anadochum habens magistrum. Eum vero sic ascendentem divina beatitudo in suam participationem recipit, et proprium lumen tanquam quodam ipsi signo tradit, divinum perficiens, et communicantem divinorum, distributionis et sacrae ordinationis: quorum est symbolum sacrum, summo sacerdote advenienti donatum signaculum, et sacerdotum salutaris descriptio: in salvatis eum connumerans, et memoriis sacris ponens apud eum et anadochum, tanquam vivificae ad veritatem viae amatorem quidem verum et consequentem ducens divini, non errantemque Deo traditis ductionibus sequentis manuductorem. Sed non inest [6] summe contrariorum simul participare, neque communionem quandam ad unum habentem partitas habere vitas, si unius recipit firmam participationem, sed immoderatum esse et inordinatum in omnibus uniformitate divisionibus. Quod quidem symbolorum traditio sacre insinuans, advenientem velut priorem vitam exuens, et usque juxta illam ultimos habitus solvens, nudum et discalciatum sistit ad occidua aspicientem, et manuum abrenunciatione obscurae malitiae renuentem communiones, et ingenitum sibi dissimilitudinis habitum tanquam exspirantem et universales confitentem. Ad hoc sic omnino immensurabilem ipsum et non communicabilem factum ad Orientem transducit in divino lumine statum et respectum futurum fore munde in perfectissimo malitia reditu permittens, et sacras ejus ad unum rationabili contuitu confessiones uniformi facto veritatis amore recipiens. Sed est ibi clarum, ut aestimo, ierarchicorum eruditis, quia devictis in fortitudine ad unum resistentibus, et contrariorum universalibus interemptionibus et non subsistentiis, immutabile praevalet intellectualia deiformis habitudinis. Non enim redire oportet tantum ab omni malitia, sed et viriliter collocatum esse et intrepidum semper contra perditam in eam subjectionem, neque templi veritatis in requie aliquando fieri. Attende vero et aeternaliter in eam ut virtus extendi ad perfectissima divinitatis ascensionem sacre semper agentem. Vides autem horum diligentes imagines in ierarchice perficiendis. Deiformis quidem summus sacerdos inchoat sacram unctionem, sacerdotes vero sub ipso perficiunt unctionis sacrificium, ad sacra in similitudine perficiendum certamina evocantes, secundum quae sub militante Christo factus est. Quoniam ut Deus est militiae creator, ut sapiens vero leges ejus posuit, operatus est ut bonus, decorus victoribus praemia. Et adhuc di-

VARIAE LECTIONES.

[1] *recte introducens*. [2] E *disputatur*. [3] *imagines — invisibilium* om. BH. [4] B non *exinde*. [5] BH ipsum. [6] BH *est*.

vinius, quoniam quidem ut optimus in militibus effectus est cum ipsis sacre, pro eorum libertate et victoria, ad mortis et corruptionis concertans potentem, certantibus quidem tanquam Deus perfectus ascendit gaudens: manet autem in sapientis legislationibus, et secundum eas sine transgressione contendit ad bonorum praemiorum spem firmiter habens, sub optimo militiae Domino et duce ordinatus. Superans vero divinis vestigiis militum primi per bonitatem, Deum imitantibus militiis ad deificationem contrarias ei reluctantes et operationes et subsistentias, commoritur Christo, mystice dicendum peccato, per baptismum. Et mecum sapienter intelligit, sacra cum quanta pulchritudine habet symbola. Etenim quoniam quidem mors est in nobis, non essentiae, non subsistentiae, juxta quod visum est aliis, unitorum vero separatio nobis invisibile ducens, animam quidem, ut in privatione corporis semper futuram, corpus vero ut in terra occultum, aut juxta alteram quandam corporalium mutationum, ex ea quae est secundum hominem specie demolitum, pulchre per aquam universalis occultatio in mortis et sepulturae informitatis imagine accipitur. Sacre igitur baptizandorum symbolica doctrina mystice docet, tribus in aqua dimersionibus divinam triduo totidemque noctibus in sepultura Jesu vitae datoris imitari mortem, quantum possibile viris divina imitatio, in quo juxta eloquii mysterialem et occultam traditionem, nihil invenit princeps mundi [a]. Deinde vero luciformia vestimenta induunt consummatum. Virili enim et deiformi contrariorum impassibilitate, et ad unum firmo contuitu inornatum ornatur, et informe formificatur, luciformi universaliter vita splendens. Unguenti autem perfectiva unctio odoriferum facit perfectum. Sacra enim divinae generationis consummatio coadunat consummata divino spiritui. Invisibiliter autem odorificum et perfectivum adventum, ineffabillimum existentem, cognoscere intellectualiter concedo dignis secundum intellectum divini spiritus sacra et deifica communicatione. In fine autem omnium summus sacerdos ad sacratissimam Eucharistiam vocat perfectum, et perfectivorum mysteriorum ipsi tradit communionem.

CAPITULUM III.

De perficiendis in synaxi.

Sed euge, quoniam hujus commemoravimus, quam non mihi justum est transcurrenti ierarchicorum quid ante eam aliud laudare. Etenim est, secundum gloriosum nostrum magistrum, teletarum teleta. Et oportet ante alias eam sacre scribentem, exponentemque ex divina juxta eloquia et ierarchica scientia in sacram ejus ascendere divino spiritu contemplationem. Et primum quidem hoc sacre inA spiciamus, propter quid commune aliis ierarchiis teletis, discrete huic ultra ceteras reponitur, et singulariter praedicatur communio et synaxis, unaquaque sacra perfectiva actione, partitas nostras vitas in uniformelu deificationem colligente, et diversarum deiformi complicatione ad unum communionem et unitatem donante. Dicimus autem, quia eas aliorum ierarchicorum symbolorum participationi, consummatio ex istius divinis et perfectivis invenire est donis. Non enim inest fere, quandam perfici teletam ierarchicam, nisi divinissima Eucharistia in consummatione per singula perficiendorum ad unum perficientem in sacra actione collectionem, et Deo tradita donatione perfectivorum mysteriorum perficiente ipsius ad Deum communionem. Si ergo B unaquaeque ierarchicarum teletarum, imperfecta quidem ens, ad unum nostram communionem et synaxim non perficiet: et est teleta, propter quod imperfectum aufert. Finis autem totius et capitulum divinorum mysteriorum perfecto traditio, merito ierarchica intelligentia cognominationem ei propriam ex actionum veritate invenit. Sic et sacram divinae generationis teletam, quoniam primum lumen tradit, et omnium est principium divinarum in lumen introductionum, ex perfecto vera illuminationis nominatione laudamus. Siquidem omnibus commune ierarchicis, lucem sacri tradere perficiendis. Sed haec primum videre donavit mihi, et per ipsum ejus principale lumen in aliorum sacrorum conspectum luciducor. Haec autem dicentes, respiC ciemus et videbimus ierarchice per singula diligentem sanctissimae teletae actionem sacram et contemplationem.

Mysterium synaxeos sive communionis.

Summus quidem sacerdos orationem sacram super divinum altare perficiens, ex ipso adolere inchoans, in omnem venit sacri chori ambitum. Rediens iterum ad divinum altare, incipit sacra psalmorum melodia [1], concinente ei psalmicam sacram orationem omni ecclesiastica dispositione. Deinde per ministros ipsa propheticarum deltarum lectio consequenter fit. Et post has foris fiunt sacro ambitu catechumeni, et cum ipsis energumeni, et qui sunt in poenitentia. Manent autem divinorum aspectu D et communione digni. Ministrorum vero alii quidem stant ad templi portas conclusas; alii vero aliud quid proprii ordinis operantur; alii autem ministratoria dispositione discreti, cum sacerdotibus super divinum altare proponunt sacrum panem et benedictionis calicem, ante confessa ab omni Ecclesiae plenitudine catholica hymnologia. Cum quibus divinus pontifex orationem sacram perficit, et sanctam pacem omnibus promittit; et salutantibus inter se invicem omnibus, mystica sacrorum vo-

VARIAE LECTIONES.

[1] BII *sacram* psalmorum *melodiam.*

NOTAE.

[a] Joan. XIV.

luminum praedicatio perdicitur. Et lavantibus manus aqua summo sacerdote et sacerdotibus, summus quidem sacerdos in medio divini altaris stat, circumstant autem soli cum sacerdotibus ministrorum selecti. Et sacras divinas actiones summus sacerdos laudans, sacrificat divinissima, et sub conspectum ducit laudata per sacre procumbentia symbola, et donationes divinorum actuum ostendens, in communionem eorum sanctificat. Ipseque venit, et alios adhortatur. Accipiens vero et tradens divinam communionem, in Eucharistiam sacram desinit, multis quidem in sola divina symbola prospicientibus, ipso autem semper divino spiritu ad sancta perfectorum principia in beatis et intellectualibus speculationibus ierarchice in puritate deiformis habitus ascendente.

Theoria.

Veni igitur, o puer bone, post imagines in ordine et sacre in deiformem principalium exemplorum veritatem. Illud perfectis in coadunatam suarum animarum introductionem dicam, quomodo symbolorum varia et sacra compositio non sine intellectu eis subsistit, et usque ea, quae extra sunt, apparens solummodo. Sacratissimi quidem enim eloquiorum cantus et lectiones, doctrinam eis strenuae vitae denunciant, et ab eis perfectam corrumpentis malitiae purgationem. Divinissima autem unius et ejusdem et panis et calicis communio et pacifica traditio similem conversationem eis divinam, tanquam similiter edentibus promulgat, et divinissimam coenam et principale symbolum perfectorum in memoriam sacram ducit. Juxta quod et ipse symbolorum conditor partitur sanctissimam. Nonne sancte ei et unimode sacra concoenantem docens et recte simul et deiformiter, quomodo ipsa juxta habitum vera in divina assumptio ad similitudinem eorum communionem ipsis advenientibus donatur?

Haec igitur, ut dixi, in aditorum atria bene descripta, imperfectis adhuc ad contemplationem sufficientem relinquentes, intremus a causalibus in causas, juxta sacram nostram synaxin, et decoram invisibilium Jesu luciduco videbimus θεωρίαν, beatam declarantem manifeste principalium formarum pulchritudinem. Sed divinissima et sacra teleta, circumposita tibi [1] symbolice vestimenta aenigmatum revelans, splendide nobis manifestere [2], et intellectuales nostros vultus uniformi et non velato lumine reple. Oportet igitur nos intus adesse, sacratissimorum et invisibile primi agalmatum denudantes, in deiformem ejus pulchritudinem intendere, et summum sacerdotem divinitus videre a divino altari usque extrema templi cum suavi odore venientem, et iterum in ipso perfective consistentem [3]. Ipsa enim super omnia divina beatitudo, etsi bonitate divina proveniat in participantium sua sacra communionem, sed non extra per substantiam immutabilem statum A et collocationem efficitur, et omnibus deiformibus proportionaliter illucendo, circa semetipsam vere existit, et propria omnino non transmutatur immutabilitate. Similiter divina synaxeos teleta, etsi involuta et simplex habeat et complicitum principium, in sacram varietatem symbolorum clementer multiplicatur, et usque omnem implet ierarchicam imaginum descriptionem, continuo uniformiter ex his iterum in propriam unitatem colligitur, et unificat in se sacre reductos. Juxta hunc deiformem modum divinus summus sacerdos, etsi unitam suae Ierarchiae disciplinam deiformis in subjectos deducit, sacrorum aenigmatum pluralitatibus utens; ast iterum, tanquam absolutus et minoribus immensurabilis, in proprium principium indiminute restituitur, et in unum suum B intellectualem faciens introitum, videt pure perfectorum uniformes rationes, in secunda clementis processionis summum, in prima diviniorem conversionem facientes. Psalmorum autem modulatio, conveniens omnibus fere ierarchicis mysteriis, nonne futurum est explicari omnium summo sacerdotalissimo? Omnis quidem enim sacra et agiographos deltos, aut in Deo existentium generatam subsistentiam, et dispositionem, aut legalem Ierarchiam et conversationem, aut divini populi haereditatum distributiones et habitationes, aut judicum sacrorum, aut regum sapientum, aut sacerdotum divinorum intelligentiam, aut veterum virorum in varietate et multitudine anxietatum immutabilem in fortitudine philosophiam, aut actionum sapientes doctrinas, aut C divinorum amorum cantica et divinas imagines, aut futurorum propheticas praedicationes, aut viriles Jesu divinas actiones, aut ipsorum discipulorum Deo traditas et Dei imitatorias conversationes et sacras doctrinas, aut occultam et mysticam visionem ipsorum discipulorum dilectissimi et divini ac mirabilis supermundanam Jesu theologiam ad deificationem opportunis nunciat [4], et sacris teletarum et deiformibus anagogis corradicat [5]. Divinorum autem cantuum sacra Scriptura, intentionem habens et theologias et divinas actiones omnes hymnizare, et divinorum virorum sacras orationes et sacrificationes laudare, universalem facit divinorum cantum, et narrationem ad totius ierarchicae teletae susceptionem et traditionem, habitum pulchrum efficiens, D divinitus eam psallentibus. Cum igitur continua sacratissimorum hymnologia animales nostros habitus condignate disposuerit, ad paulo post sacrificia ponenda, et divinorum cantuum consonantia ad divina et nosipsos et inter nos invicem consensum, ut in una et confessa sacrorum regione [6] promulgaverit coordinata et coadumbrata magis in intellectuali psalmorum psalmodia, per plures et apertiores imagines et praedicationes dilatantur sacratissimis professarum constructionum lectionibus. In his aspiciens sacre, videbit uniformiter unam inspirationem, ut

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *sibi*. [2] Conj., AE *manifestare*, BH *manifestat*. [3] A *residentem; et iterum — consistentem* om. BH. [4] A *narravit*, E *nunciavit*. [5] AE *corradicavit*. [6] Sic AE; BH confessa *religione* sacrorum.

ab uno divino spiritu conclusam. Unde pulchre in mundo post antiquiorem traditionem Novum Testamentum praedicatur, divina et ierarchica ordinatione illud, aestimo [1], declarante, quomodo ipsa quidem dixit futuras Jesu divinas operationes, hoc vero perfecit. Et quomodo illa quidem in imaginibus veritatem [2] scripsit, hoc vero praesentem demonstravit. Illius enim praeconiis, hoc per seipsum perfecta operatione veritatem cognovit. Et est theologiae divina operatio, consummatio. Horum alii quidem non circumtubicinantes universaliter sacrarum teletarum, neque imagines vident, impudenter negantes salutarem divinae generationis doctrinam, et eloquiis perdite respondentes illud : *Vias tuas scire nolumus* [a]. Catechumenos autem energumenosque, et eos, qui sunt in poenitentia, sanctae Ierarchiae lex permittit quidem audire Psalmicam sacram orationem, et divinam sanctissimarum Scripturarum lectionem : in autem deinde sacrificationes et contemplationes non vocat tales, sed perfectos perfectorum oculos. Est enim deiformis Ierarchia justitiae sacrae plena, eo quod juxta dignitatem unicuique salutariter distribuit compactam uniuscujusque divinorum participationem in commensuratione et analogia secundum tempus sacre donans. Ultimus igitur catechumenis distribuitur ordo. Sunt enim expertes et indocti omnis Ierarchicae perfectionis, neque juxta divinam designationem divinam habentes subsistentiam, sed adhuc paternis eloquiis obstetricati, et adhuc talibus formis informati, ad eam ex divina generatione primo vitalem et primo illuminantem et beatam accessionem : tanquam si imperfecti et informes ante excidant juxta carnem infantes propria obstetricatione, veluti obcaecati et abortivi, non genitalem, et non vitalem, et non illuminatum in terra casum habebunt. Et nonne quidam bene sapientum dicit, ad [3] manifestum respiciens lumen, eos praegravari tenebris a vulva alienatos. Dixerit [4] enim corporum disciplina ad hos, quae est medicina, lumen operari in capacibus lucis. Sic et [5] sacrorum sapientissima disciplina primo quidem eos formativorum et vivificantium eloquiorum introductio alimento obstetricat. Perficiens autem ante divinam generationem eorum substantiam, dat salutariter eis in ordine ad lumen deiformem et perfectivam communionem. Nunc autem tanquam ab imperfectis separat perfecta [b], et bono ornatui sacrorum providens, et catechumenum in deiformi ierarchicorum ordine obstetricationi et vitae. Energumenum autem multitudo immunda quidem et ipsa, secunda vero sursum versus catechumenum est extremitate. Neque enim aequale est, ut aestimo, universaliter indocto et divinarum teletarum summe non communicanti, quod participa-

A tionem quandam sacratissimarum habet consummationum. Est autem contrariis aut seductionibus aut perturbationibus dehonestatum [6]. Sed et ab eis sacratissimorum divina communicatio corripitur, et valde merito. Si enim est vere, ut universaliter divinus vir, divinis dignus, ad suae deiformitatis summum in perfectissimis et consummativis deificationibus ascendens, neque quae sunt carnis operabitur praeter naturae valde necessaria, et hoc si conservaverit [7] operose, templum autem simul et consequens in sua sublimissima deificatione divini Spiritus erit, simili simile collocans : non fortassis talis aliquando a contrariis patietur phantasiis aut terroribus [8], deridebit autem haec, et cum advenientibus luctabitur, et persequetur, et operabitur magis

B quam patietur, et hoc [9] proprio habitu impassibili et non indito, et aliis medicus videbitur talium operationum. Aestimo autem ego, magis vero aperte scio, ierarchicorum purissima discretio pro talibus novit energumenos pollutissimam operationem. Quicunque deiformi decedunt vita, et consentientes et similiter conversantes perditis fiunt daemonibus : vere quidem existentia et immortaliter creata, et aeternaliter delectata, per extremam et sibimet perniciosam insipientiam avertentes : materialem vero et multum passibilem alienationem, et perditas et corrumpentes delicias, et infirmam in alienis non existentem, sed opinabilem delectationem concupiscentes et operantes. Primi ergo ipsi et potius illis ministri discretiva voce segregentur. Non enim ju-

C stum est, eis alterius cujusdam sacri participare [10], quam eloquiorum conversoriae ad meliora documentae. Ea enim divinorum supermundane sacrificatione eos, qui sunt in poenitentia, et ad eam jam venientes abscondit, non omnino ad sacratissimum admittens. Appellat vero et hoc castissime, quia in aliquo ad deiformitatis summum imperfecte infirmantibus invisibilibus vado, et non communicatus. Abigit enim per omnia clarissima vox non valentes conjungi divinissimorum digne communicatoribus; multo magis passibiliter energumenûm multitudo immunda erit, et omni alienata sacrorum inspectione et communicatione. Deinde divino fiunt foris templo et superexcellenti ejus Ierurgia [11] teletarum indocti et perfecti, et cum ipsis sacra apostatae vita, consequenterque

D his adversus contrariorum et vincula et phantasias propter infirmitatem constantes, tanquam non pervenientes ad divina per corroboratum et non indigentem contuitum in deiformis habitus incommutabile et activum. Deinde cum ipsis contraria quidem apostatantes vita, nondum autem et phantasiis ejus habitu et amore divino et claro purgati, et post hos, qui non omnimodo uniformes et legaliter dicen-

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *ut aestimo* [2] E *veritate*. [3] E *et*. [4] A *Dicit*, BH *Dixerat*. [5] E *Sicut et*. [6] *dehonestatum om.* BH; A *informatum*. [7] E *sicut observaverit*. [8] AE *erroribus*. [9] A *adhuc*; E *ad hoc*. [10] BH *participatione*. [11] E *ierarchia*; BH *i. e. sacrificia*.

NOTAE.

[a] Job. XXI.

[b] Isa. I.

dum immaculati, et incontaminati sunt perfectissime sanctissimi. Tunc sanctissimorum sacrificatores, et contemplationis amatores, sanctissimam teletam sancte et decenter inspicientes, laudant hymnologia catholica beneficum et bonorum largiens principium, subintroducentes salutares. nobis revelatae sunt teletae, sanctam perfectorum deificationem sacrificantes. Hymnum autem hunc alii quidem hymnologiam vocant, alli autem religionis symbolum, alii vero, ut aestimo, divinius ierarchicam Eucharistiam, tanquam comprehensivam in nos divinitus pervenientium sacrorum donorum. Videtur enim mihi laudandorum omnium divinorum operum actionem circa nos fieri, essentiam quidem nostram et vitam deiformiter substituens, et principalibus exemplis et pulchris deiformae nostrum formans, et diviniori habitu et renovatione in participatione constituens, segregans autem ex negligentia ingenitam nobis sollicitudinem divinorum donorum, reficiens nos bonis, in antiquum revocat, et perfectissima nostrorum assumptione consummatissimam propriorum traditionem optime operatur, et ab hac societatem nobis Dei et divinorum donat. Sic autem divina humanitate sacre laudata, occultus quidem divinus panis apponitur, et benedictionis calix : divinissima autem salutatio sancte agitur, et agiographorum voluminum mystica et supermundana recitatio. Non enim unum est ad unum congregari, et unius participare pacifica unitate, ad seipsos pacificatos. Si enim ab unius contemplatione et scientia illuminati, ad uniformem et divinam congregationem unificamur, non fortassis in partitas rescindimur decidere concupiscentias, ex quibus materiales creantur et passibiles adversus secundum naturam acquiforme inf. stationes. Hanc ergo, ut aestimo, uniformem et inseparabilem vitam pacis actio [1] sacra promulgat, simili simile collocans, et partitis separans divina et unita spectacula. Sacrarum autem tabularum post pacem recitatio praedicat sancte firmatos, et ad strenuae vitae consummationem immutabiliter advenientes. Nos quidem per similitudinem eorum in beatissimum habitum et deiformem quietem hortans et manuducens, quibus tanquam viventibus praedicat, et, ut theologia ait, non mortuis, sed in divinissimam vitam ex morte transeuntibus [a]. Vide autem, quia et recordationibus sacris restituimur, divina memoria non humanitus memorativa phantasia declarante, sed veluti si quis dicat divinitus secundum divinorum perfectam deiformium pretiosam et immutabilem cognitionem. *Novit enim*, aiunt eloquia, *qui sunt ejus* [b]; et : *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* [c]; morte sanctorum pro in sanctitate consummatione dicta.

A Et hoc autem sacre intellige, quomodo superpositis divino altari piis symbolis, per quae Christus significatur et participatur, adest indubitanter sanctorum professio, conjunctionem eorum inseparabiliter manifestans ad eum super mundana et sacra unitate. His autem ea, quae dicta sunt, lege sacrificatis, stans in conspectu sanctissimorum symbolorum, aqua manus summus sacerdos lavat cum pudico sacerdotum ordine : quia quidem, ut eloquia aiunt, qui lotus est, non indiget alicujus alterius, nisi summorum, id est, novissimorum suorum lavationis [d], propter sublimissimam purgationem in castissimo deiformitatis habitu, et ad secunda proveniens deiformiter, immensurabilis erit et absolutus, tanquam perfectissime uniformis, et ad unum iterum

B adunatim convertens, quasi deiformitatis salvantem plenitudinem et integritatem. Sacer ergo luter [e], ut diximus, in ea secundum legem [f] erat ierarchia; nunc autem summi sacerdotis et sacerdotum manuum purgatio ipsum insinuat. Eos enim ad sanctissimam venientes ἱερουργίαν, purgare oportet, et extremas animae phantasias, et per similitudinem ipsa tantum, quantum possibile est, admittere manifestiores sic theophanias, circa quas ponentur supermundalibus fulgoribus in conformium speculorum claritatem universaliorem et lucidiorem appetentibus pervenire proprium splendorem. Summi autem sacerdotis et sacerdotum usque ad summa, id est, novissima lavatio in conspectu fit sanctissimorum symbolorum, tanquam in Christi omnes

C inspicientis nostras occultissimas notiones, et sublimissimae purgationis in ejus intentissimis subtilitatibus et justissimis et aequissimis judiciis terminatae. Sic divinis summus sacerdos unitur, et sacras divinas actiones laudans, sacrificat divinissima, et sub conspectum ducit laudata. Ergo esse in nos divinas actiones diximus [2], deinde narrandum, quanta virtus. Non enim omnes laudare sufficiens ego, neque aperte scire, et alios in mysteria ducere. Quaecunque autem a divinis summis sacerdotibus consequenter eloquiis laudantur et sacrificantur, haec, ut nobis possibile, dicemus, ierarchicam inspirationem ducem invocantes. Humanam naturam principio ex divinis bonis insipienter perditam

D multum passibilis vita suscepit, et corrumpentis mortis finis. Consequenter enim, quae vere est, bonitate perdita apostasia, sacrae in paradiso legislationis transgressione, recalcitrantem vivifico jugo, propriis nutibus et delectatoriis adversarii, et inimicis seductionibus contrariis, divinorum bonorum tradidit. Inde miserabiliter pro quidem aeterno mortale mutuavit, proprium autem principium incorruptibilibus habens generationibus, ad principii

VARIAE LECTIONES.

[1] A C *sacra actio*. [2] A E *dicimus*.

NOTAE.

[a] Rom. VI.
[b] II Tim. II.
[c] Psal. CXV.
[d] Joan. XIII.
[e] *Luter* i. e. λουτήρ, *lavacrum*.
[f] Exod. XXX, XXXVIII et XL.

consequentem merito ducta est finem. Sed et sursum ducente vita voluntarie recidens ad terram contraria extremitate, gravata est multum passibili mutabilitate. Errans autem recta via, quae est ad vere existentem Deum, vulnerata est, et perditis et maleficis subjecta multitudinibus, oblita est, non diis, neque amicis, sed inimicis famulans. Ipsis autem immisericorditer ea secundum propriam immanitatem, abutentibus, in non subsistentias serviliter incidit et perditionis periculum. Divinae autem bonitatis maxima humanitas, per se ipsam operatricem nobis divinitus non induravit providentiam, sed in veritate participatione, quae secundum nos sunt facta est omnium sine peccato et ad humile nostrum unificata, cum propriorum inconfuso et immaculato perfectissime habitu, ad se nobis communicationem tanquam congenitis de cetero donavit, et propriorum recepit participes bonorum. Apostaticae quidem multitudinis, sicut occulta traditio habet, quae contra nos est, destruxit potentiam, non per virtutem superans, juxta vero mystice nobis traditum eloquium, in judicio et justitia. Quae enim [1] secundum nos sunt, ad contrarium simul omne benigne reparavit. Quod enim juxta animum nostrum obscurum est, implevit diviti et divinissimo lumine, et deiformibus ornavit informe pulchritudinibus. Animae vero habitaculum in perfectissima salute tantum decidentis nostrae essentiae, pollutissimis passionibus et corrumpentibus maculis liberavit, renovationem nostram supermundanam ostendens, et multam perfectionem divinam in ipsis ad eam nostris sacris, secundum quod possibile est, similitudinibus. Divina vero imitatio quomodo nobis aliter ingenita sit, nisi sacratissimarum divinarum actionum memoria renovata semper ierarchicis et sacris orationibus et sacrificationibus? Hoc ergo facimus, ut eloquia aiunt [a], in ejus recordationem. Inde divinus summus sacerdos ad divinum altare stans, laudat dictas sacras actiones divinas Jesu divinissimae nostrae providentiae, quas in salute generis nostri beneplacito sanctissimi Patris in Spiritu sancto secundum eloquium consummavit. Laudans autem et cultum earum, et invisibilem contemplationem intellectualibus oculis inspiciens, in symbolicam earum lerurgiam venit, et hoc Deo tradente. Unde et reverenter simul et ierarchice post sacras actionum divinarum laudes, pro ipsa supra se actione sacra apologiam facit, prius sacre ad ipsum reboans : Tu dixisti : *hoc facite in meam recordationem* [b]. Deinde Deo simili hac actione sacra dignus petens fieri, et ad ipsum Christum similitudine divina perficere, et dare castissime, et sancta participantes sacre et decenter participare, sacrificat divinissima, et sub conspectum ducit laudata per sacre procumbentia symbola. Velatum enim et non divisum panem revelans, et in multa dividens, et unionem calicis omnibus dispertiens symbolice unitatem multiplicat, et distribuit; sanctissimam in his actionem sacram [2], consummans. Unum enim et simplum et occultum Jesu divinissimi verbi, secundum nos in humanatione et ad compositum et visibile, immutabili bonitate et humanitate provenit, et ad se nostram unificam societatem benigne peregit [3], nostra humilia divinissimis suis summe adunans. Siquidem et nos tanquam membra corpori compaginamur ipsi secundum idipsum immaculata et divina vita, et non corrumpentibus passionibus juxta mortificatum incompacti et deformes [4], et non convenientes efficimur ad divina membra et sanissima. Oportet enim nos, si ad eum desideramus communionem, in divinissimam sui secundum carnem vitam respicere, et ad eam similitudini sacra peccato carentia deiformem et immaculatum habitum recurrere. Sic enim compacte nobis ad simile societatem donabit. Haec sacris actionibus summus sacerdos manifestat, velata quidem dona ad manifestum ducens, uniformeque eorum in multa dividens, et distributorum ad ea, in quibus fiunt secundum tempus unitati, socios eorum perficiens participes. Describit enim in his sensibilibus, sub conspectum ducens Jesum Christum, invisibilem nostram, quantum in imaginibus, vitam, secundum Deum ex occulto perfectissima et inconfusa juxta nos in humanatione misericorditer in naturam nostram specificatum, et ad partibile nostrum immutabiliter ex uno secundum naturam provenientem, et per benignam hanc humanitatis dilectionem in participationem sui et propriorum bonorum vocantem humanam gentem. Siquidem unimur ipsi divinissimae vitae ad eam nostra juxta virtutem similitudine : per hoc etiam ad veritatem communicatores Dei et divinissimarum consummationum erimus. Accipiens autem et tradens divinam communionem, in Eucharistiam sacram desinit cum omni Ecclesiae sacra plenitudine. Participatio enim traditionem ducit, et mysticam distributionem mysteriorum assumptio. Ipse enim est catholicus divinorum ornatus et ordo, primum in participatione fieri et consummatione sacrum ducem [5], per se divinitus aliis donandorum, sicque et aliis tradere. Propter quod et divinis doctrinis quidam audacter abutentes, ante secundum eas conversationem et habitum immundi et alieni omnino sacra sunt legislatione. Ut enim in solaribus splendoribus subtiliores et clariores essentiarum primae influxu repletae, per omnia eas supereminens lumen in ea, quae post eas solis instar invehunt : sic et divino omni non audendum aliis dux esse, nisi secun-

VARIAE LECTIONES.

[1] AE *autem*. [2] BH *sanctissima* in his *actio multiplicat*. [3] BH *peragit*. [4] AB *deiformes*. [5] BH *ducem*.

NOTAE.

[a] Matth. XXVI; Marc. XIV; Luc. XXII; I Cor. XI.

[b] Luc. XXII, 19; Matth. XXVI; I Cor. XI.

dum omnem habitum suum factum Dei formosissimum, et pro divina intelligentia et judicio compaginatum approbatus. In his omnis sacrorum dispositio ierarchice condescendens, et divinissimis communicans, cum gratiarum actione sacra desinit, divinorum actuum proportionaliter cognoscens et laudans gratias. Itaque divina non participantes et ignorantes, non etiam in Eucharistiam venient : et quidem juxta propriam naturam dignis existentibus gratiae aguntur divinissimis donationibus. Sed quod quidem dixeram, aspicere aliquando divinis donis ex eo, qui in malo est, contuitu nolentes, ingrati ad magnas divinorum actuum permanserunt donationes. *Gustate autem*, aiunt eloquia, *et videte* [a]. Sacra enim divinorum doctrina magnificas eorum, qui discunt, gratias cognoscent, et divinissimarum suarum altitudinem et magnitudinem in participatione sacratissime inspicientes, supercaelestes gratiose laudabunt actiones divinae benignitatis.

CAPITULUM IV

De perficiendis in myro et in ipso offerendis.

Tanta sanctissimae synaxeos sunt, et sic bona invisibilia ad unum nobis, sicut saepe diximus, ierarchice sacrificantia societatem et coordinationem. Sed est hujus aequipotens altera perfectiva operatio, myri teletam duces nostri [1] quam nominant. Partes itaque ejus [2] in ordine secundum sacras imagines intendentes, sic ad unum ipsius per partes ierarchicis contemplationibus ascendemus.

Mysterium teletae myri.

uxta eumdem synaxeos modum imperfectorum absolvuntur ordines, accedentibus scilicet et ierarchico in omne templum bene olenti ambitu, et psalmica sacra cantione, et divinissimorum eloquiorum lectione. Deinde myron summus sacerdos accipiens, superponit divino altari circumvelatum a duodecim pennis sacris, reboantibus simul omnibus sanctissima voce sanctum Deo acceptabilium prophetarum inspiratione melodema. Et in ipso perficientem orationem complens, in sanctissimis consecrandorum teletis eo utitur ad omnem fere ierarchicam perfectivam operationem.

Theoria.

Ipsa igitur introductiva consummativae hujus sanctificationis anagoge per ea, quae secundum divinum myron sacre aguntur, illud, aestimo, declarat, quod circumvelatur sanctis viris in animo sacrum et bene redolens, quae divinitus jubet sanctis viris, non manifestas habere in gloria vana secundum virtutem occulti Dei bonas et suaveolentes similitudines. Mundae enim sunt Dei secretae et super animum suaveolentes pulchritudines, et invisibiliter ostenduntur solummodo intellectualibus, conformes habere volentes per virtutem in animabus incorruptibiles imagines. Quod enim Deum imitatur agalma, ad illam invisibilem et beneolentem aspiciens formam, sic seipsum figurat et effingit ad formosissimam imitationem. Et sicut in sensibilibus imaginibus semper ad primam exemplarem speciem scriptor inflexibiliter intendit, ad nullum aliud visibilium retractus, aut secundum quid partitus, sed ipsum illud quod est describendum, si justum dicere, effingit, et ostendet [3] alterutrum in alterutro propter essentiae differentiam : sic mundis in animo describit ipsa ad beneolacem et occultam formam intenta et inflexibilis contemplatio non errans deiformosissimorum phantasma. Juste igitur ad superessentialiter suaveolentem et invisibilem pulchritudinem ad Deum conversi, intellectuale suum inconversibiliter specificantes, nullam agunt in se Deum imitantium virtutum in adspiciendum juxta eloquium [b] hominibus, sed sancte inspiciunt tanquam in imagine, divino myro ab Ecclesia sacratissima circumvelata. Propter quod et ipsi secundum virtutem, sanctum et deiformosissimum intus Deum imitantes, et Deo descripti animi sacre circumvelantes, ad solam [4] respiciunt archiformem intelligentiam. Neque enim contemplabiles tantum sunt dissimilibus, sed neque ipsi ad illorum trahuntur visionem, sibimet consequenter : neque visibilium imagines bonorum et justorum, sed eorum, quae sunt vere, vere amant : neque ad gloriam vident a multitudine irrationabiliter beatificam, sed bonum aut malum in seipso divina imitatione judicantes, agalmata divina divinissimae sunt beneolentiae, ex seipsa verum bene olax habens, ad multis dissimiliter opinabile non convertitur, veris suis pulchritudinibus unum formans, quod est sine simulatione. Fer reliquum, quoniam [5] exterius pulchritudinem contemplati sumus totius bonae et sacrae actionis, in diviniorem ejus respiciemus formam, ipsam in seipsa revelatam velamina, contemplantes beatam, splendentem, manifeste claram, et incircumvelate intellectibus replentem nos suaveolentiae. Neque enim manifesta myri perfecta operatio his, qui circa summum sacerdotem sunt, incommunicabilis est aut invisibilis, sed econtrario usque eos perveniens, et statuens supra multos contemplationem, ab ipsis sacre circumvelatur, et multitudine ierarchice distinguitur. Divinis enim viris sacratissimorum radius, tanquam congenerationi ab invisibili pure et immediate elucens, et intellectuales eorum receptiones incircumvelate suavificans, ad subjectum non prompte provenit, sed ab ipsis, ut secretorum invisibile contemplantibus, sine pompa, ad dissimilibus incontaminabile, sub pennatis aenigmatibus cooperitur : per quae sacra aenigmata bene ornati ordines reducuntur ad sacram suam analogiam. Est ergo, quod quidem dixeram, nunc laudanda nobis sacra teletae operatio, consummativae

VARIAE LECTIONES.

[1] *nostri* om. BH. [2] *ejus* om. BE. [3] A *et ostendit*, BH *ut ostendat*. [4] E *solarem*. [5] BH *quomodo*.

NOTAE.

[a] Psal. XXXIII, 9. [b] Matth. III; XXIII

ierarchicorum ordinationis et virtutis. Propter quod[1] et hanc divini duces nostri tanquam aequipotentem et idem peragentem synaxeos sacrae perfectionis[2] eisdem characteribus per multa et mysticis dispositionibus et sacris orationibus ordinaverunt. Et quidem summum sacerdotem, tanquam ipsis aspectibus ex diviniore loco bonam suaveolentiam in ea, quae deinde sunt, sancta proferentem, et ad se resolutione docentem, divinorum participationem simul omnibus quidem fieri juxta dignitatem sacris, indiminutam vero esse et immutabilem omnino, et aequalitate secundum divinam collocationem proprietatis incommutabiliter stantem. Desiderio autem iterum eloquiorum cantus et lectiones imperfectos quidem erudiunt ad viviferam filiolitatem, conversionemque[3] sanctam faciunt pollute energumenum feruntque manifestam qualemcunque trahendo insane energumenis deiformis habitus et virtutis sublimissimum, proportionaliter eis ostendentes. Juxta quam terrebunt maxime ipsi contrarias virtutes, et aliorum medicina praestabunt, divina imitatione immobile quidem ex propriis bonis, ad vero contrarios tumultus activum non habentes tantum, sed et donantes. His autem in intellectum divinum ex pessimis transeuntibus, habitum sacrum imponunt ad non iterum sub malitia errandum. Quosdam, ut sint castissimi, indigentes consummate absolvunt[4], quosdam sacros ducunt in divinas imagines et inspectiones earum et communicationes. Reficiunt autem quosdam sacratissime in beatis invisibiliter contemplationibus, complendo uniforme eorum uno et unificante. Quid autem? Nonne et non omnino puros, quorum jam memoriam fecimus, ordines clare absolvit secundum eundem synaxeos modum praesens nunc sancta teletae operatio, solis inimaginibus videns obtutibus divinis, et a solis immediate sacratissimis ierarchicis anagogis inspecta et sacrificata? Haec ergo jam saepe a nobis dicta, superfluum nobis est, ut aestimo, eisdem revolvere verbis, et non ad ea, quae deinde sunt[5], transcendere, summum sacerdotem divinitus videntes a duodecim pennis circumvelatum, habentem divinum myron, et sanctissimam in eo consummationem sacrificantem. Dicamus igitur, quomodo myri compositio congregatio quaedam est bene spirantium materiarum, in se copiose habens qualitates odoriferas, quantum accipientes olfaciunt secundum analogiam tanto ingenitae eis bono odore participationis. Credimus autem esse divinissimum Jesum superessentialiter suaveolentem, invisibilibus distributionibus[6] intellectuale nostrum replentem divina delectatione. Ipsa enim sensibilium suavitatum assumptio saturitatem facit, et nutrit cum delectatione multa olfacientium discretivum, siquidem innocuum sit, et ad bene olax in commensuratione compactum. Proportionaliter, si quis dixerit et intellectuales nostras virtutes ad ipsam in malum mineratıonem incorruptibiliter dispositas, in ipsa in nobis discretivi naturali[7] valetudine, secundum deificas mensuras, et coadunatam animi ad Deum conversionem, in receptione divinae suaveolentiae fieri, et benefacientia sacra impleri et divinissimo alimento. Non ergo myri symbolica compositio tanquam informatione informium, ipsum nobis subscribit[8] Jesum, fontem existentem divinarum suavium receptionum divitem, beatum proportionibus divinis et principalibus deiformiora intellectualium reddentem, divinissimos declarantem vapores, in quibus animi benefice delectati, et divinis assumptionibus repleti, esca invisibili utuntur, ad intellectuale eorum penetrant juxta divinam participationem suaveolentium distributionum. Est autem, ut aestimo, clarum, quia super nos essentiis ut divinioribus fontalis suaveolentiae retributio, propinquior quemodo adhuc et magis seipsam manifestat et distribuit, in lucidissimum earum et bene habile juxta intellectum receptivae virtutis copiose supermanans, et multipliciter occultata. Ad vero intellectualium subjecta, et non eodem modo acceptiva, super virtutem incontaminate occultans visionem et participationem, proportionalibus participantium vaporibus in commensuratione[9] divina distribuit. Super nos igitur sanctarum essentiarum tantum superpositus Seraphim ordo in alarum duodenario significatur, circa Jesum stans et collocatus, beatissimis ipsius contemplationibus, quantum justum, obumbrans, et invisibilis distributionis sacre in castissimis susceptionibus repletus, et multum laudabilem, sensibiliter dicendo, non silentibus oribus reclamans theologiam. Ipsa enim sancta supermundalium animorum scientia simul erecta est, et incessabilem habet divinum amorem, malitiamque simul omnem superat et oblivionem. Inde, ut aestimo, hoc non silenti clamore insinuat aeternam eorum et incommutabilem in virtute omni et gratiarum actione divinorum scientiam et intelligentiam. Incorporales ergo Seraphim proprietates, in eloquiis sensibilibus imaginibus et invisibilium manifestatoriis sancte descriptas, in exornamentis supercaelestium Ierarchiarum, ut arbitror, bene contemplati sumus, et tuis intellectualibus oculis ostendimus. Tamen quoniam quidem et nunc summum sacerdotem sacre circumstantes, ipsam nobis illam reformant excelsissimam dispositionem, in brevi et nunc sanctissimis aspectibus deiformosissimam eorum claritatem videamus. Multiforme igitur eorum et multipes[10], manifestativum est, ut aestimo, multividae eorum in divinissimas illuminationes proprietatis, et semper motus et multivii divinorum bonorum intelligibilium. Alarum autem, ut eloquia aiunt[a], expansam positionem, non numerum sanctum indicare arbitror, secundum quod visum est aliis, sed quia circa Deum ipsius excellentissimae essentiae et ordinis[11] anagogica et ab-

VARIAE LECTIONES.

[1] *quod* om. BH [2] A* *perfectionem.* [3] BH *conversationemque.* [4] *quosdam ut sint — absolvunt* om. BH. [5] E deinde *dita* sunt. [6] BH *districtionibus.* [7] E *natura.* [8] H *describit.* [9] BH *commemoratione.* [10] BH *multiplex.* [11] *et ordinis* om. BEH.

NOTAE.

[a] Isa. VI.

soluta perfectissime sunt et supermundana, prima et [A] media et extrema intellectualium sui et deiformium virtutum. Inde eloquiorum sacratissima sapientia, alarum duplicationem sancte describens, circa facies et media et pedes eorum imponit alas, universaliter volabile eorum insinuans, largissimum in id quod vere est anagogicae virtutis. Si autem facies et pedes tegunt, et solis volant mediis alis, intellige sacre, quia tantum exaltatus excellentissimarum essentiarum ordo timidus est circa intelligentiarum ejus altiora et profundiora, et mediis alis in commensuratione ad divinam visionem exaltatur, divinis jugis supponens propriam vitam, et ab ipsis sancte directus ad suimet cognitionem. Quod autem eloquiis dictum est, veluti, clamabat alter ad alterum, istud aestimo declarare, quia [1] deividis suis intel- [B] ligentiis sibi invicem copiose tradunt. Et hec sacra dignum judicavimus memoria, quomodo eloquiorum Hebraea vox, juxta intelligibilem nominationem, vocat sanctissimas Seraphim essentias, ex ipsa [2] secundum divinam et immutabilem vitam perflagrantia. Dixi ergo, ut quae Hebraeorum sunt, interpretantes aiunt, divinissimi Seraphim ardentes et calefacientes a theologia nominati sunt, manifestativo substantialis eorum habitus nomine, divinique unguenti juxta symbolicam imaginum descriptionem motivas habentes virtutes, in manifestationem ipsius et actu aliorum vaporum distributionem evocantes. Ipsa enim super intellectum suave olens essentia ab ignitis et purgatissimis mentibus in notitiam mo- [C] veri amat, et divinissimas suas inspirationes in ditissimis distributionibus donat sic se supermundane evocantibus. Non ergo divinissimus supercaelestium essentiarum ordo ignoravit divinissimum intellectum in sanctificandum descendentem. Intelligit autem eum sacre in his, quae secundum nos sunt, seipsum [3] subjicientem per divinam et ineffabilem bonitatem, et a Patre suo, et a Spiritu humanitus sanctificatum. Aspiciens vero proprium novit principium, in quibuscunque divinitus agit, secundum essentiam mutabile habentem. Inde sacrorum symbolorum traditio, sanctificato divino unguento Seraphim circumdat, incommutabilem videns et describens Christum in ea, quae secundum nos est, universali ad veritatem in- [D] humanatione. Et adhuc divinius, quia unguento utitur ad [4] omnis divini perfectionem, aperte ostendens, juxta eloquium, sanctificantem sanctificatum, tanquam semper ipsum existentem seipso secundum omnem divinam beneficentiam. Propter quod et sacrae divinae generationis perfectiva donatio et gratia in unguenti perficitur divinissimis consummationibus. Inde, ut aestimo, et purgativo baptisterio unguentum in cruciformibus symbolis infundens summus sacerdos, super conspectum ducit contemplativis oculis. usque etiam suam mortem per crucem

[A] Jesum pro nostra divina generatione demersum, hoc divino et potentissimo descensu, in mortem suam juxta occultum eloquium baptizatos, ex corrumpentis mortis veteri absorptione divinitus emergentem, et renovantem ad divinam et aeternam subsistentiam. Sed et ipso perficiente sacratissimam divinae generationis teletam, divini spiritus superadventum unguenti donat consummativa unctio, characterizante, ut aestimo, sacra symbolorum imaginaria descriptione ab ipso propter nos humanitus divino spiritu sanctificati, immutabili substantialis divinitatis habitu, divinissimum spiritum donatum. Et hoc ierarchice intellige, quia et divini altaris sacram consummationem sanctissimarum hostiarum legislatio sacratissimi unguent [B] perficit sanctissimis effusionibus. Est autem supercaelestis et superessentialis theoria, omnis deificationis nostrae et sanctificationis principium et essentia et perfectiva virtus. Si enim est divinissimum nostrum altare Jesus principalis divina divinorum animorum oblatio, in quo juxta eloquium oblati et mystice holocaustomati accessum habemus [5], supermundanis oculis videbimus ipsum divinissimum altare, in quo perfecta perficiuntur et sanctificantur, ab ipso divinissimo unguento perfectum. Sanctificat enim pro nobis seipsum sanctissimus Jesus, et omni nos sanctificatione replet in se perfectionum dispensatorie in nos tanquam Deo genitos de cetero benigne descendentium. Inde, aestimo, [C] secundum intellectum ierarchicum Deo traditum divini nostrae Ierarchiae duces pudicissimam hanc ierurgiam unguenti teletam ex perfecto actuose nominant, tanquam si quis dixerit Dei teletam, utroque intellectu divinam ipsius perfectam operationem laudantes. Est enim ipsius hostia, et propter nos humanitus sanctificari, et deifice omnia perficere, et sanctificare perfecta. Divinum vero Deo acceptabilium inspiratione melodema, aiunt qui [6] Hebraeorum sunt scientes, laus Dei declarare, aut laudare Dominum. Totius igitur sanctae theophaniae et creationis in varia compositione ierarchicorum symbolorum sacre descriptae, non inconveniens est recordari Deo motam prophetarum hymnologiam. Docet enim et caste simul et divinitus, lau- [D] dibus sacris dignas esse divinas actiones. Haec quidem divinissimi unguenti perfecta operatio est. Tempus autem fortassis sit [7], post divinas sacras actiones ipsas exponere sacerdotales ordinationes et partes, virtutesque earum et operationes et consummationes, et super has Trinitatem superfirmantium ordinum, utcunque demonstrata sit secundum nos Ierarchiae dispositio, inordinatum quidem et inornatum et commixtum clare distinguens, replens vero ornatum et ordinatum et bene firmatum, in ipsis per se seipsam manifestans sanctorum ordinum analogiis. Et omnis quidem Ierarchiae ternariam divisionem in ipsis jam a

VARIAE LECTIONES.

[1] AH *quod*. [2] *ex ipsa* om. E. [3] *seipsum* om. BH. [4] *Et adhuc — utitur ad om*. BH. [5] *habemus* om. BH. [6] BH *quae* [7] *sit* om. BH.

nobis laudatis Ierarchiis, ut aestimo, bene exposuimus, dicentes, quoniam secundum nos sacra traditio habet, omnem ierarchicam actionem in sanctissimas teletas dividi, et divinas earum scientias et doctrinas, et ab ipsis sacre perfectos. Non ergo sanctissima quidem supercaelestium essentiarum Ierarchia teletam quidem habet secundum virtutem propriam Dei et divinorum immaterialissimam intelligentiam, et deiformitatis integritatem, et ut [1] possibile, Deo similem habitum: in lucemque ducens, et ad sanctam ipsam consummationem ducens [2] circa Deum primitivas essentias sacrosque ordines deiformiter et proportionaliter transvehit ad donatas eis semper deificas scientias ab ipsa per seipsam perfecta et sapientifica divinorum animorum divinitate. Ipsae autem primarum essentiarum subjectae dispositiones, tanquam per illas divinitus exaltatae ad deificam divinitatis illuminationem, perfecti ordines et sunt et vere nominantur. Post illam vero caelestem et supermundanam Ierarchiam in ea, quae secundum nos sunt, benefice deitas sacratissimas suas donationes affert. Mitibus quidem qui sunt secundum eloquium, donavit juxta legem Ierarchiam obscuris verorum characteribus et longissimis principalium exemplorum inconsequentiis et figuris, non bene discretam habentibus, occultam eis contemplationem in ipsis lucem infirmis aspectibus innocue declarans. Huic autem secundum legem Ierarchiae teleta quidem ad spiritualem Dei cultum anagoge: manuductores autem ad eam ipsi sanctum illud tabernaculum a Moyse sacre eruditi, primo secundum legem pontificum doctore et duce. Ad quod sanctum tabernaculum introductive sacroscribens secundum legem Ierarchiam, charactere formae ostenso ei super Sina montem [a], vocat omnia secundum legem sacrificata. Ante vero perfecta a legalibus symbolis proportionaliter ad perfectiorem doctrinam reducimus. Perfectiorem autem doctrinam theologia secundum nos Ierarchiam dicit plenitudinem hanc illius vocans et sacrum finem. Est autem et caelestis et legalis communicativae medietati extremarum recepta, ei quidem communicans intellectualibus contemplationibus: huic vero [3], quia symbolis sensibilibus variatur, et per ea sacre in Deum reducitur. Trinum autem similiter habet ierarchicae divisionis in sanctissimas teletarum sacrificationes divisa, et deiformes sacrorum ministros, et ab ipsis proportionaliter in sacra adducendos. Unaquaeque vero trium nostrae Ierarchiae divisionum consequenter et legali et diviniori eorum, quae secundum nos, Ierarchiae prima et media et ultima ordinatur virtute, et divina analogia praevisa, et omnium bono ornatu, et secundum ordinem compacta et conjunctiva societate. Sanctissima ergo hostiarum sacrificatio [4] primam quidem habet deiformem virtutem sanctam imperfectorum purgationem: mediam autem purgatorum illuminatricem doctrinam: novissimam vero et priorum consummativam eruditorum in scientia pulchrarum doctrinarum consummationem. Ipsa autem sacrificantium dispositio, in potenti virtute prima, per teletas purgat imperfectos: in media autem lucem ducit purgatos: in ultima vero et sublimissima sacrificantium virtutum perficit divino lumine communicantes in contemplabilium illuminationum scibilibus contemplationibus. Perfectorum autem virtus prima quidem est purgans: media vero post purgationem illuminans, et quorundam sanctorum contemplativa: ultima autem et divinior aliarum, ipsa sanctorum photismatum, quorum efficitur, contemplatrix, illuminans consummativam scientiam. Sanctae ergo teletarum Ierurgiae trina virtus laudatur, sacrae quidem theogenesiae ex eloquiis comprobatae purgatione et photistica illuminatione: synaxeos autem et myri teletae consummativae divinorum actuum cognitione et scientia, per quam sacerdotum [5] ad divinitatem tanquam unifica anagoge et beatissima communicatio perficitur. Nunc autem sacerdotalem dispositionem consequenter enarrandum, in purgativam et illuminativam et consummativam ordinationem divisam

CAPITULUM V.

De sacerdotalibus consummationibus.

Lex quidem haec est thearchiae sacratissima, per prima secunda ad divinissimam suam reducere lucem. An non sensibiles elementorum essentias videmus in magis eis cognatiora primum venientes, et per illa in alia propriam dividentes operationem! Pulchre ergo omnis invisibilis et visibilis ornatus principium et fundamentum in deiformiores primos indit deificos radios venire, et per illos tanquam lucidiores animos, et ad participationem luminis et traditionem opportunum habentes, in subjectos proportionaliter eis illucet et superapparet. Horum igitur est primorum, deividum secundis copiose in commensuratione, quae juxta eos est, ostendere ab ipsis sacre contemplata divina spectacula: et docere, quae ierarchica sunt, cum scientia consummativa ipsa divina eos, qui post se sunt Ierarchiae simul omnia [6], bene docentium, et perfectam docendi virtutem accipientium, et tradere secundum dignitatem sacra erudite et integre participantium sacerdotali consummatione [b]. Ergo divinus

VARIAE LECTIONES.

[1] *ut* om. BH. [2] AE *duces*. [3] BH *ergo*. [4] Sic A; BEH *sacrificio*. [5] AE *sacerdotium*. [6] BH ipsa *omnia divina e. o. p. s. s. I. simul bene* cet.

NOTAE.

[a] Exod. XXV; Hebr. VIII.

[b] Codex Joannis Scoti qui fuit, h. l. mutilus videtur fuisse. Nam quæ in Corderii editione Tom. I, p. 358 a verbis Ἡ δὲ τῶν ἱερουργῶν διακόσμησις usque p. 360 Οὐκοῦν ἡ θεία τῶν Ἱεραρχῶν τάξις sunt, in versionis codd. desiderantur.

pontificum ordo primus quidem est deividarum [1] ordinationum : sublimissimus autem iterum et novissimus idem. Etenim in ipso perficitur et impletur omnis nostrae Ierarchiae dispositio. Ut enim omnem Ierarchiam videmus in Jesum consummatam, sic unamquamque in proprium divinum summum sacerdotem. Ipsa autem ierarchici ordinis virtus in omnibus locatur sacris universitatibus, et per omnes sacros ordines operatur propriae Ierarchiae mysteria. Discrete autem huic, ultra ceteros ordines, in suam operationem divina lex distribuit diviniores sacrificationes [2]. Hae autem sunt perfectrices thearchicae virtutis imagines, consummantes omnia divinissima symbola, et omnes sacras dispositiones. Etsi enim a sacerdotibus perficiuntur quaedam colendorum symbolorum, sed nunquam aliquando sacram theogenesiam sacerdos operabitur sine divinissimo unguento : neque divinae communionis perficiet mysteria, nisi divinissimo altari communicativis superpositis symbolis. Sed neque ipse sacerdos erit, nisi ab ierarchicis consummationibus in hoc sortitus. Inde divina legislatio ierarchicorum ordinum sanctificationem, et divini unguenti consummationem, et sacram altaris purificationem, divinorum pontificum perfectivis virtutibus singulariter divisit. Est igitur sanctificus ordo, consummativae virtutis repletus, perfecta Ierarchiae discrete perficiens, et scientias sacrorum manifestativorum [3] eruditus, et edocens proportionales eorum et sacros habitus et virtutes.

Sacerdotum autem luciducus [4] ordo in sanctas hostiarum inspectiones manuducit perfectos sub divinorum pontificalium ordine, et post eum sacrificans proprias sacras actiones, in quibus quod quidem ipse agit, deificas ostendens per sacratissima symbola, et contemplatores advenientes perficiens, et sanctarum teletarum communicatores : in summum autem sacerdotem remittens vel contemplativarum scientiae contemplatarum sacrificationum desiderantes. Ministrantium vero ordo purgativus et dissimilium discretivus, ante in sacerdotum sanctificationes accessionem, purgat advenientes, puros eos perficiens contrariis, et ad sacrificam inspectionem et communicationem [5] coaptatos. Inde in sanctam theogenesiam ministri advenientem veteri denudant vestimento, adhuc et absolvunt, et ad occasum in abrenunciationem statuunt, et iterum ad ortum transducunt — purgativae enim sunt ordinationis et virtutis — repellere universaliter jubentes advenientibus prioris vitae amictus, et prioris conversationis tenebrosum, ostendentes et edocentes eos reordinandos, a non illuminantibus in illuminativa transcendere. Purgativa igitur est ministrativa dispositio, in manifestissimas sacerdotum sanctificationes reducens purgatos, et imperfectos dijudicans, et inflammans mundativis eloquiorum illuminationibus et doctrinis, et adhuc immundos sacerdotibus inconfuse separans. Propter quod et sanctis eam statuit portis ierarchica legislatio, ad sacra provenientium introitum in perfectissimis purgationibus insinuans, et ad sanctas eorum inspectiones et communicationes [6] accessum purgativis virtutibus tradens, et per eas eos impollutos accipiens. Ostensus est igitur a nobis pontificum quidem ordo consummativus et perfectivus : sacerdotum autem illuminativus et luciducus : ministrantium vero purgativus et discretivus : scilicet ierarchico ordine non perficere tantum, sed et illuminare simul et mundare percipiente, et sacerdotum virtute habente in seipsa cum illuminativa et purgativam scientiam. Aliae quidem enim minores in ea, quae meliora sunt, non possunt transmovere, eo quod injustum sit eis, ad hujusmodi conari majestatem. Aliae autem diviniores virtutes cum propriis et subjectas suae perfectionis sacra scientia cognoscunt. Similiter quoniam divinarum sunt actionum imagines, aliae sanctificativae dispositiones bene ornati et inconfusi divinarum operationum ordinis, in semetipsis ostendentes ordinatas illuminationes in primas, et medias, et ultimas sacras actiones et ordinationes, in discretionibus ierarchicis ordinatae sunt, manifestantes, ut diximus, in seipsis divinarum operationum ordinatum et inconfusum. Quoniam enim thearchia, in quibuscunque inest, animos purgat primum, deinde illuminat, et illuminatos consummat ad deiformem perfectionem : merito pontificalis divinarum imaginum in discretas seipsam alternat ordinationes et virtutes, operose ostendens thearchicas operationes in sanctissimis et inconfusis ordinibus ponderate et inconfuse statutas. Sed quoniam sanctificas ordinationes et participationes virtutesque earum et operationes diximus, quantum nobis possibile est, et sacratissimas earum, quantum potentes sumus, inspiciemus consummationes.

Mysterium sacerdotalium consummationum.

Summus quidem sacerdos ad ierarchicam consummationem accedens, utroque pede inclinans ante conspectum divini altaris, super caput habet Deo tradita eloquia, et ierarchicam manum, et hoc modo a perficiente eum summo sacerdote sanctissimis invocationibus consummatur. Sacerdos autem utroque pede inclinans in conspectu divini altaris, super caput habet ierarchicam dextram, et hoc modo a perficiente eum summo sacerdote sacrificis invocationibus sanctificatur. Minister vero uno pede inclinans in conspectu altaris, super caput habet perficientis eum summi sacerdotis dextram, perficiendus ab ipso ministrantium consummativis invocationibus. Unicuique autem eorum cruciforme signatur a perficiente summo sacerdote signaculum, et per unumquemque [7] recitatio fit sacra, et consummativa salutatio, salutante omni divino praesente viro, et consummante summo sacerdote ad aliquid

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic B ; AEH *deividum*. [2] BH *diviniorem sacrificationem*. [3] BH *manifestatorum*. [4] EH *lucidicus*. [5] BH *communionem*. [6] BH *communiones*.

dictarum divinarum ordinationum consummatum.

Theoria.

Communia quidem sunt summis sacerdotibus, et sacerdotibus, et ministris, in sacerdotalibus eorum consummationibus, ad divinum altare accessus, et inclinatio, ierarchicae manus impositio, cruciforme signaculum, praeconium [1], consummativa salutatio. Separata autem et discreta summis quidem sacerdotibus eloquiorum super caput impositio, non habentibus hoc minoribus ordinibus. Sacerdotibus vero ambobus pedibus inclinatio, non habente hoc ministrantium consummatione. Ministri enim, ut dictum est, uno inclinant pede tantum. Igitur ad divinum altare accessus et sufflexio insinuat omnibus sanctifice perficiendis, supponere universaliter consummationis principi Deo propriam vitam, et suam intellectualem universitatem castissimam ipsi et oblatam accedere et conformem; et ut possibile, dignam existentem thearchico et sanctissimo et sacerdotali altari, offerente sanctifice deiformes intellectus. Ierarchicae autem manus impositio similiter quidem manifestat perfectivam principalem protectionem, sub qua tanquam disciplinis sancti custodiuntur paterne, ipsis quidem habitum et virtutem sacerdotalem donantem, contrarias vero eis virtutes segregantem. Docet autem simul et omnes perficere sacerdotales operationes, tanquam sub Deo agentes, perfectos, et propriarum operationum eum habentes in omnibus ducem. Cruciforme autem signaculum, omnium similiter carnalium concupiscentiarum interdictionem, et Dei imitatricem vitam, respicientem recte in virilem Jesu et divinissimam vitam usque ad crucem et mortem cum thearchica peccato carentia venientis, et sic viventes tanquam conformes signantis in cruciformi propriae peccato carentiae imagine. Sacram vero consummationum et consummandorum recitationem summus sacerdos reboat, mysterio declarante, quomodo amicus Dei sanctificator est thearchicae electionis, non ipse propria gratia perficiendos in sanctificativam ducens consummationem, sed a Deo motus in omnes ierarchicas sanctificationes. Sic Moyses legalis sanctificator neque fratrem, qui est Aaron, in sacerdotalem consummationem ducit, et amicum Dei se esse, et sanctificam aestimans, usque dum divinitus in hoc motus, a perfectionis principe Deo sacerdotium perfecit. Sed et divinus noster et primus sanctificus, factus est enim et hoc super nos humanissimus Jesus, non seipsum glorificavit, ut eloquia aiunt, sed qui locutus est ad eum : *Tu sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* [a]. Propter quod et ipse in sacerdotalem consummationem ducens discipulos, et quidem subsistens ut Deus perfectionis princeps, tamen in sanctissimum suum Patrem et divinum Spiritum perfectionis principalem retulit ierarchice perfectionem, annuncians discipulis, ut eloquia aiunt [b], *ab Hierosolymis non recedere, sed expectare promissionem Patris, quam audistis, inquit; quia vos baptizabimini in Spiritu sancto.* Et quidem et ipse discipulorum vertex, cum coordinata sibi ierarchica decade, in duodenarii discipulorum veniens sanctificam consummationem, in thearchiae electionem timidus reliquit : *Ostende*, dicens, *quem eligam* [c], et a divina sorte divinitus ostensum in sancti duodenarii ierarchicum numerum recepit. De divina autem sorte huic Matthiae data alii quidem alia dixerunt, neque recte, ut aestimo. Meum vero et ipse sensum dicam. Videtur enim mihi eloquia sortem nominasse divinum quoddam donum, declarans illi ierarchico choro ad divinam electionem [2] ostensum. Praeter [3] enim aliquod divinum summum sacerdotem, non per seipsum motum, oportet sacerdotales facere perfectiones, sed Deo submovente eas ierarchice et caelitus perficere: ipsa autem ad finem sacerdotalis consummationis salutatio sacram intelligentiam habere. Omnes enim, quicunque adsunt sanctificis existentes ordinibus, sed et ipse perficiens summus sacerdos, salutat perfectum. Cum enim sanctificativis habitudinibus et virtutibus et divina vocatione et sanctificatione ad sacerdotalem perfectionem advenit animus sacer, amabilis est coordinatis et sacratissimis ordinibus, in deiformosissimam ductus pulchritudinem, amantibus aequiformibus animis; et ab eis sacre adjunctus. Inde ad se invicem sanctifica salutatio sacrificatur, aequiformium animorum sacram societatem declarans, et inter se invicem amabilem laetitiam, nunquam integre salvantem [4] sacerdotalem formationi deiformosissimam pulchritudinem.

Haec igitur, ut diximus, sunt communia totius sanctificae consummationis. Summus autem sacerdos discrete habet eloquiorum super caput sacratissimam superpositionem. Quoniam enim consummativa totius sacerdotii virtus et disciplina divinis summis sacerdotibus a divina donatur et perfectionis principe bonitate; pulchre in ierarchicis capitibus superponuntur Deo tradita eloquia, continuatim et disciplinatim manifestatoria totius Theologiae et theurgiae et theophaniae in ratione omnium divinorum et sacrorum operum et verborum, quae a benefica theurgia nostrae ierarchiae donata sunt, tanquam deiformi summo sacerdote totius ierarchicae virtutis integre participante, omnium autem ierarchicarum sanctarum laudationum et sanctarum actionum veram et Deo traditam scientiam, non illuminato tantum, sed et aliis proportionibus ierarchicis tradente, et perficiente in divinissimis scientiis et sublimissimis anagogis, ierarchice simul omnia totius ierarchiae perfectissima. Sacerdotibus autem pedum inclinatio conveniens est ultra ministrativam dispositionem, tanquam unum

VARIAE LECTIONES.

[1] *cruciforme—praeconium* om. BH, supra et in marg. adscr. E. [2] AE *a divina electione*. [3] AE *Propter*. [4] B *salutantem*.

NOTAE.

[a] Psal. CIX; Hebr. V; Luc. XXII.

[b] Luc. XXIV; Act. I, 4.

[c] Act. I, 24.

inclinante illa, et hoc ierarchico schemate consummante. Ipsa igitur inclinatio significat subjectum accessum accedentis, referentis Deo quod divinitus accedens. Quoniam vero, ut saepe diximus, tres sacrae consummantium dispositiones propter tres sanctissimas teletas et virtutes supersedent tribus consummandorum ordinibus, et sub divina juga salutarem eorum sacrificant accessum : apte ministrativa dispositio tanquam purgativa [1], unam sacrificat purgandorum accessionem, sub divinum eam superponens altare, tanquam in ipso purgatis animis supermundane oblatis. Sacerdotes autem utroque pede inclinant, veluti a suis sacre accessibus non solum mundatis, sed et manifestatissimis suis sacrificationibus anagogice purificata vita, in contemplativum habitum et virtutem sacrifice consummati. Summus autem sacerdos, utroque pede inclinans, super caput habet Deo tradita eloquia, Dei ministrativa virtute purgante et sacrifica illuminatos, ad inspectorum ab ipsis sacrorum proportionaliter eis scientiam ierarchice ducens, et per eam consummans accedentes in integram secundum eos oblationem.

CAPITULUM VI.

De perficiendorum ordinibus.

Hi quidem sacerdotales ordines et partitiones, virtutesque eorum et operationes et consummationes : sub ipsis autem trinitas consummandorum ordinum deinde narranda. Dicamus igitur, quia purgandi quidem sunt ordines sacrificantibus et ministrantibus distinctae multitudines, quarum jam memoriam fecimus: ejus quidem tanquam adhuc administrantium obstetricibus eloquiis ad vitalem approbationem et formandae et figurandae : ejusque quasi quae [2] ad divinam, ex ea apostatavit, vitam revocandae bonorum eloquiorum conversoria doctrina : ejusque tanquam adhuc a contrariis tumultibus infirmiter timidae, et a facientibus virtutem eloquiis corroborandae : ejusque velut adhuc [3] ad sacras actiones ex pessimis traducendae : ejusque tanquam transductae quidem, nondum vero castissime conversationem in divinioribus habitudinibus et immutabilibus habentis. Isti enim sunt purgandi ordines administrativa obstetricatione et purgativa virtute. Hos ministri sacris suis virtutibus perficiunt, ad consummate purgatos eos illuminatricem manifestissimarum sacrificationem contemplationem et communicationem transordinandum. Medius autem ordo est [4] contemplativus, et quibusdam sacerdotum proportionaliter in omni puritate [5] communicans, sacerdotibus in illuminandum se distributus. Etenim est, ut aestimo, clarum, quomodo ipse purgatus omni immunda macula, et castissimum habens proprii animi immutabile fundamentum, in contemplativum habitum et virtutem sacrifice transit, et communicat per se divinissimis symbolis in con-

A templationibus eorum et communicatione simul omnis sacrae laetitiae repletus, ac per hoc ad divinum scientiae eorum sanctissimis ascensionibus suis virtutibusque proportionaliter revolans. Hunc ego [6] dico sancti populi ordinem, tanquam per omnem venientem purgationem, et sacra manifestissimarum hostiarum inspectione et communicatione, quantum justum et [7] dignum. Perficiendorum autem omnium altior ordo monachorum est sacra dispositio, omnem quidem mundatam purgationem, universali virtute, et perfectissima propriarum actionum castitate, omnique, quantacunque fas ei, contemplando sanctificatione, in intellectuali theoria et communicatione facta, et pontificum consummativis virtutibus mancipata, et divinis eorum illu-
B minationibus et ierarchicis traditionibus edocta, considerans per se sacrarum hostiarum sacrificationes, et a sacra earum scientia proportionaliter in consummatissimam ascendens consummationem. Inde divini duces nostri nominationibus eos sacris dignati sunt, alii quidem therapeutas, alii [8] autem monachos nominantes, ex Dei puro ministerio et famulatu, et non partita et singulari vita, tanquam unificante eos [9] in separabilium sacris complicationibus in deiformem unitatem, et amicam Deo consummationem. Propter quod et consummativam eis donavit gratiam sacra legislatio, et quadam eos dignata est consecrativa invocatione, non ierarchica : illa enim in [10] solis fit sanctificis ordinibus, sed sanctificativa a sanctis sacerdo-
C tibus ierarchica perfectione secundo sanctificata.

Mysterium monachicae consummationis.

Sacerdos quidem stat in conspectu divini altaris, monachicam invocationem psallens. Consummandus autem retro sacerdotem stat, non utroque pede inclinans, non uno pede, non supra caput habens Deo tradita eloquia : tantum vero sacerdoti adstans psallenti super ipso mysticam invocationem. Perficiens autem eam sacerdos, ad perficiendum veniens interrogat primum hoc, si primum abrenunciat divisis non solum conversationibus, sed et phantasiis. Deinde perfectissimam eum vitam docet, testimonium perhibens, quia oportet media eum [11] superadstare. Haec autem omnia perficiente intentius confitente,
D cruciformi similitudine signatus ipsum sacerdos tondet, trinam divinae beatitudinis invocans substantiam, et vestem omnem exuens, alteram induit, et cum aliis sacerdotalibus [12] viris, quicunque adsunt, salutans eum, socium perficit thearchicorum mysteriorum.

Theoria.

Quod neque pedibus inclinare, neque super caput habere Deo tradita eloquia, adstare autem sacerdoti invocationem psallenti, declarat monachicum ordinem non esse praelatum aliis, sed in seipso stantem

VARIAE LECTIONES.

[1] *dispositio tanquam purgativa* om. BEH. [2] quae om. A; E *quia.* [3] *adhuc* om. BH. [4] *est* om. BH. [5] AE *in puritate omni.* [6] A'E *ergo.* [7] *et* om. A; E *est.* [8] BH *alios — alios.* [9] *eos* om. E [10] *in* om. E. [11] AE *eum media.* [12] AE *sacerdotibus.*

in singulari et sacra statione, sacerdotales sequentem ordines, et cum ipsis tanquam consequentem [1] in divinam per se sacrorum scientiam bene credens ascendentem. Partitis autem non solum conversationibus, sed etiam et phantasiis abrenunciatio consummatissimam significat monachorum philosophiam, in scientia unificantium mandatum operantem. Est enim, ut diximus, non mediae perficiendorum ordinum, sed omnium altioris. Propter quod et multa in media ordinatione indiscrete energumenis ignorantur modo quodam [2] a singularibus monachis, tanquam ad unum sic debentibus unificari, et ad divinam unitatem congregari, et ad sanctificam, ut justum est, reformari vitam, veluti cognationem ejus habentem in multis, et magis ei ultra reliquas consummandorum ordinationes proximantem. Cruciformis autem similitudinis signaculum, sicut jam a nobis dictum est, declarat omnium simul carnalium desideriorum interdictionem. Crinium vero tonsura significat mundam Domini non figuratam vitam, non in fictis figuris animi libertatem superposite fucantem, sed ipsam in seipsa non humanis pulchritudinibus, sed coadunatis et monachis in deiformosissimum reductam. Prioris autem vestimenti expulsio, et alterius assumptio, a media sacra vita in perfectiorem, transordinationem significat, sicut in sacra theogenesia vestimenti mutatio declarabat repurgatam vitam in contemplativum et illuminativum habitum ascendentem. Si autem et nunc sacerdos, et omnes, quicunque adsunt, sancti consummatum salutant, sanctam deiformium intellige societatem, caritate in laetitia divina condelectatam sibi invicem. In fine vero omnium sacerdos in thearchicam communionem vocat consummatum, significans sacre, quomodo perfectus, si vere in monachicam venit et in coadunatam anagogen, non contemplator solummodo erit secundum se sacrorum, neque juxta medium ordinem in communionem veniet sacratissimorum symbolorum, sed cum divina a se participatorum sacrorum scientia altero modo supra sacram plebem in assumptionem veniet divinae communionis. Propter quod et sacerdotalibus ordinibus in sacre consummativis suis sanctificationibus, in fine sanctissimarum suarum oblationum, sanctissimae Eucharistiae communio traditur a consummante eos summo sacerdote. Non solum, quia divinorum mysteriorum assumptio uniuscujusque ierarchicae participationis est consummatio, sed quia et ipsa communione et divinissima donatione proportionaliter eis secundum unamquamqu esacrae omnes ordinationes participant, ad propriam earum positionis anagogen et consummationem. Comprehensum est igitur a nobis, quomodo sanctae quidem teletae purgatio sunt et illuminatio et consummatio: ministri autem purgativus ordo : sacerdotes illu- A minativus : consummativus deiformes summ. sacerdotes. Purgandus [3] vero ordo sacrae inspectionis et communionis particeps, quantum adhuc purgandus [4]. Contemplativus ordo sacer populus. Consummandus autem ordo adunatorum monachorum. Sic enim secundum nos Ierarchia, Deo traditis ordinibus sacre disposita caelestibus Ierarchiis conformis est, divinae imitationis suae, quantum in viris, salvans deiformes characteres. Sed dicis, quia caelestibus Ierarchiis desunt omnino purgandi ordines : non enim justum neque verum dicere, tanquam adhuc quaedam caelestis dispositio sit [5] polluta. Ego autem, quia quidem immaculati perfectissime sunt, et castissimum supermundane habent, confiteri me omnino, si non omnino recido sacratissimo intellectu. Si enim aliquis eo- B rum, a malitia receptus, caelesti quidem et inconfusa cecidit divinorum animorum harmonia, in obscurum apostaticarum multitudinum evectus est casum. Sed est [6] dicendum mirabiliter in caelesti Ierarchia, quia purgatio in subjectis essentiis a Deo quantum [7] ignotorum illuminatio, in perfectiorem eas scientiam ducens thearchicarum cognitionum, et ignorantiam eorum, quorum nondum scientiam habebant, utpote purgans per primas et diviniores essentias, reductas in superiores divinarum contemplationum et manifestiores claritates. Sic et illuminandi ordines sunt et consummandi, et purgativi, et illuminativi, et consummativi secundum caelestem Ierarchiam, tanquam excellentissimis et divinissimis essentiis inferiores sacras et caelestes dispositiones cum C omni castitate purgantibus in ordinibus et proportionibus caelestium Ierarchiarum, implentibusque eas divinissimarum illuminatione, et consummantibus in sanctissima thearchicarum intelligentiarum scientia. Etenim jam a nobis dictum est, et eloquiis divinitus comparatur, non eas esse omnes caelestes dispositiones in omnibus sacris deividum illuminationum scientiis, sed ex Deo quidem immediate primas, per illas similiter iterum ex Deo subjectas, proportionaliter eis illuminari manifestissimos Divinitatis radios claros.

CAPITULUM VII.

De perficiendis in dormientibus.

His autem definitis, necessarium dicere aestimo, D et quae a nobis sacre in dormientibus perficienda sunt. Etenim neque hoc commune est sanctis et immundis : sed sicut diversa forma est utrorumque vitae, sic et ad mortem venientes, qui quidem sacram habent vitam, in veras promissiones divinitatis respicientes, tanquam veritatem suam in ea, quae secundum ipsam est, resurrectione contemplaturi, cum firma et vera spe in laetitia divina ad mortis summum veniunt, velut ad finem divinorum certaminum, in perfectissima et non deficiente vita et salute, quae secundum eos erunt omnino scientes per

VARIAE LECTIONES.

[1] *ordines — consequentem* om. B H. [2] E *ignoranter quodammodo.* [3] A E *Purgatus.* [4] AE *purgatus.* [5] *sit* om. BH. [6] BH *et.* [7] AE *tanquam.*

futuram suam universalem resurrectionem. Sanctae enim animae, ad eam in mala secundum hanc vitam potentem cadendo conversionem non venientes, in ea iterum generatione in conversibilem habebunt deiformosissimam transordinationem. Munda autem sanctarum animarum conjuga et coeuntia corpora conscripta [1] et commilitantia secundum divinas suas collocationes, in animarum incommutabili secundum divinam vitam fundamento conrecipient propriam resurrectionem. Eo quod enim unita erant secundum hanc vitam sacris animabus, velut membra Christi facta, deiformem et incorruptibilem, immortalemque et beatam recipient quietem. In his ergo sanctorum est quies in laetitia et immutabili spe, in divinorum certaminum perventura summum. Immundorum vero alii quidem in non subsistentiam irrationabiliter aestimant redire : alii vero corporalem in semel corrumpi propriarum animarum conjugationem, velut incompactam eis existentem deiformem vitam et beatam quietem, non intelligentes, neque satis in divina scientia eruditi, inchoaverunt jam secundum nos in Christo deiformosissimam vitam. Alii autem corporum aliorum distribuunt animabus conjugationes, injuste agentes, hoc in ipsis, ut aestimo, suspicantes divinis animabus, et sacris retributionibus non recte privantes ad finem venientia divinissimorum cursuum. Alii autem nescio quomodo ad materiales notiones revocati dixerunt, conformem hujus vitae sanctis promissionem sanctissimam et beatissimam quietem, et escas proprias mutata vita his, qui in angelis injustis sunt, projecerunt. Sed non recidet quis a sacratissimis viris in tales errores, sed confestim se suscepturos esse Christiformem quietem, scientes, cum in finem venient hujus vitae, in [2] incorruptionem suam viam veluti propinquiorem jam factam manifestius vident, et donationes divinitatis laudant, et divinae delectationis implentur, ad ea, quae retro sunt, conversionem non in aliquo timentes, sed bene scientes, quia possessa bona firmiter et aeternaliter habebunt [a]. Coinquinationibus autem pleni et immundis maculis, qui quidem sacram quandam consecuti sunt doctrinam, ipsi vero eam ex proprio animo perdite projicientes, in corrumpentes sponte se dederunt concupiscentias, cum ad finem veniunt hujus vitae imparati, ut eis bene spernens manifestat eloquiorum divina legislatio [b], perditas propriis passionibus voluptates aliis oculis inspicientes, et sacram vitam, qua stulte recesserunt, beatificantes, miserabiliter et coactive rescinduntur hac vita, ad nullam sacram spem manuducti propter pessimam vitam. Talium autem nullo futuro secundum dormitationes sanctorum virorum, ipse quidem ad finem veniens propriorum certaminum, laetitia sancta repletur, et cum delectatione multa ad viam ascendit divinae iterum generationis. Dormientis autem domestici secundum divinam habitationem et similem conversationem, ipsum, qui est, beatificant ad palmiferum optate venientem finem, et victoriae causali gratulatorios cantus referunt, adhuc et se venturos fore ad similem optantes quietem : accipientes vero eum, ad summum sacerdotem ducunt, tanquam ad coronarum divinarum donationem. Ipse autem cantans suscipit et perficit secundum legem sacram in sanctis dormientibus perficienda.

Mysterium in sancte dormientibus.

Congregans divinus sacerdos sacrum chorum, siquidem sanctifico fuerit ordine dormiens, in conspectu divini altaris inclinans eum, initiatur ad Deum oratione et Eucharistia. Si autem sanctis monachis aut sacro populo ordinatus est, ad honorabile sacerdotium ipsum inclinat ante sacerdotalem introitum. Deinde perficit ad Deum eucharistialem orationem summus sacerdos. Consequenter ministri in divinis eloquiis prolatas non mendaces promissiones de sacra nostra resurrectione legentes, sacre cantant confitentes hoc et potentes psalmicorum eloquiorum cantus. Deinde ministrantium primus resolvit catechumenos, et praedicat jam dormientes sanctos, cum quibus dignatur modo defunctum coordinata recitatione, et hortatur omnes petere in Christo beatam consummationem. Deinde accedens divinus summus sacerdos, orationem sacratissimam super eo facit. Et post orationem ipse summus sacerdos saluta dormientem, et post eum praesentes omnes. Salutantibus autem omnibus infundit dormienti oleum summus sacerdos, et pro omnibus orationem sacram faciens, reponunt in domo honorabili corpus cum aliorum coordinatorum sanctorum corporibus.

Theoria.

Sed haec quidem si viderint aut audierint immund apud nos perficienda, late ridebunt, ut arbitror, et erroris nostri miserebuntur. Non oportet autem ad hoc mirari. Si enim non crediderint, ut eloquia aiunt [c], neque intelligent. Nos autem invisibilia perficiendorum inspicientes, Jesu luciduco dicamus, quomodo non irrationabiliter summus sacerdos in aeque militantem chorum introducit et imponit dormientem. Significat enim mirabiliter, secundum illas erunt omnes in ipsa iterum generatione vocationes, puram hic propriam vitam implentes. Utpote si deiformem quis habuit hic et sacratissimam vitam, quantum viro Dei imitabile licitum est, in divinis erit per seculum futurum et beatis quietibus. Alii autem ejus per extremam formae demissionem sacram tamen conformes et ipsae recipient sanctas retributiones. Pro hac divina justitia summus sacerdos gratias agens, orationem sacram facit, et colendam laudat thearchiam, tanquam destructivam contra omnes injustae et tyrannicae potentiae, transdu-

VARIAE LECTIONES.

[1] E *conspecta*. [2] *in* om. AE.

NOTAE.

[a] Psal. V, XXV, LXXXIII.
[b] Jer. V; Sap. V.
[c] Isa. VII.

centemque nos in proprias justificationes. Divinarum quoque promissionum lectio et cantus manifestatoria quidem sunt beatissimarum quietudinum, in infirmitate habentes consummationem aeternaliter gravabunt: dormientis vero divinitus receptiva, viventium autem adhuc exhortativa ad similem consummationem. Intende, quia nunc non omnes juxta consuetudinem purgandi ordines resolvuntur: soli vero sacris expelluntur choris catechumeni. Etenim ipse quidem ineruditus est universaliter omnis sacrae hostiae, et ad nullum, neque parvum neque magnum, sacre consummandorum inspicere ei fas est; tanquam neque sacrorum contemplativae virtutis participans per praelucentem et luciferam theogenesiam. Ceteri vero purgandorum ordines in doctrina quidem jam fiunt sacrae traditionis. Stulte autem ad ea, quae inferius sunt, iterum currentes, oportet in ea, quae ante sunt [1], propriam reductionem perficere, divinorum quidem, quantum in symbolis, sacre aspectibus et communicationibus rationabiliter segregantur. Nocebunt enim immunde eorum participantes, et ad plurimum divinorum et suum venient contemptum. Non inconvenienter autem adsunt in nunc perficiendis, aperte edocendi et videntes secundum nos formidinem mortis, et sanctorum retributiones a veris eloquiis laudatas, et caligines fore talibus immundis infinitas. Permittitur enim eis aeque utile, videntes sacre consummatum ex ministrativa recitatione socium vere existentem a seculo [2] sanctorum mirabiliter praedicatorum. Et fortassis et ipsi ad simile desiderium venient, et ex ministrativa scientia edocentur, beatam vere esse in Christo consummationem.

Deinde accedens divinus summus sacerdos orationem sacram super dormiente facit, et post orationem ipse summus sacerdos eum salutat, et [3] deinde praesentes omnes. Ipsa igitur oratio divinam bonitatem deprecatur, omnia quidem dimittere per humanam infirmitatem commissa dormienti, ordinareque eum in lumine et regione viventium, in sinibus Abraham et Isaac et Jacob, loco quo expellitur dolor et tristitia et angustia. Hae quidem ergo, ut arbitror, clarae sanctorum beatissimorum retributiones. Quid enim fortassis fiat perfectissimae laetitiae et illuminatrici immortalitati componderatum, etsi maxime nostris proportionibus significativis omni altiores animo promissiones significatae, et activa earum veritate relictas habent nominationes? Verum enim esse eloquium aestimandum, *quia oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit; quae praeparavit Deus diligentibus se* [a]. Sinus autem sunt, ut arbitror, beatissimorum patriarcharum et reliquorum sanctorum omnium divinissimae et beatissimae quietes deiformes, suscipientes omnes in eis ineffabilem et beatissimam consummationem. Dicas forte, utique haec quidem recte dicta esse a nobis: dubitare vero hoc, quare divinam bonitatem summus sacerdos deprecatur [4], peccatorum petens dormienti remissionem et deiformibus aequipotentem et lucidissimam partem. Si enim retributiones recipiat omnis a divina justitia, quae in praesenti vita bonorum aut alterorum peregit, finivit autem secundum hanc vitam proprias operationes qui dormivit, quomodo per quandam summus sacerdos orationem in alteram requiem transvehet ultra dignitatem ejus? Et quidem ibi vitae retributionem habebit partem unusquisque, bene scio eloquia sequens: *Sepeli enim*, inquit, *Deus adversum se, et feretur unusquisque per corpus ad quae gessit, sive bona, sive mala* [b]. Quia vero justorum orationes et secundum hanc vitam, quanto magis post mortem in his, qui digni sunt sacris orationibus, operantur tantummodo, eloquiorum nos edocent verae traditiones. Aut quid a Samuel Saul annullatus est? Quid autem [5] Hebraeorum populo profuit prophetica oratio? Etenim tanquam si quis sole propria donante lumina, illaesis oculis in participatione solaris luminis petit fieri, proprios aspectus exterminans: sic ad impotentes concupiscit et superfluas spes, qui sanctorum summe mirabilium orationes, et secundum naturam eorum sanctas operationes exagitans, negligentia divinis donis et manifestissimis deiformibus mandatis recedet. Dico autem, eloquia sequens [c], utiles omnino sunt in hac vita sanctorum orationes secundum hunc modum. Si quis divina appetens dona, et ad participationem eorum sacrum habitum habens, tanquam propriae cognoscens parvitatis, veniens ad quendam sanctorum virorum; dignatus fuerit eum sui fieri adjutorem et conservum, lucrabitur omnino ex hoc omnes superantem utilitatem. Consequetur enim quae petit divinissima dona, recipiente eum divina bonitate, et propriam verenti conscientiam, et in sanctis confessione, et petitarum sacrarum petitionum laudabili desiderio, et consequenti et deiformi habitu. Est enim et hoc divinis judiciis promulgatum, divina dona dignis participando in ordine divinissimo donari per dignos tradere [6]. Hunc ergo si quis dehonoraverit sacrum ornatum, et ad [7] militarem aestimationem veniens, sufficientem seipsum aestimaverit ad divinum colloquium, et sanctos contempserit, et unam aut petitiones indignas Deo et non sacras petierit, et desiderium divinis non corroboratum habuerit et sibimet consequens; consequetur per seipsum indisciplinabilem petitionem. De dicta autem oratione, quam summus sacerdos superorat dormienti, in nos ve-

VARIAE LECTIONES.

[1] *sunt* om. BH. [2] BH *seculorum*. [3] *et* om. AE. [4] B *deprecetur*. [5] BH *enim*. [6] BH *tradi*. [7] Pro *et ad* E *immo*

NOTAE.

[a] Isa. LXIV; I Cor. II, 9.
[b] Job. XXIX; Ose II; I Cor. V, 10; I Reg. XXVIII; Exod. XVII, XXXII, XXXIII; Num. XI, XIV, XVI, XXVII; Deut. I, IX; Psal. CV.
[c] Jac. V.

nientem ex divinis nostris ducibus traditionem dicere necessarium. Divinus summus sacerdos explanator est, ut eloquia aiunt [a], divinarum justificationum : angelus enim Domini omnipotentis est. Didicit ergo ex Deo traditis eloquiis, quia sancte viventibus lucidissima et divina vita secundum dignitatem a justissimis jugis redditur, despiciente bonitate divinae humanitatis ingenitas eis ex humana infirmitate maculas, *quoniam quidem nemo*, ut et eloquia aiunt, *mundus a sorde* [b]. Haec quidem ergo summus sacerdos scit promissa ex veris eloquiis : petit autem continuo fieri, et donari sancte viventibus sacras retributiones : simul quidem in Dei imitationem deiformiter efformatus, et aliorum donatas, proprias expetens gratias : simul autem et non mendaces promissiones sciens futuras [1], et praesentibus manifestans aperte, quia ab eo secundum legem sacram expetendae [2] omnibus erunt juxta divinam vitam consummatis. Non enim summus sacerdos divinae justitiae ypopheta peteret aliquando nisi Deo amabillima, et ab eo donari divinitus promissa. Propter quod immundis non orat haec dormientibus, quoniam non solum ypophetico in hoc averteretur ordine, et quid ierarchicorum superbe audebit, a perfectionum principe movendus, et quia rectam orationem consequitur, ab justo eloquio et ipse non immerito audiens : *Petitis, et non accipitis, quia male petitis* [c]. Non ergo divinus summus sacerdos expetit divinitus promissa, et amabilia Deo, et omnino donanda, et hoc proprio deiformiter habitu ostendens bonorum amico Deo, et praesentibus aperte manifestans sanctis futura dona. Sic et discretivas habent summi sacerdotes virtutes, manifestatores divinarum justificationum, non ut ipsorum irrationabilia desideria sapientissima divinitate ministratorie sequente, sed ut ipsis ypophetice submovente perfectionis principe spiritu vocatos Deo juxta dignitatem segregantibus : *Accipite enim*, ait, *Spiritum sanctum : quorumcunque dimittitis peccata, dimittuntur ; quorumcunque tenetis, retenta sunt* [d]. Et divinas revelationes sanctissimi Patris illuminato eloquia ajunt : *Quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in caelo ; et quodcunque solveris in terra, erit solutum in caelo* [e], tanquam Evangelista illo et omni juxta ipsum summo sacerdote, secundum in eo factas paternarum justificationum revelationes, manifestator et consummator Dei amicos adducente, et impios exhaereditante. Sacram enim illam theologiam, ut eloquia aiunt, non per seipsum motus, neque carne et sanguine revelantibus, sed a Deo invisibiliter eum propria docente respondit. Divinis igitur summis sacerdotibus, sic et discretionibus et

A omnibus ierarchicis virtutibus utendum, quomodocunque consummationis princeps eas divinitus moverit. Aliis autem sic in summos sacerdotes, in quibuscunque agunt ierarchice, attendendum, tanquam a Deo commotos. *Spernens enim vos*, ait, *me spernit* [f]. Sed redeamus in dictae orationis consequentia. Perficiens enim eas summus sacerdos, et ipse salutat dormientem, et deinde praesentes omnes. Delectabilis enim est et honorabilis omnibus deiformibus secundum divinam vitam consummatus. Post vero salutationem infundit dormienti oleum summus sacerdos. Memento autem, quia secundum sacram theogenesiam ante divinissimum baptisma, prima participatio sacri symboli donatur perficiendo post universalem prioris vestimenti depositionem unctionis oleum. In fine

B autem nunc omnium super dormientem oleum infunditur. Et tunc quidem olei unctio ad sacra certamina vocat consummandum : nunc vero infusum oleum manifestat, secundum ipsa sacra certamina militantem et consummatum dormientem. Haec perficiens summus sacerdos reponit in domo pretiosa corpus, cum aliorum aeque potentum sacris corporibus. Si enim in anima et corpore Deo amabilem vitam, qui dormivit, vivebat, pretiosum erit cum sancta anima commilitans ei corpus secundum divinas collocationes. Inde divina justitia cum proprio corpore ipsi donabit retributas quietes, tanquam coeunti et comparticipanti sanctae aut contrariae vitae. Propter quod et sacrorum divina legislatio divinas communicationes ambobus donat : animae quidem in pura

C contemplatione et scientia perfectorum, corpori vero per divinissimum tanquam in imagine unguentum, divinae communicationis sacratissima symbola totum hominem sanctificans, et universalem ejus salutem sacrificans, et consummatissimam ipsius resurrectionem futuram fore denuntians per catholicam sanctificationem. Consummativas autem invocationes non est justum in Scripturis interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes ex occulto ad commune educere : sed ut sacra nostra traditio habet, in pomposis doctrinis eas ediscens, et ad diviniorem habitum et anagogen amore divino et operationibus perfectus, ex teletarchica illuminatione ascendet ad excelsissimam earum scientiam. Quod autem et pueros non-

D dum divina intelligere potentes, sacrae participes fieri divinae generationis, et sacratissimorum divinae communicationis symbolorum, videtur quidem, ut ais, immundis blasphemo risu dignum, si audire non valentes edocent summi sacerdotes divina, et non intelligentibus imagines tradiderint sacras traditiones. Et quod adhuc risibilius, quomodo pro eis

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *futuris*. [2] AE *expetenda — erit*.

NOTAE.

[a] Psal. CXVIII; Mal. II; Matth. XVIII.
[b] Job XV; III Reg. VIII · Eccl. VII · Rom. III; I Joan. I, III; Jac. III.
[c] Jac. IV, 3.
[d] Joan. XX, 22.
[e] Matth. XVI, 19.
[f] Luc. X, 16.

alii abrenuntiationem dicunt et sacras confessiones. Oportet autem tuam ierarchicam intelligentiam non angustari in errantibus, sed et timens simul et eorum luciducatus gratia diligens defendere adversus pro eis prolatas insidias, proponentem et hoc juxta legem divinam, quantum non in nostra scientia omnia divina circumscribuntur, multa autem a nobis ignotorum causas habent divinas, nobis quidem ignotas, notas vero nostrum melioribus ordinibus. Multa autem et excelsissimas essentias latuere, et a sola diligenter cognita sunt sapientissima et sapientifica thearchia. Veruntamen quia et de hoc ea dicimus, quae quidem deiformes nostri sancti perfectores, ab antiqua eruditi traditione, in nos adducebant. Aiunt enim, quod quidem est verum, quia secundum legem divinam reducti infantes ad habitum sacrum veniant omni perficiendi errore et immunda vita. Multumque hoc divinis nostris ducibus in animum veniens, probaverunt recipi infantes secundum hunc sacrum modum. Itaque naturales adducendi pueri parentes tradere puerum cuidam eruditorum bonorum divina paedagogo, et de cetero a se [1] puerum perficit, tanquam a [2] divino Patre et salutis sacrae anadocho. Hunc ergo summus sacerdos confitentem juxta divinam educare puerum vitam, repetit abrenuntiationes confiteri et sacras confessiones, non, ut illi forsan ridentes dixerunt, alium pro alio divina docens. Neque enim hoc ait sic : Pro puero ego abrenuntiationes aut sacras confessiones facio, sed quia puer abrenuntiat : hoc est, confiteor puerum credere in sacrum sensum venientem nostris anagogis : abrenuntiaturum quidem universaliter contrariis, confiteri autem et operari divinas confessiones. Nihil ergo, ut aestimo, inconsequens, si secundum divinam puer anagogen educatur, ducem et anadochum sacrum habens, habitum sibi divinorum insinuantem, et custodem a contrariis peritum. Tradit autem puero sacris symbolis summus sacerdos, ut in eis conversetur, et neque formetur ad vitam alteram, nisi divina contemplantem [3] semper, et communionem eorum in profectibus sanctis factam, habitumque sacrum in eis fortem, educatumque pulchre [4] a divino anadocho. Tanta, o puer, et sic bona nostrae Ierarchiae videntur mihi uniformia spectacula [5]. Ab aliis autem similiter intentius [6] animo non haec tantum visa sunt, lucidiora autem multa et deiformiora. Et tibi, ut arbitror, omnino lucebunt splendidiores formae, et divinissimis dictis in ascensionibus utenti ad excelsiorem radium. Trade igitur, o amice, et ipse mihi perfectiorem illuminationem, et ostende meis oculis quascunque videre poteris pulchriores formas et uniformiores. Confido enim ego, quia his, quae dicta sunt, repositos in te divini ignis ascendens usque vapores. *Explicit liber de ecclesiastica Ierarchia.*

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE

LIBER TERTIUS.

DE DIVINIS NOMINIBUS.

Epigramma in beatum Dionysium de divinis Nominibus.

... n animum splendor in divinas Scripturas milletingens formas varietatibus sacra nomina, et post stultam mortem vitalibus sapientiae eloquiis sonantibus divinos manifestorios hymnos

Compresbytero TIMOTHEO DIONYSIUS *presbyter.* [7]

INCIPIUNT CAPITULA DE DIVINIS NOMINIBUS [8].

VARIAE LECTIONES.

[1] *a se* om. AE. [2] AE *sub.* [3] E *speculantem.* [4] B habitumque sacrum *in deiformem ducatum* pulchre. [5] BH *speculata.* [6] BH *intentus.* [7] E *Dionysii Areopagitae episcopi Athenarum ad Timotheum episcopum Ephesi de divinis nominibus.* Compresbytero cet. [8] E *Haec autem in hoc insunt de divinis nominibus totum capitula* XIII. [9] Codd., ἐκστασέως [10] Codd. *de simili.*

INCIPIT LIBER DE DIVINIS NOMINIBUS.

CAPITULUM I.

Quae sit rationis interpretatio, et quae divinis nominibus traditio.

Nunc autem, o beate, post theologicos characteres in divinorum nominum replicationem, quantum licet, transeamus. Sit autem et nunc nobis eloquiorum lex praedefinita, veritatem nos invenire eorum, quae de Deo dicta sunt, non in credibilibus sophiae verbis [a], sed in approbatione spiritu movente theologorum virtutis, per quam ineffabilibus et ignotis ineffabiliter et ignote conjungimur, secundum meliorem nostrae rationalis et intellectualis virtutis et operationis unitatem. Universaliter itaque non audendum dicere, neque intelligere quid de superessentiali et occulta divinitate, praeter divinitus nobis ex sacris eloquiis expressa. Ipsius enim super rationem et intellectum et essentiam superessentialitatis ipsa superessentialis scientia reponenda [1], in tantum sursum respicientes, quantum se infert divinorum eloquiorum radius ad superiores claritates circa divina, temperantia et sanctitate [2] coartatas. Etenim si quid oportet sapientissima et verissima theologia suaderi, juxta analogiam uniuscujusque animorum respiciuntur divina, et inspiciuntur thearchicae bonitatis in salutari justitia ab his, quae in mensura sunt, immensurabilitatem divinitus tanquam illocalem distinguente [3]. Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt [4] sensibilibus [5] invisibilia, et his, quae sunt in figmento et similitudine, simpla et non simulata, et secundum corporum figuras formatis incorporalium intacta et non figurata informitas : juxta eamdem veritatis [6] rationem superat essentias superessentialis magnitudo, et animos super animum [7] unitas, et omnibus virtutibus impossibile est quod super sensum est arcanumque rationi omni super rationale bonum, unitas unifica omnis unitatis, et superessentialis essentia, et intellectus invisibilis, et verbum arcanum, irrationabilitas, et invisibilitas, et innominabilitas secundum nullum eorum, quae sunt, ens, et causale quidem essendi omnibus : ipsum autem non ὄν, ut omnis essentiae summitas [8], et utcumque ipsa de seipsa proprie et scienter manifestat. De hac igitur, ut dictum est, superessentiali et occulta divinitate non audendum dicere, neque intelligere quid, praeter divinitus nobis ex [9] sacris eloquiis expressa. Etenim sic ipsa de semetipsa in eloquiis optime [10] tradidit : ejus quidem, qualis est, scientia et contemplatio omnibus invia est, quae

A sunt, tanquam omnibus superessentialiter separata. Et multos theologorum invenies, non solum ut invisibilem eam et incomprehensibilem laudantes, sed et inscrutabilem simul et investigabilem, tanquam non ente [11] vestigio ullo in occultam ejus multitudinem pervenientium. Non tamen communicabile est universaliter bonum ulli eorum quae sunt, sed in seipso manens superessentialem collocatum radium uniuscujusque eorum quae sunt, proportionaliter illuminationibus optime supermanifestat, et ad possibilem sui contemplationem et societatem et similitudinem extendit sacros animos, quantum fas est, sic divinitus desiderantes, et neque ad superius moderate indita divina manifestatione impossi-
B biliter glorificatos, neque ad inferius ex ea, quae in malum est, minoratione resolutos, sed bene ponderate et recte in radium eis superlucentem extentos, et commensurabili justarum [12] illuminationum amore, cum reverentia sacra, et temperate et sancte revelantes, ipsa sequentes thearchica juga, quae etiam totas gubernant supercaelestium essentiarum sanctas dispositiones. Hoc quidem super intellectum et essentiam thearchiae occultum inscrutabile est etiam intellectualibus mentis reverentiis. Haec arcana temperanti silentio honorantes, ad lucentes nobis in sacris eloquiis splendores intendamus, et ab ipsis in lucem ducamur [13] ad thearchicos hymnos, ab his supermundane illuminati, et ad sacras hymnologias formati, ad viden-
C dum etiam commensurate nobis per eas donata divina luminaria, et largum principium omnis divinae apparitionis luminis laudandum, sicut ipsum de seipso in sacris eloquiis tradidit : ut quia omnium est causa, et principium, et essentia, et vita, et quidem recedentium ab eo et revocatio et resurrectio, ad vero deiformitatis incorruptibile perditorum revocatio et reformatio, juxtaque agitationem immundam mobilium collocatio divina, et stantium munimen, et ad ipsum reductorum restitutiva manuductio, et illuminatorum illuminatio, et perfectorum perfectio principalis, et divinorum divinitas, et simplicium simplicitas, et unitorum unitas, principii omnis superessentialiter superprincipale principium, et occulti, secundum quod [14] justum est, optima tradi-
D tio, et simpliciter dicendum, viventium vita, et eorum quae sunt essentia, omnis vitae et essentiae principium et causa, per suam, ut sint quae sunt, activam et continentem bonitatem

VARIAE LECTIONES.

1 AE *reponendum*. 2 A* *certa moderantia divina ad sanctitates*. 3 AE *distinguentem*. 4 *sunt* om. E. 5 A* *sensibus*. 6 A* *virtutis*. 7 A* *voces super animos*. 8 A, *unitas*. 9 A* *in*. 10 A* *proprie*. 11 BH *movente*. 12 A* *justorum*. 13 A *ducantur*. 14 *quod* om. E.

NOTAE.

a I Cor II, 4.

Haec a [1] divinis eloquiis didicimus, et omnem, sic dicere, sacram Theologorum hymnologiam invenies ad beneficas divinitatis processiones manifestative et laudative divinas nominationes praeparantem. Unde in omni fere theologica actione thearchiam videmus divinitus laudatam, ut monadem quidem et unum, propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impartibilitatis, ex qua ut unifica virtute unimur, et partitis nostris alteritatibus supermundane complicatis, in deiformem monadem congregamur et Deum imitantem unitatem. Ut Trinitatem vero, propter subsistentem ter superessentialis fecunditatis expressionem, ex qua omnis paternitas in caelo et in terra est et nominatur [a]. Ut autem causam eorum quae sunt, quoniam omnia ad esse adhibita sunt per ejus substantificam bonitatem. Sapientem vero et bonam, quia existentia omnia, quae propria natura, incorruptibilia salva sunt, omni harmonia divina et sacra pulchritudine sunt repleta. Humanam autem differenter, quia his, quae secundum nos sunt, ad veritatem universaliter in una sui subsistentiarum [2] communicavit, et revocatam ad seipsam restituit humanam novissimam partem, ex qua ineffabiliter simplex Jesus compositus est, et appositionem assumpsit temporalem aeternus, et aequalis nobis factus est natura, omnium secundum omnem naturam ordine superessentialiter munitus, cum incommutabili et inconfusa propriorum collocatione, et quaecumque alia deifica luminaria eloquiis consequenter divinorum nostrorum ducum occulta traditio expresse nobis donavit. Haec et nos didicimus, nunc quidem conrationabiliter nobis per sacra velamina eloquiorum et ierarchicarum traditionum humanitatis, sensibilibus quidem invisibilia, et his, quae sunt superessentialia, circumvelantis, et formas et similitudines carentibus formis, et similitudinibus circumponentis et supernaturalem, et non figuratam simplicitatem varietate partitorum symbolorum et multiplicantis et praefigurantis. Tunc autem cum incorruptibiles et immortales facti fuerimus, et christiformes [3], et beatissima recipiemur quiete, semper cum Domino juxta eloquium erimus [b], visibilis quidem ipsius divinae manifestationis in castissimis contemplationibus repleti, manifestissimis splendoribus nos circumlustrantis, sicut discipulos in illa divinissima transformatione [c] : invisibilem autem ipsius illuminationem impassibili et immateriali intellectu participantes, et super intellectum unitatem insuper apparentium radiorum ignotis et beatis experimentis, in diviniori imitatione supercaelestium animorum. *Sicut angeli enim*, ut eloquiorum veritas ait, *erimus, et filii Dei, filii resurrectionis sunt* [d]. Nunc autem, ut nobis possibile, necessariis quidem in divina symbolis utimur, et ex ipsis iterum in simplam et unitam invisibilium contemplationum veritatem proportionaliter intendimus, et post omnem secundum nos deiformium intelligentiam requiescentes nostras intellectuales operationes, in superessentialem radium, secundum quod justum est, immittemus, in quo omnes fines omnium cognitionum superarcane ante substituti sunt, quem neque intelligere possibile est, neque dicere, neque omnino quomodo contemplari, propter quod omnibus ipse remotus sit et superincognitus, et omnium quidem essentialium cognitionum et virtutum summitates simul et omnes superessentialiter in seipso praeambientem, omnibus vero incomprehensibili virtute et supercaelestibus animis supercollocatum. Si enim scientiae omnes existentium sunt, et in ea, quae sunt, finem habent, ipsa omni essentia summitas, et omni scientia est remota. Et si melior est omni ratione et omni scientia, et super intellectum universaliter et essentiam collocatur, omnium quidem cum sit acceptiva, et comprehensiva, et anteprehensiva, omnibus autem per se universaliter incomprehensibilis, et neque sensus ejus est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque verbum, neque tactus, neque scientia : quomodo de divinis nominibus nobis actitabitur sermo sine vocabulo, et super nominationem superessentiali deitate ostensa? Sed quod quidem diximus, cum theologicos characteres exposuimus, unum, incognitum, superessentiale, per se optimum, quod quidem est, trinam unitatem dico, ὁμόθεον, et ὁμάγαθον, neque dicere, neque intelligere possibile est. Sed et sanctarum virtutum angelicae unitates, quas sive speculativas, sive acceptivas oportet dicere, superincognitae et superlucentis bonitatis, et arcanae sunt et incognitae, et solis ipsis subsistunt [4] super scientiam angelicam dignis suis angelis. His deiformes angelica imitatione, quantum licet, coadunati animi, quomodo secundum omnem intellectualem operationem requiescunt, talis autem fit deificatorum animorum ad summum lumen unitas, laudant ipsum potissime per omnium, quae sunt, ablationem, in hoc vere et supernaturaliter illuminati ex beatissima cum ipso unitate, quia omnium quidem est, quae sunt, causale, ipsum autem nihil, ut omnibus, quae sunt, superessentialiter exaltatum. Igitur superessentialitatem divinam, qualis est superbonitatis supersubsistentia, neque ut verbum aut virtutem, neque ut animum aut vitam, aut essentiam laudare est justum, nullo eorum, quaecunque super omnem veritatem veritate sunt, dicitur : sed ut omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, virtute, intelligentia, essentia, statu, collocatione, unitate, summitate, multitudine, omnibus, quaecunque existentia sunt, supereminenter remotam. Quomodo vero ut bonitatis subsisten-

VARIAE LECTIONES.

[1] E *de*. [2] BH *substantiarum*. [3] AE *christiformi*. [4] E *et super*.

NOTAE.

[a] Ephes. III.

[b] I Thess. IV, 16.

[c] Math. XXVII; Marc. IX; Luc. IX.

[d] Luc. XX, 36.

tia ipsius esse omnium, quae sunt, est causa optima principalis divinitatis [1] providentia ex omnibus causativis laudandum, quoniam et circa ipsam omnia, et propter ipsam, et ipsa est ante omnia, et omnia in ipsa constituta sunt, et essendo hanc omnium accessio et substantia, et ipsam omnia desiderant, intellectualia quidem et rationabilia scienter, subjecta vero his sensibiliter, et alia, secundum vitalem motum et essentialem et conditionalem necessitatem. Hoc igitur scientes theologi, et tanquam innominabilem eam laudant, et ex omni nomine. Innominabilem quidem, ut cum aiunt, divinitatem ipsam in una mysticarum symbolicae divinae manifestationis visionum increpasse dicentem ; *Quod nomen tui* [a]? et sicut ab omni eum Dei nominativa scientia reducens, dicere ; *Et ut quid interrogas nomen meum, et hoc est mirabile* [b]. Aut nonne [2] hoc vere est mirabile nomen, *quod est super omne nomen, quod innominabile, quod omni supercollocatum nomini nominato, sive in seculo hoc, sive in futuro* [c]? Multivocam vero, ut cum iterum eam introducunt dicentem : Ego sum ὢν [d], et vita [e], lux [f], Deus [g] veritas, et cum ipsi omnium causalem theosophi multivoce ex omnibus causativis laudant, ut optimum [h], ut bonum [i], ut sapientem [k], ut dilectum [l], ut Deum deorum [m], ut Dominum dominorum [n], ut sanctum sanctorum [o], ut aeternum [p], ut existentem [q], et ut seculorum causalem [r], ut vitae largitorem [s], ut sapientiam [t], ut intellectum [u], ut rationem [v], ut scientem [vv], ut proferentem omnes thesauros ab omni scientia [x], ut virtutem [y], ut potentem [z], ut regem regnantium [aa], ut antiquum dierum [bb], ut non senescentem [cc], ut immutabilem [dd], ut salutem [ee], ut justitiam [ff], ut sanctificationem [gg], ut redemptionem [hh], ut in magnitudinem omnia excellentem [ii], ut in aura levi [kk]. Atque et in animis eum esse aiunt [ll], et in animabus [mm], et in corporibus [nn], et in caelo [oo], et in terra [pp], et simul in eodem eundem [qq], immundanum [rr], circamundanum, supermundanum [ss] supercaelestem [tt], superessentialem [uu], solem [vv], stellam [vvvv], ignem [xx], aquam [yy], spiritum [zz], roris [aaa], nebulam [bbb], per seipsum, lapidem [ccc] et petram [ddd] ; omnia quae sunt, et nihil horum quae sunt [eee] [3]. Sic igitur omnium causae, et super omnia enti, et innominabile adunabunt, et omnia eorum quae sunt nomina, ut diligenter sit universorum regnum, et circa eam sint [4] omnia, et ab ea, ut causa, ut principio, ut fine dependentia, et ipsa secundum eloquium sit omnia in omnibus, et vere laudatur omnium substantia inchoativa et consummativa, et continens custos [fff], et pascens [ggg], et ad seipsam convertens [hhh], et haec adunans immensurabiliter et excelse. Non enim continentiae, aut vitae, aut consummationis causa tantum est, ut a [5] sola hac, aut altera providentia supernominabilis bonitas nominaretur : omnia vero simpliciter et indefinite in seipsa, quae sunt, praeambivit [6] perfectissimis unius suae et causalissimae providentiae bonitatibus, et ex omnibus, quae sunt, harmonice laudatur et nominatur. Et quidem non has solas Theologi divinas nominationes honorant, quae sunt ab omnibus aut partitis providentiis, aut provisis : sed et a quibusdam est, quando divinis responsis in sacris templis [iii] aut aliis formis magistros [kkk], aut prophetas [lll] illuminantibus, juxta alias et alias causas [7] et virtutes nominant super dictionem, et super nominationem bonitatem, et formas ei et similitudines [mmm] humanas, aut igneas [nnn], aut electrinas circumponunt [ooo], et oculos ejus [ppp], et aures [qqq], et nexos

VARIAE LECTIONES.

[1] E *divinitatis principalis.* [2] A *An non.* [3] E quae *non* sunt. [4] AH *sunt.* [5] *a* om. E [6] A *praeambiens.* [7] E *causasque.*

NOTAE.

[a] Genes. XXXII.
[b] Jud. XIII, 18.
[c] Ephes. I, 21.
[d] Exod. III, 14.
[e] Joan. XIV, 6.
[f] Joan. I, 14 seq.
[g] Genes. I. Isa. XLII.
[h] Luc. XVIII.
[i] Psal. CXVIII.
[k] Job IX.
[l] Cant. V.
[m] Psal. XLIX.
[n] Apoc. XVII.
[o] Dan. IX.
[p] Baruc. IV.
[q] Exod. III.
[r] Prov. III.
[s] Act. XVII.
[t] I Cor. I.
[u] Job X.
[v] Psal. XLIV.
[vv] II Reg. VIII.
[x] Col. II.
[y] I Cor. I.
[z] Job XI, XII.
[aa] Apoc. XIX.
[bb] Dan. VII.
[cc] Eccle. XVIII.
[dd] Malach. III.
[ee] Matth. I.
[ff] Isa. XLV.
[gg] I Cor I.
[hh] Isa. XXXI.
[ii] Psal. CXLIV.
[kk] III Reg. X.
[ll] Petr. II.
[mm] Sap. VII.
[nn] I Cor. XVI.
[oo] Psal. X.
[pp] Jerem. XXIII.
[qq] Isa. LV.
[rr] Sap. I.
[ss] Isa. LXVI.
[tt] Psal. LXVI.
[uu] Matth. VI.
[vv] Dan. VII; Malach. III.
[vvvv] Apoc. II.
[xx] Deut. IV.
[yy] Joan. IV.
[zz] Thren. IV.
[aaa] Osee XIV.
[bbb] Eccles. XLIII.
[ccc] Psalm. CXVII.
[ddd] 1 Cor. XIX.
[eee] I Cor. XV.
[fff] Isa. XXI.
[ggg] Eccles. XXIV.
[hhh] Thren. V.
[iii] Isai. V.
[kkk] III Reg. VIII.
[lll] Jud. VI; III Reg. XI, XII, Exod. VI; Isai. VI.
[mmm] Cantic. I, V.
[nnn] Deut. IV.
[ooo] Ezech. I, VIII.
[ppp] Hebr. IV.
[qqq] Isai. V.

crines [a], et facies [b], et manus [c], et posteriora [d], et pennas [e], et brachia [f], et dorsa [g], et pedes [h] laudant, coronasque [i], et thronos [k], et calicem [l], et crateras ejus [m], et alia quaecumque mystica sunt, circumformant, de quibus in symbolica Theologia secundum virtutem diximus. Nunc vero quaecunque praesentis sunt actionis, ex eloquiis congregantes, et sicut quadam regula his, quae dicta sunt, utentes, et ad ea respicientes, ad reserationem invisibilium divinorum nominum proveniamus. Et quod quidem semper per omnem nobis Theologiam ierarchica lex induxit, divina contemplativa virtute theophanias inspiciemus, proprie dicere theorias, et aures sacras mirabilium divinorum nominum replicationibus apponamus, sanctis sancta secundum divinam traditionem collocantes [n], et indoctis haec deridentibus et illudentibus auferentes : magis autem ipsos illos, siquidem omnino sunt hujusmodi quidam homines, in hoc divina pugna redimentes. Te quidem haec custodire oportet, o bone Thimothee, juxta sacratissimam inductionem, et neque dicta, neque prolata divina facere in indoctos. Mihi autem det Deus divinitus laudare non vocatae et non nominatae divinitatis beneficas multas nominationes, et ne auferat verbum veritatis ex ore meo [o].

CAPITULUM II

De unita et discreta theologia, et quae sit divina unitas et discretio.

Divinam totam subsistentiam, quia est per se ipsam bonitas, segregans et exprimens ab eloquiis laudatur. Et quid enim aliud discendum est ex sacra theologia, cum ait, divinitatem ipsam introductam dicere : *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi solus Deus* [p]. Hoc quidem et in aliis quaesitum nobis ostenditur, omnes semper Deo praedictas divinas nominationes non partim, sed in tota et perfectissima et integra et plena divinitate ab eloquiis laudari, et omnes eas impartibiliter, absolute, inobservate, universaliter, omni [1] universalitati in toto perfecte, et omnis divinitatis reponi. Etenim sicut in theologicis characteribus admonuimus, si non de tota Divinitate dixerit quis hoc dici, blasphemat [q], et scindere injuste audet superunitam unitatem. Dicendum igitur, quomodo in omni Divinitate hoc accipiendum. Etenim ipsum ex bono natum ait Verbum : *Ego bonus sum* [r]. Et quidam Deo acceptabilium prophetarum laudat Spiritum bonum. Et iterum hoc : *Ego sum qui sum* [s]. Si non secundum totam aiunt divinitatem laudari, juxta unam vero partem hoc describi, vim faciunt : quomodo audient : *haec autem dicit, qui est, qui erat, qui venturus est omnipotens* [t]. Et : *Tu vero idem ipse es* [u]. Et : *Spiritus veritatis est, qui a Patre procedit* [v]. Et si non totam esse aiunt divinam vitam, quomodo verum, quod dixit divinum Verbum : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat* [vv]. Et : *Quia Spiritus est vivificans* [x]. Quomodo vero et dominationem habet omnium tota divinitas, de quidem Deum gignente deitate, aut genita, nil dicendum est, ut aestimo, quoties a Theologia in Patre et Filio divulgatur Dominus, sed et Dominus Spiritus est, et bonum autem et sapiens in tota divinitate laudatur, et lumen, et deificum, et causale, et omnia quaecunque totius divinitatis sunt, in omnem reducunt eloquia divinam hymnodiam, complexim quidem, ut cum dicunt, omnia ex Deo, decursim vero, ut cum ait quidam : *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et omnia in ipso constituta sunt* [y]. Et : *Emitte* [2] *Spiritum tuum, et creabuntur* [z]. Et ut breviter dicat quis, ipsum divinum ait Verbum : *Ego et Pater unum sumus*. Et : *Omnia quaecunque habet Pater mea sunt*. Et : *Omnia mea tua sunt, et tua, mea* [aa]. Et iterum : quaecunque sunt Patris et ipsius [3], divino Spiritui communiter et unitim reponunt : divinas operationes, honorem, fontem, et non deficientem causam, et distributionem optimarum donationum. Et nullum in divinis eloquiis inconversibilibus nationibus attritorum aestimo ad hoc contradicere, quia divina omnia toti divinitati assunt secundam divinam perfectam rationem. His igitur a nobis breviter quidem in talibus et partim, in aliis vero sufficienter ex eloquiis et ostensis et definitis, qualemcumque replicare divinam nominationem universalem conabimur, in tota ipsa divinitate accipiendum. Si vero quis dixerit, confusionem nos in hoc contra divinam discretionem introducere, talem rationem nos neque ipsum aestimamus suadere sufficientem, quomodo est verax. Siquidem enim est quis omnino eloquiis absistens [4], longe ibi universaliter erit et a nostra philosophia. Et si non ex eloquiorum sibi divina sapientia curat, quomodo etiam a nobis curabit in theologicam scientiam suae manuductionis? Si autem in eloquiorum veritatem respicit, hac et nos regula et lumine utentes ad apologiam, quantum potentes sumus, recte gradiemur, dicentes, quo-

VARIAE LECTIONES.

[1] *universaliter omni* om. BH. [2] Sic E; ABH *Emittes*. [3] BH *ipsi*. [4] A *subsistens*.

NOTAE.

[a] Cantic. V.
[b] Psal. XXXIII.
[c] Psal. CXVIII.
[d] Gen. XVI.
[e] Deut. XXXII.
[f] Isa. LII.
[g] Exod. XXXIII.
[h] Deut. XXXIII.
[i] Isa. XXIV.
[k] Dan. VII.
[l] Psal. CXV.
[m] Cant. VII.
[n] Matth. VII.
[o] Psal. CXVIII.
[p] Matth. XIX, 17, Luc. XVIII, 19.
[q] Joan. X.
[r] Matth. XX, 15; Psal. CXLII, 10.
[s] Exod. III, 14.
[t] Apoc. I, 4.
[u] Psal. CI, 28.
[v] Joan. XV, 26.
[vv] Joan. V, 21.
[x] Joan. VI, 64.
[y] Rom. XI, 36.
[z] Psal. CIII, 30
[aa] Joan. X, 30; XVII.

nodo theologia quaedam quidem unitim tradit, quae- A lam vero discrete. Et neque unita separare justum st, neque discreta confundere, sed sequentes eam uxta virtutem in divinos splendores respicere, et inde livinas manifestationes accipientes, sicut quamdam egulam formosissimam veritatis, ibi posita custolire in semetipsis non multiplicata, et non mino-ata, et inconversibilia festinemus, in custodia eloluiorum custoditi, et ab ipsis in custodientes ea :ustodiendum potentes. Unita quidem totius diviniatis sunt, ut in theologicis characteribus per plura ex eloquiis ostendimus, superbonum, superdeum, superessentiale, supervivens, supersapiens, et quaecumque supereminentis sunt ablationis, cum quibus et causalia omnia, optimum, bonum, ὄν, viventium parens, sapiens, et quaecumque ex optimis suis B donationibus [1] omnium bonorum causa denominatur. Discreta autem Patris superessentiale nomen, et res, et Filii et Spiritus nulla in his reciprocatione, aut omnino communitate introducta Est autem iterum ab his discretum ipsa secundum nos Jesu perfectissima et immutabilis subsistentia, et quaecumque secundum ipsam sunt humanitatis essentialia mysteria. Oportet autem, ut arbitror, magis recipientes nos perfectissimum divinae et unitatis et discretionis exponere modum, utcumque nobis bene conspiciens omnis ingenita est ratio, varium quidem omne et non manifestum relinquens, bene discrete vero et manifeste et bene ordinate propria secundum virtutem considerans. Vocant enim, quod quidem et in aliis dixeram, nostrae theologicae traditionis C sacri doctores unitates quidem divinas superarcanae et superincognitae unitatis occultas et inremeabiles supercollocationes, discretiones vero optimas divinitatis et processiones, et manifestationes. Et aiunt sacra eloquia sequentes, et dictae unitatis propria : et iterum, discretionis esse quasdam speciales et unitates et discretiones, et [2] in unitate divina sine superessentialitate. Unitum quidem est uni principali Trinitati et commune superessentialis subsistentia, superdeus deitas superbonus bonitas omnium, summitas summitatum omnium [3], totius proprietatis immutabilitas, super principatum unitas, ineffabile, multivocum, ignorantia, omne invisibile, omnium positio, D omnium ablatio, super omnem et positionem et ablationem inter se invicem, si sic oportet dicere, principalium substantiarum mansio et collocatio, universaliter superunita, et nulla parte confusa, sicut lumina lampadum, ut sensibilibus et propriis utar exemplis, dum sunt in domo una, et tota in se invicem totis sunt, et diligentem a se invicem proprie substantem habent discretionem, unita discretione, et unitate discreta. Etenim videmus in domo multis unitis lampadibus ad unum aliquod lumen unita omnium omnia lumina, et unam claritatem indiscretam relucentem, et non etiam quis, ut arbitror, poterit alicujus lampadis lumen ab aliis ex omnia lumina continenti aëre discernere, et videre sine altera parte alteram partem, totis in totis inconfuse contemperatis. Sed si etiam unam quis ardentium subduxerit domo [4], coibit et proprium totum lumen, nullum quiddam aliorum luminum in semetipsa complectens, aut suimet alteris relinquens. Erat enim earum, quod quidem dixi, omnium ad omnia perfectissima unitas, incommixta universaliter, et nulla parte confusa : et haec, existente in corpore aëre, et ex materiali igne pendente lumine. Ubi vero superessentialem unitatem supercollocari dicimus, non in corporalibus tantum unitatibus, sed et his, quae sunt in animabus ipsis, et in ipsis intellectibus, quae habent incommixtim et supermundane per tota deiformia et supercaelestia lumina juxta participationem corrationabilem participantibus omnibus superremota unitate. Est autem et discretio in superessentialibus theologiis, non quam dicebam solummodo, quia et hanc unitatem incommixtim collocat, et inconfuse unaquaeque principalium substantiarum : sed quia et quae sunt superessentialis theogoniae, non reciprocantur ad se invicem. Solus autem fons superessentialis deitatis Pater, dum non sit Filius pater, neque Pater filius, custodientibus propria laudibus recte unicuique divinarum substantiarum. Haec quidem secundum ineffabilem unitatem et subsistentiam unitas et discretio. Si autem et divina discretio est optima processio unitatis divinae superunite semetipsam bonitate et plurificantis et multiplicantis, unitae quidem sunt secundum divinam discretionem immensurabiles traditiones, essentialitates vitales, sapientificationes, aliaeque donationes, omnium causae bonitatis, juxta quas ex participiis et participantibus laudantur imparticipate participata. Et hoc etiam commune, et unitum, et unum est toti deitati, omnem ipsam totam ab unoquoque participantium participari, et a nullo iterum nulla parte : sicut rota in medio circuli ab omnibus in circulo circumpositis rectis lineis, et sicut signo efformata multa participant principalis exempli signo, et in unoquoque efformatorum toto et eodem existente, et in nullo secundum nullam partem. Superponitur autem etiam his causalissimae deitatis imparticipatio, quo neque attactus ejus sit, neque alia quaedam ad participantia commixta societas. Et quidem dixerit quis, non est signum in totis efformatis totum et ipsum. Ac per hoc non signum causa : omnem enim seipsam illa, et eadem, et unicuique indit [5]. Ipsa quoque participantium differentia dissimilitudo facit decolorata, uno, et toto, et eodem principali exemplo. Ut, si quidem mollia et formabilia, aut etiam plana et con-

VARIAE LECTIONES.

[1] A *denominationibus* ; B *dominationibus*. [2] AB *ut*. [3] *Summitas summitatum omnium* om. BH. [4] E *domu*. [5] H *indidit*.

figurata [1], et neque contra exemplata et dura, neque diffusa et instabilia, puram habebunt et claram et consequentem formam. Si vero quid dictae opportunitatis defecerit, hoc causa erit imparticipationis et obscuritatis, et aliorum quaecumque inopportunitati participationis fiunt. Discernitur autem bene decora in nos divina operatione secundum nos ex nobis universaliter et vere substantificari superessentiale Verbum, et operari et pati, quaecunque humanationis ejus, divina actione sunt discreta et summe miranda. His enim Pater et Spiritus secundum nihil communicare verbo, nisi ibi quis dixerit secundum optimam et humanam voluntatem, et secundum omnem supereminentem et arcanam divinam operationem, in [2] qua operatus est secundum nos factus incommutabilis Deus, et Dei Verbum. Sic et nos divina et intelligere ratione, et discernere festinemus [3], quomodo ea divina et uniuntur et discernuntur. Sed harum quidem et unitatum et discretionum quascunque in eloquiis divinas causas invenimus, in theologicis characteribus, propria de unoquoque percipientes, quantum possibile, exposuimus: ea quidem relegentes vera ratione et replicantes, et sacrum et revelatum intellectum in manifesta eloquiorum spectacula adducentes: his vero ut [4] mysticis et secundum divinam traditionem super intellectualem operationem retrusi. Omnia enim divina, et quaecunque nobis manifestantur, participiis solis cognoscuntur. Haec autem qualia quando sunt secundum proprium principium et fundamentum, super intellectum sunt, et omnem essentiam et scientiam: ut superessentiale occultum, Deum, aut vitam, aut essentiam, aut lumen, aut rationem nominare, quidem nihil alterum intelligimus, quam in nos ex ipso productas virtutes deificas, aut substantificas, aut vitae genitrices, aut sapientiae donatrices: ipsum vero juxta omnium intellectualium operationum per fructum desideramus, nullam videntes deificationem, aut vitam, aut essentiam, quae diligenter similis est omnium remotae juxta omnem supereminentiam causae. Iterum quia quidem est fontalis deitas Pater, Filius autem et Spiritus Dei genitricis deitatis, si sic oportet dicere, frutices Deo germinati, et veluti flores et superessentialia lumina, ex mirabilibus eloquiis accepimus: quomodo autem haec sunt, neque dicere, neque intelligere possibile est. Sed usque ad hoc omnis nostrae intellectualis actionis virtus, quia omnis divina paternitas et filiolitas ex omnium remota paternitate principali et filiolitate principali [5] donata est et nobis et supercaelestibus virtutibus, ex qua et dii et deorum patres deiformes fiunt, et nominantur animi, spiritualiter scilicet tali paternitate et filiolitate [6] perfecta, hoc est, incorporaliter, immaterialiter,

B invisibiliter, divino principali spiritu super omnem intellectum immaterialem et deificationem supercollocato, et Patre et Filio omni paternitate et filiolitate divina supereminenter exaltatis. Neque enim est diligens similitudo causativis et causalibus, sed habent quidem causativa causalium receptas imagines; ea vero causalia causativis removentur et supercollocantur juxta proprii principii rationem. Et ut secundum nos utar exemplis, deliciae et tristitiae dicuntur effectivae delectandi et contristandi: ipsae vero neque delectantur, neque contristantur, et ignis calidus et ardens non dicitur uri et calefieri. Et vivere si quis dicat per se ipsam vitam, et illuminari per se ipsum lumen, non recte dicit secundum nostram rationem, nisi ubi juxta alterum haec
B dicit modum, quia abunde et essentialiter ante insunt haec causativorum causalibus. Sed et hoc totius theologiae manifestissimum secundum nos Jesu divina formatio et arcana est rationi omni, et incognita intellectui omni, et ipsi praestanti honorabilissimorum angelorum. Et quidem viriliter eum substantificatum fuisse, mystice accepimus: ignoramus vero, quomodo ex virginalibus sanguinibus altera ultra naturam lege formatus est, et quomodo siccis pedibus, corporalem molem habentibus et materiae gravitatem, superambulavit humidam et instabilem essentiam [a], et alia, quaecunque supernaturalis sunt Jesu physiologiae. Haec autem a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, et glorioso duce secundum theologica sua obscura commenta laudantur
C valde supernaturaliter. Quae quidem ille sive a sacris theologis accepit, sive ex disciplinata eloquiorum inventione consideravit, ex multa circa haec et exercitatione et peritia, sive etiam ex quadam eruditus sit diviniore inspiratione, non solum discens, sed et affectus divina, et ex ipsa ad haec coaffectione, si sic oportet dicere, ad indocibilem eorum et mysticam perfectus unitatem et fidem. Et ut multa et beata spectacula potentis illius intelligentiae in minimis addamus, haec de Jesu ait in collectis ab eo theologicis obscuris commentis.

Sanctissimi Ierothei ex theologicis commentis.

Omnium causa et repletiva Jesu deitas, partes universali consonas salvans, et neque pars, neque totum
D *est, et totum et pars, ut omne et partem et totum in semetipsa coambiens, et supereminens, et excellens. Perfecta quidem est in imperfectis, ut perfectio principalis: imperfecta vero in perfectis, tanquam superperfecta et anteperfecta: forma formificans, in informibus, tanquam forma principalis: informis in ipsis formis, tanquam superformis essentia totius essentiae, incontaminatas supergrediens, et superessentialiter, omni essentia remota, tota principia et ordines desti-*

VARIAE LECTIONES.

[1] H *configurativa*. [2] *in* om. AE. [3] AE *festinamus*. [4] AE *et*. [5] *et filiolitati principali* om. EH. [6] *et filiolitate* om. EH.

NOTAE.

[a] Matth. XIV; Marc. VI; Joan. VI.

nans, et omni principio et ordini supercollocata. Et A *mensura est eorum quae sunt, et seculorum, et super seculum, et ante secula : plena in indigentibus, superplena in plenitudinibus, arcana, ineffabilis, super animum, super vitam, super essentiam : supernaturaliter habet supernaturale* [1], *superessentialiter* [2] *superessentiale. Unde quoniam quidem et usque naturam pro amore hominum* [3] *venit, et vere essentia est, et vir superdeus creatus est. Propitia autem sint nobis super animum et rationem laudanda. Et, si in his habet supernaturale et superessentiale* [4], *non solum ipsa immutabiliter nobis et inconfuse communicavit, nihil perpessa in superplenitudinem suam ab ineffabili novitate : sed quia et hoc omnium novorum maximum novum, in naturalibus nostris supernaturalis erat, in his quae juxta essentiam superessentialis* [5], *omnia nostra ex nobis propter nos superhabebat.*

Hoc quidem sufficienter. In autem rationis speculationem perveniamus, communia et unita discretionis divinae nomina, secundum quod nobis possibile, replicantes. Et ut aperte de omnibus deinceps praedefiniamus, discretionem divinam dicimus, ut dictum est, pulchras divinitatis processiones. Donans enim omnibus quae sunt, et superfundens omnium bonorum participationes, unite quidem discernitur, plurificatur vero singulariter, et multiplicatur ex uno irremeabiliter. Ut puta quoniam ὤν est Deus superessentialiter, donat autem esse his quae sunt, et adducit totas essentias, multiplicari dicitur unum ὄν illud ex se adductione multorum existentium C quidem ab onte, nihil minus illo et uno in multiplicatione, et adunato juxta processionem, et pleno in discretione, omnibus essendo, quae sunt, superessentialiter remotum, et clementi totorum processione, et non minorata fusione indiminutarum sui traditionum. Sed et unum ὤν, et omni parti et toti, et uni et multitudini, ab uno tradens, unum est eodem modo superessentialiter, neque pars ὄν multitudinis, neque ex partibus totum, et sic neque unum est, neque unum habet. Longe enim [6] his est super unum, ab his quae sunt unum, et multitudo impartibile, sine plenitudine superplenitudo, omne unum et multitudinem adducens et perficiens et continens. Iterum ex se deificatione secundum virtutem uniusquisque deiformi deorum multorum D factorum videtur quidem esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio : est vero nihil minus principalis Deus, et superdeus, superessentialiter unus, Deus impartibilis, impartibilibus unitus, sibimetipsi et multis incommixtus, et non multiplicatus. Et hoc supernaturaliter intelligens communis noster et magistri in divinam illuminationem manuductor, multus in divina, lumen mundi, haec ait divinitus in sacris suis literis : *Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in caelo, sive in terra, siquidem sunt dii multi et domini multi, sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso* [7]; *et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* [a]. Etenim in divinis unitates discretionum potentantur et anteprincipantur, et nihilominus sunt unita etiam post unius irremeabilem et clementem discretionem. Has nos socias et unitas totius deitatis discretiones, id est decoras processiones, ex manifestantibus eas in eloquiis divinis nominibus laudare, secundum quod possibile est, tentabimus : hoc, ut dictum est, praecognito, omnem beneficam divinam nominationem, in quacunque ponitur divinarum substantiarum, in B tota eam recipere divina universitate inobservate.

CAPITULUM III.

Quae* [8] *orationis virtus, et de beato Ierotheo, et de reverenti et conscripta theologia.

Et primam, si videtur, perfectissimam, et omnium Dei processionum manifestatoriam, optimam nominationem pronunciemus, optimarum principalem et superoptimam invocantes Trinitatem, declarativam omnium sui optimarum providentiarum. Oportet enim nos orationibus primum in eam, ut bonorum principium, reduci, et magis ei approximantes, in hoc doceri optima dona circa eam collocata. Etenim ipsa quidem omnibus adest, non omnia vero ei adsunt. Tunc autem, cum eam invocamus castissimis quidem orationibus, revoluto quoque animo, et ad divinam unitatem opportunitate, tunc et nos ei adsumus. Ipsa enim neque in loco est, ut et a quodam, aut ex aliis in alia transcendat; sed et in omnibus existentibus eam esse, dicere relinquitur, super omnia, et omnium comprehensiva multitudinis. Nos igitur ipsos orationibus extendimus in divinorum et optimorum radiorum excelsiorem respectum ; veluti multi luminis splendorem, ex caelesti summitate suspensum, in ea, quae hic sunt, pervenientem, et semper ejus in conspectum manibus attributis agentes, trahere eam quidem putamus, veritate autem non deducimus illam, et sursum et deorsum praesentem, sed nos ipsi reducimur ad excelsiores lucidissimorum radiorum claritates. Aut velut in navim ascendentes, et recipientes ex quadam petra extensos funes, et velut nobis in receptionem datos, non ad nos petram, sed nosmetipsos veritate et navim ad petram adducimus. Sicut et hoc in contrarium, si quis juxta validam petram stans in navi repellatur, aget quidem nihil in stantem et immutabilem petram, se vero ipsum ab illa segregabit, et quanto magis eam repulerit, tanto magis ab ea revertetur. Proinde et

VARIAE LECTIONES.

[1] AE *et* supernaturale; *supernaturale* om. BH. [2] B *supernaturaliter.* [3] AE pro *humanitate.* [4] BH superessentiale *Jesu deitas*, non. [5] *essentiam super* om. BH. [6] AE *autem.* [7] AE in *ipsum.* [8] Sic codd., index capitulorum *quae sit.*

NOTAE.

[a] I Cor. VIII, 5.

ante omne et magis ex theologica oratione inchoari oportet, non ut trahentes ubique praesentem et nusquam virtutem, sed ut divinis memoriis et invocationibus nosmetipsos injungentes ei et adunantes. Et hoc autem aeque defensione dignum, quia glorioso duce nostro Ierotheo theologica diligentissima elementa excellentissime congregante, nos tanquam non sufficientibus illis, aliasque et praesentem theologiam conscripsimus. Etenim si quidem ille deinceps actitare omnes theologicas actiones dignum duxisset, et partitis ambitibus pertransisset totius theologiae capitulum, non fortassis nos in tantam aut insaniam, aut stultitiam [1] veniremus, tanquam perspicacius illo et divinius arbitrando theologiis addere delectabiliora, haec superfluo dicentes, ac si parvipendendo adhuc, et injuriam faciendo, et in magistrum et amicum existentem, et nos post Paulum divinum in illius eloquiis formati, gloriosissimam ejus et contemplationem et explanationem nobismetipsis subripientes. Sed quoniam veritate, quae divina sunt, pretiose introducens ille, conspicuas nobis definitiones exposuit, et in uno multa ambiens, prout possibile nobis, et his, quicunque sunt secundum nos magistri, nuper perfectarum animarum jubens aperire, et discernere nobis commensurabili sermone conspicuos et potentes intellectualissimae viri illius virtutis ambitus: et saepe nos et tu ipse in hoc exhortatus es, et librum ipsum, ut superexaltatum remisisti. Propterea et nos eum quidem, ut perfectorum et honorabilium sensuum magistrum, his, qui super multos sunt, segregamus, veluti quaedam secunda eloquia, et Deo unctos consequentem. His autem, qui secundum nos sunt, proportionaliter nobis nos divina trademus. Si enim perfectorum est solida esca [a], tali esu alius quantae fuerit perfectionis? Recte igitur a nobis et convenientissime hoc dictum est, per seipsam quidem contemplativam invisibilium eloquiorum visionem, et conspectivam eorum doctrinam, honorabilis indigere virtutis; in hoc autem ferentium verborum scientiam et disciplinam minoribus devotis et sacratis convenire. Atqui et hoc nobis observatum est valde modulose. Itaque ipso divino duce juxta expressionem lucidam bene discretis, nihil omnino injungendum unquam ad tautologiam in propositi ab eo eloquii explanationem. Quoniam et cum ipsis Deo acceptabilibus nostris summis sacerdotibus — quando et nos, ut aestimatur, et tu, et multi sanctorum nostrorum fratrum in visionem vitam inchoantis et Deum recipientis corporis convenimus; aderat autem et Dei frater Jacobus, et Petrus vertex et honorabilissima theologorum summitas: deinde placuit post visionem laudare summos sacerdotes simul omnes, quomodo unusquisque erat idoneus, multum

A potentem bonitatem divinae infirmitatis — omnium dominabatur post theologos, ut cognoscis, aliorum sanctorum doctorum totus ex populis, totus existens semetipso, et ad laudandum societatem patiens, et ab omnibus, quibus auditus est, et visus, et cognitus est, et non cognitus est, Deo acceptabilis esse et divinus laudator judicatus. Et quid tibi de his, quae ibi theologice posita sunt, dicam? Etenim si non et a meipso eloquerer, saepe scio a te et partes quasdam divinarum illarum hymnodiarum audiens. Sic tibi festino ex parato divina persequi. Et ut ibi mystica, et ut multis ineffabilia, et ut incognita tibi relinquamus, ipse multis usus erat communicare, et quantos poterat in eam, quae secundum nos est, sacram scientiam adducere, quomodo supereminebat

B multos sanctorum magistrorum et temporis mora, et mentis puritate, et ostensionum diligentia, et ceteris sacris orationibus. Itaque nequaquam aliquando ad sic magnum solem contradicere conati essemus. Sic enim nosmetipsos constituimus et cognovimus, ut neque sufficienter intelligere invisibilia divina capiamus, neque ut ineffabilia divinae cognitionis liceat dicere et exponere. Longe autem existentes, deserimur divinorum virorum in theologicam veritatem scientia, quia omnino etiam in hoc per abundantem timorem venimus, neque omnino audire aut dicere quid de divina philosophia, si non secundum intellectum percepimus. Sic non oportet susceptionem divinarum cognitionum negligere. Et hoc nos docuerunt non solum juxta naturam appe-

C titus animorum amabiliter semper dulces, adjuncta supernaturalium contemplatione, sed et ipsa divinarum legum egregia dispositio: ea quidem, quae super nos sunt, depellens multum actitare, et ut super dignitatem, et ut impossibilia: omnia autem, quaecunque a nobis appetuntur et donantur, discere attente imperans, et aliis divinitus tradere. His igitur et nos suasi, et ad possibilem divinorum inventionem laborantes aut formidantes, sed et non valentes in nostrum meliora aspicere, inadjutos relinquere non sustinentes, in conscribendum nosmetipsos perduximus, novum quidem nihil introducere audentes, subtilioribus autem et secundum partes singulas interrogationibus, quae praeclare dicta sunt vere ab Ierotheo, discernentes et exprimentes.

D

CAPITULUM IV.

De o timo, lumine, bono, amore, exstasi, zelo, et quia malum neque ὄν, neque ex eo, quod est, neque in existentibus.

Si commodum ergo, in eam jam sermone divinam nominationem redeamus, quam remote theologi superdivinae deitati ab omnibus segregant, ipsam, ut arbitror, divinam subsistentiam [2] bonitatem dicen

VARIAE LECTIONES.

[1] AE *in tantum* aut *insania* aut *stultitia*. [2] BH *substantiam*.

NOTAE.

[a] Hebr. V.

tes, et quia existendo optimum, ut essentiale optimum, in omnia, quae sunt, extendit bonitatem. Etenim sicut quidem qui secundum nos est sol, non cogitans aut praeeligens, sed eo esse illuminat omnia, quae participare lumen ejus secundum propriam potentia sunt rationem, sic et optimum super solem, ut super obscuram imaginem excellenter principale exemplum, ipsi subsistentiae omnibus existentibus proportionaliter supermittit totius bonitatis radios. Per quos subsistere invisibiles et intellectuales omnes, et essentiae, et virtutes, et operationes per eos sunt, et vitam habent non deficientem et non minoratam, omni corruptione et morte et materia et generatione purgatae, et instantia et fluxu et aliud aliter ferente mutabilitate sursum positae, et incorporales, et immateriales intelliguntur, et ut intellectus supermundane intelligunt, et existentium proprie illuminantur rationes, et iterum in cognata, quae propria sunt, deferunt. Et habitationem ex bonitate habent, et fundamentum eis inde est, et continentia, et custodia, et refectio bonorum, et ejus appetentes, et esse, et bene esse habent, et ad eam, ut possibile, reformatae, et bene specificatae sunt, et his, quae post se sunt, communicant, ut divina lex suggerit, in eas ex bono prodeuntibus donis. Inde eis superornati ordines, ad se ipsas unitates, inter se invicem locationes, inconfusae discretiones, ad meliores reductivae minorum virtutes, circa secunda providentiae majorum, propriarum uniuscujusque virtutum custodiae, et circa eas non labentes ambitus, circa appetitum optimi immutabilitates et sublimitates, et quaecunque alia dicta sunt a nobis in eo de angelicis proprietatibus et ordinationibus. Sed et [1] quaecunque ipsius caelestis ierarchiae sunt angelicae mundationes, et supermundani luciducatus, et consummationes totius angelicae perfectionis, ex causalissima et fontali sunt bonitate, ex qua et deiforme eis donatum est, et elucere in eis occultam bonitatem, et esse angelos tanquam enuntiatores divini silentii, et ut luminaria clara in adytis existentis interpretativa praemissos. Sed et post illos sacros et sanctos intellectus, animae et quaecunque sunt animarum bona, per summe optimam sunt bonitatem, amatrices eas esse habendi essentialem vitam, insolubile ipsum esse, et posse ad angelicas intentas vitas per eas ut optimas ductrices, in omnium optimorum bonitatem principalem reduci, et inde emanantium illuminationum in participatione fieri, secundum suam analogiam et deiformitatis donationem, quaeque virtus participare, et quaecunque alia a nobis in his, quae sunt de animabus, enumerata sunt. Sed et de ipsis, si oportet dicere, irrationabilibus animabus aut animalibus, quaecunque aëra secant, et quaecunque in terra gradiuntur, et quaecunque in terram extenduntur, et in aquis vitam aut in mari et in terra sortientia, et quaecunque sub terra

A cooperta vivunt et obruta, et simpliciter quaecunque sensibilem habent animam aut vitam, et haec omnia per optimum animantur et vivificantur. Et germina omnia nutritivam et motivam habent vitam ex optimo, et quaecunque sit inanimalis et non vitalis essentia, per optimum est, et per ipsum essentialem habitum sortita. Si autem et super omnia existentia est, quomodo igitur est optimum? Et informe formificat, et in se solo non essentiale essentiae excellentia, et non vivens superans vita, et non intelligens superans sapientia, et quaecunque in optimo informium sunt supereminentis specificationis. Et si justum dicere, optimum quod est, super omnia existentiaet id, quod non ὄν, appetit, et contendit quomodo in optimo et hoc esse ente su-

B peressentiali juxta omnium ablationem. Sed quod quidem nos in medio praetermissum effugit, et caelestium principum et sublimitatum causa optimum, non aucta et non minuta, et omnino immutabili eadem latitudine, et consonantium, si sic oportet dicere, maxima caelesti via motuum, et sideralium ordinum, et decorositatum, et luminum, et collocationum, et singularum stellarum permeabilis multimodae motionis, et ejus, quae est duorum luminarium, quae eloquia vocant magna, ab eisdem in eadem circummeabilis revolubilitatis, secundum quae apud nos dies et noctes terminatae, et menses et anni mensurati, temporis, et eorum quae in tempore sunt, circulares motus segregant, et numerant, et ordinant, et continent. Quid si quis dixerit de ipso

C per se solari radio? Ex optimo enim lumen et imago bonitatis. Deinde et lucivoce laudatur optimum, velut in imagine principalis forma manifestata. Sic enim omnium summitatis divina bonitas a sublimissimis et maximis essentiis usque ad novissima pervenit, et adhuc super omnes est, neque his, quae sursum sunt, anticipantibus ejus excellentiam, neque his quae deorsum sunt, ambitum transgredientibus; sed et illuminat potentia omnia, et quae non sunt, facit, et vivificat, et continet, et perficit, et mensura est existentium, et aeternitas, et numerus, et ordo, et ambitus, et causa, et finis. Sic et divinae bonitatis significativa imago, magnus hic et plena luce, et semper lumine sol secundum multam consonantiam, et omnia quaecunque participare cum

D possunt, illuminat, et superextentum habet lumen in omnia, expandens visibilem mundum, sursumque et deorsum propriorum radiorum claritates. Et si quid eas non participat, hoc non infirmitatis aut brevitatis est illuminativae ejus distributionis, sed per assumptionis luminis inopportunitatem non repansorum in luminis participationem. Itaque multa sic habentium radius transiens, quae post illa, illuminat, et nihil est visibilium, quo non recipiatur secundum propriae claritatis superexcellentem magnitudinem. Sed et ad generationem sensibilium corporum committitur, et ad vitam ea

VARIAE LECTIONES.

[1] *et* om. AE.

movet, et nutrit, et auget, et perficit, et purgat, et renovat, et mensura est, et numerus horarum, dierum, et totius secundum nos temporis lux. Illa enim lux est, etsi tunc imperfecta erat, quam quidem divinus dixit Moyses[a], et ipsam illam terminasse primam secundum nos dierum trinitatem. Et sic quidem omnia ad semetipsam bonitas convertit, et principaliter congregatrix est dispersorum, ut principalis et unifica deitas, et omnia ipsam, ut principium, ut continentiam, ut finem appetunt, et optimum est, ut eloquia aiunt, ex quo omnia subsistunt et sunt, tanquam ex causa perfectissima adducta, et in quo omnia constituta sunt[b], tanquam in omnipotenti consulto custodita et comprehensa, et in quod omnia convertuntur, sicut in propriam singula summitatem, et illud concupiscunt omnia, intellectualia quidem et rationalia scienter, sensualia vero sensibiliter, sensus autem expertia insito motu vitalis appetitus, inanimalia autem et tantummodo existentia ad solam essentialem participationem opportunitate. Secundum hanc significatoriae imaginis rationem et lux congregat et convertit ad seipsam omnia visibilia, mota, illuminata, calefacta, omnino ab ipsius splendoribus comprehensa. Ac per hoc et sol, quia omnia soluta facit, et congregat dispersa, et omnia eum sensibilia desiderant, aut ut videndi, aut ut movendi, et illuminandi, et calefaciendi, et omnino comprehendi a lumine appetentia. Et neque ibi dico juxta antiquitatis verbum, quia Deus est sol et Creator hujuscemodi universitatis, proprie procurat manifestum mundum, sed quia *invisibilia Dei a creatura mundi facturis intellecta conspiciuntur, et aeterna ejus virtus et divinitas*[c]. Sed haec quidem in symbolica theologia. Nunc autem intelligibile optimi lucivocum nobis laudandum et dicendum, quia lux invisibilis optimus dicitur, omnem quidem supercaelestem intellectum implendo invisibili lumine, omnem vero ignorantiam et errorem abigendo ex omnibus quibuscunque inest animabus, et omnibus ipse lumine sacro tradendo, et intellectuales earum oculos repurgando circumposita eis ex ignorantia caligine, et removendo et replicando multa gravitate tenebras condensas: et tradendo primo quidem claritate moderata, deinde illis tanquam degustantibus lumen, et magis desiderantibus, magis semetipsam intus dando et copiose illucendo, quia dilexerunt multum, et semper extendendo eas in ea, quae ante sunt, juxta suam inspiciunt analogiam. Lux igitur invisibilis dicitur super omnem lucem optimum[1], ut radius fontalis et supermanans luminis effusio, omnem supermundanum, et circummundanum, et immundanum intellectum ex plenitudine sua illuminans, et intellectuales eorum totas revocans virtutes, et omnes continens superordinando, et omnia superans

A superincumbendo, et simpliciter omnem illuminatricis virtutis dominationem, tanquam principalis lucis, et plusquam lucis, in semetipsa comprehendens et superans et intendens, et intellectualia et rationalia omnia congregans, et perdita facias[2]. Etenim sicut ignorantia separatrix errantium est, ita invisibilis luminis praesentia congregatrix et unitrix illuminatorum est et perfectiva, et adhuc conversiva ad vere ὄν, ex multorum opinione variorum convertens varios vultus, aut potius dicendum phantasias, in unam veram et puram et uniformem congregans scientiam, et una et unitrice luce implicans. Hoc optimum laudatur a sacris theologis, ut bonum, et ut pulchrum, et ut dilectio, et ut dilectissimum, et quaecunque aliae decentes sunt formificae

B et gratiosae speciositatis divinae nominationes. Bonum autem et pulchrum non separandum in ipsa in uno omnia comprehendenti causa. Haec enim in existentibus omnibus in participationes et participantia dividentes, bonum quidem esse dicimus pulchri particeps, pulchrum vero participationem pulchrificae omnium bonorum causae. Superessentiale autem bonum pulchrum quidem dicitur, propter ab eo omnibus existentibus traditam proprie unicuique pulchritudinem, et velut omnium bene compactionis et claritatis causale, instar lucis fulminans simul omnibus pulchrificas fontalis radii sui traditiones, et velut omnia ad seipsum vocans. Inde et pulchrum dicitur, et velut tota in totis se congregans. Et bonum vero, sicut omne bonum

C simul, et plus quam bonum, et semper ὄν, secundum eadem et similiter bonum, et neque factum, neque solutum, neque auctum, neque tabidum, neque hic quidem bonum, hic vero malum, neque tum quidem, tum vero non, neque ad hoc quidem bonum, ad hoc autem malum, neque ibi quidem, ibi autem non. tanquam quibusdam quidem ὂν bonum, quibusdam vero non bonum: sed ut ipsum, per ipsum, cum ipso, uniforme semper ὂν bonum, et ut omnis boni fontem et pulchritudinem supereminenter in semetipso praeferens. Simpla enim et superexcellenti omnium bonorum natura omnis pulchritudo et omne bonum uniformiter secundum causam ante subsistit. Ex bono ipso omnibus existentibus esse secundum propriam rationem singula quaeque bona, et per bo-

D num omnium copulationes et amicitiae et societates, et bono omnia adunantur, et principium omnium bonum, velut factivum causale, et movens omnia, et continens ea propriae pulchritudinis amore, et summum omnium et dilectissimum, velut perfectivum causale—propter enim bonum omnia fiunt—et exemplabile, quia secundum ipsum omnia segregantur. Ideo et id ipsum est optimo bonum, quia bonum et optimum juxta omnem causam omnia concupi-

VARIAE LECTIONES.

1 B *optima;* H *optimam.* 2 BH *restaurans.*

NOTAE

a Gen. I.
b Rom. XI.
c Rom. I, 20

scunt, et non est quid existentium, quod non participat bonum et optimum. Audebit autem et hoc ratio dicere, quia et quod non ὄν, participat bonum et optimum. Tunc enim et hoc bonum et optimum, cum in Deo secundum omnium ablationem superessentialiter laudatur. Hoc unum optimum et bonum singulariter est omnium multorum bonorum et optimorum causale. Ex hoc omnes existentium essentiales subsistentiae, unitates, discretiones, immutabilitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines, societates contrariorum, distinctiones unitorum, providentiae superiorum, vicissitudines aequiformium, conversiones inferiorum, omnium semetipsis custoditivae et immutabiles habitationes et collocationes: et iterum omnium in omnibus propriae unicuique societates, et compaginationes, et inconfusae amicitiae, et harmoniae universitatis, in universo concretiones, insolubiles continentiae existentium non deficientes susceptiones faciendorum, status omnes et motus: alii intellectualium, alii animarum, alii corporum. Status enim est omnibus et motus, super omnem statum et omnem motum collocans unumquodque in suimet ratione, et movens in proprium motum. Et moveri quidem divini dicuntur animi: circulariter quidem, uniti non inchoantibus et non terminatis illuminationibus boni et optimi: directim vero, quandocunque proveniunt in subjectorum providentiam, recta omnia terminantes: oblique, quia et providentes inferioribus, inreversibiliter manent in immutabilitate, circa immutabilitatis causale bonum et optimum incessanter circumeuntes. Animae[1] autem motus est circularis quidem[2] in semetipsam introitus ab his quae foris sunt, et intellectualium suarum virtutum uniformis conversio, sicut in quodam circulo inerrabile suum donans, et a multis, quae sunt extrinsecus, se convertens et congregans, primum in semetipsam, deinde velut uniformem factam, adunans adunate adunatis virtutibus, et sic in bonum et optimum manuducta, et super omnia existentia, et unum et idipsum, et non inchoans, et non finitum. Oblique vero anima movetur, quantum proprie se ipsa divinas illuminatur scientias, non intellectualiter et potenter, sed rationaliter et investigiose, et ut commixtis et transitoriis operationibus. Per vero directum, cum non in semetipsam intrans, et singulari intellectualitate mota; hoc enim, ut dixi, est, quod secundum cyclum: sed ad ea circa se proveniens, et ab his extrinsecus, tanquam a quibusdam symbolis variatis et multiplicatis, in simplas et unitas reducitur contemplationes. Horum igitur et sensibilium in universo trium motuum, et multo prius unoquoque mansionum et stationum et collocationum causale est, et continens, et finis bonum et optimum, et super omnem statum et motum. Propterea omnis

A status et motus et ex ipso, et per ipsum, et in ipsum, et propter ipsum. Etenim ex ipso, et per ipsum et essentia, et vita omnis, et mentis et animae et omnis naturae parvitates, aequalitates, magnitudines, mensurae omnes, existentium corrationabilitates, et compactiones, et concretiones, universitates, partes omnes, unum, et multitudo, conjunctiones partium, totius multitudinis unitates, consummationes universalitatum, quale, quantum, tantum, multum, comparationes, discretiones, omnis multitudo, omne summum, termini omnes, ordines, eminentiae, elementa, formae, omnis essentia, omnis virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intellectus, omnis illuminatio, omnis scientia, omnis unitas, et simpliciter omne B ὂν ex bono et optimo, et in bono et optimo est, et in bonum et optimum convertitur. Et omnia, quaecunque sunt et fiunt, per bonum et optimum sunt et fiunt, et ad hoc omnia videt, et ab ipso moventur et continentur, et propter ipsum, et per ipsum, et in ipso omne principium exemplativum, consummativum, intellectuale, speciale, formale, et simpliciter omne principium, omnis continentia, omne summum: aut, ut comprehendens dicam: omnia quae sunt, ex bono et optimo, et omnia, quae non sunt, superessentialiter in bono et optimo: et est omnium principium et finis superprincipale et superfinale, quia *ex ipso, et per ipsum, et in ipso et in ipsum omnia* [a], ut ait sacer sermo. Omnibus igitur est bonum et optimum concupiscibile et amabile et dele- C ctabile, et per ipsum et propter ipsum minora et meliora conversibiliter amant, et sociative aequiformia, aeque honorabilia, et meliora minora provide, et haec semetipsa singula quaeque connexe et omnia bonum et optimum desiderantia facit, et vult omnia, quaecunque facit et vult. Audebit autem et hoc dicere vera ratio, quia et ipse omnium causalis per bonitatis excellentiam omnia amat, omnia facit, omnia continet, omnia convertit, et est etiam divinus amor optimus optimi per optimum. Ipse enim bene factor existentium amor, in optimo per excellentiam ante subsistens, non sinit ipsum infecundum in se ipso manere, movit autem ipsum in agendum juxta omnium genitivam excellentiam. Et ne quis nos arbitretur contra eloquia amoris cogno- D minationem honorificare. Est quidem enim irrationabile, ut arbitror, et stultum, non virtuti intentionis attendere, sed dictionis [3]. Et hoc non est divina intelligere volentium proprium, sed sonos leves accipientium [4], et hos usque aures transeuntes extrinsecus continentium, et nolentium scire, quid quidem qualis dictio significet, quomodove eam oporteat et per alias aequepotentes et manifestiores dictiones declarare, patientiumque elementis, et literis non intellectis, et syllabis et dictionibus incogni-

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *Initio*. [2] BH *quidam*. [3] BE *dictionibus*. [4] AE *recipientium*.

NOTAE.

[a] Rom. XI, 36.

tis et non ingredientibus in animae suae intellectuale, sed foris circa labia et auditus suos percrepitantibus, ac si non liceat, quattuor numerum per bis duo significare, aut simplam lineam per rectam lineam, aut maternitatem per paternitatem, aut aliis quibusdam multis orationis partibus idipsum significantibus. Oportet scire secundum rectam rationem, quia elementis, et syllabis, et dictionibus, et scripturis, et orationibus utimur per sensus. Sic cum nostra anima intellectualibus operationibus ad invisibilia movetur, abundant cum sensibilibus sensus: sicut et intellectuales virtutes, cum anima deiformis facta per unitatem ignotae inaccessibilis lucis, radiis desiderabilibus invisibilibus theoriis. Cum vero animus per sensibilia reformari festinat ad contemplabiles invisibilitates, pretiosiores omnibus sunt clariores sensibus provectus, lucidiora verba planiora visibilibus, sicut cum non plana sint accumbentia sensibus, neque ipsa animo assistere sensibilia bene poterunt. Veruntamen ut non haec dicere putemur, tanquam divina eloquia submoventes, audiant hanc amoris nominationem criminantes: *Ama eam*, inquit, *et custodiet te; amplexare eam, et exaltabit te; honora eam, ut te comprehendat* [1] [a]; et quaecunque alia secundum amatorias theologias laudantur. Et quidem visum est quibusdam nostris Ierologis et divinius esse amoris nomen eo dilectionis [2]. Scribit autem et divinus Ignatius: *Meus amor crucifixus est* [b]. Et in ipsis ante introductionibus eloquiorum invenies quendam dicentem de divina sapientia: *Amator factus sum formae ejus* [c]. Itaque hoc amoris nomen ne timeamus, neque quis nos conturbet sermo de hoc disceptans. Mihi enim videntur theologi commune quidem duxisse dilectionis et amoris nomen: propterea autem divinis magis referre vere amorem, propter inconsequentem talium virorum adamationem. Pulchre enim vere amore non a nobis tantum, sed et ab eloquiis ipsis laudato, multitudines non capientes uniforme amatoriae divinae nominationis, propric semetipsos in partibile et corporale et dividuum labefecerunt, cum non sit verus amor, sed umbra, aut magis casus vero amore. Remotum enim est multitudine singulare divini et unius amoris. Ideo et sic difficilius nomen multis putatum in divina sapientia statuitur, et ad reductionem eorum et restitutionem in veri amoris notitiam, et ita, ut absolvatur in ipso difficultas. A nobis autem iterum, ubi et inconsequens quiddam saepe intelligendum terrenos caelos secundum opinionem melioris famae. Cecidit, quis ait, dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum [d]. In elucescentibus divinis sublimitatibus in eadem virtute statuitur a sacris theologis dilectionis et amoris nomen secundum divinas manifestationes. Et est hoc virtutis unificae et conjunctivae, et differenter contemperativae in bono et optimo, per bonum et optimum antesubstitutae, ex bono et optimo per bonum et optimum editae, continentis quidem aequipotentia secundum sociabilem vicissitudinem, moventis autem prima ad minorum providentiam, et collocantis inferiora conversione superioribus. Est autem et ecstaticus divinus amor, non sinens seipsos esse amantes, sed amandorum. Et declarantur quidem superiora providentia facta inferiorum, et aequiformia inter se invicem continentia, et minora ad prima diviniori conversione. Proinde et Paulus magnus in excellentia divini factus amoris, et mente excedentem suam virtutem assumens, divino ore: *Vivo ego*, ait, *jam non, vivit autem in me Christus* [e]. Et vere amator et mente excedens, sicsic inquit, Deo, et non ipsam sui vivens, sed ipsam amatoris vitam, ut nimis dilectissimam. Audendum autem et hoc pro veritate dicere, quia et omnium causalis bonorum et optimorum omnium amore per excellentiam amatoriae bonitatis habitudine sua fit, in existentia omnia providentiis, et ut bonitate et dilectione et amore fovetur, et ex super omnia et omnibus remoto ad unum omnibus deducitur juxta mente excedentem superessentialem virtutem redeuntem semetipso. Propter quod et zelotem eum divini sapientes appellant, velut multum in existentia optimum amorem, et ut ad zelum suscitatorem concupiscentiae suae amatoriae, et ut zelotem eam ostendentem, et concupita zelantem, et ut provisis eum existentibus per semetipsa zelantibus: et omnino bono et optimo est amabile et amor, et in bono et optimo ante collocantur, et per bonum et optimum sunt et fiunt. Quid autem omnino theologi volentes, aliquande quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando vero amatum et dilectum? Eo quidem enim causalis, et ut praevolens et genitor: hoc autem ipse est. Et eo quidem movetur, eo autem movet, quando ipse suimet et sibi est praecessor et movens. Sic autem dilectum quidem et amatum eum vocant, ut bonum et optimum: amorem vero iterum et dilectionem, ut moventem simul, et ut reducentem virtutem eum qui est in seipsum solum, ipsum per seipsum bonum et optimum. Et sic quidem edicendum, existentem semetipso per semetipsum excellentis unitatis optimam processionem, et amatorium motum, simplum, per seipsum motum, per seipsum activum, praeexistentem in optimo, et ex optimo existentibus emanantem, et iterum in optimum convertentem se, et infinitum seipso, et carens principio, divinus amor ostenditur differenter, sicut quidam aeternus cyclus, per optimum, ex optimo, et in optimo, et in optimum, in-

VARIAE LECTIONES.

[1] E *comprehendat te*. [2] A *nomen amoris quam dilectionis*; H *quam dilectionis nomen amoris.*

NOTAE.

[a] Prov. IV.
[b] Epist. ad Rom. VII.
[c] Sap. VIII, 2.
[d] II Reg. I.
[e] Gal. II, 20.

enarrabili conversione circuiens, et in eodem, et per idipsum et proveniens semper, et manens, et revolutus. Haec et communis noster sanctus perfector divinitus introduxit per amatorios hymnos, quorum non inconsequens recordari, et ut sacrum quoddam caput imponere de amore nostro sermoni.

Ierothei sanctissimi ex amatoriis hymnis.

Amorem sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem dicamus, unitivam quandam et continuativam intelligemus[1] *virtutem, superiora quidem moventem in providentiam inferiorum, aequiformia iterum in sociabilem vicissitudinem, et novissima subjecta ad meliorum et superpositorum conversionem.*

Ejusdem ex iisdem amatoriis hymnis.

Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, consequenter diximus, quales quidem eorum, qui in mundo sunt, et supermundalium amorum et scientiae et virtutes, quos supereminent secundum redditam rationis speculationem, intellectualium et invisibilium amorum ordines et dispositiones, post quos per se intelligentes, et si qui vere ibi bonis amoribus superapparent, et hymnum proprie hymnizant. Et nunc iterum recipientes omnes in unum et complictum amorem, et omnium ipsorum patrem convolvamus simul et congregemus ex multis, primo in duas comprehendentes eum amatorias universaliter virtutes, quarum potentatur et principatur omnino ex omnium summitate omnis amoris immensurabilis causa, et ad quam extenditur connaturaliter unicuique existentium ab existentibus omnibus universalis amor.

Ejusdem ex iisdem amatoriis hymnis.

Age nunc et has iterum in unum congregantes, dicamus, quia una quaedam est simplex virtus, seipsam movens ad unitivam quamdam temperantiam, ex optimo usque existentium novissimum, et ab illo iterum consequenter per omnia usque optimum ex seipsa, et per seipsam, et ad seipsam seipsam revolvens, et in seipsam semper eodem modo revoluta.

Et quidem dixerit quis : Si omnibus est bonum et optimum amabile, et ad seipsum, et dilectum—appetit enim ipsum et quod non est, ut dictum est, et contendit quomodo in ipso esse, et ipsum est formificum et informium, et in ipso, et quod non est, superessentialiter dicitur et est—quomodo daemonica[2] multitudo non appetit bonum et optimum, admaterialis vero existens, et angelica erga appetitum optimi stabilitate recidens, malis omnibus causa et sibi ipsi et aliis, quaecunque vitiantur, dicitur? Quomodo autem omnino ex optimo aggravata daemonica[3] gens non est deiformis? Aut quomodo optimum ex optimo factum mutatum est? Et quid vitiavit ipsum? Et omnino quid malum est? Et ex quo principio substitit[4]? Et ex quo existentium est? Et quomodo optimus ipsum adducere voluerit? Quomodo autem volens potuerit? Et si ex alia causa malum, quae altera existentibus praeter optimum causa? Quomodo autem et, providentia existente, est malum aut factum omnino, aut non interemptum? Et quomodo appetit quid existentium[5] ipsum praeter optimum?

Haec quidem ergo aeque dicit. Talis autem caecorum ratio. Nos vero dignabimur apud eum in rerum veritatem respicere. Et primum quidem hoc dicere confidemus : Malum non est ex optimo, et si ex optimo est, non malum. Neque enim ignis frigere, neque optimi non optima adducere. Et si existentia omnia ex optimo—natura enim optimo, adducere et salvare, malo vero corrumpere et perdere—nihil est existentium ex malo, et neque ipsum erit malum. Si quidem et sibiipsi malum sit, et si non hoc, non omnino malum erit malum, sed habet quandam optimi, secundum quam omnino est, partem. Et si existentia bonum et optimum appetunt, et omnia quaecunque faciunt, per inspectum optimum faciunt : et omnis existentium speculatio principium habet et finem, optimum—neque enim in mali naturam respiciens facit quae facit—quomodo erit malum in existentibus, aut omnino ὄν, tali optimo desiderio desertum? Et si existentia omnia ex optimo, et optimum summitas existentium, est quidem in optimo, et quod non ὄν, ὄν; malum autem neque ὄν est. Si autem non, non omnino malum, neque non ὄν. Nullum enim erit universaliter non ὄν, nisi in optimo secundum superessentiale dicitur hoc. Erit igitur optimum simpliciter et existente et non existente multo prius supercollocatum. Malum vero neque in essentiali, neque in non existentibus, sed et ipse non existente magis distat optimo et non essentialius.

Unde ergo est malum, diceret quis. Si enim non est malum, virtus et malitia idem, et aut omnis omni et aut in partibili corrationale; aut neque virtuti pugnans erit malum. Et quidem contrarium temperantia et intemperantia, et justitia et injustitia. Et neque alicubi secundum justum et injustum dico, et temperantem et intemperantem, sed et ante foris manifestatam ejus, qui est in virtute, ad contra positum distantiam, in ipsa multo prius anima universaliter distetcrunt virtutibus malitiae, et rationi passiones insidiantur, et ex his necessarium dare, quod bono malum contrarium. Non enim sibi ipsi bonum contrarium, sed sicut ab uno principio et uno egenitum causali, societate et unitate et amicitia gaudet. Et neque minus[6] bonum majori contrarium : neque enim minus calidum aut frigidum plurimo contrarium. Est ergo in existentibus, et ὂν est, et opponitur bono malum. Et si corruptio est existentium, non expellit hoc esse malum, sed erit et hoc ὄν, et

VARIAE LECTIONES.

[1] AE *intelligimus*. [2] A *daemoniaca*, E *daemonia*. [3] A *daemoniaca*; E *daemonia*. [4] BH *subsistit* [5] *et quomodo — existentium* om. BH. [6] *bonum majori — minus* om. BH.

existentium gignificum. Aut non saepe hujus corruptio, hujus fit generatio, et erit malum in universitatis plenitudinem comperfectum, et universo numquid imperfectum esse quod propter seipsum praestitum.

Dicit autem ad haec vera ratio, quia malum, si malum, nullam essentiam aut generationem facit, solum vero vitiat et corrumpit, quantum in se, et existentium substantiam. Si autem genificum quis ei esse dicat, et hujus corruptione alteri dare generationem, respondendum vere, numquid corrumpunt, quae dant generationem? Sed corruptio quidem et malum, corrumpit et vitiat tantum: generatio vero et essentia per bonum fiunt. Et erit malum corruptio quidem per seipsum, genificum vero per bonum. Et si quidem malum, neque ὄν, neque existentium factivum. Per autem bonum et ὄν, et bonum ὄν, et bonorum factivum. Magis autem neque enim erit idipsum secundum seipsum et bonum et malum, neque ejusdem corruptio et generatio eadem secundum idipsum virtus, neque hoc virtus, aut hoc corruptio. Ipsum quidem malum neque ὄν, neque bonum, neque gignificum, neque existentium et bonorum factivum. Bonum autem in quibus quidem cunque [1] perfecte inest, perfecta facit, et pura, et integra omnia [2] optima: minus vero ipsum participantia et imperfecta sunt bona, et mixta per defectum boni. Et non est universaliter malum, neque bonum, neque beneficum: sed quod magis aut minus bono proximum, proportionaliter erit bonum, quoniam quidem ipsa per omnia veniens perfectissima bonitas, non usque solas implet circum se omnino optimas essentias, extenditur autem usque novissimas, his quidem universaliter adveniens, his autem minus, aliis vero novissime, ut unumquodque eam participare potest existentium. Et quaedam quidem omnino bonum participant, quaedam vero magis et minus privantur, quaedam autem obscuriorem habent boni participationem, et aliis secundum novissimam consonantiam adest bonum. Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent divinissima et honorabilissima novissimorum habentia ordinem. Quomodo autem et esset possibile, uniformiter omnia participare bonum? Numquid omnia existentia similiter in universalem ejus participationem opportuna? Nunc autem haec est boni virtutis superexcellens magnitudo, quia et privata et suimet privationem posse facit, secundum quod universaliter est sui participare. Et si oportet fidum dicere verum, et pugnantia ei sua virtute et sunt, et pugnare possunt, magis autem, ut comprehendens dicam, omnia existentia, quantum sunt, et bona sunt, et ex bono; quantum autem privantur bono, neque existentia sunt, neque bona. In quidem enim aliis habitudinibus, quale est caliditatis aut frigiditatis, sunt ca-

A lefacta: et relinquente ea caliditate et vitae et mentis multa existentium expertia, et essentia DEUS exaltatur, et est superessentialiter. Et simpliciter aliarum quidem simul omnium abeunte ipsa, quae non est ingenita, omnino habitudine sunt existentia et subsistere possunt [3]. Quod vero per omnem modum bono privatum, numquam nusquam nec erat, neque est, neque erit, neque esse potest. Quale est incontinens. Etsi privetur bono juxta irrationabilem concupiscentiam, in hoc quidem neque est, neque existentia concupiscit, participat tamen bonum secundum ipsam unitatis et amicitiae obscuram consonantiam. Et furor participat bonum, per se movendo et appetendo opinabilia mala ad opinabile bonum erigere et convertere. Et ipse certantis vitae
B appetens, tanquam totius [4] vitae appetens, et egregiae sibi opinionis, et hoc appetere, et ad egregiam vitam respicere, participat bonum. Et si omnino bonum consumpseris, neque essentia est, neque vita, neque concupiscentia, neque motus, neque aliud aliquid. Itaque et fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus, sed minoris boni adventus, quantum et aegritudo defectus est ordinis non omnis. Si enim hoc fieret, neque aegritudo ipsa subsisteret. Manet autem et est aegritudo essentiam habens minimum ordinem, et in se substitutum. Quod enim omnino expers boni, neque ὄν, neque in existentibus: quod autem mixtum, per bonum in existentibus, ac per hoc in existentibus, et ὄν, quantum bonum participat. Magis autem exi-
C stentia omnia tantum erunt magis et minus, quantum optimum participant: etenim in essendo per seipsum, nunquam nusquam ὄν, neque erit. Hoc autem ibi quidem ὄν, ibi vero non ὄν, quantum quidem recedit ab eo, quod semper est, non est: quantum autem ex esse accepit, tantum est, et ei omnino esse, et quod non ὄν, ipso continetur et salvatur. Et malum, quod quidem est omnino a bono recessio, neque in magnis neque in minimis [6] bonis erit. Hoc autem ibi quidem bonum, ibi vero non bonum, pugnat quidem bono cuidam, non omni autem bono: tenetur autem et hoc boni participatione, et substantificat et suimet privationem bonum tota sui participatione. Omnino enim abeunte bono quid erit bonum? Neque
D mixtum, neque per se malum. Si enim malum imperfectum est bonum, absentia perfectissimi boni et imperfectum, et perfectum bonum aberit. Et tunc solum erit et videbitur malum, quando his quidem est malum, quibus opponitur, his autem tanquam bonis aufertur. Pugnare enim sibi invicem eadem per eadem, in omnibus impossibile. Non igitur ὄν malum.

Sed neque in existentibus est malum. Si enim omnia existentia ex bono, et in omnibus existentibus et omnia continet bonum, aut non erit malum, aut in bono non erit. Etenim neque in igne frigus,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic E; *in quidem* om. *A;* BH *in quibuscunque quidem*. [2] *omnia* om. OAE. [3] BH *subsistunt*. [4] AE *totus* [5] B *enim*. [6] AE *minus*.

neque ille vitiatur eo, et malum bono existente. Si A autem fuerit, quomodo erit in bono malum? Siquidem ex eo inconsequens et impossibile. *Non potest* enim, ut eloquiorum veritas ait, *arbor bona fructus malos facere* [a], neque illud iterum. Si autem non ex ipso, ex alio clarum, quia principio et causa. Etenim aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo : aut si non hoc possibile, ex alio principio et causa erit et bonum malum. Omnis enim dyas non principium : monas autem erit totius dyadis principium. Et quidem inconsequens, ex uno et eodem duo omnimodo contraria provenire et esse, et ipsum principium non simplum et singulare, sed partitum et biforme, et contrarium in seipsum et mutabile. Immo vero neque duo existentium contraria principia possibile esse, et ea inter se invicem et in universo pugnantia. Si enim hoc daretur, erit et Deus B non innocens, neque sine rixa, siquidem si sit quid eum perturbans. Sequitur, erunt omnia inordinata et semper pugnantia. Et quidem amicitiam omnibus existentibus bonum tradit, et per se pax, et pacis donans laudatur a sacris theologis [b]. Proinde et amica bona, et compacta omnia, et una vita egenita, et ad unum optimum coordinata et adunata, et similia comparata inter se invicem. Itaque non divinum malum, et malum [1] non divinum. Sed neque ex Deo malum. Si enim non bonus, aut bene facit, et bona adducit, et non aliquando quidem et quaedam, aliquando autem non et non omnia. Transmutationem quidem in hoc faciet et mutabilitatem, et circa se, hoc est, omnium divinissimum et causam. C Si autem in Deo bonum subsistentia est, erit transferens ex bono Deus aliquando quidem ὤν, aliquando autem non ὤν. Si vero participatione bonum non habet, et ex altero habebit, et aliquando quidem habebit, aliquando autem non habebit. Non igitur ex Deo malum, neque in Deo, neque simpliciter secundum tempus.

Sed neque in angelis est malum. Si enim enunciat bonitatem divinam deiformis angelus, illud ὤν secundum participationem secundo, quod quidem secundum causam enunciat primo, imago est Dei angelus, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, recipiens totam, si justum D dicere, speciositatem bene formatae deiformitatis, et pure declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quae est in adytis. Non igitur neque in angelis est malum : sed puniendo peccantes sunt mali. Hac ergo ratione et compescentes delinquentibus mali, et sacerdotum divinis mysteriis immundum prohibentes. Et quidem neque puniri malum, sed dignum fieri poena. Neque secundum dignitatem prohiberi sacris, sed non sanctum et non sacrum fieri, et incontaminatis inopportunum.

Sed neque daemones natura mali. Etenim si natura mali, neque ex bono, neque in existentibus, neque ex bonis conversum, natura et semper mali existunt, sequitur : sibimet sunt mali, an aliis? Si quidem sibimet, an corrumpunt seipsos? Si autem aliis, quomodo corrumpunt aut quid [2] corrumpunt, essentiam, an virtutem, an actionem? Si quidem essentiam, primum quidem non juxta naturam. Natura enim incorruptibilia non corrumpunt, sed acceptiva corruptionis. Sequitur : neque hoc omnino et omnino malum, sed neque corrumpitur quid existentium, secundum quod essentia et natura, sed defectu juxta naturam ordinis, harmoniae et commensurationis ratio infirmatur, manere similiter habens. Infirmitas autem non perfecta. Si enim perfecta, et corruptionem et subjectum interimit; et erit ipsa corruptio et suimet corruptio. Itaque hujusmodi non malum, sed deficiens bonum. Quod enim omnino expers boni, neque in existentibus erit. Et de virtutis et actionis corruptione eadem ratio. Deinde quomodo ex Deo facti daemones sunt mali? Bonum enim bona adducit et substituit. Et quidem dicuntur mali, dixerit quis, sed non secundum quod sunt, ex optimo enim sunt et optimam sortiebantur essentiam, sed secundum quod non sunt, infirmi, ut eloquia aiunt, servare suum principium. In quo enim, dic mihi, vitiari dicimus δαίμονας, si non in cessatione divinorum bonorum habitudine et actione? Sed itaque si natura mali daemones, semper mali. Et quidem malum instabile est. Non igitur si semper sicsic habent, non mali : quod enim semper idipsum, optimi proprium. Si autem non et semper mali, non naturales, sed indigentiae angelicorum bonorum. Sed non omnino expertes boni, secundum quod et sunt, et vivunt, et intelligunt, et omnino est quidam in eis concupiscentiae motus. Mali autem esse dicuntur, propter quod infirmantur circa naturalem operationem. Falsa ergo conversio est eis malum, et a cognatis suis egressio, et informitas, et imperfectio, et impotentia, et salvante eis perfectionem virtute infirmitas, et fuga et casus. Sed itaque quid in daemonibus malum? Furor irrationabilis, amens concupiscentia, phantasia proterva. Sed haec et si sunt in daemonibus, non omnino neque in omnibus, neque haec secundum se mala. Et enim in aliis animalibus non motus talium, sed interemptio est et corruptio animali, et malum. Habitus enim salvat, et esse facit haec habentem animalis naturam. Non igitur malum daemonica gens, quantum est juxta naturam, sed quantum non est. Et non mutatum est datum in eis totum bonum, sed ipsi dato ceciderunt toto bono. Et datas eis angelicas donationes nunquam ipsas commotas fuisse dicimus, sed sunt et integri et clarissimi, etsi ipsi non vident participantes suas

VARIAE LECTIONES.

[1] BEH *bonum*. [2] *aut quid corrumpunt* om. BEH.

NOTAE.

[a] Matth. VII, 18

[b] I Cor. XIV; Ephes. II.

boni conspectivas virtutes. Itaque quod sunt, et ex optimo sunt et optimi, et bonum et optimum concupiscunt, esse, et vivere, et intelligere existentium appetentes : et privatione, et fuga, et casu, connaturalibus sibi optimis dicuntur mali, secundum quod non sunt : et quod non est appetentes, malum appetunt.

Sed animas quis esse dicit malas? Siquidem quia contendunt malis provide et salutifere, hoc non malum, sed bonum, et ex bono, et malum bene faciente. Si autem vitiari animas dicimus, in quo vitiantur, si non in bonarum habitudinum et operationum defectu, et per propriam infirmitatem imperfectione et perditione? Etenim et aëra hunc circa nos obscurari dicimus defectu et absentia lucis : ipsa autem lux semper lux [1] est, et tenebras illuminans. Non igitur neque in daemonibus, neque in nobis malum, ut ὂν malum, sed ut defectus et desolatio propriorum bonorum perfectionis.

Sed neque in animalibus [2] irrationabilibus est malum. Si enim interimas furorem et concupiscentiam, et alia, quaecunque dicuntur, et non sunt simpliciter eorum naturae mala : grande quidem et ferox leo perdens neque leo erit. Mansuetus autem omnibus factus canis, non erit canis. Siquidem canis quoddam custoditivum, et quoddam adveniendi quidem domesticum, abigendi vero extraneum. Itaque quod non corrumpit naturam, non malum, corruptio autem naturae infirmitas et defectus naturalium habitudinum, et operationum, et virtutum. Et si omnia, quae sunt per generationem, in tempore habent consummationem, neque imperfectum omnino contra omnem naturam.

Sed neque in tota natura malum. Si enim non omnes naturales rationes contra universaliter [3] naturam, nihil est ei contrarium : ejus autem per singula, hoc quidem secundum naturam erit, hoc vero non secundum naturam. Alii enim aliud contra naturam [4] : et hoc inde contra naturam, ut malitia : hoc contra naturam privatio eorum, quae sunt naturae. Itaque non est mala natura, sed hoc naturae malum, non posse, quae sunt propriae naturae, perficere.

Sed neque in corporibus malum. Vile enim et infirmum defectus formae et privatio ordinis : hoc autem non omnino malum, sed minus bonum. Si enim omnino fiat solutio boni, et formae, ordinis, peribit et ipsum corpus. Quia vero neque malitiae causa animae corpus, clarum ex hoc, possibile esse, et sine corpore extra subsistere malitiam, sicut et in daemonibus. Hoc enim et intellectibus, et animabus, et corporibus malum, habitudinis propriorum bonorum infirmitas et casus.

Sed neque multum murmurat in materia malum, ut aiunt, secundum quod materia. Etenim et ipsa ornatus, et formae, et speciei habet participationem.

A Si autem sine his dum sit, materia secundum se sine delectatione est et informis, quomodo facit quid materia, quae neque pati potest secundum se habens, Sed itaque quomodo materia malum? siquidem enim nihil. Non enim est neque bonum, neque malum. Si autem quomodo existentia oportet omnia ex bono, et ipsa ex bono relinquitur? Et si bonum mali factivum, sit malum ut ex bono ὂν bonum, aut malum boni factivum, sit et bonum ut ex malo malum. Aut duo iterum principia, et haec alio uno juncta vertice. Si autem necessarium dicunt materiem ad plenitudinem totius mundi, quomodo materia malum? Aliud enim bonum, quod necessarium. Quomodo autem optimus ex malo adducit quaedam ad generationem? Aut quomodo malum optimo necessarium? Fugit B enim optimi naturam malum. Quomodo autem gignit et nutri naturam materia mala existens? Malum enim, secundum quod sit malum, nullius est genitivum, aut nutritivum, aut omnino factivum, aut salvativum. Si autem dicerent, ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere vero eas, et quomodo erit hoc verum? Multum enim suum in bonum aspiciunt. Et quidem quomodo fiat hoc, materia omnino eas in malum attrahente? Itaque non ex materia in animabus malum, sed ex ipso delicto. Si autem et hoc aiunt, materiam omnimode sequuntur et necessaria instabilis materia ex semetipsis collocari non valentibus, quomodo malum necessarium, aut necessarium malum?

Sed neque hoc quod dicimus privare, secundum virtutem propriam pugnat bono. Universalis enim C privatio universaliter impotens : particularis vero non secundum quod privatio, habet virtutem, sed secundum quod non universalis est privatio. Privatione enim boni particulari existente, nondum malum : et facta, et mali natura periit.

Colligenti autem dicendum : Bonum ex una et tota causa, malum ex multis et particularibus defectibus.

Scit Deus malum, an bonum et apud ipsum causae malorum virtutes sunt beneficae.

Si malum aeternum, et creat, et potest, et est, et agit : unde ei haec? Aut ex bono, aut bono ex malo, aut ambobus ex alia causa.

Omne quod secundum naturam, ex causa definita D gignitur : si malum incausale et infinitum, non secundum naturam. Neque enim in natura ejus contra naturam, neque inartificialis in arte ratio.

Igitur anima malorum causa, sicut ignis calefaciendi : et omnia, quibuscunque vicina *fuerit* malitia replet. Bona quidem animae natura : operationibus autem aliquando quidem sic habet, *aliquando* vero sic. Siquidem ex natura et esse ejus malum, et unde ei esse? Ex creatrice omnium existentium *optima* causa. Sed si ex ea, quomodo secundum essentiam malum? Bona enim omnia eadem egenita. Si autem operationibus, si autem hoc non praemissum si

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic A; BH semper *in luce;* E lux *super luce* est. [2] Sic A; BEH *animabus.* [3] Sic BEH; A *universalem.* [4] *Alii enim—naturam* om. BH.

autem, numquid unde virtutes? Numquid et deiformitate ejus facta? Relinquitur ergo, malum infirmitas et defectus boni esse.

Optimorum causa una, optimo malum contrarium, mali causae multae. Non quidem factivae malorum rationes et virtutes, sed impotentia, et infirmitas, et mixtura dissimilium immoderata. Neque immobilia, et semper sicsic habentia mala, sed multa, et infinita, et in diversa ferentia, et his multis omnibus et malis.

Principium et finis erit bonum. Propter enim bonum omnia, et quaecunque contraria. Etenim et haec agimus bonum desiderantes. Nemo enim malum respiciens facit quae facit. Proinde neque substantiam habet malum, sed contra substantiam, propter bonum, et non ex eo factum.

Malo esse ponendum secundum accidens, et per aliud, et non ex principio proprio. Itaque quod factum, rectum quidem esse putandum, quia ex bono esse putandum, quia propter bonum fit, veritate autem non rectum esse. Quamobrem quod non bonum, bonum arbitramur.

Ostenditur aliud [1] concupiscibile, et aliud factum. Non igitur malum est ex via, neque est ex visione, neque est ex natura, neque est ex causa, neque est ex principio, neque est ex fine, neque est ex termino [2], neque est ex consilio, neque est ex substantia. Privatio igitur est malum, et defectus, et infirmitas, et immoderantia, et peccatum, et inconspicuum, et informe, et non vivens, et non intelligens, et irrationale, et imperfectum, et incollocatum, et incausale, et infinitum, et infecundum, et pigrum, et infirmum, et inordinatum, et dissimile, et multum, et tenebrosum, et inessentiale, et hoc nunquam nusquam nullum ὄν.

Quomodo omnino potest malum ad bonum ex mixtura? Quod enim omni bono expers, neque est quid, neque potest. Etenim si bonum et ὄν est, et consultorium, et bene potens, et activum, quomodo poterit quid contrarium bono, et substantia et sapientia et virtute et operatione privatum?

Non omnia omnibus, et omnino eadem secundum idipsum mala. Daemoni malum, contra deiformem intellectum esse. animae, contra rationem: corpori, contra naturam.

Quomodo omnino mala, providentia existente? Non est malum, si malum neque ὄν, neque in existentibus, et nihil existentium improvisum. Neque enim est malum ὄν, conspicuum subsistens bono. Et si nullum existentium non particeps boni, malum autem defectus boni, nihil autem existentium privatur universaliter bono: in omnibus existentibus divina providentia, et nihil existentium non provisum. Sed et factis malis optime et pulchre providentia usa est ad nostram aut aliorum aut formationem aut utilita-

A tem, et proprie unicuique existentium providet. Propterea et vanam aut disceptantem multorum non recipimus rationem, qui oportere aiunt providentiam et invitos nos in virtutem ducere. Corrumpere enim naturam, non est providentiae. Unde ut [3] providentia uniuscujusque naturae salvatrix per seipsos motorum, ut per seipsos motorum, providet, et omnia, et ea per singula, similiter universo et unicuique, quantum provisorum natura recipit totius et largissimae providentiae editas proportionaliter unicuique providas bonitates.

Non igitur ὄν malum, neque in existentibus malum. Non omnino enim malum, vacat malum et fieri malum secundum virtutem, sed per infirmitatem. Et daemonibus, quod quidem sunt et ex bono, et bonum.
B Malum autem ipsis ex propriis bonis casu et mutabilitates, circaque similitudinem et habitum infirmitas cognatae ipsis [4] angelicae perfectionis. Et appetunt bonum, secundum quod et esse et vivere et intelligere substituuntur. Et si non appetunt bonum, id quod non est appetunt [5]: et non erit hoc appetitus, sed vere appetitus peccatum.

In scientia autem peccantes [6] vocant eloquia [a] circa erroneam boni scientiam aut actionem infirmos: et scientes voluntatem, et non facientes: auditores quidem infirmos aut circa fidem, aut operationem boni: et nolentiam quibusdam convenire benefaciendo per falsam conversionem [7] aut infirmitatem voluntatis. Et sic omnino malum, ut saepe diximus, infirmitas, et impossibilitas, et defectus est aut scientiae, aut er-
C rantis scientiae, aut fidei, aut desiderii, aut operationis boni. Et quidem dixerit quis, non vindicabile infirmitas, econtrario vero concessibile: siquidem non licitum erat posse, bene si haberet ratio: si autem ex bono posse, dante juxta eloquia [b] ea, quae sunt opportuna omnibus, simpliciter non laudabile ex boni propriorum bonorum habitu peccatum et irrationabilis conversio, et fuga, et casus. Sed haec quidem a nobis in his, quae sunt de justa et divina justificationis observantia, satis secundum virtutem dicta sunt, secundum quam sacram actionem eloquiorum veritas sophisticas et veritatem et falsitatem contra Deum loquentes infirmavit, tanquam perverse sapientes rationes. Nunc autem, quantum
D secundum nos, sufficienter [8] laudatur bonum, ut vere mirabile, ut principium et finis omnium, ut continentia existentium, ut formificum non existentium, ut omnium bonorum causale, ut malorum non causale, ut providentia et bonitas universalis, et superans existentia et non existentia, et mala, et suam privationem bonam existentem omnibus appetibile, et amabile, et delectabile, et quaecunque alia in his palam vera ostendit, ut arbitror, ratio.

VARIAE LECTIONES.

[1] E *autem* aliud. [2] E ex *definitione*. [3] EH *et*. [4] BE *ipsius*. [5] Sic A; *Et si non appetunt — appetunt* om. BEH. [6] BH *peccatores*. [7] E *conversationem*. [8] BH *sufficientes*.

NOTAE.

[a] Isai. XLVII; Psal. XXXV; Luc. XII; Rom. II; Tit. I; Jac. IV.

[b] Jacob. I.

CAPITULUM V.

De onte [1] in quo et de paradigmatibus.

Transeundum autem nunc in vere existentem vere entis theologicam essentiae nominationem. Tantum autem admonebimus, quia rationi intentio est, non superessentialem essentiam, quae superessentialis est, manifestare. Ineffabile enim hoc et incognoscibile est, et universaliter inexplanabile, et ipsam superexaltatam unitatem, sed substantificam in existentia omnia divinae essentiae principalis processionem laudare. Etenim optimi divina nominatio, totas omnium causalis processiones manifestans, et in existentia et in non existentia omnia [2] extenditur, et super existentia et super non existentia est. Haec vero entis in omnia existentia extenditur, et super omnia est. Ast ipsa vitae in omnia viventia extenditur, et super viventia est. Ipsa dein sapientiae in omnia intellectualia et rationalia et sensualia extenditur, et super haec omnia est. Has ergo ratio laudare desiderat providentiae manifestativas divinas nominationes. Non enim exponere ejus superessentialem bonitatem, et essentiam, et vitam, et sapientiam se superessentialis deitatis promittit, quae est super omnem bonitatam et deitatem et essentiam et sapientiam et vitam in occultis, ut eloquia [a] dicunt, supercollocata, sed exprimentem beneficam providentiam, supereminentem bonitatem, et optimorum omnium causam laudat, et ὄν, et vitam, et sapientiam substantificam et vivificam, et sapientiae datricem causam essentiae, et vitae, et intellectus, et rationis, et sensus percipientium. Non aliud autem esse optimum dicit, et aliud ὄν, et aliud vitam, aut sapientiam, neque multa causalia, et aliorum alias creatrices deitates supereminentes et subditas: sed unius Dei totas optimas processiones, et a nobis laudatas divinas nominationes: et esse quidem universalis unius Dei providentiae manifestativam, quasdam autem universaliorum ejusdem et particulariorum. Et quidem dixerit quis contra hoc, eodem existente vitam, et vita sapientiam superextentam, existentia quidem viventia, ea autem, quaecunque vivunt, sensualia, et eadem rationalia, et rationalia [3] intellectus supereminent, et circa Deum sunt, et magis ei approximant. Et quidem oportebat maximarum ex Deo donationum participantia et meliora esse, et cetera supereminere. Sed si quidem inessentialia et animalia quis substituat intellectualia, benè haberet ratio. Si autem et sunt divini animi super reliqua existentia, et vivunt super alia viventia, et intelligunt, et cognoscunt super sensum et rationem, et ultra omnia existentia bonum et optimum appetunt et participant, ipsi magis sunt circa optimum, abundantius ipsius participantes, et plures et ma-

A jores ex eo donationes accipientes, sicut et cetera sensualium superant ditia ex superabundantia rationis: et haec sensu, et alia vita. Et est, ut arbitror, hoc verum, quia magis ipsi sunt proximiora et diviniora reliquis. Quoniam quidem et de his diximus, age optimum, ut vere, et existentium omnium substantificum laudemus: ὤν totius esse secundum virtutem superessentialem est substituens causa, et creator existentis subsistentiae, substantiae, essentiae, naturae principium, et mensura seculorum, et temporum essentialitas, et aeternitas existentium, tempus factorum, esse utcumque factis. Ex onte aeternum, et essentia, et ὄν, et tempus, et generatio, et factum. In existenti existentia, et utrumque subsistentia et substantia. Etenim Deus nondum est ὤν,

B sed simpliciter et incircumfinite totum in seipso esse coambiens. Proinde et rex dicitur seculorum, tanquam in semetipso et circa seipsum totius esse et ontis substitutor. Et neque erat, neque erit, neque factus est, neque fit, neque fiet. Magis autem neque est, sed ipse est esse existentibus, et non existentia solum, sed ipsum esse existentium ex ante aeternaliter onte. Ipse enim est secundum seculorum subsistens ante secula. Recipientes igitur dicamus, quia omnibus existentibus et seculis esse ex providente ontis. Et omne quidem seculum et tempus ex ipso: totius autem et seculi et temporis, et omnis utcumque ontis, qui est ante ὤν, principium et causa, et omnia ipsum participant, et a nullo existentium recedit, et ipse est ante omnia, et omnia in se constituit, et simpliciter si quis ul-

C cumque est, in ante onte et est, et intelligitur, et salvatur. Et ante alia sui participantia esse praemittitur, et est ipsum per se esse maximum, per se vitam essendo, per se sapientiam essendo, et per se similitudinem divinam essendo, et alia quaecunque participantia, ante omnia esse participando. Magis et haec per se omnia ὤν existentia participando idipsum per se esse participant [4]. Et nihil est essentia, et secundum id ipsum esse omnium. Merito aliis [5] in principalius, ut ὤν, Deus ex praestantia aliorum sui bonorum laudatur. Etenim praeesse et superesse festinans, et superans esse, omne, hoc dico per se esse, ante substitit, et ex ipso esse omnis: quomodo ergo ὄν substitit? Et quidem principia existentium omnia, ipsius esse participantia, et sunt, et

D principia sunt, et primo sunt, deinde principia sunt. Et si vult viventium, ut viventium, principium dicere per seipsam vitam, et similium, ut similium, per seipsam similitudinem, et unitorum, ut unitorum, per seipsam unitatem, et ordinatorum, ut ordinatorum, per seipsam ordinationem, et aliorum, quaecunque hujus, sive hujus, sive [6] amborum, multorum participantia, hoc, aut hoc, aut ambo, aut multa sunt: per seipsa participia invenies ipsius esse

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic codd; index capitulorum *existente*. [2] *omnia* om. AE. [3] BH *irrationalia*. [4] BE *participat*. [5] Sic BEH; A Et nihil est essentia, *cujus non sit essentia et seculum, idipsum per se esse. Merito igitur aliis.* [6] *sive* om. BH.

NOTAE.

[a] Psal. XVII; Job. XXVIII.

primum ea participantia, et eo esse primum quidem existentia, deinde hujus aut hujus principia existentia, et participando eo esse, existentia participata. Si autem haec participatione esse sunt, multo magis eorum participantia. Primam igitur ipsius per seipsum esse donationum, per seipsam summa bonitate praemissa, et maxima prima participantium laudant. Et sunt ex ipsa, et in ipsa, et ipsum esse, et existentium principia, et existentia omnia, et quae utcumque ab esse continentur : et hoc immensurate, et convolute, et unite. Etenim in monade omnis numerus ante subsistit, et habet numerum omnem monas in semetipsa singulariter, et omnis numerus unitur quidem in monade : quantum autem monade provenit, tantum discernitur et multiplicatur. Et in centro omnes circuli lineae secundum primam unitatem consubstitutae sunt. Et omnes habet signum in semetipso simplas uniformiter unitas ad se invicem, et ad unum principium, ex quo procedebant, et in ipso [1] quidem centro universaliter adunantur. Breviter autem eo distantes, breviter et discernuntur : magis autem recedentes, magis. Et simpliciter, quanto centro proximiores sunt, tantum et ipsi et sibi invicem adunantur : et quantum eo, tantum et a se invicem distant. Sed et in tota omnium natura omnes secundum singula naturae rationes convolutae sunt per unam inconfusam unitatem : et in anima uniformiter secundum partes omnium providae totius corporis virtutes. Nihil ergo inconsequens, ex obscuris imaginibus in omnium causale ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in omnium causali, et sibi invicem opposita uniformiter et unite. Principium enim est existentium, ex quo et ipsum esse, et omnia utcunque existentia, omne principium, omnis finis, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia, omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio [2], omnis distributio, omnis intellectus, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus, omnis status, omnis motus, omnis unitas, omne judicium, omnis amicitia, omnis compactio, omnis discretio, omnis terminus, et alia quaecunque ab esse existentia omnia characterizant. Et ex ipsa omnium causa invisibiles et intellectuales deiformium angelorum essentiae, et animarum et totius mundi natura, et quae utcunque aut in aliis subsistere, aut secundum excogitationem esse dicuntur. Et quidem igitur sanctissimae et praestantissimae virtutes vere existentes, et velut in vestibulis superessentialis Trinitatis stabilitae, ab ipsa, et in ipsa et esse, et deiformiter esse habent, et post illas subditae subjectum, et novissimae extremum, quantum ad angelos : quantum vero ad nos, supermundanum. Et alia omnia existentia per eandem rationem et esse, et bene esse habent : et sunt, et bene sunt, ex ante onte esse, et bene esse habentia : et in ipso et existentia, et bene existentia, et ex ipso inchoata, et in ipso custodita, et in ipsum consummata. Et quidem honorabilissima ipsius esse tribuunt melioribus essentiis, quas et aeternas vocant eloquia : esse autem ipsum existentibus omnibus nunquam deseritur. Et ipsum vero esse ex ante onte, et ab ipso est esse, et non ipse esse, et eum habet esse, et ὢν principium et mensura, ante essentias ὢν et ontis, et seculi, et omnium substantificum principium, et medietas, et consummatio. Et propterea ab eloquiis ipse vere ante-ὢν juxta omnem existentium intelligentiam multiplicatur, et quod erat in ipso, et quod est, et quod erit, et quod factum est, et fit, et fiet, proprie laudatur. Haec enim omnia divinitus intelligentibus secundum omnem excogitationem ipsum superessentialiter esse significant, et ubique existentium causalem. Etenim neque quidem est hoc, hoc autem non est : neque ibi quidem est, ibi autem non est : sed omnia est, ut causalis omnium, et in ipso omnia principia, omnes confines, omnes conclusiones, omnia existentia coambiens et praehabens, et super omnia est, ut [3] ante omnia superessentialiter super-ὤν. Proinde et omnia de eo et simul praedicantur, et nihil est existentium : formosissimum, speciosissimum, sine forma, sine specie, principia et media et fines existentium immensurate et remote in semetipso praeambiens, et omnibus esse juxta primam et superunitam causam incontaminate declarans. Si enim juxta nos sol sensibilium essentias et qualitates, et quidem multas et discretas existentes, tamen ipse unus ens, et uniformis illuminans lux renovat, et nutrit, et custodit, et perficit, et discernit, et unit, et refovet, et fecunda esse facit, et auget, et mutat, et collocat, et plantat, et removet, et vivificat omnia, et omnium unumquodque proprie sibi eundem et unum solem participat, et multorum participantium unus sol causas in seipso uniformiter praeambit : multo magis super terrae et ipsius et omnium causalis, praetexisse ipse omnium existentium paradigmata secundum unam superessentialem unitatem concedendum. Deinde et essentias adducit juxta ab essentia egressionem. Paradigmata autem dicimus esse ipsas in Deo existentium substantificas et uniformiter praetextas rationes, quas theologia praedestinationes vocat, et divinas et optimas voluntates, existentium discretivas et factivas, secundum quas ipse superessentialis existentia omnia et praedestinavit et adduxit. Si autem philosophus dignum ducit Clemens [4], et ad aliquid paradigmata dici in existentibus antiquiora, provenit quidem non per propria et perfecta et simpla nomina ratio ipsi. Concedentes autem et hoc recte dici theologiae memorandum, dicentis, quia non ostendi tibi haec exire post ea, sed ut per haec proportionali scientia in omnium causam, quantum potentes sumus, ascendamus. Omnia ergo huic existen-

VARIAE LECTIONES.

[1] BH et *ipsi* quidem. [2] AH *collatio*. [3] AE *et*. [4] BE *climes* (quod est graecum κλήμης).

tia secundum unam omnium excelsam scientiam referendum, quoniam quidem ex esse substantifica processione et bonitate inchoans, et per omnia veniens, et omnia ex seipsa ut sint implens, et in omnibus existentibus exultans, omnia quidem in seipsa superat, secundum primam simplicitatis excellentiam omnem duplicitatem respuentem. Omnia autem similiter continet secundum supersimplicatam suam multitudinem, et ab omnibus singulariter participatur : sicut et vox una existens et eadem a multis audientibus velut una participatur. Omnium ergo principium et finis existentium ante-ὢν : principium quidem, ut causalis ; finis vero, ut propter quem ; et extremum omnium, et multitudo totius multitudinis et extremitatis supereminenter, ut oppositorum. In uno enim, ut saepe dictum est, existentia omnia et superat et substituit, praesens omnibus et ubique, et secundum unum et idipsum, et secundum idipsum omne, et in omnia proveniens, et manens in seipso, et stans, et motus : neque stans, neque motus : neque principium habens aut medium aut finem : neque in quodam existentium, neque quid existentium[1] ens. Et neque omnino ipsi appropinquat quid aeternaliter existentium [1], aut temporaliter substitutorum, sed et tempore et aeterno et in aeterno et quae in tempore sunt, omnibus removetur. Proinde et ipsum aeternum, et existentia et mensura existentium, et mensurata per ipsum, et ab ipso.

CAPITULUM VI.

De vita.

Sed de his quidem in aliis opportuniori tempore dicatur. Nunc autem laudanda est laudabilis vita aeterna, ex qua per seipsam vita, et omnis vita, et a qua in omnia, utcumque vitam participantia, vivere proprie unicuique exseminatur. Igitur et immortalium angelorum vita, et immortalitas, et imperdibile ipsum angelicae semper motionis, ex ipsa et per ipsam est et substitit. Idcirco et viventes semper et immortales dicuntur, et non immortales iterum, quia non a seipsis habent immortaliter esse, et aeternaliter vivere, sed ex vivifica et totius vitae factrice et continuatrice causa. Et sicut in onte dicimus, quia et ejusdem esse est causalis, sic et ibi iterum, quia et per seipsam vita est divina vita vitalis et substantialis, et omnis vita et vitalis motus ex vita ipsa, quae est super omnem vitam, et omne principium totius vitae. Ex ipsa et animae imperdibile habent, et animalia omnia et germina secundum novissimam consonantiam animae habent vivere. Qua ablata juxta eloquium [a] deficit vita omnis ad terram : et deficientia ad participandum eam infirmitate, iterum conversa, iterum animalia fiunt. Et donatur quidem primo per seipsam vitae, esse vitam, et omni vitae

A et ab ea per singula esse proprie, singulam aestimatur natura subsistere. Et quidem supercaelestibus animis immaterialem et deiformem, et immutabilem immortalitatem, et inflexibilem et irreprehensibilem semper motionem, superextenta per magnitudinem bonitatis, et in daemonicam [3] vitam. Neque enim illa esse ab alia causa, sed ex ipsa et esse vitam, et permanentiam habet. Donans autem et viris, ut commixtis, acceptabilem subeuntem angelicam vitam, et supermananti humanitate, et redeuntes nos in seipsam convertens et revocans. Et hoc autem divinius, quia et totos nos, animas dico et conjugata corpora, ad perfectissimam vitam et immortalem promittit transmutationem : rem vetustati quidem aeque contra naturam visam, B mihi autem et tibi et veritati, et divinam, et super naturam. Super naturam autem ei, quae secundum nos est, dico visibilem, non fortissimam divinae vitae. Ipsi enim velut omnium existenti vitarum naturae, et maxime divinorum, nulla vita contra naturam aut super naturam [4]. Itaque ipsa de hoc insaniae Simonis contradictoria verba longe divino loco, et tua sacra anima abigantur. Latuere enim eum, ut arbitror, haec sapientem aestimatum esse, non oportere bene sapientem praedicationi sensus ratione auxiliante uti contra omnium occultam causam. Et hoc ipsum est dicendum, hoc contra naturam dicere. Ipsi enim nihil contrarium. Ex ipsa vivificantur et circumfoventur et animalia omnia et germina. Et sive intellectualem dixeris, C sive rationalem, sive sensualem, sive nutritivam et auctivam, sive qualemcunque vitam, aut vitae principium, aut vitae essentiam, ex ipsa et vivit et vivunt, quae est super omnem vitam, et in ipsa secundum causam uniformiter ante substitit. Si enim plusquam vita, et vitarum principalis vita, et omnis vitae est causa, et vitae genitrix, et repletiva et discretiva vita, ex omni vita laudatur secundum multiplicem generationem omnium vitarum, ut largissima et omnis vita contemplativa, et laudata, et ut non indigens : magis autem plusquam plena vita per seipsam vivens, et super omnem vitam vivificans, et plusquam vivens, aut quoquo modo quis vitam ineffabilem humanitus laudabit.

D

CAPITULUM VII.

De sapientia, intellectu, ratione, veritate, fide.

Fer [5] autem, si videtur, optimam et aeternam vitam, et ut sapientem, et ut per seipsam sapientiam laudemus : magis autem iterum omnis sapientiae substantialem, et super omnem sapientiam et intellectum superexistentem. Non enim solummodo Deus plusquam plenitudo est *sapientiae, et intelligentiae ejus non est numerus* [b] : sed et omni rationi, et intel-

VARIAE LECTIONES.

[1] *neque quid existentium* om. E. [2] *neque quid existentium — aeternaliter existentium* om. BH. [3] A *daemonum*, E *daemoniam* [4] *aut super naturam* om. BH., supra adscr. E [5] BH *Fere* (φέρε).

NOTAE.

[a] Psal. CIII. [b] Psal. CXLVI.

lectui, et sapientiae, supercollocatur. Et hoc excellenter intelligens divinus vere vir, communis nostra et magistri laetitia, *stultum Dei sapientius est hominibus*, inquit [a], non solum quia omnis humana deliberatio error quidem est judicata, ad pondus et manentiam divinarum et perfectissimarum intelligentiarum, sed quia et consuetudo est theologis, contrario mentis affectu in Deo, quae sunt, privatione depellere : sicut et invisibilem aiunt eloquia claram lucem, et multum laudabilem, et multivocum, ineffabilem, et innominabilem, et omnibus praesentem, et ex omnibus inventum, incomprehensibilem et investigabilem. Eodem modo et nunc divinus Apostolus [b] laudasse dicitur stultitiam Dei, quod apparet in ea contra rationem et inconsequens, in ineffabilem et ante omnem rationem referens veri- B tatem. Sed quod quidem in aliis diximus, proprie nobis, quae sunt super nos [1], accipientes, et cum nutrimento sensuum adunati, et his, quae secundum nos divina conferentes, seducimur [2], secundum quod videtur, divinam et ineffabilem rationem persequentes. Oportet scire, nostrum animum habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam invisibilia videt, unitatemque superexaltatam, naturamque, per quam connectitur [3] ad summa [4] sui. Juxta hanc igitur divina intelligendum, non secundum nos, sed totos nos totis ipsis existentes, et totos Deo factos. Melius enim, esse Dei et membra eorum. Sic enim erunt divina data cum Deo futuris. Hanc igitur irrationalem, et mente carentem, et stultam sapientiam supereminenter laudantes, dicimus, quia totius C est animi et rationis, et totius sapientiae et intellectus causa, et ipsa est omne consilium, et ab ipsa omnis scientia et intelligentia, et in ipsa omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt absconditi [c]. Etenim consequenter his jam praedictis, plus quam sapiens et sapientissima causa, et per seipsam sapientiae, et totius, et ejus, quae per singula est, substantia. Ex ipsa invisibiles et intellectuales angelicorum animorum virtutes simplas et beatas habent intelligentias, non in partitis aut a partitis aut sensibus aut rationibus artificialibus colligentes divinam scientiam, neque a quadam communi ad haec comprehensae, omni autem materiali et multitudine purgatae, pure, immaterialiter, uni- D formiter invisibilia divinorum intelligunt, et est eis intellectualis operatio [5] clara, et incontaminata puritate splendida, sciens et conspiciens divinarum intelligentiarum impartibiles et immateriales, et conformiter [6] uni ad intellectuale supersapientem et animum et rationem, quantum possibile, reformatae

A per divinam sapientiam. Et animae rationale habent, artificiose quidem et circulariter circa existentium veritatem deambulantes, et partibili et copioso varietatis relictae uniformibus animis : multorum [7] autem in unum convolutione, et in angelorum intellectibus, in quantum animabus aptum et possibile, dignae factae. Sed et sensus ipsos non fortassis quis peccat, visionis sapientiae consonantiam dicens. At vero et daemonius animus, si animus, ex ipsa est : quantum autem animus est, si ratione quidem sic consequi non appetit, non videns, neque volens, casum sapientia potius eum asserendum. Sed quia quidem sapientiae ipsius et totius, et omnis animi et rationis, et sensus omnis, divina sapientia et principium et causa, et substantia, et consummatio, et custodia, et finis dicitur : quomodo ipse Deus, qui est plus quam sapiens, sapientia et animus et ratio et cognitor laudatur? Quomodo enim intelliget quid invisibilium, non habens intellectuales operationes? Aut quomodo cognoscet sensibilia, omni sensui supercollocatus? Atqui omnia eum scire aiunt eloquia [d], et nihil effugere divinam scientiam : sed quod quidem diximus saepe, divina divinitus intelligendum. Non intellectuale enim et non sensuale, per excellentiam, non per defectum, in Deo ordinandum : sicut et irrationale reposuimus ei, qui est super rationem, et imperfectionem plus quam perfecto et ante perfecto, et intactam et invisibilem caliginem luci inaccessibili per excellentiam invisibilis luminis. Itaque divinus animus omnia continet, omnibus remota scientia, juxta omnium causam, in seipso omnium scientiam praeambiens, prius quam angeli fierent, sciens et adducens angelos, et omnia alia ab intus et ab eo, ut sic dicam, principio sciens, et in essentiam ducens. Et hoc, arbitror, tradere eloquium, cum ait : *Sciens omnia ante generationem eorum* [e]. Non enim ex existentibus existentia discens novit divinus animus, sed ex se, et in se, secundumcausam omnium scientiam, et cognitionem, et essentiam [8] praefert et antecoambivit, non secundum speciem singula contemplans, sed secundum unam causae circumstantiam omnia sciens et continens, sicut et lux secundum causam in seipsa cognitionem tenebrarum praeambivit, non aliunde videns tenebras, quam a lumine. Semet igitur divina sapientia cognoscens, cognoscit omnia immaterialiter materialia, et non partite partita, et multa universaliter, ipso uno omnia et cognoscens et adducens. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradit, secundum eamdem unicam causam scivit omnia ut ex ipso existentia, et in ipso ante

VARIAE LECTIONES.

[1] BH quae sunt *secundum nos adjecti* super nos. [2] BH secundum nos *adjecti* seducimur. [3] A* *convertitur*. [4] EH ad *summam*. [5] Sic codd., A intellectualis *virtus* et operatio. [6] Sic AE, BH *uniformi er*. [7] BE *multarum*. [8] *et essentiam* om. BH.

NOTAE.

[a] I Cor. I, 25 ; I Tim. VI.
[b] I Cor. I.
[c] Col. II.
[d] Heb. IV. I Joan. III. Eccl. XXIII.
[e] Dan. XIII, 42.

substituta, et non existentibus accipiet eorum scientiam, sed et ipsis singulis eorum scientiae erit largitor. Non videns Deus propriam habet sui scientiam, alteram autem communem, existentia omnia comprehendens. Ipsa enim seipsam omnium causa cognoscens, vacatio ubi eorum, quae ab ipsa sunt, et quorum est causa, ignorantiae. Hac igitur Deus existentia cognoscit, non scientia existentium, sed ipsa sua. Etenim et angelos scire aiunt eloquia [a], quae sunt super terram, non sensibus haec cognoscentes sensibilia terrena, per propriam vero deiformis animi virtutem et naturam. In his autem quaerere oportet, quomodo nos Deum cognoscimus, neque intelligibilem, neque sensibilem, neque quid universaliter existentium existentem. Numquid itaque est verum dicere, quia Deum cognoscimus non ex sua natura — incognoscibile enim hoc, et omnem rationem et intellectum superans — sed ex omnium existentium ordinatione, ex ipso praetenta, et imagines quasdam et similitudines divinorum ejus paradigmatum habente, in summum omnium vita et ordine secundum virtutem redeundum omnium ablatione, et eminentia, in omnium causa. Proinde et in omnibus Deus cognoscitur, et sine omnibus, et per scientiam Deus cognoscitur, et per inscientiam [1]: et est ejus et intelligentia, et ratio, et scientia, et tactus, et sensus, et opinio, et phantasia, et nomen, et alia omnia. Et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur, et non est quid existentium, neque in quodam existentium cognoscitur, et in omnibus omnia est, et in nullo nullum, et ex omnibus in omnibus cognoscitur, et [2] ex nullo in nullo. Et haec recte de Deo dicimus, et existentibus omnibus laudatur secundum omnium analogiam, quorum est causalis. Et est iterum divinissima Dei scientia, per incognitionem [3] cognoscens secundum super animum unitatem, cum animus existentibus omnibus recedens, deinde et seipsum relinquens, unitur superapparentibus radiis, inde et ibi, inscrutabilis profundo sapientiae illuminatus. Et quidem et ex omnibus, quod quidem dixi, ipsa cognoscendum. Ipsa enim est, secundum eloquium, omnium factrix, et semper omnia compaginans, et insolubilis omnium congruentiae et ordinationis causa, et semper fines priorum connectens principiis secundorum, et unam universitatis conspirantiam et harmoniam pulchram faciens. Ratio vero Deus laudatur a sacris eloquiis, non solum quia et rationis et intellectus et sapientiae est largitor, sed quia et omnium causas in seipso uniformiter praeambivit, et quia per omnia implet perveniens, ut eloquia aiunt [b], usque ad omnium finem. Et ante quidem haec in omni simplicitate divina supersimplicatur ratio, et ab omnibus est super omnia, secundum superessentiale absoluta. Ipsa ratio est simpla et vere existens veritas, circa quam, ut puram et non errantem omnium scientiam, divina fides est unicum credentium fundamentum, eos collocans veritati, et eis veritatem, incredibili incommutabilitate simplam veritatis scientiam habentibus credulis. Ipsa enim est scientia adunatrix cognoscentium et cognitorum: ignorantia vero transmutabilis semper, et ex seipso ignoranti separationis causa. In veritate credentem, juxta sacrum verbum, nihil removebit ea, quae est secundum veram fidem, laetitia, in qua mansionem habebit stabili et intransmutabili uniformitate [c]. Etenim scit ad veritatem unitus, ubi habet, et si multi corripiendo eum tanquam mente excedentem. Latet quidem velut imago eos erroris a veritate per veram fidem mente excedens. Ipse autem vere scit seipsum, non, quod aiunt illi, insanientem, sed instabilitate et mutabilitate circa largissimum erroris varium ambitum, per immobilem et semper secundum eadem et sicsic habentem veritatem liberatum. Sic igitur secundum nos divinae sapientiae principales duces pro veritate moriuntur omni die, testimonium perhibentes, ut est consequens, et verbo omnino et opere, unicae propter Christianos verae scientiae, hoc est, omnium ipsam esse et simpliciorem et diviniorem, magis autem, ipsam esse [4] solam, veram, et unam, et simplam divinam scientiam.

CAPITULUM VIII.

De virtute justitia, salute, redemptione, in quo et de inaequalitate.

Sed quoniam divinam veritatem, et plusquam sapientem sapientiam, et ut virtutem laudant, et ut justitiam theologi, et salutem ipsam vocant et redemptionem [5]: age et haec, quantum possibile nobis, divina vocabula replicemus. Et quia quidem thearchia omnem excellit et superat utcumque et existentem et excogitatam virtutem, non arbitror quemquam in divinis eloquiis possidentium ignorare. Ubique enim theologia et dominam ipsam, et ipsis supercaelestibus virtutibus segregans tradit. Quomodo eam theologi et ut virtutem laudant, omni remotam virtute? Aut quomodo in ipsa virtutis vocabulum accipimus? Dicamus igitur, quia virtus est Deus, ut omnem virtutem in seipso praehabens, et ut omnis virtutis causa, et omnia per virtutem inflexibilem et incircumfinitam producens, et ut a se essendi virtutem, sive totam, sive singulas quasque causalis ens, et multipotens, non solum omnem virtutem producendo, sed et super omnem per seipsam virtutem essendo et superando, et multipliciter multas existentibus

VARIAE LECTIONES.

[1] B *inscitiam* [2] *in nullo — cognoscitur et* om. BH. [3] BEH *cognitionem.* [4] *et simpliciorem — esse* om. BEH. [5] BH *redemptorem.*

NOTAE.

[a] Apoc. II.
[b] Ps. XXXII, 118. Isai. XL. Joan. I. Jer. XXIII, Sap. VIII.
[c] Rom. VIII.

virtutibus alias adducendo, et non etiam aliquando A valendo multas, et in multum productas virtutes super multam suae pontificae facturam et ineffabilium et incognitorum et superinvisibilium, omnia superante ejus virtute. Infinita autem essentia potentis, et infirmitatem virtute et novissima consonantium sibi comprehendit et superat, sicut et in his, quae secundum sensum potentia sunt, videmus, quia superlucentia luminaria et usque infirmas visiones anticipant, et magnitudines dicunt sonituum in non valde facile sonorum recipientes auditus subire. Omnino enim non audiens, non auditus: et universaliter non videns, neque visio. Ipsa clare multipotens Dei distributio omnia existentia implet, et nihil est existentium, quod omnino privetur, habere quandam virtutem, sed aut intellectualem, aut B rationalem, aut sensualem, aut vitalem [1], aut essentialem virtutem habet: et ipsum, si justum dicere, esse virtutem, in esse habet a superessentiali virtute. Ex qua sunt deiformes angelicarum dispositionum virtutes, ex ipsa et esse incasualiter [2] habent, et omnes suos intellectuales et immortales semper motus, et fortitudinem ipsam, et indiminutum desiderium boni ex multum optima virtute acceperunt, ipsa permittente eis posse et esse haec, et appetere semper esse, et hoc posse appetere posse semper. Proveniunt autem haec inflexibili virtute et in homines, et animalia, et germina, et totam universitatis naturam, et virtute unita sunt ad inter se invicem amicitiam et societatem, et discreta, ad esse secundum propriam singula quaeque rationem et terminum inconfusa et C imperturbata, et universitatis ordines et cumulationes in proprium optimum persalvat, et immortales angelicarum unitatum vitas immaculatas custodit, et caelestes, et illuminatrices, et sidereas essentias, et ordinationes immutabiles, et secundum posse esse facit: et temporis ambitus discernit quidem processionibus, colligit vero reversionibus: et ignis virtutes inextinguibiles facit, et aquae fluenta non deficientia, et aëream effusionem terminat, et terram in nihilo collocat, fecundos ejus partus incorruptibiles custodit, et in se invicem elementorum harmoniam et temperantiam inconfusam et inseparabilem salvat, et animi et corporis copulam continet, et germinum nutritivas et auctivas virtutes movet, et D superat essentiales omnium virtutes, et universitatis insolubilem mansionem munit, et deificationem ipsa donat, virtutem in hoc deificandis praestans. Et omnino nullum est universaliter existentium, omnipotenti munimine et circumstantia divinae virtutis privatum. Quod enim universaliter nullam virtutem habet, neque est neque quid est, neque aliqua [3] ejus omnimodo positio. Et quidem ait Elymas magus: Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse? A quo nostro theologo maledicitur divino Paulo, dicenti [a], non posse Deum seipsum negare. Addens autem hoc, valde expavesco, numquid et insipientiae debeo. Rideo, puerorum ludentium aedificia et super arenam et infirmum solvere tentans, et veluti quadam incomprehensibili visione considerare festinus de hoc theologicam virtutem. Suimet enim negatio casus veritatis est. Veritas autem ὂν est: et veritatis casus, ab existente lapsus [4]. Si igitur veritas [5] ὂν est, negatioque veritas ontis casus, ex onte cadere Deus non potest, et non esse non est: tanquam si quis dixerit, non posse non potest, et nescire secundum privationem nescit. Quod quidem sophos non intelligens, imitatur certantium imperitos luctatores, qui saepe infirmos esse contracertantes opinando, secundum quod videtur sibi, et ad omnes eos viriliter umbratim pugnantes, et aëra vanis ictibus fiducialiter percutientes, aestimant contraluctantium suorum dominari, et seipsos praedicant, nescientes illorum virtutem. Nos autem theologum, secundum quod possibile, considerantes, plus quam potentem Deum laudamus ut omnipotentem, ut beatum, ut solum potentem, et dominantem in potentia sua seculi, ut secundum nullum existentium cadentem: magis autem et superantem omnia existentia per virtutem superessentialem, et omnibus existentibus posse esse, et esse secundum magnitudinem superantis virtutis copiosa effusione donantem. Justitia autem iterum Deus, velut omnibus quae sunt, secundum dignitatem distribuens laudatur, et mensurationem, et formam, et ordinationem, et dispositionem, et omnes virtutes et ordines segregans unicuique juxta vere existentem justissimum terminum, et omnibus eorum singulorum per seipsam actionis causalis ens. Omnia enim divina justitia ordinat, et terminat, et omnia ab omnibus clara et inconfusa salvans, unicuique cognata omnibus existentibus donat, secundum unicuique existentium insitam dignitatem. Et si haec recte dicimus, quicunque divinis maledicunt, justitia eos latet, suam injustitiam in aperto condemnantes. Aiunt enim, debere inesse mortalibus immortalitatem, et imperfectis perfectum, et per seipsos motis alteram moventem necessitatem, et mutabilibus immutabilitatem, et perfecte potentia infirmis, et aeterna esse temporalia, et intransmutabilia natura mobilia, et temporales delicias aeternas, et omnino quae sunt aliorum, aliis porrigunt. Oportet scire, divinam justitiam in hoc vere existentem veram justitiam, quia omnibus retribuit propria secundum uniuscujusque existentium dignitatem, et uniuscujusque naturam in propria salvat ordinatione et virtute. Sed quis dixerit: Non est justitiae forsan, agentes sanctos inter non adjuvantes a deludentibus

VARIAE LECTIONES.

[1] *aut vitalem* om. BH. [2] AEH *incausaliter*. [3] BEH neque est, *neque est* aliqua. [4] Sic A; *ex existente lapsus* om. codd. [5] BE *veritate*.

NOTAE.

[a] II Tim. II

extorquendos. Ad quem dicendum sic : Si quidem diligunt, quos dicis sanctos, in terra a materialibus zelanda, divino penitus ceciderunt amore : et nescio quomodo sancti vocentur [1] injuste agentes, vere amabilia et divina non zelantibus, et non amantibus ab ipsis non sancte approbata. Si autem vere existentia amant, laetari oportet quorum appetitores, quando appetita assequuntur. Vel non tunc magis appropinquant [2] angelicis virtutibus, cum, ut possibile est, desiderio divinorum redeunt materialium perpessione exercitati. Ad hoc valde viriliter pro bono instant. Itaque verum dicere, quia hoc magis est divinae justitiae proprium, nolle perdere potenter agentium fortitudinem materialium vinculis. Numquid vero, si quis conatus fuerit hoc facere, inter non adjuvantes, sed collocantes eos in bona et irreprehensibili statione, et retribuentes talibus existentibus, quae secundum dignitatem sunt. Haec igitur divina justitia et salus omnium laudatur, propriam uniuscujusque et puram ab aliis essentiam et ordinem salvans et custodiens, et foetida purgans in omnibus propriae actionis. Si autem quis salutem laudaverit, et sic ex malis omnibus omnes velut parturientem eripientem, omnino ibi et hunc laudabilem laudatorem largissimae salutis recipiemus. Et hanc autem etiam primam salutem omnium dignum judicabimus cum definisse omnia in seipsis intransmutabilia, et stabilia, et inflexibilia ad subjecta salvantem, et omnia custodientem non pugnantia et non bellantia, suisque singula quaeque rationibus disposita, et omnem iniquitatem et extraneam actionem ex omnibus exterminantem, et corrationalitate uniuscujusque constituentem irrationalitates extra cadentes in contraria, et non transgredientes. Deinde et hanc salutem non respectu quis laudarit sacrae theologiae, velut omnia existentia salutari omnium bonitate propriorum optimorum casu redimentem, quantum uniuscujusque salvandorum recipit natura. Proinde et redemptionem ipsam nominant theologi, quantum non sinit vere existentia ad non esse cadere, et quantum et si quid ad delictum aut inordinatum deceptum sit, et diminutionem quandam patiatur propriorum bonorum perfectionis, et hoc passione et inertia et privatione redimit, implens indigentiam, et paterne infirmitatem despiciens, et restituens a malo, magis autem statuens in bono, superfinitudum bonum replens, et ordinans, et ornans inordinatum ejus et inornatum, et integritatem perficiens, et omnium solvens maculas.

Sed de his quidem et de justitia dictum est, secundum quam omnium aequitas mensuratur et terminatur, et omnis iniquitas, quae est per privationem, in ipsis singulis aequitatis exterminatur. Aequitatem enim si quis auferret in toto, totorum ad tota differentias, et ejus, quae est justitia, custodem, quae non concedit commixta tota in totis facta perturbari, custodiens vero, quae sunt omnia, per species singulas, in quibus unumquodque esse substituit.

CAPITULUM IX.

De magno, parvo, eodem, altero, simili, dissimili, statu, motu, aequalitate.

Quoniam autem et magnum et parvum ponitur in omnium causali, et idipsum, et alterum, et simile, et dissimile, et status, et motus : da, et his divini nominativis [3] agalmatis quaecumque nobis manifesta sunt, contemplabimur. Magnus igitur Deus in eloquiis laudatur, et in magnitudine, et in aura leni divinam manifestante parvitatem : et idem ipse, cum aiunt eloquia : *Tu autem idem ipse es* [a], et alter, quando ut multum figuratus et multiformis ab ipsis eloquiis plasmatur, et similis, ut similium et similitudinis substitutor, et dissimilis omnibus, ut non ente ei simili [4], et stans, et movens, et ut sedens in aeternum, et motus, ut in omnia vadens : et quaecunque aliae eisdem aequipotentes divinae nominationes ab eloquiis laudantur. Magnus igitur Deus nominatur, secundum quod scit suum magnum omnibus magnis suis tradens, et omnem magnitudinem extrinsecus superexcellens, et superextentum universalissimum locum continens, omnem superans numerum, omnem multitudinem transgrediens, et secundum superplenitudinem suam et magnam operationem, et manantes suas donationes, et quantum ipsae ab omnibus participatae secundum multam et largam effusionem indiminutae omnino sunt, et eandem habent superplenitudinem, et non minuuntur participationibus, sed et magis supermanant. Magnitudo haec et multa est, et informabilis, et innumerabilis : et haec est superexcellentia, secundum absolutam et superordinatam inacceptibilis magnitudinis effusionem. Parvum autem sive minutum in ipso dicitur omni finito spatio emunitus [5], et per omnia consequenter locatus. Et quidem omnium causale est parvum. Nusquam enim invenies parvi formam non participans. Sic igitur in Deo parvum accipiendum est, velut in omnia et per omnia firmiter locatum, et operans, et pervestigans usque ad divisionem animae et corporis, compaginumque et medullarum et notionum cordis, magis autem existentium omnium. *Non enim est creatura non apparens in conspectu ejus* [b]. Parvum tantum est, et quantum incomprehensibile, multum, infinitum, comprehendens omnia : ipsum autem incomprehensibile. Idipsum vero superessentialiter aeternum, inconversibile, in seipso manens semper secundum eadem et similiter habens, omnibus similiter praesens, et idipsum per seipsum a seipso, firmiter et incontaminate in formosissimis summis,

VARIAE LECTIONES.

[1] AE *vocarentur*. [2] *Vel non — appropinquant* om. codd. [3] AE *divinis nominativis*. [4] AII *similis*. [5] BII *eminutus*.

NOTAE.

[a] III. Reg. XIX. Psal. CI. [b] Hebr. IV.

magna immutabilitate, et naturali collocatum societate A intransmutabile, incasuale, inflexibile, inalienatum, purum, immateriale [1], simplicissimum, non indigens, non crescens, non diminutum, non genitum, non sic, non quomodo aut factum aut imperfectum, aut ab hoc aut hoc non factum, nullo modo nunquam nusquam ὄν, sed sicut omne ingenitum et absolute ingenitum, et semper ὄν, et ipsum perfectum ὄν, et idipsum ὄν per seipsum, et a seipso uniformiter et aequiformiter segregatum, et idipsum ex seipso omnibus participari opportunis superillucens, et altera alteris componens, magnitudo et causa naturalis immutabilis societatis in seipso, et contraria similiter supereminens secundum unam et singularem totius naturalis immutabilis societatis supereminentem causam. Alterum autem, quoniam omnibus provide Deus adest, et B omnia in omnibus propter omnium salutem sit quidem ὄν. ex seipso et propria naturali immutabilitate inconversibiliter per operationem unam et incessabilem stans, et seipsum porrigens inflexibili virtute ad deificationem conversorum, et alteritatem variarum Dei per multiformes visiones figurarum, altera quaedam visibilibus perlucens significare aestimandum. Quomodo enim, si animam ipsam corporali specie ratio effingeret, et partes corporales impartibili circumplasmaret, aliter intelligeremus in ipsa circumpositas partes impartibilitati, quae est secundum animam proprie. Et caput quidem animum, cervicem autem opinionem, ut medio [2] rationis et irrationalitatis, pectus vero furorem, ventrem ast concupiscentiam, crura quoque et pedes naturam dice- C remus, partium nominibus virtutum symbolis utentibus. Multo magis in omnium summa alteritatem formarum et figurarum sacris et divinis et mysticis explicationibus solvere oportet. Et consilium trina corporum schemata intacto et non figurato Deo circumligavit : latitudinem quidem divinam dicendo superlatissimam in omnia Dei processionem, longitudinem vero superextentam in omnia virtutem : profundum ast, omnibus existentibus incomprehensibilem obscuritatem et ignorantiam. Sed ut nihil lateat nosipsos ex alterarum figurarum et informium replicatione, eas quidem incorporales divinas nominationes his, quae sunt per symbola sensibilia, commiscentes : propterea de his quidem in D symbolica theologia. Nunc vero hoc divinam alteritatem, non alienationem quandam superinconversibilis immutabilisque naturalis societatis suspicabimur, sed singulare ipsius multiplex et uniformes in omnia multae fecunditatis processiones. Similem autem Deum, siquidem unum et idipsum dixerit quis, sicut totum per totum in seipso singulariter et impartite existentem similem, non spernendum nobis similis divinum vocabulum. Theologi autem super omnia Deum, aut ipsum [3] nulli aiunt esse simi-

lem : ipsum [4] vero similitudinem venatricem donare ad se conversis, ea secundum virtutem medietate eorum, quae sunt super omnem et visionem et rationem. Et est divinae similitudinis virtus, advenientia omnia ad causale convertens. Haec igitur dicendum similia Deo, et secundum divinam imaginem et similitudinem. Non enim ipsis Deum similem, quia neque homo propriae imagini similis. In aeque potentibus enim possibile esse, et similia haec inter se esse, et converti in alterutram similitudinem [5], et esse ambo sibi invicem similia, secundum praecedentem similis speciem : in causali autem et causativis non recipimus reciprocationem. Non enim solum his aut his simile esse donatur : omnibus autem similitudinem [6] participantibus essendi similibus Deus causa fit, et est et ipsa per seipsam similitudinis substitutrix, et in omnibus simile vestigio quodam divinae similitudinis simile est, et unitatem eorum complet. Et quid oportet de hoc dicere? Ipsa enim theologia dissimilem eum esse praecipit, et omnibus incompactum, ut [7] omnibus alterum : et quod est mirabilius, quia nihil esse simile ei dicit. Et quidem non est contraria ratio ad ipsum similitudini. Eadem enim et similia Deo, et dissimilia : illud quidem secundum acceptam ipsius inimitabilis imitationem, hoc vero secundum distantiam causativorum a causali, et mensuris multis et incomparabilibus. Reliquum autem, et de divino statu sive sede dicamus. Quid autem aliud, praeter manere ipsum in seipso Deum, et immobili naturali immutabilitate unimode fixum esse, et supercollocari secundum eadem, et circa idipsum et similiter operari, et secundum stabilissimum ipsum ex seipso omnimodo subsistere, et secundum idipsum intransmutabilem, et universaliter immutabilem, et haec superessentialiter. Etenim ipse est omnium stationis et aedificationis causalis, qui est super omnem aedificationem et stationem, et in seipso omnia constituit ex propriorum bonorum statione immobilia et custodita. Quid autem et cum iterum theologi et in omnia provenientem, et mutabilem dicunt immutabilem? Nonne divinitus et hoc intelligendum? Moveri enim ipsum pie arbitrandum, non secundum delationem, aut alienationem, aut alternationem, aut conversionem, aut localem motum, non rectum, non circulariter ferentem, non ex ambobus, non intelligibilem, non animalem, non naturalem, sed in essentiam ducere Deum, et continere omnia, et universaliter omnibus providere, et adesse omnibus [8] omnium immensurabili circumstantia, et in existentia omnia providis processionibus et operationibus. Sed et motus [9] Dei immutabilis [10] divinitus ratione concedendum laudare. Et rectus quidem inflexibilis intelligendus, et irrevocabilis processio operationum, et ex ipso omnium

VARIAE LECTIONES.

[1] *inflexibile — immateriale* om. BH. [2] AE ut *in* medio. [3] AB *ipse.* [4] EH *ipsam.* [5] A in *altiora similitudine;* E in *alterutra similitudine.* [6] AE *similitudine.* [7] E *et.* [8] *providere — omnibus* om. BH. [9] BH *totum.* [10] BH *immutabili.*

generatio : elicoeides vero, id est obliquus, stateralis processio et fertilis status. Quod autem secundum cyclum, idipsum et media et extrema continens et continenda continere, et in ipsum ab ipso pervenientium conversio. Si autem quis similiter in eloquiis ipsam justitiae divinam nominationem in aequo accipiat, dicendum, aequum Deum, non solum in non partitam et irreprehensibilem, sed etiam ut in omnia et per omnia ex aequitate pervenientem, et ut per seipsam aequalitatis substitutorem, juxta quam aeque operatur per se invicem omnium similem capacitatem, et accipientium ex aequitate participationem, secundum singulorum opportunitatem, et aequitatem secundum dignitatem, et in omnia distributum datum, et per omnia aequalitatem invisibilem, intellectualem, rationalem, sensualem, essentialem, naturalem, voluntariam [1] excellenter et universaliter in seipso anticipando, secundum super omnia totius aequalitatis factricem virtutem.

CAPITULUM X.

De omnipotente, antiquo dierum, in quo et de aeterno et tempore.

Hora autem est, sermone multivocum Deum ut omnipotentem, et ut antiquum dierum laudare. Hoc quidem enim dicitur, propter quod omnium ipse sit omnipotens aedificatio, continens et ambiens tota, et collocans, et fundans, et constringens, et infirmum in se omne perficiens, et ex seipso omnia, sicut ex radice omnia tenenti, ducens, et in seipsam omnia velut in consultum omnipotentissimum convertens, et continens ut omnium aedificatio, omnipotens, comprehensa omnia secundum unam superantem omnia continentiam muniens, et non sinens ea cadentia seipsa, ut ex perfectissima refectione mutata, perire. Dicitur autem omnipotens thearchia, et ut omnium potens, et pure ministrantibus ea praestans, et, ut omnibus praecepit, amabilis est, immittens omnibus voluntarias copulationes, et dulces partus divini et omnipotentis et immaterialis bonitatis ipsius amoris. Dierum autem antiquus Deus laudatur, propter quod omnium [2] ipse sit et aeternum, et tempus, et ante dies, et ante aeternum, et tempus [3]. Et quidem tempus, et diem, et spatium temporis, et aeternum divinitus eum esse dicendum, ut existentem secundum omnem motum intransmutabilem et immobilem, et in semper movendo manentem ex seipso, et ut aeterni, et temporis, et dierum causalem. Proinde et in sacris mysticarum visionum theophaniis et vetus et novus formatur, seniore quidem antiquum et existentem a principio, juniore vero non senescentem significante, clarissime a principio per omnia usque ad finem eum provenire docente : aut, ut divinus noster sacer perfector ait, utroque antiquitatem divinam declarante, seniore quidem, quod primum in tempore, juniore vero, quod secundum numerum est antiquius, habente, quoniam unitas, et quae sunt circa unitatem, in multum progredientium numerorum antiquior. Oportet autem, ut arbitror, temporis, et aeterni naturam ex eloquiis scire. Etenim non quae sunt omnino et absolute ingenita et vere aeterna, ubique aiunt aeterna, et incorruptibilia, et immortalia, et immobilia, et existentia similiter, quomodo existentia dicta sunt : *Elevamini portae aeternales* [a], et similia. Saepe autem et antiquissima aeterni cognominatione characterizant, et totum verum est, quando secundum nos temporis statum aeternum appellant, quantum proprietas aeterni est antiquum et immutabile et universale esse metiendo [4]. Tempus autem vocant in generatione et corruptione et mutabilitate, et aliud aliter habens. Proinde et nos hic secundum tempus terminandos aeterni participationem theologia dicit, cum incorruptibile et semper sicsic habens, aeternum intelligimus. Eloquiis vero est, quando et in temporibus aeternum glorificatur, et aeternum tempus, et si magis in ipsis quidem et potentius existentia aeterna, et quae in generatione sunt, tempore dicta et declarata sunt. Oportet itaque non simpliciter coaeterna Deo, qui est ante aeternum, aestimari, quae aeterna dicta sunt. Pretiosissima autem eloquia inconversibilia sequentes, aeterna quidem et temporalia, secundum cognitos ipsos ad obaudiendum modos, media vero existentium et factorum quaecunque, alibi quidem aeternum, alibi vero tempus participant. Deum ast et ut aeternum, et ut tempus laudare, ut temporis totius et aeterni causalem, et antiquum dierum, ut ante tempus, et plusquam tempus, et moventem spatia temporum et tempora, et iterum ante aeterna subsistentem, quantum et ante aeternum est, et plusquam aeternum, et regnum ejus regnum omnium seculorum [b].

CAPITULUM XI.

De pace, et quid vult sibi hoc per seipsum esse, quae per seipsam vita, quae per seipsam virtus, et quae sic dicta.

Age nunc divinam et archisynagogam pacem laudibus pacificis favorabimus. Ipsa est enim omnium adunatrix, et omnium consensus, et connaturalitatis genitrix et operatrix. Proinde et omnia ipsam appetunt, partibilem eorum multitudinem convertentem in totam unitatem, et civile universitatis bellum adunantem in aequiformem cohabitationem. Participatione divinae pacis primores congregatarum virtutum ipsae, et ad seipsas, et ad se invicem

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *voluntaria.* [2] A' *omni tempore sit.* [3] A et *ante* tempus; E et *ante dies et aeternum et tempus; et ante aeternum — tempus* om. BH. [4] EH *mentiendo.*

NOTAE.

[a] Psal. XXIII, 7, 9. [b] Dan. VII. Psal. CXLIV.

uniuntur, et ad unam omnium pacem pristinam, et quae sibi subjecta uniunt, ipsaque ad seipsa, et ad se invicem, et ad unum et perfectum omnium pacis principium et causam : quae impartibiliter superfirmata totis, velut quibusdam claustris divisorum convenientium omnia terminat, et consummat, et tutificat, et non sinit separata fundi ad multum et infinitum, inordinata, et incollocata, deserta Deo facta, et sua unitate exeuntia, et inter se invicem turbulentissime confusa. De hac igitur quia est divina pace et silentio, quod sacer Justus ἀφθεγξίαν vocat, et in omnem cognitam processionem, immobilitatem, ut et silet, et silentium ducit, et ut in seipsa, et intra seipsam est, et ad seipsam totam tota superunitur, et neque in seipsam intrans, et multiplicans seipsam, deserit suam unitatem, sed et provenit in omnia, intus ibi manens per excellentiam omnia superantis unitatis. Neque dicere, neque intelligere cuidam existentium est fas, neque possibile, sed, ut ineffabile et idipsum et incognoscibile in ipsam reponentes, tanquam omnium existentem summitatem, intellectas ejus et dictas participationes, et hoc, ut possibile viris et nobis a multis optimis relictis superspeculabimur [1]. Et primum quidem hoc dicendum, quia per seipsam pacis, et totius, et per unumquodque, est substantia, et quia omnia ad se invicem contemperat per inconfusam eorum unitatem, per quam inseparabiliter unita, et indistanter aeque perfecta, secundum propriam singula speciem statuit, non superobscurata per mixturam ad opposita quidquam obcaecant unitricis diligentiae et puritatis. Unam igitur quandam et simplam pacificae unitatis contemplabimur naturam, copulantem omnes sibi, et sibimetipsis, et invicem, et salvantem omnia in inconfusa omnium continentia, et conspicua, et contemperata. Per quam divini animi intellecti intellectibus suis uniuntur, et intelligentibus, et iterum in incognitum ascendunt super animum collocatorum contactum. Per quam animae largissimas suas rationes intelligentes, et ad unam intellectualem congregatae puritatem, progrediuntur proprie sibimet via et ordine per immaterialem et impartibilem intelligentiam in unitatem super intellectam. Per quam una et insolubilis omnium complicatio secundum divinam ejus harmoniam constituitur [2], et compaginatur consonantia perfecta, et consensus, et congerminatio congregans inconfuse, inseparabiliterque confusa. Pervenit enim perfectissimae pacis universitas in omnia existentia, secundum simplicissimum ejus et clarum unificae virtutis adventum, unificans omnia, et conjungens summa per media summis, per unam connaturalem conjugata amicitiam, et perfrui se donans etiam novissimis universitatis extremitatibus, et omnia cognata faciens unitatibus naturalibus, immutabilibus societatibus, adunationibus, congregationibus, inseparabiliter scilicet divina pace stante, et ab

A uno omnia ostendente, et per omnia veniens, et propria naturali et immutabili societate veniens. Provenit enim in omnia, et tradit omnibus proprie ipsis ex seipsa supermanans magnitudo pacificae generationis, et manet per excellentiam unitatis tota ad totam, et per totam seipsam superunitam. Quomodo autem, dixerit quis, appetunt omnia pacem? Multa enim alteritate et discretione gaudent, et nunquam aliquando habentem silere voluerint. Et si quidem alteritatem et discretionem, qui haec dicit, ait uniuscujusque existentium proprietatem, et quia hanc existentium nullum ὄν, quod quidem est, velit aliquando perdere, non fortassis neque nos ad hoc contradicemus, sed hunc pacis appetitum manifestabimus. Omnia enim diligit ad seipsa paci-
B ficare et uniri, et a suis et a seipsis immutabilia et incasualia esse : et est per unumquodque commixta proprietate perfectissima pax custoditiva, pacem donantibus suis providentiis, omnia imperturbata et inconfusa ad tanta et ad se invicem salvans, et omnia in fortitudine et inflexibili virtute ad suam pacem et tranquillitatem statuens. Deinde mota omnia non silere, sed moveri semper eorum motum vult. Et hoc appetitus est divinae omnium pacis, omnia in seipsis incasualia salvantis, et omnium motorum proprietatem et motivam vitam, immutabilem et incasualem custodientis, in mota ad se pacificantia, et sicsic habentia, agendo quae sua sunt. Si autem secundum casum pacis alteritatem dicens,
C confirmat non esse omnibus amabilem pacem, magis quidem nihil existentium esse, quod ab omni penitus unitate cecidit. Quod enim omnino instabile et multum, et incollocatum, et infinitum, neque ὄν est, neque in existentibus. Si autem tales ait paci et pacis bonis infestos esse, contentionibus et furoribus et alienationibus et instabilitatibus gaudentes, et ipsi obscurissimis umbris pacis concupiscentiae detinentur, ad quas passionibus turbati multum mobilibus, et eas sistere indisciplinate appetentes, et aestimantes plenitudine semper refluentium pacificare seipsos instructione tenentium voluptatum perturbatos. Quid si quis dixerit de ipsa secundum Christum pacifica humanitate, secundum quam non discimus adhuc pugnare, neque nobis ipsis, neque
D invicem, neque angelis, sed et ipsis divina per virtutem cooperabimur, secundum providentiam Jesu omnia in omnibus operantis, et facientis pacem ineffabilem, et ex seculo praedestinatam, et reconciliantis nos sibi ipsi in spiritu, et per seipsum et in ipso patri. De quibus superemiuentibus donis in theologicis characteribus sufficienter dictum est, attestantium nobis sacra eloquiorum intelligentia. Quoniam et aliud me per epistolam interrogabas, quid forsan, quando dico per seipsum esse, per seipsam vitam, per seipsam sapientiam, et ad seipsam dicebas dubitare, quomodo Deum aliquando quidem ipsum vitam dico, aliquando vero per se-

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *superspeculamur* [2] A E *substituitur*.

ipsam Vitae substitutorem : necessarium aestimavimus, sancte Dei homo, et hac te in nobis dubitatione absolvere. Et primum quidem, ut multoties dicta et nunc recipiamus, non est contrarium, per seipsam virtutem, aut per seipsam vitam dicere Deum, et per seipsam vitae, aut pacis, aut virtutis substitutorem. Quaedam quidem enim ex existentibus, et maxime ex primum existentibus, ut causalis[1] omnium existentium dicuntur : quaedam vero, ut super omnia etiam primo existentia, superis superessentialiter. Quid autem omnino, inquis, quod per seipsum esse dictum est, aut per seipsam vitam, aut quaecunque absolute et principaliter esse, ex Deo primitus substituisse[2] exposuimus. Hoc autem dicimus, non est pravum, sed rectum, et simplicem declarationem habet. Non enim essentiam quandam divinam aut angelicam esse dicimus, per seipsam essendo essendi quae sunt omnia causam; solummodo enim essendi omnia quae sunt, et ipsum esse superessentiale principium, et essentiam, et causalem[3]. Neque vitae parentem aliam deitatem, praeter superdivinam omnium quaecunque vivunt, et editae vitae causam vitam. Neque colligentem dicendum principales existentium et creatrices essentias et substantias, quas quidam et deos existentium et creatores promptos confestim perfecerunt, quos vere et proprie dicendum, neque ipsi formaverunt non existentes, neque patres eorum. Sed per seipsum esse, et per seipsam vitam, et per seipsam deitatem dicimus principaliter quidem et deiformiter et causaliter unum omnium superprincipale et superessentiale principium et causam. Participaliter autem editas ex Deo non participante providas virtutes, per seipsam deificationem, per seipsam vivificationem, per seipsam deificationem[4], quas existentia proprie sibimetipsis participant, et existentia, et viventia, et divina, et sunt, et dicuntur, et alia similiter. Proinde et primarum ipsarum optimus substitutor dicitur esse, deinde totarum earum, deinde particularium ipsarum, deinde totarum ipsarum participationum, deinde particulariter earum[5] participantium. Et quid oportet de his dicere, quando quidam divinorum nostrorum sacrorum magistrorum, et per seipsam bonitatis et deitatis substitutricem aiunt plusquam optimam et plusquam divinam per seipsam bonitatem et divinitatem, dicentes esse beneficam et deificam ex Deo procedentem donationem, et per seipsam formam, per seipsam formificam fusionem, et totam formam, et particularem formam, et universaliter bona, et particulariter bona[6] : et quaecunque alia secundum eundem dicta sunt et dicentur modum, declarantia providentiam et bonitatem participatas ab existentibus, ex Deo non participante provenientes copiosa fusione, et superscatentes, ut diligens omnium causalis summitas omnium, et superessentiale, et supernaturale omnino superexcellit ea, quae sunt secundum qualemcunque essentiam et naturam.

CAPITULUM XII.

De sancto sanctorum, rege regum, domino dominorum, Deo deorum.

Sed quoniam quidem de his quaecunque dicere oportebat, competentem acceperunt, ut arbitror, finem, laudandus est nobis magnivocus ut sanctus sanctorum, et rex regnantium, et regnans in secula, et super secula, et adhuc, et ut Dominus dominorum, et Deus deorum [a]. Et primum quidem dicendum, quid per seipsam sanctitatem esse arbitramur, quid regnum, quid dominationem, quid divinitatem, et quid volunt declarare eloquia duplicatione existentium [b]. Sanctitas igitur est, quantum secundum nos dicendum, omni inquinatione libera et perfectissima et incontaminatissima puritas. Regnum autem omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio. Dominatus vero non subditorum excellentia tantum, sed et omnis et bonorum et optimorum perfectissima et omnimoda possessio, et vera et immutabilis firmitas : propter quod et dominatus a Domino, et dominabile, et dominari. Deitas vero omnia considerans providentia et bonitate perfecta, et omnia circumspiciens et continens, et a seipsa replens et superans omnia providentia sua fruentia. Haec igitur omnia in superexcellenti causa absolute laudanda. Et addendum, ipsa supereminens est sanctitas, et dominatus, et regnum, et superincumbens et simplicissima deitas. Etenim ex ipsa in uno et cumulate nascitur et distribuitur omnis clara diligentia totius sincerae puritatis, omnis existentium et ordinatio et dispositio, inconvenientiam et inaequalitatem et immensurabilitatem exterminans, et in bene ordinatam similitudinem et rectitudinem resplendens, et circumducens participare se digne facta : omnis perfectio, et omnium bonorum omnimoda possessio, omnis optima contemplatio et continuatio eorum, quae provisa sunt, seipsam divinitus addens ad deificationem desiderantium. Quoniam vero superplenitudo omnium est omnium causalis, secundum unam omnia superantem excellentiam, sanctus sanctorum laudatur, et cetera, secundum supermanantem[7] causam et exaltatam supereminentiam : tanquam si quis dixerit : Quantum superat non existentibus existentia sancta, divina, domina, regalis, et ipsa participantia, ipsae per se participationes: tantum supercollocatur omnibus existentibus, qui

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *causales.* [2] *ex Deo primitus substituisse* om. BH. [3] AE *causale.* [4] *per seipsam vivificationem, per seipsam deificationem* om. codd. [5] *participationum — earum* om. codd. [6] *et particulariter bona* om. codd. [7] EH *supermanentem.*

NOTAE.

[a] Dan. IX; Apoc. XIX.

[b] Dan. IV; Isai. IX; Mich. V; Zach. IX; Apoc. XVII.

est super omnia existentia, omnium participantium et participationum non participans causalis. Sanctos autem et reges et dominos et deos vocant eloquia ipsas in singulis principaliores dispositiones, per quas secundae ex Dei donis accipientes, illarum distributionis simplicitatem circa suos differentias multiplicant, quarum praestantes varietatem provide et deiformiter ad unitatem ipsam, quae est earum, congregant.

CAPITULUM XIII.

De perfecto et uno.

Tanta et de his. In hoc autem residuum, si videtur, sermone fortissimum collocemus. Etenim theologia de omnium causa et omnia, et simul omnia praedicat, et ut perfectum solum, et ut unum laudat. Perfectum quidem ergo est, non solum ut per seipsum perfectum, secundum seipsum a seipso uniformiter segregatum, et totum per totum perfectissimum, sed et plusquam perfectum, secundum omnium excellentiam, et omnem quidem multitudinem terminans, omni vero summitati superexpansum, et a nullo locatum aut comprehensum, sed extentum in omnia simul et super omnia non deficientibus augmentis et infinitis operationibus. Perfectum iterum dicitur, et velut non auctum, et semper perfectum, et ut indiminutum, ut omnia in seipso superans et supermanans secundum unam et incessabilem et eandem [1] per se superplenam et non minoratam largitatem, per quam perfecta omnia perficit, et propria replet perfectione. Unum vero, quia omnia universaliter est per unius unitatis excellentiam, et omnium est et unius irreversibiliter causalis : nullum enim existentium est non participans unius, sed sicut simul omnis numerus monade [2] participat, et unum duo et decem dicitur, et semis unum, et tertium et decimum unum : sic omnia et omnium pars unum participant [3], et essendo unum omnia sunt existentia. Et non est omnium causa unum, multis unum : sed ante omne unum et multitudinem, et omne unum et multitudinem [4] terminat. Neque enim est multitudo non participans quid unius : sed hoc quidem multa partibus, unum toto : et hoc multa accidentibus, unum subjecto : et hoc multa numero aut virtutibus, unum specie : et hoc multa speciebus, unum genere : et hoc multa processionibus, unum principio : et nihil est existentium, quod non participet vel quid unius, deorsum omnia, singulariter omnia, et tota omnia, et opposita universaliter comprehendentis. Et sine quidem uno non erit multitudo, sine autem multitudine erit unum : sicut et monas ante omnem numerum multiplicatum, et si omnibus omnia unita quis posuerit, omnia erunt toto unum. Sed itaque et hoc cognoscendum, quia secundum unum uniuscujusque praecogitata est species, unire dicitur unita, est omnium est unum exemplar, et si interimas unum, neque universitas, neque pars [5], neque aliud aliquid existentium erit : omnia enim in seipso unum uniformiter praeambit et circumprehendit. Ipsa igitur theologia totam thearchiam, ut omnium causam, laudat unius vocabulo, et unus Deus pater, et unus Dominus Jesus Christus, unus autem et ipse spiritus, per superexcellentem totius divinae unitatis impartibilitatem, in qua omnia singulariter connectuntur, et superuniuntur, et adest superessentialiter. Proinde et omnia in ipsam juste remittuntur et referuntur, sub qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et in quam omnia sunt, et coordinantur, et manent, et continentur, et replentur, et convertuntur : et non invenies quid existentium, quod non in uno, secundum quod omnis deitas superessentialiter nominatur, et est hoc, quod quidem est, et perficit, et salvat. Et oportet nos ex multis in unum virtute divinae unitatis conversos, unitim laudare totam et unam divinitatem, omnium causam, unum quod est ante omne unum, et multitudinem, et partem et totum et definitionem [6], et infinitum, et summitatem, et terminum [7], et magnitudinem, omnia existentia, et ipsum esse terminans, et omnium, et universorum omnium, et simul et ante omnia, et super omnia, et singulariter causa, et super ipsum unum ὄν, et ipsum unum terminans, quoniam ὂν unum existentibus innumerabile est : numerus autem essentiam participat. Superessentiale autem unum, et ὂν unum, et omnem numerum terminat, et ipsum est ab uno numeri omnis existentis principium et causa et numerus et ordo. Idcirco et unitas laudatur et Trinitas super omnia deitas : non est neque unitas, neque Trinitas, aut a nobis, aut alio quodam existentium cognita, sed etsi superadunatum ejus divinamque fecunditatem vere laudemus triadica et monadica divina nominatione, plusquam nominabilem nominamus in essentiis superessentialem. Neque una monas, aut Trinitas, neque numerus, neque unitas, aut fecunditas, neque aliud quid existentium aut cuidam existentium cognitum educit super omnia et verbum et intellectum in obscuritatem super omne et verbum et intellectum superessentialiter superessentialis superdivinitatis, neque nomen ejus est, neque verbum, sed in inviis exaltatur. Et neque ipsum quod est bonitatis, tanquam adunantes ei proferimus, sed desiderio intelligendi quid et dicendi de ineffabili natura illa nominum pretiosissimum ei primo devovemus : et consonabimus forsan etsi in hoc theologis, rerum autem veritate relinquemur. Idcirco et ipsi per depulsiones invium praehonorificaverunt, sic excedente anima suis cognationibus, et per omnes divinas intelligentias proficiscente,

VARIAE LECTIONES.

[1] *et eandem* om. codd. [2] E *monada*. [3] BH *participat*. [4] *et omne unum — multitudinem* om. codd. [5] *neque pars* om. codd. [6] *et totum et definitionem* om. codd. [7] *et terminum* om. codd.

quibus removetur quod est super omne nomen, et omne verbum, et scientiam, novissimorumque omnium ipsum contingente, quantum et nobis illud contingere possibile est. Has nos intellectuales divinas nominationes concordantes, quantum licet, replicavimus, non solum earum diligentia deficientes — hoc enim vere et angeli dixerint — neque juxta angelos ex earum hymnodia. Et novissimis enim relinquuntur potentissimi apud nos theologorum. Neque quidem eorum theologorum, neque eorum philosophantium aut consequentium, sed et ipsa similiter nobis ordinatorum novissime et subjecte. Itaque si quidem recte habent quae dicta sunt, et quantum juxta nos est, vere tetigimus virtutem Dei voce replicationis, in omnium bonorum causalem actus referendus, donantem primo se dicere, deinde bene dicere. Et si quid similium virtutum praetermissum est, et illud nos secundum easdem artes ad obaudiendum deprecationi. Si autem haec aut non recte, aut imperfecte habeat, et veritate aut universaliter aut particulariter aberravimus, tuae sit humanitatis, corrigere non voluntarie ignorantem, et tradere verbo discere deprecanti, et suffragari non sufficientem virtutem habenti, et sanare nolentem aegrotare, et quaedam quidem a seipso, quaedam vero ab aliis invenientem, omnia autem ex Deo accipientem, et in nos transferre. Numquid affliges amicum virum benefacientibus? Vides enim, quia et nos nihil traditorum nobis ierarchicorum verborum in nosmetipsos contraximus, et sollicitos nos et vobis et aliis divinis viris et tradidimus et trademus, sicsic nos dicere idonei, et quibus dicuntur audire, in nullo traditione injuriam patientes, si non ad intelligentiam aut expositionem eorum infirmemur. Sed haec quidem peto Deo amicum, hanc habeat et dicat. Et sit nunc hic, intellectis divinis vocabulis, secundum nos finis, quoniam symbolicam theologiam, duce Deo, transcendemus. *Explicit liber de divinis nominibus* [a].

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE

LIBER QUARTUS

DE MYSTICA THEOLOGIA.

Epigramma in beatum Dionysium de [1] *mystica theologia.*

Novam claritatem in reliqua et scientiam subsistentium [2], *noctem per divinam, quam non justum licet nominare* [3].

Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter.

INCIPIUNT CAPITULA DE MYSTICÂ THEOLOGIA.

INCIPIT LIBER DE MYSTICA THEOLOGIA.

CAPITULUM I.

De mystica theologia [4].

Trinitas superessentialis, et superdeus, et superoptime Christianorum inspector theosophiae, dirige nos in mysticorum eloquiorum superincognitum et superlucentem et sublimissimum verticem [5], ubi nova et absoluta et inconversibilia theologiae mysteria, secundum superlucentem absconduntur occulte docentis silentii caliginem, in obscurissimo, quod est supermanifestissimum, supersplendentem, et in qua omne relucet, et invisibilium superbonorum splen-

VARIAE LECTIONES.

[1] E *in hoc* de. [2] H *sufficientium*; E literis miniatis addit : *Seu aliter : Et sensum refulgentem penetrasti et scientiam existentium.* [3] E literis miniatis addit : *Seu aliter : Noctem per divinam, quam non tes fas nominare.* [4] *De mystica theologia* om. codd., add. ex indice praemisso. [5] E *cervicem*.

NOTAE.

[a] E *Explicit Dionysii Areopagitae episcopi Athenarum ad Timotheum episcopum Ephesiorum de divinis nominibus. Tuam mentem irrigans, Dionysi, fluentis Pauli, aeterni fulgoris Deitatis totum radium desiderans, indeficientem nominibus Dei nominationis acquisisti splendorem.*

[b] Codex B sic orditur : *Incipit de mystica theologia*; sequuntur capitula, quae excipit epigramma. E sic orditur : *Haec capitula continent* (!) *de mystica theologia sermo*; sequuntur capitula, epigramma. H haec profert : *Incipiunt capitula ejusdem de mystica theologia*, sequuntur capitula, epigramma.

deribus superimplentem invisibiles intellectus. Mihi quidem haec opto. Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas speculationes corroborato itinere et sensus desere, et intellectuales operationes, et sensibilia, et invisibilia, et omne non ens, et ens; et ad unitatem, ut possibile, inscius restituere ipsius, qui est super omnem essentiam et scientiam. Ea enim teipso et omnibus immensurabili et absoluto pure mentis excessu ad superessentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens et ab omnibus absolutus ascendes. His autem, vide, quomodo nemo indoctorum auscultet. Indoctos autem dico, in his, quae sunt, conformatos, et nihil super [1] existentia superessentialiter esse imaginantes. Sed his quidem hi, quos videre ea, quae secundum seipsos est, scientia oportet tenebras latibulum ejus. Si autem super hos sunt divinae in mysteria introductiones, quid quis dixerit de aliis ardentibus, quicunque omnibus superpositam causam ex ipsis in his, quae sunt, novissimis characterizant, et nihil eam superare aiunt ab ipsis fictarum impietatum et multiformium formationum? In ipsa etiam oportet omnes [2] existentium ponere et affirmare positiones, veluti omnium causa, et omnes eas potentius negare, tanquam super omnia superexistente, et non aestimari depulsiones oppositas esse intentionibus, sed multo prius ipsam super privationes esse, quae est [3] super omnem ablationem et positionem. Sic igitur divinus Bartholomaeus ait, et multam theologiam esse, et minimam, et evangelium latum, et magnum, et iterum correptum. Mihi videtur supernaturaliter intelligens, quia et multiloqua est optima omnium causa, et breviloqua simul, et sine verbo, quomodo neque verbum, neque intelligentiam habet, eo quod omnibus ipsa superessentialiter superposita est, et solis incircumvelate et vere manifesta, polluta omnia et immunda transgredientibus, et omnem omnium sanctarum summitatum ascensionem superascendentibus, et omnia divina lumina et sonos et verba caelestia superantibus, et in caliginem occidentibus, ubi vere est, ut eloquia aiunt, omnium summitas. Etenim non simpliciter divinus ipse Moyses primus mundari jubetur, et iterum ab his, qui tales non sunt, segregari, et post omnem purgationem audit multivocas tubas, et videt luminaria multa aperte fulgurantia, et multum fusos radios. Deinde multis segregatur, et cum electis sacerdotibus in summitatem divinarum ascensionum praecurrit: et si eis sic manentibus fit Deo, contemplatur vero non ipsum, invisibilis enim, sed locum ubi stetit. Hoc autem arbitror significare divinissima et sublimissima visibilium et intelligibilium, ypotheticos quosdam esse sermones, subjectorum omnia superanti, per quae super omnem intelligentiam ipsius praesentia ostenditur, intelligibilibus summitatibus sanctissimorum ejus locorum supergrediens: et quod ipsis absolvitur visibilibus et videntibus, et in caliginem ignorantiae occidit vere mysticam, per quam docet omnes gnosticas receptiones, in qua omne relucet, et invisibili innascitur omnis, qui est in omnium summitate, et a nullo, neque a seipso, neque altero, omnino autem ignoto omni scientia in otio per id quod melius est intellectus, et nihil cognoscendum super animum sic cognoscentium [4].

CAPITULUM II.

Quomodo oportet et uniri et hymnos referre omnium causali [5] et super omnia.

Juxta hanc nos fieri superlucentem oramus caliginem, et per invisibilitatem et ignorantiam videre et cognoscere ipsum super Deum et scientiam. Hoc non videre et scire, idipsum est vere videre et cognoscere, superessentialem superessentialiter laudare per omnium existentium ablationem, sicut per seipsum naturale agalma facientes, auferunt ea, quae superadjecta sunt, pura occulti visione [6] vetantia, et ipsam in seipsa [7] ablatione sola occultam manifestant formam. Oportet autem, ut arbitror, ablationes in contrarium positionibus laudare. Etenim illas quidem a praestantissimis inchoantes, et per media in novissima descendentes, apponimus. Hinc vero a novissimis ad principalissimas ascensiones facientes, omnia auferimus, ut incircumvelate cognoscamus illam ignorantiam, ab omnibus ignorantibus in omnibus existentibus circumvelatam [8], et superessentialem illam videamus caliginem, ab omni in existentibus luce occultatam.

CAPITULUM III.

Quae sunt καταφατικαὶ theologiae, quae ἀποφατικαί.

In theologicis igitur characteribus potentissima affirmativae theologiae laudavimus, quomodo divina et optima natura unica dicitur [9], quomodo triadica, quae secundum ipsam dicta et paternitas, et filioitas, quid vult declarare in spiritu theologia, quomodo ex immateriali et impartibili optimo in corde bonitatis germinata sunt lumina, et quomodo ipsius in ipso et in seipsis et inter se invicem coaeternae in germinatione mansionis servaverunt reditum, quomodo superessentialis Jesus humanis naturalibus veritatibus essentia factus est, et quaecunque alia ab eloquiis expressa sunt secundum theologicos characteres. In eo autem qui est de divinis nominibus, quomodo optimus nominatur, quomodo ὤν, quomodo vita, et sapientia, et virtus, et quaecunque alia intelligibilis sunt divinae nominationis. In symbolica vero theologia, quae sint a sensibilibus in divina transnominationes, quae divinae [10] formae, quae divinae figurae, et partes, et organa, qui divini loci et mundi, qui furores, quae tristitiae et maniae, quae

VARIAE LECTIONES.

[1] BE *supra*. [2] A' *enim oportet omnium*. [3] BH *esse*. [4] E sic *cognoscendum*. [5] BE *causae*. [6] BH *puram visionem*. [7] BH in *seipsam*. [8] H *circumdatam*. [9] *unica dicitur* om. BH. [10] BH quae *finitae* formae.

ebrietates et crapulae, quae juramenta, quae execrationes, qui somni, quae vigiliae, et quaecunque aliae symbolicae sunt divinae similitudinis sacre figuratae formationes. Et te arbitror considerasse, quomodo verbis copiosiora magis sunt novissima primis. Etenim habere theologicos characteres, et divinorum nominum reserationem breviorem verbis esse symbolica theologia. Quoniam quidem quantum ad superiora respicimus, tantum verba contemplationibus invisibilium coartantur: sicut et nunc in ipsam super intellectum occidentes caliginem, non brevem sermonem [1], sed sermonis defectum et nominationis inveniemus. Et ibi quidem desursum ad novissima descendens sermo, juxta quantitatem ejus, quae est universaliter ad proportionalem multitudinem, inventus est. Nunc autem ab his, quae [2] deorsum sunt, ad superpositum ascendens, secundum mensuram invii corripitur, et post omne invium totus sine voce erit, et totus adunabitur sono carenti. Quare autem omnino, inquis, ex praestantissimo ponentes divinas positiones, a novissimis incohamus divinam ablationem? Quia quid super omnem ponentes positionem, ex magis ipsi cognatiori conditionalem affirmationem oportuit ponere: quod autem super omnem ablationem auferentes, ex magis ipso distantibus auferre. An non magis est vita et bonitas, quam aer et lapis? Et magis non crapulae, et non maniae, quam non dicitur neque intelligitur?

CAPITULUM IV.

Quia nihil sensibilium omnis sensibilis per excellentiam causalis.

Dicamus igitur sic: Omnium causa, et super omnia ens, neque carens essentia est, neque carens vita, neque irrationabilis est, neque insensualis, neque corpus est, neque figura, neque species, neque qualitatem, aut quantitatem, aut tumorem habet, neque in loco est, neque videtur, neque tactum sensibilem habet, neque sentitur, neque sensibilis est, neque inordinationem habet, neque

A perturbationem a passionibus materialibus commota, neque impotens est sensibilibus succumbens casibus, neque indigens est lucis, neque mutationem, aut corruptionem, aut partitionem, aut privationem, aut fluxum, neque aliud quid sensibilium est, neque habet

CAPITULUM V.

Quia nihil intelligibilium omnis intelligibilis per excellentiam causalis.

Iterum autem ascendentes dicamus, ὅτι neque anima est, neque intellectus, neque phantasiam, aut opinionem, aut verbum, aut intelligentiam [3] habet, neque ratio est, neque intelligentia [4], neque dicitur, neque intelligitur, neque numerus est, neque ordo,
B neque magnitudo, neque parvitas, neque aequalitas, neque similitudo aut dissimilitudo, neque stat, neque movetur, neque silentium ducit, neque habet virtutem, neque virtus est, neque lux, neque vita est, neque hostia est, neque seculum, neque tempus, neque tactus est ejus intelligibilis, neque scientia, neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas [5], aut bonitas, neque spiritus est, sicut nos scimus, neque filiolitas, neque paternitas, neque aliud quid nobis aut alicui existentium cognitum, neque quid non existentium, neque quid existentium est, neque existentia eam cognoscunt, an ipsa sit, neque ipsa cognoscit existentia, an existentia sunt [6], neque verbum ejus est, neque nomen, neque scientia [7],
C neque tenebrae est, neque lumen, neque error, neque veritas, neque est ejus universaliter positio, neque ablatio, sed eorum, quae post eam sunt, positiones et ablationes facientes, ipsam neque auferimus, neque ponimus, quoniam et super omnem positionem est perfecta et singularis omnium causa, super omnem ablationem excellentia [8] omnium simpliciter perfectione [9], et summitas omnium. *Explicit liber de mystica theologia* [a].

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE

EPISTOLAE DIVERSAE.

VARIAE LECTIONES.

[1] *sermonem* om. BH. [2] BH *qui*. [3] BH *phantasia — opinio — intelligentia*. [4] *habet — intelligentia* om. BH. [5] *neque deitas* om. BH. [6] Sic A; BH eam cognoscunt *aut existentia est*, neque verbum cet.; E eam cognoscunt *aut existentia sunt, est*, neque verbum cet. [7] *neque scientia* om. BH. [8] BH *excellens*. [9] BH *perfectio*. [10] E *Pathmon*.

NOTAE.

[a] *Explicit Dionysii Areopagitae episcopi Athenarum de mystica theologia. In caliginem clarissimam ingressus, in qua fovetur principium duplicis sapientiae metra theologiae manifestas.*

INCIPIUNT

EPISTOLAE DIVERSAE SANCTI DIONYSII [1]

Epistola sancti Dionysii Areopagitae Gajo monacho missa.

Tenebrae quidem obscurae fiunt lumine, et magis multo lumine. Ignorantiam occultant scientiae, et magis multae scientiae. Haec supereminenter, sed non secundum privationem accipiens, approba supervere, quia latet habentes ὄν lumen, et vere scientia secundum Deum ignorantia, et superpositae ipsius tenebrae velantur ab omni lumine, et abscondunt omnem scientiam. Et si quis videns Deum intellexit quod vidit, non ipsum contemplatus est, sed quid eorum ab ipso existentium et cognitorum. Ipse autem super animum et essentiam supercollocatus, universaliter non cognoscendo neque videndo, et est superessentialiter, et super animum cognoscitur. Et ipsa secundum quod melius perfectissima ignorantia scientia est ejus super omnia cognita.

II.

Eidem.

Quomodo omnium summitas et super divinitatem est et super bonitatem? Si deitatem et bonitatem intelligas ipsam rem benefici et deifici muneris, et non imitabilem superdei et superoptimi, secundum quam deificamur et bonificamur. Etenim si hoc principium fit deificandi, et optime agitur deificatis et optime factis, omnis principii superprincipalis, et sic dictae deitatis et bonitatis, ut divinitatis et bonitatis est summitas, quantum inimitabilis et immensurabilis, superat imitationes et participationes, et imitantes et participantes.

III.

Eidem.

Ex occulto est, quod contra spem, et ex eo usque obscurum in manifestum deductum. Ast secundum Christum humanitate et hoc arbitror theologiam declarare, ex occulto superessentialem in nostram manifestationem humanitus essentiatum provenisse. Occultus autem est et post manifestationem, aut ut hoc divinius dicam, et in manifestatione. Et hoc enim Jesu occultatur, et nullo verbo, neque intellectu secundum ipsum investigatur mysterium, sed et dictum ineffabile manet, et intellectum incognitum.

IV.

Eidem.

Quomodo, inquis, Jesus omnium ἐπέκεινα, omnibus est hominibus essentialiter coordinatus Non? enim ut causalis hominum, hic dicitur homo, sed ut hoc secundum ess ntiam totam vere homo ὤν. Nos autem Jesum non humanitus segregamus. Neque enim homo tantum, neque superessentialis sit homo tantum, sed homo vere, differenter humanus, super homines, et secundum homines, ex hominibus ex essentia superessentialis essentiatus. Est autem nihil minus superessentialitatis superplenitudo semper superessentialis. Itaque tali magnitudine et in essentiam vere veniens, et super essentiam essentiatus est, et super hominem operatur quae sunt hominis [a]. Et declarat virgo supernaturaliter parturiens, et aqua instabilis, materialium et terreorum pedum sustinens gravitatem, et non imaginatam, sed supernaturali virtute ad insolubile constitutam. Quid si quis cetera plurima existentia pertranseat, per quae divinitus videns super animum cognoscet, et in humanitate Jesu intentiones virtutem supereminentis depulsionis habentes? Etenim ut colligentes dicamus, neque homo erat, non ut non homine, sed ut ex hominibus hominum ἐπέκεινα, et super hominem vere homo factus. Et ceterum non secundum Deum divina operatus est, neque humana secundum hominem, sed humanato Deo novam quandam deihumanam operationem nobis conversatus est.

V.

Dorotheo ministro.

Divina caligo est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, et invisibili existente, propter supereminentem [2] claritatem, et inaccessibili eodem per superexcellentiam superessentialis luminum manationis. In hoc fit omnis Deum scire et videre dignus, eo non videndo neque cognoscendo, vere in quo super visionem et cognitionem factus, hoc ipsum cognoscens, quia super omnia est sensibilia et intelligibilia, et prophetice videns : *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* [b]. Sic ergo divinus Paulus cognovisse Deum dicitur, cognoscens eum super omnem existentem intellectum et scientiam [3] [c]. Propter quod et investigabiles esse vias ejus ait, et inscrutabilia judicia ejus, et inenarrabiles donationes ejus [d], et pacem ejus superantem omnem intellectum, sic inveniens super omnia, et hoc super intelligentiam cognoscens, quia omnium est ἐπέκεινα, omnium causalis ens.

VARIAE LECTIONES.

[1] *Incipiunt — Dionysii* om. E, indici epistolarum praemittit B. [2] E *eminentem.* [3] *et scientiam* om. codd.

NOTAE.

[a] Joan. I; Luc. II.
[b] Psal. CXXXVIII, 6.
[c] Rom. XI, 33.
[d] Philipp. IV 7.

VI.

Sosipatro sacerdoti.

Noli hoc aestimare victoriam, sacer Sosipater, in religionem aut gloriam injuriam facere noli optimam manifestam. Neque enim oportet judicatam eam redarguas, jam Sosipatri bona. Possibile enim et te et alios multos falsis et manifestis unum ὄν et occultum verum latere. Neque enim si quid non rubeum, jam album, si quis non equus, ex necessitate homo. Sic autem facies, mihi credens, dimittes quidem hoc secundum alios dicere, pro veritate autem vere dices, sic omni modo esse irreprehensibilia quae dicta sunt.

VII.

Polycarpo summo sacerdoti.

Ego quidem nescio ad Graecos aut alteros dicens, sufficere arbitrans optimis viris, si verum ab ipso in seipso potuerint et cognoscere et dicere, an vere habet. Hoc enim, quodcunque est juxta legem veritatis, recte ostenso et puro stante, omne aliter habens, et veritatem affectans, redarguetur, et alterum ὄν vere ontis, et dissimile, et opinabile illud magis quam ὄν. Superfluum igitur est, veritatis manifestatorem ad hos aut illos dimicare. Dicit enim unusquisque habere numisma regale, et utique habet quandam puri cujusdam, ejus vere fallacem umbram. Et si hunc redarguas, alter et iterum alter de eodem contendit. Eodem autem vere posito recte ratione, et ab aliis omnibus selecto ridente, omne quod non sic per omnia habens, idipsum ex seipso irreprehensibili statu vere vero expellitur. Hoc igitur, ut arbitror, bene cognoscens, non acceleravi ad Graecos aut alteros dicere : sed idoneum mihi et hoc Deus det, de veritate scire primum, deinde scientem ut oportet dicere. Ubi autem inquis, maledicere mihi sophistam Apollophanem, et paternam sententiam revocando, tanquam Graecorum in Graecos non sancte utenti. Et quidem ad ipsum nos erat verius dicere, quomodo Graeci divinis non sancte in divina utuntur, per sapientiam Dei divinum expellere tentantes cultum. Et sic multam ego quidem dico gloriam quibusdam poetarum, materialiter et passibiliter remanentium, et creaturae contra Creatorem servientium. Sed et ipse Apollophanes non sancte divinis in divina utitur. Ea enim existentium scientia, bene dicta ab ipsius philosophia, et a divino Paulo sapientia Dei vocata [a], et ad causalem ipsorum existentium et scientiae eorum, oportuit reduci veros philosophos. Et ut non ipsam aliorum, aut ipsam ipsius ultra quod putandum redarguat quid opinionem, oportet considerare Apollophanem, sapiens qui est, non aliter aliquando potuisse caelestem transcendere ordinationem et motionem, si non ipsum essendi ipsam et bene eminentem, et causalem habuisset in hoc moventem, facientem omnia et transformantem secundum sacrum verbum [b]. Quomodo igitur non colit incognitum nobis, et ex hoc et vere existentem, et vere Deum ducens eum causalissima et superineffabili virtute, cum sol ab ipso et luna secundum virtutem et statum supernaturalissimum simul universo ad omnino immobile definiuntur, et in mensuram diei totius in eisdem stant omnia signis [c]? Aut, quod eo amplius, siquidem omnibus et melioribus et continentibus [1] sic evectis non circumducta sunt quae continentur? Et cum alia quaedam dies secundum continuitatem fere triplicatur, et in viginti omnibus horis fit, quod non omni tempore vias contrarias redit et revertitur : sic valde supernaturalibus econtrario circumductionibus sol proprio cursu quinqueformem suum motum in horis decem convolvens [2], analytice iterum totum in aliis decem [3] novam quandam semitarum viam retrograditur. Hoc et Babylonios merito inflexit, et sine pugna Ezechiae subegit, tanquam in aequali Deo eminenti et superanti homines. Et neque hic dico in Aegypto magnas operationes, aut alia quaedam alicubi divina signa facta, sed communia et caelestia, et in universo et in omnibus triumphantia [d]. Ait autem omnino Apollophanes non esse haec vera. Magis quidem hoc Persarum sacerdotalibus infertur memoriis, et adhuc Magi memoranda triplasii mythri perficiunt. Sed licitum sit ipsi his propter ignorantiam aut magnam incredulitatem. Dic autem ei : Quid dicis de ipsa in salutari cruce facta eclipsi? [e] Nam utrique tunc juxta solis civitatem simul advenientes et consistentes, mirabiliter soli lunam incidentem vidimus — non enim erat coitus tempus — iterum autem ipsam a nona hora usque vesperas, in solis diametrum supernaturaliter econtrario consistentem. Admone autem quiddam et alterum ipsum. Scit enim, quia et occasum ipsum ex Orientalibus videbamus inchoantem, et usque solarem summitatem venientem, deinde retrogradientem, et iterum non ex eadem et occasum et repurgationem, sed secundum diametrum econtrario factam. Talia sunt tunc temporis supernaturalia, et solo Christo causalissima virtute faciente magna et ampla, quorum non est numerus [f]. Haec si tibi justum dic et possibile, Apollophani redargue, et mihi tunc et convenientem tibi et conspeculantem, et conquirentem omnia, et conferentem. Negligit et divinationis tunc, nescio. Inde Apollophanes abiit, et ad me, sicut facta sunt, conferens ait : Haec, o bone

VARIAE LECTIONES.

[1] *et continentibus* om. BH. [2] Sic A ; E *involvens*. [3] *convolvens — decem* om. BH.

NOTAE.

[a] I Cor. II.
[b] Dan. II.
[c] Josue X.
[d] IV Reg. XX ; II Par. XXXII ; Isai. XXXVIII ; Exod. VII, VIII, IX, X, XI, XII.
[e] Matth. XXVII ; Marc. XV ; Luc. XXIII.
[f] Job V.]

Dionysi, divinarum vicissitudines rerum. Tanta per epistolam a nobis dicta sunt. Tu autem idoneus, et quae desunt adimplere, et adducere perfecte Deo virum sapientem multum existentem, et sane non indignantem mansuete discere supersapientem religionis nostrae veritatem.

VIII.

Demophilo therapeutae [1] *de propria mansuetudine et bonitate.*

Hebraeorum historiae aiunt, o nate Demophile, et sacrum illum Moysea per multam mansuetudinem divina amicitia dignefactum. Et si aliquando cum extra divinum vultum [2] scribunt [3], non prima tamen mansuetudine expellunt. Dicunt vero, quia valde arroganti et resistenti divinis consiliis, iratus sit furore Dominus [a]. Cum autem ipsum praedicatorem faciunt divinis judicibus dignis, ex ante habita boni divina imitatione praedicatur. Etenim erat mansuetus nimis, et propter hoc dicitur famulus Dei, et in divinam visionem simul omnibus prophetis dignior [b]. Sed et ad eum et Aaron duri quidam de principali sacerdotio et gentis principatu contendebant, superare quidem omni amore honoris et amore principatus, et accepit Deo judice populi praestantiam. Quoniam quidem et superimposuerunt ei, et de prioribus improperantes minabantur, et jam fere praevaluerunt, clamavit quidem mansuetus Deum in salutem. Confisus est autem valde humilis, quoniam omnibus esset malis inchoatis inaccusabilis. Jam enim, nam oportuit colloquentem Deo optimo, ad hoc praecipua similitudine, quantum licet, reformari, in se intelligebat Deo amabiles operationes. Quid autem Dei patrem David faciebat Dei amicum? Etenim optimus existebat, et erga inimicum optimus. Inveni, inquit, superoptimus, amicus optimus, virum secundum cor meum. Et quidem lex optima donata est, et subjugatis inimico providere. Et Job, ut malitiam non habens, justificatus est. Et Joseph in supergredientes fratres non vindicavit. Et Abel simpliciter et insuspecte convenit fratricidae. Et omnis theologia deiformes praedicat, non ante intelligentes mala, non a..te facientes [c]: sed neque ab aliorum malitia ex optimo mutatos econtrario deiformiter, et in malos bene facientes et expandentes in ipsos multam bonitatem, et ad simile clementer evocantes. Sed superius respiciemus, non virorum sacrorum honestates, non humanorum angelorum bonitatem enunciantes, propiciantium gentibus, et obsecrantium pro eis Deum, et perditis et male agentibus comminantium multitudinibus, et contristantium quidem de malis, laetantium au em sa-

A lute in optima transvocatorum, et quaecunque alia de benefactoribus angelis theologia tradit. Sed et vere optimi et superoptimi Christi benefacientes radios in silentio accipientes, ab ipsis in divinas optimas operationes ejus clare ducimur. Nam nonne est potentissimae et super intellectum bonitatis, quia existentia esse facit, et quia omnia haec ad esse adduxit, et omnia vult semper fieri approximantia sibi, et communicantia eorum quae sunt ejus, secundum singulorum opportunitatem? Quid autem, quia et redeuntibus amabiliter habetur, et contendit, et desiderat non indignando amantes et deliciosos ipsos, et in vanum accusantes sustinet, et ipse defendit, magis promittit curare, et in ipsis perfectis sic accedentibus accurrit et obviat, et totus B totos amplectens salutat, et non accusat de prioribus, sed diligit advenientem, et diem festum agit, et convocat amicos, videlicet optimos, ut sit omnium laetantium habitatio [d]. Demophilus autem, et si quis alius optimis infestus, valde juste increpatur, et docetur bona, et melioratur [4]. Quomodo enim non oportebat, inquam, optimum in salute perditorum laetari et vita mortuorum? Itaque et in humeros tollit, quos vix ab errore convertit, et optimos angelos in laetitiam suscitat, et bonus est super ingratos, et oriri facit solem suum super bonos et malos, et ipsam animam suam ponit pro refugientibus [e]. Tu vero, ut literae tuae declarant, et procidentem sacerdoti, ut ais, impium et malum, nescio quomodo de ipso praesens recalcitrasti. Deinde, C quod quidem oportuit, confitetur ad medicinam malorum venire. Tu autem non exhorruisti, sed bonum sacerdotem cum ferocia detraxisti, misertum esse poenitentis, et impium justificantem. Et ad finem: Vade, inquis, sacerdoti, cum similibus: et insiluisti, dum non esset justus, ad adyta, et sancta sanctorum prohibuisti, et scribis nobis, quia futurum esset corrumpere sacra, provide salvavi, et adhuc incontaminata custodio. Nunc igitur ausculta nostris: corrigere sacerdotem sub te ministrantibus, aut aeque potentibus tibi famulis corrigendum, etsi impie agere in divina videatur, et si aliud quid interdictorum redarguatur agens. Si enim inornata et inconsequentia divinissimorum sunt, et finibus et legibus expellis, non habet rationem pro Deo, Deo traditam subverti ordinationem. D Non enim in seipsum Deus partitus est. Quomodo enim stabit regnum ejus? Et si Dei est, ut eloquia aiunt, judicium [f], sacerdotes autem angeli et prophetae post summos sacerdotes sunt divinorum judiciorum, ab his divina convenienter tibi per medios ministros, cum sit tempus,

VARIAE LECTIONES.

[1] Index *monacho*. [2] E *cultum*. [3] BH *tribuunt*. [4] Sic A; BH *increpat* et *docet* bona et *meliorat;* E increpat et docet bona et *melioratur*.

NOTAE.

[a] Num. XI, XII.
[b] Num. XII, Josua I, Num. XVI.
[c] I Reg. XXIV, XXVI, I Reg. XIII, Psalm. LXXXVIII, Exod. XXIII, Genes. XXVIII, Genes. XLII, XLIII, LXIV.
[d] Luc. XV.
[e] Ibid.; Matth. V; Luc. VI; Joan. X.
[f] Matth. X; Luc. XIII; Isa. XXX; Malach. II.

disce, per quos et esse famulus digne factus es. Aut numquid et sacra symbola hoc clamant? Etenim non simpliciter omnibus quidem exaltantur sancta sanctorum. Approximat autem magis his sacre perficientium ornatus, deinde sacerdotum dispositio : consequens autem his ipsa ministrantium : ordinatis autem famulis portae talium sunt segregatae, ad quas et perficiuntur, et adstant, non ad custodiam earum, sed et ad ordinationem et cognitionem suam magis populo quam sacerdotales approximantes. Inde sacerdotum sancta ordinatio principalis recipere eos sacre ponit divinis, aliis, videlicet interioribus ipsis, dationem quidem tradens. Etenim circa divinum symbolice semperstantes altare, amant et audiunt divina clare eis revelata, et procedentes deiformiter sunt quae [1] extra divina vela subjectis famulis, et sacro populo, et purgatis ordinibus manifestant secundum dignitatem sacra bene incontaminata custodita, usque dum tyrannice eis insiliens, triumphare tibi sancta sanctorum coegisti nolentia, et habere inquis sacra et custodire. Et quidem neque vidisti, neque audisti, neque habes quid pertinentium ad sacerdotes, sicut neque veritatem eloquiorum cognovisti, quotidie ad haec verbo pugnans, subvertens auditores. Et si quidem gentis principatum quis obtinuit inordinate sibi contra regem, juste punitus est. Et si principem justificantem quosdam, aut condemnantem, adstans quis sub ipso ordinatorum redarguere ausus sit, nondum enim dico detrahere, et simul ex principatu expellere, tu homo sic audax es contra mansuetum et optimum, et hierarchicam ejus legislationem? Et haec oportuit dicere, cum super dignitatem quis tentans, tamen convenientia agere videbatur. Etenim neque hoc licitum ulli. Quid enim inordinatum Ozias faciebat, adolens Deo? Quid autem Saul immolans. Quidve tyrannici daemones vere theologantes Jesum? Sed interdictus theologia omnis extraneus episcopus, et unusquisque in ordine ministrationis suae erit, et solus summus sacerdos in sancta sanctorum intrabat [a], et semel in anno. Et hoc in omni secundum legem ierarchica purificatione. Et sacerdotes circumprendunt sancta, et Levitae non tangent [2] sancta, ut non moriantur. Et iratus est furore Dominus super protervia Oziae, et Maria lepra percussa, legislatori legem ponere tentans, et in Σκιῦα [3] filios insiluere daemonia. Et : Non mittebam eos, inquit, et ipsi currebant ; et non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant : et impius immolans mihi vitulum, sicut occidens canem. Et simpliciter dicendum : Non sustinet iniquos perfecta Dei justitia. Dicentibus autem ipsis : In nomine tuo virtutes multas fecimus, respondetur : Nescio vos, ite omnes operatores iniquitatis. Itaque nefas, ut sacra eloquia aiunt [b], sancta ultra dignitatem persequi. Attendere vero unumquemque sibiipsi oportet, et non excelsiora, et profundiora noscere, intelligere vero sola secundum dignitatem sibi ordinata. Quid ergo [4], inquis, non oportet sacerdotes impie agentes, aut aliud quid inordinatorum redarguendos corrigi : solis autem licitum erit gloriosis in lege, per praevaricationem legis Deum dehonorare? Et quomodo sacerdotes manifestatores sunt Dei? Quomodo annunciant populo divinas virtutes, non cognoscentes suam virtutem? Aut quomodo illuminant obscurati? Quomodo autem divinos tradent spiritus [5], neque si est Spiritus sanctus, habitu et veritate credentes? Ego antem defendam te ad haec. Etenim non inimicus Demophilus, neque patiar te percuti Satana. Nam et unaquaeque circa Deum dispositio deiformior magis distante est, et illuminantior simul et illuminatior : magis vero lumini proximior, et non localiter excipiens, sed secundum Dei receptricem opportunissimam proximitatem. Si igitur sacerdotum est dispositio illuminatrix, omnino decidit [6] ex sacerdotali ordine et virtute, qui non est illuminator, aut ubi magis non illuminatus. Et audax mihi videtur ierarchica talis tentans, et neque metuit neque erubescit divina ultra dignitatem persequens, et arbitrans Deum ignorare, quae quidem ipse a seipso cognovit, et seducere arbitrando falsivoce a se Patrem vocatum, et audet pollutas suas blasphemias, non enim dicerem orationes, in divina symbola Christiformiter superorare. Non est ipse sacerdos, non est, sed inimicus, dolosus, illusor suimet, et lupus in divinam plebem, ovina pelle armatus. Sed non Demophilo haec justum corrigere. Non enim theologia injuste justificationes jubet persequi [c]. Justa autem est persequi, cum distribuere vult quis unicuique secundum dignitatem, juste hoc omnibus persequendum, non ultra eorum dignitatem. Quoniam et angelis justum distribui, quod secundum dignitatem et distribuitur [7]. Verumtamen non a nobis, o Demophile, per ipsos autem nobis ex Deo, et ipsis per jam praecellentes angelos. Et simpliciter dicendum, in omnibus existentibus per prima secundis distribuuntur, quae sunt secundum dignitatem ab omnium ordinatissima et justissima providentia. Ipsi quidem ergo et aliis subsistere a Deo ordinati, distribuunt post se, et obedientibus secundum dignitatem. Demophilus autem verbo, et furore, et concupiscentia, quae sunt secundum dignitatem, segreget, et ne injuriam suae faciat ordinationi, sed principetur subjectis superius verbum. Etenim in ecclesia videntes servum domino, et seniori juniorem, aut e-

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic codd.; A *ad ea quae sunt*. [2] BII *tangunt*. [3] BEII *keyae*. [4] BE *vero*. [5] A *divino* tradent *spiritu*. [6] BII *decidat*. [7] ABII; E distribui *et segregari* quod secundum dignitatem et distribuitur *et segregatur*.

NOTAE.

[a] IV Reg. XV; II Par. XXVI; I Reg. XIII; Marc. I, III; Nehe. XIII, Hebr. IX; Levit. XVI.

[b] Levit. XVI; Hebr. IX; II Par. XXVI; Num. XII, Act. XIX; Jer. XXIII; Ezec. XIII; Isai. LXVI; Matth. VII; Luc. XIII.

[c] Deut. XVI.

filium patri maledicentem simul et sequentem, et plagas superponentem, impie agere putaremur, nisi melioribus accurrentes adjuvissemus : et quidem sane illi antea juste fecerunt. Quomodo non et confundemur, praesentes a furore et concupiscentia injustificatum verbum et ex Deo datum magisterium expellens, et in nobis impietatem et injustam inordinationem, et seditionem, et inornatum suscitantes? Merito beatus noster ex Deo legislator, non dignatur ecclesiae Dei praeesse, non propriae domui bene jam praesidentem [a]. Etenim ordinans seipsum, et alterum ordinat : et qui alterum, et domum : et qui domum, et civitatem : et qui civitatem, et gentem : et simpliciter dicendum, ut eloquia aiunt, qui in pauco fidelis, et in multo fidelis est, et qui in pauco infidelis, et in multo infidelis est [b]. Ipse quidem igitur concupiscentia et furore et verbo, quae sunt secundum dignitatem, segrega. Tibi autem praesunt divini ministri, et his sacerdotes: summi vero sacerdotes sacerdotibus, et summis sacerdotibus apostoli et apostolorum successores. Et sicubi quis et in illis, eo quod debet, erraverit, ab aeque potentibus sanctis iterum dirigetur, et non circumvertetur ordo super ordinem, sed unusquisque in ordine suo et in administratione sua erit. Tanta tibi a nobis de sciendo et agendo, quae tua sunt. De autem in virum, ut inquis, impium et peccatorem inhumanitate nescio quomodo defleam contritionem dilectissimi mei. A quo enim aestimas famulos a nobis ordinari? Etenim si non in bono, omnino ubi nobis necesse sit te esse, secundum nos famulatu omni alienum. Et vide a te etiam Deum quaerere et sacerdotes alios, ab illis curari magis quam perfici, et esse consuetae inhumanitatis in mansuetum ministrum. Numquid nosipsos ad omnino sanctum perfecimus, et non indigemus divinae ex seipsa humanitatis? An duplum peccatum, ut eloquia aiunt, secundum impios peccamus, nescientes in quo offendimus, sed et justificantes nosipsos, et aestimantes videre, vere autem non videntes? [c] Expavit caelum super hoc, et exhorrui ego, et diffido in meipso. Et si non tuas insequerer, quasi non deberent bene cognosce literas, non fortassis reprehensae sunt. Siquidem alii me quidam de te consulere dignum ducebant, quia Demophilus aestimat optimum in omnia Deum non esse et humanum, neque seipsum indigere miserentis aut salvantis. Sed et sacerdotes ex procreatione digni bonitate portare ignorantias populi bene sciunt, quia et ipsi circumvolvuntur infirmitate. Sed divinus sanctus perfector ad alienatam exivit, et propterea peccatoribus, ut sacra eloquia aiunt [d], segregatus, et in seipso dilectionis ostensionem facit ovium clementissimam pastoralitatem [1]. Et malum quidem vocat non dimittentem conservo debitum, neque particulariter tradentem donante sibi omne multa bonitate. Justi autem propriis ejus perfruuntur. Super his necessarium timere et me, et Demophilum. Etenim et in ipsum [2] impie agentibus, in se patiendo remissionem producit a patre : comminatur et discipulis, quia et impietate immisericorditer dignum duxere judicare persequentes eum Samaritanos [e]. Hoc autem toties dictum non feroci epistola—sursum enim et deorsum fremis—sic non teipsum, sed Deum vindicasti. Propter malitiam, dic mihi, bonum? Cessa : non habemus summum sacerdotem non [3] potentem compati infirmitatibus nostris, sed et sine malitia est, et misericors. Non contendet, neque clamabit, et ipse mansuetus, et ipse propitiatio est de peccatis nostris [f]. Itaque non recipimus tui non zelandos motus, neque si multoties recipias Phinees et Eliam [g]. Haec enim audiente Jesu, non placebant mites tunc et optimi spiritus participes [4] discipuli. Etenim sacratissimus noster mirabilis ordinator in mansuetudine docet oppositos doctrinae Dei. Doceri enim, non puniri oportet ignorantes : sicut et caecos non crucifigimus, sed manuducimus. Tu vero et respicere in lumen inchoantem virum quasi puer novus dans repellis, et cum multa confusione procidentem ferocitate recalcitras. Hoc autem multo honore dignum, quod Christus super montes optimus ens, errantem inquirit, et refugientem advocat, et inventum vix in humeros tollit [h]. Numquid, rogo, non male sic de nobis ipsis consiliamur? Numquid in nosipsos impellimus telum? Quod quidem injuste facere quosdam, sive econtrario bene facere conantes, illi quidem non semper egerunt quae voluerunt. Sibimet autem malitiam aut bonitatem consociantes, qui divinis virtutibus, aut diuturnis pleni passionibus erunt. Et ipsi quidem angelorum bonorum sequaces et comites, et hic et illic cum omni consecratione et libertate ab omnibus malis in semper existentia secula beatissimas sortientur [5] quietes, et cum Deo semper [6] erunt, quod est omnium bonorum maximum. Isti autem discedent divina simul et sua pace, hic et post mortem similiter simul obscuris erunt daemonibus. Propterea nobis multa sollicitudo, cum Deo optimo fieri, et esse cum Domino semper, et non malis ex justo consegregari, quae secundum dignitatem ex nobismetipsis sustinentes. Quod quidem et ego omnium maxime timeo, et oro omnium malorum particeps non esse. Et si vis, et divinae visionis sancti cujusdam viri recordabor : et non ri-

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *clementissima pastoralitate.* [2] BH in *idipsum.* [3] Sic A; *non* om. BEH. [4] Sic codd. A *imparticipes.* [5] AE *sortientia.* [6] AE *et* semper.

NOTAE.

[a] I Tim. III.
[b] Luc. XVI.
[c] Jer. IX, Joan. IX.
[d] Hebr. V, VII.
[e] I Petri II, Joan. XII, Matt. XVIII, Luc. XXIII.
[f] Heb. IV, Matth. XII, Isa. XLII, Jer. II, Amos II, I Joan. II.
[g] Num. XXXV, III Reg. X.
[h] Ezech. XXXIV, Luc. XV.

debis; vera enim dicam. Dum essem aliquando juxta Cretam, sanctus introduxit me Carpus, vir et si quis alius, per multam puritatem animi ad divinas visiones valde opportunus. Et quidem neque sanctis mysteriorum sacrificiis conabatur, nisi prius ipsi secundum ante perfectas orationes sacras et propiciatas visione supermanifestata. Dicebat igitur, contristatum se aliquando infidelium quodam. Tristitia autem erat, quia ab Ecclesia ille quendam bonum seduxit, adhuc laetis ipsis diebus consummatis. Oportebat utrumque divinitus superglorificare, et Deum salvatorem conprehendentem accipientem, eum quidem convertisse, hunc vero bonitate vicisse, et non relinquere admonitum, et per vitam omnem usque hodie, et sic in divinam eos ducere cognitionem, tanquam jam et certum exstinctis ipsis judicatis et irrationabilibus ferocibus in lege justa sapere coactis. Sed in seipso non prius hoc patiens, nescio quomodo tunc multam quandam inclementiam et amaritudinem intexens, infirmatus est quidem sic male habens. Vespera enim erat. Circa autem medias noctes, solebat enim in hoc tempus ipse ex seipso ad divinas laudes evigilare, surgit quidem, neque somnis ei multum existentibus, et semper offendentium extrinsecus perturbatione abutens: stans tamen in divinum colloquium, non recte frenatus est, indignatus est, non esse justum dicens, si viverent viri impii, et subvertentes vias Domini rectas [a]. Et haec dicens, petiit [1] a Deo igne quodam caelesti utriusque in semel immisericorditer requiescere vitas. Haec autem dicens ait putasse videre subito domum, in qua quidem stabat, concussam prius, ex tecto in duo media divisam, et quemdam rogum multae lucis in conspectu suo, et talem, videbatur enim ceterum sub aethere locus, ex caelesti regione usque ad se descendentem, caelum autem ipsum reflagrans, et in dorso caeli ipsum Jesum multis humaniformiter ipsi adstantibus angelis. Et haec quidem vidisse desursum, et se mirari. Deorsum vero incurvans Carpus: Videbam, inquit, et terram profundam. Hoc ad tristitiam est chasma, et tenebrosum separatum, et quidem viros illos, quibus calumniabatur, ante ab ipso juxta ostiolum stetisse chasmatis subtremulos, miseros, tantum nondum descendentes a propriorum pedum instabilitate. Deorsum autem a chasmate serpentes repere, et circa pedes eorum suppositos, aliquando quidem retrahere, involutos simul et aggravantes et trahentes, aliquando autem dentibus aut palatis tumescentes, aut suburgentes, et semper in tristitiam immittere machinantes. Esse autem et viros quosdam in medio cum serpentibus, contra viros superadjectos, concutientes simul et subvertentes et percutientes. Videbantur autem esse ad interrogandum illi, quaedem quidem nolentes, quaedam vero volentes, a malo post pauca vim facientes simul et interrogantes. Dixit autem Carpus, seipsum delectari deorsum videntem, eorum autem, quae sursum, negligere: indignari autem et parvipendere, quia non ceciderunt jam, et rei toties superadjicientem, et non valentem contristari, et fatigari. Et respicientem vix videre quidem iterum caelum, sicut et prius videbat: Jesum autem miserentem facti, exurgere super caelesti throno, et usque eos descendentem, manum optimam praestare, et angelos cum ipso accipientes alium aliunde recepisse viros, et dicere Carpo Jesum: Manu jam ante praeordinata puer secundum me residuum. Paratus enim sum iterum pro hominibus resalvandis pati. Et adamabile mihi hoc, non aliis peccantibus hominibus. Verumtamen vide, si bene habere tibi, in chasmate et cum serpentibus mansionem commutare [2] ejus, quae est cum Deo et optimis et humanis [3] angelis. Haec sunt, quae ego audiens credo vera esse.

IX.

Tito pontifici [4] interroganti per epistolam, quae sapientiae domus, quis crater, et qui cibi et potus.

Sanctus quidem Timotheus, o bone Tite, nescio an quid cognitorum mibi theologicorum symbolorum recessit relinquens. Sed in symbolica theologia bene discrevimus, omnes eloquiorum de Deo aestimationes esse multis monstruosas. Etenim in consequentia. contaminatam extergentes imperfectionibus animarum, quandocunque arcanae sophiae patres per quaedam occulta et audacia aenigmata manifestant divinam, et mysticam, et inviam immundis veritatem. Propterea non credimus multi de divinis mysteriis rationibus. Contemplamur enim solummodo ea cum connaturalibus nobis sensibilibus symbolis. Oportet autem et exuentes ea in semetipsis nuda et pura facta videre. Sic enim in contemplantibus aperirent [5] quidem fontem vitae in seipsum fusum, et in seipso stantem videntes, et unam quandam virtutem, simplam, per seipsam motam, per seipsam operantem, seipsam non deserentem, sed scientiam omnium scientiarum subsistentem, et semper per seipsam contemplantem. Oportere igitur et ipsi et aliis apud nos aestimavimus, quantum possibile esset, replicare variabiles deformitates de Deo symbolicae sacrae figurationis. Quod enim extra eam hoc omni repletur incredibili et fictiformi monstrositate, utpote in superessentiali quidem divina generatione, ventrem Dei corporaliter Deum gignentem reformantis, et verbum in aëra profusum ex corde virili eructantis ipsum, et spiritum exspiratum ab ore describentis, et sinus Deo fecundos gremio gestantes, Deum filium corporaliter nobis laudantis, aut plantatim haec figurantis, et arbores quasdam et frutices

VARIAE LECTIONES.

[1] BH *petit.* [2] AH *communicatione*; B *commutatione.* [3] *et humanis* om. BH. [4] Index Tito *summo sacerdoti.* [5] AE *apparerent.*

NOTA.

[a] Act. XIII.

et flores et radices praemittentis, aut fontes aquarum emanantis, aut claritatibus processivas luminis generationes, aut alias quasdam superessentialium theologicorum manifestorias sacras descriptiones. Deinde invisibilium Dei providentiarum, aut donorum, aut manifestationum, aut virtutum, aut proprietatum, percussionum, aut mansionum, aut processionum, aut discretionum, aut unitatum, humanum figmentum Deo et bestiarum, et animalium aliorum, et germinum, et lapidum variam formationem circumfingentis, et ornatus ei muliebres, aut barbaricas armorum facturas circumponentis, figulariam aut conflatoriam, ut artifici cuidam, apponentis, et equos et currus ei et thronos substernentis, et quotidianas escas quasdam pulmentificas praeparantis, et bibentem, et inebriatum, et somnolentum, et crapulatum transformantis. Quid si quis dicat iras, tristitias, varia juramenta, insanias, maledictiones, furores, multiformia et obliqua repulsionis peccati promissionum sophismata, in Genesi gigantum pugnam, per quam deliberare ex timore dicitur potentibus illis viris, hanc aedificationem non injuria quorumdam aliorum, sed pro salute eorum machinantibus, et consilium illud juxta caelum in dolo et seductione Achab paratum, et canticorum materiales et adulteras multas passiones, et quaecunque alia omnia audacis sunt divinae formationis sacre composita declarativa occultorum problemata et multiplicata et partita unitatum et carentium partibus, et figurativa et multiformia carentium formis et figuris? Quorum si quis videre potuerit intus occultam pulchritudinem, inveniet mystica et deiformia omnia, et multi theologici luminis repleta. Non enim arbitramur manifesta compositorum propter seipsa reformari, praetendi autem ante praetenta, et invisibili multa scientia, ut non immundis facile accepta sint sacratissima. Solis autem revelentur divinitatis sinceris amatoribus, tanquam omnem puerilem phantasiam in sacris symbolis formantibus, et idoneis transcendere simplicitate animi, et contemplativae virtutis opportunitate, ad simplam et supernaturalem et praecollocatam symbolorum veritatem. Sed itaque et hoc intelligere oportet, duplicem esse theologorum traditionem : unam quidem arcanam et mysticam, alteram vero manifestam et notiorem : et eam quidem symbolicam et perfectivam, hanc vero philosophicam et approbativam, et complectitur effabili ineffabile. Et aliud quidem patitur et indiget dictorum veritatis : hoc vero agit et collocat Deo ineffabilibus doctrinae introductionibus. Et quidem neque secundum sanctorum mysteriorum teletas alii secundum nos, alii legalis traditionis sacri magistri divinorum defuere symbolorum : sed et sacratissimos angelos per aenigmata divina mystice producentes videmus, et ipsum Jesum in parabolis theologantem, et deifica mysteria tradentem per typicam coenam. Etenim erat consequens, non solum incontaminata multis salvari sancta sanctorum, sed et hoc humanam vitam non partibilem simul et non partitam subsistentem, proprie seipsa divinas illuminari scientias : et hoc quidem impassibile animae in simpla et intima deiformium agalmatum segregare spectacula. Passibile autem ejus connaturaliter famulari simul et extendi in divinissima praemachinatis typicorum symbolorum performationibus, sic cognata hujusmodi genuit velamina et declarant quicumque et ante velamina extra theologiam manifestam relinquentes, in seipsis reformant similitudinem quandam ad intelligentiam se dictae theologiae manuducentem. Et haec visibilis universitatis mundi factura, invisibilis Dei praemissa est, sicut ait Paulus, et vera ratio. Proinde et theologi quaedam quidem civiliter et legaliter inspiciunt, quaedam autem purgative et incontaminate : et quaedam quidem humanitus et medie, quaedam autem supermundane et perfective : et tum quidem ex legibus manifestatorum, tum vero ex occultorum legibus secundum consequentiam suppositis sacris literis et intellectibus et animabus. Non enim historiam nudam, sed vitalem habet perfectionem praeposita eis simul omnis, et per omnia ratio. Oportet igitur et nos, pro populari de ipsis susceptione, palam sacrorum symbolorum sanctam pulchritudinem permittere, et non spernere ea, divinorum cum sint characterum poscere formationes, et imagines manifestae arcanorum et supernaturalium speculaminum. Etenim non solum [1] superessentialia lumina, et invisibilia, et simpliciter divina typicis pervariantur symbolis, sicut supernaturalis Deus ignis dictus, et invisibilia Dei eloquia ignita. Insuper autem et invisibilium simul et intellectualium angelorum deiformes ornatus variis formis describuntur, et multis speciebus et igneis figurationibus [2]. Et aliter oportet eandem ignis imaginem juxta superintelligentiam Dei dictam excipere : aliter autem secundum ipsam invisibilium ejus providentiarum aut rationum : et aliter in angelis. Et eam quidem secundum causam, istam vero secundum subsistentiam, hanc vero secundum participationem, et alia aliter secundum haec theoria et disciplinalis [3] ordinatio intentionem ponit. Et non ut consequebantur sacra symbola confundere, sed convenienter ea causis, aut subsistentiis, aut virtutibus, aut ordinibus, aut dignitatibus : replicare, quorum sunt manifestatoria composita. Et ut non ultra quod oportet extendamus in ipsis, jam proposita nobis quaestio scienda. Et dicimus, quia omnis esca perfectiva est nutriendorum, imperfectionem eorum et indigentiam replens, et infirmum curans, et vitam eorum custodiens, et florere faciens, et renovans, et vitale eis beneficium donans, et simpliciter contristantem et imperfectum respuens, et laetitiam eorum et perfectionem [4] lar-

VARIAE LECTIONES.

[1] BE *sola*. [2] BE *fulgurationibus*. [3] H *disciplinabilis*. [4] Sic A; BH eorum *perfectionum* largiens; E eorum *et perfectionum* largiens.

giens. Bene igitur supersapiens et optima sophia A ab eloquiis laudatur, cratera mysticum statuens, et sacrum eis potum profundens, magis autem ante hos solidas escas proponens, et cum excelsa praedicatione ipsa desiderantes se optime et pulchre desiderans. Duplicem igitur escam divina sapientia proponit : unam quidem solidam et manducabilem, alteram vero humidam et profusam, et in cratere porrigit providas suas bonitates. Ipse igitur crater rotundus dum sit et repandus, symbolum sit expansae simul et in omnia circumeuntis sine principio et infinitae horum omnium providentiae. Verumtamen quoniam in omnia proveniens, manet in seipsa, et stat in immutabili naturae similitudine, et perfectissima irremeabiliter seipsa collocata uniformiter et fixe, sic crater stat. Aedificans autem et sapientia B domum sibi dicitur, et in ipsas solidas escas et potus et cratera proponens : sic esse divina divinitus symbola facientibus clarum, quia et providentia perfectissima est ipse essendi et bene essendi omnia causalis, et in omnia procedit, et in omni fit, et continet omnia, et iterum ipse in eodem per excellentiam, nullum in nullo per nullum est, sed exaltatur omnibus, ipse in seipso similiter et aeternaliter ens, et stans, et manens, et semper secundum eadem et sicsic habens, et nullo modo extra seipsum factus, neque propria gravitate et incommutabili mansione et bonitate relictus : sed et in seipsa[1] totas et perfectissimas providentias optime operans, et proveniens in omnia, et manens in seipso, et stans semper et motus[2], neque stans, neque motus[3]. C Sed o si quis dixerit providas operationes in mansione, et mansionem in providendo connaturaliter simul et supernaturaliter habens. Sed quae solida esca, et quae humida? Has enim optima sapientia donare simul et providere laudatur. Ipsam quidem solidam escam compositionem gestare arbitror intellectualis et nutritoriae perfectionis, et naturalis immutabilitatis, secundum quam divina constiterunt, et potentem et uniformem et inseparabilem scientiam participant cum intellectualibus sensibilium illorum, quibus sapientissimus Paulus ex sapientia accipiens, vere solidam escam tradit[a]. Humidam[4] autem perfuse simul et in omnia provenire festinantis virtutis, et adhuc per varia et multa et partita, D in simplam et non tremulantem divinam cognitionem nutritos familiares[5] ipsis bonitate manuducentis. Propter quod et rore, et aqua, divina et invisibilia eloquia, et lacte et vino, et melle adimaginantur, propter vitae fecundam eorum, ut in aqua, virtutem : et auctivam, ut in lacte : et revivificativam, ut in vino : et purgativam simul et custoditivam, ut in melle. Haec enim divina sapientia donat provenientibus copiose eis, et non deficientibus epulis affluentia largiente et supermanante. Hoc autem vere epulari, et propter haec vivificatrix simul et parvulorum nutrix, et renovatrix, et perfectrix laudata. Secundum hanc autem sacram epulationis apertionem, et ipse omnium bonorum causalis Deus inebriari dicitur, propter superplenitudinem et intelligentiam epulationis : aut potus dicendum, epulationis Dei perfectissimam et ineffabilem deterius immensurabilitatem. Ut enim in nobis secundum quod ebrietas immoderata repletio est, et mente et sensibus ecstasis, sic secundum quod melius, in Deo ebrietatem non aliud quid oportet intelligi, praeter superabundantiam et causam provenientem in ipso omnium bonorum immensurabilem. Sed et consequens ebrietatis sapientiae ecstasis, supereminens Dei superintelligentia intelligenda, secundum quam et exaltatur intelligendo superintelligere ens, et superintelligitur et super ipsum esse, et ipse omnium, quaecunque sunt, optima inebrians simul et satians est Deus, tanquam omnium ipsorum simul et superplenorum immensurabilis universitatis superexcellentia, et iterum extra et summitas omnium sursum positus. Ab his autem volentes et in regno Dei sanctorum convivia juxta eundem accipiemus modum. Transiens enim, ait, ipse rex discumbere eos faciet, et ipse ministrabit eis[b]. Significant autem haec communem quandam et aeque invisibilem sanctorum in divinis bonis societatem, et Ecclesiam primogenitorum descriptorum in caelis, et spiritus sanctorum omnibus optimis perfectos, et primum optimis repletos. Et recubitum requiem arbitramur multis doloribus vitam illaesam, et conversationem divinam in lumine et regione viventium, omni sensu sacro repletam, et largissimorum et beatorum optimorum copiosam dationem, per quam laetitia omni replentur. Hoc autem est laetari, Jesu recumbere eos faciente, et ministrante, et aeternam requiem donante, et plenitudinem bonorum distribuente simul et infundente. Inquisitionem vero bene scio, et benedictum somnum Dei, et evigilantiam aperuisse, cum dicimus, divinum somnum esse remotum Dei, et incommunicabile provisis : vigilare autem, in providendum eos doctrina, aut salute deprecantibus succursum. Multa autem theologica symbola praetermissa. Ideo superfluum arbitrantes esse, eadem eisdem revolventes alia videri, simul etiam vobis in bonis obediendum, et cognoscentes quae quidem sunt epistolae, ab his quae dicta sunt, quiescimus, excedentes, ut aestimo, in plus quam nostris literis debita. Hanc autem totam nostram symbolicam theologiam mittimus, per quam invenies cum sapientiae domo[6] et columnas septem bene discre-

VARIAE LECTIONES.

[1] BH in *seipso*. [2] BH *supermotus*; E *semper* motus (*et* om.). [3] *neque stans, neque motus* om. codd. [4] BH *Humanam*. [5] Sic E; BH *famulares*; A *familiariter*. [6] BE *domu*.

NOTAE.

[a] Hebr. V.

[b] Luc. XII, 37.

tas, et solidam escam ejus in thymiamata et panes divisa, et quae vini temperantia, iterumque quae ab ebrietate Dei crapula. Et haec quae nunc dicta, latius in ea declarantur. Et est, ut arbitror, omnium symbolicarum theologiarum inventrix optima, et conveniens eloquiorum sacris traditionibus et veritatibus.

X.

Joanni theologo apostolo et evangelistae determinato[1] *in Pathmos insulam*[2].

Appellans sacram animam, dilectissime, et est mihi hoc apud te supra Apostolos inseparabilius. Ave vere dilectissime, vere amabili et desiderabili et dilecto valde dilectissime. Quid mirum si Christus vere dicat, et discipulos injusti civitatibus exagitent, ipsi, quae sunt, secundum dignitatem sibimet attribuentes, et a sanctis polluti distincti et redeuntes, vere significativas imagines in ea quae sunt visibilia invisibilium. Neque enim in seculis venturis causalis erit ex se justarum separationum Deus: sed ex Deo omnino seipsos segregantes, sicut etiam alios[3] videmus hinc jam cum Deo factos, quoniam qui sunt veritatis amatores, passibilitate quidem recedunt materialium, in omni autem omnibus malis libertate et amore divino bonorum omnium pacem diligunt, et sanctificationem ex praesenti vita incipiunt futuram, angelice et pulchre in medio hominum conversantes, cum impassibilitate omni, et divina nominatione, et bonitate, et aliis optimis. Vos igitur non et si aliquando sic insaniam ducebamini quid pati, sed et corporis passiones solummodo ju- C

A dicare eas sentiendo credo. Injuste autem affligentes vos, et circumscribere aestimantes non recte evangelii solem juste interveniens oro, haec dimittentes quae in seipsis agunt, in bonum converti, et ad seipsos nos attrahere et recipere lumen. Nos autem non econtrario privatione Joannis clarissimi radii[4], nunc quidem praeparatos in memoria et renovatione tuae verae theologiae, paulo post autem, dico enim et jam audacius, vobis ipsis adunandos. Dignus autem fide omnino sum, haec praecognita tibi et discens ex Deo et dicens, quia et ab ea, quae in Pathmo est, custodia dimitteris, et in Asiacam terram reverteris, et operaberis ibi optimi Dei imitationes, et his, qui tecum sunt, trades[a]?

Nobilibus[5] quondam fueras constructa patronis:
B Subdita nunc servis heu! male Roma ruis.
Deseruere tui tanto te tempore reges,
Cessit et ad Graecos nomen honosque tuus.
Constantinopolis florens nova Roma vocatur:
Moribus et muris Roma vetusta cadis.
Transiit imperium, mansitque superbia tecum,
Cultus avaritiae te nimium superat
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Servorum servi, nunc tibi sunt domini.
In te nobilium, rectorum nemo remansit,
Ingenuique tui rura pelasga colunt.
Truncasti vivos crudeli vulnere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Jam ni te meritum Petri Paulique foveret,
Tempore jam longo Roma misella fores[b].

VARIAE LECTIONES.

[1] Index *circumcluso.* [2] E determinato *et credito Pathmo insulae.* [3] E sicut *et eos qui sunt ex altera parte* videmus. [4] AE *privari Joanne clarissimo radio.* [5] F *Habilibus.*

NOTAE.

[a] B spatio trium linearum relicto haec habet:

En ego tantillus Otloh vulgo vocitatus,
Quamvis omnigenis corruptus sim malefactis,
Sat tamen istud opus scribendo tuum tibi promptus,
Sancte Dionysi, martyr celeberrime Christi:
Unde mei, quaeso, precibus sacris memor esto,
Vos quoque, qui legitis, veniam mihi posco petatis.

Habilibus quondam cet.

H vero sic

Explicit, expliceat, psallere scriptor eat;
Laus sit, Christe, tibi. Finem adivi:
Heu male finivi, quia scribere non bene scivi.
Penna, gradum siste, quoniam liber explicit iste.

Habilibus quondam cet

[b] Codice E hoc carmen integrum desideratur. Eo enim codice aliae quaedem epistolae in versionis fine additae sunt, de quibus plura disputavimusin Prooemio. Exstat vero carmen integrum codicibus BCDH.

JOANNIS SCOTI

VERSIO

AMBIGUORUM S. MAXIMI

A Mabillonio acceptam edidit Thomas Gale in Appendice ad Joannis Scoti opus de divisione Naturae p. 1-45.

PRAEFATIO.

Domino gloriosissimo piissimoque divina providente atque adjuvante gratia regi CAROLO JOANNES extremus servorum Vestrorum perpetuam in Christo salutem.

Hoc opus Maximi monachi atque abbatis, quod sanctissimo atque beatissimo archiepiscopo Cyzici Joanne postulante, de quorundam in sermonibus beatissimi Gregorii Theologi Ambiguorum[a], hoc est intellectu difficilium, explanationibus composuit, de

NOTAE.

[a] Is est hujus libri titulus. Nam « Scholia » aliud opus est hujus Maximi. Horum Ambiguorum ipse meminit Maximus operum editorum T. II, p. 15, meminit Photius, meminit Baronius et in codicibus Vaticanis servari testatur.

Graeco in Latinum Vobis jubentibus edidi. Difficillimum prorsus, orthodoxissime Regum, servulo vestro, imbecilli valde etiam in Latinis, quanto magis in Graecis, laborem injunxistis. Insuper etiam accelerare veluti erudito utriusque linguae citoque perficere imperastis. Sed pro viribus ingenioli mei et acceleravi, et divina ducente ac largiente gratia ad finem usque perduxi. Fortassis autem qualicunque apologia defensus, non tam densas subierim caligines, nisi viderem, praefatum beatissimum Maximum saepissime in processu sui operis obscurissimas sanctissimi theologi Dionysii Areopagitae sententias, cujus symbolicos theologicosque sensus nuper Vobis similiter jubentibus transtuli, introduxisse, mirabilique modo dilucidasse, in tantum, ut nullo modo dubitarem, divinam clementiam, quae illuminat abscondita tenebrarum, sua ineffabili providentia hoc disposuisse, ut ea quidem, quae nobis maxime obstrusa in praedictis beati Dionysii libris, aut vix pervia, sensusque nostros fugere videbantur, aperiret, sapientissimo praefato Maximo lucidissime explanante. Exempli gratia, ut pauca de pluribus dicam, quomodo causa omnium, quae Deus est, una sit simplex et multiplex : qualis sit processio, id est, multiplicatio divinae bonitatis per omnia, quae sunt, a summo usque deorsum, per generalem omnium essentiam primo, deinceps per genera generalissima, deinde per genera generaliora, inde per species specialiores usque ad species specialissimas per differentias proprietatesque descendens. Et iterum, ejusdem, divinae videlicet, bonitatis qualis sit reversio, id est, congregatio per eosdem gradus ab infinita eorum, quae sunt, variaque multiplicatione usque ad simplicissimam omnium unitatem, quae in Deo est et Deus est; ita ut et Deus omnia sit, et omnia Deus sint. Et quomodo praedicta quidem divina in omnia processio ἀνα-
A λυτικὴ dicitur, hoc est resolutio, reversio vero θέωσις, hoc est deificatio. Et qua ratione, quae sunt maxima multiplicatione, minima sunt virtute, quae vero minima multiplicatione, maxima virtute. Quid καταφατικὴν et ἀποφατικὴν dicam θεολογίαν, in quibus maxime praedicti beati Dionysii Areopagitae profundissima divinissimaque admiranda est disputatio? Quam clare pulchreque aperit, quomodo, cum inter se oppositae valdeque contrariae videantur, ad unum tamen consensum perveniunt, ut, dum una neget, altera confirmet, utrumque in utraque contineatur; ita fit, ut ἡ καταφατικὴ non confirmet, quod ἀποφατικὴ abnegat, neque ἀποφατικὴ abneget, quod καταφατικὴ affirmat. Et non solum has duas maximas theologiae partes in Deo, sed etiam in omni creatura esse
B manifestissimis declarat exemplis; per eas namque ordines caelestium essentiarum et discernuntur et ordinantur. Et qua ratione Deus dicitur movere et moveri, dum sit immutabilis. Et quod nec sensibilia per sensum Deus sentiat, nec intelligibilia per intellectum, nec sensibilia per intellectum, nec intelligibilia per sensum, sed omnia in aeternis suis rationibus contemplatur. De unitate quoque trium divinarum substantiarum, deque tribus substantiis divinae unitatis veluti mysticissimo mirabiliter disputat senario : et multa alia, quae studiosus praesentis operis lector inveniet. Εὐσεβέστατε [a] igitur Reguni, opus, quod ad communem catholicae fidei illuminationem jussistis fieri, altissimae auctoritatis Vestrae judicio non respuatis roborari, et inter
C similia sanae doctrinae instrumenta recipi, cum ex praeclarissimis Graecorum fontibus non dubitetis derivari. In quibus si quid incognitae adhuc nobis doctrinae inveniatur, auctoribus ipsis est deputandum, quia nemo aliud in hoc opere recte mihi debet tribuere, nisi solummodo simpliciter transtulisse.

JOANNIS SCOTI VERSIO AMBIGUORUM S. MAXIMI.

Sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo Cyzici Joanni Maximus humilis monachus.

Laudantur quidem, et fortassis juste, ab omnibus, qui bona propter studium doctrinae promptiores amant, et disciplinam, quae in eis est, sollicitiores cogitant, ad meliores et meliorum magistros accedentes; quia per interrogationem sapientum disciplinam reverenter accipientes, seipsos ab ignorantia et imperitia et earum opprobrio liberant. Vos autem quis digne laudarit sermo? Aut quis hominum, etsi intelligentiae experimentum accipiens, vestrae virtutis magnitudinem idoneus inveniet? Quia probabiles ovium rationabilium pastores dum sitis, et ad superaum ovile vocibus fistulae spiritualis eas ducere et introducere nostis, singularem [b], multis impossibilem, mysticae divinorum scientiae habitudinem
D praeoccupastis, per quam Christi Ecclesiae digni fidelesque gubernacula, navis in modum, disciplinate dirigitis cum onere fidei, divinaeque conversationis decore ad portum divinae voluntatis, per mare seculi tentationibus illaesam. De his autem, quae vobis cognita sunt, quorum etiam magistros vos constituit Dominus, non solum sapientiores, si quis vestrum [c] est omnino secundum scientiam superior, sed et nullo dignos, et penitus omnis imperitos doctrinae, fide inveniendi quid nobile etiam apud immundos [d], sicut soliti estis, indignum interrogare non ducitis. Ac per hoc accipiens et ego venerabilem vestram epistolam, scribere vobis jubentem de unoquoque dubiorum vobis [e] Capitulorum in sancti theologi Gregorii sermonibus, de quibus studium habebam, quando cum convenientibus eram, reddi-

NOTAE.

[a] Ead. m. ad marg. adscr. *Piissime.* Sed Joannes Scotus Graeca affectat, ut alibi.

[b] Male legit οἵαν pro οἷα.

[c] Ex more Graecorum; pro *vobis.*

[d] Credo legerat ἀσέμνους pro ἀσήμοις.

[e] Graecus textus ἡμῖν, *nobis.*

tam tunc rationem scripturae commendo. Vos quidem merito virtutis miratus sum, et in ipsa claram atque excelsam Christo placentem vestram hospitalitatem laudavi, magis vero per omnem modum per vos et in vobis glorificatum Dominum, qui fecit vos ad hoc dignos fieri, donatamque ab ipso virtutem, qui suis servis [a] per vestra opera veritatis aperte pulchritudinem manifestat, usque ad me parvum, et nullo dignum, et indoctum, et omni nudum omnino virtute et scientia. Ac per hoc humiliatos considerans, meipsum accipere vestrum praeceptum secundum virtutem compuleram, dum in nullo temerarius aestimabor multis vestri gratia faciens sermonem, sed et vos gratam et amabilem obaudientiae mercedem accipere expectanti vestras videlicet orationes intentas consuete donabitis, ut Christus Dominus, qui est paratum timentium se adjutorium, veniat mihi sermonis adjutor; magis autem dicendo totum pie, ut Verbum largiatur verbum. Posco autem vos postulantes, ne ornatam quaeratis a me dictionem, qui ornantes auditum sermones non habeo, et curiosis bombis [b] ambitus facere ignoro. Talium enim doctrinarum dum sim inscius, et curae, quae in eis est, magnitudinem non constituens, dilectissimum reor atque optabile, si sensum sancti hujus et magni magistri, etsi confusa explanatione, et hoc aliquantulum considerarim, non tamen multiplici versu expositionem honorificando. Theologus enim iste vir, sicut scitis, brevis sermonibus dum sit, et multus intellectu, necessitatem dat explanare volenti ejus intentionem, etsi facundissimus et sapientissimus in multis sit [c], et magis mihi indocto. Si vero vos consuete Deo amabilis moverit zelus, dum ad breve simul ac planum ea, quae scripta sunt, deferimus, nos magis quam totum intellectum erigimus ad id, quod excelsius est, mercedem per se perfectam accipietis, deiferi illius scilicet ad Dominum omnium orationes, utpote non concedentes ejus divinos et supernaturales intellectus, spretis ac vilibus tractari contemplationibus. Consequenter autem vestrae epistolae per singula capita inquisitionem feci, et literis commendavi, bonos atque misericordes vos eorum, quae dicta sunt, judices fieri deprecans.

CAPITULUM I.

EX SERMONE DE HOSPITALITATE.

In hoc : *Parco ut cooperatori, et non habeo quomodo fugiam superventum, aut quomodo non a Deo cadam, gravatus pueris* [d] *deripientibus aut detinentibus in terram.*

Non id ipsum *deripi*, quod est *detineri*, visum est beato huic viro ; neque sic arbitreris, probatissime, si quid tibi intelligere ipsius magnanimitate dignum sollicitudini sit. Nam superfluus verbis, et intellectum sermones supereminentem non habens manifestaretur, si non omni fere syllabae decentem inserens notitiam, ad pulcherrima et utilia sequentes ducendo, ullo modo disceptandi relinqueretur. Non sic haec habent se longe, sed et intellectui sermonem sapienter constituunt, et sermonem excelsum excelsus supereminet intellectus, ut excelsus excelso annuntietur, et veritatis aliquantulum ex ambobus interim multis, aut etiam omnibus, invia magnitudo ostendatur. Ut vero manifesta nobis sit omnis eorum, quae dicta sunt, obscuritas, ipsa, ut se habent, beati considerabimus verba. *Parco*, inquit, *ut cooperatori, et non habeo quomodo fugiam superventum, aut quomodo non a Deo cadam, gravatus pueris deripientibus aut detinentibus in terram.* Haec dicens, non de se ipso omnino, sed per se ipsum de communi humanitate disputat, videns, quia omnis, qui salutem amat, aut actioni penitus aut contemplationi attendit. Absque enim virtute et scientia nullus ullo modo aliquando consequi salutem potuit. Si ergo per contemplationem, inquit, collocatorum Deo et beata pulchritudine fruentium unus constitutus sum, pacem habens in omnibus et sanctificationem, quippe meipsum applicans Deo inseparabili per cognitionem similitudine, irrationabiles virtutes animae cogitando decenter, et menti per rationem adducendo, et familiares faciendo, furorem dico et concupiscentiam, eam quidem in caritatem, cum vero in gaudium mutans, siquidem gaudii proprium est, exultare divinitus et laetari, sicut praeexultavit ex matre Joannes, magnus veritatis praecursor et praedicator, aut sicut, dum quiescere fecit arcam Israel rex David. In matre enim, etsi difficilis ratio, quippe invia multis, sed tamen vera, et nos et Deus verbum sumus, qui universitatis] est factor et Dominus, qui quidem in praesentis vitae statu occulte, veluti in matre, et vix sensibilis huic mundo apparet, et hoc his, qui sunt secundum Joannem in spiritu, homines vero veluti ex matre, materiali videlicet circumstantia, etsi tantisper in his, quae sunt, occultum perspiciunt verbum. Et in hoc fortassis sint, qui gaudiis Joannis laetantur. Ad ineffabilem namque futuri seculi gloriam, et claritatem, et vitae, quae in ipso est, proprietatem nil matris distat judicio laetantis [e] comparata praesens vita, in qua propter nos infantes sensibus Deus, qui est Verbum perfectum et plusquam perfectum, ut misericors, infans factus est. Si ergo, ut dictum est, talis quis sum, possibili hominibus secundum praesentem vitam transitoriam in divina summitate, neglexero vero deiformem habitum, meipsum ad corporis libens inclinans desiderium, dereptus sum gravatus pueris, id est curis, et a Deo cecidi, utpote de solo regno caelorum cogita-

NOTAE.

[a] In Graeco τοῖς ἑαυτοῦ ἰδιώμασι. J. Scotus legisse videtur ἰδίοις, quod ineptum.

[b] In Graeco ταῖς περιέργοις τομαῖς. Quid hic J. Scotus legerit, incertum. Τομαί quid sint, explicat *Hermogenes* lib. II *de Formis.*

[c] In Graeco διὰ πολλῶν εἶναι, i. e. *fusius expatiari.*

[d] Inscitissime vertit. In Graeco ταῖς πέδαις, i. e. *compedibus vinculis.*

[e] In Graeco μήτρας ζόφῳ περιεχυμένης, i. e. *nihil a matrice tenebris obvoluta.*

tionem et inquisitionem, cui non licebat, terrenae dico vitae, attribuens, et sensibus conferendo, quam ad Deum ferendo animum dehonestans. Si vero adhuc per activam vitam bellator contra armatas passiones sum, nondum per eas accipere volentium inimicorum pure effugiens dolos, et dilexero indiscrete corpus, detentus sum ab eo, videlicet ad illud habitum a virtute separari praesumens. Deripitur itaque contemplativus, immoderatus jam per habitum adveniens corpori, divinarum negligens contemplationum, detinetur vero activus, corpori pugnans, datus ad ipsum luctationi, laborando pro virtute, quae est animae libertas, servus esse passionum eligens.

CAPITULUM II.

EJUSDEM EX EODEM SERMONE.

In hoc : *Quae ergo me sapientia, et quod magnum mysterium? An vult partem nos esse Dei, et deursum fluentes, ut non per dignitatem exaltati, et caelestia contemplantes despiciamus Creatorem, in luctatione ac pugna, quae contra corpus est, ad ipsum semper aspiciendum, et conjunctam infirmitatem nutrituram esse dignitatis.*

Haec quidem consequentes verba, nullamque, ut oportet, pro labore inquirendae veritatis mercedem accipientes, ad id, quod facile est, et multas habet jam ex Graecorum doctrinis occasiones, confugiunt, dicentes, quandam extitisse, ut eis visum est, rationabilium unitatem, per quam cognati sumus Deo, mansionemque in ipso habebamus et collocationem. Adhuc vero et factum motum, ex quo dispersa sunt differenter rationalia, ad generationem corporalis hujus mundi, Deumque noscens praeparatam gratiam, ligare ea corporibus in ultionem eorum, quae ante commissa sunt, et hoc per haec insinuasse verba arbitrantur magistrum. Sed ignorant, quomodo impossibilia sequuntur, et inopportuna considerantur, sicut procedens postbac consequensque [a] ac vera approbabit ratio. Si enim Deus immutabilis est, utputa omnium plenitudo, omne autem, quod ex non existentibus esse accipit, movetur : merito ad quandam omnino fertur causam. Nondum vero, quod movetur, stat, jure extremo ad quietem virtutis motae, quae secundum desiderium est, nondum largito. Nihil enim aliud sistere, quod fertur secundum naturam, consuevit, quam illud ostensum : nullum itaque motum stat, utpote novissimo nondum fortassis viso, quoniam neque illud alicubi apparens, eorum, quae circa se feruntur, motum stabilitavit. Si autem hoc aliquando fuisse ex praecepto jubent, et ex, in novissimo videlicet et permanenti dato, collocatione et mansione permotata [b] rationabilia dispersionem acceperunt, ut non superflua dicam, qualis approbatio, eosdem in seipsis in infinitum habitum rationabilia lapsus ex necessitate juste sustinebunt. A nullo enim per experimentum spernendi semel corroborantur, neque in aeternum corroboratum iri ulla prohibens erit ratio. Ferri vero sic rationabilia, et nullam habere vel sperando basim immobilem in bono fixurae, quid aliud fieret miserabilius? Si vero posse quidem dixerint, nolle vero, nisi per factum contrarii experimentum, et sic non per seipsum ut bonum, sed per contrarium, erit eis bonum ex necessitate amabile, quomodo non ex natura aut proprie, quod est amabile, est. Omne enim, quod non per seipsum bonum est et amabile, et omnem ad se non attrahens motum, non est proprie bonum. Ac per hoc neque attrahat juste delectantium se desiderium, sed et gratias restat confiteri eos malo, qui talem sequuntur sapientiam, merito per ipsum, quod necesse est, discentes, in bono scilicet fixuram quoquomodo habere poenitentes, et generationem ab eo necessario dixerint, siquidem sibimet generationem astruere noverunt, natura ipsa utiliorem, jure dum sit proficua secundum eorum doctrinam et omnium pretiosior possessio. Ex caritate dico generationem, per quam naturaliter inest, omnia ex Deo facta in Deum congregari perpetuo atque inconversibiliter.

Et iterum. Eorum, quae ex Deo facta sunt, et intelligibilium et sensibilium generatio ante motum intelligitur. Non enim potest ante generationem motus esse. Eorum enim, quae facta sunt, est motus, sive intelligibilium intelligibilis, sive sensibilium sensibilis. Nullum enim eorum, quae facta sunt, est omnino eadem ratione immobile; neque eorum anima carentium et sensibilium, sicut studiosioribus eorum, quae sunt, contemplatoribus visum est. Moveri enim omnia dixerunt aut per rectam lineam, aut per circulum, aut oblique. Omnis enim motus simplici et composito continetur modo. Si ergo intelligitur generatio ante motum eorum, quorum est, inspicitur profecto eorum, quorum est, motus per generationem, utpote dum sit post eam secundum notitiam. Talem autem motum virtutem vocant naturalem, ad suum finem festinantem, qui sacram divinorum nobis mysteriorum scientiam sacre introduxerunt [c], aut passionem, id est, motum ex altero venientem ad alterum, cujus finis est impassibilitas, aut operationem activam, cujus finis est per seipsum perfectio. Nullum vero eorum, quae facta sunt, suimet finis est, quoniam neque sui causa est; alioquin et ingenitum, et carens principio, et incommutabile esset, merito ad nullum quoquomodo habens moveri; transcenderet enim eorum quae sunt naturam, utpote pro nullo esset; siquidem vera de ipso definitio, quamvis aliena, quae dicit, finis est, pro quo omnia, ipse vero pro nullo. Neque per se perfectio, alioquin non efficeretur jure plenum; et similiter et a

NOTAE.

[a] In Graeco μετὰ τοῦ εἰκότος, i. e. *cum verisimilitudine*. Legerat J. Scotus ἰκόντος.

[b] In Graeco περιχυνηθέντα. Forte legerat προκινηθέντα. Omnino hic nihil vidit J. Scotus. Et paene omnia in hoc capite pervertit; quibus tamen notandis, quoniam plura sunt, supersedemus.

[c] *Qui sacram — introduxerunt* desiderantur in textu graeco. Non dubitandum, quin haec in suo exemplari viderit J. Scotus, quoniam in Latinis leguntur.

nullo esse haberet; per se enim perfectum, quemadmodum et incausale. Neque impassibilitas, alioqui et manens [a] et infinitum et incircumscriptum esset. Non enim pati naturaliter inest, quod universaliter impassibile est, quod neque amatur ab alio aut movetur ad aliud quid per amorem. Nullum igitur eorum, quae generata sunt, motum stat, utpote primam et manentem [b] causam, ex qua esse his, quae sunt, inest, nondum comprehendens, aut intra novissimum factum est datum, aut ex primogenita unitate rationabilium sparsor sibimet corporum generationem consequenter coaptans arbitratus est. Et testimonium perhibent Moyses et David et Paulus sancti, et eorum Dominus Christus. Moyses quidem. *Ne gustet ex ligno*, vitae primum parentem describens; et alibi dicens: *Non enim venistis usque nunc in quietem et in haereditatem, quam Dominus Deus vester dabit vobis.* David vero: *Satiabor clamans dum apparuerit mihi gloria tua, et sitivit anima mea ad Deum fortem viventem; quando veniam et apparebo vultui Dei?* Paulus quoque Philippensibus quidem scribens: *Si quomodo occurram in resurrectionem, quae est ex mortuis, non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; expecto vero, si forte comprehendam, in quo et comprehensus sum ab Jesu Christo.* Hebraeis item: *Ipse enim intrans in requiem suam et ipse quievit ab operibus suis, veluti a propriis Deus.* Et iterum in eadem epistola: *Neminem pervenisse ad promissiones* affirmat. Christus vero: *Venite ad me, omnes laborantes et onerati, et ego quiescere vos faciam.* Nondum ergo ullo modo ullum eorum, quae facta sunt, naturalem virtutem ad finem motam stabilitavit, neque operationem quiescere fecit contendentem se suo fine [c], neque passionis, quae secundum motum est, fructum messuit, impassibilitatem dico et immutabilitatem. Solius enim Dei est, finis esse et perfectio et impassibilitas; eorum vero, quae facta sunt, ad finem principio carentem moveri, et a tanto perfecto fine quietam facere operationem, et pati, sed non esse, aut non fieri secundum essentiam non est delectabile [d]. Omne enim factum et creatum non immensum profecto, fideliter autem passioni auscultandum. Non enim ea, quae secundum conversionem et corruptionem virtutis est, hic declaratur passio, sed ea, quae per naturam subsistit in his, quae sunt; omnia enim, quaecunque facta sunt, patiuntur moveri, sicut ea quae non sunt, per se ipsum motus aut per se ipsam virtus sunt. Si ergo, quae genita sunt, rationabilia subsistunt, omnino etiam moventur, utpote ex principio secundum naturam per esse, ad finem secundum cognitionem per bene esse mota. Finis enim eorum, quae moventur, motus ipsum in

A eo, quod semper est, bene esse est; sicut et principium est ipsum esse, quod quidem est Deus, qui et esse dat, et bene esse donat, jure principium et finis. Ex ipso enim et absolute moveri nos ut a principio, et quoquomodo moveri ad se, ut ad finem, est. Si autem movetur corrationabiliter sibimet intellectualiter intellectuale, omnino etiam intelligit; si autem intelligit, omnino amat quod intelligit; si amat, patitur omnino ad ipsum ut amabile excessum; si autem patitur, profecto etiam festinat; si festinat, omnino etiam intendit validum motum; si autem intendit validum motum, non stat quousque fiat totum in toto amato, et a toto comprehendatur, libenter totum secundum voluntatem salutarem accipiens circumscriptionem, ut totum B toto afficiatur circumscribente, ut nihil omnino restet velle ex seipso, seipsum totum cognoscere valendo circumscriptum, sed ex circumscribente, sicut aer per totum illuminatus lumine, et igne ferrum totum toto liquefactum, aut si quid aliud talium est. Ex quibus speculative futuram, sed non jam factam et incorruptam [e], dignis bonitatis participationem per similitudinem solummodo accipimus, quoniam et super omnia haec sunt, quae speranda sunt, merito dum sint summa visionis, sicut scriptum est, et auditus et intellectus. Et hoc utique est ipsa subjectio, qua divinus Apostolus ait Patri Filium subjecturum fore, voluntarie accepturi subjectos esse, post quam et per quam novissima inimica destruetur mors, utpote corruptionis potentia, per quam ad nos fecit inC troitum, ipso in nobis, qui per se potens est, adjuvante secundum nos, voluntarie universaliter Deo implente [f] et bene regnante quod regit [g], otium agendo, ne quid velit, praeter quod vult Deus; sicut alibi ait ipse in seipso formans, quod nostrum est, salvator ad Patrem: *Verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu:* et post eum divinus ac mirabilis Paulus, veluti seipsum negans, et propriam habere jam vitam nesciens: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Non conturbet vos, quod dictum est; non enim ablationem propriae potentiae fieri dico, sed positionem magis secundum naturam fixam et immutabilem, id est excessum intellectualem, ut unde nobis subsistit esse, et moveri accipere desideremus, velut imagine redeunte ad principale exemD plum, et signi instar per figuram bene compacti principali formae, et aliorsum ferri neque habente de cetero, neque valente, an apertius dicendum et verius, neque posse volente, merito divina accepta operatione, magis autem Deus per deificationem facta, et plus dilectata excessu ab his, quae naturaliter in ea sunt, et ab his, quae sunt et intelliguntur, per superantem se gratiam spiritus, et solummodo habentem operatorem Jesum et accipientem, ita ut sit una et sola per

NOTAE.

[a] In Graeco ἐπεὶ καὶ μονον, i. e. *immo unum solum.*

[b] Pariter *solam.* Quae sequuntur, sunt obscura cum in Latinis tum in Graecis.

[c] Voluit dixisse *ipsam in suo fine defigens.*

[d] In Graeco ἄποιον, i. e. *sine affectione ad aliud, immune.*

[e] In Graeco παραφθαρεῖσαν, i. e. *corruptam.*

[f] In Graeco ἐκχωρηθέντος, i. e. *cedente.*

[g] In Graeco τὸ βασιλεύεσθαι, i. e. *quod regitur.*

omnia operatio Dei et dignorum Deo, magis autem solius Dei, utpote toto totos dignos bene ac pulchre ambiente. Omni enim necessitate per omnia circa aliud quid quiescent potestativo motu qui secundum desiderium est, novissimo apparente dato et participato, et corrationabiliter participantium virtuti incomprehensibiliter, ut ita dicam, capto; ad quod omnis festinat conversatio excelsi et intellectus, *et in quod omnis stabilitatur appetitus, et supra quod nullo modo fertur; neque enim habet, et ad quod tendit omnis festinantis motus, et a quo venientibus omnis contemplationis requies*, ut ait beatus iste magister. Neque erit quid extra Deum tunc manifestatum, aut Deo econtra imaginari [a] visum, ut alicujus desiderium ad seipsum fluere erroris sit [b], omnibus ambitis ab ipso intelligibilibus et sensibilibus secundum ineffabilem ipsius manifestationem et praesentiam; sicut neque in die siderea lumina et ipsa astra, sole apparente multo et incomparabili lumine, ex quo eis lumina esse, occultata, et neque, quia sunt, quantum sensui cognita. In Deo vero plus, quantum inter non creatum et creatum, infinita medietas est et differentia. Tunc enim per essentiam eorum, quae sunt, subsistentiam secundum quod, quid, et quomodo, et in quo esse, ut arbitror, scientes, ad quid appetitum adhuc per cognitionem non movebimus, uniuscujusque et in unoquoque eorum, quae post Deum sunt, cognitione nobis consummata, et infinita ac divina et incomprehensibili fructuose nobis proportionaliter proposita mansione et participatione. Et hoc est, quod valde philosophatum est secundum deiferum hunc magistrum dicentem, *cognoscituros nos quandoque quantum cogniti sumus, cum deiforme hoc et divinum, nostrum animum et rationem proprio admiscebimus, et imago revertetur ad principale exemplum, cujus nunc habet appetitum*. De eo igitur, quod non sit dispertita unitas, et quomodo secundum notitiam ex possibilibus nunc nobis Scripturae intellectibus et disputationibus erit futurorum status, dictum est hactenus; de eo vero, quomodo, dum pars Dei simus, a Deo refluximus, Deo duce hinc sermonem faciam.

Quis enim ratione considerans et sapientia ea, quae sunt, ab eo, quod non est, a Deo in id, quod est, transducta, si per naturalem eorum, quae sunt, infinitam differentiam et varietatem prudenter animae contemplativum adduceret, et inquisitiva condisceneret ratione, per intelligentiam, secundum quam creata sunt causam, non multas cognosceret causas unam causam, eorum, quae facta sunt, inseparabiliter cumdiscretam [c] differentiam per eorum et inter se invicem et seipsa inconfusam proprietatem; et iterum, unam multas, omnium ad eum relatione, per seipsum inconfuse subsistens, unum essentiale et unum substantiale Dei et Patris Deum Verbum, merito principium et causam omnium, *in quo creata sunt omnia, quae in caelis et quae in terra, sive visibilia sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia ex ipso et per ipsum et in ipso creata sunt*. Causas enim eorum, quae facta sunt, habens ante secula praesubstitutas, voluntate bona secundum eas visibilem et invisibilem ex non existente substituit creaturam, ratione et sapientia omnia secundum opportunum tempus et fecit et facit, et quae universaliter sunt et quae per singula. Causam enim Angelorum creationis praeduxisse credimus causam uniuscujusque complentiam mundum, qui super nos est, essentiarum et virtutum; rationem hominum rationem uniuscujusque ex Deo esse accipientium, ut non per singula dicam, siquidem ipse infinite per seipsum supereminentia, dum sit ineffabilis et intelligibilis, et omnis summa creaturae, et existentis per seipsam et intellectae differentiae et discretionis, seipsum in omnibus, quae ex eo sunt, singulorum analogiam bene ac pulchre ostendens [d] et multiplicans; et in seipsum omnia recapitulans, per quem et esse, et permanere, et ex quo, quae genita sunt, et ad quem genita sunt, et manentia et mota participant Deum. Omnia enim participant, eo quod ex Deo facta sunt, proportionaliter Deum, sive per intellectum, sive rationem, sive sensum, sive motum vitalem, sive essentialem, et habitum opportunitatem, ut magno et divino manifestatori Dionysio videtur Areopagitae. Unusquisque ergo intelligibilium et rationabilium angelorum et hominum per eam, qua creatus est, rationem, qua in Deo est, et ad Deum est, pars est et dicitur Dei, per suam anteexistentem in Deo, sicut dictum est, causam. Itaque, si secundum ipsam moveretur, in Deo fieret, in quo essentiae suae ratio ante inest, ut in principio et causa, et nullius alicujus ante proprium principium desiderium accipere vellet, neque reflueret a Deo, sed magis per eam, quae ad eum est, intentionem Deus fieret, et pars Dei diceretur, participando connaturaliter Deum, utpote secundum naturam sapienter ac rationabiliter per pulchrum motum suum accepturus principium et causam, non habens aliorsum de cetero post suum principium ad rationem, per quam crearetur, ascensum et restitutionem movendi, aut quomodo moveretur, in divino videlicet desiderio, motu suo ipsum finem accipiente divinam visionem, ut Basilius declarat in interpretatione in sanctum prophetam Isaiam, dicens sic: *Sabbatha autem vera sunt reposita requies populo Dei, quae quidem eo, quod vera sunt, recipit Deus et manifestat summa Sabbatha quietis, ille cui mundus crucifixus est, discedens profecto a mundanis, et in proprium locum spiritualis quietis occurrens, in quo factus non jam movebitur a suo loco, dum sit silentium et pax circa illum statum. Omnium igitur locus dignorum tali beatitudine Deus est*, secundum quod

NOTAE.

[a] In Graeco ἀντιστηχοῦσθαι, i. e. *aequiparati*.

[b] Legisse Scotus videtur δολιάσῃ; sed in Graeco edito extat δελεάσῃ, i. e. *alliceat*.

[c] I. e. *coexistentem*.

[d] In Graeco διικνύμενον, verte *pertransiens*.

scriptum est : Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum salvandi me. Apud quem firmiter omnium rationes fixae sunt, per quas etiam cognoscere omnia ante generationem eorum dicitur, merito in ipso et apud ipsum existentibus per ipsam veritatem omnibus, etsi ea omnia, et quae sunt et quae futura sunt, non simul suis causis, ut cognita sunt a Deo, in essentiam adducta sunt, sed singula quaeque opportuno tempore secundum Creatoris sapientiam pulchre juxta eorum causas creata sunt, et per se esse operatione accipiunt; quoniam ipse quidem semper secundum operationem est creator, ea vero potentia quidem sunt, operatione autem nondum; quia neque possunt horum simul esse infinitum et finita, neque ulla ratio approbare manifestabitur, horum simul esse valens essentiam et superessentiale, et in idipsum ducere menso immensum, et ei, quod in habitu est, quod caret habitudine, et quod nullam habet in se categoriae speciem affirmatam et per omnes eas categoriarum videlicet species constituto. Omnia enim, quae creata sunt, secundum essentiam et generationem omnino in omnibus affirmantur per formas, et existentibus eorum, quae extrinsecus sunt circa eam, rationibus continentur. Sublata itaque summa et abdicativa Verbi theologia, secundum quam neque dicitur neque intelligitur, neque est omnino quid alicui cognitorum, merito superessentiale, neque a quodam ullo modo in aliquo participatur; multae causae una causa est, et una multae. Nam secundum bonam ac pulchram in ea, quae sunt, unius et factricem et continuatricem processionem multae una. Per vero in unum multorum conversoriam et manuductricem relationem et providentiam, velut in principium omnipotens, aut centrum rectarum ex eo linearum principia praeambiens, et sic omnes congregans, una multae. Pars igitur sumus et dicimur Dei, eo quod essentiae nostrae rationes in Deo praesubstitutae sint; fluentes vero desursum iterum dicimur, eo quod non secundum in Deo praesubsistentem causam, per quam facti sumus, moti fuimus.

Secundum alterum quoque modum facile est pie amare eorum, quae sunt, causam erudito de hoc rationem percurrere. Si enim essentiam unicuique virtutis unum subsistere Dei Verbum non dubitatur — nam essentia omnium virtutum ipse est Dominus noster et Deus Jesus Christus, sicut scriptum est : *Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio ;* profecto haec, quae dicta sunt, absolute in seipso habet jure, qui est per se sapientia et justitia et sanctitas, et non sicut in nobis cum definitione, verbi gratia, sicut sapiens homo aut justus homo — omnis profecto homo virtutem secundum habitum fixum participans, sine ambiguitate Deum participat essentiam virtutum, veluti naturalis semen boni fideliter per voluntatem colens, et id ipsum ostendens principio finem, et principium fini, magis vero id ipsum principium esse et finem,

A quasi securus Deum constituens concionator; siquidem universae rei principium et finem qui in seipso videt, subsistere credit : principium quidem, quasi inde accipiens et essentiam per participationem naturale bonum; finem vero, veluti per cognitionem ipsius principii et appetitum, laudabilem, ad ipsum sine errore ducentem cum festinatione perficiens cursum, per quem fit Deus ex Deo, Deus esse accipiens; merito secundum imaginem naturali bono, voluntate, per virtutes addens similitudinem, per insitam ad proprium principium ascensionem et familiaritatem. Et impletur de cetero in ipso apostolicus sermo dicens : *In ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Fit enim in Deo per excellentiam anteexistentem in Deo essentiae rationem non corrum-

B pens, et movetur in Deo secundum praecedentem in Deo bene esse rationem, per virtutes operans, et vivit in Deo secundum praecedentem in Deo semper esse rationem. Hic quidem jam secundum impassibilem valde habitum id ipsum sibimet et incommutabilis est : in futuro vero seculo secundum datam theosin praedictas in Deo antecedentes causas, magis autem Deum, in quo causae bonorum praefixae sunt, in caritate amans et salutaturus : et est pars Dei, ut est per essentiae suae in Deo rationem, et ut bonus per bene essendi in Deo rationem, et ut Deus per semper essendi rationem, merito eas honorans, et secundum eas operans, et per eas seipsum quidem Deo soli per totum inserens, Deum vero solum sibimet per totum et imaginans et for-

C mans, ita ut et ipse sit gratia et vocetur Deus, et Deus sit condescensione, et vocetur per se homo, et mutuo in hoc affectu ostendatur virtus, quae et hominem Deo per divinum amorem deificat, et Deum homini per humanum amorem inhumanat, et facit per bonam conversionem Deum quidem hominem per hominis deificationem, et hominem Deum per Dei inhumanationem. Vult enim semper et in omnibus Dei Verbum et Deus sua incorporatione operari mysterium. Qui vero suum relinquens principium, pars Dei constitutus per existentem in ipso virtutis rationem secundum redditam causam, ad id, quod non est, irrationabiliter fertur, recte de sursum defluere dicitur, non ad suum principium et causam, a qua et in qua et per quam factus est, motus; et

D est in meatu instabili et inordinatione fluxili animae et corporis a non errante et similiter habente causa, ad id, quod malum est, voluntario momento expulsionem suam peragens; ex quo et fluere proprie dicitur, eo quod in se motae ad Deum inseparabiliter [a] animae gressus faciendo, valido potentiae, quod deterius est et quod non est, pro meliori volens mutavit.

Has autem, quas dixeram rationes, ipse quidem Areopagita sanctus Dionysius praedestinationes et divinas voluntates vocari a divina scriptura nos edocet. Similiterque et qui sint circa Pantaenum magni Clementis amicum, qui factus est ma-

NOTAE.

[a] In Graeco ἀδηρίτως, id est *sine offensione.*

gister Stromatei [a], divinas voluntates a Scriptura vocari dicunt, inde interrogati a quibusdam superbis in eorum eruditione, quae extrinsecus sunt, quomodo cognoscere ea, quae sunt, Deum aestimant Christiani, suscipientibus illis, intellectualiter intelligibilia et sensualiter sensibilia eum cognoscere ea quae sunt. Respondemus, neque sensualiter sensibilia, neque intellectualiter intellectualia. Non enim esse possibile est, ut ostendit ratio, eum, qui est super ea, quae sunt, per ea, quae sunt, ea, quae sunt, accipere; sed sicut suas voluntates cognoscere eum dicimus ea quae sunt, addentes etiam ex causa ratiocinationem. Si enim voluntate omnia fecit, et nulla contradicit ratio, cognoscere autem suam voluntatem Deum, semper pium dicere et justum est, unumquodque vero eorum, quae facta sunt, volens fecit; igitur ut suas voluntates Deus cognoscit ea quae sunt, quoniam et volens ea, quae sunt, fecit. Hinc et ego aspiciens censeo secundum has dixisse scripturam rationes hoc: *Cognoscebam te super omnes* ad Moysen, et de quibusdam hoc: *Cognovit Dominus qui sunt sui*, et iterum hoc ad quosdam: *Non novi vos.* Sic profecto unumquemque aut secundum voluntatem et rationem, aut contra voluntatem et rationem Dei voluntarius motus divinam audire vocem praeparavit.

Haec et hujusmodi deiferum hunc virum arbitror intelligentem dicere: *cum deiforme hoc et divinum nostrum animum et rationem proprio admiscebimus, et imago revertetur ad principale exemplar, cujus nunc habet appetitum;* ac per hoc similiter per pauca haec verba quodcunque aliquando eorum, quae sunt, tetigisse mensuram arbitrantes aestimandum doctrinaliter retrahere, et rationem, *quomodo pars Dei sumus, declarare*, et futuram beatae quietis proprietatem insinuasse, et ad immobilem ipsius et quietem, et nullo modo cadentem fructum incitasse in ea, quae in hoc est, spe purgatos et festinantes. Oportebat enim, quemadmodum ad hoc habemus et in essentia et ratione notiones, per rationem et naturam recte quidem ingredi simplo ordine, et nos sine omni qualicunque quaestione, circa quam solam et peccare est et falli, deiformiter, quantum possibile est, omnia cognoscemus; non jam per ignorantiam ab eo, qui circa ea est, motu detenti, merito magno animo et rationi et spiritui nostrum animum et rationem et spiritum, magis autem toti Deo totos nos ipsos, veluti principali exemplo imago, accedentes [b], sicut etiam in sermone, qui est de grandine, edocet sic dicens: *Et nos quidem ineffabilis lux accipiet, et sanctae ac regalis contemplatio trinitatis illuminantis planius et purius et totius toti animo mixtae, quam etiam solam regnum caelorum ego pono*, cum delectatione delectatur et laetatur, ut his, quae sunt ipsius, audax conjungam quae mea sunt, omnis creatura rationalis angelorum et hominum, quicunque nullam secundum motum, qui ad finem est, naturaliter compactarum eis divinarum rationum ab ipso Creatore per negligentiam corruperunt, magis autem seipsos temperanter salvaverunt, totos inconversibiliter, utpote divinae organa naturae, et esse et futuros esse scientes, quos per totum totus circumspirans [c] Deus in modum animae, veluti membra corporis compacta et optima Domino factos ad voluntatem tractat, et propria implet gloria et beatitudine, vitam dans et donans aeternam, atque ineffabilem, et omnibus modis universa liberam cognitione constitutae proprietatis praesentis, et per corruptionem constitutae vitae. Quam videlicet vitam aeternam non aer inspirans, neque sanguinis rivuli epate fluentes constituunt, sed Deus totus totis participatus, et animae in modum ad corpus animae et per mediam animam ad corpus factus, sicut novit ipse, ut ea quidem inconversibilitatem accipiat, illud vero immortalitatem, et totus homo deificetur per inhumanati Dei gratiam deificantis; totus quidem homo manens secundum animam et corpus per naturam, et totus factus Deus secundum animam et corpus per gratiam, et convenientem sibi per totum divinam beatae gloriae claritatem, post quam nihil est ad intelligendum lucidius aut excelsius. Quid enim θεώσεως dignis amabilius, per quam Deus diis factis unitus, omnino universitatem suam facit per bonitatem? Ac per hoc delectationem et passionem et gaudium bene nominaverim talem statum, qui est per divinam notitiam, et consequentem se laetitiae fructum: delectationem quidem merito, dum sit finis naturalium operationum, sic enim delectationem definiunt; passionem vero, veluti extendentem virtutem, et ad id, quod facit, id, quod patitur, inducentem, secundum redditam aëris ad lucem et ad ignem ferri paradigmaticam causam, et credibilem naturaliter ac vere, neque aliud quidesse praeter hoc, eorum, quae sunt, capitulum [hoc est consummationem], quam impassibilitas opportune sequitur; gaudium quoque jure, dum nihil habeat contrapositum, neque praeteritum neque futurum; gaudium enim dicunt neque tristitiam nosse praeteritam, neque ex timore satietatem acceptum iri spectandam, sicut delectatio. Unde etiam veluti demonstrativam appellationem futurae veritatis subsistentem decreverunt ubique et a Deo inspirati sermones, et ex eis divina sapientes mysteria Patres nostri. Itaque quemadmodum in transitu apparet per me paululum, et naturaliter et per [scripturam] Patres ostensum est, quomodo nullum eorum, quae facta sunt, unquam sistis motu, neque in se secundum divinam speculationem accepit quietem, cum his quoque, quomodo impossibile est in Deo permansionis dignorum reprehendi firmitatem. Quomodo enim est possibile, ut his, quae dicta sunt, parvum

NOTAE.

[a] Sic J. Scotus Verte *et Pantaenus qui magister uit Clementis Magni Stromatei.*

[b] In Graeco ὡς ἀρχετύπῳ εἰκόνι, προσχωρήσαντες. Verte *principali exemplari iconem, permittentes, cet.*

[c] Graece περιφύς, *complectens.*

quoddam ad confirmationem ex ratiocinationibus demus adjutorium, semel in Deo substantialiter factos ingratam per desiderium accepisse satietatem, dum omnis satietas secundum suam rationem et definitionem constituta desiderium extinguat, et secundum duos constituatur modos. Aut enim, quae subjecta sunt, veluti parva circumscribens desiderium extinguit, aut spernens veluti turpia ac deformia abominatur; ex his satietas fieri consuevit. Deus vero natura subsistens infinitus ac pretiosus, extendere magis fruentium se per participationem ad id, quod infinitum est, desiderium consuevit. Si autem hoc verum, sicut et est, non erat igitur illa, quae dicta est, unitas rationabilium, quae satietatem accipiens perseverantiae, quae in Deo, partita est, et ex propria discissione mundi hujus generationem cointroduxit, ne optimum bonum circumscriptum faciamus et vile, veluti satietate quadam circumfinitum, et seditionis causam factam illis, quorum desiderium id, quod incommutabile est, tenere non potuit. Et ne vanitatem talem quidam de cetero adorent [a], ut mihi videtur, ea quae non sunt fingentes, et, quod eo gravius, beatum hunc Patrem, veluti talia sapientem, calumnientur, in quo non solum se ex priori specie vitae animas in corpora venire in ultionem eorum, quae ante perpetrata sunt, malorum dicentes consequenter possunt, sed et alios seducere sic habere, rationabiliter conando per personarum probitatem, neque bene neque sancte agentes, sed illos, qui sic habent, habere dimittentes, nos ipsi pie intellectum magistri cum his, quae dicta sunt, etiam per alium contemplabimur modum.

Non arbitror igitur humanae eum generationis hic, sed ingenitae ei miseriae causam narrare voluisse. Lugens enim corporis nostri miseriam per hoc dicendo : *O conjunctionem et separationem, quam, dum timeo, circumsequor, et quod amo dedi*, et reliqua, et veluti apud semetipsum deliberans de causa eorum, quibus dehonestamur, malorum, et contra eam sapientissima prudentia disputans per hoc quod dicit : *Quae erga me sapientia, et quod magnum mysterium?* addidit, solutionem plane faciens, sic : *An vult partem nos esse Dei, et desursum fluentes, ut non per dignitatem exaltati, et caelestia contemplantes; despiciamus Creatorem in luctatione ac pugna, quae contra corpus est, ad ipsum semper aspiciendum, et conjunctam infirmitatem nutrituram esse dignitatis.* Ac si sic diceret : quoniam quidem ex anima et corpore per bonitatem a Deo factus est homo, in hoc meditabitur, quod sibi rationalis et intellectualis data sit anima, quippe secundum imaginem facientis eam substituta, quae per desiderium quidem, et ex tota virtute universalem caritatem firmiter Deum cognitione possidet, et secundum similitudinem deificationem accipiet, secundum vero disciplinalem ad subjectum providentiam, et de diligendo proximo sicut seipsam jubens mandatum, prudenter corpus recipit, per virtutes etiam illud famulari Deo efficit ut conservum, et per suam medietatem factorem faciet possessurum, et data immortalitate insolubili vinculo illud sibi conjuncturum, ut quod Deus animae, hoc anima corpori fiat, et unus ostendatur omnium Creator, proportionaliter per humanitatem omnia ingrediens quae sunt, et in unum veniant multo a se invicem secundum naturam distantia circa unam hominis naturam, sibi invicem convenientia, et fit omnia in omnibus ipse Deus, omnia comprehendens, et unum substituens sibimet, eo quod nullum amplius eorum, quae sunt, sinitur possidere motum, et ipsius expers praesentiae, per quam et Dii et filii [b], et corpus et membra et pars Dei et horum similia et sumus et dicimur ea, quae ad finem est, relatione divinae speculationis.

Quoniam igitur et hoc et in hoc homo factus est, in primo vero patre eo, quod paratum est ad potentiam, abusus est ad malum, transferens ex eo, quod concessum est, ad id, quod prohibitum est, desiderium — etenim erat per se potens, et adhaerere Domino, et in spiritum fieri; adhaerere meretrici, et in corpus fieri seductus elegit, et divina et beata visione volens seipsum expulit, sic, dum esset Deus gratia, terra fieri per voluntatem praehonorans — sapienter simul et misericorditer et suae convenienter bonitati nostrae salutis dispensator Deus, irrationabili motui intellectualis virtutis, quae in nobis est, consequentem opportune affixit vindictam, illud ipsum fortassis juxta rationem puniens morte, pro quo secundum animum soli Deo debitam caritatis projecimus virtutem, ut nihil amantes, per passionem quandoque poenitentiam agentes, ad id, quod est, iterum eandem reducere disceremus virtutem. Quod quidem procedens manifestius facit dicens : *Seu mihi quidem per hoc videtur nihil hic bonorum esse fidele hominibus neque longaevitatem, at si quid aliud, et hoc bene artifici verbo, et omnem intellectum superante sapientia machinatum est, deludendo nos visibilibus, in aliudque aliter transmutatis et transmutantibus, et sursum et deorsum ferentibus, et titubantibus, et priusquam comprehendantur abeuntibus et fugientibus, ut in his instabile et anomalum contemplantes, ad futuram transeamus. Quid enim faceremus in praesenti, dum nobis ad bene agendum non permaneat, tantum ei attribuimus, et sic nos erga ipsum delectatio et error habet servituti subjiciens, ita ut nihil melius neque excelsius praesentibus intelligere valeamus, et si haec audientes et credentes secundum imaginem Dei nos factos fuisse sursum attendentem et ad seipsam trahentem.* Et iterum in sermone ad urbane viventes, dicens : *Ut sciamus, nihil nos esse ad veram sapientiam et pri-*

NOTAE.

[a] In Graeco Καὶ μάτην λοιπὸν τινὲς ταύτην θεσπίζουσιν, quod vertendum erat *Et frustra eam* [unitatem] *deinceps praedicant*, cet.

[b] De hac re egit Maximus in Prooemio ad quaestiones in S. Scripturam, et alibi; fusius ibi innuit se acturum, quod hic fecit. V. Photium ad P. 498.

mam, sed ad ipsum semper intendamus solummodo, et quaeramus qui inde sunt splendoribus coruscare, siquidem per inaequalitatem visibilium et titubantium transducit nos in ea quae stant et permanent. Non igitur, ut arbitror, ipsius, quae secundum generationem humanitatis est, causae in talibus, ut dictum est, Magister facit declarationem, sed ipse usque post generationem nostram aggravat vitam infelicitatis propter praevaricationem, quemadmodum curiosius atque studiosius divinas ipsius literas cogitantibus est manifestum. Istius enim causam unde, et per quid, et ex quo, et propter quid per haec nobis addidit verba, propter eam administratam nostram sapienter a Deo salutem declarans; illius vero, in quo facta est mysterio, insinuans virtutem, altero verborum usus est modo, totam sui de hoc piam voluntatem faciens manifestam; sicut in eo, qui est in γενέθλια, id est nativitates, sermone manifestat dicens: *Animus igitur jam et sensus, sic a se invicem discreti propriis definitionibus, intus steterunt, et creatoris Verbi magnitudinem in scipsis ferebant, silentes laudabunt magnificentiam magnivoci praedicatores, nondum vero erat concretio ex utrisque, neque quaedam mixtura contrariorum sapientiae majoris et circa naturas multae perfectionis indicia, neque omnes thesauri bonitatis cogniti. Hoc autem volens artifex verbum ostendere, animal unum, ex invisibili dico et visibili natura, hominem creat, et ex materia quidem accipiens corpus jam ante substituta, a seipso vero vitam imponit; intellectualem quoque animam et imaginem Dei novit verbum, veluti quendam mundum secundum, in parvo magnum, in terra statuit, angelum alium, adoratorem mixtum,* et reliqua. In eo vero, qui est in φῶτα, hoc est baptismata, sermone: *Quoniam sic haec, aut hoc. Oportebat vero non his, qui sursum sunt, solummodo adorationem circumscribi, sed esse quosdam et deorsum adoratores, ut implerentur omnia gloria Dei, quoniam et Dei; et propterea creatur homo manu Dei, honorificatus etiam imagine.* Haec quidem sufficere suscipio, etsi parva constituant, non omnino contentiose discernenti, et solummodo pugnare gloriosum non judicanti, ad ostendendam totam Magistri de his, quae dicta sunt, intelligentiam. Si autem de hoc, quomodo Dei portionem Magister nos vocavit, repugnatur, multipliciter quidem jam superius de hoc reddita est ratio. Ut autem fidelior fiat spiritualibus contendens verbis, sanctus et beatus Apostolus Paulus occultam in Deo ante secula laudans sapientiam, et omnem tenebrosam humanam vitam illuminans, et ignorantiae caliginem animabus abigens, de hoc satisfacit Ephesiis, dicens haec: *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in cognitione ejus: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis vos, quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, credentes secundum operationem potentis virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans eum ex mortuis, et eum sedere faciens in dextra sua in caelestibus, super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen nominatum non solum in seculo hoc, sed etiam in futuro. Et omnia dedit sub pedes ejus, et eum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ejus et plenitudo ejus, omnia in omnibus implentis.* Et post aliquanta iterum: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas, quosdam Evangelistas, quosdam pastores et magistros, ad cognitionem Sanctorum in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et cognitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad artem erroris: veridici autem in caritate, crescamus in eum per omnia, qui est caput Christus, ex quo omne corpus compaginatum et collocatum per omnem ab eo administrationem, secundum operationem unuscujusque membri, incrementum corporis facit in aedificationem suimet in dilectione.*

Non aestimo de cetero alicujus indigere testimonii pie vivere cognoscentem ad manifestationem secundum Christianos vere creditae veritatis, aperte discentem per illud: *Quia et membra et corpus et plenitudo sumus omnia in omnibus implentis Christi Dei secundum ante secula in Deo et Patre occultam voluntatem recapitulati in ipsum per Filium suum et Dominum Jesum Christum Dominum nostrum.* Mysterium enim occultum erat a seculis et a generationibus, nunc autem manifestatum per Filii Dei veram et perfectam inhumanationem, qui sibi adunavit secundum substantiam inseparabiliter et inconfuse nostram naturam, et nos per eam, quae ex nobis et nostra est, intellectualiter et rationaliter animatam sanctam suam carnem, veluti per primitias sibimet copulavit, et unum et idipsum sibimet esse per suam humanitatem dignatus est; sicut praedestinatum est ante secula in ipso esse veluti membra corporis sui, in modum animae ad corpus in spiritu compaginavit sibi et contulit, et in mensura induxit aetatis spiritualis secundum ipsum plenitudinis: ostendit etiam, nos in hoc factos fuisse, et ante secula erga nos optimam Dei voluntatem, non accipiendam per aliquam novitatem, secundum propriam vero rationem, in plenitudinem venit per alium profecto introductum mirabiliorem modum. Oportebat enim Deum quidem, sibimet similes nos facientem, habentes bonitatis ipsius participaliter acuta insignia, et in se esse ante secula videntem, et in hunc omnino beatissimum finem ducentem, modum nobis per bonum usum naturalibus potentiis largientem, homine vero voluntarie hunc modum expellente per abusionem naturalibus potentiis, ut non longe a Deo fieret peregrinans homo, alium introducere priori mirabiliorem et diviniorem, quantum eo, quod est secundum naturam, quod super naturam est superius. Et hoc est secretissimae Dei

ad homines peregrinationis, quantum omnes credimus, mysterium; si enim, inquit divinus Apostolus, *primum testamentum maneret incontaminatum, non quaereretur secundi locus.* Etenim omnibus praeclarum est, quomodo in Christo factum in fine seculi mysterium, sine dubio in principio seculi in primo parente praevaricationis est approbatio et consummatio. Utiliter ergo dictum est a Magistro *partis vox* secundum redditos modos; et omnis ingenuus et animam et membrorum modum acceperit sic dictam vocem, nullam sibi cogitationum nequitiam afferens, sciens idipsum esse membrum et partem in talibus. Si enim portio corporis subsistit membrum, portio autem idipsum est et pars, id ipsum itaque membrum et pars est. Si autem id ipsum membrum est et pars, membrorum vero cumulatio et compositio corpus facit organicum, corpus autem organicum animae unitum intellectuali hominem perfectum ostendit: igitur partem hominis qui dicit esse animam seu corpus seu membrum ejus, a veritate non aberrabit. Si autem intellectualis animae, utpote hominis, subsistit corpus organum, per totum vero corpus tota implens anima vivere ei et moveri dat, ut simpla per naturam et incorporalis, non condispertita aut conclusa in eo, sed toti et unicuique membrorum ejus, sic consuevit eam suscipere juxta naturaliter subjectam sibi acceptivam operationis animae virtutem, tota praesens differenter eam accipientia membra proportionaliter ad observationem unum fieri corpus adjungit; introductum est in magnum et ineffabile Christianorum beatae spei mysterium, et parvis et secundum nos, magnas et supra nos non alienas accipiens similitudines, qui quietam et bene facilem de talibus adhuc intelligentiam creavit. Ac de hoc, quod animae ante corpora subsistant, irrationabilem opinionem reliquens, nobiscum credat Domino dicenti de his, qui in resurrectionem surgent, non posse mori propter ipsius videlicet purgatissimam jure novissimi dati manifestationem et participationem. Et iterum: *Omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* Quod quidem, si ante fieret aliquando, impossibile esset, ut ante datum est, per conversionem quandam qualemcunque recipere mortem. Et extra naturales non egrediatur rationes, per vanitatem non existentem de anima opinionem divinitus admirans. Si enim hominis partes, sicut ante redditum est, corpus et anima constituuntur, partes autem necessario relationem ad aliquid accipiunt; totum enim habet omnino praedicamentum. Quae vero sic dicuntur ad aliquid, eorum sunt, quae simul ubique et semper secundum generationem sunt, quemadmodum partes speciem totam coitu perficiunt, sola intelligentia ad hoc dignoscendum, quid sit secundum essentiam unumquodque, a se invicem separata; animam igitur et corpus merito partes hominis inter se invicem ante subsistere temporaliter aut post subsistere, impossibile est, alioqui ratio illa, quae sic dicitur ad aliquid solvetur. Et iterum, si per se

A species ante corpus est anima, aut corpus; speciem vero aliam horum utrumque secundum animae ad corpus compositionem, aut corporis ad animam perficit, aut patientia omnino hoc faciunt aut naturaliter existentia. Et si quidem patientia, patiuntur id, quod non erant, existere, et corrumpuntur; si vero naturaliter existentia, semper hoc eo, quod naturale est, profecto operabuntur, et nunquam quiescet anima coincorporari, neque coinanimari corpus. Sed non est, ut arbitror, passionis aut partium naturalis potentiae, secundum alterius coitum ad alteram, totius secundum speciem plenitudo, sed in ipsis simul secundum speciem totam generationis est. Nonne igitur possibile, sine corruptione ex specie in speciem transmittere qualemcunque speciem? Si autem,

B quia post mortem et solutionem corporis est anima et subsistit, dicunt, etiam ante corpus esse eam posse et subsistere, inconsiderate, ut mihi videtur, ratio eorum procedit. Non enim eadem est generationis et essentiae ratio. Ea enim, quando, et ubi esse, et ad quid est: ea vero esse, et quid, et quomodo esse est, declarat. Si autem hoc, est quidem semper, postquam fit, per essentiam anima, enimvero non absoluta, per generationem, sed cum conjunctione temporis et loci, et ad aliquid. Non enim simpliciter dicitur anima post mortem corporis ipsa anima, sed hominis anima, et cujusdam hominis anima; habet enim et post corpus sic speciem suam totam secundum habitum veluti partis praedicatam humanam. Similiter autem et corpus, mortuum quidem per natu-

C ram, non vero absolutum per generationem. Non enim simpliciter dicitur corpus post separationem ab anima corpus, sed hominis corpus, et cujusdam hominis corpus, etsi corrumpatur, et in ea, ex quibus est, resolvi elementa consuescat; habet enim et sic quasi speciem totam suam secundum habitum, veluti partis praedicatam humanam. In ambobus itaque habitus, anima dico et corpore, veluti totius formae humanae partes, inseparabiliter intellectus, demonstrat et simul eorum genesin, et secundum essentiam ad se invicem differentiam ostendit, nullo modo secundum essentiam in eis insitas offendens rationes. Igitur omnino impossibile corpus aut animam invenire aut dicere sine habitu, simul enim cum altero introducitur alicujus

D esse alterum. Itaque si alterum subsistat ante alterum, quomodo ut alicujus auscultandum? Habitus enim immutabilis est. Hactenus de his. Et siquidem a veritate sermo non recessit, Deo gratias per vestras orationes ad bene intelligendum ducenti; si vero alicubi a veritate deficit, vos reformate rationis diligentiam, ex Deo talium inspirati scientiam.

CAPITULUM III.

EX EODEM SERMONE.

In hoc: *Dum etiam a seipsa materies fert inordinatum veluti influxum.*

Arbitror quoque, praesentem sermonis intentionem prioris intellectum habere capituli. Quia enim prae-

termisit plurima contra materiae amatores et corporis, haec addidit, ut hinc possent pie intentionem Sancti perscrutantes conjicere sic. Quoniam incorruptibilitatis et immortalitatis pulchritudine a Deo clarificatus factus est homo, materialis vero circa se naturae turpitudinem intellectuali pulchritudini praeponens, oblitus est decorae secundum animam dignitatis, magis autem Dei, animam deiformiter formantis, [*omne quod fecit*] sententia dignum, secundum divinum judicium nostram sapienter administrat salutem, colligitque fructum, non solum ipsam corporis corruptionem et mortem et ad omnem passionem promptissimum motum et opportunitatem, sed et extra et circa eum materialis essentiae instabile et anomalum et ad alienandum ferens et facile, sive tunc ipsam [*videlicet animam*] Deo propter praevaricationem nostro corpori commiscente, et ad alienandum eam, sic corpore ad passionem et corruptionem et omnino solutionem, sicut mortalium in paradiso pellium declarat amictus, inserente potentiam, juxta quod scriptum est, quia *et ipsa creatura subjecta est corruptioni nolens, sed propter subjicientem in spe;* seu ex principio, per praescientiam sic eam creante, propter praevisam hominis praevaricationem, ita ut patiendo et vitiando per se in consensum ipsius et propriae dignitatis veniret, et inseparate reciperet ad corpus et seipsam iterum affectum. Concedit enim sapientissimus vitae nostrae provisor, naturaliter uti saepe rebus propriis motibus ad nostram temperantiam, interdum insane eas tractantes, ex confusione et perturbatione circa eas et ex eis, ad id, quod amabile est secundum naturam, adducens interim nostrum irrationabilem ad ea quae praesentia sunt amorem. Tribus enim existentibus universalibus modis, per quos dicunt erudite nostras sanari passiones, per singulos modos sapienter inordinato materiae, ordinate secundum super nos et meliorem rationem, ad cognitam Deo bonam pulchramque perfectionem, gubernata malitiae passionum gravedine, medicamentum ponitur. Aut enim antecommissorum peccatorum poenam repetentes, quorum aeque neque vestigium memoria detinemus propter ignorantiam; fortassis vero recordantes, opportunam delictis restituere correctionem non sustinuimus, seu nolentes, seu non valentes propter ingenitum malitiae habitum; seu infirmitatem purgamur, aut praesentem et distributam [a] malitiam repellimus, et iterum ad habitum futurae vitae praediscimus aspicere; aut firma tolerantia et pia fortitudine mirabile exemplum aliis hominibus alius proponit homo, siquidem excelsus, aut intelligentia atque virtute gloriosus, et idoneus per seipsum imperterrita contra terrores copula manifestare interim occultam veritatem. Admonet itaque eos, qui nihil supra praesentem vitam intelligere possunt, ne in sanitate corporis confidant, et distillando mobili rerum cursu per earum defectus exaltentur [b], dum praesens steterit vita, et in talem corruptionem circumvolvantur, circa quam conversio est et mutabilitas; dum sit hoc incertum, quid ex corpore et exterius rerum dissimilitudine ac perturbatione eis contingat. Hoc enim arbitror dicere eum per hoc, *dum a seipsa materies fert inordinatum*, pro eo quod est, dum sub corruptione et mutabilitate est hoc totum, et corpus humilitatis induamur, et aeque ex ipso per insitam infirmitatem multis modis malis subjicimur, ne ab invicem separemur per eam, quae circa nos est, inaequalitatem, sed magis prudenti cogitatione naturali collegio inaequalitatem plane faciamus, aliorum defectus nostris ipsis adimplentes superabundantiis. Propter hoc fortassis praesens concessa est conversari anomalia, ut ostenderetur rationis, quae in nobis est, potentia, praehonorans omnibus virtutem. Omnium enim hominum eadem est corporis et eorum, quae extra sunt, conversio et mutabilitas, quae fert et fertur, et solummodo hoc stabile possidet ac firmum, quod instabile est ac volubile.

CAPITULUM IV.

EJUSDEM EX SERMONE IN ATHANASIUM.

In hoc: *Non enim habet quid altius quam omnino habet.*

Videtur mihi per haec absolvisse ab omni comparativo et discretivo et quoquomodo aliter dicto habitu edoctum iste deifer Magister. Nam immensam esse talem orationis speciem dicunt, qui in talibus sapientes sunt, et hanc posse incomparabiliter super omnia esse dicere, quippe virtutem habet supereminentis negationis.

CAPITULUM V.

EJUSDEM EX EPITAPHIO IN SANCTUM ATHANASIUM.

In hoc: *Cui igitur licitum fuit, per rationem et contemplationem pertranseunti materiam et carnale hoc, sive nimbum oportet dicere, sive velamen, cum Deo fieri, et purissimo lumine teneri, quantum possibile est humanae naturae, beatus iste ascensione hinc, et illinc deificatione, de qua syncere philosophari donatur, et super materialem dualitatem fieri per intellectam in trinitate unitatem.*

Ego quidem non possum deficiens habere redditam de virtute sanctorum Magistri rationem, etsi quidam, ut scripsistis, hoc arbitrantur, per hoc, ratione et contemplatione solummodo, sine actione, post Deum transeuntium ipsam dicere philosophiam; e contrario vero compactam actioni veram circa ea, quae sunt, eorum et judicationem et operationem, quam philosophiam solam vere plenissimam ego saltem audax definio, magis aperte introduxisse eam [c] suscipio, ratione et contemplatione corrigi eam manifestans [d]. Quippe rationi conjuncta omnino actione, et judicatione, quae in ipsa est, per contemplationem comprehensa. Siquidem rationis est, ordinare cor-

NOTAE.

[a] Graece νεμομένην, i. e. *depascentem nos.*

[b] Rectius ita vertisset: *nec propter rerum suarum cursum in offensum contra eos, qui istis carent, exaltentur.*

[c] Graece αὐτὸν, *eum.*

[d] Graece ἀποφηνάμενον, *manifestantem.*

poris motum, veluti freno quodam recta ratiocinatione ab eo, qui est ad inconsequentiam [a], meatu disciplinaliter retentum, contemplationis vero, quae bene intellecta atque discreta sunt, prudenter extollere judicando, tanquam lucem clarissimam, per veram scientiam ipsam veritatem ostendens [b]. His ambobus maxime creatur omnis sapiens virtus et custoditur, ab his etiam manifestatur per corpus non tota; non enim capitur corpore, dum sit character divinae potentiae, sed quaedam eorum, quae ipsius sunt, umbrae. Et hoc non propter seipsam, propter nudos vero ipsius gratia, ut in imitationem veniant deiformis Deum diligentium virorum conversationis; ut per participationem boni et ipsi malitiae turpitudinem deponentes, dignorum Deo partes fiant, aut deprecantes adjutorium quoddam a potentibus consequi, ut occultum in profundo animae eximiorum affectum per corpus actione manifesta accipientes, omnia in omnibus factam, et per omnia omnibus praesentem Dei providentiam, et ipsos laudent; ut si nemo esset, qui bene agere deprecaretur, seu qui ad virtutem exemplo formari debeat, ipsum solum sufficere sibi omnino, quae secundum animam sunt, virtutum donis fruentem. Et sine earum per corpus ad manifestum approbatione non est incongruum dicere. Qui igitur pie per contemplationem intelligit, quomodo habent ea quae sunt, et per rationabile consilium considerate ac recte de ipsis rationem definit, et custodit sibimet judicium, magis vero seipsum judicio irreprehensibilem, omnem simul comprehendens habet virtutem, ad nihil aliud post cognitam veritatem, adhuc motus, et omnia praeteriit festinanter, nullius omnino rationem faciens eorum, quaecunque carnis et mundi sunt et dicuntur, informatam habens jam ratione comprehensam sine pugna actionem; quippe omnes sibimet intellectualis nostri potentissimas impassibiles inferens rationes, per quas omnis virtus et scientia est et consistit, jure dum sint rationabilis animae potentiae, ut sint quidem omnino corpore non indigentes, ut vere manifestae sint propter causas praedictas, secundum tempus eo uti non vituperantur. Dicunt enim intellectualis esse specialiter notiones intelligibilium, virtutes, scientias, artium rationes, propositum, consilium, generaliter vero judicia, comparationes, fugas, appetitus; et quaedam quidem esse solius secundum animum contemplationis, quaedam vero secundum rationem disciplinalis potentiae. Si autem talibus custoditam propriam vitam sancti conservaverunt, igitur comprehensim per rationem et contemplationem beatus iste vir omnes, quae sunt secundum virtutem et scientiam, introduxit rationes a sanctis comprehensas, per quas divinam notitiam per contemplationem scienter accipientes, prudenter secundum rationem per

A virtutes divinam sibimet coaptavere formam omnino: non esse necessarium judicans per corpus nominare actionem, cognoscens non eam virtutis esse factricem, sed manifestatricem, et solummodo divinarum intelligentiarum et disputationum ministrum

Ut autem et per alium modum manifestum fiat quod dictum est: dicunt, qui nostrarum rerum diligenter rationes percurrunt, rationalis quidem esse contemplativum et activum. Et contemplativum quidem secundum intellectum; quippe habet ea quae sunt: activum vero secundum consilium, quod definit actionibus rectam rationem. Et vocant quidem contemplativum, intellectum; activum vero rationem; et illud quidem sapientiam, illud vero prudentiam. Si autem hoc verum, ex causa itaque
B actionem, secundum quod consequens est, at non ex materia nominavit Magister rationem, nullam habentem oppositum habitudinem appellans; rationabiliter enim et scienter, at non per inimicitiam et contentionem, instat veris contemplativus, et praeter ipsa aliud quid videre propter eorum delectationem non recipit.

Si vero opus est et aliter hoc apertius facere, iterum, qui secundum virtutem perfectionis rationes exercent, dicunt, quosdam nondum ad materiam secundum habitum communione purgatos circa actiones effici, dum sit mixta adhuc eis circa ea, quae sunt, judicatio, et sunt conversibiles, nondum circa conversibilia habitum deponentes; quosdam vero per virtutis summitatem Deo secundum habitum ap-
C proximantes, et ipsius secundum intelligentiam beatitudine fruentes, ad seipsos solummodo et Deum conversos, rumpendo sincere materialis habitudinis vincula, actionibus quidem a materia perfecte alienantur, contemplatione vero et Deo familiares fiunt. Propterea, inquiunt, manent inconversibiles, non habentes adhuc ad materiam habitudinem, per quam cum materia naturaliter mobili contra naturam commoveri ex necessitate consuevit, qui materiae per habitudinem concretus est, et maximae videns indigere potentiae ad depositionem materialis passibilitatis, ab ea liberari volentem, ait Magister: *Cui igitur licitum fuit per rationem et contemplationem pertranseunti materiam, et carnale hoc, sive nimbum*
D *oportet dicere sive velamen, cum Deo fieri* cet.

CAPITULUM VI.

QUOMODO EST NIMBUS ET VELAMEN CARO.

Cur autem *nimbum* esse et *velamen carnem* dicit Magister, videns quippe, quia omnis humanus animus errans, et a naturali motu retro aspiciens, circa passionem et sensum et sensibilia motum facit, non habens aliorsum moveri, ab eo motu, qui ad Deum naturaliter fert, deficiens, et divisit carnem in passionem et sensum, carnis enim animatae utrumque est, per nimbum et velamen haec declaravit. Nimbus enim est principali [c] animae superobumbrans

NOTAE.

[a] Graece ἀτοπίαν, *pravitatem.*

[b] Legendum *ostendentis*, Graece δεικνυούσης, scilicet θεωρίας.

[c] Sic ad verbum, pro *principalem partem.*

carnalis passio, et velamen est error secundum sensum, superficiebus sensibilium ipsum vincens, et ad intelligibilia transitum muniens [a]. Per haec oblivionem naturalium bonorum accipiens anima, circa sensibilia totam suam operationem convertit, furores et concupiscentias et delectationes per ea, quae dicta sunt, inhonestas invenit.

CAPITULUM VII.

QUOMODO VOLUPTAS FIT.

Omnis enim delectatio eorum, quae interdicuntur, ex passione per medium sensum ad aliquid sensibile omnino fieri consuevit. Neque enim aliud aliquid est delectatio, quam species sensus in sensivo per quoddam sensibile formati, vel modus [b] sensivae operationis per irrationabilem concupiscentiam constitutus. Concupiscentia enim sensui apposita in delectationem vertitur, addens ei speciem; et sensus per concupiscentiam motus delectationem operatur, quiddam sensibile accipiens. Cognoscentes igitur sancti, quia per mediam carnem ad materiam anima contra naturam mota, terrenam induitur formam, ipse magis per mediam animam secundum naturam ad Deum motam etiam carnem Deo decenter famulari intellexerunt [c], per institutionem virtutum acceptabiliter ipsam divinis ornantes intellectibus.

CAPITULUM VIII.

QUOMODO ET QUANTI MOTUS SUNT ANIMAE.

Tres enim universales motus habere animam in unum collectos, a caritate docuerunt [d]; unum secundum animam, alterum secundum rationem, tertium secundum sensum. Et unum quidem simplum et interpretatione carentem, per quem incognite circa Deum mota, nullo modo ex ullo eorum, quae sunt, ipsum per excellentiam cognoscit. Alterum vero secundum causam definitivam incogniti, per quem naturaliter mota, omnes naturales rationes per causam solummodo cogniti, dum sint in ea formatrices, sibi ipsi per operationem secundum scientiam imponit. Tertium autem compositum, per quem ea, quae extra sunt, tangens, veluti ex quibusdam signis visibilium rationes apud seipsam reformat, magnanimiter per hos secundum verum et immutabilem naturalis motus modum, praesens laborum seculum transcenderunt. Sensum quidem simpliciter spirituales solas rationes sensibilium habentem, per mediam rationem ad animam referentes, rationem vero uniformiter per unam simplamque atque inseparabilem prudentiam eorum, quae sunt, habentem, rationes animo adunantes, ipsum autem animum circa omnia, quae sunt, motu pure absolutum, et ab ipsa secundum se naturali operatione quietum Deo offerentes, per eum universaliter ad Deum conscendentes, toti toto Deo contineri per spiritum digni facti sunt, totam caelestis, quantum hominibus possibile est, imaginem ferentes, et tantum attrahentes divina notitia, si fas est hoc dicere, quantum ipsi attracti Deo inserti sunt. Dicunt enim, inter se invicem esse paradigmata Deum et hominem, et tantum homini Deum per misericordiam humanari, quantum homo seipsum Deo per caritatem confortatus consecravit, et tantum a Deo hominem secundum animum rapi ad incognitum, quantum homo invisibilem natura Deum per virtutes fecit manifestum.

Ab hac itaque per rationem et contemplationem constituta philosophia, per quam etiam corporis necessario nobilitatur natura, absque errore, divino sauciati sancti desiderio, per insitas eis naturales ad divina intelligentias digne ac pulchre ad Deum pervenerunt, corpus et mundum militariter pertranseuntes, sibi invicem haec copulata contemplantes, mundum quidem naturae, corpus vero sensui, et alterum alteri succumbere per consequentiam alterius ad alterum qualicunque proprietate. Et nihil horum per seipsum ratione circumscriptionis subsistere liberum, et turpe ducentes mortalibus et circumscriptis corrumpi et circumscribi animae immortale et semper mobile, soli Deo immortali et omni infinitate superiori insolubiliter seipsos alligaverunt, nullo modo mundi atque carnis refluxionibus inditi [e]. Haec est omnis virtutis et scientiae plenitudo. Aestimo vero, quia et finis. Sed si aliquando circa eorum, quae sunt, speculamina moti sunt sancti: non in hoc illa ipsa principaliter contemplari et cognoscere, sicut nos, materialiter moti sunt, sed ut per omnia et in omnibus et existentem et apparentem Deum multiformiter laudarent, et multum sibimet admirationis colligerent virtutem et glorificationis causam. Animam namque a Deo accipientes, intellectum et rationem et sensum habentem, cum intelligibili et hanc sensibilem, sicut et rationem, quae est per enunciationem cum ea, quae inseparabiliter est, et intellectum cum intellectuali passibilem, quem etiam phantasiam vocant animalis, per quem et reliqua animalia et se invicem et nos et locos, quos peragravere, cognoscunt, circa quam phantasiam sensum constitui dicunt, qui talia sapiunt, organum ipsius dum sit, per quod recipit, quae per eam imaginata sunt, opportunum esse arbitrati sunt horum operationes consequenter non sibimet, sed donanti Deo, per quem et ex quo haec sunt, referendo. Tres enim existentes universales modos, quantum hominibus est possibile, ex ipsa circa ea, quae sunt, diligenti consideratione eruditi, in quibus Deus omnia fecit; in hoc namque esse et bene esse et semper esse conditor nos substituit, et duos quidem extremos a solo Deo habitos [f] ut a causa,

NOTAE.

[a] Graece ἀποτειχίζουσα, i. e. *obstruens*.
[b] Conj.; Gale *mos*; Graece τρόπος.
[c] Rectius *meditati sunt*.
[d] Graece φωτισθέντες, *eruditi*. Sententia pendet a verbo *ascenderunt*, quod sequitur.
[e] Graece καὶ σαρκὸς ἀνθολκαῖς, i. e. *et carnis renitentiis*.
[f] Graece μονοῦ θεοῦ ἐχομένους, i. e. *a solo Deo pendentes*.

alium vero medium et nostro pendentem arbitrio et motu, et per seipsum extremis proprie dici praestantem, et eo absente abusive eis etiam appellatio constituitur, illud bene non habentibus conjunctum, non aliterque posse adesse eis et custodiri; quae in extremis est, veritatem, quam facere consuevit id quod est bene esse per medium extremis admixtum, quam ex ipso ad Deum semper motu intellexerunt, et deinceps naturali ratione hinc contemplativum animae extendentes, et modo quodam non oportere conversibiliter uti naturalibus operationibus propter superantem necessario corruptionem, eo modo, qui est per abusionem naturalibus potentiis, ipsa non utente ratione aperte audientes, ac plane per decentem naturae rationem ad ipsius causam ferri didicerunt, ut, unde simpliciter eis est esse et vere esse, quandoque adjectum accipiant. Quid enim fortassis lucri erit, ad seipsos aeque ratiocinantes, dicebant, non a seipso existenti causali ad seipsum, aut aliud quid praeter Deum moto, quando in rationem ipsius esse nihil sibimet a seipso, aut ab alio quodam praeter Deum acquirere poterit. Per hoc animum quidem circa solum Deum et virtutes ejus intelligi, et ineffabili gloriae beatitudinis ejus addici, rationem vero interpretem intelligibilium fieri, et laudatricem, et ad ea unificos recte disputare modos, sensum vero per rationem nobilitatum ipsas in universo differentes virtutes et operationes imaginantem in his, quae sunt, quantum possibile, est animae annunciare rationes docentes [a], et per animum et rationem veluti navim sapienter animam gubernantes, lubricam hanc et instabilem et in aliud aliter ferentem et sensum agitantem vitae viam siccis pertransierunt vestigiis.

NOTAE.

[a] Mallem *docent*. Graece διδάξαντες.

JOANNIS SCOTI

VERSUS.

SECTIO I

LIBER VERSUUM PLURIMORUM.

VERSUS JOANNIS SAPIENTISSIMI AD CAROLUM CALVUM FILIUM LUDOUUICI PII CUJUS AVUS FUIT CAROLUS MAGNUS [a].

E cod. pervetusto Vatic. Sec. X vel XI ed. Angelo Mai. Classic. Auct. Tom. V, p. 426 sqq. Jam prodeunt ad fidem codicis Christinae 1587, fol. 57-65, ejusdem, opinor, quo Mai utebatur, recogniti.

I.

De Christo crucifixo.

Hellenas Troasque suos cantarat Homerus,
Romuleam prolem finxerat ipse Maro.
At nos caeligenum regis pia facta canamus,
Continuo cursu quem canit orbis ovans.
Illis Iliacas flammas subitasque ruinas,
Trojorumque μάχας [1] dicere ludus erat.
Ast nobis Christum devicto principe mundi
Sanguine perfusum psallere dulce sonat.
Illi [2] composito falso sub imagine veri
Fallere condocti versibus Arcadias.
Nobis virtutem Patris veramque sophiam
Hymnizare licet laudibus eximiis.
Musarum [3] cantus, ludos satyrasque loquaces
Ipsis usus erat plaudere per populos.
Dicta prophetarum nobis modulamine pulchro
Consona procedunt cordibus, ore, fide.
Nunc igitur Christi videamus summa tropaea,
Ac nostrae mentis sidera perspicua.
Ecce crucis lignum quadratum continet orbem,
In quo pendebat sponte sua Dominus,
Et Verbum Patris dignatum sumere carnem
In qua pro nobis hostia grata fuit.
Aspice confossas palmas humerosque pedesque,
Spinarum serto [4] tempora cincta fero.
In medio lateris reserato fonte salutis
Vitales haustus sanguis et unda fluunt.
Unda lavat totum veteri peccamine mundum,
Sanguis mortales nos facit esse deos.
Binos adde reos pendentes arbore bina;
Par fuerat meritum, gratia dispar erit.
Unus cum Christo paradisi limina vidit,
Alter sulphureae mersus in ima Stygis [5].
Eclipsis solis lunae redeuntis eoo
Insolito cursu sideris umbra fui

VARIAE LECTIONES.

[1] Glossa *pugnas*. [2] Corr. Mai., cod. videtur habere *falli*. [3] Cod. *Moysarum*. [4] Corr. Mai., cod. *sorte*. [5] Cod. *fagis* (sic!) glossa *palu inferni*.

NOTAE.

[a] *Liber versuum plurimorum* est titulus codicis. *Magnus* eadem manus ad marginem codicis adscripsit. *Versus Joannis sapientissimi* cet. usque *Carolus*

Commoto centro tremulantia saxa dehiscunt;
Rupta cortina, sancta patent populis.
Interea laetus solus subit infera Christus,
Committens tumulo membra sepulta novo.
Ὁπλίτης [1] fortis reseravit claustra profundi,
Hostem percutiens vasa recepta tulit.
Humanumque genus nolens in morte perire,
Eripuit totum faucibus ex erebi.
Te Christum colimus caeli terraeque potentem,
Namque tibi soli flectitur omne genu.
Qui tantum largire vides quod rite rogaris;
Et quod non recte, rite negare soles.
Da nostro regi Carolo sua regna tenere,
Quae tu donasti patribus almigenis.
Fonte tuo manant ditantia regna per orbem:
Quod tu non dederis, quid habet ulla caro?
Invidiam miseram fratrum saevumque furorem,
Digneris pacto mollificare tuo.
At ne disturbent luctantia fraude maligna,
Aufer de vita semina nequitiae.
Hostiles animos paganaque rostra repellens,
Da pacem populo, qui tua jura colit.
Nunc reditum Caroli celebremus carmine grato:
Post multos gemitus gaudia nostra nitent.
Qui laeti fuerant quaerentes extera regna,
Alas arripiunt, quas dedit ipsa fuga.
Atque pavor validus titubantia pectora turbans
Compellit Carolo territa dorsa dare.
Eheu [2], quam turpis confundit corda cupido,
Expulso Christo sedibus ex propriis!
O utinam, Hluduuuice [3], tuis pax esset in oris,
Quas tibi distribuit, qui regit omne simul!
Quid superare velis fratres? quid pellere regno?
Numquid non simili stemmate progeniti?
Cur sic [4] conaris divinas solvere leges?
Ingratusque tuis, cur aliena petis?
Quid tibi baptismus, quid sancta solempnia missae
Occultis semper nutibus insinuant?
Numquid [5] praecepta simul fraterna tenere,
Viribus ac totis vivere corde pio?
Ausculta pavidus, quid clamat summa sophia,
Quae nullum fallit, dogmata vera docens.
Si tibi molestum nolis aliunde venire,
Nullum praesumas laedere parte tua.
Christe, tuis famulis caelestis praemia vitae
Praesta, versificos tute tuere tuos.
Poscenti Domino servus sua debita solvit,
Mercedem servi sed videat Dominus.

II.

De cruce.

Aspice praeclarum radiis solaribus orbem,
Quos crux salvifica spargit ab arce sua.
Terram Neptunumque [6] tenet flatumque poloque,
Et si quid supra creditur esse procul.
Dum revocat miseros humanae gentis ab imo,
Cuspide tartaream percutit ipsa Stygin [7].
O crux alma nites ultra Seraphim [8] Cherubimque;
Quod [9] est, quod non est, te colit omne super.
Te Domini rerum, Virtutes atque Potestas,
Ordo colit, medium jure tenendo locum.
Angelus, Archangelus [10], Princeps totusque supremus
Caelestis numerus te colit alta petens.
Te πνὺξ [11] nostra dehinc justo modulamine laudat,
Per te christiferam namque redempta fuit.
Tene manu Moyses magnus gestaverat olim,
Dum dux divini factus erat populi?
Te Pharao [12] stupidat vestitam [13] pelle draconis,
Dum sorbes alios, quos dedit arte magus.
O mons virtutis, descendens carnis ad ima,
Figeris in ligno, septa [14] subis erebi.
Morte tua simpla nostram consumere duplam
Ausus eras, totum dum renovas hominem.
O crux, erythreas [15] tu scindis marmoris undas,
Victrix praecedis, dasque viam populo.
Te sequitur virtus omnis, te vita salusque;
Te fugiunt fluctus, crimina dico mea.
Tu das arenosis [16] currentia flumina saxis;
Ebibat hunc fontem, vivere quisquis amat.
In sapidos fluctus populo convertis amaros,
Lex depulsa gravis, gratia sola manet.
Est quoque non dispar sensus praefatibus actis,
Siquis συμβολικὰς [17] discit amare notas.
Mysticus est Moyses Christus, rex atque sacerdos,
Qui nos Aegypto liberat edomita.
Ipse subit mortem primus, mortemque resolvens
Prosilit in vitam: virga recepta regit.
Quid, Pharao, sequeris populum? Fuge mersus in ima:
Carceris aeterni te tegat [18] atra palus.
Nos virtutis iter medium dum carpimus, alte
Instant phantasiae nequitiaeque tholi [19].
Quas vincens animus laeta potitur arena [20],
Et peccata procul mersa subacta videt.
Tunc ἀλάλαγμα [21] canit gaudens multumque triumphans,
Laudibus amplificat tunc paradoxa [22] Dei.
Litora virtutum lustrans tunc intrat eremum,
Mundi contempti qua silet omnis amor.
Spiritus immundus nullam reperire quietem
Qua numquam potuit, sed redit unde venit.
Chalceus [23] ex alto pendens ibi sibilat anguis
Extinctum virus; liber erit populus.

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *oplistes*, glossa *armatus*. [2] Cod. *Heheu*. [3] Sic cod., Mai. *Kludowice*. [4] Corr. Mai., cod. *si*. [5] Sic cod., Mai. male corr. Numquid *non* praecepta. [6] Glossa *Oceanum*. [7] Glossa *paludem inferni*. *Stys tristitia inferni*. [8] Corr. Mai., cod. *Seraphimque*. [9] *quod* om. cod., add. Mai. [10] Cod. *Aggelus*, *archagelus*. [11] Glossa *ecclesia*. [12] Cod. *farao*. [13] Corr. Mai., cod. *vestita*. [14] Glossa *claustra*. [15] Glossa *rubeas*. *Eritryum mare est rubrum mare*. [16] Sic cod., Mai. *harenosis*. [17] Glossa *significativas*. [18] Sic cod., Mai. *tegit*. [19] Glossa *testudines*. [20] Sic cod. [21] Glossa *ymnus victoriae*. [22] Glossa *miracula*. [23] Glossa *aeneus*.

Magdalene [1] quaeris Dominum quid maesta A
[sepultum?
Funere devicto respice laeta Deum.
Desine caeparios [2] meditari cernere vultus;
Vivus adest Dominus : quem gemis, ipsa vide.
Tersa pios vultus cursim solabere fratres :
Evangelistes prima beata vale.
Christe Dei Verbum, virtus, sapientia Patris,
Sanguinis unda tui, qua madet ara crucis,
Nos purgat, redimit, solvit, vitamque reducit,
Electisque tuis praestitit esse deos.
Da nostro Carolo pacem, qui sceptra [3] dedisti,
Atque suus pereat hostis ubique ferox.
Utque tibi placeat cunctis, quis vixerit, annis,
Semina virtutum sparge tuo famulo.
Quarum perspicue vis surgat, crescat in actus, B
Ut merito tecum semper ubique regat.
Ὀρθόδοξος [a] ἄναξ εὐσεβὴς ἔγκλυτος [ἄρχος]
Σώφρων χριστοφόρος κύριος ὁ Κάρολος [4].
Hos versus cecini sex denos bisque quaternos
Joannes vester servulus indiguus
Μέλπω dum laetus, regi mea debita solvo :
Solvere curarim, si sibi grata forent.

III.

De paschate.

Auribus hebraicis [5] notum si dixero pascha,
Usibus Ausoniae transitus est habilis.
Primum naturae si vis cognoscere pascha,
Quaerito, quis primus fulsit in orbe dies;
Quo machinae mundi cumulatim dicitur esse C
In species proprias transitus ex nihilo.
Conditor et causas, quas secum semper habebat
Prodidit in formas lumine conspicuas.
Sphaerica tunc tellus artatur limine certo,
Vestiturque suis frondibus et λαχάνοις [6].
Cinxit litoreus Neptuni [7] Nerea limbus [8],
Quem superare nequit caerula [9] crine tumens.
Aërium spacium tangebant cornua lunae,
Quod validis pennis oscena [10] colla secant.
Aetherios cyclos ambibat stelliger orbis,
Mundum circuiens motibus assiduis.
Processu vario ferebatur consona turma
Errantum, dulces edidit ipsa tonos.
Sex numero septem spaciis modulantibus octo
Caelestis sphaerae condidit harmonia.
Posthac extremus rex mundi dicitur aulam D
Possessurus eam, ni sua facta forent.
Eheu sed miserum decepit femina conjunx,
Quam prius incautam perdidit astus ophis [11].
Moyses dux populi celebravit pascha secundum,
Bis quina plaga percutiens Isidam [12].
Transivit Dominus signatos sanguine postes,
Dum primogenitos planxerat ipsa suos.
Israhelites festinus vescitur agnum;
Ossibus illaesis mystica coena [13] fuit.
It populus gaudens, Aegyptus perfida luget,
Insanit rabie, quem timet, insequitur.
Anxius erythreas [14] tunc Moyses aspicit undas,
Inscia virtutis territa plebs dubitat.
Nubibus obscuris Pharaonis turba retenta,
Ne praedam caperet, fervida saeva stupet.
Tum dux intrepidus neptunia dissecat arva,
Praestitit ignoti marmoris unda viam [15].
Ventus et exurens ammonia [16] litora siccat,
Et muro similis caerula prona tumet.
Ingreditur populus lympharum gurgite tutus,
Laetus et egrediens actea grata videt.
Obruitur pelagi cumulis pharaonius hostis,
Ἅρματα [17] dispersim Thetidis ima tegunt.
Haec quondam fuerunt venturi ὠδάλματα [18] Christi,
In quo collucent quae latuere diu.
Qui solus victor, prostrato principe mundi,
Transacto triduo prosilit ex erebo.
Ac primus [19] calcans mortem transivit in alta,
Solus nam liber numine tartareo.
Sanguinis et proprii fundens libamina pura,
Mundo salvato pascha novum dedicat.
Sponte sua Dominus se mactat ipse sacerdos,
Quae Patri placens hostia sola fuit.
Hostia, quae totum purgavit crimine mundum,
Mundum, quem potuit perdere primus homo.
Ex uno veniens mors est expulsa per unum,
Morte bona vitae mors mala victa perit.
Primitiae Christus reseravit septa sepulchri,
Nostrae naturae perdita restituens.
Harum nunc [20] rerum celebrantur symbola sacra,
Dum parent oculis, mentibus nota prius,
Dum corpus Christi, dum sacri sanguinis undam,
Et pretium mundi mens pia corde sapit,
Dum memores coena [21] Domini revocamus in an-
Dum plures odas consonat ipse chorus. [nos,
Aeternis epulis [22], quas mystica signa figurant
Digneris Carolum pascere, Christe, tuum

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod. *Magdaline*. [2] Glossa ad marginem *caepus ortus*, *caeparius ortulanus*. Sic intellige : κῆπος, *hortus*; unde *caeparius*, *hortulanus*. [3] Corr., cod. *scepha*. [4] ἄρχος om. cod., add. ex conj.; Mai. ὁπλίτης. [5] Cod. *aebraicis*. [6] Sic Mai., cod. *lachanis* c. glossa *herbis*. [7] Glossa *beluus*. [8] Glossa *orbis*. [9] Glossa *unda*. [10] Corr., cod. *osana*, glossa *aves*. [11] Pro ὄφεως; glossa *serpens*. [12] Glossa *Aegyptum*. [13] Cod. *caena*. [14] Glossa *rubens*. [15] Corr. Mai., cod. ignoti *viam marmoris unda*. [16] Sic cod., a voce ἄμμος, arena; Glossa *arenosa*. Male Mai *harmonia*. [17] Cod. *armata*. [18] Cod. *idalmata*, glossa *imagines*. [19] Cod. *primum*. [20] Corr. Mai., cod. *nec*. [21] Cod. *caena*; Mai *caenam*. [22] Cod. *aepulis*

NOTAE.

[a] Versus graeci in codice tales leguntur c. glossis :

recte credens rex pius gloriosus
'ορθοδοξος ἀναξ εὐσηδης ἐγκλυτος
temperans Christum ferens dominus ipse
Σωφρων Χριστοφορος κιρριος ὁ Καρολος
armatus serpens Aegyptus claritas fulgur tonitruum
Ὁπλιστης ὀφις Ισιδα αὐγη.

Ultimae tres voces ad carmina III, 24, 26 et VIII, 18 respicere videntur.

Devotum famulum, qui te veneratur, honorat
Aedibus constructis aurea vasa parans,
Cortinis patulis et longa per atria tentis,
Vestito clero murice purpureo.
Presbyteri sancti reboant altaria circum :
Perpetuis templis sic erit ipse tuus.

IV.

Laudes Yrmindrudis Caroli Calvi uxoris.

Haec nostram dominam Yrmindrudis nomine claram
Exornant meritis laudibus apta suis:
Forma, genus, species, morum pulcherrima fama
Regis connubium, docta loquela docens,
Praeclarae sobolis donum, notaque [1] propago,
Obsequiumque bonis omnibus egregium,
Ingens ingenium, perfecta Palladis arte
Auro subtili serica fila parans.
Actibus eximiis conlucent pepla mariti,
Gemmarum serie detegit indusias [2].
Miratur fugitans numquamque propinqua ἀράχνη [3]
Quamvis palladios aequiperat digitos.
Inclyta consilio castum servare cubile,
Cypris ne valeat commaculare toros [4].
Pauperibus multis Christi justissima cura
Illam sollicitat, rite ministra fore.
Prudentum matrum, quas laudant dogmata sacra,
Virtutis consors enitet assidua,
Orans, ac legitans libros, manibusque laborans,
Et nullum vitiis tempus inane vacat.
Quid causas regni dicam, quas ipsa perita
Disponit vigili [5] pectore praecipuo?
Si sinerent apices, quos scripserat ipse Salomon,
Dixissem forsan, quid perhibere volunt.
Haec nam haec merito censetur femina fortis,
Quam Carolus reperit fortis et almus ἄναξ [6].
Quem solum celebrat Francorum gloria regem,
Dignum christicolis plebibus atque choris.
Cui gestare licet regnorum plurima sceptra,
Quae magni patres sustinuere sui.
Cui soli regnum sapientia praevia pollet,
Quem purae mentis nobilitat studium.
Quem Scriptura docet divinis plena figuris,
Ne recto Christi tramite debilitet.
Cui [7] sanctas aedes dedicans ornatibus amplis,
Caelestis patriae symbola sacra videt.
Hos ambo, regem dico dominamque, potentes
Christe, tuere tui numinis auxilio.
Sis fidus custos, sis murus tutus in aevum,
Ut tibi perpetuo placita vota ferant.
Devotis animis semper te laudet uterque,
Vocibus harmonicis, actibus atque bonis.
Illorum tumidos inimicos sterne rebelles,
Aut hos conversos subdere colla mone.
A Da pacem populo, qui tibi servit ubique,
Omnibus christigenis floreat alma quies.
Paganos [8] piratas [a] vastantes regna per orbem,
Consumptos gladio gurgite merge maris.
In syrtes varias spargantur flatibus austri,
Illic ut pereant aestibus oceani.
Nos vero laetos puro te corde colentes,
Ducas aetherios sidera supra choros.

V.

De Christi resurrectione.

Mystica sanctorum panduntur dogmata Patrum,
Pneumate sanctifico quae cecinere Deo,
Aeterno Patris Verbo, quo cuncta creantur
Occultis sinibus, ordine quaeque suis,
B Fabrica quo mundi formis simul omnibus una
Surrexit, fuerat ut ratione sua.
Quae sine praecessit in Christo tempore facta,
Dum semper natus cuncta creata videt.
Quam super effertur sanctus ratione regentis
Spiritus, ut sacras vivificaret aquas.
Angelicum numerum superorum castra tenentem
Constituit mundo, cetera quaeque vides
Quorum primaten [9] hominem paradisus habebat,
Assimilem factum mente videre Deum.
Hanc homo praeclaram speciem complectere nolens
Corruit, et prolem traxit ad ima suam.
Sed ne tanta Dei penitus transiret imago,
Hanc speciem hominis coepit habere Deus.
Hinc natus mundo, passus sub lege malorum,
C Morte sua mortem perdidit ipse meam.
Quo sunt, quo vivunt, quo stant, quo cuncta moventur,
Ille Deus moritur, vivat ut ipse homo.
Ordine multiplici signatus Patribus olim
Mactatur legi, vatibus et canitur.
Hic fuerat aries speculo provisus ad aram,
Dum typicus Isaach ducitur ad jugulum.
Festinans populus Aegypto hunc sumpserat agnum,
Sanguine conspergens limina nota domus.
Hic fons, virga, petra, caelestis fulgor obumbrans,
Serpens, et manna, nubs, via, panis, aqua:
Talia saepe Dei jussu sub tempore facta
Aeternum Dominum significare suum.
Hacque impleta die sacro veneramur [10] honore,
D Ista dies tanta mystica facta tenet.
Hanc mundus prodit congaudens luce decora:
Florigeros motus mittit in aethra suos,
Germina producens, florentes gramine fructus;
Nam Christus fructus dulcis ubique suis.
Surrexit Christus, nostra hinc pia corda resultant,
Alleluia Deo orbis [11] ubique canit.
Inclyte qui regum, te rex conservet in aevum,
Prospera [12] concedat, hinc super astra vehat.

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic cod., Mai. corr. *sat nota*. [2] Glossa *indumenta*. [3] Cod. *arachnos* glossa *aranea*. [4] Cod. *thoros*. [5] Cod. *vigilo*. [6] Glossa *rex*. [7] Sic cod., Mai. *Qui*. [8] Cod. *paganas*. [9] Cod. *primatu*. [10] Sic cod. Mai. *veneramur*. [11] Sic cod., Mai. *mundus*. [12] Sic cod., Mai. *Prosper*.

NOTAE.

[a] Northmannos classe advectos

Qui sub honore sui humili cum corde canoros
Alternos statuis, psallis et ipse, choros.
Credimus, ista tibi servantur culmine caeli,
Heres davidicus efficiere pius.
Προσευχᾶς petimus votis et corde precamur,
Qui dedit hoc velle, det tibi posse Deus.
Βασιλέει Καρόλῳ ἡμῶν σὺ Χριστὲ βοήθει,
Ὡς κληρεοῦσθαι χορεὺς δυνατὸς οὐρανίους [a].

VI.

Christi descensus ad inferos et resurrectio.

Emicat ex erebo lux mundi magna triumphans,
Primitias vitae quae [1] moribunda stupet.
Prosiliunt Furiae, concurrunt undique Parcae,
Mirantur tristem congemuisse Stygem.
Ille dein princeps barathri petit arma sueta [2]:
Quis genus humanum subdidit ipse sibi?
Sed mox ut vidit ruitantia limina fracta,
Territus, attonitus fugit ad ima domus.
Non tamen evasit tenebrosa per antra tyrannus,
Fortior intravit qui sua vasa tulit.
Attractus, captus, vinctus, strictisque catenis
Detentus, domitus, pulsus ab arce, prius
Qua mundi princeps elatus sederat olim,
Bestia saeva vorax indomitaque diu [3].
Sed victor mundi praestantior omnibus unus
Totum collisit comminuitque caput.
Aestus aeterni comburunt turpe cadaver,
Pyrphlegethontis [4] fervida [5] flamma furit.
Laetantur miseri, quos laesit dira potestas,
Captivi redeunt, vincula laxa vacant.
Jam regnat Verbum Patris. jam cuncta gubernat
Virtus, vita, salus; mors fera victa silet.
Surrexit vivus rumpens retinacula leti [6],
Nulla valet summum vis retinere Deum.
Ipse libens animam posuit, propriamque resum-
[psit;
Ponere quam potuit, non remanere sinit.
Quam dat pro mundi vita, revocavit eandem;
Quae datur, accipitur; tradita salva manet.
Tale datur pretium mundi, mirabile fatu!
Totum servatur, redditur atque datur.
Quis fari valeat quid fecerit ipse Redemptor?
Empto potitur, possidet et pretium.
O lux perpetuo fulgens mundumque revelans,
Victrix umbrarum, quas pia corda timent,
Custos sis Caroli, tutus et undique murus,
Protege sceptra tui qui regitat famuli.
Sat sat perpaucos ingratos ponere versus,
Molestos regi. Quid valet astruere,
Quod plane perhibet jam nuper dedita [7] musa?
Expers mercedis tristis inanis erat.
Στοῖχοι Ἰωάννου τῷ βασιλεῖ Καρόλῳ [b].

VII.

Adhuc de Christi resurrectione.

Lux superans animas hominum superumque deo-
Agmina terrenis constabilita tonis, [rum
In sinibus genitoris erat, longeque remota
Sensibili mundo empyrioque polo,
Lustravit miseros tenebrarum sedibus imis
Vinctos, captivos, Tartareosque reos [8].
Incarnatus erat Christus de virgine nascens,
Confixus ligno, conditus atque τάφῳ [9].
Corpore sed moriens, vivens animoque Deoque,
Ast Deus et moritur, vivat et ipsa caro.
Mens erebum, corpus petram, tenet omnia nu-
In tribus est unus, corpore, mente, Deo. [men,
Postquam per triduum totum destruxerat ἅδην [10],
Totus surrexit, nil remanente minus.
Ascendit totus, totum regit, aspice, mundum,
Pro quo passus erat conditor atque Deus.
Humanumque genus totum revocavit ab antro,
Aeternaeque [11] mortis, quo cadit omnis homo.
Muneris ingratus vitae spretorque salutis,
Quam largitus erat maximus archipater [12].
O rex, praeclaro qui lustras lumine mundum,
Largito Carolo prospera cuncta tuo.
Indulge famulo fragilis contamina vitae,
Ut valeat purus cernere regna tua.
Στοῖχοι τοῦ Ἰωάννου τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ἄνακτι Καρόλῳ [c].

VIII.

De Verbo incarnato.

Si vis οὐρανίας [13] sursum volitare per auras,
Empyriosque [14] polos mentis sulcare meatu,
Ommate [15] glaucivido [16] lustrabis templa sophiae,
Quorum summa tegit condensa nube caligo,
Omnes quae superat sensus noerosque [17] lo-
[gosque.
Inde γνόφος [18] quondam velabat Sina κορυφὴν [19],
Dum Deus antiquum θεσμὸν [20] Moysea doceret,
Umbrarum medio linquens vestigia ταρσῶν. [21],
Illic aspicies Seraphim oculosa volare,
Et senas πτέρυγας [22] terno de cardine pansas,
Circa postque Deum polymorphota [23] plurima
[ζῶα [24],

VARIAE LECTIONES.

quae om. cod.; sed spatium unius verbi adest. [2] Cod. *suaeta*. [3] Sic cod., Mai vorax *atque diu indomita*. [4] Cod. *pyrflegetontis*. [5] Sic cod., Mai. *enim* fervida. [6] Cod. *loeti*. [7] Cod. *aedita*. [8] *Lustravit miseros — reos* om. Mai. [9] Cod. *tapho*. [10] Cod. *achan*. [11] Sic cod., Mai *aeternae* (— *que* om.) [12] Cod. *archiater*. [13] Glossa *caelestes*. [14] Glossa *igneos*. [15] Glossa *oculo*. [16] Glossa *noctivido*. [17] Glossa *intellectus*. [18] Cod. *gnofos*, glossa *caligo*. [19] Glossa *verticem*. [20] Glossa *legem*. [21] Glossa *pedum*, ταρσός *planta pedis*. [22] Cod. *pterugas*, glossa *alas*. [23] Glossa *multiformia*, [24] Glossa *animalia*.

NOTAE.

[a] Distichon in cod. tale legitur:

regis nostrum tu fave
Βασιλεως Καρλου ἡμῶν συ Χριστε βοηθει
ut possidere choros possit caelestes
Ὡς κλειρεισθε χορους δινατος οὐρανιους

[b] Versus in cod. talis est:

Του στοιχοι Ιωαννου τω βασιλει Καρολω.

[c] In cod. versus talis est:

versus domino suo regi
Οι στιχοι του Ιωαννου το κυριω αυτου το ανακτο Καρολω.

Claro cunctorum speculantia lumine causam, A
Unum principium, quo rerum volvitur ordo
In genus, in species rhythmosque chronosque [1] toposque [2],
Quae sunt, quae non sunt, sensu seu mente videntur,
Quae stant, quae vario volvuntur praedita motu,
Pneumata [3] ventorum, vis ignea, lucidus aether,
Chorus et astrigerae perpuri luminis αἴγλη [4]
Palladis : hinc gemmis septem redimita corona,
Φοίβη, καὶ Στίλβων, καὶ Φῶς, καὶ Ἥλιος, Ἄρης,
Φαέθων καὶ Φαίνωνος ἄκρου περὶ κλίματα πάχνη,
Ἑξῆς τοῦ κόσμου κέντρον Θέτις ἄσχετος ἅλας [a],
Caelestis motus modulaminis ἐννεάφθογγος [5],
Summa chelys [6] vocum mortales effugit ὦτας [7].
Rerum principium primum cognoscite Christum, B
Verbum cuncta creans, natum de pectore Patris,
Ars, lex, consilium, ζωὴ [7*], sapientia, virtus,
Fons, medium, finis, genitum de lumine lumen,
Est, non est, super est, qui praestitit omnibus esse,
Qui regit atque tenet totum quod condidit ipse,
Totus per totum, qui nullis partibus haeret,
Cum sit cunctorum substans essentia simplex.
Ὧν τέλος, ὧν ἀρχὴ πάντων, ὧν ὄντα τὰ εἰσίν,
Ὧν ἀγαθὸς, καὶ καλὸς, κάλλος, μωρφῶν τε χαρακτὴρ [b].
Qui miseros homines revocans de morte perenni,
Ἄνθρωπος [8] factus, sumens de virgine carnem,
Promissus venit, complens oracula vatum.
At πρόγονος [9] David proprio de spermate [10] natum C
Viderat, et mundi devicta morte λυτρωτήν. [11]
Nec minus in caelis prosunt mysteria Christi
Quam terris, merito cum sit Deus omnibus idem.
Illic angelicas patefecit lumine mentes,
Ac tenebrosa suae virtutis prodidit ipsis.
Nulla quidem virtus potuit dinoscere pure,
Quem pater occultum gremio velabat opaco :
Sed caro nunc Verbum factum, mirabile dictu!
Clare se cunctis hominemque Deumque revolvit,
Νοῦς τε λόγος τε [12] capit, quem nullus viderat ante:
Σαρκικά [13] nam φύσεις [14] divinas temperat αὐγάς. [15]
Hic vitam cunctis nascendo contulit, atque
Destruxit mortem, quae totum sorbserat orbem.
O qualis virtus potuit superare superbum,
Qui genus humanum crudeli lege subegit,
Restaurare volens primus quod perdidit ille
Formatus limo, male usus munere vitae.
Virgine sed factus dum sumpserat unde periret,
Sponte sua propriae bene usus funere carnis!
Quis modus est animo, dum talia cernere temptat
Quive valent sensus meditari famine vocum!
Παρθένος [16] angelico commovit viscera fatu,
Ac comitante fide suscepit pneumate [17] partum,
O felix γαστὴρ [18] divinum sustinet ignem,
Virtutis radius solidatur somate [19] sacro
Unam personam duplex substantia prodit.
Nam Deus aeternus rationem tempore sumens,
Corpore compacto sese perfecerat ἄνδρα [20]
Jesum Christum regnantem secula semper
Te lumen mundi colimus : tu Christe redemptor
Fonte tui lateris credentum vulnera tergis :
Nilque perire volens hominis tua provida virtus,
Ambitur nostram nullo cum crimine φύσιν. [21]
Φύσις nostra dehinc plene renovatur in illa,
Antidotumque potens cunctis prodesse paratum
Potantum varias pellit compagine plagas,
Nolentes merito permittens jure perire.
Nullum namque Deus nolentem vivere cogit,
Nullum velle boni depellit limine lucis,
Omnes invitans, hos deserit, adjuvat illos,
Omnia componens, laudatur in omnibus ipse.
Christe tuos pavidos digneris visere servos,
Qui tua festa colunt, venerantes dona salutis.
Parce tuo famulo, cui regia sceptra dedisti,
Divino radio perfusum perfice, purga.

SECTIO II.

VERSUS JOANNIS CΚΟΘΘΙ

E cod. pervetusto Vat. sec. XI ed. Angelo Mai Classic. Auct. tom. V, p. 441 sqq. Jam prodeunt ad fidem codicis bibl. Christinae 1709, fol. 16, 2 sqq., ejusdem, opinor, quo Mai utebatur, recogniti.

I.

Christi triumphus de morte ac diabolo.

Postquam nostra [22] salus mundum renovaverat omnem,
Quosque Pater voluit cunctos perfecerat actus,
Fessa labore gravi requievit in arbore pendens.
Ter geminae lucis spatio destruxerat ᾅδην,
Dormitans gelidi duro sub culmine saxi,

VARIAE LECTIONES.

[1] Glossa *tempora*. [2] Glossa *locos*. [3] Glossa *spiritus*. [4] Cod. *aegle*, glossa *claritas*. [5] Cod. *enneaptonges*, glossa *novenus sonus*. [6] Glossa *cithara*. [7] Glossa *aures*. [7*] Glossa *vita*. [8] Cod. *antropos*, glossa *homo*. [9] Glossa *avus*. [10] Glossa *semine*. [11] Glossa *redemptorem*. [12] Glossa *animusque ratioque*. [13] Glossa *carnales*. [14] Glossa *natura*. [15] Glossa *claritudines*. [16] Glossa *virgo*. [17] Glossa *spiritu*. [18] Glossa *venter*. [19] Glossa *corpore*. [20] Cod. *andra*, glossa *virum*. [21] Glossa *naturam*. [22] Corr., cod. nostro.

NOTAE.

[a] In codice ita leguntur versus cum glossis :

luna et mercurius et lucifer sol mars
φοιβη και ιστιλβων και φος Ηλιος Αρης
jovis et saturni summi circum plagas pruina
Φοετον Φαινονος ακροι περι κλιματα παχνη
deinde mundi medium oceanus immensurabilis solum
ιξης του κοσμου κεντρον τεθις ασχιτος αλας

[b] In codice sic habentur cum glossis :

ens finis principium omnium qui est quae sunt quae subsistunt
Ων τελος ων αρχη παντων ων οντα τα εισιν
ens optimus et bonus pulchritudo formarumque exemplar
Ων αγαθος και καλος καλλος μορφων τε χαρακτηρ

[c] Ita in codice, non σκότθου.

Implens vativomi prognostica symbola celi
Umbrae tunc pavidae sparsim Phlegethontis ab imo
Exiliunt subito, mirantes surgere lucem
Tetras atque truces abigentem carcere larvas [1].
O mors, mors vitae! si mors, non vita vocanda;
Quod praestat vitam, non ausim dicere mortem.
Num tenebras recipit clare substantia lucis?
Fervida vis ignis nescit [2] sibi serpere frigus?
Nemo tamen vitam mortem gustasse negarit:
Mors carnis vitae, vitae mors jure vocatur;
Nam compassa fuit carni quae sola pependit.
Altius ingreditur purae rationis acumen,
Et carnem vitae vitam sic colligit esse.
Si vita est Verbum, Verbum quoque si caro factum,
Profecto sequitur, vita concedere carnem.
Si caro sit Verbum, converso tramite facta,
Carnem continuo vitam dare cogere factam.
Σάρξ [3] igitur Christi substat verissima vita,
Vivens ac moriens mortem consumpserat omnem.
Desursum venit, terrenam sumere vestem;
Indutus vestem sursum cum veste volavit,
Inque Deum vertit vestem de virgine sumptam,
Unum conficiens animam carnemque Deumque.
Mors mortis Dominus surrexit vivus in altum
Ac nostram secum naturam vexit eodem.
In tota factus, totam conformat in unum.
Mundum calcavit frigilem, mundique potentem,
Expulsumque foras superavit Marte secundo.
Captivam revocans praedam raptoris ab ore
Abstulit, ille gemit confossus membra superbus
Vulneribus duris, ac secum talia tractans:
Me victum video, fugitivum sedibus atris
Quae nova lux oritur, quam numquam ferre valebo?
Nunc mea [4] regna ruunt passim, loca nulla tenebris;
Sentio me captum, pavidum, vinctisque ligatum.
Eheu! quis mihi congreditur? Quis fortis in armis
Audax committit mundi cum principe bellum?
Illene confixus ligno septusque sepulchro,
Quem rex Herodes sprevit summusque sacerdos
Ruptus non timuit vestem damnare Caiphas
Addictus morti, Romano principe caesus?
Hoc egomet feci, fateor, totumque peregi.
Me stultum latuit virtus humilisque potestas:
Hunc si cognossem, σταυρῷ [5] non penderet umquam,
Corporis humani servilis forma fefellit.
Interea laetas animas volitare per auras,
Tartareosque sinus vacuos laxasque catenas
Suspicit, et nutrit tristi sub pectore vulnus.
Quod, mage, me miserum torquet, jam conspicor, inquit,
Clausa diu terris paradisi limina pandi,
Et mortale [6] genus, quod fluxerat inde per unum,
Unius ob mortem rursus super astra redire.
Illic felices sedes, quas sponte reliqui,
Terrigenum proles habitabit jure perhenni,
Me, me torquebit semper mea prava voluntas,
Languidus invidia morior, meritoque peruror.
Unum confugium superest, solamen et unum:
Est antiqua domus mortis noctisque profundae,
Judaicum pectus, vitiorum plena vorago,
Fraudis et invidiae semper possessio larga,
Luminis exosi radios irata repellens.
Illic sola potens hypocrisis perfida regnat,
Illa putet nimium, nimiaque putredine corda
Carnalis populi corrumpit nescia veri.
Illic confugiam gentilia pectora linquens,
Odibilis Christo dominabor gentis avarae,
Omne meum virus fundam blasphema per ora,
Ligno suspensum Dominum regnare negando.
Talia contrectans crudelis bestia fallax
Retro lapsa ruit gelidas fugitiva sub [7] umbras.
Imperium Patris quaesitum sanguine nati
Telluris superat fines [8] erebumque polumque.
Orthodoxa fides diversa voce per orbem
Abba Pater clamat, laudans mysteria summa
Unius ac trinae bonitatis fertile germen,
Ingenitum genitumque Deum munusque [9] perhenne
Fontis inexhausti, quo manant flumina vitae.

II.

Item stichos [10] *ejusdem.*

Graeculus, Judaeus jam nunc, Agarenus, et Auson [10*],
Paganusque ferus surgens aquilonis ab axe,
Subdita colla dabunt, Christus regnabit ubique,
Ipsi succumbunt omnes regique Deoque.
Summe Pater nati, largitor muneris [11] almi,
Festa tui semper celebrantem protege plebem,
Cui tua disponens sapientia regna per orbem
Praefecit Carolum regemque piumque ministrum,
Cui lux interior donavit mentis acumen,
Quo divina simul tractans humana gubernet,
Vere subsistens rex atque theologus idem.
Praesul ab Athenis Dionysi, symmache Pauli [12],
Inclyte martyrio, cui servit Gallia tota,
Prospice caelestis vitae de sedibus altis
Vota tui τέκνου [13] Caroli tua λείψανα [14] sancta
Ornantis, gratamque tuam magnalibus aedem
Instar flammarum gemmis flagrantibus auro.
Undique turicremis redolent altaria fumis
Harmonici cantus θιασωτῶν [15] sidera [16] pulsant,
Officio vatum sanctissima coena [17] paratur.

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod., *larbas*. [2] Conj., cod. *cescit*. [3] Cod. *Sarx*. [4] Sic cod., Mai. *mihi*. [5] Cod. *stauro*. [6] Corr. Mai., cod. *Mortalemque* genus. [7] Sic cod., Mai. *per* umbras. [8] Conj. Mai.; pro *Telluris superat finis* cod. Telluris *superis* fines. [9] Sic Mai., cod. *munusque*. [10] Sic cod., f. *στίχοι*. [10*] Cod. aust. [11] Sic cod., Mai. *luminis*. [12] Sic Mai., cod., symmache *et* Pauli. [13] Cod. *tekni*, glossa *filii*. [14] Glossa *reliquias*. [15] Cod. *thiasotum*, glossa *dilaudantium*. [16] Conj., cod. *sidere*. [17] Cod. *caena*.

SECTIO III.

JOANNIS SCOTI VERSUS DE AMBIGUIS S. MAXIMI.

E cod. ms. bibliothecae Armamentarii Parisiensis ed. M. Felix Ravaisson in libro qui inscribitur: *Rapports au ministre de l'instruction publique sur les bibliothèques des départements de l'Ouest, Paris* 1841, p. 356 sqq.

I.

Carolo Calvo dedicat Ambiguorum S. Maximi versionem.

Kyrrie, caeligenae cui pollet gratia formae,
Astrea Caesareo cui cingunt stemmata vultus,
Regum progenies, quos auxit Francia felix,
Orbis terrarum quos alta voce salutat,
Laudibus amplificat, veneratur, ditat, honorat,
Undique concurrens pontum secat, eminet arva,
Salve, Christicolum vertex, gratissime regum,
Rex pie, devoti ne spernas donula servi.
Exiguum munus largo, sed fonte receptum
Christiferum Patrum, mysteria plurima tractans.
Hoc opus in Graeco construxit Maximus abbas,
Egregius pastor, scripturis inclytus auctor,
Magni Gregorii perplanans dicta remota,
Sensibus humanis theoremata mente revolvens,
Nec non in multis Dionysius additur ipse
Ariopagites, ornat quem laudibus amplis,
Explanat, testemque vocat Patremque beatum,
Tangens symbolicas praeclaro lumine byblos,
Quem nos edidimus, Vobis poscentibus, olim.
Hac quoque de causa praefatus Maximus abbas
Editus est nuper, nostro sudante labore,
Effectuque pio Vestrum pia jussa sequentes,
Cursim transtulimus, quae multo tempore [1] quae-[runt,
Et doctos sensus, et purae mentis acumen.

II.

De eadem versione.

Quisquis rhetorico verborum syrmate gaudet,
Quaerat grandiloquos, Tullia castra petens.
At mihi sat fuerit, si planos carpere sensus
A Possem tardiloquus, pragmata sola sequens.
Interior virtus sermonum rite tenenda:
Verborum bombi fallere saepe solent.
Si quis in ambobus divino munere pollet,
Hic primum debet jure tenere modum.
Sed si perspicuos sensus vix voce loquaris,
Sis quoque contentus; nam meliora tenes.
Si meliora tenes, quaenam tibi cura, tenere
Quae sunt inferius? Semper in alta pete.

III.

Lectori Ambiguorum S. Maximi.

Quisquis amat formam pulchrae laudare sophiae,
Te legat assidue, Maxime Grajugena.
Ac primo motus rerum rationibus altis,
Mundum sensibilem deserat atque neget:
B Nec non et sensus ipsos, qui saepe retardant,
Gnostica dum scandit βήματα [1*] mentis iter.
Deliciis fragilis vitae, mundoque fugaci,
Et carnis cura qui vacat, ista legat:
Mundanisque datus studiis, tardusque pigerque
Huc non accedat; nullus adest aditus.
Sensibus inflatus propriis, tumidusque, superbus,
Stet procul, ipse negans hic reperire locum.
Artibus imbutus, quas novit mentis acumen,
Fidus procedat, nam sua stat patria.
Practica hic ducet morum praeclara magistra,
Custos virtutum, pervigil idonea.
Hic φυσικά [2] causas rerum vestigat opacas,
Inventasque simul segregat, unificat.
Hic θεῷ fert palmam cunctis perpulchra logya
C Omnia (?) quod, quod non, omnia denegat omne-[simul [3].

SECTIO IV.

JOANNIS SCOTI VERSUUM FRAGMENTA.

I.

Versus Joannis Scoti [4] ad Carolum regem.

Cod. Cantabr. Collegii Corporis Christi n° 223, sec. IX.

. . . .
. . . .
Da nostro regi Carolo, cui sceptra dedisti,
Ut semper famulus tibi vivat mente benigna.
Prospera labentis vitae revolumina praesta,
Atque simul tecum caelestis gaudia regni.
Magna Dei genitrix, ter felix, sancta Maria,
D Te laudant caeli, te votis inclytat [5] orbis.
Proxima sis [6] Carolo tutrix, munimen et altum,
Qui tibi mirifice praeclaram fabricat aedem,
Aedes marmoreas. Varie constructa columnis
Alta domus pulchre conterno [7] normate facta.
Aspice polygenos flexus, arcusque volutos
Compages laterum similes, capitella, basesque,
Turres, turriculos, laquearia daedale texta,
Obliquas tyrridas [8] caleni luminis haustus,
Intus picturas, lapidum pavimenta, gradusque,

VARIAE LECTIONES.

[1] Sic, pro *multa tempora*. [1*] Cod. *bemata*. [2] Cod. *physice*. [3] Sic; conj. Ravaisson *Omne quod est, quod non, detegit omne simul*. [4] Cod. *Scotti*. [5] Cod. *inclitat*. [6] Conj., cod. *sit*. [7] Conj., cod. *contero*. [8] Conj., cod. *tyridos*.

Circumquaque στοάς, armaria, παστοφορεῖα [1],
Sursum deorsum populos, altaria circum,
Lampadibus plenas pharos, altasque coronas :
Omnia collucent, gemmis auroque coruscant.
Pallia cortinae circumdant undique templum :
Ipse throno celso fultus rex prospicit omnes,
Vertice sublimi gestans diadema paternum,
Plena manus scriptis [2], enchiridia [3] aurea βάκτρα.
Heros magnanimus longaevus vivat in annos.

II.

Laus Sophiae.

E cod. ms. bibl. Reg. Paris. ed. Cousin, *Fragments philosophiques*, t. III, Appendix p. 326. [cf. carm. VIII, col. 1230].

Si vis uranias sursum volitare per auras,
Ommate glaucivido lustrabis templa Sophyae.

VARIAE LECTIONES.

[1] Conj., cod. *pasta feria*. [2] Cod. manuscriptis. [3] Conj., cod. *enchiridion*.

SECTIO V.

JOANNIS SCOTI GRAECI VERSUS.

I.

Versus ad Carolum, Hincmarum, alios.

E cod. S. Germani Pratensis ed. Labbe in praefatione ad *Glossaria* [a]. Textum corruptissimum saepissime sanavi. Labbei lectio litera L insignita est.

1.

Recte credens Rex pius glorioseus
Ὀρθόδοξος ἄναξ εὐσεβὴς ἔγκλυτος [1] [ἄρχος] [2]
temperans Christum ferens Dominus ipse Karolus
Σώφρων Χριστοφόρος κύριος ὁ [3] κάρολος.

2.

Regis, Karoli nostri tu Christe fave
Βασιλέως [4] καρόλου ἡμῶν σὺ Χριστὲ βοήθει,
ut possidere choros possit caelestes
Ὡς κληροῦσθαι [5] χορούς [6] δυνατὸς [7] οὐρανίους.

3

Στίχοι [8] Ἰωάννου τῷ βασιλεῖ καρόλῳ.

4.

Versus Domino suo Regi
Στίχοι [9] Ἰωάννου τῷ κυρίῳ [10] αὐτοῦ [11] ἄνακτι [12].

5.

Luna et Mercurius et Lucifer sol Mars
Φοίβη [13] καὶ Στίλβων [14] καὶ Φῶς καὶ [15] Ἥλιος, Ἄρης,
Jovis et Saturni summi circum plagas pruina
Φαέθων [16] καὶ Φαίνονος [17] ἄκρου περὶ κλίματα πάχνη,
deinde mundi medium oceanus immensurabilis salum
Ἑξῆς τοῦ κόσμου κέντρον Θέτις ἄσχετος ἅλας.

6.

Domine
Κύριε [18] κάρολε
vitam æternam det tibi semper
Ζωὴν αἰώνιον [19] δώσει [20] σοι πάντοτε Χριστός [21].

7.

Domine vivas multos annos hic Cæsar
Κύριε [22] ζῇς πολλοὺς ἐνιαυτοὺς ὧδε σεβαστός [23].

8.

ens finis principium omnium qui est qui sunt qui subsistunt
Ὢν τέλος, ὢν ἀρχὴ πάντων, ὢν [24] ὄντα τὰ εἰσίν,
ens optimus et bonus pulchritudo formarumque exemplar
Ὢν ἀγαθὸς καὶ καλός, κάλλος μορφῶν [25] τε χαρακτήρ.

9.

Στίχοι Ἰωάννου { glorioso Regi καρόλῳ [26]
{ τῷ κυρίῳ καρόλῳ.

VARIAE LECTIONES.

[1] L ευσηδης. ἄρχος desideratur, addidi ex conj. [2] L ω. [4] Sic L pro βασιλέει. [5] L κλειρεισθε. [6] L χοροις. [7] L δινατος. [8] L του στιχοι. [9] L οι στιχοι τοι. [10] L κυρριω. [11] L και τουτο. [12] L ανακτο Καρολω. [13] L Φοιβη [14] L ιστιλβον. [15] καὶ om. L. [16] Φοιτον. [17] f. Φαίνοντος? [18] L κυρριε [19] L αιονιον. [20] L δοσει. [21] L χρε [22] L κυρριε. [23] L σεβαστεις. [24] L ων; f. τῶν? [25] L μορφωντε. [26] L sic Στιχοι Ιωαννις. glorioso Regi Καρολω τοι Ιωαννοι τω κυρριω Καρολω.

NOTAE.

[a] Labbeus codicem sic descripsit : « Codex (bibliothecae Monasterii S. Germani Pratensis) in membranis sat eleganter scriptus, Caroli Calvi aevum praefert; quod vel inde colligere est, quod post glossarium et Prisciani voces graecas latine explicatas legantur aliquot exercitationes grammaticales graeco-latinae, male digestae, et a viro, qui linguae graecae elementa vix attigerat, compositae, et a nescio quo Martino διδασκάλῳ descriptae (nam et is nomen suum prodit), ubi et aliquot versus graeci sat incompti tum a Joanne Scoto Erigena, tum ab ipso Martino in Caroli Calvi, Ermintrudis uxoris, et Hincmari laudem describuntur, sed alia, ut videre est, manu, quam qua glossae exaratae sunt, adeo ut par sit existimare, glossas aliquanto antea tempore descriptas ». Rursus idem postea haec addit : « Enimvero, ne quis quisquilias istas, et incompta carmina graeca, quae exstare in codice Sangermanensi monuimus, desideret, ea cum naevis suis hic describi curavimus, tum, quod ad nostratem historiam quodammodo pertineant, tum etiam, ut vel inde colligatur, Joannem Scotum, ac ceteros ejusce aevi in graecis literis magistellos hac in lingua non adeo versatos, ut in Franciam Carolinis temporibus migrasse Athenas existimandum sit, licet id alicubi praedicent Alcuinus et Hericus monachus. Neque forte alius fuerit Joannes ille, qui *Macrobii librum de Differentiis et societatibus graeci latinique verbi excerpsit, ad discendas graecorum verborum regulas* ». Nec non Angelo Mai Classic. Auct. t. V, p. 451 de iisdem versibus haec facit verba : « Joannis Scoti versus aliquot graeci ad Carolum Calvum scripti sunt in coaevo glossariorum Graecorum codice S. Germani Parisiensis... Quominus autem hic recitem, non tam ipsorum levi pretio deterreor, quam scripturae corruptione, quae sanari vix potest. Neque tamen quicquam Scoti nostri perit, quoniam ii versus quadratis literis in praefatione ad praedicta glossaria, etiam nuperae editionis Londinensis, excusi exstant ». Et paulo post : « Porro ad glossarium San-germanense quod attinet, num suspicari licet, opus Scoti nostri fuisse, quandoquidem ejus versus inscriptos habet? Certe is ob tenuem linguae graecae peritiam lucrubatiunculis hisce egebat. Quippe et codex Cantabrigiensis apud Usserium p. 45 testatur, Scotum nostrum deflorationem ex libro Macrobii de graeci latinique verbi societate fecisse, ob discendas graecorum verborum regulas ».

10.

vivas nunc vivas Rex plures in
Ζῆς [1] νῦν, ζῆς βασιλεὺς [2] (σὺ) [3] πλείστους [4] εἰς
annos
[ἐνιαυτοὺς
futurus Christo congregari in multa secula
Μελλόμενος [5] Χριστῷ συνζῆν εἰς πολλὰς αἰῶνας.

11.

salva cui regnum dedisti
Χριστὲ σῶσον [6] Κάρολον, τῷ [7] τὴν βασιλείαν ἔδωκας [8].

12.

Malus bonus magnusque parvusque
Nam κακὸς atque ἀγαθὸς prorsus μεγάλος τε μικρός τε.

13.

praelucens • splendens praefamine summa
Λαμπρότατος doctor στίλβων κηρύγματος ἄκρου,
verbi tela Dei viventis in ore tenendo
B Ῥήματος ὅπλα Θεοῦ ζῶντος [9] τοῦ στόματος ἔχων,
tria genera musicae artis confinis conclusio
Κρούσματα [10] non noscens nec συμπέρασμα [11]
[requirens.

14.

vide profunda morte sepulti resurrectionem
Ἴδε βάθου θανάτου [12] τὴν τοῦ ταφθέντος [13] ἔγερσιν,
et viventi Christo praeclara alleluia clama
Καὶ ζῶντι [14] Χριστῷ [15] πνὺξ μελῴδημα βόα.

15.

Pax fido populo Regi sit gloria summo
Εἰρήνη πιστῷ δήμῳ, βασιλεῖ ἧ κλέος ἄκρῳ,
quem Deus electum prae regibus habet nunc
Ὃν Θεὸς ἐκλεκτὸν παρὰ τοῖς [16] βασιλεῦσιν [17] ἔχει νῦν.
armaque cum scuto prendens hunc Christe,
Ὅπλου ἀσπίδος τε [18] λαβὼν αὐτοῦ [19] εἴης [20], Χριστέ,
juvato
C [βοηθός,
huic quoque subire dominator barbaricas gentes
Δεσποτά τὰ αὐτῷ ὑπόταξον βάρβαρα [21] φῦλα.

16.

Praelucens praeco splendens praefamine summo
Λαμπρότατος κῆρυξ στίλβων κηρύγματος ἄκρου
Hincmarus vivat sapiens et commemorandus
Ἴγκμαρος [22] ζήτω φρόνιμος καὶ ἀξιάγαστος,
verbi tela Dei viventis in ore tenendo
Ῥήματος ὅπλα Θεοῦ ζῶντος [23] τοῦ στόματος ἔχων.

17.

Romani populi Joannes gloria constat
Ῥωμαίου δήμου Ἰωάννης ἡ κλέος ἐστίν,
Graecorum Graecus fulget nunc Liuddo colendus
Ἑλλήνων Ἕλλην λάμπει νῦν Λιύδδο [a] σεβαστός.

A

18.

Φύλαξον ὦ θεος τὴν βασίλισσαν Ἰρμινδρούδ καὶ δὸς αὐτῇ σωτηρίαν καὶ δόξαν καὶ ζωὴν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

19

Ὦ κύριε βοήθησον [24] τῷ Καρόλῳ σου καὶ θοῦ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ καὶ τοὺς μισοῦντας [25] αὐτὸν ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ.

20.

Τῷ κυρίῳ [26] Καρόλῳ Ἰωάννης χαίρειν,
[Τῷ κυρίῳ] [27] βασιλεῖ Καρόλῳ ζωή τε φάος τε.
Ὀρθόδοξος [28] ἄναξ Φράγκων [29] τῷ δόξα τιμή τε,
Θεσπέσιος καὶ ἀγαθὸς πιστὸς καὶ ἄκρος τε μόναρχος,
Ἐλπὶς τῆς πατρίδος, τῆς ἄξιος ἀθανασίας,
B Ὧν δὲ φέρων στέφανον χρύσεον, διαδήματα πατρῶν [30],
Ἐν χερσὶν [31] σκῆπτρον. [32] ῥάβδος γὰρ τῆς βασιλείας.
Χριστέ, σῶσον [33] δοῦλον σου, τὸν μου κύριον [34] εἶπω,
Τὸν Κάρολον, μεγάλην [35] ἡμῶν [36] πολλῶν [37] τε κορυφήν,
Ὃς σοφός, ὃς δυνατὸς πάνυ σώφρων [38] τε κράτος τε,
Εὐπρεπὴς εὔμορφος φαίνων ὡσεὶ κλυτὸς ἄρχος [39],
Ὅσιον [40] οὐράνιον στίλβων [41] διαδήματος ἄστρον,
Ἥλιος ὡς λαμπρὸς, φῶς φωσφόρον ὅστ' ἀνέτειλε [42].
Δὸς ἐμῷ Καρόλῳ ζωὴν εἰς τοὺς πάντας αἰῶνας [43].
Εὔχετε ταῦτ' ἄλλοι νῦν, εὖχε σὺ Φράγκια πᾶσα [44].

II.

Ad Carolum Calvum de Dionysio Areopagita.

Cod. Fulgentii 10078-10084 bibliothecae Burgundicae Bruxellensis membran. sec. XII. fol.

C hodie imperator sapiens et preciose Carle
Σήμερον, Αὐτοκράτωρ φρόνιμος καὶ τίμιε Κάρλε,
martyr excelsus fulget dionisius ecce
Μάρτυρος ὑψηλὸς λάμπει Διονύσιος ἰδού,
quem Deus celitus in terris et tu magnificavit
Ὃν Θεὸς οὐρανόθεν [45], ἐπὶ γῆς καὶ σύ, μεγαλύνει,
videns hic tenebres dum dominus abstulit
ἰδὼν τοὺς [46] σκότους, ὡς κύριος ἀφείλετο [47]
cruce arti mundi arti peccata dixit que
Σταυρῷ [48] τοῦ κόσμου τὰς ἁμαρτίας, ἀλάλησιν τε. [49]
non natura solet ministrare et facere
Οὐκ φύσις ζητεῖ λειτουργεῖν καὶ ποιῆσειν.
est nunc defectum et ideo factorem
Ἔστιν νῦν ἔλλειψιν καὶ μαθὼν ποιητήν
arti mundi cognosco et nunc scio passum
Τοῦ κόσμου γνωρίζω καὶ νῦν οἶδα παθέντα [50].

VARIAE LECTIONES.

[1] L ζες. [2] L βασιλης. [3] συ om. L, add. ex conj. [4] L πλιστους. [5] L ο μελλομενος c. gl. ar. futurus. [6] L σοσον. [7] L το. [8] L εδοκας. [9] ξοντος. [10] L χρισματα. [11] L συμπλερασμα. [12] L τανaθου. [13] L ταφτεντος. [14] L σωντι. [15] L KPω i. e. κυρίῳ; sequimur glossam *Christo*, quae vox literis vix differt. [16] L εις. [17] L βασιλεις εν. [18] Conj., pro ἀσπίδος τε L και επι. [19] L αυτω. [20] L ει ης. [21] L βαραρα. [22] L Ιενγμαρος. [23] L ζοντος. [24] L βοητησον. [25] L μησουντας. [26] L κιρριω. [27] τῷ κυριω deest; add. ex conj. [28] L οντος οοξος. [29] L φραγγων. [30] Conj., L ων δε φορον στεφανον XPI σιοντα δεσματα πατρον. [31] L εν χειρος. [32] L σκιπτρον. [33] L σοσον. [34] L κυρριον. [35] L μηγαλην. [36] L εμον. [37] L πολλον. [38] L σοφρων. [39] Conj., L ευπρεπης ευμφορος φαυνον ωσην κλυτος αρχος. [40] L ωδιον. [41] L στιλβον. [42] Conj., L ηλιος ος λαμπρος φος φοσφορος οσθεα λnιxε. [43] Conj., L δως ειω Καρωλω ζοιν εις τοις παντxς αιωνας. Forte pro δὸς ἐμῷ mavis corrigere δώσειε τῷ. [44] Conj., L ευχετε ταιταλα οινην ευχε συ φραγγια πασσα. [45] Cod. oyranonen. [46] Cod. *tos*. [47] Cod. allei letoy. [48] Cod. stauron. [49] Cod. *alale sente*; τε superfluum est. [50] Cod. *ratinta*; παθέντα pro παθόντα.

NOTAE.

[a] Liuddonis mentio occurrit apud Flodoardum. Hist. Remens. lib. III, c. 12, 13.

ADDITAMENTUM.

Codex Laudunensis 81, e quo M. F. Ravaisson v. cl. Joannis Scoti Commentarium in S. Evangelium secundum Joannem minus accurate edidit, cum sero in manus meas venerit, varietatem lectionis totam diligentissime hoc loco describendam curavi. Praeterea ejusdem Commentarii fragmentum codicis calci subjectum, quod ille neglexerat, adjiciendum esse putavi. Varias lectiones varietate characterum distinxi.

VARIAE LECTIONES

IN

JOANNIS SCOTI COMMENTARIUM IN S. EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

Ad fidem codicis ms. 81 bibl. Laudunensis.

Col. 298 l. 8 ut per ipsum ascenderet homo in A Deum. *Haec evangelica sententia proloquiorum more recurrit.* Sicut enim dicimus : Verbum caro factum est, ita possumus dicere : et caro Verbum facta est. Et habitavit in nobis, hoc est, conversatum cet. (*Et Verbum caro factum est*, *haec* — *recurrit* l. 10. 11. 12 desunt in codice). l. 40 sed *subsistentiae* declarat.

Col. 301 l. 19 sed de *tota* Trinitate. l. 26 incunctanter *asserit*. l. 41 *dicatur de* deest in codice. l. 43 *qui* semper.

Col. 302 l. 13 hoc est *in* divinis apparitionibus. l. 18 Item *virtutes* purgatissimarum. l. 31 in *sinū*. l. 34 *Ille* enarravit.

Col. 303 l. 1 *doctrinā* et *manifestationē*. l. 13 ab Jerosolymis *et cetera*. Et est ordo. l. 29 Helias es tu? B *Dicit :* Non sum (*Et* om. cod.). l. 31 virtute *Heliae* veni.

Col. 304 l. 2 humanam *subsistentiam* consideravit.

Col. 305 l. 37 Et qui missi *fuerant*, erant. l. 39 Ideo specialiter Pharisaei *missi sunt quia Pharisaei* audientes praedicationem.

Col. 306 l. 24 justitiae *solet* fieri.

Col. 307 l. 13 est *divina* Scriptura. l. 28 perplexa admodum *investigatio*, cujus.

Col. 309 l. 12 et *discerne* inter. l. 16 *violentiae*.

Col. 310 l. 32 est *totius* humanae naturae.

Col. 311 l. 14 Ecce agnus Dei, *ecce* qui tollit. l. 25 crucifigit *sibimet Christum* (*ipsum* deest in cod.).

Col. 312 l. 13 atque intelligentia *provehentur*. C l. 35 carnem esse, *quoniam* jam. l. 41 in mysteria *introductionem*.

Col. 313 l. 18 *gratiae* baptismatis. l. 48 Aliud *est enim*.

Col. 314 l. 22 Hic venit ad *eum* nocte. l. 23 In figura *catecuminum* ponitur. l. 42 quibus Nicodemus *orsus* est Christum alloqui.

Col. 315 l. 13 ἄνωθεν *non* legitur.

Col. 316 l. 23 non potest introire in regnum Dei. *Prius dixit, non potest videre regnum Dei; nunc autem quasi mutato verbo : non potest introire in regnum Dei.* Ubi datur intelligi, non aliud esse cet. l. 47 incorruptibile *ceteraque*, quae.

Col. 317 l. 35 qui non est natus adhuc *spiritu* (*de* deest in cod.).

Col. 320 l. 5 umbram suam ipsum corpus *aperit*. l. 19 figuratur *ea* forma. l. 40 consepulti sumus cum Christo *per baptismum in mortem* (*nisi* deest in cod.). l. 47 causa *est* humanae salutis

Col. 321 l. 30 Quamvis enim judicium *ejus*, quo. l. 48 qui autem neque *eum* credit (*in* deest in cod.).

Col. 323 l. 16 *Non* enim missus *erat* in carcerem. l. 54 *ab* Joanne? *Sufficerat* (sic!) enim.

Col. 324 l. 7 *ab* Joanne. l. 11 Joannis *baptismati* effecisse. l. 31 sed ne *hoc* errarent (*in* deest in cod.).

Col. 325 l. 47 Datum in hoc loco pro *aonatum* Joannes posuit.

Col. 326 l. 33 qui nunc *baptizet* in Judaea.

Col. 327 l. 21 *Putastis* majorem esse.

Col. 328 l. 11 Qui caelo venit, super omnes est. *Eandem sententiam repetit*, *quam paulo superius dixit, qui desursum venit, super omnes est; nunc iterum, qui de caelo venit, super omnes est.* Eadem verba sunt, praeter quod cet. l. 51 et *aequalem* ipsius esse

Col. 329 l. 18 qui accipit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est. *Et quid est signavit?* Hoc est in corde suo cet.

Col. 330 l. 3 *ex* mensura. l. 36 et omnino veritatis *ignorantiae*.

Col. 331 l. 28 lex enim neminem ad perfectum duxit; *et abiit iterum* in Galilaeam. l. 32 *Posthaec* venit.

Col. 333 l. 22 dehinc *usque* ad altare. l. 31 incipit *a* martyrio Abel. l. 45 *appetitu*. l. 51 *abierunt* in civitatem.

Col. 334 l. 26 adorari *Deum* putabant. l. 31 *Christum* l. 55 de humana *substitutione* sensibilive creatura.

Col. 335 l. 24 *qua* ego dabo. l. 29 *qua* dabo ei, *fiat* in eo.

Col. 336 l. 16 habitudines *praetendunt*. l. 26 superiori *se* parti. l. 29 *quinquepertitum*. l. 44 *quia* vere dixisti. l. 51 sensus auctorum *variatur*.

Col. 337 l. 11 *delicto* naturali ordine.

Col. 338 l. 5 *coutuntur*. l. 16 in *loco hoc* an Hierosolymis. l. 54 in intimo templo cordis sui *in intelligentiae suaeque* purgabitur prius.

Col. 339 l. 5 in veritate cognitionis suae *se* adorant. l. 14 quoniam *Dominus praedixit*. l. 44 locutus *sit* cum mulieribus.

Col. 340 l. 12 Elevat ergo oculos suos, *nos* edocens cet. l. 28 Deus *intemptator* malorum est.

Col. 341 l. 23 *Mosea*. l. 43-47 *Granis siquidem — intelligentiae significantia* ad marginem adscripta sunt. l. 57 intelligentiae *significantia*. l. 83 rationalia animalia *repatetur*.

Col. 342 l. 3 ut prius inde *satiati*. l. 52 cui gratias *egit* nisi Patri.

Col. 343 l. 11 Colligite quae *superaverant* fragmenta.

Col. 344 l. 32-43 *Quamquam multis — simul et piscium* ad marginem adscripta sunt. l. 39 veluti post fragmenta *panum* collecta.

Col. 345 l. 29 *reperitur*. l. 41 et in *novo*.

Col. 346 l. 2 reversus *est* in montem. l. 5 miraculoque peracto *solus* iterum. l. 7 *apponantur*. l. 14 *dividant*.

II.

JOANNIS SCOTI COMMENTARII IN S. EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

FRAGMENTUM IV.

E codice eodem.

Sanctus Ambrosius per subjectum ordinem enumerat memoratas orationes : orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones. Orationi subponit, quando bona nobis postulamus, obsecrationi, quando absolutionem a malis, postulationi pugnam contra omnia adversa. Et praescribit, scire nos debere hoc facere, quando in unum convenimus. Sanctus Augustinus ita : precationes, orationes, interpellationes, sive, ut vestri [1] codices habent, postulationes, gratiarum actiones. Et dicit : *quas omnes* [2] *sive paene omnes* [3] *frequentat ecclesia in solempnitate sacramentorum*. Precatio est omnis oratio ante illud quod agitur in dominica mensa; oratio est quicquid postea agitur usque ad communionem; interpellatio sive postulatio est quando populus benedicitur; gratiarum actio omnia concludit. Ubi sanctus Augustinus dicit *precationes*, nostri codices habent *obsecrationes*. Obsecrationi, ut dictum est, subposita est postulatio [4] a sancto Ambrosio pro absolutione peccatorum. Cetera uno modo nominamus, ut pra.......st [5] de sancto Augustino. Eandemque vim obtinent, quam sanctus Ambrosius subposuit eis et in celebratione sacramentorum et in ceteris officiis. In omnibus, quae scribo, suspendor virorum ac piorum Patrum judicio. Interim dico, quae sentio. Quae aguntur in celebratione missae, in sacramento dominicae passionis aguntur.

Cetera desunt.

VARIAE LECTIONES.

[1] Cod., *uri*; f. *nostri*, ut paulo post? [2] Cod. *omnis*. [3] Cod. *omnis*. [4] Cod. *postolatio*. [5] Unum aut duo verba desunt · ubi exstabant, membrana abscissa est. Forte legendum *ut praedictum est*.

ANNO DOMINI DCCCLXXII.

ADRIANUS II

PONTIFEX ROMANUS.

NOTITIA HISTORICA IN ADRIANUM II.

(Apud Labb. Conc. tom. VIII, pag. 882.)

(a) Adrianus natione Romanus, ex patre Talaro, postea episcopo regionis tertiæ, sedit annos quinque. Hic ex proximitatis genealogia beatæ recordationis Stephani IV et Sergii junioris pontificum descendens, dum miris polleret actibus, a venerandæ memoriæ Gregorio quarto sedis apostolicæ præsule subdiaconii sortitus est ministerium. Deinde vero in Lateranense patriarchium familiariter assumptus laudabiliter conversatus ad regendum titulum sancti Marci confessoris Christi atque pontificis presbyter ordinatus tam inculpabiliter degit, tam viriliter ministravit, ut non tantum sicut factus presbyter, sed sicut futurus pontifex, reverenter ab omnibus coleretur. Siquidem in eo erat in Christo ejusque genitrice (apud cujus Præsepe jugibus orationibus incumbebat) tanta fiducia, ut benefaciens non deficeret, nec quidquam discriminis, cuncta quæ habere poterat discretissime largiens, incurrere formidaret.

Nam cum die quadam inter compresbyteros suos

(a) *Adrianus.* Cum ab obitu Nicolai papæ menstruo spatio sedes pontificia pastore destituta fuisset, decimo nono Kalendas Januarias Adrianus erga pauperes munificentissimus, dandisque eleemosynis miraculose illustratus, in thronum apostolicum, quantumvis reluctaretur, evectus fuit communi totius cleri ac populi consensu. Ludovicus imperator electionem Adriani legatis imperialibus absentibus factam, ea intentione, ne consuetudo exspectandi legatos imperatoris electioni apostolicæ præjudicium pareret, non tantum non improbavit, sed legitime factam commendavit, et deinceps ita fieri et usurpari per litteras demandavit.

Postquam volumen Photii contra Nicolaum papam confictum accepisset, illudque viris doctis et peritis examinandum tradidisset, convocato concilio Romano, de quo infra, Photium ter anathemate perculit, ejusque volumen igni adjudicavit. Ejusdem auctoritate ad petitionem orthodoxorum Orientalium indicta est octava synodus œcumenica, de qua, præter ea quæ in Vita Adriani supra recensentur, plura dicemus infra in notis ejusdem concilii.

Lotharius rex Galliæ Adrianum per epistolam rogat, ut quod a Nicolao obtinere non poterat, ipse benigne concedat : nimirum, ut pro sui expurgatione ad Urbem venire liceat. Sed cum aliquoties illud petenti papa denegasset, permisit tandem; non sine ingenti Orientalium Romæ degentium offensione, quasi ex professo acta sancti Nicolai papæ prædecessoris sui rescinderet omnia, eo ipso, quod quem ille Urbis accessu indignum prohibuerat, hic admiserit : quosque ille cum Gunthario Coloniensi relegaverat, aliisve pœnis addixerat, hic ab exsilio revocaverit, et a pœnis absolverit. Qua ratione autem ab hac suspicione se liberaverit, refertur in Vita Adriani papæ supra.

Actardum Nannetensis Ecclesiæ episcopum litteris duarum synodorum Trecensis et Suessionensis commendatum a Northmannis sua ecclesia spoliatum, et a Britannis eadem pessumdata multa perpessum, virum pietate et doctrina insignem, cum Romam venisset, digne excepit, eumque, ut haberet unde viveret providit, atque etiam pallio exornavit. Hæc ex epistolis Adriani pro Actardo ad diversos scriptis.

Lothario rege defuncto, Carolus Calvus regnum, quod Ludovico fratri illius jure hæreditario debebatur, per tyrannidem invasit. Quod cum pontifex intellexisset, eas quas infra cusas invenies epistolas ad Carolum regem ejusque regni optimates et episcopos scriptas per legatos transmisit : verum pontificis reprehensionem a Carolo bene acceptam, reque infecta legatos dimissos fuisse, cum filium ejus, quem in vinculis detinebat, Carlomannum liberassent, testatur Aimoinus, libro quinto, capite vigesimo septimo.

Ludovicus imperator coronatur Romæ ab Adriano rex Francorum, et successor fratris germani in illo regno, cujus regem Carolum Calvum jam ante coronaverat Hincmarus Rhemensis episcopus. Quæ res cum Basilio in Oriente innotuisset, ille ad eum legatum misit cum litteris quibus increpabat usurpantem nomen imperatoris, quod ille e litteris Adriani papæ per legatos Constantinopolim allatis abradi jusserat, quantumvis legati sedis apostolicæ reclamarent. Quibus acceptis, Ludovicus ad eumdem Basilium Autprandum legatum decrevit; cui ad eumdem imperatorem gravem et satis acrem apologeticam dedit epistolam, quæ exstat apud Baronium anno 871, num. 51.

Tempore Adriani papæ Ecclesia Anglicana dignum exemplum regis maximi, pii, fideique constantis exhibet : De quo Matthæus Westmonasteriensis ista scribit : *Erat rex Æthelredus in tentorio missam audiens, ubi cum sæpe a suis invitaretur ad certamen, constanter affirmavit se non recessurum priusquam presbyter missam complevisset. Quæ fides Christiani regis multum sibi profuit die illa; victo scilicet adversario hoste potentissimo.* Hæc Matthæus.

Post hæc cum Adrianus papa sedisset annos quatuor, menses decem, et dies septemdecim, mortuus est anno Redemptoris nostri octingentesimo septuagesimo secundo, ipsis Kalendis Novembris : testatur illud Aimoinus hujus temporis scriptor libro v, cap. 29, in fine.

Is enim qui post Anastasium Vitam Adriani secundi et Stephani sexti descripsit, collector potius, auctore Baronio, quam scriptor Vitarum pontificum præteritorum est affirmandus. SEV. BIN.

a sanctissimo papa Sergio consuetudinaliter denariis quadraginta perceptis domus suæ portas revertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter more solito velut ad horreum commune confluxerat, omnino nequiret: misericordia motus equestri suo [equestri dispensatori suo] retulit, nil sine tantis fratribus in tantillis denariis sibi esse commune. Cumque ille neque tertiæ parti pauperum singulos denarios posse sufficere intulisset, in virtute, inquiens, Christi, qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, non singulis singulos, sed ternos singulis denarios erogabo. Et hæc dicens, forinsecus portæ succedens, ac de manu equestris sui suscipiens, peregrinis cunctis egredientibus ternos sigillatim denarios erogavit. In qua redundatione cum miraretur equester non solum non defecisse denarios, quinimo superfuisse, liberalis presbyter, qui supererant demum recipiens, multitudini familiæ suæ ternos nihilominus personatim nummos largitus est. At cum sex itidem superessent, Vides, inquit, quam largus et quam suavis sit omnipotentissimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum et fratribus nostris per ternos distribuit, et mihi ternos, tibique ternos æqua sorte servavit.

Erat præterea tantæ hospitalitatis et largitatis, ut non immerito beato Job in his valeat comparari; nam ab infantia crevit cum eo miseratio, et de utero matris cum ipso egressa est (*Job* XXXI). Non despiciebat prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, cujus latera nimirum ovium calefaciebat velleribus, nec buccellam quidem suam comedebat solus, cum hanc cum pupillis et egenis comederet. Quippe qui oculus esset cæco, et pes probabatur existere claudo, et ut scriptis virtutum ejus multiplicitas referatur, pater erat pauperum et cordis viduæ consolator. Ostium ejus viatoribus patebat, nec erat clausa janua domus ipsius quidpiam postulantibus ab eo, ut ab omni clericali gradu, ab omni senatorio, et populari concordissimo cœtu, sicut post mortem papæ Leonis IV, ita post obitum Benedicti III pontificis subire summum pontificium, nisi ipse diversis argumentis et exquisitis excusationibus verecunde subterfugisset, cogeretur. Sed cum apostolicæ memoriæ sanctissimus papa Nicolaus rebus excessisset humanis, et iste impræsentiarum tertio quintum et vigesimum annum transiret, omnes urbis Romanæ concives simul et hi quos extrinsecus tunc adesse contigerat, tam pauperes quam divites, tam clericalis ordo quam cunctum populi vulgus, omnis scilicet ætatis, professionis et sexus, contemptis omnibus ejus excusationibus Adrianum desiderant, Adrianum dari sibi præsulem ac pastorem exoptant. Nullusque in totius Urbis amplissimo spatio repertus est, nisi vel se, vel suum quemque provehi voluisset, qui non Adrianum promoveri ad hoc culmen medullitus exoptaret. Proceres vero, licet soluto in duas partes corpore viderentur esse divisi, una tamen mente, parique circa hunc flagrabant ardore, quoniam causam divisionis eorum nonnisi nimius in tantum virum faciebat charitatis affectus, dum sic alterutra pars sibi præferri gestiret, ut si hunc altera pars deligeret, pars altera penitus dubitaret, nec erat ibi [ulla] parti alteri retinendi [*forte*, reticendi] voluntas, nisi quia opinabatur cum sua in alium vota dirigere, præsertim cum multi monachorum, plerique religiosorum sacerdotum ac fidelium laicorum cœlitus emissis visionibus, multo jam tempore Adrianum futurum pontificem, non solum non dubitarent, verum etiam apertis vocibus proclamarent. Inter quos quidam Adrianum in sede apostolica pallio humeris obducto reclinatum videbant; alii eum cum apostolicis infulis missas celebrantem. Nonnulli more apostolico in basilica Lateranensi aureos erogare. Plerique in equo, cujus sessione sanctissimus papa Nicolaus ad sanctum Petrum pergens usus fuerat, eum cum pontificali pallio

A impositum præcedentibus axiomaticis, et subsequentibus reliquis turbis in urbem redire, patriarchiumque subire conspexerant. Verum ubi evidentibus indiciis hunc eumdem utraque diligi claruit, tanta in eum unitas et animorum et corporum fuit, ut unum in eis erga eumdem Domini sacerdotem cor, et unus spiritus inesse omnibus videretur; ita ut lapis angularis, salva reverentia Jesu Christi Domini nostri, quodammodo possit vocari. Quoniam per ostensionem, imo profectionem suam, solvens inimicitias cordium, fecit utraque unum. Collectis igitur omnibus tam episcopis cum universo clero, quam primoribus urbis cum obsecundantibus sibi populis, ab ecclesia sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur. Ad præsepe, rapitur, trahitur, et ad Lateranense patriarchium certatim, ac procerum et plebis multitudine deportatur. Quod audientes tunc missi principis moleste tulere, indignati scilicet non quod tantum virum nollent
B pontificem, quem nimirum anxie cupiebant, sed quod se, dum præsentes essent, Quirites non invitaverint, nec optatæ a se futuri præsulis electioni interesse consenserint. Qui accepta ratione, quod non Augusti causa contemptus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit omnino prospectu, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præsulum mos exspectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem suæ mentis indignationem medullitus sedavere, ac ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accessere.

Cumque patriarchium Lateranense ascenderent, atque descenderent, tantis clamoribus universæ plebis, ut sibi diu desideratus vir ad consecrandum daretur clamitantis obsessi sunt, ut nullus eorum loquentis secum collegæ sui verba posset audire. Erat enim cernere singulos circa consecrandum pontificem tantam dilectionis efficaciam possidere, quantam nec vidisse, nec visurum unquam quis æstimasset. Denique omnes hunc certatim coram
C eisdem legatis rapere, et ad summum pontificatus apicem provehendum trahere, ac anxie nitebantur portare, nisi blanditiis senatorum, et consiliis aliquantulum sedati fuissent. Quorum omnium unanimitatis desiderium audiens Ludovicus Christianissimus imperator, cognoscens etiam qualiter in eo decretum suis subscriptionibus roboraverunt, valde gavisus est. Et ut tantus Domini famulus, cunctisque gentibus videlicet tam Romanis, quam diversis advenis desideratus et desiderabilis Christianæ plebi præficeretur medullitus exoptavit: et mox imperialem scribens epistolam, cunctos Romanos quod dignum tanto elegissent officio præsulem collaudavit, per quam videlicet innotuit, nulli quidpiam præmii fore ex consecratione ipsius quoquo modo pollicendum, cum ipse hanc non suorum suggestione, sed Romanorum potius unanimitate commotus ardentissime cuperet provenire. Maxime cum reddi quæ ablata fuerant, non auferri ab Ecclesia Romana, vel
D deperire quidpiam se diceret amare. Itaque Sabbato, peractis rite orationibus, vigiliis, et eleemosynis, Dominico secundum morem idem venerabilis sacerdos ab universitate ad ecclesiam sancti Petri apostolorum principis deductus XIX Kalendarum Januariarum indict. prima, anno præfati Augusti decimo nono, per episcopos reverendissimos, scilicet Petrum Gavensem, Leonem Silvæ candidæ, deinde tertio loco Donatum Ostiensem, quia episcopus Albanensis obierat, Formosus vero Portuensis a beatissimo Nicolao ad prædicationem et instructionem Bulgarorum destinatus exstiterat, benedictionem summi pontificatus ad consolationem videlicet multorum sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum, qui factiosorum tyrannide liberius solito sæviente inter unius decessionem et alterius substitutionem pontificis diversis agebantur exsiliis, variisque afficiebantur incommodis, suscipere meruit in nomine Domini.

Siquidem ad celebritatem missæ ipsius tam incre-

dibilis exstitit multitudo, ut certatim de manu ejus omnibus communicare nitentibus Theutgaudus Treverorum archiepiscopus, et Zacharias Anagninus episcopus, qui a domno Nicolao sacerdotio denudati, etiam communione caruerant, simulque Anastasius, qui dudum a Leone Benedictoque pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperint. Igitur mox ad patriarchium Lateranense reversus est, et consuetudinem ab eo, qua diversorum xeniorum hinc inde confluentium (retentis solum quæ usibus mensarum sufficerent reliquiis) pretia capiuntur, exclusit, dicens : Non esse pium quod gratis accipimus pretio venundare, et chariores habere rationalibus fratribus irrationabiles nummos, pro quibus Christi pretiosus est cruor effusus. Sed parvipendantur, inquit, obsecro hæc pudenda pretiorum commercia, et quod gratis accepimus, gratis, juxta præceptum Domini, largiamur, et oblationes Christi cum ejus hospitibus ac inopibus partiamur, propter quos has nobis tribui divinitus scimus. E vestigio etiam Dominicum et Grimoaldum episcopos, quos decessor suus sanctæ recordationis papa Nicolaus in Bulgariam patriam ire præceperat, et a se in ipso articulo sui discessus absolverat, quique videntes tanti Patris obitum ire distulerant, eadem fungentes legatione direxit, et quasdam epistolarum, quas ille mittendas delegerat, ut se ejusdem voluntatis et studii fore ostenderet, suo nomine titulari præcipiens, in quantum tempestas fluctuosi temporis permittebat, piissimi Patris votum pius hæres implevit.

His ab urbe dimissis, continuo exsules, Gaudericum videlicet Velitrensem, et Stephanum Nepesinum episcopos, et Joannem cognomento Simonidem, quos procacissima falsitas, serenissimo Augusto incusans, domo patriaque proscripserat, ab Augusta mansuetudine multis epistolarum documentis requirere studuit, dicens, se bonum Ecclesiæ Dei pastorem videri non posse, nisi oves quas fideles sanctæ Ecclesiæ infidelis vir per suam subreptionem proscripserat recepisset. Qua religiosa suggestione lætificatus Augustus, una cum Christianissima conjuge, non solum eos, propter quos summus pontifex miserat, honorifice ad urbem remisit : verum etiam quoscunque privata simultate tanquam reos imperatoriæ majestatis, et in ergastulis quilibet truserat, ut reverterentur præcepit.

Post hæc summus pontifex basilicam Nicolaitanam quam sanctissimus papa Nicolaus a fundamentis adeo luculenter cum tribus aquæductibus fabre factis exstruxerat, ut omnes Lateranenses basilicas sui pulchritudine superaret, juxta votum decessoris sui picturis variis decoravit.

Cujus ipse conversationis exempla sic solertissime sequebatur, ut ab hostibus sancti Nicolai, qui in omnibus ejus acta penitus infringere nitebantur, Nicolaitanus et scriberetur, et publice diceretur. Quorum scilicet hostium, quia nonnullos parturientes injustitiam, conceptum dolorem effusuros esse cognoscens, penes se, veluti zizania inter frumenta usque ad maturitatis tempus dispensatorie retinebat, rumore fallaciter exsurgente creditum est quod omnia decessoris sui acta, quæ ille zelo divino sanxerat, hostes vero ejus ad proprios libitus infamabant, voluisset infringere. Unde accidit ut omnes occidentalium regionum episcopi solemnes ac honorificas litteras emittentes religiosam ejus memoriam, utpote orthodoxæ et veræ philosophiæ pontificis excolendam, summo pontifici jugiter inculcarent. A cujus videlicet sanctissimi Adriani papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum, et aliarum gentium servorum Dei per id tempus Romæ morantium, se clanculo suspendissent, sexta feria septuagesimæ idem sanctissimus antistes eos secundum consuetudinem refectionis gratia solito plures numero convocavit.

A Quorum omnium manibus per semet humiliter aquam fudit, cibos apposuit, pocula ministravit, et quod nullum pontificum ante se fecisse noverat, ut eos promptiores ad prandium redderet, cum illis discubuit, canticis spiritalibus ibi per totum spatium jugiter laudes concrepantibus.

Dum surrexisset ab epulis in faciem suam coram omnibus procidit, dicens : Rogo vos, et suppliciter obsecro, patres, fratres, et filii, ut fundatis Domino pro sancta catholica Ecclesia sua preces ; oretis pro Christianissimo filio nostro Ludovico imperatore Augusto, ut ei Deus omnipotens, ad nostram perpetuam pacem, Saracenorum faciat subditam nationem. Oretis etiam pro me fragili et imbecilli, ut det mihi Christus virtutem tantam Ecclesiæ suæ multitudinem in sanctitate et justitia regendi, qui commisit beato Petro apostolo cunctos regere quos redemit ; quatenus qui curarum sæcularium pulvere caligans, plerumque spiritalia minus luculenter intueor, vestra B mihi jugis oratio, quæ tanto purior, quanto ab inquinamentis sæculi remotior est, divinitus suffragetur. Cumque illi pro se magis illum oportere preces fundere clamitarent, qui tanto acceptior apud Deum haberetur, quanto solus pro omnibus in labore ferventior, interna miseratione commotus cum lacrymis ait : Quia pro valde bonis orare, charissimi, gratiarum actiones Deo persolvere est, peto ut dominum patrem, decessoremque meum sanctissimum et orthodoxum papam Nicolaum habentes in vestris orationibus, communes grates Domino referatis qui eum Ecclesiam suam miseratus elegit, et ad excludendum mundi tumidissimos strepitus, sicut Josue, clypeo protectionis armavit, et gladio spiritalis potentiæ roboravit. Quo audito cuncti famuli Domini, videlicet Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Constantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi principum fungebantur, diutino stupore attoniti, in vocem clarissimam prorupere, dicentes : Deo gra- C tias, Deo gratias, qui talem Ecclesiæ suæ præficiendum disposuit, qui nosset sui patris et decessoris reverentiam præ oculis ponens, gregem Dominicum in virga et baculo pascere : testamentumque patrum non convellere, sed implere. Deo gratias, Deo gratias, qui in sede sui apostoli non posuit apostaticum papam, qui domus suæ fundamenta posuit non super arenam, sed super firmissimam petram, qui te succedere fecit sanctissimo papæ Nicolao, nec ab ejus decretis abscedere. Eia, cesset invidia, mendax fama recedat. Domino nostro Adriano a Deo decreto summo pontifici, et universali papæ vita : dictum est ter. Cumque manu silentium innuisset, summus præsul intonuit, dicens : Reverentissimo, sanctissimo et orthodoxo domno Nicolao a Deo decreto summo pontifici et universali papæ sempiterna memoria : dictum est ter. Novo Eliæ vita perennis et immarcessibilis gloria : dictum est ter. Novo Phinees æterni sacerdotii infulas merenti salus æterna : D dictum est ter. Sequacibus ejus pax et gratia : dictum est ter.

Igitur Lampertus Vintonis filius, dux Spoletanus, tempore consecrationis hujus venerandi pontificis Romanam urbem præter consuetudinem sicut tyrannus intravit, non rebellantem sicut victor satellitibus suis ad prædandum distribuit, majorum domos multis muneribus vendidit, nullis monasteriis, ecclesiis nullis pepercit, quinimo nobilissimi generis puellas tam intra Urbem, quam extra, suis satellitibus indifferenter diripiendas concessit. Propter quod apud Augustos piissimos Romanorum querimoniis prægravatus, ducatum perdidit, iram principum, et invidiam pene cunctorum Gallorum, tanquam revera sedis apostolicæ hostis adjudicatus, incurrit. Mox Romanus pontifex tanta tyrannide liberatus Histaldum, Walterium, Gilpianum, Odonem et Theupertum, cum cunctis aliis raptoribus et prædonibus, quousque rapta redderent, sibique legaliter satisfa-

rerent, omni ecclesiastica communione privavit. Sed Theupertus quæ rapuerat haud difficulter reddere studuit. Ilistaldus vero vir Deo devotus, belloque fortissimus, ad præsulem se percutientem tota humilitate conversus est, ejusque gratiam secundum omne Romanorum libitum, satisfacturus accipiens, spem quoque resumendæ communionis accepit. Quam nimirum recipere prævaluisset, nisi conjurationi Lampertorum postea conscius cum viris excommunicatis ac rebellibus fugiens, Beneventum petere maluisset.

His ita compositis postquam Michael Græcorum imperator Bardam Cæsarem, Photii fautorem, suum, sicut perhibent, interitum machinantem peremit, Basilium collegam sibi adoptans imperatorem constituit: cumque novus imperator Basilius a catholicis, tanquam qui semper eis faverit, summo studio coleretur, Michael a spadonibus suis (dubium an filii voluntate) peremptus est. Moxque Basilius rerum potitus, primo quidem non se fuisse conscium B necis Michaelis, ut fertur, omnibus satisfecit. Tum vero secundum Romanæ Ecclesiæ constitutum pervasorem Photium pepulit, et Ignatium patriarcham, populo annitente, patriarchio restituit, ac ex utraque parte, Ignatii videlicet patriarchæ, Photiique neophyti, legatos Romam per suum spatharium Basilium nomine destinavit, qui præsente summo antistite alternatim confligerent, et justitia suffragante aut justificarent Photium, aut perpetuo condemnarent. Sed divino judicio disertissimam partem Photii pelagus sorbuit, et simplicissimam partem Ignatii cum legato imperiali salvam servavit. Nullusque ex neophyti parte nisi monachulus, Methodius nomine, solus evasit. Qui postmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium, contra quem, sed neque universalis Ecclesiæ, ad quam venerat, jura suscipiens, tertio conventus, tertio perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit.

At vero Basilius legatus imperatoris, et Joannes C metropolita Cæsareæ Cappadociæ Nicolao fuerant destinati. Hinc sanctissimo papæ Adriano cum episcopis et proceribus in secretario sanctæ Mariæ Majoris juxta morem sanctæ sedis apostolicæ residenti se satis humiliter præsentarunt; dona et epistolas obtulerunt: quibus susceptis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus conamine Constantinopolitana Ecclesia de schismate purgata surrexerat, multiplices gratias retulere, ac post innumera laudum præconia concordi voce dixere: Devotissimus filius vester imperator Basilius, et patriarcha munere vestro restitutus Ignatius, dum ecclesia Constantinopolitana per interventum vestrum invasorem Photium propulisset, in archivo ejus librum summa falsitate congestum contra ingenium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sanctissimique papæ Nicolai reperere. Quem bullatum quasi vere contagiosum a sua urbe penitus propulere, vobisque utpote summo capiti, cui Christus cœlo terraque solvendi atque ligandi potestatem tribuit, D misere. Quem, precamur, suscipientes rimamini, et fraudulentiam quam insontibus Constantinopolitis noster versipellis Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc sanctam Romanam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi, audacem linguam exacuit prorsus advertite. Et quid Ecclesiæ Dei de hoc latrocinio sit sentiendum, quod sub nomine synodi furtim ab eo confictum est, palam omnibus promulgate. Utrarumque partium consessum pontificem annuenti, Romanam contra sedem apostolicam, pontificemque ipsius, quia Photius vocem non habuit, sententiam forte præcipitare potuit, judicium vero librare non potuit. Sed a sede apostolica bis judicatus bisque damnatus est. Et quia viribus suis Photius confidens, in sanctissimum pontificem nostrum Nicolaum falsa garrire non timuit, os suum nimirum in cœlum posuit, et linguam suam, ut terram pertransiret, exeruit. Ideoque conciliabuli ipsius librum scrutandum admittimus, ut auctor illius et fabricator mendacii, et inventor perversorum dogmatum tertio judicetur. Egressus metropolita librum exhibuit, et in terram præcipitavit, imprecando illi dicens: Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister Christi Nicolaus novus Petrus veritatis amator attrivit. Et spatharius calce suo, enseque librum percutiens, nihilominus ait: Credo in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Photii ea quæ per se dicere nequit, eructat. Nam et subscriptionem Basilii nostri imperatoris post subscriptionem Michaelis, quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissime continet, quam ejus non esse restitutio Ignatii declaravit, et satisfactio nostra, si vobis placuerit, jurejurando firmavit. Neque enim unius semper catholici Basilii nomen potuit falso suis feralibus commentis inserere, qui mutato charactere potuit multorum absentium episcoporum nomina cum paucis complicibus suis describere. Quorum videlicet episcoporum universitas tam immunis est hujus subscriptionis, quam tenoris ignara. Siquidem nullus Constantinopolitanorum, quando illud conciliabulum collectum fuisset (quia revera nec fuit) agnovit, sed quia Constantinopolim comprovinciales, veluti regiam civitatem, pro diversis negotiis instar istius urbis ascendunt, pervicacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei a primævo fuerat institutum, linivit. Dum in locum quorumdam sanctissimorum episcoporum cives quidem aliquorum illorum, sed transfugas, ut fama vulgatum est, muneribus excæcatos, subscribere fecit. Inde est, quod subscriptionum istius videntur diversi characteres, et quidam eorum acutiori penna, quidam grossam, nonnulli vero decrepitum simulantes grossiori membranam inquinantes describunt, ut videlicet fraude præsentium, simplicitati absentium illudatur: et illud credat facilius universitas esse verissimum, quod dissimilibus litteris fecerit falsitas esse diversum. At vos illico subscriptionum quidem dissimilitudinem referentes characteres videbitis. Fraudem vero, nisi Constantinopolim, ut omnis illa ecclesia deprecatur, miseritis, minime cognoscetis.

Tunc summus pontifex utriusque linguæ peritis librum scrutandum per aliquot dies decrevit, et omnia quæ in eo continebantur coram synodo fideliter populari; quæ ubique omnia strenue perscrutata est. Nam venerabilis pontifex, annitente omni senatorio popularique conventu, apud beatissimum Petrum apostolum in defensionem suæ Ecclesiæ decessorisque sui sacrum concilium convocavit. Et primo quidem per legatos Constantinopoleos veritate luculenter audita, decessoris sui super hujusmodi litteras legens, sinistram ipsius famam purgavit. Deinde Photium cum conciliabulo complicibusque suis tertio anathemate perculit. Ad extremum vero cæterorum subscriptionibus et sententiis roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum excussit. Quem nimirum rogus, ut fomentum quoddam ignis excepit, et pene antequam semiustum credi potuisset, cum magno fœtore, piceoque colore consumpsit. Et cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuisset exstingui, et ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit, et in laudes Dei, sanctissimique papæ Nicolai, simulque Adriani summi pontificis miraculi stupor tam Latinorum quam Græcorum corda resolvit. Post hæc cum epistolis decessoris sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum episcopum Ostiensem, et Marinum diaconum Constantinopolim destinavit, deinde ejusdem epistolas suo tantum nomine titulatas, et commonitorium. Sed et Stephanum Nepesinum episcopum sociavit, eisque præcepit, ut omne scandalum Ecclesiæ Constantinopolitanæ solerter sopirent, consecratisque a Methodio et Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias

ecclesias redderent. Photianis vero sub eadem, ac districtiori satisfactione communicarent quidem, sed sacerdotum judicium, usque ad sedis apostolicæ sententiam manente sanctissimi papæ Nicolai judicio protelarent. Itaque multorum anfractuum laboriosos circuitus penetrantes, tandem Christo præduce Thessalonicam veniunt, in quam Basilius imperator Eustachium spatharium candidatum cum suæ salutationis officio sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatis obviam destinavit.

Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducens Sillambriam pervenerunt. Ubi a Sisinnio imperiali protospathario, et Theognisto patriarchali hegumeno, qui Romæ apud sanctissimum papam Nicolaum pro restituendo Ignatio sedulus intercessor exstiterat, cum quadraginta equis de stabulo imperiali, et totius mensæ argenteo apparatu, officialibusque, qui sibi ad omnen libitum famularentur, sunt excepti, ad Castrum rotundum, in quo est ecclesia miræ magnitudinis sancti evangelistæ Joannis nomine dicata, favore Augustali Sabbato mansionem suspiciunt. Et Dominica, quæ quinta decima dies Septembris erat, indictione tertia, singulos equos cum sellis aureis devotione imperatoria capientes, obviatis omnibus scholis, videlicet spathariorum, candidatorum, strategorum, mandatorum, cæterorumque palatinorum ordinum, cum omnibus clericorum planetatis ordinibus ad portam Auream veniunt. Ibi a Paulo librorum custode, et Joseph vasorum custode, simulque Basilio sacellario, ecclesiasticis induti vestibus salutati cum syncellis patriarchæ Constantinopoleos solemniter præceduntur, et ab omni populo cum cereis et lampadibus prosequuntur. Sicque ad Irenes palatium descendentes, in domum, quæ dicitur Magnaura, a Joanne a secretis, spatharioque candidato, et Strategio spathario candidato, qui subministrationis gratia deputati fuerant, laudabiliter suscipiuntur, per quos imperialia mandata suscipiunt devotissime procul dubio suggesta, ne forte moleste ducerent, quod imperiali natalitio imminente, in crastinum suscipi non valerent. Quo feliciter celebrato, misit imperator in occursum ipsorum omnes ordines palatinos. Quibus præcedentibus ante imperatorem in chrysotriclinio sibi continuo assurgentem salutabundi conveniunt, apostolicas epistolas imperatori offerunt : quas imperator per semet suscipiens osculatur. De statu Romanæ Ecclesiæ, et salute domni Adriani summi pontificis, deque omni ecclesiasticorum, senatoriorumque ordine ordinabiliter perscrutatur, legatosque amabiliter osculatus, Ignatio patriarchæ jussionem apostolicam perlaturos absolvit.

Qui sequenti die ad imperatorem redeunt, a quo taliter alloquuntur : Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionem pervicicassimi Photii diversis schismaticorum fluctibus laceratæ sancta omnium Ecclesiarum Dei mater Ecclesia Romana, sanctissimi domni et universalis papæ Nicolai (sicut ex eis litteris, quarum auctoritate præsens pater noster Ignatius, qui violenter fuerat a Photianis expulsus, sedi propriæ nuper, juvante Domino, restitutus est, potest luculenter intelligi) fida provisione consuluit. Quapropter nos cum omnibus Orientalibus patriarchis, metropolitanis, atque episcopis, censuram sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, et tandem aliquando auctoritate vestri sacri collegii tam pestiferæ Photianæ tergiversationis scandala propellantur; quatenus unitas et tranquillitas optatæ diutius juxta decretum sanctissimi papæ Nicolai restaurentur. Legati sanctæ sedis apostolicæ responderunt : Et nos ideo venimus; ideo missi sumus : sed neminem orientalium vestrorum nunquam in nostram synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctæ sedis apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. Imperator et patriarcha dixerunt : Quia novum hoc et inauditum de libello proferendo asseritis, necesse est ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata est, et de Latino in Græcum conversa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in sancta synodo resederunt : proferre nolentes extra synodum inglorii relicti sunt, sed dietim fervore sancti Spiritus temperati, præmissa libelli satisfactione ad unitatem sacræ synodi reversi sunt. In hanc synodum Photius, ille pervasor, de multis criminibus perpetratis rationem redditurus adducitur. Omnes epistolæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra eum prolatæ leguntur. Et depositionis ac anathematis sententia dudum apostolica sede prolata, in eum ab omnibus identidem jaculatur, inque ipsius conspectu nefandissimi conciliabuli profanata volumina, quibus contra sanctissimum papam Nicolaum susurra fauce latraverat, igne combusta, veritatis, innocentiæque lampas emicuit. Qui laqueum, quem olim alteri paraverat glorificandus, nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis inertiam devolutus intravit; et apertum sibi communionis ostium, qui sub satisfactione libelli suscipiendus admonebatur, quasi cæcus in meridie declinavit. Denique gestis salubriter omnibus, quæ in decem sessionibus synodi textus complectitur, legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ textum synodi, ne quid Græca levitas falsum in eam congesserit, Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Ludovici serenissimi nostri Augusti cum Suppone archiministro post eos Constantinopolim, divina ut creditur dispensatione, pervenerat) subtiliter inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris sanctissimus domnus Adrianus pontifex in epistola sui decessoris Arsenio episcopo imminente adjecerat, resecatum inveniunt.

Quapropter epistolam sedis apostolicæ, fraudulenter corrosam summis clamoribus conqueruntur, fatentes se nullo modo synodalibus actionibus subscripturos, nisi totius epistolæ integritas gestis synodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non esse in synodo de laude imperatoris, sed de solius Dei tractandum altisone respondentibus, nomenque imperialis nostro Cæsari penitus invidentibus; tandem ad hoc usque perventum est, ut interposita conditione voluntatis apostolicæ diffinitis sententiis minus finite subscriberent, ita legentes : Ego ille vices agens domini mei sanctissimi et universalis Adriani papæ in hac sancta synodo præsidens usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis, ad omnia, ut superius legitur, consensi, et manu propria subscripsi.

His expletis, quidam Græcorum imperatorem conveniunt, et Constantinopolitanam Ecclesiam per oblatos libellos, in potestatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, et dubietate subscriptionum, omnia quæ in synodo decreta fuerant, revolvenda, cunctaque recidivis erroribus confundenda fatentur : et nisi libellos reciperent, libertatem pristinam se non posse recipere fingunt. Et illico quidam libellorum a custodibus, quoniam excellentiorum episcoporum libellos legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, futurorum præscii, prorsus occuluerant, defraudantur. Ac per hoc incredibiliter consternati ipsi legati, Supponis archiministri, et Anastasii disertissimi sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii fidelissimis auxiliis innituntur. Quibus diverso modo non sine magno labore periculis imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt : sed imperatoris iram pro nimia suæ districtione fidei vehementer incurrunt.

Igitur post diem tertium, quo sacratissima synodus cum suis scriptionibus omnino in codice consummata, retractaque est ad omnem elegantiam in ce-

clesia sanctæ Sophiæ fuerat, ab imperatore in domo, quam cum vicariis patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, et Hierosolymitano, simulque patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi residebat, callide convocati sedere jubentur, et quod principes Bulgarorum eis litteras, et dona per Petrum, aliosque direxerint, audiunt.

Quorum legationem imperatore potissimum annuente suscipiunt, sicque post salutationem Petrus Bulgarorum legatus exorditur : Domnus Michael princeps Bulgaricus audiens quod pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ ex diversis partibus auctoritate sedis apostolicæ conveneritis, gratanter accepit, vobisque, qui ex sede apostolica missi estis, quia in vestro transitu vestris eum litteris visitare dignati estis, multiplices gratias agit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : Nos quia vos filios sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus, insalutatos vos præterire neque debuimus, neque voluimus : quos nimirum sancta sedes apostolica ut propria membra complectitur.

Bulgarorum legati dixerunt : Usque hodie pagani fuimus, et nuper ad gratiam Christianitatis accessimus : ideoque, ne in aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debeamus, a vobis, qui vices summorum patriarcharum geritis, nosse desideramus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te, o Petre, tuus senior et beato apostolorum principi Petro cum omni gentis suæ populo se tradidit, a cujus successore, videlicet egregio papa Nicolao, et præcepta vivendi, et episcopos ac presbyteros suscipere meruit : vos et pertinuisse et pertinere debere etiam in eo monstratis, quod postulatos, nostros sacerdotes et suscepistis, et hactenus veneratione congrua retinetis.

Bulgagorum legati dixerunt : A sancta Romana Ecclesia sacerdotes nos petiisse et suscepisse, et hactenus habere nos confitemur, et eis in omnibus obedire decernimus; verum utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subdi debeamus, cum his patriarcharum vicariis definite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : Propter quæ nos sanctæ sedes apostolica cum orientalibus diffinienda mandaverat, Domino juvante, finivimus; de causa autem vestra non secus quam diffinita est definienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in præjudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ diffiniendum censemus. Quinimo, quia omnis vestra patria nostris sacerdotibus ubique plena est, nulli vos nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere debere, diffinitiva sententia, quantum ex nobis est, promulgamus.

Vicarii orientalium patriarcharum Bulgaris dixerunt : Quando vos illam patriam cepistis, cujus potestati subdita erat, et utrum Latinos, an Græcos sacerdotes habuerit, dicite? Legati Bulgarorum dixerunt : Nos illam patriam a Græcorum potestate armis evicimus, in qua non Latinos, sed Græcos sacerdotes reperimus. Vicarii orientalium responderunt : Si Græcos sacerdotes ibi reperistis, manifestum est, quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : A Græcis sacerdotibus argumentum sumere non debetis : quia linguarum diversitas ecclesiasticum ordinem non confundit. Nam sedes apostolica, cum ipsa Latina sit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos sacerdotes et semper et nunc usque constituens, privilegii sui detrimenta sentire nec debet, nec debuit.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt : Etiamsi Græcorum presbyterorum ordinationem vestri juris fuisse doceatis; illam tamen patriam Græcorum regno pertinuisse nunquam negare poteritis. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : Sicut Bulgariæ nobis diverso modo pertinere ordi-

A nationem nos dicentes mendacium non loquimur, ita nimirum eamdem Bulgariam ex Græcorum regno fuisse nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum. Nos de divisione regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt : Illud quod vobis diverso modo Bulgariam pertinere dicitis, addiscere volumus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : Sedes apostolica, juxta quod decretalibus sanctissimorum Romanorum præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet, veteremque, totamque Thessaliam, atque Dardaniam, in qua et Dardania civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit, et obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiserat, non a Constantinopolitana Ecclesia, ut modo fingitur, abstulit, sed ab his factis

B modo Christianis recepit. Secundo modo, quia Bulgari, qui jure gentili sibi patriam subjugantes, ecce per tot annos retinent quod ceperunt, sedis apostolicæ semet (ut superius diximus) patrocinio ordinationique specialiter committentes, nobis debent nec immerito subjici, quos ultronea voluntate magistros elegere. Tertio modo, quia eosdem Bulgaros sancta sedes apostolica, jussu quondam sanctissimi papæ domini Nicolai, tam per aliquos nostrum qui hic sumus, illic multas ecclesias dedicantes, sacerdotes creavimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formosum venerabiles episcopos, sed et Grimoaldum coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Bulgari cum multis nostris sacerdotibus in conspectu nostro habere se fassi sunt, a diversis erroribus ad catholicæ fidei veritatem multo sudore, Christi gratia præduce, transferens, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat, ac disponit. Ideoque consequens non est, ut sine conscientia Romani

C summi pontificis Ecclesia Romana, de quibus præsentialiter vestita cernitur, spolietur.

Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt : At quem istorum modorum modo dispensare velitis, edicite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt : Sancta sedes apostolica vos, quia revera inferiores estis, super sua causa judices nec elegit, nec per nos eligit, utpote quæ de omni Ecclesia sola specialiter fas habeat judicandi : sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicio quæ librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus; a qua omnis vestra sententia tanta facilitate despicitur, quanta levitate profertur.

Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt : Satis indecens est, ut vos, qui Græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno nostri principis ordinandi jura servetis. Quapropter

D Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum potestate dudum fuisse, et Græcos sacerdotes habuisse comperimus, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ reclamantes dixerunt : Sententiam quam non electi, neque admissi, sive tumore, seu gratia, vel quidquid illud est, modo præcipitastis potius quam protulistis, auctoritate sancti Spiritus usque ad diffinitionem sanctæ sedis apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo vel nomen habere sententiæ mereatur. Teque adjuramus, patriarcha Ignati, auctoritate sanctorum apostolorum principum coram Deo, suisque angelis, omnibusque præsentibus contestamur, ut secundum hanc epistolam sanctissimi restitutoris tui domni Adriani summi pontificis, quam tibi ecce offerimus, industria tua ab omni Bulgaria ordinatione immunem te, nullum tuorum illuc mittendo, custodias, ne sancta sedes apo-

stolica, quæ tibi tua restituit, per te sua perdere videatur, quin potius, si, quod non credimus, justam te habere querimoniam æstimas, sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutrici tuæ solemniter suggerere non omittas.

Tunc patriarcha Ignatius, apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere admonitus eam legere distulisset, respondit : Absit a me, ut ego his præsumptionibus contra decorem sanctæ sedis apostolicæ implicet, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo ipse committam. Hoc fine collocutio illa finita est.

Sed imperialis commotio, licet spem fronte famularet, augmentum suscepit. Legatos tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad prandium convocans donis optimis decoravit, eosque Theodosio spathario, non ea qua congruebat sollicitudine, deducendi gratia commendavit, Acodyrcharium usque perducti, neligenterque sine ulla provisione dimissi. Post dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti manus, proh dolor! inciderunt, bonisque omnibus, ac authentico, in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudati sunt, ipsique capite plexi fuissent, nisi ab his, qui ex illis aufugerant, sibi timuissent. Tandem apostolicis imperialibusque litteris ab exsilio liberati, et undecimo Kalendarum Januariarum die, indictione quarta, Romam reversi, omnia quæ superius diximus coram sanctissimo summo pontifice ac proceribus retulerunt, nihilque aliud scripturarum, quam librum actionis Ignatii, et libellos quos a Sclavis receperant, et reliquos libellos quos Supponi archiministro, et Anastasio prudentissimo bibliothecario sanctæ sedis apostolicæ (cujus præscientiæ [*forte*, præsentis] sollicitudine exemplar amissæ synodi, quod sibi scribendum impetraverat, Ecclesia Romana suscepit) dudum Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt.

Superiore tempore Formosus Portuensis et Paulus Populoniensis venerabiles episcopi, qui cum cæteris jussu sanctissimi papæ Nicolai causa prædicationis destinati fuerant, remeantes de Christianitate Bulgarorum, ac omnimoda subjectione, qua specialiter sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissima colla submiserant, sedem apostolicam recrearunt, et Michaelis Bulgarici regis legatum, Petrum nomine, summo pontifici præsentarunt. Qui legatus cum donis regalibus regias quoque litteras obtulit, summum præsulem summopere deprecantes, ut aut Marinum sibi bene compertum diaconum archiepiscopum consecratum remitteret, aut aliquem ex cardinalibus duntaxat suæ ecclesiæ virum sapientia, persona, vitaque archiepiscopatu dignissimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem eorumdem, denuo remeantem archiepiscopali ministerio sublimaret. Sed Marino Constantinopolitanum missaticum devotissime, ut diximus, sortito, summus pontifex Silvestrum quemdam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano, et Dominico Tarvisiensi episcopis, simul et litteras pro archiepiscopo aut Formoso Portuensi episcopo remittendo importunissime deprecantes remittentibus Bulgaris magna sub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla rescripsit, ut quemcunque nominatim devotio regalis exprimeret, eum sine dubio pontificalis provisio Bulgaris archiepiscopum commodaret. At vero Bulgarorum rex exspectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum imperatorem, natorum Theodoræ occasione alterna regna sibi alternatim rapere machinantium, adductus, eumdem Petrum, quem a Roma sine desiderii sui effectu sero receperat, cum aliis e latere suo Constantinopolim, requisitionis gratia cui potissimum Bulgaria pertinere deberet, emisit, ibique a legatis nostris, quod juri Romano pertinerent, sunt convicti; at postmodum per Orientales Constantinopolitanosque donis ac promissionibus persuasi Græcos sacerdotes, juxta quod Grimoaldus episcopus, qui ab his se repulsum fatetur, suscipientes nostros ejiciunt, et per eumdem Grimoaldum episcopum, quia sine conscientia sedis apostolicæ, commissum sibi prædicationis officium deserens, Romam ditissimus remeavit, magnum epistolæ volumen frivolis allegationibus tanquam sub prætextu deliberatæ sententiæ synodo præsidentium implicatum apostolicæ sedi super excusatione sua remisit. In quo facto quia episcopus a Bulgaris expulsum epistola tacente se asserit, et presbyteri non se pulsos a Græcis, vel Bulgaris, sed ab episcopo circumventos, profecto dubium, quin mutuæ subsit proditionis imago, donec Christus renum rimator et cordium, in suorum servorum examine hanc in lucem protulerit, non videtur.

(*Videntur aliqua deesse sub finem.*)

ADRIANI PAPÆ II
EPISTOLÆ ET DECRETA.

(Apud Labb., Concil. tom. VIII.)

I

EPISTOLA AD LOTHARIUM REGEM.

(Anno 867.)

Quod Theutbergam solutionem matrimonii Romæ postulantem ad Lotharium redire jusserit, donec in synodo de ea re statuat. Monet Lotharium ut eam in consortium recipiat, aut si alio in loco interim consistat, promissas illi abbatias ad vitæ subsidia concedat.

Quia beato Petro apostolorum principi Dominus noster oves suas, totam videlicet Ecclesiam, pretioso jam sanguine suo redemptam, post passionis vincula, post clavorum vulnera, et crucis ludibria, atque resurrectionis gloriam, tertio commendavit dicens : *Pasce oves meas, pasce agnos meos* (*Joan.* XXI), nos vice utique apostolatus illius, Domino in omnibus B cooperante, fungentes, in virga æquitatis et justitiæ, in longanimitate benignæ humilitatis et patientiæ, gregem Domini pabulo spiritalis vitæ pascendum, et cura solerti custodiendum divina suscepimus voluntate. Os apostolatus nostri, septiformis Spiritus gratia plenum, pro regni tui stabilitate felicitateque perpetua, sempiterna nempe vera animæ salute, qua nunc et in æternum beate securiterque fruaris, o inclyte rex Lothari, vicibus indefessis aperientes, excellentiam tuam paterno monemus affectu, et jure apostolico exhortamur, quatenus malorum hominum consiliis relictis, et mortiferis persuasionibus omnimodo spretis, aurem cordis tui cœlesti, sane clavigero beato Petro in nobis loquenti aperias, omnique C animositate et inclyta mundi dilectione procul abjecta, ea quæ justitiæ ac rectitudini maxime congruunt prædicantes toto desiderio audias, evidentique perficias devotus affectu, quia non auditores, sed factores legis Deus fore justos approbat. Unde sedis apostolicæ salubrem admonitionem et correctionem venerabili sinceraque mente suscipere stude. Duo igitur a te carnis devicto illecebra dudum commissa videntur illicita, quæ ab antecessore nostro piæ memoriæ papa Nicolao censura fuerant emendata canonica. Unum, videlicet nefarium Theutbergæ legitimæ conjugis tuæ divortium; alterum vero, scelestissimus Waldradæ mœchæ concubitus : quæ non solum lex omnis divina reprobat, condemnat et fieri omnimodis vetat, sed etiam mundana prohibent jura. D De quibus nos iterum rescribere nullatenus studeremus, nisi vos a justitiæ tramite per incentiva carnis procul dubio deviasse, bonumque conjunctionis legi-

A timæ vinculum dissolvisse, et ad illicitum ac pristinum stuprum incongruis reverti velle occasionibus agnosceremus. Theutberga itaque illustrissima regina conjux vestra, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ad limina veniens, menteque devota orationis desiderium complens, nostram faciem contemplari, causasque suæ necessitatis nobis ore proprio exponere quæsivit. Quæ cum a nobis, pro amore Dei et vestro, et ab omni nostra Ecclesia honorifice, sicut oportebat, suscepta fuisset, dixit se propter quamdam corporis sui infirmitatem, et quia non legitimo vobis antea fuerit conjuncta connubio, a vestro velle separari consortio, et ob amorem Dei sæculi dignitatem et gloriam abjicere, ac sub leni jugo Christi cervicem cordis submittere. Quibus profecto auditis, et Domino auxiliante diligenter consideratis, non modico fuimus turbati stupore ; quod se pro talibus a vobis quæreret separare, cum scriptum sit dicente Domino : A Deo jungitur mulier viro, et iterum : *Quod Deus junxit homo non separet* (*Matth.* XIX; *I Cor.* VII). Et cum ipsa, sicut dixit Apostolus, sui corporis non habeat potestatem, sed vos, cui Domini est voluntate legitimo matrimonio regalique toro conjuncta. Cui sane quamvis cum vestræ voluntatis consensu atque licentia hocce supplici nimis pace deposceret, nostrum in tali voluntatis suæ desiderio consensum nullo modo præbuimus. Licentiam vero illi revertendi ad magnitudinis vestræ consortium, juraque matrimonii regalis illibata custodiendi præcepimus. Super his autem, quibus se a vobis quærit disjungere, tam repente sine multorum fratrum nostrorum consilio, et ingenti examine, finitivam nunc proferre sententiam, aut consensus nostri immaturam dare licentiam jure distulimus. Deo autem nobis salutis opem vitamque præbente, tam pro his quam etiam pro aliis ecclesiasticis causis synodum facientes, et talia subtili examine indagantes, ut secundum Deum salvi esse possitis, idonea satis intentione deliberabimus coram Deo Salvatore nostro, atque finiemus. Propter quod excellentiam tuam apostolicis monemus alloquiis, et hortamur in Domino, ne aurem nobilitatis tuæ consiliis impiorum et veritati repugnantium verbis inclines ; sed potius Dominicis et apostolicis præbens gratanter præceptis, eamdem Theutbergam nobilissimam reginam conjugem tuam dilectionis amore in conjugale consortium lætus recipias, et pro amore Dei et sancti Petri, nostroque simul, honore digno eam retinere,

sicuti corporis proprii membrum dilectum, procures Quod si ob itineris longitudinem et asperitatem, vel aliquam carnis incommoditatem, ad vos usque ipsa pervenire distulerit, elegeritque in alio proprietatis suæ loco sibi utili magis consistere, interim, donec synodus, ut prædiximus, fiat, salva et incolumis sub vestra regali tuitione atque defensione secura permaneat; habeatque in potestate sua ipsas abbatias quas ei dare ipse ore proprio promisisti, de quarum sumptibus atque reditibus necessaria possit habere stipendia dignaque subsidia. Sin vero quilibet vestrum ei aliquam fuerit molitus contrarietatem inferre, aut periculose præsumpserit nocere, sciat se a nobis perpetui anathematis vinculo esse procul dubio innodandum, et ab omni Christianorum consortio separandum; te autem, si talibus consensum præbueris, omnimodis excommunicandum.

II.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 868.)

Laudat ejus zelum ingeniique acumen in prævcavendis insidiis impiorum.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro ADONI Viennensi archiepiscopo.

Legatus cum litteris a beatitudine tua decessori meo sanctæ memoriæ papæ Nicolao destinatus, me in sede illius, quia sic Dominus voluit, ordinatum invenit. Et quia noluimus frustrare pium studium tuum, non illius vice, licet propter legati moram partim de his quæ scripsisti fraternitati tuæ respondimus. Debemus enim ei in labore succedere, cui per Dei gratiam successimus in honore. Igitur de admonitione quam per Waltarium comitem circa gloriosum regem Hlotarium exercuit sollicitudo tua grates multas rependimus. In eo quippe te præcipue industrium pastorem Dominici gregis ostendis, quo insidias lupi præcavendas esse longe positus adhortaris. Perscrutatis præterea quaterniunculis, quos idem legatus detulit, ingenium et acumen sensus tui mirati sumus, et auctorem protinus collaudamus. Verum sicut exemplaria epistolarum, quæ apostolicæ recordationis decessor noster super hac te in Gallias, et ad omnes episcopos ultra.... positos destinavit, indicant, et sicuti nonnulli primores xx, *etc., quæ in ms. codice desiderantur.*

III.

AD SYNODUM TRICASSINAM.

(Anno 868.)

Probat illorum in colligendis gestis diligentiam, et pallium concedit Wulfado. Hortatur ut Nicolai nomen scribant in diptychis, caveantque ne quidquam contra ejus acta vel decreta tentetur.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, sanctæ et in Christo diligendæ synodo apud Trecas collectæ.

Legationis vestræ scripta, beatæ memoriæ decessori meo papæ Nicolao missa, nos jam in sede illius divina dignatione locati suscepimus, promptissimamque obedientiam vestram, quam in colligendis gestis, secundum definitionem prænominati sanctissimi præsulis exhibuistis, laudavimus. Et licet ad seriem rerum gestarum luce clarius agnoscendam non sufficiant, quæ tam de Ebbonis dejectione, quam de his quæ postmodum acta sunt unanimitas vestra descripsit, et nonnulla rationi vestræ desint eorum quæ super his gesta sunt, quæque jam memoratus et semper memorandus pontifex apostolicæ sedi voluit ex integro reserari; pium tamen laborem vestræ sanctitatis et studium non solum laudabile, sed et longe lateque prædicabile judicamus. Innocentia quippe jam nunc fratris et coepiscopi nostri Wulfadi et collegarum ejus, quam quidam emergens casus per non brevis temporis intercapedinem obumbraverat, retractatione et refricatione vestræ sacratæ et apostolicæ sedis auctoritate frequenter adunatæ solertiæ, ecce, Deo gratias, venit ad lucem, et justitiæ suæ radios ad omnium omnino certitudinem foras quasi solis splendor extendit. Ideoque nos vestrum judicium, ac vestram sententiam, quam apostolicæ sedis censura, sicut exegit ordo, præcessit, approbamus, admittimus et corroboramus; atque postulationi vestræ, cui quidquam negari difficillimum est, annuentes, ad pleniorem confirmationem, usum pallii jam dicto fratri nostro Wulfado Bituricensi antistiti, secundum priorem consuetudinem, ad genium et decus ecclesiæ sibi commissæ, et instructionem ipsius concedimus. Quod etiam sæpe memoratus decessor noster jamdudum libenter annueret, si quæ nunc misistis ipse reciperet, vel si is qui hoc suscipere conabatur, a Bituricensi missus probaretur Ecclesia. Sed quod ille non egit, ecce nos egimus. Quin potius, quod ille perficere deliberaverat, nos ecce Deo auctore supplevimus. Non quippe est diversitas operis, ubi est una eademque concordia voluntatis: præsertim cum debeamus ei in labore succedere, cui successimus in honore. Nimirum qui sumus ut Psalmista canit: *Pro patribus nati filii* (*Psal.* XLIV), et constituti, quamvis longe meritis impares, super omnem universalis sanctæ Ecclesiæ terram. Precamur autem, et obsecramus in Domino, ut sicuti nos unanimis fraternitatis vestræ precibus annuimus, et assensum de cætero non solum in hoc, sed in omnibus præbere disponimus; ita quoque vos meis nunc votis satisfacere procurantes, crebro dictum apostolicæ recordationis papam Nicolaum in codicibus vel diptychis ecclesiarum vestrarum scribi, et nomen ejus inter sacra missarum solemnia imprætermisse recitari faciatis: ita ut aliis quoque fratribus, et diœceseon vestrarum sacerdotibus, idipsum agere præcipiatis. Nihilominus vero suadere vestræ dilectioni curamus, et admonemus, ut tam Græcis principibus, quam omnibus omnino clericali fungentibus ordine contra personam ejus, vel acta seu decreta ipsius, agere vel decernere quidquam tentantibus, tam verbo, quam scripto viriliter obvietis, ac validissime resistatis. Scientes præterea, quia quæcunque hic adversus ejus personam, vel decreta gerentur, me his nunquam præbiturum fore consensum:

seu eis a quibuscunque, vel quomodocunque fiant, meum interesse mentis, vel definitionis, aut dispositionis affectum. Quanquam si quilibet apostolicæ sedis misericordiam humiliter postulaverint, circa hos præmissa satisfactione mitius agere nullo modo velimus inflexibiles apparere. Tantum ne hujusmodi homines sic innocentiam suam asserere studeant, ut in accusationem tanti pontificis maximeque in Dei judicio collocati, quoquo modo prorumpere audeant : præcipue cum illum, dum advixit, nemo impetere præsumpserit, vel eum de injusto judicio arguere, vel tenuiter ausus exstiterit; nisi forte hunc quis humiliter adiit, cui ille satisfactione nondum curata jure remittere non consensit. Estote igitur circa hæc vigiles, estote fortes, et ista omnibus ultra Alpes constitutis episcopis nuntiantes, ut et ipsi quoque super his solliciti et intenti propugnatores sint, salutaribus monitis incitare. (Ivo, parte v, cap. 34.) Quoniam si sedis apostolicæ præsul, vel ipsius decreta, detestationi vel abdicationi habentur, nullius vestrum vel nomen vel institutum firmum aut stabile permanere valebit. Quin potius et dogmatibus, quæ de sancta et individua Trinitate a præsulibus sedis apostolicæ promulgantur, nonnulla possunt fieri detrimenta, si præcedentium quorumque et maxime primæ sedis pontificum statuta vel ulli, quod dici nefas est, quin et ipso auditu prorsus horrendum, a subsequentibus quibusque, imo et inferioribus, abolitioni cuidam vel damnationi subjiciantur, vel impiæ temeritatis ausu saltem soli derogationi prodantur. Sanctam fraternitatem vestram optamus nunc et semper in Christo bene valere. Data IV Nonas Februarii, indictione prima.

IV.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 868.)

De victoriis Ludovici imperatoris adversus Saracenos, cujus interim et Lotharii fratris quæ sunt, tangi vetat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio LUDOVICO glorioso regi.

Inter exordia divinitus ordinati, licet in indigno ministro, pontificatus mei, pacis studium præ cæteris virtutibus prædicandi suadendique mihi necessitas non inconvenienter incumbit. Nimirum cum etiam in ipsius Dominicæ nativitatis principio cœlestis exercitus militiæ visæ sint, quæ clamarent : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* I). Ubi profecto solerter intuendum est quia sicut tunc pastores, qui super gregem suum præ cæteris vigilaverunt, tanti tripudii videre præ cæteris gaudia meruerunt : ita nos tunc procul dubio cœlestium bonorum lætitiam adipisci merebimur, si super oves Dominicas sollicite vigilemus : ne videlicet has vel per insidias odii seu discordiæ vorax lupus invadat, vel per cupiditatem avidus ille leo deglutiat, qui docente apostolorum principe circuit quærens quem devoret. Ideoque nunc, fili charissime, opportune importune suadeo, admoneo et instanter adhortor ut pacis et dilectionis vinculum, quæ major est omnibus virtutibus et holocautomatibus (*II Petr.* I), insolubiliter in omnes et invicem observare gloria tua contendat, et inter subjectos medullitus custodiri semper admoneat. In hoc enim regni vestri status poterit incolumis tutius permanere, si vos neminem concutientes a nullo concuti dignoscamini. Præterea nolumus ignorare celsitudinem tuam, dilectissimum et spiritalem filium nostrum Ludovicum, piissimum et a Deo protectum imperatorem, non adversus sanctæ religionis filios, ut quidam, pugnare, nec contra fidei Christianæ domesticos, sed adversus filios Belial, et adversus Christi nominis inimicos, pro sanctæ Ecclesiæ, et præcipue nostra securitate, proque fidelium liberatione multorum, qui pene jam funditus apud Samnium periclitabantur, ita ut etiam fines nostros infestatio jam jamque Saracenorum invaderet. Egressus a summo sublimitatis propriæ solio, et a pacatissimæ quietis suæ fundamine, nec corpori parcit, nec æstibus, nec algoribus, nec denique ullis eventibus cedit; sed omnia incommoda, omnia discrimina pro Christi nomine tolerans, nihil est quod pro Christianorum ereptione recuset arripere, nihil est quod pro fidelium quiete ac pace declinet assumere. Denique non modicam Ecclesiæ sanctæ quietem per eum divina jam pietas operata est, non modicæ paganorum vires fortitudine superna prostratæ sunt. Siquidem sæpius eosdem tanquam mures e cavernis suis egressos ad sua latibula terga vertere compulit, et brachia contra nostros exerta potenti virtute resolvit. Quin et nobis omnibus, qui longe sumus et qui prope, magnæ securitatis præsidium condonavit, dum scilicet nonnullos eorum prostravit, nonnullos etiam ab eorum superstitioso ritu convertens, Christi fidei et veræ religionis itinera sectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus vestram commonere magno opere celsitudinem, quo non vestris motibus, non aliorum suggestionibus incitati, quidquam quæ illius sunt concutere præsumatis. Non solum autem quæ illius sunt, verum etiam quæ fratris ipsius, Lotharii videlicet gloriosi regis, consistunt, nullo commovere patiamini prorsus instinctu. Qui enim tangit ea quæ fratris ejus sunt, illa quæ ipsius sunt tangit; et qui illum livore victus commovet, hunc procul dubio commovere dignoscitur. Quamobrem suademus et dilectionem vestram his apicibus cohortamur, ut iniquis suasionibus non cedatis, nec sinistra machinantibus aures accommodetis : sed unusquisque vestrum suo jure contentus, quæ alterius sunt usurpare non tentet, nec invadere quocunque modo nitatur, quod invasum non modicum potest invasori generare sine dubitatione discrimen. Provideat ergo prudentia vestra ne jam fato desiderabilissimo filio nostro semper Augusto, causam Dei exsequenti, et hæreditatem Domini vindicanti, ac ipsius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparetur, quo sanctæ Dei Ecclesiæ quavis ex parte impediatur, vel profectus fidelium excludatur : sed potius tela vestra paganorum acies

paveant, et jacula vestra hi qui sine Deo sunt acuta reperiant. Quin penitus, secundum Apostolum, non sit vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est homines, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI). Alioquin manum apostolicæ sedis cum eodem piissimo principe fortiter esse cognoscite, et arma nostra illi munimina validissima conferentia, summo agonotheta nobis concertante, et beatorum principum apostolorum intercessione cooperante, præparata sine cunctatione prænoscite. Optamus gloriam vestram nunc et semper in Christo valere, dilectissime fili. Data pridie Idus Februarias, indictione prima.

V.

AD WALDRADAM.

(Anno 868.)

Waldradam, quia resipuisse dicebatur, Ludovici imperatoris rogatu, communioni Ecclesiæ restituit, ea lege ut ad Lotharii societatem non redeat.

Nemo plane dubitat nullum facinus esse, quod Ecclesia data sibi divinitus potestate ab eo desistentibus non possit absolvere, et pœnitentibus relaxare, cui dicitur : *Quæcunque dimiseritis super terram, dimissa erunt et in cœlis : et quæcunque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVIII, *Joan.* 20). In quibuscunque omnia sunt, quantacunque et qualiacunque sint. Quod etiam in sententia tua rationabiliter observandum est, qua licet fuerit obligata, quia tamen, sicut multorum, sed præcipue dilectissimi filii nostri Ludovici clementissimi Augusti, cui fides in omnibus adhibenda est, relatione didicimus, a nævo, quo tenebaris obstricta, resipuisse diceris, et ab obstinatione, qua videbaris annexa, discessisse narraris, pietatis tibi viscera noveris et apostolicæ sedis aperta, et tam vinculis anathematis et excommunicationis exutam, quam cunctorum Christianorum, Dei et beatorum primorum apostolorum auctoritate, societati redditam, atque communioni te gaude reductam : ita ut deinceps ecclesiam ingrediendi, et orandi, convivandique, seu cum cæteris Christianis loquendi, sit tibi auctore Deo data licentia : præfati duntaxat regis societati, propter antiqui hostis versutias, nullo pacto penitus adhærendi. Quod tamen beneficium, quanquam hoc moderatio flagitasset ecclesiastica, quæ sicut incorrectis inflexibilis, ita correctis semper debet esse flexibilis, instantiam precum et incomparabilem dilectionem desiderabilis et spiritualis filii nostri jam memorati et jugiter memorandi Augusti, tam tibi celeriter impetrasse cognosce. Cujus scilicet postulatio, sicut non nisi justa creditur, ita quoque modo postponenda non ducitur. Verum tu sic te de cætero stude munire, ut donum solutionis, quod in terra percipere cerneris, in cœlo Deo auctore veraciter capere merearis. Nam si te coram humanis oculis absolvendam exhibes, et coram Dei conspectibus obligata consistis, nec nodo cares, nec veniam impetras, quinimo et pro simulatione potiori nexu ligaberis. Etenim divino fertur oraculo (*I Reg.* XVI), quia homo videt in faciem, Deus autem cor intuetur. Ergo ne delecteris in infimis, sed superna cordis intuere semper obtutibus. Caduca sunt quæ cernuntur, quæ vero non videntur æterna consistunt. Noli rogo pro terrenis cœlestia, pro visibilibus gaudiis perdere gaudia, quæ quidem nec cogitari sufficiunt. Nullus tibi blandiatur; qui enim te beatificant, ipsi te decipiunt. Denique quantiscunque velaminibus justitia et veritas occultetur, quandoque tamen splendorem foras suæ claritatis emittet, nec poterit omnino diutius nubilo sævæ detensionis obduci. Quod, favente Deo, tam sedis apostolicæ studio, quam rectissimi principis, charissimi videlicet filii nostri, cui nunquam tortitudo quælibet aliquando placuit, sed nec placere quoquo modo poterit, sollicitudine, radios suos ut solis candor extendet.

VI.

AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

Absolutam a se Waldradam, et congruentibus monitis instructam significat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis in regno Ludovici gloriosi regis constitutis.

Sicut obstinatis et incorrigibilibus debetur vindicta, ita a conversis atque correctis amovenda est ultio et adhibenda curatio. Quapropter nos Waldradæ, quæ multorum ut refertur attestatione a pristinis et illicitis affectibus ad salutiferum correctionis iter conversa est, remedia miserationis apostolicæ sedis exhibere consensisse, illamque vinculo excommunicationis vel anathematis auctoritate Dei et principum apostolorum absolvisse cognoscite : ita ut deinceps Domini Ecclesiam ingrediendi, et orandi; convivandique, seu cum cæteris Christianis loquendi sit ei auctore Deo concessa licentia. Cui Waldradæ videlicet competentia monita destinavimus, et quæ conveniebant litteris inculcanda prævidimus.; quarum scilicet litterarum textum sibi vestra fraternitas exhiberi summopere postulet. Et quoniam ita convenit, a vobis exigendum et agnoscendum decernimus, quatenus per hoc scire valeat vestra sanctitas apostolicæ sedis austeritatis et mansuetudinis remissionis et refrenationis indicia, et moderantissimæ discretionis prorsus insignia. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data pridie Idus Februarias, indictione prima.

VII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 868.)

Respondet litteris quas ad Nicolaum de Ebbone scripserat; pallium Wlfado concedit; petit ut Actardo faveat ad vacantem ecclesiam adipiscendam.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO glorioso regi

Actardus venerabilis quondam Namneticæ urbis

episcopus, ad apostolica perveniens limina, vestræ celsitudinis epistolam detulit, quam quidem vos sanctæ memoriæ decessori meo papæ Nicolao destinastis; sed nos jam vice illius in apostolica sede dignatione ac miseratione divinæ magnitudinis ordinati suscepimus. Unde quæ ab illo flagitata sunt, nos pro viribus, indigni licet hæredes, supplere, et opitulante Christo, forte tanquam non ingrati filii paternum debitum persolvere maturavimus. Quandiu enim merita beati Petri apostoli Deo, cui omnia vivunt, non moriuntur, nequaquam fidei suæ vel sollicitudinis hæredes deficient; nec deerunt prorsus qui regulam, quam circa Deum ferventissimæ charitatis ostendit, pro quantitate virium, proque capacitate divinitus collati doni sequantur. Ipse namque quidquid ab indignis ministris negligenter agitur, supplet : ipse locum, quem olim delibatione proprii corporis Domino consecravit, quibuscunque vel qualiscunque vicarius exstet, suæ tamen claritatis lumine hodieque indeficienter illustrat. Cui etsi desunt merita successoris, sed adsunt beneficia decessoris, ac primi sedis ejusdem sessoris. Itaque de Ebbonis quondam Rhemensis archiepiscopi qualiscunque restitutionis negotio benignitatis vestræ litteris satis edocti, obedientiam et studium, quod hinc juxta definitionem apostolicæ sedis exhibuistis, approbavimus, et auctori, a quo cuncta bona procedunt, immensas gratiarum actiones persolvimus. Verum illa si essent, apostolica sedes de Ebbone ad liquidum invenire satagebat, quæ restituendis a fratre et coepiscopo nostro Hincmaro olim dejectis clericis possent aliquid generare discriminis. At vero cum nec idem Ebbo erroris alicujus defensioni, quo hæreticus quis efficitur, dederit operam, nec jam memorati clerici aliud in hoc nisi humilitatem et obedientiam exhibuerint, illa quæ de Ebbone dici possunt, quia, ut opinamur, nihil ad utilitatem proficiunt, jamjamque silentio contegantur : maxime cum et ipse, et omnes episcopi, præter Rothadum, qui causæ illius notitiam habuere, decesserint, et præ longitudine temporis ad liquidum indubie, quæ tunc acta super hoc sunt negotio, sciri non possint, atque de his qui ad Dominum migraverunt nobis facile judicare non liceat. Cum enim in manu judicii Dei consistant, si humanis diffinitionibus quidquam de his tribuatur, non solum præsumptionis, sed et damnationis est prorsus indicium. Ille quippe Ebbo suo jam Domino aut stat, aut cecidit : quod si stat, quis hunc conetur dejicere? si vero cecidit, quis nitatur erigere? nisi forte is qui sua divino judicio præponere impia temeritate deliberat. Relinquatur ergo hujusmodi Dei cunctarum intentionum scrutatoris judicio : nimirum qui, secundum Apostolum, constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, quique juxta fidei nostræ stabile fundamentum judicaturus est vivos et mortuos (*Act.* x). Præterea non modicas gratias vestræ benignitati referimus, quoniam prælatis restituendis clericis, quibus apostolicam sedem manum porrigere sensit, ipsa quoque ad laudem Dei, et reverentiam principum apostolorum, necnon et honorem sedis ipsorum, manum porrigere alacri studio procuravit. Quamobrem postulantibus jam vobis, ut primus eorum, Wlfadus scilicet frater et coepiscopus noster, pallii usu more decessorum suorum nostræ auctoritatis largitione decorari potuisset, merito condescensionis aures accommodavimus. Et quoniam in restituendis his cum sedis apostolicæ studiis concordastis et concertastis ad percipiendum quoque quod deerat, vestram floccipendere dilectionem satis inconveniens duximus. Innumeras nihilominus pietati vestræ gratias rependimus, quoniam tanta compassionis viscera circa prædictum fratrem nostrum coepiscopum Actardum, sicut ex relatione ipsius, et ex epistolæ vestræ pio affectu datur intelligi, exhibere contendit, ut dolorum et ærumnarum ipsius maximam partem vos gestare luce clarius innotescat. Verum nos votis excellentiæ vestræ consonantes, non ducimus tantum virum, et Ecclesiæ Christi pernecessarium, debere tantis involvi miseriis, vel tantis gravari, cum sit etiam ætatis maturitate maceratus, incommodis, præsertim cum et scientia non contemnenda polleat, et hunc vestri regni ecclesiarum præsulum relatio non parvipendenda commendet. Qua de re, si ejus Ecclesia, ut ipsius, et metropolitani proprii, ac multorum antistitum, necnon et litterarum vestrarum circumstantia innuit, funditus diruta, et per nonnulla curricula jam in solitudinem redacta esse dignoscitur; paganis videlicet non solum transitum, sed etiam stationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis undique locis habitatore carentibus, sublatis etiam a Britonibus, si quæ remanserant, rebus, aliam ei vacantem duntaxat concedendam decrevimus. Cujus decreti necessario instituto libenter æquum more solito præbete pro Christi dilectione favorem. Nec ei minorem, quam sua fuerat, dari volumus, cum licet hoc ipse minime postulet, ne videlicet alicujus ambitionis fama notetur, conveniat consequi potiorem. Nimirum qui inter cætera virtutum suarum insignia barbarorum rabiem sæpe perpessus, Christum confiteri, non solum coram hominibus, verum etiam coram paganis et infidelibus non erubuit. Ei ergo, cujuscunque sint numeri, merito possunt oves Christi committi, qui ipsum Christum etiam inter gladios et vincula diversaque pericula prædicare non renuit. Unde et nos illius multiplici miseriæ, et diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallii solo miserationis affectu contulimus; quod non aliter illi, nec cuilibet absque metropolitis concederemus, nisi multoties hunc exsilia, mare, vincula passum, etiam ad capitalem sententiam frequenter tractum fuisse comperissemus; et nisi hoc ipse suis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ consolationis solatio meruisset : ut scilicet habeat pro exsilio ei catena pallii ornamenta, non ad ecclesiæ cui incardinandus est perpetuum institutum, sed ad suum specialem certique temporis usum. Potiatur igitur tanti decoris ornatu, qui inter

sacerdotum infulas præcipuum tenere locum dignoscitur, quatenus etiam per hoc insigne vestra excellens admoneatur industria, et hujus sacrati muneris reverentia pium cor vestrum sollicitius ac salubrius urgeatur, quo tantus vir vestro quoque favore vacantis, etiamsi se metropolis obtulerit, Ecclesiæ moderamina consequatur : ad excludenda videlicet cuncta contra se injecta obstacula, et peragenda divinitus sibi collata episcopalia ministeria. Siquidem indignum ducimus quemquam ad apostolicam sedem, ubi semper catholicis subvenitur, tribulatum accedere, et non consolatum recedere : præsertim cum quemdam Romanorum principum, etiam a fide Christi extraneum, non debere quempiam ab imperatore tristem discedere perhibuisse quædam fateantur historiæ. Debet enim nostra compatiendi abundantia aliorum suppleri inopia : quo valeat esse mœrens cum mœrentibus, et cum gaudentibus gaudens, et non in scabellum pedum in personarum acceptione cernuus, sed consolatus queat jam Deo auctore consolari eos qui in omni pressura sunt, per Jesum Christum Dominum nostrum. Oramus gloriam nostram nunc et semper in Christo bene valere, dilectissime fili. Data VII Kalendas Martias, indictione prima.

VIII.

AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONENSIS.

(Anno 868.)

Actardum episcopum, pro quo scripserant, ecclesiæ quæ vacabit, etiam metropolitanæ incardinari jubet, eique ad afflictionum solatium pallii usum concedit.

Reverentissimis et sanctissimis confratribus et coepiscopis nostris, qui præterito anno apud Suessionicam urbem convenerunt.

Inter cætera quæ apostolicæ sedis auctoritate in idipsum convenientes, de fratre jam et coepiscopo nostro Wulfado, et collegis ipsius præterito anno synodice definistis, etiam apostolicæ sedi causam venerabilis fratris nostri Actardi, Namneticæ quondam urbis episcopi, seu tribulationes exposuistis : simul etiam hunc mirifice commendantes, quo illi a tanta sede subveniretur, unanimiter ac magnopere postulastis. Quorum relationem, sive suggestionem, tanto gratanter tanto libenter nos, jam Deo auctore illius sedis licet immerito moderamine potiti, suscepimus, quanto hanc ex fraternæ dilectionis affectu prodiisse luce clarius intelleximus. Præcipue cum et vobiscum præcessorum meorum, Leonis scilicet et Nicolai sanctissimorum præsulum, recensita scripta non parvipendendum perhibeant testimonium. Igitur illi omnium qui in concilio Tricassino inventi sunt legatione fungenti, et instantius pro hoc satagenti, pallium fratri et coepiscopo nostro Wulfado sanctæ Bituricensis ecclesiæ, sicuti jam per alia scripta significavimus, deferendum commisimus. Sed quia idem reverendus antistes, ut vestra relatio manifestat, a propria ecclesia diutino jam tempore paganorum persecutione propulsus, hac illacque peregre proficiscitur, huc atque illuc multam jam fessus

A ærumnis vagabundis incedens, valde dolemus, et ei fraterna vincti charitate compatimur : maxime cum apostolice dictum sit : *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* (*I Joan.* III.) Illud sane præcipue flentes quod tantæ scientiæ tantæque morum probitatis viro sub hujuscemodi prætextu vagante maximum dispendium Dominicis ovibus generetur : dum scilicet utilitas, quæ per hunc Ecclesiæ Christi provenire poterat, tantis jam temporibus excludatur. Qua de re secuti prædecessorum Patrum instituta, et apostolicæ sedis exempla pontificum, præcipueque beati papæ Gregorii, qui circa hujusmodi, quæ nos nunc erga præfatum antistitem Deo favente statuimus, sæpe statuisse dignoscitur, decernimus hunc sanctissimum crebro jam dictum fratrem nostrum et coepiscopum Actardum ecclesiæ, quæ forte suo fuerit viduata rectore, penitus incardinari : quatenus in ea constitutus et officia episcopalia, quæ per impositionem manus accepit, exerceat, et pastorale ministerium solemniter agens, oves Dominicas sapientiæ sibi divinitus attributæ sale condiat, et de hac lucrum conditori suo sine quolibet impedimento reportet. Si tamen ejus ecclesia, ut ipsius, et metropolitani proprii, ac litterarum vestrarum circumstantia innuit, funditus diruta, et per nonnulla curricula jam in solitudinem redacta esse dignoscitur, paganis videlicet non solum transitum, sed etiam stationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis undique locis habitatore carentibus, sublatis etiam

C a Britonibus sibi quæ remanserunt rebus, nec ei minorem quam sua fuerat dari volumus : cum licet hoc minime postulet, ne videlicet alicujus ambitionis fama notetur, etiamsi se metropolis fortassis obtulerit, conveniat consequi potiorem. Nimirum qui inter cætera virtutum suarum insignia barbarorum rabiem sæpe perpessus, Christumque confessus jam nunc Deo jure dicere debeat : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Pro cujus rei obtinendo prorsus effectu, dilecto filio nostro Carolo glorioso regi preces direximus, et ecce vestram unanimem charitatem, quo pietatis hujus operis favorem et studium curetis indeficiens præstare, præsentibus hortamur affatibus. Et ut nostram

D vultis erga vos in opportunitatibus esse benevolentiam, ita vestra erga hunc fratrem, cui manum porrigimus, vobis quoque manum porrigentibus, donec quod decrevimus effectum capiat, promptissima patescat industria. Siquidem et nos, illius multiplici miseriæ, et diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallii solo miserationis affectu contulimus. Quod non aliter illi, nec cuilibet absque metropolitis concederemus, nisi multoties hunc exsilia, mare, vincula passum, etiam ad capitalem sententiam frequenter tractum fuisse comperissemus; et nisi hoc ipse suis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ consolationis solatio meruisset, ut scilicet habeat pro-

exsilio et catena pallii ornamenta, non ad ecclesiæ, cui incardinandus est, perpetuum institutum, sed ad suum specialem certique temporis usum. Siquidem indignum ducimus, quemquam ad apostolicam sedem ubi semper catholicis subvenitur, accedere tribulatum, et non ex quavis parte consolatum recedere. Debet enim nostra compatiendi abundantia aliorum suppleri inopia, quo valeat esse mœrens cum mœrentibus, et cum gaudentibus gaudens, et consolatus jam queat Deo auctore consolari eos qui in omni pressura sunt, per Jesum Christum Dominum nostrum Amen.

IX.

AD ACTARDUM EPISCOPUM.

(Anno 868.)

Pallii usum Actardo consolationis causa concedit.

ADRIANUS episcopus*, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo ACTARDO sanctæ Ecclesiæ Namneticæ diebus vitæ tuæ tantummodo.

Si secundum divinæ pietatis viscera circa neminem consistit reprehensibilis quantacunque miseratio, quanto potius erga illos exhibenda est totius charitatis affectio, qui circa divinum cultum irreprehensibiles apparentes, diversarum dein tentationum exercitia pertulerunt, nec tamen in tentationibus Chisto propitio defecerunt? Qua de re benedicimus Deo Patri Domini nostri Jesu Christi, Deo scilicet totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. Tibique, frater Actarde, qui dira fatigatus, et diuturna captivitatis miseria quassatus, nec inter enses infidelium defecisti, quin etiam Dei providentia mirabiliter erutus et liberatus, circumquaque peregrinando procul a propria Ecclesia, procul a notis et proximis, propter eorumdem rabiem barbarorum, et continuam Britonum oppressionem, quibus, heu! nimium vicinus esse nosceris, et pene pejus ab eis quam a piratis insecutionem pateris, curriculis jam multis incedis, decus pallii pro Dei solius amore, quem inter furentium paganorum manus et gladios confessus es, prævidimus concedendum. Quo videlicet pallio, cum fueris auctore Deo nostroque decreto aliquem vacantem adeptus episcopatum, scias a nobis eidem te stabiliter incardinatum; vel si contigerit forsan in proprio, certis valeas uti temporibus. Quod non aliter tibi, nec quilibet absque metropolitis concederemus, nisi multoties exsilia, mare, vincula passo, etiam ad capitalem sententiam frequenter tracto, teste tuo metropolitano, qui et id nobis litteris innotuit, et tibi spem in sede propria non superesse significavit, hoc tua ad celerrimæ consolationis solatia tanta exigerent detrimenta, quin potius merita: ut videlicet habeas pro exsilio et catena pallii ornamenta, non in tuæ ecclesiæ perenne decretum, sed ad tuum certo tempore vitæque præsentis specialiter usum. Utere igitur, annuente Deo, pallio a nobis tibi solo miserationis et consolationis affectu collato; et, nisi sedis A apostolicæ præsulibus ingratus exstiteris, prænotato tenore illius, dum vixeris, ornare decore. Quod tamen fraternitati tuæ ad missarum solemnia tantum celebranda concedimus: in die duntaxat sanctæ ac venerandæ Domini nostri Jesu Christi resurrectionis ac nativitatis, seu ascensionis die, et in assumptione beatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, seu in natalitiis beatorum apostolorum, sive in nativitate sancti Joannis Baptistæ necnon et in natali sancti Christi confessoris Martini die, pariterque in solemnitatis ecclesiæ tuæ die, verum etiam et in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo prædecessore nostro Gregorio hujus apostolicæ sedis præsule sancitum est. In Secretario vero induere tua fraternitas pallium debeat et ita ad missa- B rum solemnia proficisci; et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam quæ licere poterant amittantur. Si quid autem de rebus Namneticæ diœceseos tam a depopulatione nefandæ gentis Northmannicæ, quam a Britannorum subreptione remansit, ad tuam decernimus sollicitudinem. Porro censemus, apostolicæque institutionis auctoritate definimus, ut nullus metropolitanorum antistitum, vel cæterorum episcoporum, in controversia criminis, si sedem appellaveris apostolicam, vel ejus speciali expetieris audiri vel discuti fortassis examine, præsumat de te proferre non nostro præmisso decreto, judicium; sed apostolicæ sedis tantum reserveris examinandus vel judicandus C incunctanter arbitrio: cujus videlicet decreto vel largitate vacanti Ecclesiæ incardinatus et palliatus esse dignosceris. Scriptum per manum Zachariæ notarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Februario indictione prima. Bene vale. Quinto Kalendas Martias, per manus Anastasii bibliothecarii sanctæ summæ sedis apostolicæ; imperante domino nostro piissimo perpetuo Augusto Ludovico magno imperatore anno XIX, et post consulatum ejus anno XVIII, indictione prima.

X.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Anno 868.

D *Laudat Hincmarum, eumque hortatur ut Carolum regem ad constantiam excitet in causa Lotharii, et ut Actardo vacans Ecclesia tribuatur.*

Reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo Rhemensi.

Licet frequens sanctitatis tuæ fama, quæ nunquam nisi cum laude semper exstitit, te nobis dudum fecerit manifestum; tamen ut virtutum probabiliumque morum tuorum prædicamenta liquidius agnosceremus, fratrum nostrorum, videlicet Arsenii venerabilis apocrisiarii sedis nostræ, quin et Actardi, sanctissimorum præsulum, necnon et dilectissimi filii mei, sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii, fecit Anastasii multis præconiis plena delectabilisque relatio. Qua de re sic animam meam tuæ dilectionis

ardorem concepisse cognosce, tanquam si millies A mutuis frueremur alloquiis. Habeto ergo nostræ repromissionis pignus, et in nobis, ut in nostris antecessoribus, fiducia tota prorsus innitere. Præterea sanctitas tua bene novit, quanta sedes habuerit apostolica in causa Lotharii regis certamina, et per præsules suos, Benedictum scilicet et Nicolaum, quot hinc labores assumpserit. Unde et nos, habentes eumdem spiritum, quem et iidem patres nostri habuisse probati sunt, eadem hinc quæ illi sequimur et decernimus. Quamobrem tuæ fraternitatis industriam specialiter admonemus, uti quod super hoc olim negotio gessisti studium nullatenus enervari consentias; sed vice nostra fretus, coram regibus et præsidibus de testimoniis Domini loqui non cesses: ita ut quod auctore Deo destructum est, nullis dolose B machinantium reædificari valeat argumentis. In quo videlicet pietatis opere, quia de regibus idem dilectus filius noster Carolus, de sacerdotibus vero tu potissimum sedi apostolicæ sedule laborant concurristis et concertastis, tuam proprie cohortamur insignem solertiam, quo et ipsa pravis viriliter obviet et prædictum piissimum regem, uti consummet bonum quod inchoaverat, indesinenter commoneat: quatenus et variarum virtutum vestrarum tunica usque ad talos pertingat, et sacrificium boni vestri operis Deo cum cauda oblatum holocaustum effici mereatur; necnon et illud de vobis dicatur, quod de Job sancto, dum a divinis non cessaret obsequiis, scriptis asseritur: videlicet ubi non legitur: Quia sic fecit Job per aliquot dies; sed, *Sic faciebat Job cunctis* C *diebus* (*Job* I). Nam et sancta animalia non post se, sed ante se gradi visa sunt, cum incederent (*Ezech.* I). Porro Actardum venerabilem episcopum fraternæ caritatis ulnis amplectere, et in opportunitatibus pro beatorum principum apostolorum amore semper auxiliari memento. Verum non hæc ideo dicimus, quasi te ille sibi compassum et misertum fuisse non prædicet; sed ut quod nunc usque proxime fecisti charitatis intuitu, nunc etiam primorum perficias apostolorum, ad quorum limina festinavit, ac præsidium postulavit, dilectionis affectu. Insta igitur opportune, importune, et quia propria caret, apud dilectissimum jam fatum filium nostrum excellentissimum regem Carolum nostra vice impetrare studeto, uti suo quoque favore vacans ei episcopalis, etiamsi se metro- D polis obtulerit, ecclesia tribuatur. Fortis enim domini bos ipso auctore consistit, et ideo plurimæ segetes ei ad trituram procul dubio commiti debent. Nam scriptum est: *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum* (*Prov.* II). Optamus fraternitatem tuam nunc et semper in Christo bene valere. Data VIII Idus Martii, indictione prima.

XI.

AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

(Anno 868.)

Ut Actardo episcopo concedat monasterium quod in ejus diœcesi o.im tenuit. Sibi curæ futurum, ut Britonibus contra ipsius ecclesiæ privilegia nihil concedat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, HERARDO archiepiscopo Turonensi.

Miserias et diras calamitates Actardi communis fratris et coepiscopi non est exponendi tuæ reverentiæ illa necessitas. Quippe cum ipsa, utpote in his socia, et pene semper contigua, earum liquidius nobis experientiam habeat: ut sicuti de sanctimonia sua credendum est, imo ut ipso antistite referente comperimus, ejus continuis ærumnis non modice compassa sit et miserta. Verum quia nostris sæpe et apud dilectionem tuam litteris adjuvari, et apostolorum principum, quorum præsidia tanto labore tantoque studio requisivit, amoris intuitu sibi quamdam proprie voluit consolationem conferri, charitatem tuam his hortamur et deprecamur apicibus, ut inter alia beneficiorum tuorum sibi collatorum insignia, monasterium illud, quod olim in diœcesi sua tenuisse dignoscitur, tua nunc consequatur ob amorem jam memoratorum apostolorum largiente benevolentia: quatenus qui suis valde destitutus esse comperitur, hinc saltem alienis sustentationibus adipisci queat suæ vitæ subsidium. Quod te negaturum profecto non credimus, si quam sit a fratre frater adjuvandus intenta mente consideres; si quam sit indignum, ut quod a benignitate tua intuitu tantorum apostolorum dilectionis deposcitur, petitor minime consequatur, solerti, sicut decet, perpendet industria. De his vero, quæ de ecclesiæ tuæ, vel diœceseos privilegiis idem venerabilis Actardus præcipue suggessit, Salomoni duci et populo Britannorum sufficienter descripsimus: quod etiam in exemplari, quod secum idem antistes deferet, experientia tua quibit agnoscere: nihilque quod contra rationem postulabunt, si fortassis ad nos eorum aliqui venerint, agnoveris eos a nobis, opitulante Domino, fore penitus adepturos. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere. Data VIII Idus Martias, indictione prima.

XII.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 868.)

Nicolaum decessorem suum miris laudibus cumulat seque excusat quod quædam ab eo severius zelo justitiæ pertractata magistra æquitate moderando mitigarit.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri ADONI archiepiscopo Viennensi.

Epistolam sanctitatis tuæ magna cum exsultatione suscepi, et relegens innumeras omnipotenti Deo grates exsolvi, quia creditæ speculationis officium non torpori tradere consentis, sed strenue cunctis quam sit in sanctæ Ecclesiæ rectoribus sollicitius exercendum, studio non contemnendo demonstras. Ecce enim pro domo Dei non segnis paterfamilias

satagis, cujus nimirum zelo comederis. Ecce pro civitate Dei ut fortis propugnator sollicitaris, cujus profecto quæ ad pacem sunt rogare non desinis. Igitur quæ pro privilegiis Ecclesiæ Romanæ vel decretis decessoris mei apostolicæ memoriæ papæ Nicolai sine mutilatione servandis hortaris, laudamus, quæ suades admittimus, et quæ moues penitus approbamus. Siquidem acta præfati pontificis tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli, quanto ipse nobis post longa tempora inter nubila præsentis vitæ quasi quoddam novum sidus apparens, et vitæ vel doctrinæ suæ fulgore auctore Deo errorum tenebras abigens, non quod abolendum, sed quod imitandum sit et fecit et docuit. Denique quis etiamsi nihil aliud rationis obstaret ejus aliqua cassari permitteret, nisi qui sua quandoque infirmanda docere voluisset. Nam ut beatus papa docet Gregorius, nimis est asperum, et præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum, nisi quempiam quacunque rationis excusatione et quæ bene sunt ordinata rescindere, et exemplo suo docere cæteros sua quandoque post se constituta dissolvere, sane si forte sunt quæ idem sacratissimus et vere Deo plenus antistes pro temporis vel causarum qualitate magistra æquitate gessit, veluti si quemquam zelo justitiæ studio corrigendi percussit, et nos ea rursus pro temporis æque vel causarum imitatione aliter moderando mitigamus, non illa cassare, sed quæ ipse cœpit consummare dignoscimur. Nam etsi ille vulnus aspero medendi genere curare cœpit, et nos leni fomento illud ad sanitatem perducere satagimus, utrique non diversum sed unum studium gerimus. Quia et ille quæ tunc congruere prospexit adhibuit, at nos quod nunc aptum fore consideramus apponere non renuimus. Si igitur ille a denibus inciperet, non sanaret : si vero asperis nos dandam filo tenus operam judicaremus, nihilominus ad sanitatis vota nullomodo pertingeremus. Si ergo te scandalizat diversitas medicamentorum, cum magis debeat ædificare una eademque inventio medicorum, imo sanitas ægrotorum. Quia et ipse si curatio languentium accessisset inter sanos et providentia divina curatos hos recipere nullatenus contempsisset. Legerat enim et inter alia hujusmodi documenta pleniter noverat dicente Domino : Videte quoniam ego sum Deus. Ego occidam et vivere faciam : percutiam, et ego sanabo. Et certe præfatus Magnus antistes Gregorius scribit : Sicut, inquiens, perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Verum hinc hoc dixisse sufficiat. Cæterum monemus dilectionem tuam, ut si qua sunt, quæ ad communem ecclesiæ pertinent utilitatem, vel quæ nostræ sedi spiritali genio convenire perspexerit, intente pertractet, et præsulatui nostro actutum scienda denuntiet. Quatenus per hoc, quantum beati Petri memoriam vel sedem diligat, et quantum illi hærere satagat, luce clarius innotescat. Sicque demum in ejus soliditate persistens, nullius auctore Deo fluctus paveat supervenientis incursum. Optamus sanctitatem tuam in Christo nunc et semper bene valere. Data VIII Idus Maii, indictione prima.

XIII.

AD BASILIUM IMPERATOREM.

(Anno 868.)

Gratias agit de Ignatii in patriarchalem sedem restitutione.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio, et christianissimo imperatori BASILIO a Deo protecto, semper Augusto.

Quoniam, tranquillissime imperator, audisti vocem Dei, per apostolicæ sedis officium tibi delatam, et honorasti eximios ejus apostolos, et restituisti Ecclesiæ Constantinopolitanæ throno proprium pastorem, repellens adulterum, benedictus sis ab omnipotente Deo, et videas subjectionem inimicorum, et temporis longitudinem, ac in solio tuo de lumbis tuis hæredem, atque in futuro vitam perpetuam; si tamen ab iis quæ bene cœpisti non discesseris, sed usque in finem in eis perseveraveris, o spiritalis et dilectissime fili; licet, vobis quolibet modo agentibus, a decretis sanctæ memoriæ præcipui decessoris mei papæ Nicolai, quæ de Photii depositione, et recuperatione Ignatii fratris et consacerdotis nostri promulgavit, nunquam quoquomodo discedamus. Tanto enim volumus illius decretis concordare, quanto ipse, cum hæc ageret, divinis præceptis concordare studebat. Nam et hoc necessarium est ut, custodiens prædecessorum meorum decreta, doceam post decessum meum et mea quoque ab iis qui post me fuerint nullo modo violanda. Postquam autem cognovimus quod misericors Deus imperium vestrum simul et affectum ad hoc erexerit, ut dispersa congreget, et quæ ceciderant erigat, et contrita resolidet; fiducialiter possumus, Deo gratias, deposcere, ut ii qui abjecti sunt, ab imperio vestro recipiantur, et ii qui dispersi congregentur. Quapropter prudentissimum virum Theognostum honorabilissimum exarchum vestræ fiduciæ remittentes commendamus; qui legatione, tam pro fratre et comministro nostro Ignatio, quam pro cæteris contribulatis functus, per septennium apud principis apostolorum limina ut peregrinus et incola vixit, et eorum confessionibus memoriam vestram assidue commendavit; et a die adventus sui usque ad præsens pietatis vestræ præconia enarrare, et Ecclesiæ manifestare vulnera, et horum medelam exigere non destitit. Nunc ergo, quoniam et iste unus ex illis est qui postquam lupus factus est pastor, continuo dispersi, et a vobis pie omnia regentibus iterum congregati sunt, revocetur et ipse petimus, et in mandra fidelium omnium a clementia vestra locetur, et inter lætantes pios filios paterno affectu post longæ captivitatis reversionem connumerari mereatur; et ob amorem Dei et protectorum vestrorum principum apostolorum honorem, a quorum

regimine proficiscitur, mansuetudinis vestræ auxilia sentiat, ex post turbationem serenitatem, et tempestatem tranquillitatem, et post multa adversa optatæ prosperitatis effectum, quatenus per patronorum vestrorum intercessiones, principum videlicet, a quorum sede remittitur; et quorum principatum pro Ecclesia vestra, quæ valde fluctuat, die ac nocte interpellare per multa curricula non cessavit; a misericorde Deo, quem in famulis ejus honoratis, et hic vobis felicitas continua, et inimicorum subjectio et in futuro æterna gloria et infinita præmia, insuper et regnum cœleste cum sempiterna vita præstetur. Optamus imperium vestrum in Christo nunc et semper valere, o spiritualis et dilectissime fili. Data Kalendis Augusti, indictione prima.

XIV.

AD IGNATIUM ARCHIEPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 868.)

Conqueritur papa quod non quamprimum ab ipso de restituta dignitate certior factus fuerit; Theognastum illi commendat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, honorabilissimo fratri et consacerdoti nostro IGNATIO, sanctissimo patriarchæ Constantinopolitano.

Convenerat, sanctitatem tuam, licet nos ad sui adjutorium primum minime provocaverit, saltem nunc super restitutione sua, quæ facta dicitur, lætificare nos, anhelantem proprias nobis litteras destinare. Verum, licet hoc minus studuerit agere, saltem gratiam divinæ miserationis, quæ in te mirabiliter operata est, non taceres. *Secretum enim regis*, secundum quod ab angelo Tobiæ dicitur, *celare bonum est, opera vero Dei enarrare, mirificum* (*Tob.* XII). Verumtamen consolatur nos: conscientia, quæ non tantum nos, quantum apostolicæ memoriæ decessorem meum beatissimum papam Nicolaum, non tam pro te quam pro charitatis custodia decertasse testatur. *Si enim, qui diligunt nos tantum dilexerimus, quam mercedem habebimus?* (*Matth.* V) At quoniam frater noster es, si viderimus te necessitatem habere, et clauserimus viscera nostra a te, quomodo charitas Dei manet in nobis? (*I Joan.* III) Igitur scito quia in iis quæ decessor meus sanctæ memoriæ papa Nicolaus pro persona tua et iis qui tecum in tribulationibus non defecerunt, insuper et pro Ecclesia Constantinopolitana plurimum laborans statuit et definivit, et nos similiter manemus et permanebimus; et sicut ipse ad horam mortis suæ usque, tam pro te, quam pro iis qui tecum sunt, in præfata Eeclæsia nequaquam cessavit procurans, ita et nos, auctore Deo, usque in finem in opere pietatis hujus nulli torpori dabimus operam; debemus enim ipsius sequi laborem, cui gratia Dei, successimus in honore. Præterea communem filium Theognostum, reverendissimum exarchum, et dilectum nobis, ecce ad vos transmisimus, qui ex persequentibus æmulatoribus tuis illinc nudus salvatus, quin et mutato habitu vix huc pertingens vitam lucratus est, deinde

A apud memorias apostolorum per septem ferme annorum curricula ut hospes et advena demoratus. non tantum propriam miseriam, quantum sanctitatis tuæ pressuram, et Constantinopolitanæ Ecclesiæ calamitates pene incessanter deflebat; ita ut non solum antea jam dictum decessorem meum, sed et me postea nocte ac die indeficienter erigere, et pro statu tantæ Ecclesiæ, et erectione vestra crebris suasionum stimulis latera percutere; et quemadmodum angelus quondam : *Surge, Petre, accipe fortitudinem ad salvandas gentes* (*Act.* V), per singulos dies nobis dicere non cessaret; quousque auditum, Deo præstante, suscepit, quod ardenter semper in pectore bajulabat.

Qua de re, frater dilectissime, sanctitati tuæ hunc B commendantes, rogamus et deprecamur, quatenus circa se sentiat beneficii tui propositum : et sicut vestræ factus est communicator passionis, ita sit et consolationis; etenim *dignus est operarius mercede sua* (*I Tim.* V); non autem, ut familiaris noster factus, sed et ut a sede principis apostolorum susceptus, hic debet ob amorem ejus, non qualemcunque in conspectu sanctitatis vestræ gratiam invenire. At vero, si ad apostolicam sedem quosdam mittere disposueris, hunc specialiter volumus præ cæteris mitti; ut et de prosperitate tua, quemadmodum et optamus, gratificari, dispositionem et ordinem et causam Ecclesiæ Constantinopolitanæ, secundum diligentiam quam de omnibus nos ecclesiasticis negotiis certissime scire velle cognoscit, apostolatui C nostro referre maturet. Commendamus autem sanctitati vestræ et Euthymium gloriosissimum spatharium, qui Romam imperialem ferens legationem, primus nobis et Ecclesiæ nostræ de fraternitate vestra quod semper optavimus annuntiavit, et divinam circa te misericordiam, et sanitatis tuæ recuperationem innotescens, omnes gratulabundos effecit. Pro quo rogamus, ut et iste sentiat in opportunitate præsidium vestrum, et affectu amoris nostri protectionis vestræ solamina consequatur. Optamus tuam sanctitatem nunc et semper bene valere, dilectissime frater et comminister. Data Kalendis Augusti, indictione prima.

XV.

D *Allocutio papæ Adriani ad concilium quod convenit contra Photium, lecta per Joannem archidiaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

Cum debeamus, o fratres et filii dilectissimi, Dominici agri strenui et solertes esse cultores, et spiritualibus ad purgationem ipsius cœlestium præceptorum uti ligonibus, oportet, ut si quas in eo spinas, si qua germinare venenosa conspicimus, pari labore unanimique zelo hæc radicitus exstirpare studentes, arripiamus examinis rastrum, et falcem judicii concordi certamine proferamus, ne quæso in nos exprobrantis affectu dicatur : *Messis quidem multa; operarii autem pauci* (*Matth.* IX). Consonanter autem, charissimi, laboremus, et in agro Dominico jugiter quidem, sed nunc potissimum opere-

mur, quando videlicet in Ecclesia, quæ apertissime Dominicus ager appellatur, auctore Photio, nova præsumptio et inaudita est orta temeritas. Siquidem hic Photius, cum adhuc mundanus minister esset, genuinam quodammodo semper invidiam adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium Constantinopolitanum patriarcham in pectore gestans; et ad præsulatus culmen non gradatim, vel sensim conscendere, sed præcipitibus eo superstite passibus transilire gestiens, semetipsum ab ejusdem beatissimi præsulis communione fecit extraneum: et per hoc ab universali Ecclesia, quæ ipsi beatissimo patriarchæ communicabat, se reddidit prorsus exsortem, atque inter schismaticos procul dubio constitutus, contra sacros apostolicos canones sæcularibus usus potestatibus, Ecclesiam Constantinopolitanam tyrannica et adulterina temeritate pervasit tandem, videlicet indebita usurpando, foras ostendens, quod intus prohibita concupiscendo, cordis antro gerebat, et simulationis velamine contegebat, nil esse profecto intelligi dans causam scissionis a patriarcha suo, vel desertæ communionis a tota Ecclesia, nisi pessimos anhelitus ambiendi pontificatus infulas, et sublimioris obtinendi dignitatis et potestatis habenas; quibus nimirum deinceps abusus, et repente non mente sed habitu mutatus, exsilia et diversa discrimina, sed et mortes in Christi sacerdotes et cæteros fideles, tot ac tantas intulit, ut Diocletiani sævitiam imitari per omnia videretur. Propter quæ vel his similia sanctæ memoriæ decessor meus Nicolaus hujus apostolicæ sedis antistes, fraterna victus charitate, primo quidem non solum per missos, sed et per litteras illum merito reprehendens, competenter admonuit, et nullo se pacto in ejus posse promotione præbere consensum, scriptis idoneis patefecit. Deinde vero intuens nihil se proficere, sed magis ac magis ad ulteriora ejus extendi tyrannidem, auctoritate simul divina et apostolica fretus, sedis apostolicæ, cui præsidebat, pontificum morem secutus, *in promptu habens*, secundum Apostolum, *omnem ulcisci prorsus inobedientiam* (*II Cor.* x); hunc ad erectionem ab eo elisorum, et innumerabilium refrigerium afflictorum, regulari sententia, quia, sicut ipsi nostis, corrigere non potuit, deponendo prostravit, et anathematizando ab ordine, quem latronis more sortitus fuerat, sequestravit. Cujus rei gratia idem Photius inflammatus, non solum non est reversus ad percutientem se, nimirum qui durior silice nec dura verbera sensit, et imitatus diabolum, nec postquam e cœlo cecidit, superbire cessavit, verum etiam conventicula malignorum sæpe congregans, synagogam sanguinum, cui ut princeps latronum ipse præsedit, collegit: et ante quidem, ut sævissimus patricida, patrem suum Ignatium reverendissimum patriarcham proprium perculit, et ad lucem pervenire, nisi exstinctione parentis, posse desperans, hunc instar atrocis viperæ perimere crudeli morsu non metuit. Post hæc vero posuit in cœlum os suum, et lingua ejus transiit super terram, dum videlicet contra divinam ordinationem, cœlitus in beati Petri principis apostolorum primatu dispositam, putridi gurgitis guttur aperuit, et adversus ejusdem regni cœlestis clavigeri apostolicam sedem, et præcipuam ac summam dignitatem et potestatem, linguam suam more serpentis excandit; vitam scilicet decessoris mei beatæ recordationis papæ Nicolai lacessere nullo modo metuens, nec nobis, qui ejus vix digni famuli, ut non dicam sequaces, exstitimus, parcere utcunque consentiens, sed utrosque maledictis impetere, quantum in se fuit, et blasphemis inficere verbis existimans, falsitatis præstigia fingere conatus; et nescio quæ Pythonica est somnia vel argumenta, compilando procul dubio, commentatus. Et certe quis ille Pater noster, vel quantus aut qualis exstiterit, omnes qui morum ejus insignia, vel virtutum tropæa recolitis, plenius agnovistis; quomodo scilicet in hujus tetri caliginoso sæculi cursu sero tandem sicut novum sidus apparuerit, quinimo quasi Phœbus in æthere præ cunctis astris effulserit; quomodo hunc nec blanda quæque frangere potuerint, nec aspera perturbare; quomodo etiam nec mundi principibus, Michaeli scilicet et Bardæ contra justitiam faverit; quos nimirum, se murum opponens pro domo Domini, sæpe redarguit, et his inique agentibus frequenter intrepide restitit. Ergo, dilectissimi fratres et filii, considerate quid super hujusmodi temeritate sit nobis agendum, vel, quid de conciliabulo illo, vel profanis ipsius actis per ministerium nostrum existat, fore deliberandum, quid etiam de iis qui interfuerunt, vel manu propria subscripserunt, sic ab unanimitate omnium nostrum definiendum, intente tractate, et libere singuli quæ sentitis edicite. Ego tamen pro lege Dei, pro paternis conservandis canonibus, pro veneratione apostolorum, pro privilegiis defendendis sedis ipsorum, proque sanctæ mentionis decessoris mei papæ Nicolai prædicanda memoria, et sequentibus actibus, atque celebrandis definitionibus, non solum varia incommoda perpeti, verum etiam more sanctorum prædecessorum meorum pontificum in promptu habeo, si necesse sit, mortis sustinere discrimen.

XVI.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 868.)

Commendat illi ecclesiam Laudunensem, dum Hincmarus episcopus Romam venit: Northmannum vero, nisi ablata restituat, excommunicari jubet.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo Rhemensi

Illustrem Hincmarum Lugdunensem episcopum, desiderio visendorum sanctorum apostolorum liminum anhelantem, et libenter amplectimur, et adventum illius non solum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Augusti stare audeat, gravitate apostolica, scientes illum tali voto spiritaliter posse proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, sicut

auctoritas apostolica, sic faveat et episcopalis humanitas: quatenus episcopatus ejus omni careat per vestram sollicitudinem detrimento, dum prædiorum suorum, perverse a Nortmanno possessorum, liberalitate vestra per intercessionem nostram fuerit potitus augmento. Quapropter et Nortmannum scito auctoritate apostolica continuo ab ecclesiastica communione, nisi præsentialiter se omnibus Lugdunensis Ecclesiæ rebus exuerit, per tui oris officium repellendum, et venerabilem virum Hincmarum episcopum, si proposito Romam veniendi abusus, quod bene vovit, reddere non studuerit, transgressoris judicio, quod Deus averterit, puniendum. Quicunque igitur a tempore quo Romam venire cœperit, usque in id quo, Christo duce, ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius Ecclesiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam episcopatum ejus sanctitati tuæ specialiter post regem servandum committimus, tandiu se noverit sacramento corporis et sanguinis Domini fore privandum, quandiu sanctæ Lugdunensi Ecclesiæ, et tibi, ipsiusque pontifici, legitime, imo canonice fuerit satisfactum. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere.

XVII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 868.)

Commendat regi Ecclesiam Laudunensem, dum ejus episcopus Romam venit.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO excellentissimo regi.

Illustrem Hincmarum Lugdunensem episcopum, desiderio visendorum sanctorum apostolorum liminum anhelantem, et libenter amplectimur, et adventum illius non solum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Augusti stare audeat, gravitate apostolica, scientes illum tali voto spiritaliter posse proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, sicut auctoritas apostolica, sic faveat et humanitas regia: quatenus episcopatus ejus omni careat per vestram sollicitudinem detrimento: dum prædiorum suorum, perverse a Nortmanno possessorum, liberalitate vestra per intercessionem nostram fuerit potitus augmento. Sicut enim gaudemus cum serenitatem tuam erga statum ecclesiasticum, more prædecessorum principum, liberalem tam litteris audimus quam vocibus: sic nimirum, cum eam in aliquo distrahentem extra consuetudinem suam comperimus, tota valetudine contristamur. Quapropter et Nortmannum scito auctoritate apostolica continuo ab ecclesiastica communione, nisi se præsentialiter omnibus Lugdunensis ecclesiæ rebus exuerit, repellendum; et venerabilem virum Hincmarum episcopum, si proposito Romam veniendi abusus, quod bene vovit, reddere non studuerit, transgressoris judicio, quod Deus averterit, puniendum. Quicunque igitur a tempore, quo Romam venire cœperit, usque in id quo, Christo duce, ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius ecclesiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam episcopatum ejus gloriæ vestræ specialiter servandum committimus, tandiu se noverit sacramento corporis et sanguinis Domini fore privandum, quandiu sanctæ Lugdunensi Ecclesiæ, et vobis, ipsiusque pontifici legitime, imo canonice fuerit satisfactum. Optamus regiam excellentiam vestram sanctæ sedis apostolicæ scita consuetudinaliter observantem in Christo semper valere.

XVIII.

AD IGNATIUM ARCHIEPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 869.)

Ut gradu dejiciantur episcopi a Photio ordinati. Joannem metropolitam Silæi commendat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri et comministro nostro IGNATIO patriarchæ Constantinopolitano.

Nec scriptura pandere, nec profecto lingua sufficit enarrare, quantas, o dilectissime frater, pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ statu, atque pro tua specialiter erectione, certaminum palæstras decessor meus sanctæ memoriæ papa Nicolaus cum subjecta sibi Ecclesia indesinenter exercuit, et usque ad melioris vitæ transitum toleravit, adeo ut in ipso suæ migrationis articulo pro commendanda causa tua, vel Ecclesiæ tibi divinitus commissæ, nec scribendo sibi pepercit, nec pro hac, si non loquendo, saltem innuendo, cessaverit; donec officium duntaxat oris amitteret, et oculos penitus obseraret. Cujus affectum et nos quoque sumentes, sicut divina gratia ei successimus in honore, ita et merito successimus in labore, et sicut sudorum ejus et dispositionum tunc exstitimus communicatores, ita quoque nunc optamus et satagimus esse in cunctis observatores. Quanto vero gaudio quantaque simus exsultatione repleti, percipientes auditu, quod de sanitatis tuæ recuperatione jugi gestabamus affectu, nec os exprimere nec calamus prævalet exarare. Unde benediximus Deo, et totius cordis jubilatione laudavimus, excitanti videlicet dilecti filii nostri Basilii principis et Augusti ferventissimum spiritum, non solum ad vindictam malefactorum, verum etiam ad laudem bonorum scilicet qui eripuit Ecclesiam Dei, dum quotidie, quia non consensit adultero, traheretur tam ad corporis quam ad animæ mortem, instar utique Danielis sanctissimam eripientis Susannam a sententia mortis, quam impudici presbyteri, qui videbantur regere populum Domini, non autem regebant, sed potius Photii more perdebant, nequiter extorserunt. Præterea quæ præfatus apostolicæ recordationis pontifex regulariter ac synodice tam de schismatico et mœcho Photio, et ordinatione, imo exsecratione ipsius, atque Syracusano Gregorio, quam etiam de te specialiter et de compatientibus tibi sanxerit et definierit, tenore valebis ejus epistolarum, quas super his diverso tempore Constantinopolim destinavit, patenter ediscere. Verum si ad notitiam tuæ beatitudinis non pervenerunt, a missis nostris has accipiens, ad instructionem tuam et monumentum fu-

turorum reserva; cognoscens interim, et certissime sciens nos a decretis ejus nullo modo discessuros, sed ejus sicut locum, ita et studium possidentes, ipsius, quantum ratione magistra possumus, vestigia secuturos: quatenus ad lucernam mandatorum ejus in hujus caliginosi sæculi loco gradientes, inoffensis pedibus, Deo duce, incedere valeamus. Quamobrem et in his, super quibus a nobis dispositiones et discretiones exigis, nil sequendum præter ejus divinitus inspirata decreta conspicimus; præ omnibus et super omnia Gregorium Syracusanum; et Photium tyrannum et quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab episcoporum numero vel dignitate, quam usurpative ac ficte dedit, merito sequestrantes. Primo, quia Photius Maximo, et ordinatio ejus, vel potius exsecratio, istius ordinationi pene in cunctis videtur esse simillima. Secundo, quia sic se habet per decessorem meum apostolicæ sedis decretum, cujus judicium nusquam præcipiunt sacri canones retractari, dum tamen censeant eam in aliorum quæque renovanda seu definienda negotia perscrutari: nosque convenit, ut prætulimus, ejus in omnibus constituta sectari. Tertio, quia Photius vir forensis, curialis, neophytus, invasor, atque adulter, nec non et anathemate condemnatus existens, nihil habuit se [*f.*, quam se] sequentibus propinaverit. Photio certe, præsidente auctore, dictum est ab anathematizatis: Consecratus non solum non accipit Spiritum sanctum, sed et quod antea habuit flamen aufertur ab eo: verum quamvis hoc tyranni Photii dictum favore, ipseque super hujusmodi sententia delectatus, cum male a se promotis, ei consensum præbuerit, quamvis etiam non iis, de quibus hoc frustra dictum est valeat coaptari: quia tamen veraciter dictum est, eorum magis damnationi procul dubio congruit, qui ab anathematizato et damnato Photio, per impositionem manus, non lucrum, sed vulnus in capite susceperunt. In quo ergo judicio judicaverunt, secundum Evangelium (*Matth.* VII), judicandum est de eis, et in qua mensura mensurati sunt, est eis utique remetiendum, atque pro magno illis habendum, si saltem sero ad te pastorem suum, quem post Christum olim jam, et per Christum utique consecuti sunt, repedantes, ac sine majori temporalique promotione, Domino contrito corde humiliatoque spiritu famulantes, bona studuerint exspectare futura. Cæterum de Paulo Cæsariensi, de quo sermo a te multus est habitus, interim, quod de cæteris qui a Photio promoti sunt, decrevimus observandum, jure statuimus. Præterea persecutionum tolerantia, vel palæstræ certaminum quas adversus tyrannum vel mœchum pro veritate multipliciter exercuisse testaris, suam habent profecto mercedem, et immarcescibilem præstolantur a cœlestium bonorum largitore coronam. Sane cætera Ecclesiæ beneficia largissime consequatur, et honore competenti, tam apud sanctimoniam tuam penes omnes, merito perfruatur. De his autem sacerdotibus vel clericis qui a beatæ memoriæ patriarcha Methodio, vel a sanctimonia tua consecrati sunt, hæc forma servabitur, ut siquidem sunt inter eos qui, gratia Dei, confortante invasori Photio restiterunt, per nullumque modum inhonorantiæ vel contumeliæ fraternitatis tuæ, aut putativæ depositioni communicaverunt, sed et varias tecum ob hoc tribulationes et exsilia, quin et depositiones pertulerunt; hos beatos, et ter beatos dixerim, et inter Christi confessores connumerandos decreverim; adeo ut habeant insignem in ea, quæ apud vos est, Ecclesia locum, et præcipua circa dilectionem tuam fiducia perfruantur; ita ut secundum multitudinem dolorum ipsorum, consolationes tuæ animas eorum lætificent, more scilicet Dei qui reddet singulis secundum opera ipsorum. Porro cæteris qui ex consecratione fraternitatis tuæ sunt, et sive sponte sive vi se ad Photium contulerunt, si sub satisfactione libelli, cujus exemplar missis nostris commisimus, ad te remeaverint, quamvis contra professionem vel subscriptionem suam egerint, ac multipliciter adversus summum sacerdotium tuum, et in contemptum sedis apostolicæ exarserint, eos generaliter in suis gradibus confirmantes, ignoscendum decrevimus. Discipuli enim sumus mitis et misericordis Magistri, *qui*, apostolorum principe teste, *passus pro nobis, nobis reliquit exemplum ut sequamur vestigia ejus, qui peccatum non fecit*, ut nec scilicet lucrifaceret, *nec inventus est dolus in ore ipsius: et tamen cum malediceretur, non remaledicebat, et cum pateretur, non comminabatur* (*I Petr.* II). Si qui autem ex iis sunt qui aliter vel in Deum, vel adversus constituta Patrum, quia et ipsa Dei Spiritu probata consistunt, deliquisse vel excessisse probantur, hos volumus, adhibita sibi nostra quoque auctoritate, a pontificio tuo regulariter examinari, et paternis definitionibus amodo et deinceps omnino submitti. Cum enim beatus Petrus Domino non dicat: *Si peccaverit in te, sed in me, frater meus, dimittam ei usque septies?* (*Matth.* XVIII) apte datur intelligi ea nos fratribus impunita posse dimittere, quæ in nos, non quæ in Dominum, vel in Dominica constituta, patrantur. Dicit enim Scriptura: *Si peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos; si autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo?* (*I Reg.* n.) Sane hos qui in nefando conciliabulo, quod in injuriam et derogationem sedis apostolicæ Constantinopoli factum est, voluntarie subscripsisse probantur, cujuscunque sint ordinis vel professionis, nulla venia dignos esse, nisi multa miseratio ejusdem, quam lædere nisi sunt, apostolicæ sedis occurrat, evidentissima ratio docet, et multifaria majorum sanctio manifeste demonstrat

Quin et universalis Chalcedone habita synodus adeo hujusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia quam in Dioscorum protulit, hoc maxime memorare videatur, cum de ipso dicit (*conc. Chalced.*, act. III): Secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit: præsumpsit enim et excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Pri-

rem autem iniquitatem, pravitatem utique dicit hæreticam. Unde nota quod Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani papæ dictata patravit, etiam hæresim Eutychianam valde transcendisse referatur: hinc et Anatolius ait: Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni.

Nam et adversus reverentiam tuam inter cætera hanc unam calumniarum in te illatarum, quasi accusationem texuerunt æmuli tui, opinantes videlicet, tanquam in contemptum reverendæ mentionis papæ Benedicti erectus, in contumeliam illius, nec epistolam ejus suscipere, dicti Dioscori more, consenseris. Quia ergo in causa, quam in te impingere fallacibus accusationibus tentaverunt, illi veracibus probationibus inveniuntur obnoxii, idcirco ipsi potius judicium quod judicaverunt subire, et sententiam quam protulerunt incurrere, Simonis nexibus irretiti, jure debent. Ergo fraternitas tua caret necesse est, ut sententiarum capitula, quæ synodice in Ecclesia Dei, ubi sanctum corpus apostolorum principis Petri requiescit, pro abolendis profanis conciliis, Constantinopoli a Photio, tam adversus sedis apostolicæ reverentiam, quam adversus sanctimoniam tuam congregatis, communi consonantia promulgavimus, apud vos in synodo cunctorum subscriptione roborentur, et in singularum archivis ecclesiarum provide recondantur. Postremo reverendissimum et sanctissimum communem fratrem nostrum Joannem metropolitam Sylæi beatitudini tuæ magnopere commendamus: de quo videlicet fraternitatem tuam nolumus ignorare, quoniam quibuscunque mœroribus vel molestiis ex tot accidentibus vobis incommodis cor nostrum fuerit vulneratum: quia sicut scriptum est: *Legatus fidelis sanitas* (*Prov.* XIII); ita medicamento ipsius fidelis legationis, quod in vobis hinc turbide diuturna hucusque mœstitia sauciaverat, est sanatum: ut pene nil residuum, quod exinde sanitate indigeat, idem vir prudentissimus in pectore nostro reliquerit. Quamobrem consolatione multa dignus habendus, et a sancta fraternitate tua quiete, refrigerio, et omni est veneratione ditandus, atque in ecclesiasticis negotiis diligentissime moderandis irremote tenendus; propter quæ videlicet ipse pericula infinita, non solum per mare, sed et per aridam gradiendo sustinuit; quin potius penes nos demorans, et causa tui jugiter pulsans, et continuas nobis molestias irrogans, neque qualibet sibi ferias contulit, nec ullam quotidiano labori nostro requiem dedit. Sanctam fraternitatem vestram optamus nunc, et semper, et in Christo bene valere, dilectissime ac sacratissime comminister. Data quarto Idus Junii, indictione secunda.

XIX

AD BASILIUM IMPERATOREM.

(Anno 869.)

Gratias agit ob ejus pietatem erga sedem apostolicam. Delinquentibus indulgeat, excepto tamen Photio schismatico. Capitula Romana contra Photii pseudosynodum Constantinopoli in synodo cunctorum subscriptione roborentur. Basilium Petrum, Zosimum et alium Basilium petit sibi tradi. A bono proposito nolit recedere.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, Deo amabili ac piissimo imperatori BASILIO Augusto Christianissimo et desiderabilissimo filio.

Legationis excellentiæ tuæ præstantissimos gerulos ad antecessorem meum apostolicæ recordationis papam Nicolaum destinatos, nos licet indigni, quoniam ita Dominus imperavit, vices ejus adepti suscepimus innumerasque laudes et gratiarum actiones tota mente totaque prorsus intentione Deo persolvimus; nimirum, qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus, quique omnia jura regnorum, omniumque continens potestatem, his tuum diebus suscitavit cœlitus protectum imperium, per quod apostolica sedes ipso auctore cœptum pro Ecclesia Constantinopolitana pietatis opus consummaret, et ejus jam jamque removens funditus casum instauraret, tandem aliquando gratulabunda, qui mole ceciderat, statum, et mercenario, quinimo lupo rapace non parcenti gregi, penitus sequestrato, rectorem ei redderet proprium, et pastorem reformaret legitimum. Igitur, o quam vobis est illa laudabilis et omnibus veneranda, quam, inquam, est sedes apostolica laudabilis, et merito, a cunctis mortalibus efferenda, quæ semper catholicis subvenire consuevit, quæ semper gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus non cessavit! Sed et tu, felix imperator, et multis præconiis dignus, qui verborum semina divinorum, non ut ager petris, aut spinis, aut vepribus occupatus, sed ut terra bona corde bono suscipiens, fructum multiplicem attulisti, et quasi verus Ecclesiastes, mox perceptis habenis imperii, Ecclesiæ paci consulere magis quam ad cæteras res humanas attendere procurasti, ac per id alter quodammodo Salomon, id est *pacificus*, temporibus nostris apparuisti: audisti quippe verba Dei Patris tui, et non dimisisti legem Ecclesiæ matris tuæ; adeo ut, quod decessori tuo pro ea suggerebatur, ipse perfeceris. Et quia, secundum Scripturam, *nemo est qui possit corrigere quem Deus despexerit* (*Eccle.* VII), eo incorrecto, divina permissione deficiente, ipse correctiones ejusdem ecclesiæ operari satagis. Intellexisti enim, ut litteræ tuæ mansuetudinis innuunt, quibus vulneribus sauciata, te cœlitus consecuto imperium, quæ apud vos est, manebat Ecclesia; et quod hæc sedes hujuscemodi mederi posset vulneribus, magistris fidei nostræ scrutatis, liquido didicisti. Atque ideo hæc curare cupiens apostolicæ sedis decreti remedium sanissime requisisti; cujus nimirum medicamentis Ecclesia Constantinopolitana, sæpe præsulibus ejus languentibus, infirmata, pristinam sospitatem vigoremque resumpsit. Nam quibusdam ipsorum nonnunquam errantibus, quibusdam vero imminentis persecutionis injuriam sustinentibus, hæc semper subvenire non

destitit, illis scilicet tramitem directionis ostendens, istis pietatis manum semper extendens.

Itaque, fili charissime et venerabilis semper Auguste, noveris, quidquid erga sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium, vel circa schismaticum Photium, divinitus inspiratum et justitiæ zelo succensum te litteris intimas peregisse, nobis et universæ Occidentalium Ecclesiæ per omnia placuisse; præsertim cum nil egeris præter quod [*fort.*, præter ea quæ] apostolica sedes cum totius Hesperiæ præsulibus jamdudum agendum [agenda] decrevit, et, nulla mora interveniente, perficiendo mandavit : quæ videlicet cum his omnibus propter id cœlitus protecto imperio tuo grates multifarias reddunt, et humillimæ obedientiæ tuæ præconia laudibus eximiis indagare [inclamare] non desinunt. Porro de sacerdotibus vel cæteris qui contra pacem Ecclesiæ facientes, unitatem ejus scindere præsumpserunt, et in fratrem et coepiscopum nostrum multifariam commisisse probantur; super quibus etiam decretum ab apostolica sede clementia tua more priscorum principum postulat : sciat dilectio tua quia sicut diverso modo deliquisse referuntur, ita diversis eos definitionibus subjici non inconvenienter oportere perpendimus. Quorum tamen differentias apostolicæ sedis legatis, una cum fratre et comministro nostro Ignatio convenientibus, quemadmodum nobis desuper datum est, moderandas commisimus. Verum quia pietas tua cum ecclesiastica misericordia nos circa illos ad id quod humanius est exhortatur, te nolumus ignorare quoniam ultra quam dici possit hinc, fateor, mœrore comprimimur immensoque dolore constringimur, eos nimirum non solum beatæ memoriæ decessoris mei papæ Nicolai, quibus et ipse subscripsi, justis sanctionibus creberrime percellentibus, verum etiam sanctorum Patrum regulis severissime, seu quodammodo peremptorie punientibus. Verumtamen propter pacem Ecclesiæ facilius obtinendam, propterque tantam multitudinem, si tamen resipuerint, misericorditer liberandam, ut cum sancto Gelasio papa dicamus (*epist.* 6) : Necessaria rerum dispensatione constringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum prædecessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quod et nos æqua possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi, et temporum necessitati consulendo penitus imitari; Photii duntaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis interim prorsus excipientes, eamque [*fort.*, eumque] passim et præter examen nullatenus admittentes. Dicit enim altisona Ecclesiæ tuba, sanctus videlicet sedis apostolicæ papa Leo, cujus sententiam quidquid ubique catholicum est, velut cœleste miratur, celebrat, et veneratur oraculum : Cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum quod non doceatur fuisse collatum? Neque enim inter Photium mœchum et Maximum Cynicum, a synodo secunda damnatum, vel inter ordinationes hujus et illius distinctionis aliquid esse conjicimus. Atque ideo pari fine constringi debere videntur, qui par habuisse cum eo principium modis omnibus comprobantur. Siquidem et juxta quod præfatus magniloquus pontifex universis per Cæsariensem Mauritaniam constitutis episcopis scribit (*epist.* 91): Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Et infra : Non ergo in cujusquam persona prætermittendum est, inquit, quod in statutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerat contra divinæ legis præcepta collatus. Et certe fidelissimus et prudentissimus vir Basilius imperialis spatharius et preces vestras nobis pro his in perceptis ordinibus recipiendis multiplices detulit, et adeo constans et continuus penes nos in precibus perstitit, ut si non legitime recipi posse quoquomodo crederentur, ipsius, ut ita dicamus, insolentia victi, recipiendos esse profecto statueremus.

Verum et circa hos post reversionem missorum nostrorum, postque rerum gestarum nobis expositas differentias, et indagatas liquidius personarum, culparum et provectionum qualitates, atque distantias, si quid miserationis impartiendum, docente Deo, apud quem omnia possibilia sunt, nobis fuerit reseratum, non erimus penitus inflexibiles; nimirum qui semper ad omne bonum cupimus existere suasibiles. Volumus ergo, per vestræ pietatis industriam, illic numerosum celebrari concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, et culparum personarumque differentias liquido cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant : in quo videlicet sacro cœtu exsecrando vanitates concilii, quod adversus sedis hujus actum est prorsus injuriam, cuncta decernimus exemplaria, prorsus a possessoribus suis ablata, in mediumque delata, contemplantibus cunctis, igni cremari; nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem unum iota, vel unum apicem, nisi forte quis totius clericatus, imo totius nominis Christiani dignitate, anathemate perculsus, carere voluerit. Non enim nos tam detestandum collegium, nisi Ariminensi sub Constantio, vel Ephesino a Dioscoro congregato latrocinio comparandum decernimus. Accendatur circa protectorum tuorum reverentiam, beatorum videlicet apostolorum principum, fili dilectissime, tuæ zelus pietatis, et tantorum ficta commenta præstigiorum remanere nullo modo penes aliquem patiatur : sed et si quisquam hæc defendere, vel occultare, sibique in posterum fortasse reservare tentaverit, tua publicis legibus promulget multiplex sapientia, quid hujusmodi persona post imperiale debeat edictum redargutionis incurrere, vel quantum conveniat, si non correctionis, saltem correptionis incidere; quatenus per hoc, pura de cætero conscientia, cum Psalmista veraciter canere valeas : *Odivi*

congregationes malignorum, et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas, etc. (*Psal.* XXV). Insuper exhortamur, et salubri suadere studio procuramus, ut imperatoriæ instantiæ vestræ annisu, sententiarum capitula, quæ synodice in ecclesia Dei, ubi sanctum corpus apostolorum Petri principis requiescit, pro abolendis profanis conciliis, Constantinopoli a Photio, tam adversus sedis apostolicæ reverentiam, quam contra fratris et comministri mei Ignatii pontificium congregatis, communi consonantia promulgavimus, apud vos in synodo cunctorum subscriptione roborentur, et in singularum archivis ecclesiarum provide recondantur. Porro divinitus protectum imperium tuum precamur, ut Basilium, Petrum, Zosimum, et alterum Basilium, qui scelerum suorum conscii, et cupiditatis ardore succensi propositum deseruerunt, et sine commendatitiis litteris Constantinopolim properaverunt, ad nos per præsentes apostolicæ sedis missos remittat; quatenus dum professionem, et loca, quæ propter Deum primitus elegerunt, repetierint, et tibi cœleste præmium conferatur, et illis suarum lucrum animarum, divinitate propitia, concedatur : alias autem, si sanctorum Patrum regulæ calcari minime, vel contemni tentantur, eos impune profecto nullus penes se retinere prorsus audebit : apud nos quippe a rudimentis ablactati, et sanctæ sunt conversationis habitum consecuti, quin et in monasteriis nostris officium presbyteratus adepti : interim tamen eos, quod sint excommunicati, donec ad nos redierint tanquam sacrorum violatores canonum, cognoscere volumus.

His ita prælibatis, obsecramus divinitus redimitum tranquillitatis tuæ caput, in cœpto pietatis opere circa fratrem et consacerdotem meum Ignatium persistere, atque a decretis apostolicæ sedis in nullo quoquomodo deviare, sed promulgationibus ejus arctius hærens, a proposito noli recedere, et quousque unitas fiat Ecclesiæ, nulli stude, quæsumus, desidiæ cedere. Nemini quippe profuit unquam bonum ut cœpisse, et minime consummasse. Quamobrem, regnum quod temporaliter assecutus es, perenniter adipiscaris coronamque pro corruptibili capias incorruptam, hoc pietatis opus perficere satage, perfectumque coram summo agonotheta Christo repræsentare decerta. Postremo dilectos fratres meos, Donatum scilicet sanctæ Ecclesiæ Ostiensis, et Stephanum sanctæ Ecclesiæ Nepesinæ reverendissimos et sanctissimos episcopos, atque filium meum Marinum apostolicæ sedis diaconum, consiliarios nostros, tuæ commendantes pietati, precamur ut eos ob amorem præcipuorum apostolorum Petri et Pauli, a quorum sede mittuntur, benigne suscipias, et tanquam nobismetipsis aures credulitatis accommodes; familiaritatis videlicet tuæ fiduciam illis impendens, et præfatos in eis eximios intercessores tuos apostolos reverenter attendens, quos ut celeriter ad nos remittas obnixe deposcimus. Cupimus enim tam de sanctæ Ecclesiæ redintegrato statu, quam de incolumitatis tuæ concesso divinitus dono, semper in domino gratulari; ac per [propter] hoc hortamur et deprecamur, ut apud vos nullam moram sustinere faciatis, sed tuæ benignitatis solatio freti velociter de omnibus, quæ illic secundum Deum geruntur, nos adventu suo constituant lætiores.

Commendamus etiam clementiæ tuæ tam reverendissimum et sanctissimum fratrem nostrum Joannem metropolitanum Sylæi, qui a fratre et coepiscopo nostro Ignatio ad sedem apostolicam directus est, quam etiam gloriosum et spectabilem virum Basilium imperialem spatharium, qui cum eo a Deo conservando tranquillitatis tuæ imperio destinatus est, qui tanta, postquam illinc profecti sunt, offendicula (ut didicimus, pertulerunt, ut nullum properantes pene periculorum, quæ Paulus in Epistolis suis dinumerat (*II Cor.* XI), evasisse videantur. Quapropter dignis sunt vicissitudinibus a pietate vestra remunerandi, qui pro ecclesia Christi, proque injuncta sibi a pietate tua legationis consummatione tot ac talia subire promptissime consenserunt. Alterum vero nominatum in scriptis tuis metropolitam, Domino dispensante, non vidimus; quia enim, sicut iste a reverendo patriarcha Ignatio, ita seorsum ille a Photio tyranno mittebatur. Volens Deus ostendere non in duo Ecclesiam suam fore scindendam, quod videlicet malum Jeroboam quondam in Israel rex impius egit (*III Reg.* XII). Nolens etiam nos auctoris hujusmodi schismatis nec ipsam quoque visionem percipere, antequam ad nos perveniret, justo judicio suo pelagus cooperuit eum; et qui populum diviserat, Dei divisa est super eum aqua, devenitque in profundum tanquam lapis. Verum si forte movetur a Deo redimitum imperium vestrum, quia præfati legati penes nos diutissime morati sunt, precamur, et obnixe flagitamus, non eis imputetur, nimirum qui, ut dimitterentur, non horis, non momentis, non denique clamantes atque pulsantes ullis intervallis parcere consentiebant, sed instantibus et irremotis laboribus, et sollicitudinibus omnium ecclesiarum Dei, quas secundum Apostolum circumferimus (*II Cor.* XI), ascribatur.

Non enim requies ulla nobis nec otium fuit, a die perventionis eorum, tunc videlicet Ecclesiæ, quæ apud vos est, causam tractantibus; nunc aliarum quoque partium mundi negotia more [motu] perpeti disponentibus; præsertim cum ad hanc solam controversiam, qua pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ commotione petimur, digne modificandam, licet prolixum fuerit, ipsum tempus non sufficere crederetur revera, quam interius, et omni diligentia nos oportebat examinare, ac eorum quoque qui longe sunt fratrum et coepiscoporum nostrorum super hoc consensus, imo consilia præstolari. *Salus enim*, teste Salomone, *ubi multa consilia* (*Prov.* XI). Non enim in aliquem horum hinc indignetur vestra tranquillitas, nos non propriæ voluntatis impedivit aliqua tarditas, sed multiplex prohibuit numerosarum ecclesiarum per industriam nostram sublevandarum pro-

perare necessitas. Piissimum imperium vestrum gratia superna custodiat, eique omnium infidelium gentium ferocitates ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ potenti virtute substernat.

XX.

AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI.

(Anno 869.)

Hortatur ut Carolum regem deterreant ne invadat regnum Lotharii, et ut Paulum ac Leonem legatos suos benigne suscipiant.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus gloriosis ducibus, comitibus, et cæteris primatibus in regno Caroli excellentissimi regis constitutis.

Omnes quidem virtutes Christi cultoribus sectandæ sunt, sed nulla utilius quam pax cum dilectione mutua inter omnes, et maxime inter sublimiores personas, custoditur et colitur. Quanto enim quis sublimior, tanto ad mores suos quosque trahendum constat esse facilior. Ideoque his præsentibus opportune moneo, suadeo, et exhortor apicibus, quo pacis bonum in omnes, sed præcipue inter sublimiores mundi principes, ædificare et construere satagatis. In hoc enim dilecti filii mei regis vestri regnum citius poterit incolume permanere, si neminem ille concutiens, a nullo concutiatur. Non autem ignorare vos credo, qualiter desiderabilissimus et spiritalis filius meus Ludovicus, piissimus et a Deo protectus imperator, non ut quidam adversus sanctæ religionis filios, non contra fidei Christianæ domesticos, sed adversus filios Belial, adversus Christi inimicos, præcipue pro nostra securitate, proque multorum liberatione fidelium, qui finetenus apud Samnium, et circumquaque regiones, jam jamque periclitabantur, ita ut etiam fines nostros infestatio propemodum Sarracenorum invaderet, egressus a summo sublimitatis propriæ solio, et a pacatissimæ requiei suæ fundamine, non corpori parcat, non æstibus, non algoribus, non denique ullis eventibus cedat: sed omnia incommoda, omnia discrimina pro Christi nomine tolerans, nihil est quod pro Christianorum ereptione recuset arripere, nihil est quod pro fidelium quiete ac pace declinet assumere. Denique non medicam Ecclesiæ sanctæ quietem per eum divina pietas operata est; nec modicæ paganorum vires fortitudine superna prostratæ sunt. Siquidem sæpius hostes, tanquam mures cavernis suis egressos, ad sua latibula terga vertere compulit, et brachia contra nostros exerta potenti virtute dissolvit. Quin et nobis omnibus, qui longe fuimus et qui prope, magnæ securitatis præsidia contulit: dum scilicet nonnullos eorum postravit, nonnullos etiam ab eorum superstitione convertens, Christi fidei et veræ religionis itinera sectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus, vestram commonere dilectionem, quo præfato glorioso regi vestro, et filiis ejus suggerere satagat, et prudenti consilio suadere contendat, quatenus nec suis moribus, nec aliorum suasionibus impulsus, quæ tanti principis et tam pii Augusti sunt, invadere vel

A sollicitare consentiat; eorum videlicet, quæ cum sint in regno gloriosæ memoriæ Lotharii quondam regis germani sui, ad se suffragantibus cunctis legibus, non tam pro fraterna successione, quam pro paterna dispositione, hæreditario jure pertinere probantur. Qui enim concutit fines, et sollicitat homines, qui sub moderamine quondam jam nominati regis erant, illa quæ Dei sunt, et Ecclesiæ utilitati conveniunt, concutit: et qui hunc avaritia victus commovet, magnum procul dubio Ecclesiæ dispergit augmentum. Iniquum præterea est ut quod fratres sibi mutuo, pro integra inter se ac nepotes suos custodienda parte regnorum, quam singuli distincta sorte perceperant, juramentis terribilibus spoponderant, impia prævaricatione violetur, vel cujusquam cupidinis fomite temeretur:
B cum potius pio conveniat affectu fratrem fratri, ac patruos nepotibus, totius præsidium conferre juvaminis, et secundum promissam invicem juramento fidem, omnis auxilium præstare solatii. Præcipue jam fatum inclytum regem vestrum, qui hunc nepotem suum, magnum scilicet Augustum, de patris proprii dextra, cum omnibus quæ ad eum pertinere viderentur, ad fovendum roborandumque pro viribus veluti secundus pater accepisse dignoscitur. Iniquum autem et instar sacrilegii est, ut qui se ultro pro salute fidelium, et maxime pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris suæ defensione, tot periculis offert, a cœpto pietatis alicujus factione stimulatus recedat opere, atque ad patriam coactus vindicandam procedat hæreditatem. Verum quisquis suo vitio tam sancto
C labori, cupiditatis æstibus accensus, aliquod impedimentum præstiterit, condignam profecto, apostolica sede sanciente, luet cum suis fautoribus ultionem. Unde si quisquam vestrum hujus diabolicæ ambitionis auctorem secutus fuerit, vel ei quoquomodo in rapinis concupiscenti favorem contulerit, anathematis vinculis innodabitur, ac pro hoc a regno Domini separatus, cum impiorum omnium capite, quod est diabolus, merito deputabitur. Attendat ergo rex prudentissimus, vestris quoque probabilibus consiliis adhortatus, ne iniquorum suasionibus cedat, nec sinistra machinantibus aures accommodet: sed proprio jure contentus, quæ sua non sunt usurpare non tentet, nec invadere quocunque modo nitatur, quomodo invasum non modicum potest invasori generare
D discrimen. Ne itaque jam memorato dilectissimo filio meo, domino semper Augusto, causam Dei exsequenti, hæreditatem Domini vindicanti, ac ipsius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparet, quo sanctæ Dei Ecclesiæ quavis ex parte impediatur utilitas, vel profectus fidelium excludatur. Alioquin manum apostolicæ sedis cum eodem piissimo principe fortiter esse comperiat, et arma nostra illi munimina validissima conferentia, summo agonotheta nobis concertante, et beatorum principum apostolorum intercessione cooperante, præparata sine cunctatione prænoscat. Hos præterea missos apostolicæ nostræ sedis, Paulum et Leonem venerabiles episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace et concordia

sanctæ Dei Ecclesiæ illuc destinavimus, ab reverentiam principum apostolorum Petri et Pauli benigne suscipite, et ea quæ vobis pro utilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum perducere festinate. Optamus gloriam vestram in Christo bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXI.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CALVI CONSTITUTOS.

(Anno 869.)

Ut Carolum regem deterreant ab invadendo regno Lotharii, et Paulum ac Leonem missos a se legatos benigne suscipiant.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris in regno Caroli gloriosi regis Ecclesiam Domini gubernantibus.

Inter exordia pontificatus mei pacis studium præ cæteris virtutibus prædicanti suadendique arripuisse memini. Quippe qui noverint quod in Dominicæ nativitatis principio cœlestis militiæ visus sit exercitus, qui clamavit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Ubi profecto solerter attendendum est, quia sicut pastores, qui super gregem suum præ cæteris vigilaverunt, tanti tripudii videre præ cæteris gaudia meruerunt: ita nos qui pastores dicimur, tunc cœlestium bonorum lætitiam adipisci merebimur, si super oves Dominicas sollicite vigilemus; ne videlicet has vel per insidias odii seu discordiæ vorax lupus invadat, vel per cupiditatem avidus ille leo deglutiat, qui, ut princeps apostolorum scribit, rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr.* I). Ideoque, fratres charissimi, nunc etiam id ipsum repeto, id ipsum oportune vel importune suadeo, prorsus efflagito. Quamobrem ut pacis seu dilectionis vinculum, quæ major est omnibus virtutibus et holocautomatibus, vestra quoque sanctitas insolubiliter inter omnes, sed præcipue inter sublimiores personas observari doceat, indesinenter adhortor. Quapropter illud a vobis exigo, ut solliciti existentes, si quos senseritis velle filii nostri gloriosi regis vestri Caroli fortassis animos ad invadendum regnum, quod defuncto quondam inclyto rege Lothario, ad dominum desiderantissimum filium nostrum piissimum imperatorem rediit, jureque hereditario illi debetur, nequiter incitare; vos, qui spirituales estis, horum carnales voces, quin potius et ipsum excellentissimum regem, ac filios ejus tanquam veri episcopi, a tanto compescere piaculo studeatis. Quinimo ad favorem et opem ejus hunc inflammantes hortemini, atque sicut eum in fide sua tanquam alter pater suscepit, ita foveat, et hunc ut proprium genitum amplectatur. Iniquum enim, et instar sacrilegii est, ut qui se ultro pro salute fidelium, et maxime sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris scilicet omnium Dei ecclesiarum, defensione, tot mortis casibus offert, alicujus factione stimulatus, a cœpto pietatis recedat opere, atque ad patriam vindicandam procedat hæreditatem. Non enim debet paternam hæreditatem ille dimittere, qui, Deo gratias, non ignorat Naboth Jezrahelitam pro sola paterna vinea, etiam contra regem impium defendenda, usque ad mortem lapidum pervenisse (*III Reg.* XXI). Verum si et labor alicujus ambitione impediatur, quoniam paternum deseri patrimonium subripientibus non oportet, per quem quid tale contigerit, una cum fautoribus et sectatoribus suis, dignam paremque animadversionem exsolvet. Et si quis vestrum tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugerit, vel non resistendo consenserit, non jam pastoris, sed mercenarii nomine se noverit fore censendum: et quia jam non pertinebit ad eum de ovibus, non pertinebit consequenter de pastoralibus dignitatibus. Hos præterea missos apostolicæ nostræ sedis, Paulum et Leonem venerabiles episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace et concordia Dei Ecclesiæ illuc destinavimus, ob reverentiam principum apostolorum Petri et Pauli benigne suscipite, et ea quæ vobis pro utilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum ducere festinate. Optamus sanctam fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 869.)

Benevolentiam suam Hincmaro pollicetur, eumque hortatur ut operam suam interponat, ne regnum Lotharii quisquam invadat. Legatos denique Paulum et Leonem commendat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo Rhemensi.

Sanctimonia tua quam fuerit apostolicæ memoriæ papæ Nicolai familiaris, non forte dedit oblivioni. In cujus videlicet familiaritatis sinu nos quoque te recipientes, fiduciam penes apostolatum nostrum fraternitati tuæ gratanti mente offerimus. Præterea noveris misisse nos epistolas quasdam in Gallicanarum partium regiones, tam reges, quam præsules, et omnes omnino regnorum primates, ad comprimendum ambitum, et unicuique jus proprium reservandum, competenter admonentes, cohortantes, suadentes, contestantes, prohibentes, et deterrentes. Cujus rei sollicitudinem sanctitas tua speciali quodammodo certamine suscipiens, vice nostra tam reges quam cæteros Dei vel mundi ministros, admonendo, suadendo, et prohibendo, a cupiditatis vel avaritiæ vitio comprimat et compescat: ut scilicet unusquisque suis contentus alienum non subripiat, non sollicitet, non usurpet. Præcipue ut regnum quondam regis Lotarii, quod charissimo filio nostro domino imperatori jure debetur, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se conetur inflectere. Quoniam si per hujuscemodi temeritatem charitatem scindere, concordiam dividere, invidentiæ facibus inardescere, cupidatis æstibus anhelare, propinquitatem

telo crudelitatis percellere, scandalum in Ecclesia Dei generare non pertimescit, non solum per mediocritatis nostræ ministerium, Deo auctore, viribus infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum diabolo, quem super hoc imitatur, omnino locabitur. Tua vero reverentia, si in hoc strenue secundum datam sibi divinitus sapientiam laboraverit, nostræ sibi, ut prætulimus, familiaritatis fiduciam non dubitet modis omnibus tribuendam, nec diffidat benevolentiæ nostræ benignitatem, cum necessitas exegerit, suis opportunitatibus adfuturam. Hoc præterea missos apostolicæ nostræ sedis, Paulum et Leonem venerabiles episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace et concordia Dei Ecclesiæ illuc destinavimus, ob reverentiam principum apostolorum Petri et Pauli benigne suscipe, et ea quæ tibi pro utilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, ore cordis percipiens, ad effectum ducere festina. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXIII.

AD PROCERES REGNI LOTHARII.

(Anno 869.)

Post mortem Lotharii regis, hortatur ut fideles sint Ludovico imperatori illius fratri, cui regnum hæreditario jure debeatur.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus primatibus et gloriosis comitibus consistentibus in regno domni Lotharii, quondam magni imperatoris, et genitoris domni Ludovici imperatoris.

Perfectæ procul dubio charitatis est bonum, secundum Apostolum, gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus (*Rom.* XII). Unde quia Lotharius quondam rex vester divina de hoc sæculo jussione migravit, vos de obitu ipsius valde tristes effectos, et lugubri doloris ingentis amaritudine, utpote viros fideles, repletos esse cognoscimus, carnalique affectu ejus nunc transitum flere : noster non minus apostolicus animus vobis compatiens et condolens, non solum pro æterna illius requie atque salute, sed etiam pro præsenti consolatione vestra, pro pace, concordia, et unitate, quam vos ex toto corde sequi, et fideli omnino devotione amplecti ceu Christi membra nullam habentia maculam, quæ instantem aut futuram mortis perniciem vobis possit inferre, incunctanter, ut oportet, flebilibus Dominum precibus precati sumus. Et quotidie suppliciter exoramus ut et illi, qui carnali obiit conditione, vitam perpetuam, et vobis misericordiæ largitate consolationis, pacis, et unanimitatis affectum et desiderium inspirare donareque dignetur. Quoniam ipse est, qui nos paterno more virga justitiæ corripit, ac purgationis mœrore affligit et ipse nos in omni tribulatione nostra clementer consolari dignatur, ut possimus sustinere, nunquamque deficere. Quamobrem, filii charissimi, apostolicæ sedis magisterio plurimum debentes, nos, qui per supernam gratiam apostolorum principis fungimur vice, omniumque ecclesiarum Dei curam et sollicitudinem nobis a Domino præ cæteris delegatam habentes, antequam antiquus noster adversarius mentes vestras occultis et impiis nequitiæ suæ versutiis corrumpat, et morbo insanabili sauciet, armis præcincti divinis, occurrere, salubribusque vos informare præceptis debemus : quibus humiliter obedientes, sicut omnes qui ab initio Deo placuerunt, salvi esse possitis, dicente Domino in Evangelio : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Quapropter charitatem vestram, o charissimi in Domino filii, apostolica tuba monemus, et cœlesti magisterio exoramus, ut pro regni stabilitate, vos nunc in eadem fide, mentisque sinceritate, generaliter omnes satagatis consistere circa dilectissimum ac spiritalem filium nostrum, domnum Ludovicum imperatorem Augustum, quam circa divæ memoriæ quondam Lotharium imperatorem patrem illius mundo pectore conservastis : ut nullus mortalium, cujuscunque sit dignitatis et gloriæ, vos ab apostolicæ sedis præcepto monituque salubri possit modis aut argumentis quibuslibet revocare, vel a via veritatis in obliquum deflectere, nec ullius præcepta magis quam beati Petri apostoli, per os nostrum prolata, vobisque utiliora, *jucundis* percipere auribus studeatis. Quoniam ipsi et paterno et hæreditario jure secundum legem et rationem hoc regnum debetur, et per paternæ hæreditatis successionem summopere pertinet : quippe cum eum præfatus genitor illius, quondam imperator, constituerit imperatorem, regnique totius hæredem præ cæteris sublimaverit natis. Sicut Isaac quondam Jacob filio suo benedicens, dominum illum Esau constituit (*Gen.* XXVII) : ita et huic cæteris prælato totum omnino est a patre concessum imperium. Quem ipse adhuc vivens imperiali voluit et consensit una vobiscum ab apostolica sede diademate coronari, sceptroque potiri sine dubio augustali permisit. Ideo nobilitatem vestram monemus et obtestamur in Domino, ut nullatenus ab eodem vos spiritali filio nostro Augusto quibuslibet promissionibus vel minis alicujus separare, dividereque tentetis; sed illi quandiu superna vixerit voluntate, in omnibus veluti proprio seniori, proprio imperatori, justoque hæredi regni obedire, fidemque illæsam more solito conservare, studioque sagaci semper attendite, ut Dei omnipotentis et sancti Petri gratiam, nostramque plenariam habere mereamini benedictionem, et apostolicæ communionis consortium. Nam quem ex vobis contraria tentare nitentem, atque apostolicæ sedis monitis in contemptum beati Petri apostoli cœlestis regni clavigeri spretis, ad aliam se partem conferre cognoverimus, velut infidelem, et ecclesiasticæ paci ac saluti contrarium, a nostri apostolatus communione non solum alienum habebimus, sed etiam anathematis vinculo jure meritoque alligare omnino curabimus, et nos secundum apostolicæ privilegium dignitatis et potestatis, ipsum excellentissi-

mum ac spiritalem filium nostrum, domnum Ludovicum imperatorem Augustum, regni hujus provinciæ, scilicet Galliæ totius, regem, dominum et imperatorem, sicuti jam olim a Deo præordinatum esse constat, et ab antecessoribus nostris pontificibus statutum multis videtur indiciis, habemus, et quousque superfuerit ipse, eum habere studebimus. Quod sane regnum si tyrannus aliquis, contra divinam et apostolicam voluntatem, invadere præsumpserit, apostolicæ sine mora sustinebit ultionis censuram. Optamus nobilitatem vestram unanimi devotione consistere, et in insolubili charitatis vinculo manere conjunctos.

XXIV.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 870.)

Regem increpat quod Lotharii regnum invaserit, et sedis apostolicæ legatos contempserit: mandatque ut regno illo excedat, et alios legatos benigne suscipiat, Joannem videlicet, Petrum, Wibbodum ac Joannem episcopos, et Petrum presbyterum cardinalem.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

[a] Sacrorum itaque dogmatum evidentissimis documentis et apostolicis informamur exemplis, ut mitius agere debeamus cum mitibus, et severius per justitiam delinquentes corripiamus. Sed neque nos Deo placere possumus, si pastoris vicem suscipientes, non opus pastoris, sed mercenarii latibula præstolamur, et veniente lupo fugimus, ne solatium conferamus. Super quibus illud cavere debemus, quod Dominus per prophetam loquitur, dicens: *Canes muti, non valentes latrare* (*Isai.* LVI); et rursum: *Væ pastoribus*, inquit, *qui pascebant semetipsos* (*Ezech.* XXXIV), et reliqua. Quod si cunctis pastoribus Dominici gregis Dominus pro desidia væ generaliter dicit, tanto magis nos illam sententiam formidare debemus, quanto præ omnibus et pro omnibus, non solum honoris, sed etiam oneris in humeris nostris pondera quoque gestamus. An non pro te, rex, rationem coram Domino ponere compellemur? si, ut illud interim sileamus, quod missos apostolicæ sedis more regali recipere contempsisti, sanctum tuum non reprehendimus, et spiritali zelo redarguere desistimus, quando contra divinam, sanctorumque Patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei sponsionem, qua jurejurando pollicitus es, ne aliena, et præcipue fratrum tuorum regna concupisceres, aut invaderes, regnum quondam Lotharii imperatoris, quod spiritali filio nostro, domno Ludovico Augusto filio ejus, juxta divinas et humanas leges debetur, præsumpsisti invadere, et in reatum perjurii incidere non formidasti. Nunquid a mente excidit, quod vestra vestrorumque juramenta sedi apostolicæ destinata discussimus, roboravimus, et in archivo nostro hodie illa recondita retinemus? Quod si nec tibi ista sufficiunt, tunc ad majoris reprehensionis tuæ cumulum tuis te specialibus sententiis convenimus, et ut ad cor tuum redeas, ex oris tui professionibus incitamus. Quando igitur Ludovici, fratris tui filii, superatus viribus, regnum perdidisti, nunquid non epistolam, quam habemus præ manibus, sedi apostolicæ direxisti? in qua inter cætera confessus fuisti dicens: Cum fratribus nostris post Fontanicum bellum in unum convenimus, et, inter nos divisione regnorum facta, pacem fecimus, et jurejurando juravimus, quod nemo nostrum regni alterius metas invaderet. Nunc autem regno meo juramentis spretis invaso atque sublato, misereatur vester apostolatus, et ne nomen Christi blasphemetur in gentibus, sine vindicante facinus non relinquatur. Ecce qualiter aliena tibi concupiscere minime convenit: ecce tibi ostensum est, quod juramenta publice facta contempta sunt. Postremo ad fortioris tuæ reprehensionis indicium, aliquantisper monstratum est, quod et te impunitum dimittere non debemus. Qui quod alii facere precabaris, nunc in simili opere tibi facere justo nos oportet judicio, et te de tuis actibus increpare: præcipue cum apertius demonstraris, quod labiis tantum, et non corde, devotum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, veluti in epistolis ad decessores nostros et nobis a te directis continetur, te jactitares esse filium. Et nunc adeo devotio fidei tuæ cassata est, ut jam, quia convenientibus responsis missos nostros a te minime dimisisti, nobisque rescribere callide omisisti, missos tuos vel epistolas, quas te missurum indicasti, hactenus ad contemptum apostolicæ sedis non direxisti. Quod si quis alius tale tibi dedit consilium, fidem circa te minime veram servavit: si autem in hoc tuo tantum consilio usus es, minus regalis excellentia quam debuit fecit. De pacis vero et concordiæ unitate, cujus nos inter piissimum Cæsarem et te mediatores esse debere suggesseras, libentissime suscepimus, et agere cœpimus. Sed illi contra hostes Christiani nominis dimicanti, pro liberatione populi Dei multis laboribus insistenti, et bella Domini præliando, Sarracenorum multitudinem superanti, ut pax fieret, cedere noluisti: quin potius non ut pacis amator, sed ut scandali concitator, etiam et tyrannidis manifestissimus executor, pacis tempus non es præstolatus: quia postquam hæc illi callide mandare curasti, domni imperatoris regnum magis ac magis invasisti, sollicitasti, ordinasti, et homines ipsius regni ad tuam fidelitatem jurare fecisti. Cui talia facere pertimesceres, nisi ipse tantis laboribus ad perpetuam pacem sanctæ Ecclesiæ diu noctuque pro Christi amore fidenter hæreret. Qui a cœptis bonis, in quibus illi te solamina oportebat conferre magis, quam Christianum populum contra fidem debitam persequi, manum et opus non subtrahens, dubium

[a] *Sacrorum itaque dogmatum.* Caroli ad singula hujus epistolæ membra responsionis meminit Adrianus in epistola 29. Legatos autem quos a Carolo rege contemptos ait, Paulum et Joannem episcopos intelligit. Sirm.

non est quod omnipotentem Dominum ad hæc peragenda sibi propitium faciet, et de hostibus Christiani nominis triumphum cito percipiet. Sed his succincte prolatis, quoniam, ut prædiximus, sicut omnium pondera in humeris nostris gestamus, ita omnium actus prævidere debemus, ne pro humanis favoribus nos hæc dicere quis existimet, si forte accideret ut principes nostri, quibus a te pervasum regnum jure debetur, sibi illatas injurias non vindicarent; nos usque ad veram emendationem, quia omnes salvare volumus, perjuria illa, atque invasionum tyrannides impunitas nullo pacto dimitteremus : quia non ambitione regni, sed justitia commovemur, et non terrarum spatia quærimus, sed ex debito vitiis ac pravitatibus quibuscunque resistere vigilamus. Igitur ut interim perpaucis gloriam tuam conveniamus, monemus, et auctoritate apostolica quibus possumus modis spiritaliter suademus, paternoque affectu præcipimus, ut jam tertio monitus ab invasione regni spiritalis filii nostri Christianissimi principis te penitus subtrahas et compescas, aliena non concupiscas, et quod tibi non vis fieri, illi non facias. Noli justis tuis competentibusque tibi rebus injuste captas tyrannice sociare, ne et juste possessas amittas, et injuste pervasas justo Dei judicio te ambisse pœniteat. Nos etenim, quoniam salvum te consistere cupimus, et ut anima corporeque felici successu polleas anhelamus, nisi saltem nunc nostris, aliisve salubribus parueris monitis, ut et prius inobediens nostræ spiritali censuræ constiteris, nullo pacto, nulloque prætermittemus ingenio, quominus, Deo juvante, partes illas nosmetipsi petamus, et quod nostri est ministerii penitus peragamus. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, Wibbodum, et Joannem, reverendos episcopos, nec non et Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque familiarem nostrum, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia et amore, benigne suscipias, et utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colas. Ipsis enim, quæ pagina reticuit, tibi dicenda injunximus : et ideo quidquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admitte : et ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigila. Optamus gloriam tuam in Christo nunc et semper bene valere. Data v Kalendas Julii, indictione III.

XXV.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 870.)

Ut regem moneant, ut a regno Lotharii abstineat, et legatos benigne suscipiant.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis constitutis.

Nuper apostolatus nostri missis atque epistolis reverentiam vestram salutiferis exhortationibus, ut vobismetipsis consuleretis, monuimus, et juxta quod vos oportuit, fraternitatis affectu non immerito corripuimus. Sed tantum apostolica monita contempsistis, quantum nec nostris epistolis respondistis, nec regem vestrum Carolum grave facinus incurrentem procul dubio doluistis. An non grave scelus incurrit, quando, sicut multi vestrum noverunt, sui oblitus, jusjurandum, quod olim cum fratribus suis pepigit, quo nemo illorum regnum alterius invaderet vel usurparet, ut evidentissime patefactum est, regnum quondam Lotharii imperatoris, quod jure divo imperatori domno Ludovico filio ejus semper Augusto debetur, spretis juramentis invasit, et perjurii incidit crimen? Unde valde miramur, obstupescimus, et dolemus, ut si vos fidem illi promisistis, quare vosmetipsos perditis, et non eum modo suggerendo, modo illud aut illud opponendo, ut resipiscat circumvenitis : quin potius vobis consentiendo, et illi, tam detestabilia faciendo, quod vestri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus siquidem imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum cervices potius manus, quam in eum regnum suum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectissimi, et ut olim fœdera inter seniorem vestrum, fratresque illius, cum juramentis habita, sed modo corrupta reformentur, sine cessationibus laborate. Commonete jugiter illum juxta vestrum ministerium, et ut episcopalis in vobis non refrigescat charitas, providete. Et si eum salvum consistere vultis, ut regni jura ad se non pertinentia desistat invadere, opportune importune insistite. Aliena non concupiscat, aliena non rapiat, et quod sibi non vult fieri, alii prorsus non faciat. Reminiscatur Scripturæ dicentis : *Non concupisces rem proximi tui* (*Exod.* XX) ; et rursum : *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII). Nos enim non tantum regnum cuicunque augendo, quam justitiam requirendo, ista prosequimur, et ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebite contestamur. Quod si et nunc his salubribus nostris exhortationibus atque monitionibus tam jam fatus rex quam vos parere contempseritis; scitote quia ducti paterno affectu, ferventissimoque zelo justitiæ, statim, Christo opifice, partes illas penetrabimus, et in contemptores dignam dabimus ultionem. Postremo magnopere commonemus ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, seu Wibbodum et Joannem reverendos episcopos, nec non et Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque nostrum familiarem, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia et amore, benigne suscipiatis, et utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colatis. Ipsis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admittite, et ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus sanctitatem

vestram in Christo bene valere. Data v Kalendas Julii, indictione III.

XXVI.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 870.)

Arguit Hincmarum quod Carolum regem a regni Lotharii pervasione non revocarit, litterisque apostolicis non rescripserit. Hortatur ut regem ab eo consilio deterreat, et alios legatos ea de causa missos ei commendat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO Rhemensi archiepiscopo.

Si beneficiorum Domini, quæ sedis apostolicæ instantia consecutus es, memor esses; aut si ita de proximi, sicut de propriis, casibus juxta quod scriptum est condoleres, profecto aut amor Dei, aut timor gehennæ, ad pastoralis curæ ministerium peragendum a somno desidiæ excitaret, et ad annuntiandum iniquo iniquitatem suam vel modicum invitaret. Sed ut in multis cernimus, et oculo mentis nostræ conspicimus, abundante iniquitate, et multorum charitate refrigerante, ipsi pastores mercenariorum morem sequuntur, qui vident lupum venientem, et dimittunt oves, et fugiunt. Primum tamen reminisci debes, si unquam apostolicis epistolis non rescriptum sit, et convenientibus responsis de negotiis unde agebatur, apostolicæ sedi remissum: sicuti tuam reverentiam pro nostro contemptu fecisse penitus constat, quando nuper per nostros missos in Galliarum partes epistolas tam tibi quam aliis destinavimus, et nullum inde responsum recepimus. Sed quia de his alio loco dicendum est, restat ut de tuis actibus per justitiam, ex charitate tamen, reprehendere non omittamus. Quis igitur melius te novit, quod filii quondam Ludovici imperatoris, in unum convenientes regnum inter se diviserunt, jureque jurando sibi invicem promiserunt, ut nullus eorum regnum alterius fratris sibi usurparet, aut omnino pervaderet? et tunc Carolus rex, sacramentis illis contemptis, regnum, quod, Lothario imperatore defuncto, domino serenissimo imperatori filio ejus debetur, invasit, et fidem debitam violavit. Tu vero, quia siluisti, et contra tale facinus saltem leviter non insurrexisti, non solum consors, sed etiam, quod est deterius, hujus tyrannidis auctor esse videris. Et ideo, ne et nosipsi pro taciturnitatis silentio apud Deum redditorem unicuique juxta opus suum, reprehensibiles esse videamur, apostolicis somnolentiam vestram excitamus affatibus, et qui aliter non debemus, ut ad te revertaris præcipimus. Memento quod Dominus tales per prophetam increpet dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* XIII). Quocirca ut ab invasione regni spiritalis filii nostri Ludovici principis rex vester jam tertio monitus procul recedat, insiste; ut amplius perjurium non incurrat, invigila, et ut pro retro culpis peractis apostolatus nostri jaculis non feriaris, præcave. Quia neque tu, qui honore et dignitate cæteris illius regni episcopis es sublimior, silentiis opprimi debes: neque, si non regi prave agenti restiteris, coram nobis excusabilis poteris inveniri. Mone igitur eum ut se corrigat, regnumque quondam Lotharii imperatoris, quod ad eum non pertinet, invadere jam desistat. Jam vero, si in obstinationis suæ perfidia post vestram conventionem persistere maluerit, quam juxta nostra monita resipiscere, ab illius vos communione atque consortio sequestrate, et secundum Apostolum, nec Ave ei dicentes (*II Joan.* x), si nostræ communionis vultis esse participes, præsentiam ejus modis omnibus devitate. Nam et nos ita uniuscujusque justitiam volumus et exquirimus, ut si idem rex nostris apostolicis exhortationibus, salubribusque præceptis mox susceptis his litteris non obedierit, et a tantis tyrannicis factionibus non declinaverit, adjuvante Deo, nec mora, continuo iter nostrum nostros subsequetur legatos, et quidquid de talibus tantisque viris, Deum per nos omnino spernentibus, oportet peragere, præveniente gratia sancti Spiritus, præsentialiter peragemus, nullo pacto, nulloque retractationis impedimento, talia sine ultione digna prætermittentes. Postremo magnopere commonemus ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, seu Wibbodum, et Joannem, reverendos episcopos, nec non et Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque nostrum familiarem, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia et amore, benigne suscipias, et utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colas. Ipsis enim quæ pagina reticuit, tibi dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admitte, et ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigila. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data v Kalendas Julii, indictione III.

XXVII.

AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI.

(Anno 870.)

Eadem quæ in epistola 25 ad episcopos.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus optimatibus regni Caroli gloriosi regis.

Nuper apostolatus nostri missis atque epistolis reverentiam vestram salutiferis exhortationibus, ut vobismetipsis consuleretis monuimus, et juxta quod vos oportuit, paternitatis affectu non immerito corripuimus. Sed tantum apostolica monita contempsistis, quantum nec nostris epistolis respondistis, nec regem vestrum Carolum grave facinus incurrentem procul dubio doluistis. An non grave scelus incurrit, quando, sicut multi vestrum noverunt, sui oblitus, jusjurandum, quod olim cum fratribus suis pepigit, quo nemo illorum regnum fratris alterius invaderet vel usurparet, ut evidentissime patefactum est, regnum quondam Lotharii imperatoris, quod jure divo imperatori domno Ludovico filio

ejus semper Augusto debetur, spretis juramentis A invasit, et perjurii incidit crimen? Unde valde miramur, obstupescimus, et dolemus, ut si vos fidem illi promisistis, quare vosmetipsos perditis et non eum modo suggerendo, modo illud aut illud opponendo, ut resipiscat circumvenitis : quin potius vobis consentiendo, et illi tam detestabilia faciendo, quod vestri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus siquidem imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum cervices potius manus, quam in eum regnum suum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectissimi, et ut olim fœdera inter seniorem vestrum, fratresque illius, cum juramentis habita, sed modo corrupta, reformentur, sine cessationibus laborate. Et si eum B salvum consistere vultis, ut regni jura ad se non pertinentia desistat invadere, opportune insistite. Aliena non concupiscat, aliena non rapiat, et quod sibi non vult fieri, alii prorsus non faciat. Reminiscatur Scripturæ dicentis : *Non concupisces rem proximi tui* (*Exod.* XX). Et rursum : *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII). Non enim tantum regnum cuicunque augmentando, quam justitiam acquirendo, ista prosequimur, et ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebite contestamur. Quod si et nunc his salubribus nostris exhortationibus atque monitionibus tam jam fatus rex, quam vos parere contempseritis; scitote quia ducti paterno affectu, C ferventissimoque zelo justitiæ, statim, Christo opifice, partes illas penetrabimus, et in contemptores dignam dabimus ultionem. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, etc.; *usque ad finem, ut in epistola* 25 *ad episcopos*. Optamus industriam vestram in Christo bene valere. Data V Kalendas Julii, indictione III.

XXVIII.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 870.)

Commendat legatos suos, et Ludovici imperatoris, propter Lotharii regnum a Carolo invasum missos. Episcopum Coloniæ sine suo consultu ordinatum fuisse conqueritur.

D ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio LUDOVICO glorioso regi.

Sicut sæpe per missos et epistolas vestras comperimus, de exaltatione matris vestræ Romanæ Ecclesiæ jucundamini, et cum charissimo filio nostro domino Ludovico Augusto omnem concordiam, omnemque pacis dilectionem et fidei possidetis, et insolubiliter, quemadmodum idem serenissimus imperator nobis innotuit, vos retinere multis coram positis profitemini. Unde gloriosæ vestræ serenitati nonnullas grates referimus, et ut in cœptis bonis perseveretis, apostolicis affatibus, fili charissime, incitamus : quoniam scriptum est : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Sed et laudanda est plane vestra constantia, quæ, sui non immemor, fidem promissam merito custodivit, et velut frater vester Carolus, alterius regni jura, Lotharii quondam scilicet imperatoris, quæ juxta divinas atque humanas leges eidem piissimo imperatori filio ejus debentur, nec invasit, nec concupivit. Pro quibus scilicet iniquissimis actibus, quos idem Carolus, Deo contempto, peregit, et pro juramentis quæ corrumpere non trepidavit, valde obstupescimus et miramur. Quia et illorum, quos deviare cognoscimus, tantum animarum pericula gemimus et dolemus, quantum pro omnibus illi, qui nos suo gregi præesse dignatus est, rationes ponere procul dubio compellemur. Verumtamen missos nostri apostolatus, cum ejusdem spiritalis filii nostri Augusti legatis, tam ad vos quam ad eumdem Carolum, sicut nos nuper facere proposuimus, ecce direximus. Quos benigne ac honorifice pro amore apostolorum suscipientes, omnes utilitates et opportuna in opere præsenti negotia cum eis tractetis : quatenus, his peractis, sicut nos et sæpe dictus Augustus speramus, iidem missi salvi atque illæ si per vestrum adjutorium, ad prædictum regem, duce Deo, perveniant, et regredi valeant. Jam vero si idem rex ab invasione illa cessaverit, et suæ tyrannidi cesserit, ecce bene. Sin autem, scitote quia per nos illuc iter veniendi accelerabimus, et velut in contemptorem Dei, ac apostolicarum monitionum, ultionem debitam inferemus : ne nobis imputetur, si ille impunitus remanserit, et si se a pravis actibus, perjuriis scilicet ac concupiscentiis, aliisque nefandis sceleribus non correxit, venturus judex eum de manibus nostris requirat, et pro desidia merito reprehendat. Miramur præterea gloriam vestram in præficiendo episcopo Agrippinæ Coloniæ tam indiscrete præbuisse consensum : cum evidentissime scires quod apostolicæ sedis judicio atque consultu ibidem debuerit ordinari antistes, cujus censura nuper fuerat eadem Ecclesia suo privata rectore. Et quidem quod post judicium sedis apostolicæ factum est, dure suscepimus : sed quod tua super hoc devotio, quam circa nos habere probaris, omnimodis tacuit, durius æstimamus. Præcipue quia Gunthari dudum archiepiscopi causam, antequam in locum illius substitueretur episcopus, nos iterum audituros, et vocem ejus admissuros fore spopondimus. Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quousque ille qui ordinatus est, nostræ exhibeatur præsentiæ, et utraque pars coram nobis discussa, conventus synodalis perpendatur audientia. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, seu Wibbodum, et Joannem, reverendos episcopos, nec non et Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque nostrum familiarem, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia et amore, benigne suscipiatis, et utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colatis. Ipsis enim quæ pagina reticuit, vobis

dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admittite, et ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus gloriam tuam in Christo nunc et semper bene valere. Data v Kalendas Julii, indictione III.

XXIX.

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

(Anno 870.)

Commendat legatos, monetque ut regi suo perpetuam pacem cum imperatore suadeant.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis in regno Ludovici gloriosi regis constitutis, salutem.

Gratias agimus Deo omnipotenti pro vobis quod, sicut fidelium relatione comperimus, ut inter serenissimum principem nostrum domnum Ludovicum Augustum, et gloriosum regem æquivocum ejus, et patruum, seniorem scilicet vestrum, firma charitas et pax perpetua maneat, utpote fidei custodes invigilatis, et ut fœdera inter eos habita inconvulsa consistant, suadere curatis. Quocirca, dilectissimi, nostris vos apostolicis monitis exhortamur, ut in hoc semper perseveretis, et idipsum ei suadere puro pectore studeatis. Tam est enim illi invictus Augustus benevolus, quantum erga omnes probatur esse piissimus. State ergo in fide, viriliter agite, et Deo odibilium facta declinate : quia non decet vos fidem vestram corrumpere, sicut illos, qui Carolo regi seniori suo pro humano favore consenserunt, ut regnum ipsius principis nostri pervaderet, et perjurii noxam incurreret. Pro quibus vos merito collaudamus, et ut in cœptis perseveretis, paternitatis affectu præcipimus : quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, videlicet Joannem atque Petrum, seu Wibbodum et Joannem reverendos episcopos, necnon et Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque nostrum familiarem, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia et amore, benigne suscipiatis, et utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colatis. Ipsis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Ideo quidquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admittite, et ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data v Kalendas Julii, indictione III.

XXX.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 870.)

De causa Herlefridi presbyteri.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, glorioso CAROLO regi.

Quod præsentem presbyterum Herlefridum, potestate sui præsulis plus quam canonica veritate perculsum, ad sedem apostolicam, utpote caput omnium ecclesiarum, venire passi estis, bene quidem fecistis; sed nunc melius faceretis, si quod in civili concilio apud suum episcopum perperam gestum est, in provinciali synodo apud vos rationabiliter, et apud fratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum cassaretur. Quapropter apostolica dilectione gloriam vestram hortamur, ut aut præsentialiter huic Herlefrido presbytero suam ecclesiam cum omnibus suis, usque ad tempus provincialis synodi hanc libere possessuro, pro tempore quod sacri canones definiere solemniter reddere faciatis, aut Erpuinum episcopum suum legatum nobis, qui hæc plenius veriusque renuntiet, præsentialiter mittere cogatis : quatenus dum luce clarius cuncta noverimus, sciamus in quem apostolicæ animadversionis sententiam proferamus. Deus vos incolumes custodiat, dilectissime fili.

XXXI.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 871.)

Ut erga comprovinciales suos non agat negligenter.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo.

Fidelium relatione comperimus quod tua fraternitas debitum vigorem in provincia Rhemensi non agitans, multa reprehensione dignissima a tuis comprovincialibus convalescant. Cujus rei gratia negligentiam vestram his apostolicis affatibus excitamus, ut secundum venerandorum canonum regulas ita omnium omnino comprovincialium tuorum synodice, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio reseces vitia, ut privilegii tui coram Deo, nostroque judicio non merearis sustinere jacturam. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere. Data VIII Kal. April.

XXXII.

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM EPISCOPUM.

(Anno 871.)

Sedem apostolicam quantocius, ut promisit, adeat.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, HINCMARO Laudunensi episcopo.

Sollicitudine pastorali super tuæ remorationis negotio liquidius perscrutantes, reperimus te sanctæ sedis apostolicæ promissa visitatione, ambitus propriæ voluntatis, quo satis tergiversatorie uti diceris, tepidum reddidisse : et aut nunquam visitare sanctorum apostolorum limina voluisti; aut Dominum vota tua non audire credidisti; aut et Dominum cui vovisti, et nos a quibus vocari voluisti, procul dubio contempsisti. Ergo ne forte, ut credimus, occasione adeundæ sedis apostolicæ fretus, a reverentissimi fratris nostri Hincmari metropolitani tui debita subjectione aliorsum declinans, tanto liberius libita per abusum pertinaciæ tuæ committas, quantum et metropolitano regulariter subjici, et ad nos de die in diem differendo venire detrectas : auctoritate sancti Spiritus tibi præcipimus, ut memor sacrorum canonum, qui jubent per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere

debere, metropolitano tuo per omnia, secundum sacros canones, subjectus existas : neque moleste feras hunc tibi esse prælatum, qui te nosti tuis ovibus esse præpositum. Quin potius, obedientiam quam a tuis exigis, etiam ipse metropolitano tuo, salvo duntaxat apostolicæ sedis synodico proclamandi judicio, canonica lege dependens vota tua, si vere vota fuerunt, procrastinando tandiu non differas, ne existimationis tuæ merearis, quod non optamus, sustinere jacturam.

XXXIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 871.)

Pro Carolomanno Caroli regis filio, qui a parte vexatus ad pontificem per legatos suos et litteras confugerat.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, Carolo regi.

Inter cætera excessuum tuorum, quibus aliena usurpando invasisse crederis, illud quoque nihilominus objicitur, quod etiam bestiarum feritatem excedens, contra propria viscera, id est contra Carolomannum genitum tuum sævire minime verearis : ita ut more struthionis, quod ex libro beati Job (*Job* XXXIX) discimus, obduraveris ad filium tuum, quasi non sit tuus : eum videlicet non solum paterna gratia et beneficiis privans, verum etiam regni finibus eliminans, atque quod impium est, ut excommunioni submittatur, affectans. Verum quia idem Carolomannus sedem apostolicam legatis suis, tanquam quibusdam pedum suorum passibus adiit, et per proprias litteras nos appellat, quin potius interpellat : primo quidem ab hujuscemodi conatum tuum intentu auctoritate apostolica refrenamus : deinde vero, ne adversus apostolum (*Ephes.* VI) ad iracundiam provoces filium tuum, salubriter exhortamur. Atque ideo et gratiam ei tuam sicut convenit redde, et illum, ut revera proprium filium, paternis affectibus suscipe, nec non et pristinis beneficiis ac honoribus restituere satage, donec saltem apostolatus nostri missi ad te veniant, et salvo debito utriusque vestrum honore, quidquid de illo salubrius inventum fuerit, competenti exsecutione ac dispensatione ordinetur ac disponatur. Ergo ne adjicias peccatum super peccatum, sed et de pristinis invasionis et avaritiæ pravitatibus deprecare, et correctionis ostensa perfectione, veniam ecclesiasticam recipere totis medullis exopta, et ne finetenus pereas, usquequaque decerta : quatenus per hoc finis pravitatum finis animadversionis efficiatur, et, præstante Deo, cum termino culpæ terminus accedat et pœna. Data III Idus Julii, indictione IV.

XXXIV.

AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI ET LOTHARII QUONDAM REGIS.

(Anno 871.)

Prohibet ne arma capiant contra Carolomannum.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, omnibus gloriosis comitibus et cæteris fidelibus in regno Caroli, et in regno quondam Lotharii regum constitutis.

Auditui nostro sonuit quod Carolus rex etiam belluarum furorem transcendens, contra propria viscera, id est contra Carolomannum filium suum sævierit, hunc videlicet non modo paterna gratia et beneficiis privans, verum etiam regni sui metis eliminans : quinetiam conetur adversus illum exercitum congregare, et vos omnes adversus eum totis nisibus destinare. Unde, quia per hujusmodi contentionem atque conflictum sæpe sanguinis effusio contigit, providendum summopere ducimus, ne tale pronefas nostro proveniat tempore, ac per hoc nomen Dei blasphemetur in gentibus. Ideoque pacem et non bella volentes (nam Psalmista Domino dicit : *Dissipa gentes quæ bella volunt* [*Psal.* VII]), ea quæ pacis sunt inter genitorem et genitum, si potestis, constituite. Porro si non potestis, saltem bellis cedite, prælia dissipate. Alioquin, quisquis vestrum contra Carolomannum castra moverit, arma sustulerit, vel læsionis exercitia præparaverit, ac per id ut effundatur fidelium sanguis construxerit, non solum excommunicationis nexibus innodabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos in Christo bene valere. Data III Idus Julias, indictione IV.

XXXV.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI ET QUONDAM LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 871.)

Prohibet ne Carlomannum excommunicent.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis in regno Caroli et in regno quondam Lotharii regum Ecclesiam Domini gubernantibus.

Præsulatus nostri auribus intimatum est Carolum regem Carolomannum filium suum gratia sua privatum, post multa dira simul et dura crudeliter irrogata, beneficiis, et ab ipsis quoque regni sui metis eliminasse : quinimo ut vos etiam in eum excommunicationis spicula jaceretis, sanctimoniæ vestræ nihilominus suasisse. In quo quid aliud intelligi datur, si rei se ita veritas habet, nisi quod resti delictorum, quam multipliciter extendendo contexuit, adhuc istud quoque impietatis genus velit adjicere, et sese talibus iniquitatum captum funiculis et constrictum gestiat irretire? unde nimirum valde dolemus, et ei affectu spiritali compatimur. Et quamvis exteriorem circa illum pacem solvamus, interiorem tamen integram conservamus. Nam et ideo illum percutimus, ut sanemus : et flagella idcirco extrinsecus adhibemus, ut intrinsecus vulnera delictorum curemus. Verbera namque corrigentis sunt, non pœnæ damnantis. Verum quia idem Carolomannus nos missis suis, quasi quorumdam pedum suorum gressibus, adiit, et per syllabas proprias apostolicam sedem appellat, quin potius

interpellat : decernimus, nullam vos in eum excommunicationis jaculaturos omnino sententiam ; quousque videlicet nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, universa quæ gesta sunt, veraciter agnoscamus. Alioqui invalidam apostolicæ pondere auctoritatis futuram, contraque reverentiam vestram potius non immerito sævituram. Satius autem, et sine dubitatione præstantius est, ne Carolus proprium filium spernat, ne domesticos seminis sui despiciat, ne jura propinquitatis solito more corrumpat, ne pacis et charitatis fœdera violet, ne caduca mansuris anteferat, ne temporalia æternis præponat. Præterea præfatus Carolomannus insontem quidem se circa patrem multipliciter asserit. Verum ut nos, non astruendo, sed ratiocinando, quæ animadvertimus fateamur, quid mirum, si Carolus præcepta Dei, præfixos metis suis terminos transferendo, aliena invadendo, contemnens, ex suis reperit, qui ejus voluntatibus contrairet, et de lumbis suis procederet, qui ipsius nutibus resultaret : cum non ignoremus protoplastum, contra Deum se per inobedientiam erigentem, et vetita contingentem, non solum exteriora quæque rebellantia cognovisse, verum etiam in semetipso quæ sibi obsisterent invenisse? Quod tamen non dicimus, quasi Carolomannum rebellem circa patrem fatentes, aut contumacem genitum erga genitorem fore docentes : sed quid secreto justoque divino judicio fieri possit considerantes, et ut hæc rex Carolus solerter attendat, salubriter admonentes. De quibus omnibus scitote nos ipsi regi Carolo scripta nostra misisse, et exhortatoria pontificatus nostri monita direxisse. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data III Idus Julias, indictione IV.

XXXVI.

AD BASILIUM, CONSTANTINUM ET LEONEM IMPERATORES.

(Anno 871.)

Quod missi sedis apostolicæ, post multa pericula, nudi vix evaserint. Conqueritur quod Ignatius episcopum apud Bulgaros consecrare præsumpserit de tribus capitulis nihil immutandum.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis ac spiritualibus filiis Basilio, Constantino et Leoni, piissimis et tranquillissimis imperatoribus.

Lectis excellentis imperii vestri litteris, dilectionis vestræ quæ erga nos flagrat indicia et pietatis solita studia non tam cognovimus quam recognovimus; unde gratiarum multimodas actiones summæ Divinitati referimus, et multiplices laudes ejus concinere non cessamus, ob id maxime quia circa religionis cultum accensi, postpositis cæteris sæcularibus curis, ante omnia ecclesiasticæ paci consuluistis; et quia sedis apostolicæ decreta, sana priscaque lege super exortis controversiis exquisistis; et in colligendo magno sanctoque collegio pium studium et desiderium ostendistis; in quo, abdicato pravitatis auctore, definitio rectæ fidei et catholicæ ac paternæ traditionis, atque jura Ecclesiæ perpetuis sæculis profutura, et satis idonea, fixa sunt et firmata : in quo etiam illud mirabilius A et laudabilius sublimitatis vestræ prædicatur insigne quod non judicium vel assertorum, sed consciorum tantum et obsecundatorum persona usi fuisse dignoscimini : ita ut per humilitatis arcem ad culmen virtutum pervenire dilexeritis potius quam per imperialis altitudinis fastum ad inanis gloriæ ima delabi consenseritis. Præterea nostri habitus qualitas, quam scire se velle benignitas vestra pio designat affectu, ita se habet, ut superna providentia, quæ cuncta creavit et continua provisione gubernat, expedire nobis perspicit, et quod expedierit consulte dispensat. Apocrisiarios quoque nostros, super quorum nihilominus reversione scripsistis, licet sero, post multa tamen pericula, deprædationes atque propriorum hominum trucidationem, nudos B tandem recepimus non cujuslibet hominis fretos auxilio, sed Dei solius præditos adminiculo : unde audientes hæc universi gemunt, et quia isti pertulerunt quæ sub nullo piorum principum quemquam sedis apostolicæ missum pertulisse recolunt, omnes stupefacti mirantur, fitque continui clamoris ab Ecclesia nostra murmur, quod ita dispositionis vestræ constitutio improvide prodire potuerit, ut in barbarorum gladios, nullo imperii vestri fulti præsidio, miseranter inciderint. Præsertim cum hos quos ab apostolica sede toto desiderio postulaveritis, et ab ipsis apostolorum principum tectis per legatos vestros salvos acceperitis, salvos rursus, dispositis rite propter quæ missi fuerant ad propria remittere summa diligentia procurare debueritis, exemplo C saltem provocati Michaelis decedentis imperatoris, qui quos ab apostolica sede suscipere meruit, idoneo sociatu prævio, ut nostræ illæsi præsentarentur ecclesiæ solerti cura sategit. Et præterea et aliud quod prima pietatis vestræ opera, vel circa sedis apostolicæ prioris benignitatis indicia contra spem nostram decolorasse convincitur, imo funditus destruxisse probatur : videlicet quia favore vestro frater et coepiscopus noster Ignatius in Bulgarorum regione consecrare præsumpsit antistitem, unde mirati sumus, et quia a pia intentione vestra retro reversi sitis, admodum obstupuimus. Verumtamen saltem nunc jam dictum reverendissimum præsulem ab illius regionis dispositione salubribus monitis, quæsumus, coercete : alioquin nec ipse canonicam effugiet ultio- D nem, nec ii qui præsulatus vel alterius officii sibi nomen illic usurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur astricti, etiam proprii gradus jactura carebunt.

Porro de tribus capitulis, super quibus, præfato postulante sanctissimo fratre et coepiscopo nostro Ignatio, divinitus protectum imperium vestrum nos deprecatum esse dignoscitur, nil possumus ab eo quod jam constitutum est, ordinare diversum vel disponere, maxime de Photii consecratione aliquantisper versum : nisi forte nos, quibusdam ex utraque parte in præsentia nostra repertis, contigerit scire, quæ usque huc nescimus : vel discere quæ nunc penitus ignoramus. Non enim est in nobis est et non

est. Et si quæ destruximus, eadem reædificaverimus, prævaricatores nos legis esse constituemus. Satis enim nota sunt quæ cum suo auctore destruximus, et quæ construenda mandavimus. Ab illis quippe sacratissimis constitutis, quæ vel apostolicæ memoriæ prædecessor noster papa Nicolaus antea salubriter sanxit, vel nos postea dispensatorie protulimus, nulla motione vel mutatione discedemus, aut ad dextram vel sinistram quoquo modo declinabimus. Quæ videlicet jam dudum probavit Ecclesia, et immutilata servanda nuper gestum universale concilium statuit. Neque enim nobis moris est ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc synodorum statuta, vel etiam apostolicæ sedis decreta proferunt, cum vel alios lædere, vel se juvare cupiunt : et hæc tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro aliis proponerentur. Si nostra, more priorum, æquitas in vestræ urbis præsules, majorum regulis obviantes, commoveri severius voluisset, quamvis multa instantia, et certamen viri prudentissimi et religiosissimi hegumeni ac sacrorum vasorum custodis Theognosti, qui de pietatis vestræ virtutibus, et probabilium morum insignibus, et trophæorum triumphis, atque de beneficiorum vestrorum pie sibi præstitorum multitudine, nos plurimum relatione sua lætificavit, et qualiter diebus vestris, superno brachio, atque studio, et solertia, vestra Christianitas prosperetur, enarrans, ad multimodas laudes sanctæ Trinitati reddendas, et gratias, alacriores exhibuit, ad postulata divinitus muniendo imperio vestro concedenda, nos supra modum efflagitaverit, et ultra quam dici possit solito et prisco more, ac pro ecclesiasticis utilitatibus frequenter impenso, crebris suggestionibus investigarit. Super quibus tamen propter jam designatam causam, nec annuere possumus, nec quidquam præter id quod jam evangelizatum est, ullo modo definire.

Deus autem omnipotens, per quem reges regnant, et in cujus manu omnia jura regnorum consistunt, imperium vestrum ad Ecclesiæ suæ sanctæ pacificam constitutionem et populi Christiani perpetuam libertatem magis ac magis corroboret, ejusque potentibus plantis cunctarum infidelium nationum cervices inflectat, dilectissimi et desiderabilissimi filii. Data IV Idus Novembris, indictione V.

XXXVII.

AD IGNATIUM CONSTANTINOPOLITANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 871.)

Nihil apud Bulgaros tentare debuisset. Corripitur propter ordinationes reventinas laicorum in diaconos.

Ἔγραψας (ἵνα τὰ πολλὰ παρεασωμεν) ὅπως οἱ πρεσβύτεροι ἡμῶν ἐκ τῆς χώρας τῶν Βουλγάρων μετὰ ὀνει- A δεσμοῦ μεγάλου καὶ αἰσχύνης ἐξωθῶσι, καὶ οἱ ἐπίσκοποι οὐ μετὰ μικρᾶς ἐκεῖθεν ἀτιμίας ἀπελαθῶσι· καὶ ταῦτα μηδέποτε γεγονυίας περὶ τούτου κρίσεως ἐνώπιον ὑμῶν· οὐδὲ γὰρ προσεκλήθημέν ποτε εἰς κριτήριον διὰ τοῦτο. Εἰ γοῦν λέγεις προτέρους ἡμᾶς τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν διοικήσεως εἰς τὴν προῤῥηθεῖσαν χώραν λειτουργεῖν B ἀποκωλῦσαι, οὐκ ἀρνούμεθα. Ἦσαν τοῦ Φωτίου κοινωνοὶ καὶ συμμύσται, οὓς οὐ μόνον εἰς τὴν Βουλγάρων χώραν, ἀλλὰ καὶ εἰς πᾶσαν Ἐκκλησίαν ὡς ἱερεῖς ἐνεργεῖν ἐκωλύσαμεν καὶ κωλύομεν. Ἔδει οὖν σε εἰδότα τοῦτο, μηδὲν εἰς τὴν τῶν Βουλγάρων τοιοῦτον διαπράξασθαι. Ἐμάθομεν δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ἐναντία τῶν πατρικῶν ὅρων ὑμᾶς διαπράττεσθαι, ἀλλὰ δὴ καὶ C τοῦτο· τινὰς γὰρ νεωστὶ ἀπὸ τῶν λαϊκῶν ἄφνω διακόνους ἐχειροτονήσατε, ἐναντία μὲν καὶ τοῖς πάλαι πατράσι, ἀλλὰ δὴ καὶ τῇ προσφάτως συναθροισθείσῃ οἰκουμενικῇ συνόδῳ· οὐκ ἀγνοεῖτε δὲ, ὅτι ἡ τοῦ Φωτίου πτῶσις ἐντεῦθεν τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν.

Scripsisti (ut alia multa mittamus) ut nostri presbyteri (Constantinopolitani scilicet) jussi sint e regione Bulgarum cum gravi ignominia et dedecore expelli, ipsique illinc episcopi cum non mediocri contemptu exigi; et hoc nullo tanta de re judicio prius apud vos facto, cum in judicium ea de re nunquam vocati simus. Quod si dicas prius a nobis Constantinopolitanæ diœceseos presbyteros in ea regione sacrificare prohibitos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiusque symmystæ, quibus non solum in Bulgarum provincia, sed ubique gentium sacerdotali munere interdiximus interdicimusque. Quæ cum scires, nihil tibi in eo regno tentandum fuit. Intelleximus autem et alia multa a vobis contra Patrum decreta fieri, inter quæ et hoc est, nuper quosdam contra statuta Patrum priscorum, et synodi œcumenicæ proxime celebratæ, ex laicis repente diaconos creatos, cum sciatis Photii casum inde originem traxisse.

XXXVIII.

AD EPISCOPOS SYNODI DUZIACENSIS.

(Anno 871.)

D *Actardum episcopum a Namnetica sede transfert ad Turonicam. Hincmari Laudunensis depositionem improbat, eumque Romam cum adversario ad renovandum judicium venire jubet.*

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis qui apud Duziacensem Rhemensis provinciæ synodum convenerunt.

Charitatis vestræ litteras per Actardum venerabilem coepiscopum, et gloriosi regis Caroli legatum, suscepimus, et quid de eo ad suggestionem et deprecationem nostram egeritis, non solum in eis, verùm et per ipsum cognovimus. Egistis enim ut decebat, ostendentes in ipso veræ fraternitatis fervorem, et in nobis Ecclesiæ, cui, licet indigni, vicarii tamen dignissimi principis apostolorum præside-

mus, debitum cum reverentia honorem. De quo prout significastis, peregimus. Nam sicut synodus expostulavit, plebs et Turonicus clerus eum concorditer elegit, per nostræ apostolicæ auctoritatis decretum constituimus cardinalem metropolitanum, et archiepiscopum Turonicæ Ecclesiæ, atque provinciæ : quoniam dicente Antero papa in epistola sua (*epist. unica, in princip.*), quibusdam eum de mutatione episcoporum de civitate in civitatem consulentibus : Scitote eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cujusquam, aut dominatione. Petrus namque sanctus magister noster et princeps apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva civitate apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam. Similiter et Felix de civitate, qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate in civitatem, qui non suo libitu hoc facit, aut ambitu, sed utilitate quadam, aut necessitate, aliorum hortatu et consilio potiorum transfertur : nec transfertur de minore civitate ad majorem, qui hoc non ambitu, non propria voluntate facit; sed aut vi a propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non superbe, sed humiliter ab aliis translatus et inthronizatus est, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et alios nonnullos, sicut tripartitæ historiæ series prodit, legimus (*lib.* XII, *cap.* 8) pro temporis necessitate de una ecclesia fuisse mutatos in aliam : quæ aliter tractanda est necessitatis ratio, aliter voluntatis. Unde sancti patres Nicæni capitulo secundo dicunt, quoniam plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversus ecclesiasticam facta sunt regulam. Et sanctus Leo papa (*epist. ad Nicetam Aquileien.*) cap. 44 decretalium suorum dicit omittendum esse, et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Ita tamen hoc permittentes, ut Namneticæ Ecclesiæ, cui fuerat ordinatus, in eo quod remansit, quod destructa habetur, jura potestatemve nullo modo subtrahamus. Interponentes pastoralis vigoris censuram, ut si quandocunque, vel quicunque alium, ipso superstite, in præfata metropoli, et in ista, vel in earum pertinentiis, locare tentaverit, aut ordinare locare præsumpserit, ecclesiasticæ duntaxat communionis consortio careat. Sane post ejus decessum, electio canonica, et ordinatio a suffraganeis episcopis ejusdem metropoleos Turonicæ canonico celebretur ex more. Quod si Namneticæ contigerit Ecclesiæ ad priorem, Christo auxiliante, statum redire, nihil officiat ei hæc necessitatis unitio, quam videlicet exigit paganorum vastatio, quominus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eum valde tristissimum propter persecutionem paganorum. Et cum omnes sint pene res ipsius Ecclesiæ depopulatæ, vestræ dirigimus fraternitati, ut fraterna eum charitate commoti viribus totis adjuvare, apud excellentissimum regem vestrum humiliter intercedendo, viriliter satagaris : quatenus vestro ingenti certamine Christi Ecclesia quieta et secura, et propriis rebus ditata gloriosaque consistat. Igitur de Hincmari Laudunensis episcopi depositione pontificio nostro scripsistis, quatenus de eo secundum quod canonicum est vobis rescribere juberemus. Primo denique vestræ respondemus charitati, quia cum clamaret in synodo se ad sedem apostolicam velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia. Tamen, sicut ipsius concilii actionibus legitur, quoniam salvo in omnibus judicio sedis apostolicæ, illum ab episcopis fuisse judicatum asseritis, nos, non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus et auctoritate apostolica, nullius partis favorem aut obsequium, sed rei gestæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem episcopum vestra fretum potentia ad limina sanctorum apostolorum, nostramque venire præsentiam. Quo sane veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui. Et tunc in præsentia nostra, et totius sedis Romanæ synodali collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundum Deum et sacrorum canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas, sine protelatione aliqua finietur : quoniam gesta synodalia quæ nobis mandastis, et illius judicantur damnatione, dicente nobis beato Gregorio (*lib.* VIII, *epist.* 30) ad Constantium Mediolanensem episcopum de quodam ab eo damnato episcopo, idonee satisfacere non videntur. « Ideo temere aliquid de episcopi persona decernere nec debemus, nec possumus, ne (quod absit) reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit retractare sententias. » Item in alia epistola sua Felici Siciliensi (*lib.* VII, *indict.* II, *epist.* 43) : « Nec nos, inquit, contra inauditam partem aliquid possumus definire. » Hinc etiam ad Marinum quemdam scholasticum (*lib. eod., epist.* 61) scripsit dicens : « Quia, sicut præfati sumus, causarum origo et qualitas omnino nobis ignota est, pronuntiare aliquid definitive non possumus : ne, quod reprehensibile nimis est, de rebus non bene cognitis proferre sententiam videamur. » Unde et sanctus Leo, sedis et doctrinæ apostolicæ decus, dicit in epistola sua Flaviano Constantinopolitano pro Eutychete presbytero hæretico (*epist.* 10) : « Quoniam nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. » Hinc et beatus Job dicit : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job* XXIX). Inde etiam in Pentateucho Dominus dicit : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum ag-*

gravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit, opere compleverint, an non est ita, ut sciam (*Gen.* XVIII). Ecce Dominus omnipotens, cui nihil absconditum est, sed omnia ei manifesta sunt etiam antequam fiant, cur hæc et alia multa per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in discutiendis seu judicandis negotiis essemus, et ne mala quorumquam prius quisquam præsumat credere, quam probare? Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temere quoquo modo judicemus. Quibus nimirum exemplis admoniti, aliter in præsenti de prædicto Hincmaro, nisi eum Romam vieniendi, vobis mandare distulimus. Nam grave mentibus vestris videri non debet, in præsentia sedis apostolicæ ut illius retractetur judicium; quia veritas exagitata sæpius magis splendescit in lucem, et pernicies revocata in judicium gravius et sine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus est, justitiam sæpius recenseri; nullumque bonum est, quod non pulchrius elucescat, si plurimorum fuerit sententia comprobatum. Unde quousque causa illius, sicut prætulimus, fuerit iterum refricata atque finita, episcopus in ipsa Laudunensi Ecclesia nullatenus ordinetur. Quapropter quæ vobis salubri et apostolica præceptione facienda mandamus, toto annisu et fideli devotione, sicut filii charissimi, adimplere facereque debetis, si nostro illibate frui apostolico semper desideratis consortio. Generalitatem vestram optamus in Christo bene valere. Data VII Kal. Januarii, indictione V.

XXXIX.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 871.)

Dolet regem sedis apostolicæ monita ægrius tulisse. Hincmari Laudunensis depositionem non probat, eumque Romam ad retractandum judicium mitti jubet. Actardum vero ad Ecclesiam transfert Turonensem.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Laudabilis charitatis et sapientiæ pudicæ ac pacificæ vigore atque decore magnitudinem excellentiæ vestræ, o charissime in Domino fili, longe lateque florere, nitide splendere audimus. Sed quia litteris vestris, apostolicæ correptionis apices membratim retexendo, adversum paternitatem nostram quoddam indebitæ reprehensionis murmur, et tumultuosum nobis clamorem misistis, nec sane patienter pontificii nostri monita et correptiones audisse comperimus; liquido patet vos adhuc perfectæ aliquid charitatis minus duntaxat habere. De illa enim dicit apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia suffert,* A *omnia sustinet* (*I Cor.* XIII). Omnia igitur quæ vobis a sede apostolica, castissima utique matre vestra, cui per Dei gratiam præsidemus, directa sunt, velut aliquo sedule negotio exigente mittuntur, auribus patefactis audire, alacri mente percipere, animoque grato amplecti, sicut filius charissimus debes, et patris verba dilecti, non ex voto male optantis, sed ex radice veræ procedentia charitatis, humili semper debetis intentione recipere: quæ sicut Salomon ait, *quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi esse videntur* (*Eccle.* XII); quod culpas delinquentium nesciant palpare, sed pungere. Unde quoniam te virum perfectum, et per omnia Deo placentem habere cupimus, ceu prudens pater, qui charissimum filium suum, etiam non delinquentem, ne quando securus B existens flagitiis se audacter commisceat illicitis, flagello severo affligere non desistit, quia nec propter amorem carnis disciplinali parcendum esse virgæ a sapiente monemur. Hinc etiam de ipso Deo nostro, quem cœtus omnium fidelium patrem quotidie vocat, legimus scriptum: *Quem diligit Dominus, castigat, et corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Quapropter scire vos decet, quia Deo permittente, justo utique, quamvis alto et secreto consilio suo, pro vestri salute talia vestræ serenitati a sede apostolica sæpius monita venire videntur. Ideo magis omnipotenti Domino immensas gratias agere, nobisque deinde paternæ laudis gratanter debetis præbere obsequium, et non reprehensionis vel murmurationis modicæ verba dirigere. Nam nos, C nullius zelo livoris, nullius subdolæ calliditatis dolo, vel etiam favore alicujus transitoriæ laudis, charissimam vestræ nobilitatis et magnitudinis prudentiam et dilectionem modo affabiliter monere, modo autem pro regiæ potestatis gloria, vobis, quoties necessaria temporis res, vel proximi deposcit necessitas, humilis precator assistere, aliquando vero verbis severioribus fidenter corripere, ut Christi gratia in melius semper proficiatis, studemus. Igitur de Hincmari Laudunensis episcopi depositione pontificio nostro scripsistis: *Et cætera quæ sequuntur, ut in epistola præcedenti, usque ad* temere quoquo modo judicemus. Nos in depositione illius quandiu vivimus, nullatenus consentiemus, nisi ad nostram ipso veniente præsentiam, causa ejus depositionis nostro D fuerit examine diligenter inquisita, atque finita. Quibus nimirum admoniti, aliter in præsenti de prædicto Hincmaro, nisi eum Romam veniendi, vobis mandare distulimus. Actardum denique venerabilem antistitem legatum vestrum, de quo et nos olim vobis mandavimus, et vos vestris apicibus nostræ clementiæ direxistis, sicut et synodus expostulavit, plebs et Turonicus clerus concorditer elegit, jam constituimus per nostræ apostolicæ auctoritatis decretum cardinalem metropolitanum et archiepiscopum

a *Laudabilis charitatis.* His rursum Adriani litteris offensus Carolus prolixam epistolam rescripsit, quæ inter cæteras edita est post Hincmari opuscula, embolo sub finem adjuncto, quod instar habet alterius epistolæ, revera autem ad eamdem ipsam referendum est. Carolum porro Adrianus, acceptis ejus litteris, sequenti epistola 41 placare conatus est. SIRM.

pam Turonicæ provinciæ : sic tamen, ut Namneticæ ecclesiæ, cui fuerat destinatus, in eo quod remansit, quia destructa habetur, jura potestatemve nullo modo subtrahamus. Interponentes pastoralis vigoris censuram, ut quandocunque vel quiscunque alium ipso superstite in præfata metropoli, et in ista, vel in earum pertinentiis locare tentaverit, aut ordinare præsumpserit, ecclesiasticæ communionis consortio careat. Sane post ejus decessum electio canonica, et ordinatio a suffraganeis episcopis ejusdem metropoleos Turonicæ canonice celebretur ex more et si Namneticæ contigerit Ecclesiæ ad priorem redire statum, nihil officiat ei hæc necessitatis unitio, quam exegit paganorum vastatio, quominus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eum valde tristem propter persecutionem paganorum; et cum omnes sint pene res ipsius Ecclesiæ depopulatæ, precamur largissimam munificentiam et charitatem vestram, ob amorem Dei et sancti Petri nostramque deprecationem, et hoc sit in memoriale perpetuum, quod concesseritis nobis hoc donum, ut non patiamini tantum locum pessum ire, et in desolationem, præsertim cum fuerit ex antiquo metropolis, et meritis gloriosissimi confessoris Christi Martini honorabilis, semperque venerabilis, et inter Gallicanas eadem vel secunda vel tertia provincia Turonensis, et multis quæ ab ea distractæ sunt, ditata villis, possessionibus et abbatiis. Et cum aliæ, quæ sub ea sunt, civitates jam sint pene destructæ, harum matrem tantam et metropolim ne patiamini destrui, desolari, et dehonorari vestro in tempore. Quin potius studete eam de rebus vestris propriis, vel procul ab ea positis, vel tutis a paganis, ditare, continere, et extollere. Quia tunc ea vobis in æternum confirmatis, cum quæ Ecclesiarum Dei obsequiis condonatis, et reservatis omnibus sua jura metropolitanis. Nostis enim quia omne monasterium in potestate episcopi consistere debet juxta canonicam auctoritatem : et quia hoc est transgressum, ideo plurima monasteria habentur destructa, sicuti monasterium sancti Medardi Turonis, in quo jacent episcoporum primi Turonensium Lidorius et Gatianus; sicut et Monasterium majus, sicut etiam alia in eadem civitate monasteria, quæ forsitan per episcopale ministerium, et vestrum sapientissimum consilium, et largissimum donum, poterunt redire ad priorem statum. Debent etiam vici omnes ecclesiæ cujuslibet parochiæ in potestate consistere præsulis, sicut moris est ecclesiis plurimis. Res etiam quæ de eadem ecclesia noscuntur fuisse, et olim sunt abstractæ, precamur vos eidem restituere, et sicut precati jam sumus, ad præsens de vestris rebus propriis per præceptum vestrum eam ditare, construere, et vobis in æternum propriam facere, ut non vocetur, ut antiquitus, Cæsarodunum ulterius, sed Karolidonum in perpetuum. Omnipotens Dominus serenitatis vestræ regalem excellentiam salvam in omnibus atque incolumem in sui semper amore conservare dignetur.

XL.

AD EPISCOPUM B....

(Anno 872.)

Confirmatur matrimonium cujusdam absente sacerdote contractum.

[Apud Baluz. *Miscell.*, tom. I.]

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. Cathal. episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Ad apostolicæ sedis notitiam tua fraternitas noverit pervenisse inter quemdam parochianum tuum et filiam cujusdam viduæ, utriusque partis assensu, consentientibus etiam parentibus et amicis, matrimonium quondam fuisse contractum. Sed quia sacerdos datæ utrinque fidei non interfuit, cum tamen alii testes legitimi plures interfuisse noscantur, utrum hujusmodi matrimonium stare debeat, an etiam irritum habeatur, quæstio inde, sicut nobis relatum est, agitatur. Ut autem omnis quæstio super eodem matrimonio de cætero sopiatur, per apostolica tibi scripta mandamus quatenus hujusmodi connubium dissolvi nullatenus patiaris, sed firmum facias atque inviolabile permanere. Si enim alias personæ convenientes et legitimæ fuerint et contractus ipse legibus concordans, ita quod non videatur ei de sacris canonibus obviare, pro eo quod sacerdos absens fuerit, tale matrimonium non debet ullatenus impediri

XLI.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 872.)

Regem asperioribus litteris offensum, multa de ejus laudibus prædicans, placare studet. De Actardo ad sedem Turonicam translato. Imperium Carolo post Ludovici obitum promittit. Et de Hincmaro Laudunensi.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio et gloriosissimo Carolo regi, conjugique salutem in Christo.

Litteras vestræ nobilitatis per venerabilem filium et fratrem nostrum Actardum episcopum suscepimus : in quibus multa reclamatoria, resultatoria, et tumultuosa perspeximus, aliter quam optaveramus murmurantia. Regnum Dei nullus murmurans accipit, nec murmurare poterit accipiens. *Audiens enim sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit* (*Prov.* I). Nos vero, licet indigni, tamen sumus illius vicarii, cui commisit Deus Ecclesiam suam, dans ei potestatem ligandi atque solvendi : et qualescunque simus, illius primi sessoris meritis, quandiu merita ejus in cœlis non moriuntur, quod operandum est in Ecclesia sibi commissa, ab ipso repletur. Et quidem quia quasi tumores et læsiones vestras palpitare sensimus, has oleo consolationis per melos dulcissimæ charitatis, et sanctæ dilectionis unguentum fovere, lenire, et ad integritatis sanitatem perducere medicamento quo valemus optamus. Cum noverimus omne donum optimum, et omne datum

perfectum desursum esse descendens a Patre luminum, procul dubio donum sapientiæ diligimus divinitus tibi collatum. Prædicatur enim de te, et longe lateque diffunditur, quod sis sapiens et Deum timens. Scriptum est enim : *Principium sapientiæ timor Domini* (*Prov.* I). Narratur etiam quod sis justus quod congruit regiæ potestati, cunctisque judicibus, divina prædicante sapientia : *Diligite justitiam qui judicatis terram* (*Sap.* I). Annuntiatur etiam a pluribus probis, permaxime a comministro et fratre verbotenus nostro, vestroque, et fratrum nostrorum regni vestri, Duziacensis synodi archepiscoporum et episcoporum legato, archiepiscopo jam a nobis constituto Turonensibus Actardo, quod sis amator, exaltator, et illustrator specialis in orbe terrarum, et permavimus ecclesiarum Dei : ita ut nullus sit episcopus, nullumque monasterium in regno tuo, quod non auxeris rebus propriis, et restitueris suis perplurimum, optaresque ferventer et desiderares hanc principis apostolorum Petri primam sedem B exaltare, honorare, multisque muneribus vicarium ejus, et clerum sibi commissum ditare, et ab omnibus hostibus, prout posse et tempus dictaverit, defensare, Deumque totis visceribus in hoc glorificare, monente propheta ex persona Domini : *Qui glorificant me, glorabor in eis* (*I Reg.* II). Quocirca sapientia præcellentem cum timore Dei, et diligentem justitiam, et glorificantem Deum, quis non diligat? quis non ambiat? quis non desideret? quis non optet revera, sicut regem præcellentem, sicut justitiam moderantem, sicut Deum glorificantem? In veritate credite nobis, quia tales virtutes sic diligo in vobis, sicut animam meam. Scriptum est enim : *Diliges proximun tuum sicut teipsum* (*Levit.* XVIII). Et talem intelligo proximum, quem constat talibus virtutibus repletum : et a die illa, qua vobis per præfatum fratrem nostrum mandavi fideles orationes et certissimas amicitia, nunquam aliorsum declinavi. Et si quædam litteræ delatæ vobis sunt aliter se habentes in superficie, vel subreptæ, vel a nobis C infirmantibus extortæ, vel a qualibet persona confictæ, durius aut acrius mordaciter sonantes : id tamen nobis fixum semper mansit in mente, quod vobis significavimus devote. Nec alienum judicavimus, judicamus, et judicabimus a nostra communione mentis devotione quem diligimus tota animi intentione, judicantes dignum laude, propheta monente : *Rectos decet laudare* (*Psal.* XXXII). Quem profecto speramus, si nobis superstes fuerit, nostris omnibus propinquis et amicis manum porrigere consolationis, indolem et fidem ejus cernentes in affinitatem propinquorum nostri decessoris. Namque solet sæpe uterque parens in prolem opprobria vel maledicta congerere, quam optat sine crimine et læsione manere. Cui simile solet sæpe doctoribus et prædicatoribus contingere. Quapropter non ad sonum, sed oportet ad votum respicere. Præfatum vestrum denique legatum, sicut significastis, et synodus et pleds expostulavit et Turonicus clerus, jam constituimus cardinalem metropolitanum et archiepiscopum Turonicæ provinciæ, per ferulam, pitacium, et annulum, necnon per nostræ auctoritatis litterale decretum. Sic tamen, ut Namneticæ ecclesiæ, cui fuerat destinatus : *et cœtera, ut in epistola, usque ad* Caroli donum in perpetuum. Igitur ergo integra fide, et sincera mente, devotaque voluntate, ut sermo sit secretior, et litteræ clandestinæ, nullique nisi fidelissimis publicandæ, vobis confitemur devovendo, et notescimus affirmando, salva fidelitate imperato-

A ris nostri, quia si superstes ei fuerit vestra nobilitas, vita nobis comite, si dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquiescemus, exposcemus, aut sponte suscipiemus alium in regnum et imperium Romanum, nisi teipsum. Quem, quia prædicaris sapientia et justitia, religione et virtute, nobilitate et forma, videlicet prudentia, temperantia, fortitudine atque pietate refertus, si contigerit te imperatorem nostrum vivendo supergredi, te optamus omnis clerus et plebs et nobilitas totius orbis et urbis, non solum ducem et regem, patritium et imperatorem, sed in præsenti Ecclesia defensorem, et in æterna cum omnibus sanctis participem fore. De pontifice Laudunensi Hincmaro a præsulibus decem provinciarum deposito, et a metropolitano suo venerabili fratre Hincmaro archiepiscopo, reservato per omnia hujus primæ sedis privilegii judicio, cumulata in synodalibus litteris, et præfati metropolitani, et vestris, nec non in libello reclamationis cleri et plebis Laudunensis, seu in libello continenti seriem gestorum synodi, tanta dictu nefanda, tantaque exsecranda, et auctorem suum damnantia referuntur, ut incredibilia ab ignorantibus videantur. Sed de his nihil audemus judicare, quod possit Niceno concilio, et quinque cæterorum conciliorum regulis, vel decretis nostrorum antecessorum obviare. At de his quod præfati canones et decreta decernunt, ipsique cum ipsis una vobiscum congregati cum nostro spiritu similiter decernimus, et quod statuunt, statuimus; et quod judicant, judicamus. Nec in ullo deviantes a tenore canonico, servantes omnibus sua jura metropolitanis, et ut verbis loquamur beati papæ Leonis (*epist.* 1 *ad episcopos Italiæ*): Aliter enim, inquit, nobis commissos regere non possumus, nisi hos qui sunt perditores et perditi persequamur zelo Dominicæ fidei, et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus, et quæ male pullulasse noscuntur, radicitus evellantur, et messem Dominicam nulla zizania corrumpant (*epist.* 1 *episcopis Campaniæ*). Ita enim fructum uberem quæ sunt sincera præstabunt, si ea quæ natam segetem enecare consuerunt, diligentius amputentur. Sed quia non satis idonea videntur et matura nostris, et huic sanctæ sedi condigna, donec ad hanc sanctissimam et apostolicam, quam appellavit, sedem spatium habeat veniendi : ideo veniat, et ostensis sibi litteris, quas nobis misistis, et libello continenti seriem synodi, libellulo etiam cleri et plebis Laudunensis proclamationem, afferens te injuste damnatum : tunc electis judicibus, non tamen eo prius in gradu restituto, aut ex latere nostro directis legatis, cum auctoritate nostra refricentur quæ gesta sunt, et negotia in qua orta sunt provincia canonice terminentur. Quod si venire detrectaverit, clareat quod idem ipse dederit locum damnationis in semetipsum, nec sacer ordo differendo moram patiatur vel detrimentum. Qualiter autem, aut quomodo, vel quando D veniat, vel adducatur, seu interim custodiatur, præfato confratri nostro communi legato Actardo archiepiscopo vobis in mandatis et alia clandestina commisimus manifestanda. Sanctum apostolorum Petri et Pauli intercessione, nostraque supplicatione, et pro ordine nobis a Deo collato, benedictionem mereamini, vitæ præsentis prosperitatem, regiam et imperialem dignitatem, nostramque et bonorum omnium communionem et societatem, peccatorum omnium remissionem, et æternæ vitæ gloriosissimam resurrectionis felicitatem. Amen.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JOANNES SCOTUS ERIGENA.

ADRIANUS PAPA II.

FINIS TOMI CENTESIMI VICESIMI SECUNDI.

ETAT DES PUBLICATIONS DES *ATELIERS CATHOLIQUES* AU 1er JANVIER 1853.

COURS COMPLET DE PATROLOGIE, ou Bibliothèque universelle, complète, uniforme, commode et économique de tous les saints Pères, docteurs et écrivains ecclésiastiques, tant grecs que latins, tant d'Orient que d'Occident; reproduction chronologique et intégrale de la tradition catholique pendant les douze premiers siècles de l'Eglise, d'après les éditions les plus estimées. 200 vol. in-4° latins; prix : 1,000 fr. pour les mille premiers souscripteurs; 1,200 fr. pour les autres. Le grec et le latin réunis formeront 300 vol. et coûteront 1,800 fr. Tous les Pères se trouvent néanmoins dans l'édition latine. 113 vol. ont paru et 700 souscripteurs sont venus.

COURS COMPLETS D'ECRITURE SAINTE ET DE THEOLOGIE, 1° formés uniquement de Commentaires et de Traités partout reconnus comme des chefs-d'œuvre, et désignés par une grande partie des évêques et des théologiens de l'Europe, universellement consultés à cet effet; 2° publiés et annotés par une société d'ecclésiastiques, tous curés ou directeurs de séminaires dans Paris, et par 12 séminaires de province Chaque *Cours*, terminé par une table universelle analytique et par un grand nombre d'autres tables, *forme 28 vol. in-4°.* Prix : 138 fr l'un. — *On souscrit aux deux Cours à la fois ou à chacun d'eux en particulier.*

ATLAS géographique et iconographique du *Cours complet d'Ecriture sainte.* 1 vol. in-fol. de 77 planches. Prix : 6 fr.

TRIPLE GRAMMAIRE ET TRIPLE DICTIONNAIRE HEBRAIQUES et CHALDAIQUES, 1 énorme vol. in-4°. Prix : 15 fr.

COLLECTION INTEGRALE ET UNIVERSELLE DES ORATEURS SACRES DU PREMIER ET DU SECOND ORDRES, ET DE LA PLUPART DES ORATEURS SACRES DU TROISIEME ORDRE, selon l'ordre chronologique, afin de présenter, comme sous un coup d'œil, l'histoire de la prédication en France pendant trois siècles, avec ses commencements, ses progrès, son apogée, sa décadence et sa renaissance. 60 vol. in-4°. Pr. 500 fr., 6 fr le vol. de tel ou tel Orateur en particulier. 50 vol. ont paru.

QUATRE ANNEES PASTORALES ou PRONES pour 4 ans, par BADOIRE. 1 vol. in-4°. Prix : 6 fr.

ENCYCLOPEDIE THEOLOGIQUE, ou série de dictionnaires sur chaque branche de la science religieuse, offrant en français et par ordre alphabétique, la plus claire, la plus variée, la plus facile et la plus complète des Théologies. Ces DICTIONNAIRES SONT: ceux d'Ecriture sainte, — de Philologie sacrée, — de [illegible]rgie, — de Droit canon, — des Hérésies, des schismes, des [illegible]sénistes, des Propositions et des livres condamnés, — [illegible] des Cérémonies et des rites, — de Cas de cons[illegible] Ordres religieux (*hommes et femmes*), - des [illegible], — de Géographie sacrée et ecclésiastique, [illegible]e, ascétique et mystique, — de Théolo[illegible]onique, liturgique, disciplinaire et polé[illegible]rudence civile-ecclésiastique,—des Passions, [illegible]ces, — d'Hagiographie, — des Pèlerinages [illegible]onomie, de Physique et de Météorologie re[illegible]ographie chrétienne, — de Chimie et de mi[illegible]ses, — de Diplomatique chrétienne, — des [illegible], — de Géologie et de chronologie chré[illegible]4°. Prix 312 fr. 50 vol. ont vu le jour.

[illegible]YCLOPEDIE THEOLOGIQUE, contenant les [illegible] des Livres apocryphes, — des Décrets des con[illegible]e, — de Patrologie, — de Biographie chré[illegible]enne, — des Confréries, — d'Histoire ecclé[illegible] Croisades, — des Missions, — d'Anecdotes [illegible]scétisme et des invocations à la Vierge, [illegible] des Prophéties et des miracles, — [illegible]stique chrétienne, — d'Economie charitable, — des Persécutions, — des Erreurs sociales, — de Philosophie catholique, — de Physiologie spiritualiste, — d'Antiphilosophisme, — des Apologistes involontaires, — d'Eloquence chrétienne, — de Littérature, *id.*, — d'Archéologie, *id.*, — d'Architecture, de peinture et de sculpture, *id.*, — de Numismatique, *id.*, — d'Héraldique, *id.*, — de Musique, *id.* — de Paléontologie, *id.*, — de Botanique, *id.*,— de Zoologie, *id.*,— de Médecine-pratique, —d'Agri-sylvi-viti et horticulture, etc.

Prix : 6 f. le volume pour le souscripteur à l'une des deux *Encyclopédies* ou à 50 volumes choisis dans les deux. 7 fr., 8 fr. et même 10 fr. le vol. pour le souscripteur à tel *Dictionnaire* particulier. 23 vol. de la *Nouvelle Encyclopédie* ont vu le jour.

DEMONSTRATIONS EVANGELIQUES : de Tertullien, Origène, Eusèbe, S. Augustin, Montaigne, Bacon, Grotius, Descartes, Richelieu, Arnauld, de Choiseul du Plessis-Praslin, Pascal, Pélisson, Nicole, Boyle, Bossuet, Bourdaloue, Loke, Lami, Burnet, Malebranche, Lesley, Leibnitz, la Bruyère, Fénelon, Huet, [illegible]larke, Duguet, Stanhope, Bayle, Leclerc, Du Pin, Jacquelot, [illegible]llotson, De Haller, Sherlock, Le Moine, Pope, Leland, Racine, [illegible]ssillon, Ditton, Derham, d'Aguesseau, de Polignac, Saurin, [illegible]dier, Warburton, Tournemine, Bentley, Littleton, Fabricius, [illegible]d, Addison, De Bernis, J.-J. Rousseau, Para du Phanjas, [illegible]us as Ier, Turgot, Statler, West, Beauzée, Bergier, Gerdil, [illegible]omas, Bonnet, de Crillon, Euler, Delamarre, Caraccioli, Jen[illegible]ings, Duhamel, S. Liguori, Butler, Bullet, Vauvenargues, Guénard, Blair, De Pompignan, de Luc, Porteus, Gérard, Diessbach, Jacques, Lamourette, Laharpe, Le Coz, Duvoisin, De la Luzerne, Schmitt, Poynter, Moore, Silvio Pellico, Lingard, Brunati, Manzoni, Perrone, Paley, Dorléans, Campien, F. Pérennès, Wiseman, Buckland, Marcel de Serres, Keith, Chalmers, Dupin aîné, Sa Sainteté Grégoire XVI, Cattet, Milner, Sabatier, Morris, Bolgeni, Chassay, Lombroso et Consoni; contenant les apologies de 117 auteurs répandues dans 180 vol.; traduites, pour la plupart, des diverses langues dans lesquelles elles avaient été écrites; reproduites INTEGRALEMENT, non par extraits; ouvrage également nécessaire à ceux qui ne croient pas, à ceux qui doutent et à ceux qui croient. 18 vol. in-4°. Prix : 108 fr.

DISSERTATIONS SUR LES DROITS ET LES DEVOIRS DES EVEQUES ET DES PRETRES DANS L'EGLISE, par le cardinal de la Luzerne. 1 vol. in-4° de 1,900 col. Prix : 8 fr.

HISTOIRE DU CONCILE DE TRENTE, par le cardinal Pallavicini, précédée ou suivie du Catéchisme et du texte du même concile, de diverses dissertations sur son autorité dans le monde catholique, sur sa réception en France, et sur toutes les objections protestantes, jansénistes, parlementaires et philosophiques auxquelles il a été en butte; enfin d'une notice sur chacun des membres qui y prirent part. 3 vol. in-4°. Prix : 18 fr.

PERPETUITE DE LA FOI DE L'EGLISE CATHOLIQUE, par Nicole, Arnauld, Renaudot, etc., suivie de la Perpétuité de la Foi sur la confession auriculaire par Denis de Sainte-Marthe, et des 15 Lettres de Scheffmacher sur presque toutes les matières controversées avec les Protestants. 4 vol. in-4°. Prix : 24 fr.

OEUVRES TRES-COMPLETES DE SAINTE THERESE, précédées du portrait de la sainte, du fac-simile de son écriture, de sa Vie par Villefore, suivies d'un grand nombre de lettres inédites, des méditations sur ses vertus par le cardinal Lambruschini, de son éloge par Bossuet et par Fra Louis de Léon, du discours sur le non-quiétisme de la sainte par Villefore; des OEUVRES COMPLETES de S. Pierre d'Alcantara, de S. Jean-de-la-Croix et du bienheureux Jean d'Avila; formant ainsi un tout bien complet de la plus célèbre Ecole ascétique d'Espagne. 4 vol. in-4°. Prix : 24 fr.

CATECHISMES philosophiques, polémiques, historiques, dogmatiques, moraux, disciplinaires, canoniques, pratiques, ascétiques et mystiques, de Feller, Aimé, Scheffmacher, Rohrbacher, Pey, Lefrançois, Alletz, Almeyda, Fleury, Pomey, Bellarmin, Meusy, Challoner, Gother, Surin et Olier. 2 vol. in-4°. Pr. 13 fr.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, de PERRONE. 2 forts vol. in-4°. Prix : 12 fr.

OEUVRES TRES-COMPLETES DE DE PRESSY, évêque de Boulogne. 2 vol. in 4°. Prix : 12 fr.

OEUVRES DU COMTE JOSEPH DE MAISTRE, savoir : Considérations sur la France; — Essai sur le principe générateur des constitutions politiques et des autres institutions humaines; — Délais de la justice divine dans la punition des coupables; — Du Pape et de l'Eglise gallicane. 1 fort vol in-4°. Prix : 5 fr.

MONUMENTS INEDITS SUR L'APOSTOLAT DE SAINTE MARIE-MADELEINE EN PROVENCE, et sur les autres apôtres de cette contrée, S. Lazare, S. Maximin, Ste Marthe, les saintes Maries Jacobé et Salomé, etc., par M. Faillon, de St-Sulpice, 2 forts vol. in-4°, enrichis de 500 gravures. Prix : 20 fr.

OEUVRES COMPLETES DE BIAMBOURG, augmentées de plusieurs traités inédits, annotées par M. Foisset, 1 vol. in-8°. Prix : 7 fr.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ IN MODUM CATECHESEOS, par POUGET, 12 vol. in-8°. Prix : 25 fr.

MEMOIRES HISTORIQUES DU CARDINAL PACCA, 1 vol. in-8°. Prix : 2 fr.

COURS COMPLET D'HISTOIRE ECCLESIASTIQUE, 25 vol. in-4°, Prix : 125 fr. Les 3 1ers vol. ont paru.

LUCII FERRARIS PROMPTA BIBLIOTHECA, Canonica, juridica, moralis, theologica, 8 vol. in 4°. Prix : 60 fr.

MANUEL ECCLESIASTIQUE ou REPERTOIRE offrant, par ordre alphabétique et en 640 pages blanches à deux colonnes, tout autant de titres avec divisions et sous-divisions, sur le dogme, la morale et la discipline; ouvrage à l'aide duquel il est impossible de perdre désormais une seule bonne pensée, soit qu'elle survienne en classe, à l'église, en voyage, dans le monde, la conversation, la lecture, etc. 1 vol. relié, in-fol., prix : 6 fr.

On peut demander tous ces volumes reliés. Le prix de la reliure est de 2 fr. ou de 1 fr. 75 c. pour les in-4°; de 1 fr. 10 c. ou de 1 fr. pour les in-8°. Dans le premier cas, elle est pleine; dans le second, elle est mi-pleine.

Le onzième exemplaire *d'un même ouvrage* est donné pour prime à celui qui en prend dix ensemble ou successivement.

Les souscripteurs à 20 volumes à la fois, parmi les ouvrages ci-dessus, jouissent, EN FRANCE, de quatre avantages : le premier est de pouvoir souscrire sans affranchir leur lettre de *souscription* ; le second est de ne payer les volumes qu'après leur arrivée au chef-lieu d'arrondissement ou d'évêché; le troisième est de recevoir les ouvrages *franco* chez notre correspondant ou le leur, ou d'être remboursés du port; le quatrième est de ne verser les fonds qu'à leur propre domicile et sans frais.

CANONS D'AUTEL. Pour les Morts, en feuilles, noir, 7 fr., *id.*, coloriées, 15 fr.; *id.*, sur carton, fond noir, 12 fr.; *id.* coloriées, 19 fr. — *Id.* avec cadres noirs, sujet noir, 45 fr.; *id.*, sujet coloriés, 53 fr.; — *Id.*, avec cadres dorés extra-riches, sujet noir, 55 fr.; *id.*, colorié, 60 fr.—Canons d'autel, pour la Sainte Vierge, 6 fr. — 10 fr. — 12 fr. 16 fr. — 44 fr. — 50 fr. 54 fr. — 57 fr.


3 2044 014 810 451